Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICUS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE ; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR ; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III :

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS LXXI.

S. GREGORIUS TURONENSIS, FREDEGARIUS SCHOLASTICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA *AVENUE-DU-MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1879

BR
60
.M4
t.71
cop. 1

CLICHY. — EX TYPIS PAULI DUPONT, 12, VIA DICTA BAC-D'ASNIERES. — 1811.12.78

TRADITIO CATHOLICA.

SÆCULUM VI. ANNUS 593.

S. GEORGII FLORENTINI

GREGORII

TURONENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

NECNON

FREDEGARII SCHOLASTICI

EPITOME ET CHRONICUM

CUM SUIS CONTINUATORIBUS ET ALIIS ANTIQUIS MONUMENTIS

AD CODICES MANUSCRIPTOS ET VETERES EDITIONES COLLATA, EMENDATA ET AUCTA, ATQUE NOTIS ET OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA, OPERA ET STUDIO DOMNI THEODORICI RUINART PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE SANCTI MAURI.

CUJUS EDITIONEM

NOVISSIME RECENSENTES MELIORI ORDINE DIGESSIMUS : NOTIS FUSIORIBUS, QUÆ, SUB ADDENDORUM NOMINE, MULTAS PAGINAS, AD RUINARTIANÆ EDITIONIS CALCEM, QUASI LATENTER OCCUPABANT, INTER CÆTERAS DOCTISSIMI VIRI NOTAS ITA REVOCATIS, UT SINGULAS SINGULIS, QUOS ILLUSTRANT, LOCIS SUBJACENTES CUIQUE LEGERE SIT OBVIUM.

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESSIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE-DU-MAINE*, 189, *OLIM CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1879

TRADITIO CATHOLICA.

SÆCULUM VI. ANNUS 593.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO LXXI CONTINENTUR

Historiæ Francorum libri decem 1
Historia Francorum epitomata per Fredegarium. 5
Chronicum Fredegarii cum suis continuatoribus 6
Fredegarii fragmenta de Historia Francorum 6
Miraculorum libri duo. 7
Liber de Gloria Confessorum. 8
De miraculis S. Martini libri quatuor 9
Vitæ Patrum. 10
Fragmenta commentarii in Psalmos 10

OPERA S. GREGORIO ATTRIBUTA.

De miraculis S. Andreæ 10
Liber de Vita S. Juliani.. 11
Historia septem Dormientium. 11
Vitæ SS. Manilii et Albini (hìc tantum memoratæ) 11
Antiphona de SS. Medardo et Gildardo. 11
Vita S. Aridii.. 11

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

LUSTRISSIMO DOMINO D. ACHILLI DE HARLAY

SUPREMO GALLIARUM SENATUS PRINCIPI.

Si quis est superis rerum humanarum sensus, si qua eos propriorum operum cura tangit, non dubito, illustrissime senatus Princeps, quin insignis beneficii loco habiturus sit Gregorius noster, quod novam operum suorum editionem spectatissimi nominis tui auspiciis in lucem prodire patiaris. Optavit ille in primis, dum viveret, scripta ut sua integra et inviolata pervenirent ad posteros, obtestatus sacerdotes Domini, qui post ipsum Turonicam recturi essent Ecclesiam, ut ne hos libros aboleri sinerent, neu dimidiata, quibusdam pro suo arbitrio prætermissis, rescribi; sed ita, ut ab auctore ipso relicta essent, inlibata suisque numeris ac partibus absoluta exarari curarent. Quantam igitur modo gratiam habiturus ei sit, qui hanc ejus libris integritatem asseral, assertam auctoritate sua tueatur, aut denique ab iniquorum hominum censura vindicet? Præclare itaque cum Gregorio agis, qui illustrissimum nomen tuum novæ huic ejus operum recognitioni præfigi non graveris. Neque enim erit, ut puto, quisquam tam audax aut temerarius, qui Gregorianis scriptis vel tantillam inferre ausit injuriam, cum ea sapientissimi et æquissimi arbitri judicio comprobata viderit.

Tu vero, vir præstantissime, rem tuo nomine (liceat mihi hoc dicere) tuaque dignitate ac gravitate haud indignam facis, cum tuum Gregorio nostro præsidium impertiris. Cum enim religionem sincere ames, et gentis nostræ historiam, avitosque mores præ oculis semper habeas; non potes eum non probare auctorem, quem Francicæ historiæ parentem suspiciunt omnes: a quo religionis Christianæ in Galliis exordia et progressum, adeoque primorum regum nostrorum gesta accepimus. Neque vero si ille, jam supra mortalium sortem positus, scripta modo sua parum curat, nobis eorum, quæ is in usus nostros vivens edidit, curam abjicere licet. Interest quippe rei publicæ Francicæ ac Christianæ, ea non modo ab interitu vindicare, verum etiam eorum auctoritatem sartam-tectam tueri adversus eos, qui vel auctoris fidem elevant, ob nimiam, ut ipsis quidem videtur, hominis simplicitatem ac credulitatem; vel genuinis ejus operibus non minimam detrahunt partem, quasi ab interpolatoribus temere assutam. Ego vero utrumque Gregorio præstare sum conatus, cui quidem facto si sententiæ tuæ gravitas accesserit, nec ego haud leve susceptæ operæ pretium retulisse mihi videbor, atque universis eam approbasse. Ea est enim tua sagacitas, ea æquitas, ea denique auctoritas apud omnes, ut judicium tuum instar omnium sit, nec quisquam, qui abs te dissenserit, recte sapere censeatur.

Felicem itaque dixerim Gregorium nostrum, qui talem patronum ac vindicem sortitus sit, sincerum, sapientem, incorruptum, regis maximi ac sapientissimi judicio dignum, qui, postquam catholici regiarum causarum cognitoris officio integerrime functus esset, jam summus arbiter de universis judicium ferat; virum, inquam, qui nihil ex foro in suam domum derivet, pauperum ipse parens et provisor; qui juris ac legum cognitionem, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ suæ putet; qui cæteris judicibus non minus bene dicendi, quam vivendi formam exemplo suo commonstret; qui denique in se uno Harlæos, Brularios, Thuaneos ac Bellevreos, aliosque sanguinis sui heroas referat, totosque grandi et excelso animo complectatur.

Tali patrocinio munitus Gregorius, despiciet homines nonnullos fastidii adeo delicati, ut ejus lectionem infra se ducant, eumque tanquam gustu suo indignum penitus respuant. Illi porro rectius sapere incipient, ubi te longe aliter, atque ipsi, de Gregorio nostro sentire viderint, eum scilicet virum, cujus nativa et minime affectata eloquentia priscos illos Romanæ facundiæ magistros assequatur. Memini virum quemdam illustrem, cui maxime familiares sunt bonæ litteræ, cum ex aula regia nuper rediret, ubi te in frequenti senatus omniumque ordi-

num comitatu regi ob pacem Europæ concessam gratulantem audierat, dixisse, se non quei dam nostri temporis oratorem, sed veluti aureæ illius ætatis togatum principem audire s visum fuisse. Cum vero præcellens ista dicendi facultas, non in verborum inani sono, s maxime in rebus ipsis posita sit; haud vereor, ne Gregorii nostri, quantumvis impolita et i culta, oratio te offendat. In historico quippe, si afferat eloquentiam, non aspernaris quide sed, si non habeat, non admodum flagitas : dummodo res scitu dignas referat, quales cc Gregorius refert, cum veterum Francorum religionem, mores ac prima gesta genuine ac sinc commemorat. Unde mihi non satis eruditi, sed plane hospites in patria nostra historia esse i dentur, quibus Gregorii lectio ignota est. Quod si tempus illud, quo scripsit Gregorius, oculos ponerent morosi ejusmodi censores, intelligerent certe, aliter scribere nec potuisse Gi gorium, pereunte nimirum, ut ipse ait, ab orbe Gallico cultura *ac studio litterarum: i vero debuisse, cum* philosophantem rhetorem *pauci,* loquentem rusticum *plurimi tunc int ligerent*

Cæterum persuasum habeo, vir illustrissime, tibi, cum ob præmissas causas, tum ob ali omnino placiturum Gregorium, utpote veteris disciplinæ, quam tantopere amas, sequestru sacerdotii et imperii conciliatorem, æqui denique ac justi, cujus studiosissimus es, propugn torem acerrimum : ut in Prætextati episcopi judicio patuit, in quo subornatos canones stı nue rejecit, nullo metu humanæ potestatis, cui sese opponebat. Hic est ille Gregorius, cu dissipata opera, in unum redacta corpus, tibi nuncupamus : vir certe natalium splendore, n minus sanctitate, quam episcopali dignitate illustris; candidus, sincerus, ac minime fuca auctor, antiquis denique præditus moribus, quos amas et studiose sectaris. Nihil vero no opportunius aut felicius contingere poterat, quam Gregorio interprete publicum hoc dare c servantiæ in te nostræ, simulque grati animi testimonium ob singularem istum amorem, q litteras, litteratosque omnes prosequeris. Nos vero tantilla portio eorum, qui antiquis auct ribus lucem dare aut restituere student, nos, inquam, plane fortunatos reputabimus, si ea, q soles, benignitate hanc opellam accipias, nosque in posterum patrocinio tuo fovere ac tu pergas. Quod ut nobis impertiri digneris, ego minimus eorum, qui te, tuamque dignitatem c lunt, etiam atque etiam rogo et obtestor.

Celsitudinis tuæ

Addictissimus necnon obsequentissimus Fr. Theodericus Ruinart. M. B.

CODICES MSS. ET EDITI AD QUOS RECENSITA SUNT OPERA SANCTI GREGOI TURONENSIS, ET NOTÆ QUIBUS DESIGNANTUR.

In Historia adornanda usi fuimus : Codd. Jolianis duobus, uno olim Corbeiensi (*Corb.*), alter S Petri Bellovacen (*Bell.*); uno Regiæ Bibliothecæ (*Reg.*); Colbertinæ Bibliothecæ duobus, uno e monasterio Mettensi (*Colb. a*), altero Michaelis (*Colb. m*); uno Beccensis monasterii (*Bec.*); uno Regilmontis (*Regm.*); uno Vindocinensis abbatiæ (*Vin* uno Casinensis monasterii (*Casin.*); duobus Vaticanis (*Vat. Alex.*); uno cardinalis Ottoboni (*Ott.*); Palatino apud F herum (*Pal.*); fragmentis e codd. Reg. Colbertinis, S. Germani a Pratis (*Germ.*), Collegii Claromontani (*Clar.*), S. V centii Cenomanensis (*Vinc.*); Majorismonasterii (*Majm.*), etc.; editis Badii (*Bad.*), Morelii (*Mor.*) et variis e lectionibus (*Mor. s.*), Mathiæ Illyrici (*Illyr.*), Historiæ Christianæ vet. Pat. (*Bar.*), Marq. Freheri (*Freh.*), Biblio PP. Bigni (*Big*), Coloniensis (*Col.*), Bochelli (*Boch.*), variis ejus lectionibus (*Ro h. s.*), *Chesnii* (*Chesn*).—Fredeg EPITOMEN recensuimus ad codd. Sirmondianum (*Clar.*) et unum illustr. Boherii (*Boh.*); ad editos Freheri et Chesnii Chronicum vero, ad mss. eosdem, et Colbertinum unum Vaticanum e bibliotheca Palatina (*Vat.*); ad editos ut supra Gregorii Historiam, et ad duos codices Canisianos.—Libros octo Miraculorum ad mss. : Laudunensem unum (*Laud* Bellovacensem unum, Colbertinum unum (*Colb. a*); Pithœi (*Pith.*), Sanbovii (*SB.*), Regios, Colbertinum Tutela adv tum (*Colb. Tut.*), Colbertinum alium (*Colb. c*), item alium, Claromontanos duos (*Clar. a, Clar. b*), Reginæ Suec nuac card. Ottoboni (*Rom.*), Vindocinensem unum S. Martini Turonensis (*Mart.*), Majorismonasterii duos (*Majm. M jm. b*), S. Germani a Pratis quinque, Gemeticensem unum (*Gem.*), S. Victoris Paris. (*Vict.*), Vati anæ bibliothe (*Vat.*), S. Cornelii Compendiensis (*Comp.*), S. Vincentii Cenomanensis, Floriacensem, S. Gatiani Turon. (*Gat.*), B censem, et alios plures qui suis locis notantur. Editos vero adhibuimus, præter recensitos, Chlictovei (*Chlict.*), Mate Cholinii (*Chol.*), Balesdens (*Bal.*), Bollandi (*Bol.*), Surii (*Sur.*), Gononi (*Gon.*), etc.—Historiam septem dormient recensuimus ad mss. Victorinum unum et Claromontanum unum, cum editis.—Testamentum S. Aridii nunc primum tur integrum ex duobus exemplaribus mss. S. Martini Turonensis et schedis D. Mosnerii. Pro appendice inter al codd. habuimus unum Corbeiensem Gregorii nostri ævo conscriptum.—Vitam S. Gregorii recensuimus ad codd. tre S. Germani a Pratis unum, S. Pauli Cormaricensis unum, et S. Sergii Andecavensis unum.

Præfatio

In novam editionem sancti Gregorii Episcopi Turonensis.

1. Nemo nisi peregrinus in historia nescit, quam celebris semper apud eruditos viros fuerit sanctus Gregorius Turonensis episcopus, qui nobilitate generis, vitæ sanctimonia, ac multiplicum scriptorum varietate inter cæteros ævi sui antistites plurimum emicuit. Hic vero de ejus operibus potissimum dicturo, exponendæ ejus stirpis præstantiæ, præclarisque ejus factis fusius enarrandis immorari animus non est, cum ea tum ex ejus scriptis, tum etiam ex Vita, quam cum variis de eo virorum illustrium testimoniis, inferius proferemus, satis superque innotescant. Verum circa novam ejus operum editionem quatuor mihi potissimum occurrunt, de quibus rationem reddere operæ pretium puto. Primum est, quæ fuerit hujusce editionis vel necessitas vel utilitas. Secundum, quænam sint Gregorii opera, quove tempore aut ordine scripta fuerint. Tertium, an ex ejus Historiæ libris complura capita sint expungenda, ut Cl. viro Carolo Cointio visum est. Quartum denique, quid in hac editione a me præstitum fuerit. His expositis, quæ Gregorium spectant, postea de Fredegarii Epitome, Chronico et continuatoribus, ac de Appendice nostra paucis agendum.

I. —2. Merito apud omnes temerarius audirem, si absque virorum eruditorum testimonio novam Gregorii operum editionem esse necessariam, post tot alias et quidem variis temporibus a viris doctrina et eruditione celeberrimis publicatas, asseverare ausus fuissem. At cum meæ assertionis vades habeam viros eruditos, quotquot hisce temporibus historiæ gentis nostræ illustrandæ operam suam collocaverunt, me apud viros cordatos excusatum iri non diffido : cum maxime id opus in me non susceperim absque multorum amicorum consilio, qui mihi hærenti et præ laboris multitudine deterrito animum adjecere. Et quidem licet illis qui priores editiones curaverunt, nec doctiorem me, nec diligentiorem existimem, quos ut magistros ultro revereor et suspicio; me tamen eo feliciorem nemo inficiabitur, quod et plures codices manuscriptos, qui in bibliothecarum forulis tunc latebant, præ manibus habuerim, quibus Gregorii opera emendare licuit, et innumeras virorum eruditorum animadversiones de regum nostrorum rebus gestis, de chronologia et geographia Gallicana, deque aliis rebus ad gentis nostræ historiam pertinentibus, quibus Gregorium variis notis et observationibus illustrare non adeo operosum fuit.

3. Quod vero necessarium fuerit ad codices manuscriptos Gregorii opera edita recensere, non meis sed aliorum verbis probare in promptu est : cum passim conquesti fuerint viri eruditi, hæc non satis accurate ob veterum codicum defectum ad auctoris mentem edita fuisse. Agmen ducet vir nunquam satis laudandus Hieronymus Bignonius, qui in præfatione ad Marculfi formulas *plura* asseverat *in Gregorio Turonensi occurrere, et infinita propemodum, quæ ab iis qui ediderunt, immutata sunt.* Idem sæpius observavit Hadrianus Valesius, Historiæ Francorum scriptor accuratissimus, qui cum sæpius errores in editis Gregorii operibus advertisset, ad codices manuscriptos recurrere coactus fuit. *Et quoniam,* inquit in præfatione ad secundum volumen, Gregorium *præter cæteros corruptissimum esse animadverteram, dedi operam, ut scripta in membranis ejus volumina nanciscerer.* Tum recensitis codicibus manuscriptis qui in ejus manus pervenerant, profitetur se multum ex eorum codicum accurata lectione, ac eorumdem diligenti cum editis libris collatione profecisse, cum in notatione annorum, tum in propria hominum locorumque appellatione, ac in relatione rerum gestarum. Denique exponit singillatim præcipuos locos, quos antea corruptos et vitiatos codicum illorum ope restituit.

4. Hæc scribebat Valesius etiam post exactam Andreæ Chesnii editionem, quam tamen iste cum plurimis codicibus manuscriptis collatam se adornasse testatus est. Valesio consentit R. P. Carolus Cointius, Oratorii Gallicani presbyter, doctrina et pietate celebris, qui in illo immenso opere, quod Annales ecclesiasticos Francorum inscripsit, passim de vitiatis Gregorii operibus conquestus est, sed potissimum ad annum 617 quo primum de Gregorio agere incipit, ubi Valesii verba superius a me laudata adoptat : quæ causa eum impulit, ut præter eos codices quibus Valesius usus erat, etiam alios perquireret, quos in laudandis Gregorii operibus, illustrandisque historiæ nostræ locis difficilioribus adhiberet. Sciebant nempe viri illi eruditi, quam necessarium sit editiones veterum auctorum habere perquam emendatas, queis ad scribendam historiam recentiores adjuventur. Hanc ob causam complura exempla profert Valesius, quibus aut seipsum, aut alios antea errasse ostendit, quod in codices non satis accurate aut descriptos, aut editos incurrissent. Verum etsi hoc maxime curandum est iis qui ex antiquis monumentis historiæ

illustrandæ operam navant, ut ea pura et sincera nanciscantur, id tamen potissimum est observandum cum desunt alii ejusdem ævi auctores, quorum ope nævi et errores, qui forte in codices irrepserint, emendari facile possint. Talis est Gregorius noster, unicus scilicet auctor, qui quidem supersit, qui data opera primorum gentis nostræ regum, quorum tempore vivebat, gesta litteris mandaverit. Unde merito Valesius ejus libros appellat *Historiæ nostræ fundum*, ex quo originum rerumque Francicarum prima notitia potissimum repetenda sit, quem tanti faciebat vir ille doctissimus, ut historiæ suæ libros, quos summo labore et diligentia non vulgari adornavit, nonnisi commentarios in Gregorium Turonensem censuerit appellandos. Nec minus Cointio usui fuit Gregorius in ecclesiasticis Francorum annalibus describendis, quos ex ejus libris ut plurimum contextos videmus. Quanti autem fecerit Gregorium nostrum Hieronymus Bignonius, ex eo conjicere licet quod ejus Historiam, codicem legum antiquarum, et Marculfi formulas emendatas et notis exornatas, uno volumine comprehensas, tanquam unum corpus prisci juris, edere decrevisset, atque ob id jam codices aliquot fuisset mutuatus, ut testatur vir eruditus, qui præfationem posthumæ Marculfi formularum editioni præfixit, cujus hic verba descripsimus.

5. Ea enim est Gregorii nostri fortuna, ut quantumlibet rustico sermone scripserit, nemo de Francorum regni primordiis absque ejus subsidio scribere valeat. In hoc quoque laude dignus, quod Francorum originem nullis fabulis resperserit, sicuti fecere qui postea subsecuti sunt Historiæ nostræ scriptores. Nihil enim habet de Trojanis profugis, quos illi Francorum parentes effinxerunt; nihil de aliis ejusmodi næniis aut fabulis, quibus Historia nostra postmodum, stante adhuc prima regum nostrorum stirpe, infarta est, ut patet ex Fredegarii Chronico, ac ejusdem Fragmentis, quæ post ipsius continuatores edidimus. At Gregorius de origine Francorum dicturus, primum auctores ipso superiores consuluit, quorum cum testimonia retulisset, pauca de iis quæ vulgo ea de re circumferebantur subjunxit. Tres in hanc rem auctores profert, Sulpicium Alexandrum, Renatum Profuturum Frigeridum, et Orosium historiographum. Postremum nemo non novit; duo alii nonnisi ex Gregorio nostro noti sunt: quæ vero ab iis de Romanis narrantur, ita cæteris historiæ Romanæ monumentis sunt consona, ut eos quoque de Francis vera scripsisse vix quisquam inficiari possit, maxime cum videantur circa illa tempora floruisse.

6. Ex illorum vero auctorum testimoniis patet, Francos diu in ea regione stetisse, quæ ultra Rheni ripam posita est, quam ideo in Peutingerianis tabulis, aliisque veteris Germaniæ descriptionibus *Franciam* appellari non dubito. Hanc certe eo nomine diserte nuncupavit Sulpicius Alexander a Gregorio laudatus: ex quo etiam colligimus Ampsivarios, Chattos, Bructeros et Chamavos Franciæ gentis surculos fuisse. Quippe cum Arbogastes Romani imperii majestatem a Francis violatam ulturus Rheno transgresso in *Franciam* trajecisset, Bructeros ripæ proximos, et pagum quem incolebant Chamavi, nullo sibi occursante, depopulatus est, inquit ille auctor, nisi quod pauci ex Ampsivariis et Chattis Marcomere duce in ulteriori bus collium jugis apparuere. Si enim, ut scite observat Valesius, his populis non præfuisset Marcomerus, quem supra idem Sulpicius *Francorum regulum* appellaverat, nec priores duos populos defendere debuisset, nec duos posteriores habere potuisset milites. Reges an tunc habuerint Franci, an vero duces solummodo, aut quovis alio nomine appellarentur, principes, subregulos, aut regales, inquirit Gregorius, remque in medio relinquere videtur, cum apud eos auctores ante Eugenii tyranni tempus nemo e Francis regis titulo donatus occurrat. Qua in re graviter culpatur a Valesio, qui reges apud Francos semper exstitisse contendit. Verum etsi de regis nomine disputandi animus non sit, non tamen evinci posse arbitror ex antiquo ullo monumento, Francos omnes tunc temporis unico regi paruisse. Quamvis certum videatur familiam aliquam inter eos fuisse *primam*, ut loquitur Gregorius, et *nobiliorem*, ex qua populi rectores assumi consueverant, quos Romani scriptores, pro aliarum gentium more et suo loquendi modo, *reges* aut *regulos* appellarunt; quo vero nomine apud ipsos Francos dicerentur, quis divinare velit? Inter eos tamen reges aliquem fuisse cæteris præstantiorem inficiari nolim, cum ejusmodi fuisse videatur ex ipso Gregorio non solum Chlodio, sed et ipsemet Chlodoveus, quem legimus complures e suis consanguineis Francorum reges habuisse, quos unum post alterum monarchiæ desiderio captus oppressit. Et quidem cum post ejus mortem filii ipsius regnum inter se diviserint, hunc antiquum fuisse gentis morem vix quisquam negare potest.

7. Francorum itaque in ulteriori Rheni ripa sedes erat: sed gens bellicosa et quietis impatiens Rheno sæpe transmisso Romanorum provincias depopulabatur, unde natæ passim occasiones multa prælia conserendi, in quibus Franci modo repressi ac victi, modo etiam victores fuerunt. Turbatis interea Imperii rebus ob exortos tyrannos, utraque pars eos ad sibi auxiliandum advocavit. Nec diu inter Romanos fuerunt, quin ex iis multi sua virtute, et animi magnitudine primos militiæ honoris gradus, immo et ipsa civilia officia meruerint. Et quidem jam longe antea fœdera inierant Romani cum Francis, quæ nonnisi renovata fuisse Eugenii temporibus ex Sulpicii Alexandri verbis testatur Gregorius. Nec immerito, si verum sit quod Constantinus Porphyrogenitus imperator ad Romanum filium suum scribit, scilicet Constantini Magni decreto sancitum fuisse, ne Romani, exceptis solis Francis, cum barbaris unquam nationibus fœdus inirent. Hæc quippe sola erat vincendi Francos ratio, si fœderibus initis, aut alio quovis modo a solitis prædationibus abstinere cogerentur. Unde Libanius in Panegyrico Constantio et Constanti imperatoribus dicto, his principibus gratulatur ob ju-

gum grave Francorum cervicibus impositum, quod quidem jugum aliud non fuisse subjungit, nisi quod istorum principum virtute Fraaci intra fines suos repressi, deinceps Romanorum provincias aggressi non fuissent, cum idem omnino censeri debeat vel Francos concitatos vincere, vel efficere ut non concitentur. *Franci igitur*, inquit, *tam grave jugum subierunt. Etenim hæc illis servitus est nullos habere quos deprædentur.*

8. Cum vero inclinata omnino imperii Romani majestate, nullus jam Francorum armis resistere potens esset, non modo provincias deprædaturi, sed sedem sibi certam acquisituri Rhenum transierunt, quod cum primo variis irruptionibus tentassent, sensim tandem variis progressibus modo una, modo altera urbe aut provincia sibi acquisitis, obtinuerunt. Primum, qui in Galliis regni fundamenta jecit, Pharamundum vulgati auctores appellant : at de eo tam apud Gregorium, quam et apud Fredegarium, ejus epitomatorem et continuatorem antiquissimum, altum ubique silentium. Is honor, si Gregorio credamus, potius Chlodioni, seu, ut eum appellat, Chlogioni, deberi videtur, qui apud Dispargum castrum in termino Thoringorum, seu, ut alii scribunt, Tungrorum, inhabitans, missis primum Camaracum explo-ratoribus, hanc postea urbem totamque regionem ad Somonam fluvium occupavit. Hæc solummodo de eo memorat Gregorius. De Meroveo vero rege id unum dicit, quod e Chlogionis stirpe procreatus asseratur. Hujus filius Childericus fuit : cujus variam fortunam, id est e regno expulsionem, et post aliquot annos, quibus Egidius Romanæ militiæ magister Francis præfuisse dicitur, restitutionem, solus narrat Gregorius : at certiora sunt quæ de ejusdem regis in Gallias expeditionibus habet, in quibus Aurelianum et Andegavos urbes clarissimas obtinuisse memoratur. Obiit Childericus in Belgica secunda, ubi prope Turnacum tumulus ejus nostra ætate detectus est : cujus si quis cupit accuratam habere descriptionem, legat librum ea de re a Chifletio editum anno 1655 : pretiosa vero cimelia quæ in eo inventa sunt, in Bibliotheca regia Parisiis habentur. An vero illi reges in Galliis sedes fixas habuerint, nusquam diserte exprimit Gregorius; eos tamen regnum suum in Belgicæ secundæ fines protendisse, unde in alias Galliarum provincias excurrebant, vix quisquam dubitare potest. Eamque Gregorii fuisse mentem colligo ex substitutione de Egidio in Childerici locum facta. Egidius enim in Belgica secunda morabatur, cujus regni sedem Augustam Suessionum adhuc tenebat filius ejus Syagrius, cum eum exinde pulsum ac devictum Chlodoveus tandem occidi curavit. Sed et ipse Chlodoveus, regni paterni factus hæres, nihil non movit, ut et regiones Gallis seu Romanis adhuc subjectas invaderet, et vicina quoque regna suo imperio subjugaret; quæ ei fuit occasio multos e suis consanguineis morte afficiendi. Occisis itaque qui e gente Francorum erant, aliis regibus, interempto Syagrio Romanæ militiæ præfecto, superatis non semel Burgundionibus, ac denique devictis A Wisigothis qui Septimaniam vicinasque provincias regebant, totam ferme Galliam suo imperio adjecit, *Cathedraque regni Parisiis constituta*, florentissimum illud regnum, quod hactenus, Deo Opt. Max. præstante, perseverat, ad summum fastigium extulit, cujus præcessores tamdiu fundamentis imponendis insudaverant.

9. Quænam vero ante illud tempus regiminis forma apud Francos valuisset, quæ essent eorum leges aut consuetudines, quove ordine reges aut patribus succederent, aut ex regia familia eligerentur, quam denique reges haberent in subditos auctoritatem, difficillimum est exponere. Eorum religionem uno verbo indicat Gregorius, cum eos *fanaticorum*, id est paganorum, erroribus fuisse detentos ait, priusquam Chlo- B doveus Christianam religionem amplexus fuisset : nonnullos tamen ex iis Arianos fuisse colligimus ex eodem auctore, qui Lantechildem Chlodovei sororem Arianam fuisse commemorat. Hujus quippe sectæ errores a Gallis seu Romanis illa non imbiberat, qui ab iis plane erant immunes, sed aut a contribulibus suis, aut certe ab aliis barbaris, quos fere omnes hoc veneno infectos fuisse nemo nescit. Tantus vero erat in Francis ad pugnas ardor, tanta ad bellum propensio, ut, teste Libanio, felicitatis apex apud eos essent belli tempora, et mutilati uno membro, parte reliqua integra præliarentur. Singulis autem annis saltem semel in unum conveniebant de rebus majoris momenti collocuturi, id est de bello in hostes promovendo, aut certe de aliqua irruptione facienda in vi- C cinos populos; capta præda, singuli sorte aut alio quovis modo partem suam obtinebant. Quod ita religiose servatum fuisse colligimus ex ipso Gregorio, ut ne quidem rex aliud percipere soleret, quam quod ei communi sortis lege obtigisset.

10. Illi porro conventus Campus-Martius, vel a Marte bellorum deo, aut a Martio mense, quo fieri solebant, nuncupabantur. Hinc cum postea in Maium mensem a Pippino translati fuissent, passim Campus-Maii, seu Madii appellati fuerunt. Campi-Martii convocationem a Chlodoveo factam commemorat Gregorius Historiæ lib. II, cap. 27, ad quem omnes cum armorum apparatu convenire mandavit, eorum nitorem ostensuros. Nec dubium est quin etiam, si inter aliquos Francos lites aut jurgia forte oborta fuissent, D in ejusmodi conventibus finirentur. Hæc primum facilia erant; sed dilatato postea per complures provincias regno, præter illum conventum generalem, alii cum rerum necessitas exigebat a rege convocabantur : qui licet quandoque Campi-Martii aut Campi-Madii nuncupati fuerint, ut plurimum tamen *Placitorum* nomine apud veteres auctores solent designari. Sed et cum præ negotiorum multitudine, aut itinerum longinquitate difficillimum fuisset omnia negotia in uno loco, aut intra paucorum dierum intervallum terminare, in majoribus civitatibus instituta sunt placita statis temporibus, quæ a comitibus aliisve officiariis habebantur, imo etiam et ab episcopis et abbatibus, quorum judicio res, quæ tanti non erant mo-

menti fit ad regium palatium deferri deberent, finiebantur. Postea et in vicis et oppidis minora etiam placita instituta fuerunt, quibus præerant officiales a comite designati, qui ideo vice-comites, aut vicarii appellati leguntur.

11. Inde porro nati sunt varii officialium et dignitatum gradus inter Francos, quorum nomina et officia ut plurimum a Romanis mutuata fuerunt. Qui ex nobilissimis familiis exorti, nullo peculiaris dignitatis titulo designabantur, ii *viri fortes*, *seniores*, *majores-natu*, *primores*, *priores*, *primates*, *optimates*, *magnates* appellabantur, quorum consiliis rex in placitis uti solebat. Alii vero aulicas dignitates consecuti, erant cancellarii, referendarii, domestici, cubicularii, camerarii, comites-stabuli; præcipui erant palatii principes aut *majores*, etc. Nec omittendi regis nutritores, *bajuli* vulgo dicti, maximæ apud principes auctoritatis. At illi quibus civitatum cura commissa erat, *comites* dicti sunt, qui et suos quoque in civitatibus officiarios habebant, qui passim in formulis recensentur. *Duces* vero supra multos comitatus constituti, potissimum exercitibus præficiebantur : quanquam et suos etiam milites habebant *comites*, quibuscum ad bellum, cum urgebat necessitas, progrediebantur. Qui vero in Burgundia aut in provincia Patricii dicebantur, nomine tenus sub Francorum regimine a ducibus distincti erant. Tribunum alicubi memorat Gregorius, qui et alio in loco de tribunitia potestate loquitur. Comites autem qui tributa aliosque fisci reditus in provinciis debitos ad principem deferri curabant, etiam et comitatus suos quandoque aut pretio emebant, aut, ut in iis continuarentur, præmiis et pecunia obtinebant. Quæ causa fuit ut viri ignobiles nonnulli ad ejusmodi dignitates evecti fuerint. Fiscales tamen præter eos officiarii fuerunt, sic dicti, quod villarum regiarum curam haberent; qui et ipsi sub se fiscales variorum graduum officiarios et servos habebant, qui passim laudantur apud Gregorium.

12. Locus hic esset inquirendi, quænam fuerit apud veteres Francos inter familias differentia, utrumve medius quidam inter nobiles et servos fuerit hominum status. At iste nodus absque aliquo monumento solvi non potest, cujusmodi de Francis antequam in Galliis stabiliti fuissent, nusquam reperi. Hoc unum constans invenio, *Franci* nomine hominem liberum et a qualibet servitute immunem designari. Cum vero Franci simul cum veteribus Gallis seu, ut tunc loquebantur, Romanis, in unum populum coaluerunt, homines alios ex nobilissimis et senatoriis, ut habet Gregorius, familiis exortos invenio, alios servituti mancipatos, alios ingenuos natos, alios vero servitutis jugo, dominorum suorum beneficio, omnino vel ex parte absolutos. Qui ex veteribus Gallis aut opibus præstabant, aut erant ex antiquis familiis orti, dignitates, etiam præcipuas, sicut et veteres Franci, obtinuerunt, factique sunt comites et duces; quos ideo passim apud Gregorium legimus his vocibus designatos, *Francus* aut *Romanus genere*. Quin et urbium quarumdam civibus sua privilegia servata colligimus, quod a rege, cum earum possessi inibat, sacramentum exigerent, ut sua ipsarun vilegia integra servarentur.

13. Haud minus ignotæ sunt leges, quels Fr rum gens ante stabilitam eorum in Galliis seden rentur. Memorat Libanius in panegyrico jam a me laudato leges, quibus erat sancitum apud F cos, ut qui apud eos majora auderent, majc etiam honoribus potirentur. Celebris semper apud majores nostros lex Salica, de cujus orig variis additamentis viri eruditi passim scripser cum certum sit eam ad posteros, qualis pri fuit a Francis adhuc ethnicis instituta et di non fuisse transmissam; veterum Francorum exinde, maxime in his quæ ad religionem perti exploratos habere non possumus. Modum quo Chlodovei nomine Chlotildem desponsarunt, ex Fredegarius in Epitome, capite 18. *Offerentes*, i *solidum et denarium, ut mos erat Francorum, partibus Chlodovei desponsant.* Quod in veteribu mulis apud Bignonium, num. 5, *secundum legem licam* fieri dicitur. At nihil de iis habet noster gorius; sed lib. IX Historiæ, capite 20, exempl fert pactionis, in qua de dote et morganegiba, dono quod maritus uxori primo die nuptiarum offerebat, agitur. Veteres Francorum leges a nismo primus expurgavit Theodoricus, perl Childebertus et Chlotarius ejus fratres, quas auctas et emendatas publicavit anno 630 Dag tus, ut ex præfatiuncula ad ejusdem regis cap ria patet, quam in appendice dabimus. Legis Salicæ aut alterius cujuslibet, ne nomen qu præter ecclesiasticos Canones et legem Roma usquam exprimit Gregorius : at ex iis quæ n facile colligimus Salicæ legis scita quæ ad re pertinent, a Francis semper constantissime observata. Tale est illud ex capite 62, num. 6 cavetur, ne ulla Salicæ terræ portio ad muli veniat, sed tota ad virilem sexum devolvatur. accurate in regni successionibus observatum ex Gregorii Historia discimus. Nusquam enim eum legimus in regni divisionibus feminas in tem venisse. Immo, si quis rex absque maribu functus fuit, non ipsius filiæ, sed aut fratres a potes ad regni successionem accesserunt. Hæc fuit inter quatuor Chlodovei Magni filios regni dundi ratio; eademque post Chlotarii monarcha tem inter ipsius filios servata : et Charibert Childeberto regibus, absque virilis sexus liberi functis, non eorum filiæ, sed fratres successe

14. Et tamen ea erat e regiis liberis filiarum tas, ut in probis auctoribus nusquam invenias aliis quam regibus in matrimonio locatam. etiam tum cum in paterna domo conjugii exp manebant, *Reginæ* nuncupabantur; forte ut minissent solis se regibus fore desponsandas aliis copulandas viris, ne tam illustre nomen parent. Sic et regum filii *reges* passim appe fuisse legimus, quod paterno regno substituer

rent. Mos enim tunc erat inter Francos receptus, ut rege mortuo, pro filiorum numero regnum divideretur; et ita in suo quisque regno erat a cæteris fratribus absolutus, ut nullus esset qui in fraterni regni regimine quidquam potestatis haberet. Id ex eo patet quod Guntramno accidit. Nam cum filios non haberet, etsi nepotum suorum, ut loquimur, id est filiorum fratrum suorum, pater vulgo nuncuparetur; cum tamen episcopos in Chlotharii parvuli regnum misisset, qui cum ejus regni primoribus de Prætextati cæde in loco sancto facta inquirerent: Chlotarii primates id se non permissuros esse contestati sunt, cum ad ipsos, regis sui tutores, attineret auctoritas *regali sanctione* male acta comprimendi. Et re ipsa nunquam impedire potuit, quin Melantius, in Prætextati sedem ipsa agente Fredegunde intrusus, Rothomagensi Ecclesia potiretur. Reges vero ætate minores qui regno administrando nondum habiles et idonei erant, manebant sub tutela et matris, si superesset, et regni ipsius optimatum, ut de Childeberto Sigiberti, et Chlotario Chilperici filiis ex Gregorio liquet. Childebertus idem annos vitæ quatuordecim egressus, a patruo suo Guntramno rex, id est populis per se ipsum regendis potens, seu, ut loquimur, *major* declaratus est lib. VII Historiæ, capite 33; ex quo etiam capite instituendi regis modum discimus. Nam ibi Guntramnus *data in Childeberti manu hasta*, dixit: *Hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi.* Certe ex veteribus nummis discimus, hastam apud Francos regiæ potestatis insigne fuisse. Chlodoveus tamen post Sigiberti Coloniensis regis et ejus filii necem in *clypeo evectus*, rex eorum loco constitutus fuit. Sigibertus autem a Neustrasiis in regem acceptus *super clypeo impositus est.* Nec aliter Gundobadum-Ballomerem a suis in regem evectum fuisse legimus. Supremum autem regum nostrorum dominium soli Deo subjectum memorat passim Gregorius, cum eos, nisi justitiam exercuerint, judicium Dei sibi imminere admonet; cujus rei egregium habemus exemplum in libro V Historiæ, capite 19, ubi Gregorius Chilpericum alloquens, regi quidem episcopos omnes esse subjectos testatur; regem vero ipsum nonnisi Deo, qui criminum quorumcunque hominum ultor est. *Si quis*, inquit, *ex nobis aberraverit, a te potest emendari; si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur tibi, sed si volueris, audis; si vero nolueris, quis te condemnabit, nisi qui se justitiam esse pronuntiaverit?* Nullum etiam supra se hominem agnoscebat Chlotarius Chilperici ipsius pater, qui post fratrum suorum eorumque filiorum funera monarcha factus, cum proximus esset morti, ac vi febris magnopere vexaretur: *Uva*, inquiebat, *qualis est ille rex cœlestis qui tam magnos reges interficit!* Hinc nunquam tulere Francorum reges, ut ne minima quidem subjectionis umbra eorum imperium obscuraretur. Memorabile est hanc in rem Theodeberti Austrasiorum regis facinus, qui referente Agathia auctore Græco, cum audiisset Justinianum imperatorem inter alios titulos, *Francici* etiam nomen usurpasse, quasi aliquando Francos vicisset; exercitum movit, ut Constantinopolis urbis expugnatione, subjugato imperio, tanta imperatoris vanitas dilueretur. Et quidem non minorem se agnoverat Chlodoveum Anastasius imperator, cui, testante Gregorio, codicillos de consulatu transmisit in honoris et amicitiæ tesseram. Non enim aliquam ab imperatore potestatem ex hoc accepisse censendus est Chlodoveus, qui jam tunc temporis imperatorem ipsum potentia superabat. Exinde tamen Chlodoveus more imperatorum diademate redimitus in publicum processit, et blattea, id est purpurea veste, usus, *Augusti* nomine donatus fuit.

15. Hanc autem summam, qua pollebant reges nostri auctoritatem, non supercilio in populos, veluti orientales reges qui a popularibus suis adorari consueverunt, non etiam auri et divitiarum amplitudine sibi conciliarunt, sed amore in populos, et mutuo popularium in regem amore, qui in Francorum cordibus a natura insitus videtur. Hinc factum est ut cæteræ nationes, quæ inclinato imperio variis in provinciis sedes acceperant, haud diu eas servare potuerint, quod sua potestate abuterentur. At Franci quas provincias virtute sua acquisierunt, non solum servavere incolumes, sed et vicinas aut sibi subjecere, aut suis contenti finibus effecere tributarias. Quis nesciat Wandalos, Alanis exstinctis, Africam vix uno sæculo obtinuisse, ac paulo post Suevos in Gallæcia jugum Wisigothorum subire fuisse coactos? Haud diutius substitere Burgundiones in Gallia, Ostrogothi in Italia, Wisigothi in Septimania. At Franci hodieque in Galliis perseverant, qui in ipsis stabilibus regni primordiis, Alamannos, Bajoarios, Thuringos, Saxones, Winidos, Sclavos, aliasque nationes, aut subjectas sibi, aut tributarias fecere. Wisigothos expulerunt ex Septimania, Burgundionum regnum plane exstinxerunt, Ostrogothos in Italia terruerunt; Langobardis, qui Gothis in Italia successerant, tributa imposuerunt: iique ita erant ipsis addicti, ut neque regem sibi constituere auderent absque Francorum venia. Uno verbo nihil non Francis parebat: quorum amicitiam et ipsi imperatores tanti faciebant, ut eam crebris legationibus, largitionibus pecuniarum, et provinciarum cessionibus captarent; parumque abfuit quin tributa ipsis penderent, id sine dubio facturi, si pudor obstitisset. Cum enim ea ab imperatore Theoderici regis legati exigere voluissent, imperator, inquit Theophylactus Simocatta libro VI Historiarum, legatos humaniter muneratus, Francos adhortatus est, ut citra pretium societatem inirent, cum ferre non posset barbaros a Romanis tributum exigere.

16. Tanta quippe jam tunc erat Francorum fama, tantaque sub illis principibus populorum felicitas, ut et vicinæ gentes, quæ ex Romani imperii reliquiis a barbaris fuerant subjugatæ, teste Gregorio, Francos habere reges desiderarent, sub quibus, et religio catholica, quam nuper amplexi fuerant, floreret, et libertate sua populis uti liceret. Id autem contigit post

Chlodovei conversionem, cum non solum Remigium, A ditas, aut alia quævis ratio principibus con
sui et totius gentis apostolum, sed alios quoque snasisset, episcoporum monitionibus et inter
episcopos, ex quibus multi in Gallliis tunc erant san- nibus cedebant. Rem paulo plus quam cæteri
ctitate celebres, consiliarios adhibuit. Exstat ea de verat Chlotarius hujus nominis primus, qui,
re beati Remigii epistola, quæ principis officia paucis nes Ecclesiæ redituum suorum partem fisco
verbis, sed efficacissimis complectitur. Cæterum verent, decreto sanciverat. At conniventibu
tanta ex tunc cœpit esse episcoporum auctoritas, ut voluntati, metu aut adulatione, cæteris epi
nihil fere absque eorum consilio fieret. Testis est Injuriosus, Turonum antistes, rem adeo in
Gregorius complures eorum legationibus functos non ferens, insalutato rege abscessit: quo fac
fuisse ad exteros principes. Si vero inter fratres post motus rex, ductusque pœnitentia, ut episcop
regni divisionem aliqua exorirentur dissidia, com- ret rogavit; eumque, fracto propriis manibus
ponebantur per episcopos: citra quorum interven- laudatum muneribus honoravit, quod ei tam
tum vix quisquam, qui a regis gratia excidisset, eam consilium inspirasset. Quam vero in his serva
recuperabat. Harum similiumve rerum exempla con- ligiosi fuerint reges nostri, scribit Gregorius l
gerere non videtur operæ pretium, cum passim le- capite 30; sed memoria æterna dignum est
ctoribus in Gregorii Historia occurrant. Certe cum B berti regis factum, qui cum ab Eufronio e
in expeditione Hispanica Guntramni exercitus rapinis monitus fuisset tributa a suis ministris apud T
inhians rem male gessisset, convocatis rex quatuor fuisse exacta, ingemuit, tum libris censuum i
episcopis cum aliis e regni primatibus, exercitus du- traditis, aureos quoque jam receptos Turono
cum causam exequi cœpit, referente Gregorio lib. sit: veritus, ne quod officiales suo nomine
VIII Historiæ, capite 30. Sic et post Prætextati mor- ipso inscio exegerant, in suum caput Dei e
tem, idem princeps tres episcopos ad Chlotarii regni Martini indignationem concitaret.
optimates delegavit, qui ea de re inquirerent. Deni- 18. Quantum vero catholicæ religionis pr
que cum idem Guntramnus de legitimis Chlotarii, ni addicti semper fuerint reges nostri, ex eo
Chilperici ex Fredegunde filii, natalibus dubitare patet, quod uxores hæresi infectas ducere n
videretur, regina accersitis inprimis *regni prioribus, id est episcopis*, etc., filii sui nativitatem fuisse legi- voluerint. Brunichildem Sigibertus uxorem
timam sacramento approbavit. Minime itaque mirum Galesvinthem Chilpericus ejus frater, ambas
cuiquam videri debet, si episcopi suis in urbibus pri- gildi Wisigotthorum regis filias, et Ariana
vatorum causas cum adjunctis comitibus aliisque contaminatas: at neutra in thorum regis
officiariis judicarent, ut ex antiquis formulis aliis- C nostrorum regum filiæ exteris regibus a c
que veteribus passim monumentis, immo et ex Gre- fide alienis in matrimonio collocatæ, suam
gorio nostro certum est, cum ipsi de majoribus regni nem inviolatam intemeratamque servaverunt
causis sententiam ferrent. hoc primum præcipuumque matrimonialium
17. Neminem enim in suis regnis majorem episco- rum fuit, ut suæ religionis liberum exercitiu
pis agnoscebant reges nostri, quos Christi vicarios, et næ illæ haberent: quod quidem pactum cum
mysteriorum Dei dispensatores esse sciebant. Hinc ricus, qui Chlotildem Chlodovei magni filiam
primi in placitis adsidebant, eorumque nomina ante uxorem, violare tentasset, morte, quam ei Ch
quoslibet alios recensebantur. Filios regum ipsi e sa- fratres intulerunt, perfidiam suam eluit: illa
cro fonte suscipiebant: ad mensam regiam non raro fide catholica constantissime perseveravit.
etiam invitabantur, eorumque benedictionibus mu- conditionibus Chlotsinda, Chlotarii I filia,
niri reges ipsi flagitabant. Unde aliquando Chilperi- Langobardorum regi, Ingundis Hermenigil
cus rex, ut olim Jacob ad angelum, se non dimissu- Wisigotthorum in Hispania, et Bertha Cantii
rum Gregorium nostrum asseruit, nisi prius ab eo Anglia regi nupserunt; quæ quidem reginæ
benedictionem recepisset. Quæ regum nostrorum re- non solum catholicam fidem perseveranter co
ligio ac pietas eos movit, ut non solum priscas cleri- D sed eam quoque viris suis inspirarunt, adeoq
corum Ecclesiarumque immunitates, quas ab impe- tibus inter quas ipsæ versabantur. Hortatu
ratoribus concessæ fuerant, confirmarent, sed et ut re Nicetius, Trevirorum sanctissimus antiste
novas etiam veteribus adjicerent. Remensis Ecclesia tsindam in epistola, in appendice hic relata,
in qua fuerant in Christo generati, simul et beati cet non solum religionis suæ integritatem vi
Remigii eorumdem apostoli basilica, omni immuni- et vitæ sanctimonia conservaret, verum etia
tate gaudebant, teste Frodoardo. Narrat Gregorius veritatem ejus viro suo, Alboino regi, et
libro III Historiæ, capite 25, ea omnia quæ ab Ar- Langobardis ipsi subjectis persuadere conar
vernorum Ecclesiis fisco reddi consueverant, ipsis a quidem licet infructuosi fuerint Alboino Chl
Theodeberto rege indulta fuisse; quod Childeber- conatus, quæ tamen ipsa tunc seminaverat,
tus II, lib. X, capite 7, confirmasse memoratur. At ut quidem existimare licet, pullulaverunt, e
Turonenses non modo clerici, sed et cives omnes, a rius reginæ ex gente Francorum, testante
quovis tributo erant liberi ob reverentiam sancti Mar- Gregorio, oriundæ, Theodelindæ scilicet, su
tini. Si autem aliquando fiscalium ministrorum cupi- lulfus cum gente sibi subdita fidei catholicæ

sionem amplexus est. Idem contigit apud Wisigothos; seminavit Chlotildis, quæ etiam sanguinis sui effusione fidei catholicæ veritatem Amalarico regnante asseruit. Irrigavit Ingundis, cum Hermenegildus ejus conjux, Ariana hæresi ejurata, ad fidem catholicam accessit: at messis integra congregata fuit, cum Reccaredo rege tota Wisigothorum gens catholicæ Ecclesiæ nomen dedit. Nec minus feliciores fuere Berthæ in Anglia conatus, quæ virum suum, primum quidem morum suavitate lenitum, ac postea sancti Augustini aliorumque monachorum a Gregorio Magno ex Italia missorum prædicationibus Christianum factum videre meruit. Atque ita, juxta Apostoli sententiam, viri infideles a mulieribus fidelibus sanctificati, Ecclesiam catholicam per totam fere Europam amplificarunt. Jam quippe antea Burgundiones fidem catholicam amplexi fuerant, et id Francorum exemplo, ac Remigii eorum apostoli miraculorum fama inducti, quod ipse Avitus in collatione contra Arianos præsente Gundobaldo rege facta attestatur. Ut nulla superesset in toto Occidente provincia, quæ Francis salutem suam non deberet, unde non immerito Gregorius, re multo magis quam nomine Magnus, lib. v, epistola 6, præclarum hoc de Francorum regibus protulit effatum. *Quanto cæteros homines regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna regni Francorum culmen excellit.*

19. Tanta autem erat et regum et regni in Romanum pontificem reverentia, ut licet, pro more tunc temporis recepto, episcopi omnes *apostolici viri*, aut *papæ* nuncuparentur; nemo tamen ex eis præter Romanum pontificem, *papa*, id est omnium pater, absolute diceretur. Item sedis apostolicæ nomine designabatur per excellentiam Romana Ecclesia, ut tum ex nostro Gregorio, tum ex variis conciliis illorum temporum constat. Atque inde, et quod plerique barbari hæreseos labe infecti essent, Romanorum nomine catholici, etiam ab ipsis hæreticis, indicabantur.

20. Is itaque erat, referente Gregorio nostro, Galliarum status sub Chlodoveo Magno ejusque filiis ac nepotibus. Sed jam ex hoc ipso auctore inquirendum est, quænam tunc temporis vigeret apud Francos Ecclesiæ disciplina. Et primo quidem episcoporum electiones liberas et absolutas nemo est qui non dixerit, si vel leviter ejus ævi conciliorum canones percurrere volet, quos etiam canones, ne debita eis deesse putetur auctoritas, a regibus comprobatos et firmatos passim legimus. Si tamen Gregorii Historiam aliaque ejus opera evolvamus, contrariam omnino his canonibus consuetudinem tunc temporis viguisse nonnullis videbitur, cum ibi legamus passim episcoporum successiones præcipiente rege tunc temporis factas fuisse. *Hic*, inquit, *præceptione regis* in episcopi defuncti locum est substitutus: aut, *Ille*, defuncto episcopo a rege *præceptionem obtinens*; aut *alius*, quod jam antea a rege mandatum obtinuisset, cæteris posthabitis, viduatæ urbis episcopatum adeptus est. Quibus, aut sane *similibus* verbis cum utitur Gregorius, episcopos non *libera* civium aut cleri electione, sed nuda auctoritate regum fuisse institutos innuere videtur. Verum si Gregorii verba, resque ab eo narratas paulo accuratius perpendamus, eorum temporum disciplinam talem fuisse animadvertemus, quæ ita regum auctoritati providerit, ut canonum ecclesiasticorum vigorem non convelleret. Et quidem cum tanta tunc esset, uti ex Gregorio observavimus, episcoporum in regno auctoritas et dignitas, nihil non magis rationi et æquitati consentaneum fuit, quam ut nemo sine regis consensu et auctoritate hunc gradum adipisceretur; sicut et ex altera parte, si quidem juxta eorum temporum disciplinam Ecclesiæ viduatæ electionis libertate gauderent, æquum etiam erat ut illæ suis legitimis juribus fruerentur. Sic autem res agebatur. Defuncto episcopo, electio successoris statim in ea fiebat civitate, quæ erat pastore viduata; tum ille, in quem suffragia convenerant, aut aliquis ejus nomine, sive alii ab ipsa Ecclesia delecti deferebant ad regem electionis instrumenta, quæ si legitima judicaret, nihilque in electione vitiosum adverteret, admittebat electionem; aut eam irritam reddebat, si forte cives in personam sibi aut regno suspectam consensissent. Rex, admissa electione, scribebat ad metropolitanum epistolam, qua ei ejusque comprovincialibus episcopis novum episcopum ordinandi potestatem faciebat. Hæc omnia anno 549 paucis verbis expressere Patres Concilii v Aurelianensis canone 10. *Cum voluntate regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, a metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum comprovincialibus pontifex consecretur*: quam regulam exsecutioni mandatam fuisse infinita propemodum Gregorii loca probant, in quibus instrumentum a civibus pro electione factum appellat *consensum civium*; regium vero diploma, *præceptum*, aut *præceptionem*, sive *indiculum*. Hanc vero *præceptionis* vocem sic non intelligendam esse, ut electionem excludat, ex Gregorio nostro patet, qui post delatum ad regem *consensum civium*, suam *præceptionem* eum dedisse passim commemorat. Quin etiam licet in regiis litteris seu *præceptione*, nulla fieret electionis aut *consensus* præcedentis mentio, ut ex formulis Marculfi colligimus, illum tamen civium consensum re ipsa præcessisse non solum ex Gregorio, sed etiam ex sancti Desiderii Caturcensis vita discimus, in qua quidem Vita regiæ litteræ referuntur ad episcopos, etc., datæ simul cum indiculo ad Sulpicium metropolitanum: sed in indiculo rex ne verbum quidem habet de cleri vel plebis electione aut consensu, tametsi in suis litteris mox laudatis, hanc promotionem *cum abbatum totiusque cleri consensione* factam fuisse testatur.

21. Haud tamen diffitear electiones a clero et populo factas nonnunquam a regibus abrogatas fuisse, vel quod divisis inter se electorum suffragiis, unaquæque pars cum suo electionis instrumento ad regem accessisset, vel quod electi persona regi displiceret. Nec etiam inficiari velim nonnullos quandoque, etiam non exspectata cleri aut populi electione, *e palatio* in locum defunctorum episcoporum a rege fuisse sub-

stitutos : quos metropolitani, de eorum doctrina et probis moribus a rege ipso facti certiores, consecrabant; sed civium aut cleri consensus, cum illi primum in urbem suam adveniebant, rogabatur. Hæc tamen consuetudo electionum libertatem multum labefactavit; quam conciliis ignotam, et sensim sine sensu introductam Chlotarius II in edictum confirmationis synodi v Parisiensis primus inseri curavit, anno 415, ut deinceps pro lege haberetur. *Episcopo*, inquit, *decedente, in loco ipsius qui a metropolitano ordinari debet, cum provincialibus a clero et populo eligatur; et si persona condigna fuerit, per ordinationem principis ordinetur.* Hæc prima ordinationum regula, ut vidimus ex concilio v Aurelianensi, novam addit : *vel certe si de palatio eligitur, per meritum personæ et doctrinæ ordinetur.* At hæc nova consuetudo multorum in Ecclesia malorum occasio fuit, favendo ambitiosorum conatibus, maxime officialium regiorum, qui postea pinguiores episcopatus aucupati sunt : et statim ex laicis episcopi facti, Ecclesiæ Gallicanæ sanctitatem non mediocriter imminuerunt. Alii vero pecunia et muneribus, alii adulationibus, aut ministrorum regiorum quos corruperant officiis, *præcepta* regum adepti, Simoniacam, ut vocabant, hæresim introduxere; indeque tot canones adversus neophytos et Simoniacos illis temporibus in Gallicanis conciliis conditos legimus, qui tamen nunquam, sicut nec Romanorum pontificum, et potissimum Gregorii Magni, epistolæ, tam nefariæ pesti eradicandæ pares fuere. Omitto singularia quædam exempla, quæ cum regulis contraria fuerint, in legem transire non debent. Sic in longinquis quibusdam provinciis episcopi aliquot, dissimulante rege, aut præ minori ætate aut regni turbis non attendente, absque ejus venia consecrati fuerunt. Major fuit pontificum Aquitaniæ II ausus, qui Eumerium, Santonensem episcopum, e solio deturbarunt, quod *absque metropolitani consilio* fuisset, præcipiente rege, consecratus : at cum id rescivisset Charibertus, Eumerium in sedem restitui imperavit, mulctatis, ut refert Gregorius, episcopis, qui tale facinus aggressi fuerant. Haud tamen adeo exarsit Charibertus in episcopos, quod Eumerii ordinationem examinare voluissent, id enim eis per canones licitum erat, sed quod illum jam diu cum auctoritate regis episcopatu pollentem, absque ejus *judicio* e sede dejecissent.

22. Translationes episcoporum ex una in alteram sedem nusquam in Gregorii libris reperire licet, nisi eorum, qui ex propriis urbibus hæreticorum principum jussu expulsi, in Francorum regnum accedentes, viduatis Ecclesiis præfecti fuere, quod semper approbavit Ecclesia. Coadjutores viventibus substituti nonnulli occurrunt, qui vel regum favore, vel alia quavis ex causa, cum spe ad aliquam Ecclesiam succedendi, ordinati fuerunt; at non vano, ut hodie fit, titulo, neque in ea ipsa Ecclesia, quam aliquando essent adepturi ordinabantur, sed quasi novi episcopatus erectione, in aliquo futuræ suæ diœceseos castro sedebant, cum assignata sibi in vicinos aliquot vicos jurisdictione. Sic Mundericus apud Toruodorum ordinatus est, Aventinus apud Cas Austrapius in Sellensi castro, etc. Coadj men renuit ordinare Gregorius noster nem, Felicis Namnetensis episcopi nep quod neophytus esset, tum quod sacri ca rent, ne quis episcopus alteri adhuc vive tueretur, ut ipse narrat libro VI, capite 5 solens omnino videri debet quod idem refert de Theodoro et Proculo episcopis e pulsis, qui Ecclesiam Turonicam simul cuntur, post Liciuii aut Leonis obitum : potius administratores quam episcopos appellandos esse existimem. Nonnunq episcopi, etiam sanctissimi, aliquem e su successorem designarunt, quem sciebant misterium præ cæteris idoneum esse. Ita Lugdunensis antistes, morti proximus, tum regem contestatus est, ut Nicetium Lugdunensi substitui curaret. Maurilio episcopus podagra afflictus, prævidens ves circa suum successorem contention etiam viventi Ursicinus substitueretur, Idem fecerat, ut mox dicebamus, Felix Namnetensis, confecto ea de re instrum comprovincialium episcoporum subscript borari curaverat. Chorepiscopum, ne unu memorat Gregorius, nisi *illi* eo nomine qui, ut mox dicebamus, in castris ordin Nam Mundericus, quem in castro Tornodor diximus, ea specie, inquit Gregorius, ordi dum sanctus Tetricus, qui tunc Lingonun erat, viveret, hic Tornodorense castrum presbyter regeret, atque in eo commorar

23. Ordinationes ad metropolitanos p in propria cujusque provincia. Unde Gre IV Historiæ, capite 35, quod in editis pra desiderabatur, narrans Aviti Arvernens ordinationem, jussu Sigiberti regis Met observat hac in re *canonicum rigorem* non vatum. Ipse tamen Gregorius Rhemis cons ab Ægidio ejus urbis metropolitano, ut e natus, nec alterutri unquam hoc factum At cum idem Ægidius non solum ordin pos, verum etiam et episcopatum institue Dunensi, quod in Carnotena diœcesi situ tasset, graviter ab episcopis concilii IV reprehensus fuit, quod rem adeo insol suæ civitatis et provinciæ terminos fuisset Et merito, cum ne id quidem ipsi liceret licæ sedis vicariatu sedi suæ beati Remigii concesso; si quidem ejusmodi privilegia tegris ac salvis metropolitanorum juribu bantur. Unde brevi cecidit illa Dunensis erectio, quæ contra canonum scita tem facta fuerat; stetit vero, hodieque perdu nensis Ecclesia a sancto Remigio instituta in suæ diœceseos castro constituens, nemin injuriam. Novum iteur episcopatum in c dunensi constituere tentaverat rex Childe

at reclamante Leone Senonum episcopo, ad A ex universis Galliarum provinciis congregandam esse
liœcesim locus ille pertinebat, res infecta fuit. dixisset, reposuit Gregorius, qui tunc Childeberti
periit Arisitensis episcopatus, quem Gotthi, regis legatus erat, inutilem videri tantæ synodi ce-
lis aliquot e diœcesi Ruthenensi, qui ipsis pa- lebrationem, cum nulla tunc esset exorta nova hæ-
, vicis, instituerant. resis, nullumque immineret in fide periculum : sed
E laicali statu ad sacerdotium promoveri, nisi sufficere, ut unusquisque metropolitanus *juxta con-*
nensos varios gradus, nunquam per canones *suetudinem canonum* cum sibi subjectis conveniret.
Quam regulam, etsi frequenter violatam, se- Mapinius tamen Rhemorum antistes ad concilium Tul-
at tamen semper episcopi religiosiores. Hujus lense a Theodebaldo rege convocatum ire renuit,
mplum illustre de se ipso narrat Gregorius, quod rex *evocationis causam* ei non indicasset; unde
a nobis superius laudato ex libro v Histo- conjicimus episcopos, saltem præcipuarum sedium,
pite 15; cum enim Burgundio Felicis episcopi de negotiis quæ in talibus conciliis tractanda erant,
ad eum accessisset, avunculi sui cæterorum- fieri debuisse certiores. Et quidem Mapinius ea oc-
provincialium episcoporum consensu muni- casione Nicetium Trevirensem reprehendit, quod
in episcopum consecraretur; respondit Gre- potius ad regem, quam ad ipsum reprimendæ quo-
: *Habemus scriptum in canonibus, non posse* B rumdam malorum hominum proterviæ causa recur-
*ium ad episcopatum accedere, nisi prius eccle- risset. Ejus epistolam dabimus in appendice cum
s gradus regulariter sortiatur.* Tum eum do- Sigiberti regis alia epistola, qua Desiderio Catur-
id ei faciendum esset, ut sese dignum exhi- censi mandat, ut ne accedat ad synodum, quæ
piscopali honore. Quibusnam vero gradibus seipso inconsulto fuerat indicta.
am dignitatem canonice assequendam ascen- 26. Cæterum ex his quæ Guntramnus ad Gregorii
n foret, ab eodem Gregorio discimus ex li- verba superius laudata respondit, patet episcoporum
capite 6, ubi Cato presbyter se *clericatus gra-* causas ex iis fuisse, ob quas potissimum concilia to-
onica institutione sortitum fuisse his verbis expo- tius nationis episcoporum congreganda essent. *Illa*,
ctor decem annis fui, in subdiaconatus officio inquit, *Dei causa exstat omnibus major, ut inquirere*
annis ministravi; diaconatui vero quindecim debeatis, cur Prætextatus episcopus gladio in ecclesia
ancipatus fui, presbyterii honore jam viginti fuerit interemptus, tum de dissidiis episcoporum, et
etior. Et quidem Nicetius, Lugdunensis postea *variis criminibus, quibus eorum nonnulli accusantur.*
us, nonnisi *ætate tricenaria* presbyter ordina- Immo et reges ipsi causas episcoporum, quos sibi haud
. Verum id regulæ exigebant : at contraria fideles fuisse existimabant, ad concilia referebant : ut
m fuit praxis et consuetudo, quam variæ C de eodem Prætextato patet, quem Chilpericus rex, ve-
introduxerant. Ex his legitimæ fuerunt, Ec- luti reum majestatis, in concilio Parisiensi accusavit.
necessitas, insignisve aliquot virorum sancti- Et ipsemet noster Gregorius accusatus a Leudaste co-
am illustria facta vel etiam miracula proba- mite, quod adversus reginam Fredegundem malos ru-
mprobata vero quorumdam episcoporum faci- mores sparsisset, seipsum in concilio Brennacensi sa-
t exemplo Burgundionis non semel allato patet, cramento purgavit. Nec prætermittere licet egregium
dhuc laici promotioni episcopi provinciæ Childeberti II facinus, qui cum Ægidium Rhemorum
ensis III consenserant, sed quam Gregorius antistitem, multorum quidem criminum reum, sed
canonum acerrimus vindex, sua auctoritate necdum in ulla synodo auditum, Mettas adduci jus-
vit. Improbata quoque nonnullorum ambitio, sisset, *ab aliis episcopis increpitus*, eum urbi suæ
am auctoritate episcopatum consecuti, cæteris restitui incolumem præcepit. Sed ille postea in epi-
re conabantur, priusquam, ut ait Gregorius scoporum synodo apud Mettas majestatis læsæ reus
, obedire didicissent. Ejusmodi tamen ali- inventus, et episcopali sede privatus, a rege Argen-
diebus in clericatu probatos fuisse crediderim, toratum exsul mittitur. Jam vero adversus episcopos
am consecrarentur, ut de Badegesilo obser- non quilibet viri admittebantur in testimonium; quare
gorius noster, qui *tonsuratus*, gradus quos cle- D cum inferioris ordinis nonnulli testes adversus Gre-
ticuntur ascenden-, post quadraginta dies Dom- gorium in synodo Brennacensi auditi fuissent, ea de
scopi Cenomanensis defuncti successor evasit. re conquesti sunt episcopi. Ille vero cum testium re-
d concilia quod attinet, alia erant provincia- latione convinci non potuisset ullius criminis, resque
ius scilicet provinciæ episcoporum; alia to- manere videretur in ambiguo, *dictis missis in tribus*
ionis seu regni. Priora metropolitani quique *altaribus*, sese ipse sacramento purgavit; quod ta-
mporibus juxta canonum prescripta congre- men non sine injuria se fecisse professus est, cum
: aliorum vero indictio ad regem pertinebat, id canonibus esset contrarium. Cæterum latæ in istis
episcopi etiamsi forte diversorum regnorum conciliis sententiæ si nollent damnati acquiescere,
x mutuo tamen regum omnium consensu fa- illis supererat ad apostolicam sedem confugium. Unde
ebantur. In his de fidei rebus ac majoribus cum Sagittarius et Salonius episcopi sese injuria in
, aut certe de pace inter reges componenda concilio Lugdunensi exauctoratos fuisse conquesti es-
r : quæ ex Gregorio discimus libro IX Histo- sent, *licentia* prius a rege Guntramno obtenta, cum
pite 20, ubi cum Guntramnus rex synodum litteris ejus commendatitiis Romam petierunt, ubi a

Joanne pontifice audiit, ejusdem jussu sedibus suis restituti sunt, ut narrat Gregorius libro v Historiæ, capite 21.

27. Colligimus autem ex ejusdem Gregorii et dictis et factis, quanta tunc esset in sacros canones Ecclesiæ Gallicanæ reverentia. Ægidius Rhemensis episcopus, nonnisi *lectis Canonum sanctionibus*, e solio suo deturbatus est, postquam reus conjurationis in regem inventus fuisset. Quanta vero animi magnitudine et constantia eorum auctoritatem adversus regem ipsum, et reginam ejus conjugem, tuitus fuerit Gregorius in causa Prætextati, nemo est qui nesciat, a quorum observatione nec minis, nec blanditiis, nec auro aut argento unquam dimoveri potuit. Unde si aliqua emergeret in rebus agendis difficultas, prolatis canonum verbis eam elevandam esse censebat. Et quidem Bertegundis, quæ relicto suo viro in monasterium Turonense confugerat, pervicaciam *refutavit*, canonem Nicænum relegendo. Sic et Burgundionis postulationi respondit, qui Felici episcopo adhuc viventi in sedem Namnetensem subrogari efflagitabat. Codicem autem canonum, quo tunc Gallicana utebatur Ecclesia, alium a Dionysii Exigui collectione fuisse colligimus, tum ex canone Nicæno, qui, ut a Gregorio laudatur, apud Dionysium non habetur, tum ex novo quaternione codici a Chilperico rege assuto contra Prætextatum. In eo enim quaternione *canones quasi apostolicos*, qui in codice Dionysii locum habent, exstitisse memorat Gregorius, qui proinde non habebantur in sincero codice canonum Gallicanorum.

28. Diœcesim suam accurate visitabant tunc temporis episcopi, vicos et oppida suæ ditioni subjecta circumeundo, uti ex compluribus Gregorii locis certum est. Plerique solebant statis temporibus in monasteria, seu in solitaria loca secedere, ut ibi oratione ac spiritualibus exercitiis recreati, inde ad curam animarum sibi commissarum vegetiores facti reverterentur; quod solemni pompa in aliquibus locis die dominicæ cœnæ facere solebant. Licet vero omni tempore sancti illi episcopi Ecclesiis sibi commissis præsentes adesse studerent, id tamen summopere curabant, si aliqua calamitate plebes sibi commissæ affligerentur. Hinc cum Albigam civitatem lues inguinaria devastaret, Salvius ejus Ecclesiæ tunc sanctissimus antistes, *tanquam bonus pastor*, inquit Gregorius, ab ea urbe nunquam recedere voluit. Theodorus vero Massiliensium episcopus cum pestem gravissimam in sua urbe sævire accepisset absens, statim reversus ad sancti Victoris sepulcrum, orationibus ac vigiliis vacans, Dei misericordiam flectere conatus est.

29. Jam vero episcoporum *ordinationi* ac potestati potissimum commendatæ erant Ecclesiæ facultates, quæ eorum nutu et auctoritate debebant distribui, unde et pauperum ac viduarum nutritores dicebantur: quare cum Gotthus quidam Ecclesiæ Agathensis bona rapuisset, monuit eum Leo episcopus, ut ne res pauperum, quas, inquiebat, Deus *nostræ ordinationi commendavit*, invaderet, s lacrymis enecari, cum illi de fructib herent. Hujus rei causa erant in eccl matriculas appellabant, in quibus ins ecclesiæ bonis ac fidelium oblationi Aliis episcopi nonnunquam litteras scriptas dabant, quibus incitati fidele petentibus facilius largirentur. Deni omnium in episcopos, quos Spiritus regere Ecclesiam Dei, reverentia, receptum fuerit illud effatum, *quia resi*, inquit Gregorius lib. II, cap. 2 *ut in ecclesia non obaudiatur sacerdoti* hic et passim episcopum designat.

30. Ad archidiaconos autem spect clesiæ distributio, eorumque curæ perum sustentatio commissa erat, sed rum, qui, in plerisque saltem eccles agebant vitam. Hoc est, ni fallor, q *nenicorum* appellat Gregorius, quas Historiæ capite 30, n. 16, a Baudino institutam fuisse scribit, idque ex ca trum intelligitur, ubi cum Patroclus rigibus residebat, ad convivium *mens* reliquis clericis accedere negligeret cæteri corpus reficerent, ipse oratio tioni operam dare, ab archidiacono bensus est, admonitusque, ut aut *cum bus cibum sumeret*, aut certe discede enim rectum ille existimabat, ut *unu victum dissimularet*, cum quibus *eccl retur implere officium*. Ex eodem libr diacono commissam fuisse instituendo curam, eumque scholæ præfectum fui sim innuit Gregorius. Clericum tame rius Lexoviensi scholæ præfecerat, d nusquam legimus. Verum archidiac præfecti, quia multis curis distracti clericos per alios erudiri curabant.

31. Qui ecclesiis ruralibus, quas l seu curas appellamus, præficiebantu presbytari, quos nonnunquam arch Gregorio dictos legimus, sive quod p nis, ut hodie fit, præessent, sive quo sia plures sub sua disciplina clericos l tamen et alii minores clerici nom præpositi, cujusmodi fuit Cautinus, p rum episcopus, qui in libro de G rum, capite 30, dicitur *in suo diaconat* Ecclesiam rexisse. Urbanus vero Juliani Brivatensis martyrarius fac libro I de Gloria Martyrum, capite 66, gorius parvulum oratorium, sancto Trecas consecratum, cui unus tantum paulo post appellat *lectorem*, servie etiam apud eumdem auctorem, qui certe pauci omnino in locis sacris de bus fusius agere non vacat.

32. Clerici autem, saltem minores,

a propriis episcopis huic officio destinandi. enim pro temporum aut locorum opportu- a quovis episcopo aut abbate, juxta suum ntum votum, ad clericatum admittebantur: lo Gregorius, ut ipsemet narrat, Winnocum Britannia in suam diœcesim advectum, pres- ordinavit, ut illum apud se retineret. Qui mel in quavis Ecclesia ordinati erant, ad ransire non poterant, immo nec aliquanto in aliena diœcesi immorari, absque venia , qui ipsos ordinaverat: unde cum Theodul- Parisiis diaconus ordinatus fuerat, Andega- nsmigrasset, a Ragnemodo Parisiensi episco- narrat Gregorius libro x Historiæ, capite us *excommunicatus est, quod ad Ecclesiam in onus ordinatus fuerat redire differret.* Abba- n in suis monasteriis clericos instituebant, porius passim, potissimum in miracul rum testatur. Inde consuetudo profluxerat, ut ac *clerici* nomen promiscue monachis tribue- uod fuse probat vir eruditus Ludovicus Tho- s. Et quidem ordinandi, etiam ad sacerdo- in monasteriis erudiebantur, ut exemplo Chilperici regis filii constat, qui in Aninsu- onasterio positus est *sacerdotali regula* eru-

lericatus fuit sæpius opportunum adversus rtem necem asylum, maxime principibus ibus, ne turbas commoverent, suspectos reges it. Certe Chararicus rex, cum filio suo a reo captus, non aliter mortis periculum eva- ire eam subire ambo postea coacti fuerunt, ricatu contempto ad sæcularem statum volue- erti. Hinc est quod Chlodoaldum Chlodomer- m ultra ad necem ipsius patrui non quæsiere, i ipsi capillis incisis, presbyter fuisset ordi- Nec aliud certe iidem illi reges a Chlotilde nt, quam ut nepotes suos clericos fieri pate- i eos morti ereptos cuperet. Nemo vero exi- hujusmodi homines invitos ac reclamantes copis ordinatos fuisse: id quippe nunquam Ecclesia: immo, ut scite observavit Tho- n, volentes et vehementissime volentes or- tur, certi quod nulla sibi superesset alia i vitæ in tuto ponendæ via. Et quidem non- sim occurrunt sic ordinati, qui reliquo vitæ pore ita piis exercitiis operam dederunt, ut in sanctorum numerum meruerint referri; alios fuisse fateamur, qui postmodum liber- ristianam adepti, proposito abjecto, ad nuptias runt, aut certe ad proprias uxores reversi quippe qui per vim ordinati nullis continentiæ se obnoxios esse causabantur. At id nun- mpsum tulit Ecclesia, quæ variis canonibus li temeritatem proscripsit. Hoc crimen *apo-* appellat noster Gregorius libro IV Historiæ, 4, ubi Macliavi Brittonum comitis facinus , qui cum in extremis angustiis positus ordi- isset episcopus Venetensis, et postea mortuo A Chanaone, suam uxorem recepisset, *a cæteris episcopis excommunicatus est.* Memorat passim Gregorius episcopos, qui ante suam ordinationem uxorati fuerant: at statim subjungit, eos ab invicem *juxta canonum præscripta* fuisse sequestratos: quod *ordinem institutionis catholicæ* appellat in libro de Gloria confessorum, capite 78, ut hunc morem non in una solum aut in altera regione, sed ubique in tota Ecclesia catholica uniformiter servatum fuisse ostenderet. Unde maximum apud populos scandalum oriebatur, si episcopus etiam cum uxore propria commercium aliquod habuisse putaretur. Habebat Ætherius episcopus Lexoviensis *circa lectum suum multos lectulos clericorum*, ut dubio procul essent ejus continentiæ testes. Et quidem episcopi decum- B bebant in domibus, quas Gregorius vulgo *domos Ecclesiæ* aut *ecclesiasticas* vocat, quæ juxta ecclesiam sitæ erant, ut facilior esset episcopis et clericis ad ecclesiam aditus. Rarius vero mulieribus ad hujusmodi domos permittebatur accessus, et quidem in Ecclesia Lugdunensi consuetudo fuerat jam a longo tempore observata, *ut mulier ecclesiæ domum non ingrederetur*; quod interdictum cum violasset Prisci episcopi uxor, divinitus punita est, ut discimus ex libro IV Gregorii Historiæ, capite 36, quod in præcedentibus editionibus desideratum ex codice Casinensi supplevimus

34. Cæterum non minus vestibus ac externa corporis specie, quam moribus clerici a sæcularibus viris tunc temporis distinguebantur. Meroveus quippe C a patre Chilperico aliquandiu sub custodia detentus, postmodum *tonsuratus*, mutataque veste qua clericis uti mos est, inquit Gregorius noster lib. v, cap. 18, presbyter est ordinatus: unde postea cum clericatu abjecto aufugisset, *sæculari veste indutus* fuisse dicitur. Alio in loco sanctus Martinus nigra veste indutus cuidam apparuisse dicitur. Clericos vero, sicut et monachos, tunc temporis tonsos fuisse nemo est qui inficiari velit; at coronæ quam illi deferebant, primam notionem Gregorio nostro deberi censet Ludovicus Thomassinus, qui clericos antea quidem tonsos fuisse fatetur, non vero capillorum corona insignitos. Locus Gregorii habetur in Vitis Patrum, capite 17, ubi narrat Nicetium, postea Trevirensem episcopum, ex matris alvo processisse cum pilis ita in capite ejus D ordinatis, *ut putares ab eisdem coronam clerici fuisse signatam.*

33. Monasticus ordo jam tempore Gregorii ita erat clericatui conjunctus, ut idem fuerit monachum esse ac clericum, quod fuse, et pro suo more erudite, probat Ludovicus Thomassinus; et quidem, ut passim suis locis observamus, quos Gregorius appellat clericos initio capitis, eosdem postea monachos nuncupat. Nec mirum, cum illis temporibus, et jam multo antea, monachi clericalibus omnibus officiis perfungerentur, præcipuamque divinorum officiorum celebrationi operam impenderent; immo et abbates, ut modo dicebamus, clericos ordinabant, et cum aliquid solem-

miniter in Ecclesia agendum occurrebat, statim episcopi, ut passim memorat Gregorius, suæ diœcesis abbates et presbyteros convocabant. Tanti vero faciebant monachos sanctissimi quique illorum temporum episcopi, ut vix eorum quisquam occurrat, qui monasterium aliquod non instituerit. Gregorius in itinere constitutus ad monasteria solebat divertere, ut monachorum ibi viventium sancta conversatione frueretur, et præcedentium egregias actiones ediscoret; indeque hausit tot illustria sanctorum virorum præclara facta, quæ tum in libris de Gloria confessorum, tum in Patrum Vitis postea publicavit; nec Historia gentis nostræ indignum putavit sanctorum monachorum obitus et miracula inserere, queis lectorum animi et hac rerum gestarum varietate recrearentur, et hujusmodi narrationibus incitarentur ad imitanda eorum virtutum exempla.

36. Nec minor erat monachorum adversus episcopos reverentia et obedientia, quod vel ex uno Ulfilaici monachi exemplo confirmari potest, qui, uti narrat Gregorius libro VIII Historiæ, capite 15, episcopis jubentibus ut a columna, cui Stylitarum exemplo insidebat, descenderet, statim obedivit, *quia*, inquiebat, *sacerdotes non obaudire crimen est*; et maluit vitam communem cum cæteris monachis ducere, quam ad perfectionem tendere *contrarius existens jussionibus sacerdotum*. An vero quædam monasteria tunc essent ab episcoporum regimine immunia, nusquam explicat Gregorius. Ex eo tamen discimus, in iis monasteriis quæ sub regis tuitione erant, episcopos nihil potestatis habuisse, absque speciali principis mandato. Etenim cum Maroveus Pictonum episcopus curam monasterii sanctæ Radegundis, in sua ipsius urbe constructi, suscipere renuisset, nec voluisset sanctæ Crucis translationem facere, quod ab eo enixis precibus efflagitabatur, Radegundis adiit regem Sigibertum, qui hanc curam Eufronio Turonensi episcopo demandavit. Cumque monasterium sub *regis tuitione* fuisset positum, nonnisi obtenta speciali a Childeberto *præceptione*, illud, sicut cætera suæ diœcesees monasteria, episcopo Pictavensi *regulariter gubernare licuit*, ut habet Gregorius lib. IX Historiæ, capite 40. Et quidem defuncta Radegunde, cum ab urbe Maroveus episcopus abesset, Gregorius, qui præsens aderat, vix adduci potuit, ut exsequias ejus curaret, quod monasterii cœmeterium nondum *sacerdotali benedictione sacratum* fuisset, vixque efflagitantibus omnibus qui aderant, *præsumpsit ex caritate fratris sui* altaris consecrationem, ita tamen ut corpus in cœmeterio humo non texerit, id *episcopo loci* reservans.

37. Abbates et abbatissæ communibus monachorum sive monialium votis eligebantur, sed ab episcopis benedictionem debebant accipere. Vestes autem sanctimonialium alias a sæcularium vestimentis fuisse vel ex eo convincimur, quod Gregorius passim, earum, sicut et monachorum, conversionem memorando, utrosque *veste mutata* ad monasteria convolasse scribat. An vero virgines omnes sacræ tonsæ omnino fuerint, non usquequaque liquet. Cert
gorius viros a Chrodielde ejusque seq
nasterium sanctæ Crucis immissos,
per vim e loco sacro raperent, a
præpositam incurrisse, quam *a capite*
a sicariis illis raptam fuisse affirmat. A
rum temporum monumentis confirma
nes sacras tunc capillos servasse;
etiam quæ contrariam sententiam su
re consuli potest Hugo Menardus in
ad sacramentarium Gregorianum, aut
nius in notis ad Vitam sanctæ Gertru
abbatissæ, quæ habetur in sæculo
ubi agitur quoque de sacrarum vir
quibus successisse videntur *ea linteam*
gorius Justinam in capite habuisse
Cæterum Papula virgo, in libro de Glor
capite 16, sæculo valedicens coman
sed ut virum simularet. Monachos
non nutrivisse certum est, inter quo
bitu Papula reliquum suæ vitæ tempu
ctimoniales a laicis distinctas fuisse,
gorii loco intelligimus, ubi Radegundi
vinculis absolutam profitetur ad *reli*
transiisse. Ubi etiam patet *religionis*
sticum ordinem jam tunc designatum
multis aliis locis probari facile posse
et *religiosæ* nomina profluxerunt.
quoque frequenter appellat Gregorius
quæ in monasteriis conversabantur.
vero in sanctimonialium cœnobia ing
terdictus erat, sic et a virorum mona
tur mulieres, quibus ne quidem in ec
aditus in plerisque monasteriis; quod
si ex vita sancti Romani, id est capit
trum, manifestum est. At licet monac
non erant, extra monasteria liceret
districte monialibus sanctæ Crucis
præscripto Regulæ sancti Cæsarii era
quidem ad sepeliendum beatæ Rad
cœmeterium adire eis licitum fuerit.
discimus in libro de Gloria Confessor
ubi exsequias beatæ Reginæ describe
præsentat funus psallendo deducentes
e fenestris et muri propugnaculis,
flendo, nonnisi oculis et fletibus,
Plures vero in monasteriis virorum
viguisse ex capite 29 libri v colligi
nobio Atanensi non modo *Cassiani*,
reliquorum abbatum, qui monasterial
tuerunt, regulas invaluisse scribit Gre

38. Porro licet nemo non fateatur p
per clericorum et monachorum occu
orationis ac sacrarum Scripturarum
defuere tamen qui consuetudinem h
officium, ut vocant, divinum public
recitandi, non adeo antiquam fuisse
rum ejus originem ad ipsa Ecclesiæ
mordia revocat noster Gregorius li

capite 29, ubi de sancto quodam viro, qui Biturigum Ecclesiam instituisse paulo post Decii tempora dicitur, ait : *Clerici* ab eo *ordinati ritum psallendi suscipiunt, et qualiter ecclesiam construant, vel omnipotenti Deo solemnia celebrare debeant imbuuntur.* Data Ecclesiæ pace Officia divina publice in ecclesiis celebrata fuisse quis inficietur? Idem factum est in monasteriis, non solum majoribus, sed et in illis quoque, in quibus pauci numero monachi conversabantur, ut ex variis Gregorii locis certum est, ubi quotidianum istud pensum *psallentium*, aliquando vero *officium dominicum* appellat. Vigilias nocturnas, tum a se, tum ab aliis celebratas frequenter commemorat, a quibus etiam *Matutinum* seu *Laudes*, ut jam loquimur, aliquo temporis intervallo distinctas fuisse, vel ex uno libri I de Miraculis sancti Martini, capite 33, loco intelligimus. Ibi enim post vigilias in ecclesia transactas, *signo ad matutinas commoto* se recessisse profitetur. Ibidem matutinorum officium *mane*, et hoc loco et capite II libri secundi, celebrari solitum fuisse insinuat, id est *albescente cælo*, ut loquitur in Vita sancti Galli inter Vitas Patrum, capite 6, ex qua item Vita discimus, eosdem ferme psalmos, quos hodie ad Laudes canimus, jam tunc temporis eadem hora dictos fuisse. Cum enim vir sanctus morti proximus quid in ecclesia caneretur interrogasset, responsum est ei, clericos *benedictiones* psallere; tum ille, *psalmo quinquagesimo, et benedictione decantata, et alleluiatico cum capitello expleto, consummavit matutinos.* Cæterum vigilias nocturnas quandoque a Gregorio etiam *matutinas* appellatas fuisse inficiari nolim. Nam capite 23 libri III de Miraculis sancti Martini, *signum horis matutinis* motum, et *vigilias* a populo celebratas fuisse perhibet. *Tertiam* et *Sextam* in ecclesia Turonensi ab Injurioso episcopo institutas fuisse dicit libro X, capite ultimo Historiæ; *cursum horæ Tertiæ* appellat, capite 96 libri de Gloria Confessorum. Vesperarum vero, quas nonnulli ejus ævi auctores *Lucernarium* nuncupabant, meminit in libro de Miraculis sancti Juliani, cap. 20, ubi historiam commemorat furis cujusdam, qui post *gratiam vespertinam* discedente populo in basilica remansit, ut latitaret. *Nox adveniens* jam *mundum operiebat tenebris*, cum clerici sancti Petri Burdigalæ accesserunt in ecclesiam, atque *dictis psalmorum capitulis* recesserunt. De aliis horis nulla peculiaris apud hunc auctorem occurrit mentio, sed omnes passim generali *cursus divini* nomine comprehendit. Alternis autem choris in ecclesia fuisse persolutas perhibet in libro de Gloria Confessorum, capite 47.

39. Plenam, uti conjicere licet, et integram haberemus cursus Ecclesiæ Gallicanæ notitiam, si ad nos usque pervenisset tractatus, quem de eo argumento scripserat noster Gregorius. Auctor est Walafridus Strabo, de Rebus ecclesiasticis, capite 25, *psalmos secundum emendationem, quam Hieronymus pater de* LXX *editione composuit, a Gregorio Turonensi episcopo e partibus Romanis mutuatam, in Galliarum Ecclesias* invectos fuisse. At quod ab unico Strabone scriptum fuit, in dubium Petrus Pithœus revocavit : omnino autem negat Mabillonius noster in Tractatu de cursu Gallicano, ob id potissimum, quod ipse Gregorius aliam versionem constanter laudaverit, et quidem in Historiæ libris, quos ultimos conscripsit, et ubi passim complures psalmorum locos adduxit, qui in officio ecclesiastico legebantur. Idipsum confirmat ejusdem Gregorii præfatio in psalmos, cujus fragmentum huic editioni accessit, in qua tituli psalmorum, quos exponendos suscipit Gregorius, omnes sunt juxta Septuaginta Interpretum editionem. Cæterum officium divinum tunc vernacula lingua celebratum non fuisse ex Vitis Patrum, capite 12, colligimus, ubi de Brachione, qui sese ad conversionem Æmiliano subjecerat, dicitur nesciisse *quod caneret, quia litteras ignorabat*, id est linguam Latinam.

40. Quantum vero solliciti essent ad hæc officia statis horis etiam privatim persolvenda, quando cum cæteris adesse non licebat, ecclesiastici omnium ordinum viri, ex variis Gregorii locis et exemplis ostendemus. Ipse enim Gregorius Parisiis agens, prope sancti Juliani ecclesiam morabatur, quam nocte media frequentabat, *ut suum expleret cursum.* Sic et Gregorius Lingonensium antistes Divione domum habebat baptisterio adhærentem, in quo multorum habebantur sanctorum reliquiæ, quem locum sacrum singulis noctibus adibat, indeque *impleto cursu* ad lectum revertebatur. Memoria prorsus et laude digna est beatissimi Germani Parisiorum antistitis in ejusmodi officiis persolvendis sollicitudo, qui in ipsis itineribus equitans, si aliter non posset, *cursum nudo capite*, ut habet Fortunatus in ejus Vita, recitabat *etiamsi nix aut imber urgeret.* Gallus vero Arvernorum episcopus morti proximus interrogans, ut mox dicebamus, quodnam officium in ecclesia caneretur, cum responsum esset *benedictiones* a clericis absolvi, idem ipse recitavit officium; et consummato matutinali cursu defunctus est. Non enim existimabant sancti illi viri licitam eis esse divini officii omissionem. Certe cum Portianus, cujus Vitam habet Gregorius inter Vitas Patrum, capite 5, ab optimate quodam in aula Theoderici regis urgeretur, ut pauxillum vini degustaret, id renuit sanctissimus abbas, eo potissimum, quod necdum *Domino debitam psalmorum decantationem* exsolvisset. Alias vero laudatur presbyter quidam, qui *juxta sacerdotum morem* nocte a suo stratu consurgens orationem faciebat. Denique, non enim omnia in hanc rem Gregorii loca proferre vacat, Salonius et Sagittarius episcopi, ob sua scelera famosi, graviter a Gregorio reprehenduntur libro V, capite 21, quod nulla prorsus apud eos de Deo mentio esset, *nul usque omnino cursus memoriæ haberetur.* Hæc de clericorum obligationibus. At laici, quamvis ejusmodi onere exempti essent, officiis tamen divinis, et potissimum nocturnis vigiliis aderant, diebus saltem dominicis et festivis. Unde in libro de sancti Juliani virtutibus Fedamia objurgatur, quod cæteris *excubias nocturnas* celebrantibus, ipsa sola somno dedita lecto decumberet. In

ejusmodi autem solemniis convivia parabantur clericis, et pauperibus in matricula seu catalogo descriptis, immo et aliquando viris illustribus, potissimum in majoribus Ecclesiis, in quibus celebrabat episcopus, quæ convivia in *domo ecclesiæ* facta fuisse non semel Gregorius testatur.

41. Haud minus utilis est Gregorius noster in deprehendendo liturgiæ Gallicanæ ritu, quam in exponendis cursus divini partibus. Deperditum quidem non possumus non dolere librum illum de Missis a sancto Apollinari Sidonio compositis, cui præfationem adjunxerat noster Gregorius, ut ipse attestatur libro II Historiæ, capite 22, cum exinde totam liturgiæ nostræ seriem didicissemus. Ex hoc autem Gregorii loco refutatur eorum sententia, qui Gallicanam liturgiam ex Mozarabum rita mutuatam fuisse scripserunt, quod patet ex aliis passim Gregorii testimoniis, quibus certum est multo ante sanctum Isidorum Hispalensem episcopum, quem ferunt Mozarabici ritus auctorem, Gallicanam liturgiam ordinatam fuisse. Sufficiat hic unum promere, ex libro scilicet de Vitis Patrum, capite 17, ubi Gregorius, loquens de lectionibus quæ inter Missarum solemnia, præsente Theodeberto rege, recitatæ fuerant, sic habet : *Lectis lectionibus, quas canon sanxit antiquus.* Antiquus itaque jam tunc erat ille ritus Missas in Ecclesia Gallicana celebrandi, antequam Isidorus Hispalensem thronum subiret. Et hæc fuit constans patrum nostrorum traditio, quam sæculo nono confirmavit Hildesinus, abbas Sancti Dionysii, ad Ludovicum Pium scribens, qui peculiarem *Missæ ordinem more Gallico ab initio receptæ fidei* in his Galliarum partibus adhibitum fuisse asserit. Qualis vero fuerit ille ordo, intelligere licet ex antiquis liturgiis a VV. Cl. Josepho Thomaso presbytero regulari, et nostro Mabillonio editis, quas ex plurimis Gregorii nostri testimoniis, aliisque veteribus monumentis, et invictis argumentis, vere Gallicanas fuisse deprehenderunt. Quænam autem fuerint liturgiæ partes, aut quis eam celebrandi ritus, ex Gregorii scriptis expendendum est.

42. Tres lectiones ex variis sacræ Scripturæ libris initio Missæ lectas fuisse discimus potissimum ex libro IV Historiæ, capite 16, quarum prior ex Prophetis, altera ex canonicis Epistolis, ac demum tertia ex Evangelio peti solebant. Prophetiam ipsemet Palladius episcopus celebrans legebat, cum a Guntramno rege, qui præsens aderat, vetitus est Missam ulterius prosequi. Martyrum passiones et Confessorum vitas quandoque inter Missarum solemnia lectas fuisse non semel innuit Gregorius, at nusquam satis diserte exprimit quo tempore ista lectio fieret. Hanc tamen primæ lectionis loco factam fuisse colligimus ex lectionario Gallicano Luxoviensi, quod a Mabillonio editum est, ubi in festo sanctorum Petri et Pauli, omissa prophetia, apostolorum passio legenda proponitur. Id aperte patet ex sacramentario Bobiensi, ab eodem Mabillonio, tomo I Musei Italici edito, ubi in Missis de tempore tres ubique lectiones, in natalitiis autem sanctorum d modo referuntur, quod scilicet, ut quide mus, loco primæ lectionis ejusmodi sanct ex alio codice legerentur. Idem innuit G rius in capite 86 libri de Gloria Martyrum bet : *Lecta passione*, sancti Polycarpi, ce *celebrabatur, cum reliquis lectionibus, quas cerdotalis invexit, tempus ad sacrificium advenit.* Ejusmodi sanctorum Acta a *lecti* fuisse testatur Gregorius libro II de Mira Martini cap. 49, quo nomine clericum ad liter ordinatum intelligendum esse infici quinquam et ab aliis clericis majoribus l seni. Meminit idem Gregorius libro VI psalmi-responsorii, qui a diacono in M rege cantatus fuerat. Quod inter duas le ctum fuisse non dubitamus, eo tempore graduale concini solet. His peractis, diac rus Evangelium solemniter procedebat, t libro VIII, capite 4, atque ei Evangelii lec nuntianti, plebs omnis gloriam Deo refere debat, iisdem fortasse verbis, quibus hc mur. Nam Guntramnus apud Gregorium l narrat, eamdem fuisse populi responsion evangelicam lectionem pronuntianti, ac Sigiberto regi natum ei fuisse filium r *Unde factum est*, inquit, *ut omnis populus annuntiatione proclamaret pariter : Gloria potenti.*

43. Absolutis lectionibus, diaconus po tium indicebat, ut *Missæ auscultarentur*, libro VII, capite 8, tumque celebrans (solemnitate astantes brevi erudiebat, atqu nitione facta subjungebat orationem seu quæ vulgo *Missa* in veteri sacramentari appellatur. Hujus porro occasione silen m ib dem Gregorius narrat, Guntramnus r aliquando contestatus est, ne a quoquam, suis contigerat, interficeretur; et statim pulus pro regis incolumitate *ad Dominum fudit.*

44. Post lectiones *cum sacrificii offer* Gregorius libro I de Gloria Martyrum, *tempus advenisset, diaconus turrim in q dominici mysterium continebatur, attulit,* uti mihi videtur. Oblato panis et vini p pulo ; *munera* vero post oblationem supe posita, palla seu pallio tegebantur, quod esse debebat, ut *altarium* simul et oblati gere posset. *Pallium sericum* appellat G bro VII, capite 22; coopertorium vero in Vita sancti Nicetii Lugdunensis ad fuisse dicitur : sed illud recipi vetuit s stes, quod non esset sufficiens ad coope tare simul cum muneribus sacris ; et i eo non satis tegeretur *corporis et sangu mysterium.* Diversum autem ab his pallis extra Missarum solemnia altare coope discimus ex libro X, capite 15, ubi Just

ta memoratur, eo tempore quo homines , Pictavense ingressi monasterium, abbatis- e conabantur. Porro Gregorii locum, quem avimus, paulo aliter exhibent editi, ubi pro vox *ministerium* habetur, quasi in ea a diacono afferri solebat, nihil aliud fuis- vasa et alia ad celebrandam Missam ne- Sed nostram lectionem alteri præferendam et, præter argumenta quæ in notis ad hunc tulimus, omnium omnino manuscriptorum auctoritas. Et quidem aptissima est ad il- m concilii primi Arausicani canonem 22, virorum eruditorum ingenia torsit. Cum præcipitur, *cum capsa et calicem esse offe- t admixtione Eucharistiæ consecrandum*, ni- voluere Patres, quam ut post oblatam Deo n qua panis, et calicem in quo vinum con- , in calicem immittatur particula Euchari- sacrario in turri allatæ, ut exponit noster ius in Commentario ad Ordinem romanum,).

ta itaque panis et vini oblatione, qui erant iæ communione segregati egredi cogeban- nempe Theodebertus rex apud Treviros in accessisset, in Vitis Patrum, capite 17, urbis illius episcopus, qui sacra faciebat, as sacras lectiones, oblataque munera su- re Dei, regem interpellavit, professus se solemnia non consummaturum, nisi ex- icati, quos in suo comitatu habebat, prius ab recederent. Cautinus tamen episcopus Ar- n libro X Historiæ, cap. 8, Eulalio excom- *permisit cum cæteris spectare Missarum so-* At illi, quos Nicetius expelli volebat, in suis us contumaces erant ; Eulalius vero pedibus obvolutus protestabatur se inauditum et im- a communione suspensum fuisse : unde et ommunionem recepit, reservata Dei judicio occulti punitione, si vere, ut rumor erat, dmisisset. Narrat Gregorius libro II de Mira- icti Martini, populum omnem, viso miraculo sancto antistite patratum fuerat, erupisse in *ecinisseque hymnum Gloria in excelsis Deo*, jam tunc *munera sacra* super altare *deposita* ihil inde fortasse colligi potest, nisi hunc , ob insolitum hunc favorem, a populo extra consuetum tunc cantatum fuisse. Nam simili perfusus Eberegisilus Coloniensis pontifex, sancti Mallosi corpore, *emittens vocem ma- loria in excelsis Deo secum omnem clerum pa- llere fecit* ; ut ipse Gregorius scribit libro I a Martyrum, capite 63.

ntestationem memorat Gregorius libro II de is sancti Martini, capite 14, in qua beati con- virtutum enarratio continebatur, respondet- ieruæ nostræ præfationi. Hinc eam a se, epi- scilicet celebrante, cantatam fuisse testatur, *edito omnis populus sanctus in laudem Domini avit*, uti hodieque fieri solet. Ejusdem hymni

A meminit in Vitis Patrum, capite 16, ubi etiam refert *sanctum munus signo crucis superposito benedictum* fuisse, idque *juxta morem catholicum*. Quibus extremis verbis innuit Ecclesiam catholicam per totum orbem terrarum diffusam, hanc signo crucis edito benedictionem in Eucharistiæ consecratione adhibuisse. Unde licet in aliis ritibus Ecclesiæ peculiares a se invicem nonnunquam discreparent, in ipsa tamen actione consecrationis, sicut in verbis Christi Domini recitandis, sic et in benedictionis modo erat ubique uniformitas. *Verba sacra* laudat in libro I de Gloria Martyrum, capite 87, ibique meminit *confracti corporis Dominici* ante communionem ; Dominicam orationem ad *Missas decantatam* fuisse habemus in Vitis Patrum, capite 16, quam ab omnibus, etiam mulieribus, itidem *decantatam* fuisse habemus in Vitis et Miraculis sancti Martini, cap. 30 ; qua in re Gallicana Ecclesia, ut observavit Mabillonius, cum Græca conveniens, a Romano ritu discrepabat. Etenim, uti discimus ex epistola 67 Gregorii Magni, libro VII Indict. 11, quæ est ad Joannem episcopum Syracusanum, Dominica oratio apud Græcos ab omni populo in Ecclesia vero Romana a solo sacerdote dicebatur.

47. Confracto autem Dominici corporis sacramento, ut loquitur Gregorius noster libro I de Gloria Martyrum, capite 87, sacerdos ipse Eucharistiam sumebat, et aliis distribuebat ad edendum. Quo in loco innuere videretur, et sacerdotem ipsum et omnes astantes ex eadem hostia communicasse, nisi certum esset singulos fideles, aut certe quamplurimos, oblationem suam ad altare deferre fuisse solitos, ex qua postea communicabant. Censebantur solemnia Missarum consummata, priusquam communio saltem laicis distribueretur, ut ex nonnullis Gregorii locis facile colligitur. Certe Guntramnus rex, libro IX Historiæ, capite 3, *peractis solemnibus, ad altarium communicandi gratia* accessit. Et ne quis vocem *solemnium* ad alium sensum detorquere velit, loca alia quæ omni ambiguitate carent proferimus. Unum est ex libro II de Miraculis sancti Martini, capite 47, ubi legitur : *Cumque expletis Missis populus cæpisset sacrosanctum corpus Redemptoris accipere*, etc. Ad hæc, mulier vidua, capite 65 libri de Gloria confessorum, *expletis celebratisque Missis*, accessit ad *poculum salutare*. Accedebant autem omnes ad altare ad sacram communionem recipiendam. Quin et ex unico calice omnes Christi sanguine potabantur, quæ erat catholicos inter et arianos differentia, ut ipse Gregorius observat libro III Historiæ, capite 31. Etenim apud arianos consuetudo fuit, *ut ad altarium venientes de alio calice reges communicent, et de alio populus minor*. Ex quo etiam loco patet, communionem sub utraque specie communiter omnibus fuisse porrectam, quamvis nonnulli unica contenti essent. Nam cum Cautinus episcopus, libro X, capite 8, Eulalio dixisset : *Sume tibi Eucharistiæ particulam, atque impone ori tuo*, ille *accepta Eucharistia communicans abscessit*. Ubi *Eucharistiæ* nomine unica species aperte designatur, quæ in plures particulas aut oblatas divisa communicandis

porrigebatur, non quidem in ore, uti hodie fit, sed singuli, etiam laïci, eam manu propria sumptam sibimet ipsis ori imponebant. Mulieres tamen non nuda manu, uti ex aliis monumentis discimus, accipiebant Eucharistiam, sed ex ea in velo, quod vulgo orarium appellabant, a sacerdotibus recepta, postea communicabant. Si qui vero ex astantibus essent, non excommunicati quidem, sed qui tamen, ut loquitur Hincmarus, communicare non fuissent parati, illis eulogiæ distribuebantur, id est aliquid de panibus oblatis, qui consecrati non fuerant, ut idem auctor prosequitur in Capitulis anni 852, et id in *communionis* tesseram. Unde cum Meroveus Chilperici filius, monasterio sancti Carilefi fugiens, ad basilicam sancti Martini accessisset, ubi tunc Gregorius sacra faciebat, *post Missas*, petiit eulogias sibi a Gregorio dari. Quod cum ille facere renuisset, Meroveus se immeritum a *communione suspensum* conquestus, multa minatus est in urbem Turonensem mala se facturum, nisi episcopi *communionem* mereretur. Istis porro eulogiis successit panis, ut vocant, benedicti distributio, quæ hodieque, potissimum in ecclesiis parochialibus, Dominicis diebus fieri solet. Atque hæc sunt quæ de Missarum celebratione ex variis Gregorii locis colligere licuit, ex quibus Mabillonius, adjunctis ex aliorum auctorum compluribus testimoniis, Gallicanam liturgiam plurimum illustravit. Nos vero, ut facilius cuique pateat quisnam fuerit tunc illius ritus, specimen Missæ, quantum fas erit, integræ ex liturgiis et aliis monumentis ab eodem Mabillonio editis proferemus in appendice hujus voluminis.

in prologo libri de Gloria Confessorum expo- D
In primo libello inseruimus aliqua de miraculis
i ac sanctorum apostolorum, reliquorumque
rum, quæ hactenus latuerunt, etc. *In secundo*
us de virtutibus sancti Juliani martyris. Quatuor
libellos de virtutibus sancti Martini, septimum
undam Religiosorum, seu, ut plerique manu-
i codices habent, *Feliciosorum vita ; octavum*
cribimus de Miraculis Confessorum. De his libris
difficultas. Quem enim secundo loco vitam *Re-*
rum seu *Feliciosorum* appellat, is est qui in
iæ fine dicitur liber de Vitis Patrum. Hi omnes
it præter librum de cursibus ecclesiasticis, qui
o interiit ; et commentarium in psalmos, cujus

aliquot solummodo fragmenta supersunt. Hunc porro commentarium Romæ asservari aliquandiu persuasum habuimus, acceptis exinde litteris in Vaticana bibliotheca haberi manuscriptum codicem ex monasterio Fontis Avellani, qui *Florentii Georgii et Gregorii commentarius in psalmos* inscriberetur. Sed re a nostro Stephanotio, Congregationis nostræ in curia Romana procuratore generali, accuratius inquisita, hic deprehendit, et titulum hunc manu recenti fuisse codici ascriptum, et in ipso Commentario passim auctores laudari, qui nostro Gregorio ætate posteriores fuerunt, quales sunt Aymo et Remigius. Denique vulgata psalmorum versione utitur hujus commentarii auctor, quam Gregorius in laudandis passim psalmis adhibere non solet. Immo in Gregoriani Commentarii, quem modo laudabamus, præfatione tituli psalmorum referuntur omnes juxta LXX interpretum versionem. Fucum fecit ei qui Gregorii nomen codici illi præfixit, præfationis Gregorianæ in psalmorum titulos fragmentum, quod commentarii auctor simul cum aliis Patrum præfationibus operi suo præmisit. Quod quidem fragmentum a pio et erudito viro Thomasio ex ipso codice descriptum post libros de sanctorum Miraculis proferemus, cum duobus commentarii fragmentis a Mabillonio editis.

73. Laudat præterea Gregorius libro II Historiæ, capite 22, Apollinaris Sidonii librum de Missis, cui ipse præfationem se adjunxisse ait ; sed illud opus solo nomine tenus nobis notum est. Tanti non est momenti Passio sanctorum septem Dormientium fratrum Ephesi quiescentium, quam se in latinum transtulisse Syri cujusdam interpretis ope fatetur in capite 95 libri de Gloria Confessorum, ubi ejus epitomen refert. An vero usquam exstet hæc ipsa versio a Gregorio adornata, incertum est. Hanc enim quam Surius habet, Gregorianam non esse vel ex eo solo conjicimus, quod ibi Dormientium nomina pleraque alia sint ab iis, quæ ipse Gregorius in libro de Gloria Confessorum recenset. Eadem vero ipsa nomina repræsentat eorumdem Dormientium historia, quam in nonnullis codicibus manuscriptis invenimus ; sed cum multa dubiæ fidei contineat, nec constet an ipsius Gregorii fetus dici possit, non visum est ei inter illius opera locum dare. De aliorum septem Dormientium historia dicemus inferius. Occurrerunt etiam nobis codices manuscriptos perscrutantibus varia opuscula sub Gregorii nomine, quæ *sermo, vita, transitus*, aut *miracula* inscribuntur, de nonnullis scilicet sanctis, qui apud Gregorium laudantur : sed cum ea nihil aliud sint quam ipsissima Gregorii capita, in quibus de ejusmodi sanctis agit, ex ipsius operibus excerpta, de iis fusius inquirere superfluum fuisset.

74. Cæterum præter libros a nobis supra recensitos, plerique complures libellos singulares de vita aliquot sanctorum inter Gregorii opera enumerant, quos in variis Historiæ Francicæ aut Miraculorum libris ipse Gregorius laudat. Tales sunt *liber de sancti Illidii vita*, quem laudat libro I Historiæ, capite 40 ;

liber *de vita sancti Quintiani*, lib. II, capite 36. Aliis in locis memorat a se conscriptos libros, de Vita sanctæ Monegundis, de Vita sancti Nicetii, sancti Friardi, sancti Caluppæ, sancti Senoch, sancti Patrocli, quos Vossius et alii singillatim in catalogo Gregorii operum recensent, quamvis certum sit alios non esse ab illis libri Vitæ Patrum capitibus, quæ sub istorum sanctorum vitæ titulis edita sunt. Et de his nulla, quod quidem sciam, exstat inter viros eruditos controversia. Utrum vero libelli isti reipsa a Vitis Patrum secernendi sint, ut Margarinus Bignius, Colonienses Doctores et alii in suis editionibus fecere, parum interest. Sane, ut quidem sentio, Gregorius primum aliquot sanctorum sæculi seu Patrum vitas in unum librum videtur collegisse, quem inscripsit de Vita quorumdam *Feliciosorum* aut *Religiosorum*; postea vero cum et aliorum quoque sanctorum gesta comperisset, de iis libellos seorsim edidit, quos postea vel ipse, vel alii cæteris adjunxere sub unico Vitæ Patrum titulo. Certe in codicibus scriptis quos videre licuit, omnes omnino illæ Vitæ, id est viginti capita, simul sub uno et eodem *Vitæ Patrum* titulo habentur; quem titulum certum est suo libro, alias *Feliciosorum Vitæ* appellato, præfixisse. Major esset circa *sancti Nicolai Vitam*, quam Sammarthani in Gallia Christiana laudant, difficultas, nisi esset librariorum manifestus error, aut certe auctorum ipsorum memoriæ lapsus, qui *Nicolai* pro Nicetii nomen invexerunt. Etenim Sammarthani, qui soli inter Gregorii opera sancti Nicolai vitam recensent, Vossii locum ex libro de Historicis latinis exscripserunt. At Vossius vitam sancti Nicolai non habet, sed Nicetii quam Sammarthani omittunt.

75. Librum etiam de Mirabilibus sancti Medardi inscriptum inter Gregorii nostri opera recensuere Barrius auctor Historiæ Christianæ veterum Patrum, Bignius, Colonienses et alii, quos secutus est Gerardus Joannes Vossius libro II de Historicis latinis, et alii nonnulli, ob hunc, uti Cointio videtur, Gregorii locum ex libro de Gloria Confessorum, capite 95, ubi de sancto Medardo ait : *Post scriptum de Mirabilibus ejus librum mulier quædam*, etc.; quem librum ob id præcipue Gregorio tribuerunt, quod alius fuerit ab ejusdem sancti Vita, quam Fortunatus scripsit. Hæc enim Vita nonnisi post Gregorii obitum edita est. Ibi quippe lectores Fortunatus invitat, ut pro Theodeberti, inquit, *regis nostri*, incolumitate preces effundant; qui Theodebertus, non nisi Gregorio jam defuncto, patri suo Childeberto II successit. Verum etsi librum de sancto Medardo a Gregorio laudatum Fortunati fetum non esse fateremur, haud tamen inde concludendum esset eum a Gregorio editum fuisse. Non enim id probant Gregorii verba superius relata, cum ibi librum quidem laudet, sed a se scriptum non dicat : quod tamen passim facere solet, cum opuscula sua commemorat. Hunc librum ab ipsa muliere compositum fuisse, quæ ibi sanata dicitur a Gregorio Cointius contendit. At cum illud opus, si a Fortunati libro distinguatur, nusquam extet, frustra de ejus auctore inquiritur veterum laudavit, nec ullus recei unquam. De Antiphona vero in honor dardi, quam sub Gregorii nostri nomi rius, vix quidquam certi dici potest, c beat, unde ejus auctor valeat dignosci veritati dissonum complectitur, si id qu rum Medardi et Gildardi obitu referi non vero eodem anno dicatur contigi loco proferemus.

76. Inter alia innumera Patrum, al terum scriptorum opuscula, quæ in cum manuscriptorum Angliæ laudantu monet Freherus, *Libellus de passione* gorio Turonensi tributus. Sed hunc libi *Gestis Pilati* distinguendum non esse Freherus, et alii viri eruditi. Quibus bimus, dum aliquis vel ex ipso codice ex aliquo alio simili nos aliquid certi quidem ansam illi scriptori, quisquis librum Gregorio tribuendi præbere pot bri I Historiæ Francorum, capitis 23, *autem Gesta ad Tiberium Cæsarem mitti virtutibus Christi, quam de passione ve ejus insinuat. Quæ gesta apud nos hc scripta.* Sed gesta illa apud se quidem Gregorius, non autem a se ipso scripi nondum inter illius opera locum habi habere debent.

77. Librum de Miraculis sancti And gorii Turonensis nomine invenimus in thecæ nostræ sancti Germani a Pratis, ; ter sexcentis scripto : qui liber in aliis cibus habetur, sed absque Gregorii pra autem præfationem, sicut et brevem op Gregorii fetum esse styli et scribendi rat sinunt : etsi hujus libri nullam in operi talogo fecerit mentionem. Neque id mi bet, si quidem nec librum ibi recensuit linaris Sidonii, cui alias se præfation memorat; nec passionem septem Dorm sinorum, quam e Græco in Latinum a fuisse ipsemet alibi testatur. Porro præ et epilogum in Miracula sancti Andreæ capitulorum indice et aliquot capitibus sunt, non autem librum ipsum, qui al apocrypha hujus sancti Vita, quæ vulg lonico tribui solet.

78. Haud plura dicam de passione quam in nonnullis codicibus scriptis in qui de ejusdem sancti Miraculis a n scriptus est, insertam, ab ipso Grego quovis, divinare non licet. Erunt fortas met Passionem Gregorii fetum esse pu sibi facile persuaserit hanc primum a ptam, et ab illo ipso miraculorum n missam, a posteris vero detractam fuis trario multo verisimilius sit eam Mira adjunctam fuisse, ut simul utrumque

ıtivitate legi posset. Si quis tamen id ab ipso A gatæ sunt, eas a Gregorio non censemus scriptas
o factum fuisse dicat, non multum refragra-
ɐfatiuncula quippe ipsi præfixa Gregorii sty-
it; quare librum absque illa passione suo loco
e visum est, uti in plerisque scriptis et in
s editis habetur; passionem autem ipsam cum
ı libri initio, prout alii codices scripti habent,
lera Gregorii opera proferemus.
istoriam septem Dormientium in Majori mo-
ı quiescentium, præter editos tribuunt Gre-
onnulli codices scripti quos vidimus. Certe
brum inter sincera Gregorii opera admisit
ıs monachus Trium Fontium in Campania,
hronico ad annum 319 scribit, *sancti Martini*
ıam a Gregorio Turonensi creditur comprehen-
se, atque subjungit ipsissima verba, quæ in libro B
ɜm Dormientibus ea de re habentur, eosque
germanos laudat, ac nomina eorum recenset.
ıus laudat, ac pro sincero Gregorio fetu habet
us Sansulpicianus in patriarchio Bituricensi,
7. Illud tamen Gregorio abjudicat Cointius
ım 595, num. 51, quod in epilogo Historiæ
anæ inter illius opera non recenseatur, quam-
sub dubio proposuisset ad annum 591, num.
ex epistola huic libello præfixa beati Sulpicii,
ıcupata est, sanctitatem maxime commendari
. Archiepiscopi titulus, qui in ista epistola
o tribuitur, et in ipsa Historia Briccio epi-
'uronensi, negotium facessit, cum inficiari non
ıs, metropolitanos in his partibus ante sæcu-
ınum, aut nunquam, aut rarissime archiepi- C
dictos fuisse. Canone tamen VI Concilii Ma-
ɔsis I decretum legimus, ut *archiepiscopus*
pallio missas dicere non præsumat. Non etiam
ılare velim, hanc Historiam in codice Collegii
tis Jesu Parisiis haberi, et quidem edita multo
n, sed absque auctoris nomine, immo absque
. Gregorii Sulpicio nuncupatoria. Briccius
ınon *archiepiscopus*, sed *præsul* appellatur: quæ
in notis suo loco observamus. Sunt et alia quæ
. utramque partem circa hanc controversiam
adduci, sed quæ fusius persequi non vacat.
olummodo observari velim, quod etsi epistola
ræfixa Gregorio tribuatur, non inde tamen in-
ım Historiam ipsam ab illo eodem auctore con-
n fuisse: cum econtrario epistolæ scriptor D
ı verbis asserat, se hanc narrationem apud
monasterium invenisse, eamque *transcriptam*
o, uti petierat, destinasse.
labetur in codice monasterii Patriciacensis ab
300 scripto Vita sancti Albini Andegavorum
ıi cum hac clausula in fine, *Explicit Vita beati*
composita a beato Gregorio Turonicæ urbis epi-
In codicibus vero quamplurimis, scilicet Rhe-
Ecclesiæ, sancti Germani a Pratis, Vindoci-
regiæ Bibliothecæ, et aliis nonnullis, occurrit
ancti Maurilii, item Andegavensis episcopi,
io nostro pariter attributa: sed cum hæ Vitæ
ɔn sunt ab iis, quæ sub Fortunati nomine vul-

fuisse, sed fortasse recognitas solummodo et emendatas. Id diserte habet epistola sub Gregorii nomine Vitæ sancti Maurilii præfixa, quam ad calcem hujus voluminis dabimus: ubi Gregorius, si tamen certum sit ipsum hujus epistolæ fuisse auctorem, testatur se beatorum Albini et Maurilii Vitas a Fortunato scriptas emendasse, quæ scriptorum erroribus visitatæ fuerant. Quod si Gregorium hujus epistolæ auctorem fuisse admittamus, necessarium videtur ut Fortunatum harum auctorem vitarum distinguamus a Venantio Fortunato poeta celebri. Nam iste sancti Germani Parisiensis episcopi, cui epistola nuncupata est, et Gregorii nostri temporibus floruit, ac utrique supervixit. Qui enim fieri potest, ut Fortunato superstite, et frequenter Parisiis ac Turonis agente, sanctus Germanus Parisiorum episcopus Gregorium Turonensem invitaverit ad expurgandas a scriptorum vitiis sanctorum Vitas, quas ipse Fortunatus illarum auctor, qui coram aderat et utriusque antistitis amicus et discipulus censebatur, facilius emendasset. Fortunatum vero alium a Venantio poeta exstitisse non levia probant argumenta, quæ hic persequi nostri non est instituti. Cæterum etsi constaret beati Maurilii Vitam a Gregorio Turonensi aliquando emendatam fuisse, hanc tamen non ipsam esse contendimus, quæ vulgo circumfertur in libris editis et nonnullis manuscriptis, licet ei præmissa legatur Gregorii epistola. Etenim hujus epistolæ auctor Vitam illam ob id se potissimum emendandam suscepisse dicit, ut complura quæ incredibilia multis viderentur, ex ea resecaret. Ex quibus profecto Renati a septennio defuncti resuscitatio censeri debuerat. Et tamen in ipsa Vita, miraculum istud a Fortunato, ut ibi dicitur, omissum, cæteris adjunctum legitur. Idem evincimus ex duobus codicibus manuscriptis, uno scilicet Vindocinensis monasterii ab annis circiter 600 exarato, et altero nostræ sancti Germani a Pratis bibliothecæ, annorum 500, ubi post præmissam Grègorii epistolam, et descriptum Vitæ ipsius capitulorum indicem, hanc jussu Rainonis, qui in catalogo episcoporum Andegavensium tempore Eusebii episcopi scripto XXXV recensetur, scriptam fuisse legimus, his verbis: *Raino quondam sancti Martini quotidianus discipulus, et semper canonicus, ac post modicum sanctæ Andega-* D *vensis Ecclesiæ ex initio Christianitatis* XXXIII (al. XXXV) *humilis episcopus, ob honorem omnipotentis Dei nec non et ejusdem sancti Maurilii, atque remissionem peccaminum animæ suæ, anno incarnationis Dominicæ adhuc in* 905 *et ordinationis episcopatus sui in* 25, *hanc Vitam beati Maurilii, scribere ac requirere jussit. Archanaldus sancti Martini discipulus et diaconus jussu præfati domni Rainonis scripsit et requisivit.* Quæ vero fuerit illa vita, indicat domnus Hadmerus in libro Vitæ ipsi subjuncto de miraculis, quæ *modernis*, inquit, *temporibus* contigerant, in translatione scilicet sub Nifingo episcopo facta, ubi Vitam hanc, quam sub libri primi nomine dederat, *faceta satis urbanitate a successoribus* sancti Maurilii *expolitam* fuisse diserte pro-

fitetur. Adde non pauca in hac Vita occurrere, quæ Gregorii aut Fortunati ætati et genio, ut fuse probat Launoius, competere non possunt. Ab utraque item distinguendam esse ejusdem sancti Maurilii Vitam a Magnobodo episcopo Andegavensi scriptam ex eodem Hadmeri libro discimus. Et quidem hæc diversa omnino exstat a duobus prioribus in codice Vindocinensi jam laudato, ubi et ista sub hoc titulo habetur : *In Christi nomine ego Magnobodus episcopus, ac si peccator, Ecclesiæ Andegavæ, secundum titulos Justi presbyteri Vitam sancti Maurilionis episcopi et confessoris, ut rusticitas mea fuit, simpliciter planeque, ut potui, explicavi, in anno* 10 *ordinationis meæ, et in anno* 36 *principis nostri domni Chlotarii regis, filii Chilperici regis.* Id est anno æræ christianæ 619, paulo post Gregorii nostri obitum. Hæc autem paulo fusius tractare visum est, quod epistola sub Gregorii nomine vulgata passim præmissa occurrat Vitæ sancti Maurilii, quæ multas res a veritate alienas complectitur, et celebris facta est ob controversiam de sancti Renati resurrectione his temporibus natam. Quod miraculum nonnulli Gregorii auctoritate comprobare conati fuerunt, licet a Fortunato emissum fuerit, ut modo dicebamus, et non referatur a Magnobodo. Iste tamen narrat mulierem quamdam sterilem beati Maurilionis, sic enim semper eum appellat, interventu obtinuisse a Deo filium, qui postquam Ecclesiæ Calonnensi, ubi Maurilius degebat, diu presbyter serviisset, tandem ipsi in episcopatu successerit.

81. Vitam sancti Aredii abbatis Atanensis Gregorio Turonensi tributam, aliam ab ea quæ sæculo I Actorum sanctorum Ordinis Benedictini edita est, eruit noster domnus Johannes Mabillonius e vetusto codice sancti Galli in Helvetia, quæ quidem Gregorio haud indigna videtur, nec multum ab ejus genio aliena : nisi quod aliquæ phrases in ea passim occurrant ex Gregorio Magno, immo et ex beati Benedicti Regula, contra Gregorii morem, mutuatæ. Deinde Gregorius Aredii miracula et res gestas passim celebrat, nusquam tamen illius Vitæ a se scriptæ, quod alias solet, ipse meminit. Quamvis momentis istis reponi possit, Gregorium hanc Vitam post suum ex itinere Romano reditum scripsisse; proindeque nihil esse mirum, si in aliis operibus quæ antea exaraverat, nullam Vitæ sancti Aredii fecerit mentionem, loquendique modos Gregorii magni non adhibuerit : qui Roma reversus, ubi, sicut de illo rerum ecclesiasticarum curiosissimo indagatore conjicere licet, Gregorii libros viderat, sicut et beati Benedicti Regulam, quæ jam tunc erat celebris, eorum loquendi morem imitari potuisset. Sunt tamen alia indicia quæ suadeant hanc vitam Gregorio tribuendam non esse, sed monacho potius alicui Atanensi, qui eam potissimum ex Gregorii operibus collegerit : quod ansam præbuerit posteris eam Gregorio ascribendi. Ipse enim Gregorius Aredium passim laudat, ejusque vitæ breviarium descripsit sub finem libri X Historiæ. Et quidem miracula quæ vitæ sancti Aredii subjunguntur, stylum Gregorii non sapiunt. Ita loquitur auctor ac si episcopus aliquis in Brivatensi vico sedisset de episcopo Turonensi, qui tunc Grego modo scribit, quo non scripsisset ipse Denique hæc vita, uti ex ejus prologo p est, ut in festo sancti Aredii anniversai in conventu fidelium. Quæ omnia, et alia tibus occurrunt, innuunt alium a Gregor jus vitæ auctorem. Hunc tamen paulo exitum scripsisse, tum ex rebus narratis tum ex capite ultimo, ubi testatur ea quæ sunt intra *paucum tempus* contigisse. Un multo numerosiora fore quæ in posteru *per prolixa spatia temporum,* quæ subseq frequentia ad sancti *tumbam* fierent mira autem omnibus colligere licet, sancti Be gulam jam tunc, id est sæculo sexto labe tio sequentis, in monasterio Atanensi rece quam adeo familiarem habuit ille auctor

82. Unum superest inquirendum, an gorius noster Chronicum aliquod cons Historia, quam ex eo habemus, diversu videntur nonnulli mediæ ætatis auctor Sigibertum Gemblacensem monachum a rium parvo libello primum historiam *bre* postmodum diffusius novem libris diges etiam scripsisse chronicum, etc. Sed il ut observat Valesius, libro XV rerum F unum et idem opus ob tituli varietatem i dicibus, duo esse diversa incaute censuer enim est Historia Gregorii, quæ in veter membranis sub ejus nomine *Historia ecc* aliis vero *Chronicum* nuncupatur. Certe so ævi auctores *Chronica* aut *Chronicas* appe rias, etiam fusiores, quæ juxta annorun scriptæ erant : quod sexcentis exemplis f posset. Breviarium vero, seu Historiam abbreviatam, quod a Gregorio editum n bunt, aliud non est ab Epitome Fred mirum non est Gregorio fuisse tributum, verbis omnino constet, ejusque nomen, ac ipsa Historia præfationem, et quide dem Gregorii nomine, præferat. Eadem fuit libri, qui *Gesta Francorum* inscribi nymo auctore exarati. Hic quippe in om codicibus Gregorii nomen præfert, quod ejus verbis ut plurimum contextus sit. auctorem ad Theoderici Calensis princip gisse omnino certum est ex rerum serie Immo et in codice sancti Remigii Rhemer mi Dionysiani liber de Gestis Dagobe operibus accenseri videtur. Ibi quippe corum, Gregorii liber primus ; Anonym nysianus simpliciter liber secundus appe forte nomine Ecchardus comes, qui I monasterium condidit, *Chronica quam G ronensis fecit libros duos* in testamento morat.

83. Non adeo facile est assignare t Gregorius singulos libros a se editos c

e exponere qui priores aut posteriores ab eo erint. Et quidem, ut opinor, non unum post librum absolutum describere curabat, sed que interrupta unius opusculi scriptione, aut inchoabat, aut jam inchoatum continuamo et absolutum, uti censeri poterat, data initate, novis augebat additamentis. Certe orum librorum plerosque juxta classes non um, sed materiarum distribui voluerit, cum priliquid aut in veteri quopiam instrumento re-t, aut ab aliis relatum accipiebat, aut certe suis perspiciebat oculis, illud statim suo loco ittebat describere in libris, quos de simili nto, aut jam scripserat, aut scribere parabat. otissimum de libris Miraculorum certa esse squam inficiari potest, quanquam et aliquem psos ordinem servari posse non diffitemur. nus quippe duos priores de sancti Martini mi- libros, ante cæteros a Gregorio conscriptos quod in ipsis alii Miraculorum libri non lau- Liber de Vita Patrum postea ab eo conscri-eu potius inchoatus fuisse videtur, sub titulo *rumdam Feliciosorum*, seu, ut alii codices ha-*Religiosorum Vita*. Primo enim paucioribus at capitibus, sed tandem usque ad viginti ca-Vitas accrevit, quas hodieque complectitur. ibrum de Gloria Martyrum aggressus est, cui de Virtutibus sancti Juliani, quem nonnulli um de Gloria Martyrum nuncupant, subjunxit, ejus prologo discimus, in quo librum præce-laudat. Ibi quoque memoratur liber secun-sancti Martini virtutibus. Quo tempore librum ria Confessorum inchoaverit, divinare non li-anno saltem 588, ad caput usque 95 protractum colligimus ex eo quod ibi Charimerem, *qui* nquit, *Childeberti habetur referendarius*, laudet. etenim Childeberti 13, id est, Christi 588, ieres Agirico Virdunensi episcopo, ipso Gre-ttestante lib. IX Historiæ, capite 25, successit. fortasse tempore scribebat librum tertium de Martini Miraculis, in cujus capite 24 Aredius, ipso Gregorio libro X Historiæ, capite 29, 6 Childeberti regis, id est anno Christi 591, dhuc vivens laudatur. Quartum denique li-le ejusdem sancti Miraculis ante annum 594 isse absolutum patet ex cujus capite quinto, ubi ir miraculum, quod hoc ipso anno, nempe berti regis 19 contigit. Post hos autem omnes recognovit librum de Gloria Confessorum, in prologo cæteros de miraculis inscriptos lau-tas vero aliquot sanctorum quas seorsim scri-non nisi extremis vitæ suæ annis libro de eliciosorum adjunxisse colligimus, quod istas sub libellorum specialium titulis laudare so-eu tandem omnes sub unico *Vitæ Patrum* titulo ehendit, addito prologo, qui hodieque huic li-fixus legitur, in quo liber de Gloria Confes- memoratur.

Lis fuit inter auctores nonnullos hujus sæculi an Gregorii Historia postremus ejus ingenii fetus censeri debeat. Qui eam ante Miraculorum libros, saltem recognitos, scriptam fuisse volunt, huc proferunt ipsum Historiæ textum, qui nonnisi ad 16 Childeberti Junioris, id est Christi 591 annum perducitur : cum econtrario nonnulla in aliis scriptionibus narrentur, quæ triennio post, id est 19 ejusdem Childeberti regis anno, immo et post Guntramni obitum, contigere. Verum etsi Gregorii Historia in anno Childeberti 16 desinat, haud tamen inde evincitur eam hoc ipso anno exaratam fuisse : cum fieri potuerit, ut huic operi anno vitæ suæ ultimo insudans, supremum diem obierit, priusquam annum currentem attigisset. Certe in Historiæ epilogo, quem forte morbo coarctatus scripsit, cætera omnia opera sua recenset ; in aliis vero libris opera a se edita enumerans, Historiam non laudat. Quin et Miraculorum libros ac Vitas sanctorum a se editas passim in Historia laudat : at nusquam Historiæ in cæteris libris meminisse legitur. Quod sane argumentum est, uti mihi videtur, validissimum, cæteros libros ante Historiam a Gregorio exaratos fuisse. Nec juvat opponere caput 30 libri de Gloria Confessorum, ubi Gregorius Stremonium laudans, eum ait *a Romanis episcopis cum Gatiano et reliquis quos memoravimus, in Gallias directum* fuisse. Etenim paulo superius, scilicet capite 27 de Martiale episcopo Lemovicum egit, quem a *Romanis* missum memorat. Dionysium vero Parisiensem et Saturninum jam laudaverat in libro I *de Gloria Martyrum*. Porro Historiam non semel et simul a Gregorio editam fuisse multi censent, existimantes primum ab eo libros sex scriptos fuisse, scilicet ad mortem usque Chilperici regis, quibus postmodum alios quatuor addiderit, plures editurus, si ei vita diuturnior a Deo concessa fuisset. Id sane ipsemet Gregorius insinuare videtur in libri septimi prologo, ubi innuit animum sibi esse Historiam continuandi, quam in prioribus libris a se editis ad Chilperici interitum perductam, reliquisse videbatur imperfectam. Et quidem Fredegarius non plures quam sex illos priores libros cognoverat, qui Chronicum, quo Gregorii Historiam continuare statuerat, a Chilperici morte inchoavit. Nec plures habuit Anonymus, qui scripsit Gesta Francorum. Unde quamvis suam narrationem ad Theoderici Calensis principatum perduxerit, narrata tamen Chilperici cæde, qua sextus Gregorii liber finitur, omissis cæteris quæ in quatuor Gregorianæ Historiæ sequentibus libris leguntur, bellum inter Childebertum et Chlotarium, utrumque sui nominis secundum, describit, quod post Guntramni regis mortem, finitamque Gregorii integram Historiam gestum esse constat. Hinc in nonnullis codicibus scriptis, etiam vetustioribus, sex solummodo habentur Gregorianæ Historiæ libri. Quanquam Corbeiensis et Bellovacensis, qui non multo post Gregorii obitum scripti videntur, libri septimi fragmentum exhibeant.

85. Pauca occurrunt de Gregorii librorum titulis observanda. Historiarum libri in vetustissimo mona-

sterii Corbiensis codice *Historia Ecclesiastica Francorum* inscribuntur. Quem titulum, utpote germanum, et rebus in illis contentis apprime convenientem, viri eruditi cæteris præferendum censuerunt : quem ideo in hac nostra editione adhibuimus. Plerique alii codices scripti cum editis simpliciter *Historiam Francorum* appellant; nonnulli item scripti *Gesta Francorum*. Frequentius vero apud sequioris ætatis auctores sub Chronicæ aut Chronici nomine laudantur, ut jam a nobis observatum est. Sequentes septem libros communi vocabulo *libros septem Miraculorum* appellat Gregorius ipse in fine Historiæ, quibus et nonnulli Vitas Patrum adjungunt sub octavi Miraculorum libri nomine. At hunc sub speciali *Vitæ Patrum* titulo a cæteris distinguit Gregorius loco laudato, ubi et in *Psalterii tractatum* librum unum, et alterum de *cursibus ecclesiasticis* a se editos commemorat. Cæterum idem Gregorius singulis Miraculorum libris suum quemque titulum peculiarem attribuit in prologo libri de Gloria Confessorum, ubi primus de miraculis Domini ac sanctorum Apostolorum ac reliquorum Martyrum, quæ hactenus latuerant, dicitur ; secundus de virtutibus sancti Juliani Martyris, quem sanctum *specialem suum patronum* nonnunquam appellat, quod in ejus basilica Brivatensi enutritus aliquandiu fuisset; quatuor sequentes de virtutibus sancti Martini appellantur; septimus de quorumdam *Feliciosorum* seu, ut habent nonnulli codices, *Religiosorum* Vita; ultimus denique de miraculis Confessorum. Paulo aliter alii eosdem libros in variis codicibus inscribunt. Priorem enim nonnunquam *librum in gloria* seu *de gloria Martyrum* appellant, quem etiam aliqui primum librum, et sequentem de S. Juliano, librum secundum *in gloria Martyrum* nuncupare solent. Sic etiam liber *in gloria* Confessorum dictus occurrit, qui in Chronico sancti Benigni laudatur sub titulo *libri de viris illustribus*. Nonnulli autem posthabita Gregorii librorum, licet ab eo ipso facta, divisione, aliam invexerunt cum novis titulis. Id in codice Floriacensi ab annis circiter 600 exarato observavimus, in quo primum exhibetur liber de Gloria Martyrum sub suo titulo, tum Vitæ Patrum sub titulo libri secundi : post hunc habetur liber de Gloria Confessorum, qui ibi dicitur Gregorii Turonensis liber tertius. An plures exstiterint, observare non licuit, avulsis a codice foliis sequentibus. Ita in codice monasterii sancti Audoeni apud Rothomagum ejusdem ætatis, exstat liber unicus ex capitulis aliquot librorum de Gloria Martyrum et Confessorum, aliquotque Vitis Patrum consarcinatus, sub hoc titulo, *Georgii Florentii Gregorii Turonis episcopi de Miraculis sanctorum liber*. Simili fere modo permixti sunt in codice Collegii Parisiensis Soc. Jesu libri seu potius aliquot capitula librorum de Gloria Martyrum et Confessorum, sub hac unica inscriptione : *Incipit liber Miraculum Georgii Florentii Gregorii episcopi in gloria plurimorum martyrum* seu confessorum. Sed hæc minoris sunt momenti quam ut fusius pertractentur. Nec diutius immoran-

A

B

C

D

dum est investigandis Gregorii no quem a patre Florentium, ab avo G minatum fuisse constat. Quanquam e vitio nonnunquam paulo aliter hæc n bus scripta inveniuntur.

III. — 86. Carolus Cointius congre Gallicani presbyter, vir pietate et eru Annales Ecclesiasticas Francorum jan nis evulgavit, in quorum primo et ita Gregorii nostri libris usus est, loca aliquot ad illustrandam gentis riam, aut conciliandam rebus a se n tatem adduxerit, verum etiam int passim descripserit. At cum in no scriptos, et quidem antiquissimos, in vulgatarum editionum capita desidera in animum induxit ea ipsa ab aliq Gregorianæ Historiæ addita fuisse; aliqua recurrit occasio, ea rejecit ve certe, si ex illis nonnulla ad rem s sub interpolatoris nomine profert, tem multo Gregoriana minorem esse dit. Cum vero non unum solummo caput, sed complura passim per tot storiam dispersa eo modo interpolat rit et scripserit vir eruditus; non levi visum est ea de re fusius et accurati aut falsa pro sinceris Gregorii operib aut certe vera et genuina debitam pe tem. Ut vero in expendendis ea de nulla suboriatur confusio, rationes q opinionis patrocinium adducit, sin dendæ sunt. Eæ sunt omnino tres : dicum manuscriptorum auctoritate re ex Fredegario Gregorii sæculo septi tertiam denique ex styli diversitate, bus, qui in ejusmodi capitibus refer veritate historica alienos, et plane s fetibus oppositos censet : quæ quide nulla esse demonstraverimus, corr sententia, stabitque inconcussa Greg tegritas.

87. Codices Gregorianæ Historiæ omnino quinque sibi visos fuisse quibus nullus est, qui integram Hist vulgatis exstat, repræsentet. Quod videtur interpolationis indicium : cu bilius existimet quædam fuisse ab addita, quam integro et germano ope rum licet hoc argumentum haud imm mum Cointio visum sit, quippe qui codicem novisset integram, ut in edit gorii Historiam continentem, illud momenti viris eruditis, ut spero, vid solum codices codicibus opposuerim demonstraverimus codices eos, qui gram continent, multo majoris esse quos ex ipso etiam Cointio mutilos esse probabimus, utpote qui genuin

storiam, ipso etiam fatente, integram non exhibeant. Ad rem itaque veniamus.

88. Et primum quidem habemus præ manibus codicem optimæ notæ ex bibliotheca monasterii Beccensis in Normannia, ab annis circiter septingentis eleganter et accurate descriptum, in quo ne unicum quidem caput vulgatæ Gregorii Historiæ desideratur. Habuimus et alium ex monasterio Regiimontis Ordinis Cisterciensis in diœcesi Bellovacensi haud minus integrum, excepto uno aut altero libri ultimi capite, quæ ob detracta codici aliquot folia desunt. Tertium proferimus ex sacri monasterii Casinensis in Italia percelebri bibliotheca, litteris Langobardicis ab annis circiter septingentis aut amplius exaratum, teste Mabillonio nostro, cujus non solum varias lectiones accepimus, sed et singillatim omnium capitum seriem, a viro pio pariter et erudito domno Erasmo a Gaeta hujus loci sacri bibliothecario et vicario generali ad nos transmissam : ex qua quidem serie, et variis lectionibus deprehendimus, quod jam mihi testatum fuerat, ne unicum quidem caput illo in codice desiderari. Duos item codices ex Romanis bibliothecis ejusdem rei vades habemus, ex Galliis Romam delatos a Christina Sueciæ regina, quorum alter in Vaticana bibliotheca, alter vero in bibliotheca eminentissimi cardinalis Ottoboni asservatur. Hos autem diligenter inspexit et examinavit domnus Claudius Stephanottus nostræ Congregationis in curia Romana procurator generalis, atque omnino integros esse observavit, excepto ultimo capite libri decimi, quod in Ottoboniano codice non habetur. Sextum codicem nobis suppeditat pater Modestus a sancto Annabili ex Ordine Carmelitarum excalceatorum, qui in Monarchia sancta codicem Claromontanum laudat, in quo Gregoriana Historia ne uno quidem capite editis brevior est. Eumdem, aut certe similem codicem, qui hodieque apud Carmelitas excalceatos Claromonti servatur, inspexit ac diligenter contulit noster Petrus Laurentius monachus Illidianus, atque eum omnino integrum esse deprehendit. Septimi, et quidem vetusti, codicis notitiam Guillelmo Morelio debemus, quem ex bibliotheca sancti Martini Turonensis se accepisse fatetur, in quo omnia omnino capita controversa extitisse discimus, non solum ex textus emendatione, sed et ex variis lectionibus ab isto codice desumptis, quas in suæ editionis appendice ipse Morellus retulit, ex quibus passim nonnullæ occurrunt ad capita, quæ Cointius resecanda censet, pertinentes. Octavum vidi in bibliotheca monasterii sanctæ Trinitatis Vindocinensis, qui quidem non plures quam quinque priores Historiæ libros complectitur cum libri sexti titulo, sed omnia omnino horum librorum capita, quod potissimum est controversiæ caput, representat. His adde editiones Gregorii vulgatas, quas sane ad codices integros fuisse accuratas nemo inficiari potest. Certe qui primus Gregorii Historiam evulgavit Guillelmus Parvus, has, uti vocat Cointius, interpolationes de suo non addidit : quod tamen innuere videtur Cointius; sed certum est, etiamsi fuerint interpolationes, in codicibus multo vetustioribus haberi. Post hunc Mathias Illyricus, Marquardus Freherus, aliique viri docti eamdem Historiam integram edidere, et quidem ad codices manuscriptos emendatam et illustratam, ut ipsimet affirmant : nec tamen usquam monuerunt multa in suis codicibus desiderari, quæ Gregorio assuta censerent. Idem dicendum de Andreæ Chesnii editione, quam se ad quinque codices manuscriptos diligenter emendasse profitetur. Præter istos codices in quibus Historia Gregorii integra descripta est, habemus et alios complures, et quidem vetustissimos, qui non minus causæ nostræ patrocinantur, cum in illis occurrant ea capita sub Gregorii Turonensis nomine, quæ a Cointio interpolata appellantur. Talis est vita sancti Briccii in antiquissimis lectionariis Gregorio Turonensi attributa, sancti Salvii Albigensis episcopi gesta in codice Majoris Monasterii, et alia passim, quæ singillatim recensere non vacat. At omittere non licet veterem canonum professionumque fidei collectionem ex codice Fossatensi, nunc Colbertino descriptam, in qua Gregorii nostri aliquot fragmenta ita laudantur, ut ex integra ejus, qualem eam esse propugnamus, Historia ea desumpta fuisse negare non liceat. Ibi enim Gregorii disceptatio de fide catholica cum Agilane, Leuvigildi regis legato, laudatur sub titulo *Altercationis de fide Trinitatis, quod fecit Gregorius Toronensis episcopus, quod est in libro* v, *capite* 43, et paulo post altera quam cum Opilane, itidem Leuvigildi legato, habuit excerpta dicitur *ex libro* vi, *capite* 40, quæ quidem vera esse non possunt, si ea capita ex Gregorii libris demantur, quæ Cointius vult esse interpolata. Nam prima hæc disputatio juxta Cointii calculum in codice Corbeiensi, caput 31 libri v, altera vero caput 26 libri sequentis, constituit.

89. Codicibus itaque Cointianis codices opponimus, et quidem mutilis et imperfectis integros et minime vitiatos. Codices enim a Cointio laudati vel eo nomine hac in parte nostris auctoritate inferiores censeri debent, quod in illis omnibus multa desiderentur, quæ vel ipso fatente Cointio, ad Gregorii Historiam pertinent. Codex quippe Bellovacensis Historiæ Gregorianæ fragmentum potius dici debet, quam ipsa Gregorii Historia, ut pote qui capite 3 libri II incipit, et desinit capite 23 libri v. Corbeiensis vero mutilus quidem non est, at non nisi sex libros priores exhibet, cæteris omissis, præter libri VII fragmentum, quod, sicut et in codice Bellovacensi, sub finem libri IV habetur. Codex Colbertinus, quem Thuaneum Valesius, sancti Michaelis Cointius appellat, totus noster est, si aliquam fidem mereatur. Avulsis nempe ab eo compluribus quaternionibus, a capite 17 libri sexti initium sumit, nec deinde ullum omnino omittit capitulum. Thuaneus seu Colbertinus alter, qui a Cointio sancti Arnulfi, seu Mettensis dicitur, initio ex codicis vitio imperfectus, multa deinde omittit : quod sponte factum est, immo et ita

incaute, ut nonum et decimum Historiæ Gregorianæ libros confuderit, ut Chronico Fredegarii inter Gregorii opera locum daret sub libri x Historiæ Gregorianæ titulo. Quintus denique Cointianus codex e regia bibliotheca vix quatuor libros complectitur, tam negligenter descriptos, ut inter capita quæ in indice memorantur, et ipsa capitula in libro descripta, nulla sit convenientia. Immo liber quartus desinit in capite 17, et tamen hujus libri omnia capitula in indiculo ipsi præfixo memorantur. Non tamen mutilus est codex : sed post hos Historiæ libros in eo sequitur Adonis Chronicon eadem omnino manu descriptum.

90. Alio item argumento probatur magnam non esse Cointianorum codicum auctoritatem ad resecanda ex Gregorio complura Historiæ loca, quod nempe non eadem in omnibus istis codicibus, sed varia in variis capitula desiderentur. Exstant quippe nonnulla in Corbeiensi aut in Bellovacensi, quæ in Mettensi, Michaelino aut Regio non occurrunt ; et vice versa, alia sunt in istis aut in alterutro, quæ non habeat Bellovacensis codex aut Corbeiensis ; ita ut nulla ex istis codicibus certa possit haberi regula. Si enim codex Corbeiensis cæteris præferatur, ut pote illis multo antiquior et integrior, jam vacillabit cæterorum auctoritas ; nempe qui variis erunt interpolationibus admixti. Idque dicendum erit de Corbeiensi ipso aut Bellovacensi, si Regii aut certe Mettensis auctoritas cæteris anteponenda censeatur. Immo velit nolit vir eruditus, nec Corbeiensis, nec Regius, aut alius quivis ex Cointianis codicibus a censura poterit esse immunis, ut pote qui universi non satis accurate sincera Gregorii opera repræsentarunt, aut interpolata admittendo, aut sincera rejiciendo. Ipse enim codex Corbeiensis sex solummodo Gregorii libros exhibet, quamvis plures fuisse nec ipse Cointius inficiatur, qui quidem libri jam eo tempore quo codex ille scriptus est noti erant ; ipse enim, sicut et Bellovacensis, habet libri VII fragmentum. Deinde Bellovacensis in libro II transit a capite 19 ad caput 32, nec tamen omnia intermedia, vel ipso fatente Cointio, et quidem refragaretur codex Corbeiensis, dici possunt interpolata. Nonnulla itaque sponte et data opera ex Gregorii operibus in istis codicibus resecata sunt, et quidem libri integri. Quidni et aliquot capitula, quæ ad rem suam facere non existimabant illorum scriptores, aut certe epitomatores. Quæ enim potuit esse ratio scriptoribus illis libros posteriores e Gregoriana Historia non describendi, eadem fuit omittendi e prioribus complura capitula. Quod si mea non me fallit conjectura, scriptores illi Historiam regum Francorum habere volebant, a peregrinis narrationibus peculiaribusque factis segregatam, unde ea quæ de illo argumento Gregorius scripserat, exarari curarunt, omissis aliis rebus, quæ ad suum institutum non spectabant. Etenim capita illa quæ codices a Cointio laudati non habent, ea sunt quæ singulares aliquot personas attingunt, quæve episcoporum, potissimum Claromontensium et Turonensium seriem repræsentant, aut alia ejusmodi, quæ Francicæ gentis Historiæ amatores, maxime in provinciis vernis aut Turonibus longe dissitis commorati multum curabant. Certe id ipsum fecit Fredegarius qui Historiæ Francorum epitomen ex Gregorio variis concinnans pleraque ejusmodi omisit, quæ res Francicas non pertinerent. Idem fecerunt omnes qui sub Theoderico rege scripsit, Aimoinus alii qui secuti sunt Francorum Historiæ scriptores. Aliam item nonnulla omittendi capitula rationem habere potuerunt codicum istorum scriptores, nempe res in illis locis narratæ in Miraculorum libris a Gregorio editis repetererentur. Idem in variis Miraculorum exemplaribus factum deprehendi. Certe isti codices sancti Martini, aut sanctæ Radegundis transitum, aut alias ejusmodi historias sermonis *Gregorii*, aut quovis alio, titulo exhibent, hæc ipsa capitula suis locis omissa sunt in libris Miraculorum, quæ tamen ex illis excerpta non nemo dixerit. Quin et Miraculorum libros a nobis editos, eamdem ac ejus Historiam sortem infra videbimus, siquidem nonnulli occurrunt mss. in quibus, omissis passim multis capitulis, tantum tera repræsentantur, eo modo ac si de facto plura non complectererentur.

91. Has porro res singulares, et series episcoporum aut celebrium virorum exitus, quæ omnia inutilia censet Cointius, et epitomatores omiserunt, tamen in suam Historiam admiserat Gregorius, uti in prologo monet, non solum regum aut populorum gesta describere instituerat, verum etiam rare fidelibus, qua ratione defensatæ fuissent ecclesiæ ; quantum Christi fides in nonnullis locis plurimis ferveret ; quæve fuerint certamina martyrum, aut recte viventium vita, et alia ejusmodi quæ in Gregorii Historia difficile invenientur, catis iis capitulis quæ Cointius esse rejicienda dicit. Deinde, uti etiam præfert codex Corbeiensis, Historiam ecclesiasticam scripsit Gregorius proinde exigebat et episcoporum series, et martyrum virorum interitus, eorumque præclare gestorum rationem. Id fecerant Historiæ ecclesiasticæ scriptores Gregorio antiquiores, quos ipse sibi in proposuerat, et potissimum Eusebius Cæsariensis, qui præter virorum celebrium gesta, catalogos episcoporum Historiæ suæ interseruit non solum patriarchalium, sed et Cæsariensis Ecclesiæ præerat, et Jerosolymitanæ, quæ tunc suæ metropoli erat subjecta.

92. Sed et palmari, ut mihi videtur, argumento evinci potest, Historiam Gregorii in codicibus Cointianis abbreviatam fuisse, atque ex ampliori, qui aliis codicibus habetur, decurtatam, si demonstrem complura capita passim in Cointii exemplari deesse liberi, quæ necessariam habent cum illis ipsis quæ eis desiderantur, connexionem ; immo et quæ ea diserte laudari quæ interpolata vocat Cointius codicibus Corbeiensi, etc., in quibus etiam ipse est nonnunquam mancus et imperfectus, nisi ex codicibus suppleatur. Aliquot hujus rei exem-

ferenda sunt. In codice Corbeiensi, qui solus cum Salogio librum primum exhibet, desunt capita vigesimum sextum et vigesimum septimum : quo pacto Gregorii narratio de imperatoribus Romanis, qui Christianos primis Ecclesiæ sæculis persecuti fuerunt, interrumpitur. Transit quippe a Trajani persecutione ad Decianam, omissis Adriani, Antonini et Severi persecutionibus, quas tamen Gregorius, Eusebii, Orosii et Severi chronica sequi se professus, omisisse dici non potest. Complures etiam imperatores in eorum serie exhibenda prætermisisset, quam nihilominus a Julio Cæsare ad stabilitum in Galliis Francorum regnum perducere integram constituerat. In eodem codice Corbeiensi caput trigesimum primum deest cum quatuor sequentibus. In eo tamen caput trigesimum sextum, quod trigesimum nuncupat, ita, sicut in cæteris, incipit, *Tunc jam et lumen nostrum exoritur... Martinus* : mendosissime. Nam eo pacto Martini nativitas Valeriani et Gallieni temporibus consignaretur, nisi ex aliis codicibus suppleantur quinque capita, quibus Gregorius imperatorum seriem a Gallieno ad Constantium deduxit, quo reipsa Constantio imperante Martinum natum fuisse narrat, idque veritati omnino consentaneum est.

93. Gregorius libro II, capite 3, describit persecutionem a Wandalis in Africa excitatam, atque ea occasione epistolam Eugenii Carthaginensis episcopi integram exhibet, ut habetur in editis et in nostris codicibus. At Corbeiensis, relata persecutionis historia, epistolam omittit, ita tamen ut evidenter appareat eam de industria prætermissam fuisse, sic enim habet ut cæteri codices : Eugenius *vero cum se videret abduci, epistolam civibus... hoc modo transmisit* ; et ipsa epistola prætermissa Historiam prosequitur. Paulo inferius codex Bellovacensis duodecim omittit versus, qui sensum omnino abrumpunt, ut videre est suo loco. Sic et codex Regius quintum et sextum capita ejusdem libri prætermittit, in quibus irruptio Attilæ in Gallias narratur ; licet habeat septimum, quod est ejusdem irruptionis continuata narratio.

94. Liber tertius idem est omnino in omnibus codicibus ; proindeque non est ulla de eo controversia. At libro quarto, capite 13, in codice Corbeiensi, sicut et in nostris et in editis, Gregorius loquens de litania seu supplicatione ad sanctum Julianum Brivatensem per Gallum episcopum instituta, ait : *Juxta institutionem sancti Galli, sicut supra scripsimus.* Locus autem ille quem laudat, habetur supra capite quinto, quod tamen caput in ipso codice Corbeiensi, sicut et in aliis Cointianis desideratur. Capite 14 ejusdem libri, quod omnes scripti habent, *Saxones iterata insania*, adversus Chlotarium regem rebellasse dicuntur : prima tamen eorum rebellio descripta habetur capite 10, quod codices Regius et sancti Arnulfi omiserunt. Sic et iidem ambo codices, ut cæteri omnes, habent de Chramno, capite 16, *diversa ut diximus exercebat mala.* Dixerat autem Gregorius fusius de his malis capite 13 ejusdem libri IV, quod in istis codicibus non invenitur.

95. Caput 21 libri V, in quo varia Sagittarii et Salonii episcoporum flagitia Gregorius describit, deest in codicibus Corbeiensi, Bellovacensi et Colbertino seu sancti Arnulfi : et tamen iidem codices habent caput 28 ejusdem libri quod manifeste vigesimum primum supponit. Sic enim habet Gregorius hanc causam retractans : *Contra Sagittarium et Salonium episcopos iteratur illa antiqua calamitas. Objiciuntur eis crimina*, etc. Capite autem ultimo ejusdem libri, quod nullus codex non habet, hæc verba leguntur : *Igitur cum vale post synodum memoratam jam dicto*, etc., quæ de synodo Brennacensi dicta sunt, cujus acta et occasionem narravit Gregorius in capitibus 48 et sequentibus editorum et nostrorum manuscriptorum : sed hæc capita omnino non habent Cointiani codices. Quin et hæc ipsa capita hic omissa manifeste præsupponit caput 32 libri sequentis, quod in omnibus quoque habetur editis et scriptis, etiam Cointianis.

96. Jam vero, siquidem librum sextum attigimus, proferenda sunt etiam ex eo aliquot exempla, quæ nullum relinquent Cointianis fautoribus vel levissimum subterfugium, si codicum ejus auctoritati stabilendum contendant, ad discernenda sincera ab interpolatis Gregorianæ Historiæ capita. Gregorius nempe caput 12 ab his verbis incipit : *Igitur Chilpericus rex cernens has discordias inter fratrem et nepotem*, quas scilicet discordiæ aliæ non sunt ab illis quas Gregorius præcedenti capite narraverat, ipso fatente Cointio : quod tamen caput 11 omittunt codices duo Cointiani, Corbeiensis scilicet et Mettensis, licet habeant duodecimum. Immo et iidem ipsi duo codices habent caput 24 ejusdem libri, quod sic incipit : *Nova iterum contra Theodorum bella consurgunt*, etc. ; quæ verba manifeste et necessario, uti ipse Cointius fateri cogitur, totum caput undecimum, quod ab ejus codicibus abesse jam observavimus, præsupponunt. Nobis etiam favet Fredegarius, qui utrumque caput, undecimum scilicet et duodecimum, in sua epitome attigit. Quare hæc duo loca tantas in angustias conjecere Cointium ad annum 581, numero 9, ut ex una parte undecimum caput, quod a suis codicibus abesset, admittere refugiens, ex altera vero propter tam arctam, immo et necessariam, ut ipse fatetur, illius cum capitibus duodecimo et vigesimo quarto connexionem, ipsum plane respuere non ausus, rem in medio reliquere maluit, satis esse ratus dicere, caput hoc undecimum majorem, quam cætera quæ in Corbeiensi desunt, fidem promereri, *cum desint*, inquit, *argumenta quibus probetur, aut improbetur.* At si hæc viri eruditi verba admittantur, corruere necesse est illa, quæ alias censuit validissima argumenta ad probandam multorum capitum in Gregorii Historia interpolationem, codicum scilicet manuscriptorum fidem. Si quidem allata licet Corbeiensis et alterius codicis, immo et ipsius Fredegarii auctoritate, deesse argumenta respondet, quibus aut probetur aut improbetur illius loci auctoritas. Haud minus sibi invicem cohærent capita trigesimum quartum et trigesimum quintum ejusdem libri, in quorum priori mors ma-

Chilperici regis filii describitur, quod est alterius fundamentum, ut pote sic incipiens : *Dum autem hæc agerentur, nuntiatur reginæ puerum qui mortuus fuerat*, etc. Et tamen primum a Cointianis codicibus abest, qui habent alterum. Majores adhuc in angustias Cointium redegit caput 15 ejusdem libri sexti, quod cum capite sequenti ita conjunctum esse ait, ut ea vinculo *indissolubili* esse connexa fateatur ; et tamen priori omisso alterum habent Cointiani codices. Quare ille audacior adversus codices suos factus ad annum 582, numero 4, eorum auctoritatem ad rejicienda aliquot capitula maximam esse admittit, ad retinenda vero non esse tanti ponderis. *Alterum caput*, inquit, scilicet 16, *quamvis in codicibus Corbeiensi et Mettensi habeatur, videtur esse insititium, quia cum superiore, quod admitti non potest, arctissime conjungitur.* Quare autem superius admitti non possit, uno verbo exponit, quod nempe Felicem episcopum, false, uti conjicere est, vituperet. Quibus verbis omnem suis codicibus auctoritatem adimit, etiam Corbeiensi, qui sicut et cæteri, ipso affirmante Cointio, fabulas admisit, et calumnias adversus episcopum, quæ sola ei superfuit detegendæ interpolationis occasio. Unde mirum non est si idem Cointius alio in loco de chronologicis computationibus, quæ in fine libri quarti Gregorianæ Historiæ habentur, agens, eas plane rejiciat, veluti Gregorio immerito ascriptas, licet in omnibus omnino codicibus, cum editis tum scriptis, etiam Corbeiensi et Bellovacensi, qui paulo post Gregorii nostri ætatem exarati sunt, habeantur. Frustra itaque contendit Cointius codices illos sibi patrocinari, quos in sua sententia interpolatos esse, et incerta obtrudere pro certis ipse fateri cogitur. Eos ipsos contrario nostræ sententiæ multo favorabiliores esse nemo non videt : siquidem admisso semel (ut quidem loca a nobis laudata factum fuisse invicte probant) quod ex integra Historia descripti fuerint ab aliquo qui solummodo gesta præcipua colligere voluisset ; Gregorianæ Historiæ integritati quam propugnamus, non obsunt, et omnem suam auctoritatem sartam tectam habebunt : quam sane eis conciliare debent, et conformitas cum cæteris, et antiquitas. Quosdam enim ex illis, quales sunt Bellovacensis et Corbeiensis, non multo post Gregorii ætatem scriptos fuisse, nemo qui eos inspexerit inficiari potest.

97. Huc usque de sex prioribus Gregorianæ Historiæ libris egimus ; de sequentibus vero pauciora occurrunt dicenda ex manuscriptis codicibus, cum deinceps nullum habuerit Cointius satis authenticum, quo potuerit interpolationes, ut ipse loquitur, a germano Gregorii textu discernere. Tanta tamen ejus fuit in rejiciendis Gregorianæ Historiæ libris propensio, ut cum sese occasio aliqua obtulit ex ea laudandi capita quæ in codice Mettensi desiderantur, ipsa statim ob hoc solum quod in eo codice desint, aut interpolata esse, aut saltem dubia pronuntiaverit : tametsi codicem hunc et imperfectum esse et vitiosum ipse agnoverit, et alium, ut nihil de cæteris dicam, præ manibus habuerit, ex monasterio scilicet sancti Michaelis, multo antiquiorem et melioris notæ, in quo omnia omnino capita, ut habent editi, continentur. At hic, inquit Cointius, codex, de Michaelino loquens, easdem prorsus res narrat ac editi, proindeque non conducere potest ad interpolationes detegendas. Sed supponit his verbis vir eruditus quod ei probandum incumbebat. Ita enim loquitur quasi certum fuisset multa esse in ultimis Gregorii libris interpolata : et hoc ipsum est de quo inquirimus, et ipse volebat inquirere. Jam vero si quis scire cupit quænam censeri debeat utriusque codicis auctoritas, vel quis e duobus sit alteri præferendus, id ex ipsorummet codicum conditione judicandum est. Codex Mettensis, ut jam observavimus, ex scriptoris incuria mancus et imperfectus, decem libros complectitur, quos Gregorio attribuit : sed aliquot sinceri Gregorii capita ex libris nono et decimo in unum consarcinat librum, quem nonum appellat, ut Chronico Fredegardet locum inter Gregorii opera, quod sub decimi libri titulo posuit. Librorum initiis in eodem codice nonnunquam capitulorum indices præmittuntur, sed ita vitiosi, ut capitibus ipsis in libro descriptis ut plurimum non congruant ; ex his nonnulla omittunt ut, alia in plura dividuntur, nonnunquam denique contrahuntur duo in unum. Idem codex habet caput septimum libri x, quod ut in editis sic inchoat : *In supra dicta civitate*, scilicet Arverna, de qua tamen urbe nihil habet, omissis capitibus duobus præcedentibus, quæ proinde ex aliis exemplaribus suppleada sunt. Codex autem sancti Michaelis initio quidem caret, sed temporum injuria. Ex literis quippe numeralibus in inferiori codicis ora appositis deprehenditur, ex 20 quaternionibus decem desiderari in eo codice, qui priorem Historiæ partem, id est quinque libros, continebant. Initium nempe ducit a capite 7 libri vi, nec deinceps in illo codice quidquam deest. Scriptus est plano et æquali charactere, qui annos ad minus septingentos præferre videtur, eo exaratus stylo, qui omnino antiquitatem sapit, qualem in Gregorio desiderare se scribit passim Cointius ; id est in eo casuum mutationes frequenter occurrunt, litteræ aliæ pro aliis adhibitæ, nomina virorum propria barbare efformata, et cætera omnia deprehenduntur, quæ in prioribus Gregorianæ Historiæ libris ex codice Corbeiensi Cointius laudare solet. Cæterum hi duo codices in bibliotheca Colbertina hodieque asservantur, quos ibi unicuique consulere facile erit. At si tanta sit codicis sancti Michaelis præ Mettensi auctoritas, nemo non videt immerito a Cointio capita illa interpolata censeri, aut certe revocari inter dubia eo ipso solum, quod in codice Mettensi omissa sint, et in codice sancti Michaelis habeantur. Sed hæc sufficiant de codicibus manuscriptis ; jam ad argumentum ex Fredegario petitum veniendum est.

98. Fredegarii auctoritatem tantam hac in controversia esse passim proclamat Cointius, ut litem totam ea sola dirimi posse nonnunquam asseveraverit, ut pote quæ argumenta *ad confutandam*, ut ipse loquitur, *interpolatoris audaciam* validissima subministret. Ve-

rum Fredegarii auctoritatem nobis multo magis quam Cointio favere vel ex hoc solo probamus, quod ipso fatente Cointio multa ex illis capitibus admiserit Fredegarius, quæ in codicibus Regio et Mettensi, immo etiam et in Bellovacensi desiderantur; plura vero omittit ex sinceris Gregorii operibus, quæ omnes omnino, etiam Cointiani codices habent. Etenim primum et quatuor ultimos Gregorianæ Historiæ libros integros, exceptis duobus aut tribus libri septimi capitulis, omnino prætermisit; ex cæteris tertium et quartum libri secundi capita non attigit; plura ex tertio libro, qui integer ubique habetur, omisit; sicut et ex quarto libro capita 4, 12, 31, 34 et 41 non habet; ex libro quinto capita 11, 14, 21, 22, 30, 32; ex sexto capita 5, 17, 28, 29, 30, 32, 33, quæ tamen omnia capita in Corbeiensi codice habentur, et tanquam veri et sinceri Gregorii fetus a Cointio admittuntur. Unde patet non admodum utilem esse viro erudito Fredegarii auctoritatem ad probandum ex ejus silentio multa Gregorii Historiæ fuisse superaddita : cum constet ab eo auctore multa ex sincero Gregorii textu sponte et ex industria omissa fuisse.

99. At, inquies, Fredegarius Francicæ Historiæ epitomen concinnaturus a proposito suo alienum esse censuit res extraneas, etsi reipsa a Gregorio relatas, operi suo inserere; ita ut nemini mirum videri debeat, si nonnulla etiam ex sinceris Gregorianæ Historiæ capitibus omiserit. At nulla prorsus laudavit ex iis quæ in codice Corbeiensi desiderantur; proinde quæ probabile est, ea tunc temporis non exstitisse, sed postmodum Gregorii operibus ab aliquo fuisse interpolatore assuta. At corruet totum illud Cointii argumentum, immo nobis omnino favebit, si verum sit Fredegarium eamdem habuisse rationem ea omittendi quæ in Corbeiensi codice non habentur, ac illa quæ ex sincera Gregorii Historia non retulit. Eamdem vero fuisse jam supra observavimus, et iterum ostendimus. Etenim prætermisit Fredegarius Gregorianæ Historiæ capita, etiam sincera, quæ ad generalem Francorum gentis Historiam minime attinebant. Idem quoque fecit Corbeiensis codicis scriptor; idem fecere et qui alios codices a Cointio laudatos exararunt. Et quidem eodem ac Fredegarius consilio. Illi enim, sicut et Fredegarius, generalem solummodo Francorum Historiam habere cupientes, singulares hominum privatorum, aut locorum historias prætermisere, tanquam sibi inutiles. Id ipsum innuit in variis codicibus omissionum varietas. Ea enim fuit, ut jam non semel observavimus, Gregorii nostri fortuna, ut quia primus et unicus veterum rerum gentis nostræ præclare gestarum scriptor exstitit, ex ejus operibus qui postea secuti sunt scriptores, pro suo libitu quæ sibi visa sunt, alii plura, alii pauciora descripserint. Hinc nonnulli codices quatuor Historiæ libros exhibent, alii quinque, alii sex, alii vero novem aut decem. Quin et ex illis libris alii plura aut pauciora pro suo libitu capita exscripsere; nonnulli autem hæc in epitomen reduxere. Quæ omnia quivis norunt in gentis nostræ Historia vel tantillum versati, qui Fredegarii, Aimoini, Roricons, Adhemari, aliorumque quamplurimorum auctorum opera vel chronica revolverint. Nec minorem fuisse in discerpendis Miraculorum libris licentiam probant passim codices manuscripti, quorum alii unum aut alterum, alii plures Gregorii libros exhibent; nonnulli vero solæ eorum fragmenta, cum adjunctis, ut scriptoribus placuit, titulis. De quibus omnibus fusius disserere non vacat, ne jam dicta inopportune repetere videamur.

100. Verum, expensis illis argumentis, quæ adversus complura Gregorianæ Historiæ capita Cointius ex mss. aliquot codicum auctoritate, aut ex Fredegarii silentio deduxit, examinanda supersunt nonnulla, quæ vel ex stylo, vel ex rebus in illis capitibus contentis objicit, tanquam a Gregorii modo scribendi aliena, aut certe quæ aliis ipsius ejusdem operibus, aut cæteris Gregoriani ævi probatis auctoribus contraria videntur : quæ licet suis in locis, quantum ferre potuit notarum brevitas, exposuerimus, hic tamen paulo fusius discutienda sunt. Et primum quidem, quod ad styli duritiem pertinet aut sermonis rusticitatem, quas in suis operibus invenisse fatetur passim Gregorius, testes appello quotquot Gregorii opera legerint, atque capita, quæ Cointius interpolata appellat, simul cum aliis conferre voluerint, an ovum ovo similius videri possit. Habentur quippe in illis, sicut et in istis, casuum mutationes, id est accusandi casus, ut grammatici vocant, pro ablativis; habentur et feminina nomina pro masculinis, et masculina nomina cum adjectivis in feminino genere conjuncta. Occurrunt et voces exoticæ, loquendique modi plane barbari, de quibus rebus exempla in medium proferre non sinit ipsa rei evidentia. Fateor equidem in codicibus Corbeiensi ac Bellovacensi, quos in Gregorii textu describendo Cointius merito imitari gaudet, aliquot nominamagis, ut ita dicam, barbare scribi, quam in cæteris codicibus minus antiquis, frequentioresque in illis inveniri casuum, litterarum aut generum mutationes. Sed hoc ex diverso diversorum temporum ac notariorum genio et arbitrio accidit : quæ diversitas codicum antiquitatem probare quidem potest, non vero operum varietatem. Idem enim sunt qui in sæculi sexti aut septimi codice scribuntur Chlotovechus, Chlothachanius, Chroehtichildis, ac qui in posterioris ævi scriptis dicuntur Hlodoveus, Hlotarius, aut Hletildis; seu Chlodoveus, Chlotarius, Chlotildis, etc. Idem contigit in aliquot aliis vocibus, quas amanuenses pro libitu mutaverunt, ut cum *equites*, quam vocem veteres ad equum designandum usurpabant, in *equos* transtulere, intentionem in *contentionem;* qui et ubi *indignate* aut *exsequere* scriptum invenerunt, reposuere *indignamini*, et *exsequi;* et sic alia innumera, quæ multis variis lectionibus originem quidem dederunt, at nunquam apud viros eruditos in dubium revocare fecerunt vetera monumenta, quorum ne unicum fortasse ad nos intemeratum pervenisse alias dicendum esset. Unde non minus indubitata Gregorii opera, quam ea, quæ interpolata a Cointio dicuntur, ejusmodi mutationes ab amanuensibus pertulere. Sed si veteres illas voces ac locutiones barbaras, aut casuum mutationes ne-

cessarias omnino esse quis contendat ad concilium lam capitibus illis, quæ interpolata censet Cointius, auctoritatem, ac ad restituendam Gregorii operibus nativam formam, non desunt codices antiqui qui illas omnino exhibent, prout eas reipsa passim in nostra editione restituimus, aut observavimus in notis, cum ejusmodi insolitæ exprimendi formulæ nimium facesserent legentibus negotium. Occurrunt et in iisdem capitibus voces quædam singulares, quæ Gregorii stylum et genium sapiunt, cujusmodi fere sunt *intentio* ad contentionem exprimendam, *equites* pro equis, *species* pro mercimoniis aut rebus venalibus, *consensus* pro instrumento electionis, *cicindelus* pro candela aut cereo, *satellites* pro sociis, *manicis apprehensus*, *Barbarus*, pro *Francus*, et alia ejusmodi bene multa, quæ nullus non observare potest, qualia in onomastico indice ad calcem hujus voluminis collegimus.

101. Non majoris est momenti Cointii argumentum, quo multa in capitibus interpolatis passim haberi contendit, sinceris Gregorii operibus non bene cohærentia, immo et ipsis contraria. Deinde profert aliquot loca, in quibus ille auctor, seu, ut ait, interpolator, non satis aliquot sanctorum virorum famæ consuluisse videtur; nonnullaque alia auctorum coæqualium testimoniis opposita retulisse, ita ut, si admittantur, aut ipsos, aut certe Gregorium a vero aberrasse fatendum sit: quæ proinde omnia pro veris Gregorii fetibus haberi non debent. His quippe omnibus uno verbo reponi posset, quod etsi nonnulla ejusmodi in capitibus controversis haberentur, non statim eorum convelleretur auctoritas, siquidem et multa in sinceris Gregorii capitibus habentur, quæ cum ipso Gregorio aut aliis monumentis non conveniunt. Hoc ipsum Cointius non semel fateri cogitur in Annalibus; idque multis exemplis demonstravit Valesius in præfatione ad tomum II Rerum Francicarum. Sic libro II, capite ultimo, Chlodoveum regem anno 11 Licinii episcopi Turonensis fato functum fuisse scribit: et tamen certum est Leonem Licinii decessorem quinquennio ante Chlodovei mortem per missum suum concilio Agathensi interfuisse, Guntramnum inter et Sigibertum bellum exarsisse ait libro IV, capite 42, quod, ipso asserente Cointio, verum non est. Chilpericus Suessione exstitis e dicitur libro V, capitibus 2 et 3, et tamen inde abfuisse his ipsis locis præsupponitur. Alia mitto exempla, quæ vel ex ipsis Cointii operibus facile suppeditabuntur, cujusmodi nulla in capitibus, quæ interpolata censet Cointius, inveniri possunt. Loca autem singularia quæ hanc in rem objicit vir eruditus, suis locis examinabimus. Quod si famæ sanctorum virorum quandoque minus consuluisse videtur Gregorius, id ejus candori ac sincero animo tribuendum, qui facta hominum, prout ea noverat, genuine exponebat, nullo respectu personarum. Neque vero quisquam credat, laudabilia fuisse virorum etiam sanctiorum omnia opera. Et quidem ab antiquis atque etiam ab aliis sui ævi auctoribus nonnunquam dissentit Gregorius: quod mirum non est, siquidem et ipsa vetustiora monumenta non semper sibi constant: et unum idemque factum a diversis auctoribus etiam peritis, qui rei gestæ interfuerint, varie enarrari quotidiana experientia constat. Jam ad singulares Cointii difficultates enucleandas accedamus.

102. Nihil omnino in toto primo Historiæ libro reprehendit Cointius, quem, cum res in eo narratæ ad ipsius non spectent institutum, examinare non curavit. Nihil etiam habet de illis omnibus capitulis, in quibus ea repetuntur, quæ Gregorius in aliis libris tractaverat. Pleraque etiam alia capitula admittit quidem, ut pote quæ vera et certa narrant, sed ea interpolata ob id solum censet, quod in aliquot scriptis codicibus desint. Sed de his modo actum est, et plura dicere inutile foret. Cætera autem capita, quæ ob peculiarem aliquam rationem rejicit, hic nobis examinanda restant. Libri II caput 36 ab interpolatore additum esse putat vir eruditus, quod res eo loci de sancto Quintiano memoratæ præpostero ordine referantur; ibi quippe sancti viri e sede expulsio a Gotthis facta narratur, quæ multo ante contigerat. Atque id quidem haud diffitear; sed nihil inde conficitur. Non enim hic Gregorius refert Quintianum eo ipso anno pulsum fuisse, quod sane falsum fuisset, sed loquens de maxima Gallorum erga Francos propensione, ex ea civitatem ait Gotthorum invidiam, qui idcirco complures episcopos e sede sua dejecerant: qua occasione Gregorius illustre profert sancti Quintiani exemplum: tametsi multo ante id tempus, relicta sede, ex urbe excesserat.

103. In tertio libro nulla est controversiæ materia, cum hunc librum omnes omnino codices, editi pariter et scripti, integrum repræsentent. Libri quarti capita 5, 6, 7, 11 et 12, in quibusdam codicibus desiderantur, quod, ut nobis persuasum est, nihil ad Historiam Francorum generalem pertinerent. At subornata esse, nullamque mereri fidem contendit Cointius, quod iis admissis Aquitaniæ primæ pontifices, inter quos nonnulli hodieque sancti titulo decorantur, quales fuere Probianus Biturigum et Dalmatius Ruthenorum episcopi, maximi criminis rei dicendi forent, qui episcopum inconsulto rege ordinare deliberaverant, et quidem tali dignitate prorsus indignum, Catonem scilicet, qui superbia adeo tumidus erat, ut neminem se digniorem episcopatu arbitraretur. Cautinus etiam, qui ad episcopatum promotus est, his coloribus in istis capitibus depingitur, ut extremo supplicio potius puniendus fuisset, quam episcopali sede donandus. Hæc Cointius: sed quæ factorum in his capitibus relatorum auctoritatem minime convellunt. Improbanda quippe est pontificum Aquitaniæ audacia, qui rege inconsulto episcopum, quamvis a clero et populo electum, ordinare disposuerant. Sed rei insolentia facti veritatem non elevat, quæ etiam aliis exemplis confirmari posset. Certe multo audacior fuit alterius Aquitaniæ, id est Burdigalensis provinciæ, episcoporum conatus, qui Eumerium Santonensem episcopum e sede deturbaverant, Heraclio jam in ejus locum substituto, quod præcipiente

rege absque metropolitani præsentia fuisset ordinatus. Res tamen habuisset effectum, nisi obstitissent Chariberti regis minæ qui ob patris sui reverentiam irritos reddidit episcoporum conatus. Et Cato quidem superbia tumidus erat : sed ob alias dotes, potissimum ob misericordiam in pauperes ita plebi acceptus, ut nullus non eum habere vellet episcopum. Utrumque ex ipso Gregorio certum est, ex capite scilicet 31, quod indubitatum, etiam Cointio, habetur ubi de ejusdem Catonis morte, quam in sollicitandis pauperibus tempore pestis incurrit, agens, ait : *Multæ humanitatis fuit et satis pauperum dilector ; et credo hæc causa ei si quid superbiæ habuit, medicamentum fuit.* Cautinum vero sævissimum, ac episcopali gradu plane indignum in istis capitibus exhiberi ultro fatemur : sed nisi eum talem non fuisse probet Cointius ex probis auctoribus, nihil omnino adversus hujus Historiæ veritatem evincet. Nec illud juvat quod Cautinus e sede sua nunquam exturbatus fuerit, cum nemo nesciat Gregorii ætate plures episcopos, variis irretitos criminibus, ad mortem usque in suis sedibus perseverasse, quod utinam tot exemplis probari non posset. Sufficiat Melantii in Prætextati Rothomagensis locum intrusi exemplum proferre. Ejusdem libri quarti caput 19 rejicit quod in codicibus duobus desideretur, nec satis accurate sancti Medardi obitus annum assignet. Verum cum ibi Gregorius nullum certum annum beati Medardi mortis designare voluerit, nihil ad elevandam hujus capitis auctoritatem prodest ista objectio. Quod enim ait Gregorius *tempore Chlotarii* sanctum Medardum obiisse, nemo revocat in dubium.

101. In libro v caput quintum convellere nititur vir eruditus, quod etsi res veras ut plurimum referat, habeat tamen nonnulla, quæ reprehensioni videntur obnoxia. Primum quod multa in eo contineantur contra Felicem Namnetensem episcopum, quem Ecclesia uti sanctum virum celebrat. Deinde quod ibidem Gregorius vulgatus, seu, ut Cointius ait, interpolator sub illius nomine, Gregorium Lingonensem episcopum *proavum* suum appellet, et Nicetium Lugdunensem matris suæ avunculum, contra sinceri Gregorii morem, qui alias de iisdem sanctis viris agens, nusquam meminit talis cognationis, quam etiam silucre clerici Turonenses in ipsius Gregorii Turonensis Vita. Verum ex his duabus objectionis illius partibus unam solvit ipse Cointius. Cognationem quippe illam inter Gregorium nostrum et sanctos illos viros admittit et propugnat. Immo exemplo confirmat argumentum istud abnutivum, alias forte validissimum, in hac tamen parte prorsus rejiciendum esse. Nam, inquit, Gallus Arvernorum episcopus certo certius patruus fuit nostri Gregorii, ut ipsemet testatur in libro de Virtutibus sancti Juliani, capite 23, et tamen Gregorius neque in ipsius Galli vita, nec usquam alias, quanquam sæpissime Galli et ejus parentum meminerit, sanctum Gallum patruum suum appellavit. Addit idem Cointius, quod si quis accurate inter sese comparare voluerit, sanctorum Gregorii Lingonensis, Nicetii Lugdunensis et Galli Arvernensis vitas, hos sanctos viros cognatione conjunctos fuisse facile deprehendet, quamvis id aperte non scripserit Gregorius. Quod Felicis Namnetensis sanctitatem spectat, idque est alterum objectionis Cointianæ caput, ei quidem detrahere animus non est. Sed sanctos viros nævos suos habuisse diffiteri non possumus, quos forte majores quam reipsa in Felice essent, arbitratus est bona fide Gregorius : sed hoc humanæ imbecillitati condonandum. Certe, ipso fatente Cointio ad annum 582, num. 4, Gregorius libro VI, capite 16, eumdem Felicem iracundiæ ac doli palam insimulat, et tamen hoc caput in omnibus scriptis, etiam Corbeiensi habetur ; quin et cum superiori capite conjungitur, quod Felici non multo favorabilius est.

105. Futilis est adversus caput 9 libri quinti objectio, Caluppant nempe hoc in loco appellari, quem Caluppanem sincerus Gregorius in Vitis Patrum dixerit. Quis enim nesciat ejusmodi nomina non solum in variis codicibus, sed et in uno eodemque exemplari sæpius varie descripta inveniri? hujus rei exempla proferre prorsus otiosum fuerit. Immo nulla est in hoc nomine apud Gregorium varietas : qui enim Caluppa in recto casu dicitur in Historia, is ipse est qui in casu sexto *Caluppane* scriptus occurrit in Vitis Patrum, capite 11, cum nemo nesciat ejusmodi nomi a hoc modo desinentia sic varie efferri, ut passim ex Attila *Attilanem*, et ex Agila *Agilanem* efformata nomina legimus.

106. Validiora, ut putat vir eruditus, sunt argumenta quæ profert adversus caput 21 ejusdem libri quinti. Et quidem ea magni sint ponderis necesse est, ut pote quæ omnium manuscriptorum codicum, etiam Corbeiensis, qui non multo post Gregorii ætatem scriptus creditur, auctoritatem elevare debeant. Hoc quippe caput 21 manifeste, ut ipse fatetur Cointius, in capite 28 ejusdem libri laudatur, quod caput 28 omnes codices, et quidem integrum, habent. Interpolatum tamen arbitratur Cointius, idque multa, ut ipse existimat, arguunt. Primo quod ibi Nicetio Lugdunensium episcopo *Patriarchæ* titulus donetur contra illorum temporum et Gregorii ipsius morem. Deinde quod concilii Lugdunensis patres Sagittarium et Salonium episcopos ob cædes et adulteria sedibus suis pellendos censuisse ibidem dicantur, cum tamen episcopi apud Cabillonum, ut ipsemet infra, capite 28 habet Gregorius, congregati, illos episcopos ob ipsas easdem omnino causas, nonnisi *pœnitentia purgandos* decreverint. Tertio objicit concilii Lugdunensis hac de re silentium, siquidem nusquam in istius synodi canonibus qui supersint, legatur Sagittarii et Salonii causam ibi fuisse agitatam. Denique a verisimilitudine multum abesse putat, quod ille interpolator de Sagittario refert, eum nempe aliquando dixisse, Guntramni filios quos ex Austrigilde susceperat, ob istius natalium humilitatem nunquam patri in regno successores fore. Hæc ille : quibus singillatim faciendum est satis. Et

primum quantum ad patriarchæ nomen, quo in hoc capite decoratur Nicetius, nihil est mirum, quandoquidem eumdem honoris titulum Priscus Nicetii successor habuit in concilio II Matisconensi anno 585. Datur et Chelidonio Vesontionensium episcopo in Vita sancti Romani abbatis Jurensis, quam scripsit auctor Gregorio nostro æqualis, ubi Hilarium Arelatensem episcopum arguit, quod *Celedonium Vesontionensis metropolis patriarcham* e solio dejecerit. *Patriarcham* appellavit Sulpicium Bituricensem seculo sequenti sanctus Desiderius Caturcorum antistes in epistola ad eum directa. Quæ exempla etsi in singulis istis auctoribus sint singularia, a suspicione tamen falsi aut dubii immunia sunt omnino, proindeque et Gregorii textus.

107. Ad hæc arguit Cointius, quod est alterum ejus objectionis caput, Gregorii, ut vocat, interpolatorem, quod sententiam depositionis in Sagittarium et Salonium episcopos, homicidii et adulterii reos, latam fuisse scripserit. Hoc enim, inquit Cointius, fieri non potuit, cum ex Gregorio sincero, capite scilicet 28 ejusdem libri, iidem episcopi ob eadem omnino scelera iterum in jus vocati, in concilio Cabillonensi pœnitentiæ solummodo subjecti fuerint, sed non exauctorati. Verum ultro fateor Patres Cabillonenses eadem severitate usos non fuisse, quam Lugdunenses. Sed contendo Lugdunenses juxta canonum scita tulisse sententiam; Cabillonenses vero, ob justas quidem, ut existimare par est, rationes, ab exsequendis tamen canonibus abstinuisse. Nemo enim, vel levi canonum cognitione imbutus nescit, ejusmodi criminum reos una sententia et una voce apud Græcos et Latinos sede episcopali indignos proclamari. Si itaque ob res in istis capitibus 21 et 28 contentas alterutrum caput rejiciendum foret, rejici jure deberet caput 28, ut potc disciplinæ ecclesiasticæ oppositum, non vero caput 21, quod sacris canonibus et Ecclesiæ regulis omnino consonum est. Vadem hujus rei apud omnes ob summam eruditionem et sincerum animi candorem maximi ponderis, profero Ludovicum Thomassinum, ejusdem ac ipse Cointius Oratorii Gallicani presbyterum, qui ea de re disserens, neutrum Gregorii caput rejiciendo, sic loquitur Disciplinæ ecclesiasticæ parte II, libro I, cap. 58, n. 11 : *Canonicis decretis consentiebat Lugdunensis concilii judicium, quibus irrevocabiliter dejiciuntur ejus generis facinorosi; judicium vero Cabillonensis concilii, quod indulgentiæ magis studebat, non tam judicium fuit quam conatus quidam, ut a pontifice et rege iniretur gratia, qui erant ad lenitatem magis inclinati. Hæc per pœnitentiam purgari censentes episcopi, quibus verbis non definitiva insinuatur sententia, sed episcoporum opinatio mollior demissiorque*, etc. Hæc ille, qui numero sequenti Cabillonensis concilii indulgentiam inter *dispensationes raras* connumerat, quæ nunquam *lucem canonum splendidissimam* quam secuti fuerant Lugdunenses Patres, obscurare potuerunt; proindeque nec Gregorii eam Historiam referentis auctoritatem convellere. Quod vero objicit Cointius contra ejusdem capitis 21 veritatem Lugdunensis concilii silentium de Sagittarii et Salonii, quæ nempe in canonibus ejus concilii qui supersunt, memorata non habe nihil omnino evincit, nisi probet vir eruditus o omnino causas, quæ in conciliis agitatæ fuer in eorum canonibus expressas fuisse : quod nemo dixerit. Nec id in præsenti causa necessa fuit, aut utile posteris fuisset. Novi quippe ea istorum episcoporum exauctorationis occasione dendi non fuerant, cum id passim haberent vet nec decebat factum singulare canonibus ins quod nihili profuisset. Si autem exempla quia ejusmodi rerum, quæ licet in synodis agitata rint, tamen in earum actis aut canonibus mem non occurrunt, e pluribus unum aut alterum e Gregorio proferam. Narrat ipse Gregorius quer episcopum ita simplicem fuisse, ut in Matisco concilio asseverare eum non puduerit, sub hi voce in Scripturis sacris mulieres non comprel Nullum tamen exstat ea de re in synodi Matise sis actis vel leve vestigium. Meminit idem auc Vitis Patrum, capite 6, Marci cujusdam episc sua sede inique extrusi, cujus causa in conc Aurelianensi, ipso fatente Cointio, discussa suæ restitutus est. Nihil tamen de his habent lianensis v concilii acta; licet ob hanc potiss causam a Childeberto coactum fuisse istud con ipsemet scribat Gregorius.

108. Ultimum denique objectionis caput est, verisimile non sit, Sagittarium Austrigildi ma humilitatem exprobrasse, aut dixisse ejus fil successionem admittendos non esse. Sed plus efficit nisi probet Cointius aut Austrig reipsa ex humili loco non prodiisse : quod fal quit, fuerat enim Mercatrudis ancilla, tes e ips degario; aut certo Sagittarium hominem fuisse dentissimum, ac ita discretum, ut nunquam excessisse dici possit : quod an verum sit, vel Cointium judicem appello. Quis enim nescia hominem, ut cætera ejus flagitia taceam, fub vissimum ac superbissimum, qui tandem post fortunas Guntramnum ejusque filios non vert lum, sed et armis lacessivit, Gundovaldi Bali partes secutus apud Convenas, ubi miscre per

109. Nonnulla affert vir eruditus ad convell ejusdem libri quinti capitis 48 auctoritatem nempe caput etsi nonnulla vera continet, tamen rebus non admittendum videatur, qui cet non satis cum sinceris Gregorii capitibus rent. Etenim Leudastem ibi depingit Gregori quam hominem humili loco natum, qui ex gradibus ad immensum tandem dignitatis et tiæ fastigium pervenerit; et tamen talia nu ipsi alias exprobravit Gregorius, licet de ejus et pravis moribus non semel egerit. Deinde peccavit, ut ait Cointius, interpolator, quod cam urbem exstitisse dixerit biennio sub S potestate, postquam e Chilperici manibus

erepta : quod falsum censet Cointius, cum Sigibertus eam urbem ante annum 574 non recuperaverit, amiserit vero simul cum vita anni sequentis initio. Verum ad hæc momenta facilis est omnino responsio. Nam Gregorius aliis quidem in locis non semel de Leudastis vitiis egit, at solummodo aliorum ejus factorum occasione : unde mirum non est si de ejus natalibus ac fortunæ ini iis nihil ibi dixerit. Hic vero data opera de ejus origine ac patria singillatim disserere instituit, proindeque debuit paulo accuratius parentes ejus ac primorum gestorum circumstantias explicare, ac ea quæ alias præterm serat, aut leviter tantum attigerat, paulo fusius enarrare. Sigibertus vero annis duobus Turonos obtinuisse dici potuit, neutro licet integro. Extremam enim unius anni partem, ac initium sequentis apud vulgatos auctores simpliciter annos duos passim dici quis inficiabitur? Et quidem Gregorius non hæc ait duobus annis solidis Turonos in Sigiberti potestate remansisse.

110. Caput 49 libri quinti, quod nobis est 50, eo nomine rejiciendum esse censet Cointius, quod ibi in sua innocentia propugnanda imprudens describatur Gregorius, ea scilicet regi interroganti respondendi, quæ debebat dissimulare. Deinde quod ibidem Chilpericus et Fredegundis multo quam soliti erant mitiores repræsententur. Quod denique interpolator indigna habeat de Felice Namnetensi episcopo, quem conjurationis in regem participem facere non veretur. Ad primum, Gregorius se malos de regina rumores audivisse fatetur, se autem illos excogitasse pernegat : quæ quidem res, ossio imprudens fortasse fuit, si eam non exegerit interrogatio. Fieri enim potuit ut interrogaretur Gregorius de rumore illo qui vulgo circumferebatur : cui ille respondit modo sinceritati, quæ in cæteris ejus operibus elucet, maxime congruo. Scio responsionem hanc Valesio imprudentem visam fuisse : sed nec ipsam tamen ob id Gregorio abjudicat, nec cæteri viri eruditi, qui Gregorium humani erroris omnino expertem fuisse nunquam sunt arbitrati. Non majoris est momenti quod ait vir eruditus, Chilperici et Fredegundis innatam sævitiam in hoc loco non inveniri. Non enim adeo crudelem semper et ubique illi fuerunt, ut omni occasione per fas et nefas homines trucidari jusserint, qui in eorum incurrissent offensam. Certe negotium istud magni erat momenti : in publica synodo agebatur. Quæstio autem ipsa delicata erat, nec forte Fredegundi gratum erat, ut tam accurate de ejus vita et moribus inquireretur. Sciebat Gregorium hominem sanctissimum, qui nec minis nec blandi is a recto tramite unquam potuisset deterreri. Unde linire regis animum magis expediebat, quam ipsum in accusatos exasperare. At vero, cum purgato per sacramentum Gregorio, Leudastes ac Rieulfus calumniæ rei pronuntiati fuissent, in eos sævitum est, et Leudastes fuga elapse alter jussus est interfici : qui licet Gregorio intercedente vitam obtinuerit, intolerabilibus tamen tormentis attritus est, quæ Gregorius narrat. Denique quod ad Felicem episcopum attinet, Rieulfum quidem exceperat apud se, ac meris adversus regem ejusque filios conceptæ nec reus, nec consilii particeps unquam fuit. Immo, ut in notis ad hunc locum observavimus, hæc in regem et filios ejus conjuratio, quæ in editis ex voculæ immutatione irrepsit in textum, nulla unquam fuit. Textus autem sic se habet in editis : *Dicebat ob hoc regina crimen objectum, ut ejecta de regno, interfectis fratribus ac patre, Chlodovecus regnum acciperet* : quæ verba nefandam conjurationem repræsentant. Sed si legatur, *interfectis fratribus, a patre Chlodoveus*, etc., ut ex codice Regiomontensi restituimus, jam habetur germanus hujus loci sensus, quod scilicet regina adulterii accusata fuerit agente Chlodoveo, ut ea ob istud crimen pulsa, ipse, interfectis fratribus, quos nempe ipse Chilpericus instigante eadem Fredegunde jam occiderat, solus superstes regnum a patre obtineret.

111. Adversus caput 8 libri vi objicit Cointius chronologicum errorem, quem sufficientem existimat ad elevandam hujus capitis authentiam. Ibi enim Gregorius, seu, ut ipse vult, ejus interpolator, Eparchium anno ejus reclusionis 44 obiisse dicit : quod falsum esse probat vir eruditus ex Vita ejusdem sancti ab auctore æquali scripta, ubi Eparchius triginta solummodo et novem annis reclusus vixisse disertis verbis dicitur. Deinde Aptonius, quo sedente Eparchius reclusi cœpit, non suscepit Ecclesiæ regimen ante annum 541. At Eparchius nemine contradicente obiit anno ejusdem sæculi 81, proinde ne supra annos quadraginta in cella reclusus degere non potuit. At cum Cointio fatemur, Eparchium anno extremo suæ reclusionis trigesimo nono obiisse, ut in ejus Vita legitur. Sed si reclusionis nomine totum illud tempus intelligatur, quo Eparchius relicto sæculo in monasterio vixit, aut in loco deserto, quo majoris solitudinis desiderio secesserat, jam nulla supererit difficultas. Certum quippe ex ejus Vita est, illum in Sedeciano monasterio primum vestem monasticam induisse, tum in loco solitario a cæteris separatum aliquandiu degisse, priusquam episcoporum auctoritate recluderetur. Quæ omnia Gregorius simul conjungens, Eparchium, illæsa historiæ veritate, dicere potuit, annos 44 reclusum exegisse.

112. Ea vero quæ habet adversus caput 9 ejusdem libri, ubi de sancto Domnolo Cenomanensi episcopo agitur, expendimus in notis ad illum locum, quas iterum repetere supervacaneum foret. Ad caput 15 transeundum est, a Cointio ob id rejectum, quod multa habeat contra Felicis Namnetensis famam, quin et cum illud sequenti capiti ita annexum sit, ut alterum sine altero non possit admitti. Et istud quoque respuit vir eruditus, licet in omnibus omnino codicibus habeatur, etiam in Corbeiensi, quem non inficiatur paulo post Gregorii nostri ætatem scriptum fuisse; proindeque admittat necesse est, exstitisse auctorem aliquem Gregorio aut æqualem aut subparem, ex quo interpolator, qui et ipse his temporibus vixerit, ista atque alia multa quæ refert hau-

serit. At cum me auctor nemini unquam notus fuerit, satius non is videtur ingenue fateri in Felice nævos quidem fuisse, sed quos aut pœnitentia diluerit, aut certe qui tanti non fuerint, ut charitatem Christi quæ multitudinem operit peccatorum, offuscaverint.

113. Caput 22 rejiciendum esse censet vir eruditus, quod Chilpericum regem alium, id est leniorem quam reipsa fuerit, repræsentet. Chilpericus enim, ut Cointio videtur, Charterium qui adversus eum litteras injuriosas scripsisse accusabatur, statim oppressisset, aut certe ejus accusatorem diaconum, qui eas episcopo suo supposuisse dicebatur. Verum non ita sævus erat Chilpericus, aut sui impotens, ut non nisi ab impostore dici potuisset, eum aliqua occasione a sæviendo abstinuisse. Certe, ut a viris eruditis jam non semel observatum est, Chilpericus magis uxorius, quam sævus fuit, atque plus uxori suæ parendo quæ eum ad neces hominum sibi ipsi suspectorum incitabat, quam innata crudelitate peccavit. Audiendus ea de re V. C. Hadrianus Valesius libro XI Rerum Francicarum, ubi postquam Chilpericum reprehendisset quod furenti uxori nimium indulserit, subjungit: *Plane si quando ab ea non instigabatur, Chilpericum mutatum et sui dissimilem factum crederes: adeo communis, aditu facilis, lenis quoque et injuriæ patiens.* Lenitatem ejus pluribus laudavit Fortunatus: nec tamen hujus auctoris carmina ob id ullus dixerit esse ab impostore excogitata. Et quidem licet poetarum more in laudando Chilperico excessisse nonnullis fortasse videatur Fortunatus, nemo tamen dixerit eum in homine sævissimo lenitatem potissimum prædicasse. Denique Cointius ipse alias Gregorium nostrum reprehendit, quod in fine libri VI Historiæ in Chilpericum plus æquo fuerit invectus, quasi nulla prorsus laude dignus fuerit, quem tamen præclara facinora edidisse neminem inficiari posse contendit.

114. Caput 34 ejusdem libri VI, licet in capite sequenti, quod omnes omnino scripti et editi habent, laudetur, multaque complectatur vera, interpolatum tamen censet vir sæpe laudatus, quod nonnulla, inquit, contineat a verisimili aliena. Primum est quod hujus capitis initio memoretur Hispanorum legatio, quæ si admittatur, tertia erit quam hoc anno Hispani miserint in Gallias. Secundum initio capitis *legati* appellantur *, quod indicat plures ea occasione missos fuisse; et tamen in orationis progressu non nisi unius legati mentio occurrit. Denique Chilpericus ibidem cogitasse dicitur de Basina in uxorem Reccaredo Gothorum regi tradenda, quæ stuprata fuerat, et in monasterium retrusa. Ad primum et secundum objectionis caput facillima est responsio. Non enim impossibile est ternas eo anno legationes ex Hispaniis in Gallias adventasse, cum ageretur de nuptiis inter Leuvigildi filium et Chilperici filiam contrahendis, quod maxime Gothi peroptabant. Quod vero legatum aut legatos una aut altera vice scripserit Gregorius, res est ad asserendum aut abjudicandum Gregorio caput istud plane indifferens. Chilperici vero de Basina loco Rithguntis Gothorum filio substituenda consilium, quod refert Grego hominis animum indicat tergiversantis, qui suam tum vellet, tum nollet Reccaredo nuptui dere. Idem probant variæ harum nuptiarum di nes, a Gregorio ipso memoratæ, quæ tandem ea cessere, ut illa sæpius licet promissa, immo et profecta, nunquam Reccaredo nupserit. Chilpe itaque Gothorum petitionem plane respuere audebat, immo nec volebat: sed grave tamen ei a filia sua separari, quam ex Fredegunde s perat, et diligebat præ cæteris; veritus maxime ut Chlotildi et Ingundi contigerat, ipsa a G male haberetur. Basinam vero ob id forte Rith substituendam non alio animo proponebat, qu Ri hguntis discessum differret.

115. Caput ejusdem libri XXXVI insititiis adj Cointius, quod in eo Gregorius de Ætherio epi Lexoviensi agens dicat, *cujus supra meminimu* metsi nulla ejus mentio ab ipso facta sit. D quod idem Ætherius non satis prudens hoc l pite repræsentetur, quippe qui puerorum urbi educationem viro nequissimo permiserit. Ex objectionis hujus parte colligi quidem potest Gregorium memoria lapsum esse; aut aliqu Ætherio in Gregorii scriptis exstitisse, quod non habetur; aut certe hæc verba ab amanue superaddita fuisse. Hinc tamen non conficiet tum hoc caput fuisse interpolatum: uti similia quæ de Tetrico Lingonensi episcopo habent bro IV, capite 16, nec Cointio, nec aliis per runt, caput istud ab interpolatore fuisse intr *Erat*, inquit Gregorius, *ibi tunc sanctus Tetrica scopus, cujus in superiori libello memoriam fe* de quo tamen nullum in superioribus vestigiu perest. Ætherii vero indulgentia erga homine vum, arguit quidem Ætherium plus æquo fa et incaute misericordem, sed non probat rei narrationem esse aut falsam, aut Gregoriano temere assutam.

116. Non major est rejiciendi capitis seq ratio, licet in eo Lupentii abbatis cædes Inno Gabalitano comiti tribuatur, qui postea cap dicitur Theodosio Ruthenorum episcopo de successisse. Non enim facile arceri potuit ab patu Innocentius, cujus magna apud reginam erat, nisi hoc crimen publice notum fuisset. quam legimus Innocentium tanti criminis reu claratum fuisse, immo nec publice accusatum, quam forte id rumor ei tribueret. Sed non er tima, aut certe sufficiens illis temporibus, diendæ ordinationis causa, quæ alias juxta ca præscripta, cleri et populi votis, aut certe ex voluntate, fieri petebatur. Nec desunt exemp quiorum hominum, qui per ea tempora sed scopales sceleribus partas diu obtinuere: ve Melantius in Prætextati Rothomagensis loc trusus hujus rei exemplum suppeditare pot

* Forte legendum: *Secundum, quod initio capitis* legati *appellentur.*

bservavimus. Plura alia adjicere haud esset dif-
si res exigeret.

. Hæc sunt præcipua Cointii argumenta, queis
st ad elevandam ex sex prioribus libris Gre-
e Historiæ multorum capitum, quæ in qui-
n codicibus mss. desiderantur, auctoritatem.
uentibus vero libris pauca habet, ob defectum,
, codicum. Quanquam neglecto codice sancti
lis optimæ notæ, passim multa Gregorio ab-
, ob id solum, ut jam diximus, quod in co-
lettensi desiderentur, aut certe desint apud
um. Certum est tamen, ut supra demonstra-
t, et ipsemet Cointius inficiari non audet,
in eo codice ex industria omissa fuisse. Ai-
vero auctoritatem hac in re nullius esse pon-
vel ex hoc unico argumento evinci potest,
so attestante Cointio, et interpolata admiserit
erit sincera. Sed et ipsemet Aimoinus, ca-
libri primi, fatetur se in codicem incurrisse
rum vitio omnino depravatum. Verum hac
e imbutus Cointius, quod multa in Gregorii
b interpolatore essent superaddita, eos ipsos
s aut eod ces, quos ob omissa aliquot capitula
s laudat, eosdem rejicit, si forte nonnulla ab
æternissa exhibeant. De mss. codicibus su-
satis dictum : nunc paucis agendum de uno
ro Gregorii loco, quos Cointius in libris p-
bus ex ipsis rebus quæ narrantur, interpo-
se contendit.

Primus, et quidem celebris satis, locus est
to Salvio Albigensium episcopo, cujus vitæ
dium, admirabilem visionem et obitum de-
noster Gregorius initio libri septimi. Sed
eum ab interpolatore additum censet Coin-
s solum quod in codice Mettensi desideretur,
etiam quod eo admisso, contrarius sibi ipsi
s esset Gregorius, quippe qui Salvii mort m
4 hic consignarit, quam libro VIII, capite 22,
sequenti contigisse scripsisset. Idem auctor ad
686, ubi de Salvio Ambianensi episcopo agit,
ntiam interpolatori, uti vocat, Gregoriano af-
non vertetur, eum asserens *mendacem et per-*
qui interposito sacramento juraverit, ea quæ
gorii nomine intrudere audet, ab ipso Salvio
si se didicisse, quamvis hæc ipsa ex gestis
Salvii excerpserit, qui Ambianensium antistes
ulo sequenti. Hæc ille : sed hæc argumenta
esse roboris absque negotio demonstrari po-
im primo codicum auctoritas nobis omnino
t jam sæpe diximus, cum multos integros,
notæ, et majoris antiquitatis, unico Cointiano
, scriptoris incuria vitiato, et sequioris ævi,
nus. Deinde nulla est apud Gregorium inter
libri VII et caput 22 libri sequentis opposi-
et enim primo loco dixerit Salvium *hoc anno*,
84, obiisse, et altero *post obitum Salvii hoc*
i est 685, Desid ratum Albigensibus episco-
isse datum, nihil sane aliud ex istis duobus
s inter se collatis colligi potest, quam Sal-

A vium anno 584, et quidem mense Septembri excessisse e vivis, successoremque sequenti anno, id est post aliquot menses, habuisse Desideratum : quæ an secum pugnent, æquis lectoribus judicandum permitto. Certe etsi paulo amplius fuisset inter utrumque temporis intervallum, non tamen improbanda foret Gregorii narratio, cum verisimile sit post Salvii obitum aliquas turbas de substituendo illi successore exortas fuisse : qua occasione nonnulli sedem Albigensem a Theotfrido nescio quo occupatam fuisse scribunt. Nulla itaque est apud Gregorium, etiam admisso inter ejus opera sincera capite 1 libri VII, contradictio. At, inquit vir doctus, interpolator, quisquis ille fuerit, multa ex gestis sancti Salvii Ambianensis episcopi, Gregorio quidem multo poste-
B rioris, in ejus Historiæ textum intrusit. Verum tota ruet illa Cointii objectio, si Salvii Ambianensis gesta ex Gregorii textu ut plurimum consarcinata esse, non vero ex istis gestis Gregorio aliquid superadditum fuisse demonstremus : quod certe haud operosum fuerit, facta inter utrumque comparatione. Gregorii narratio nullam prorsus in se involvit contradictionem, nihil habet quod a teste oculato et scriptore æquali dici non potuerit. Multa econtrario complectitur, quæ, ipso fatente Cointio, ita Salvio Albigensi propria sunt ut alteri Salvio, absque
C errore tribui non possint. Auctor ille Deum testem invocat, se vera scribere, quæ nempe a se visa fuerant, aut ab ipso Salvio accepta, proindeque perjurus et gravissimi criminis reus censeri debet, si falsa dixerit, quod sane absque maxima et evidenti causa de quoquam nequidem cogitare licet. Immo hæc omnia narrationem arguunt veram et sinceram. Adde quod ibi Gregorii genius et stylus, ejusque loquendi modi genuini occurrant. Econtrario vero Gesta quæ Salvii Ambianensis nomen præferunt, ab auctore consarcinata sunt rerum ignaro, qui episcoporum
D Ambianensium seriem ignoravit, tempora perturbavit, falsa retulit, resque a nostro Salvio Albigensi certissime gestas, ipso indicante Cointio, suo Salvio temere adscripsit. Ipse enim Salvium Honorato successisse scripsit : inter utrumque tamen ipse Cointius quatuor episcopos intercessisse fatetur. Honoratum Theodorico monarchæ synchronum facit, contra Cointii ipsius calculum, qui annum 580 Honorati extremum fuisse contendit, et Theodoricum non nisi post annos centum monarchiam Francorum obtinuisse scribit, cujus decimo tertio regni anno Salvius in thronum Ambianensium conscendit. Deinde idem auctor narrat Mummolum Patricium, capta civitate et dirutis muris, multos captivos in Hispaniam transmisisse, qui Salvio, jubente rege, redditi fuerunt. At hæc ut de Ambianorum civitate, aut de Salvio ejus episcopo dici possint, vetant temporum, personarum et locorum circumstantiæ. Quæ omnia optime congruunt si de civitate Albigensi intelligantur, quam certum est, sancto Salvio vivente a Mummolo occupatam fuisse, ut post Gregorium nostrum scripsit ipse Cointius. Unde fateri co

gitur, sumsse illum auctorem nonnulla ex gestis Salvii Albigensis in Ambianensis acta transtulisse. Si itaque Salvii Ambianensis Vitæ scriptor, fatente Cointio, nonnulla ex gestis Salvii Albigensis suo Salvio tribuisse convincitur, aut malæ fidei reus, aut certe, quod lubentius crediderim, homo ignarus fuerit necesse est; ut qui regum episcoporumque series ac tempora perturbaverit, civitates ex una in alteram provinciam transtulerit, denique omnia susdeque verterit, ut vitam sui Salvii fabricaret. Jam testes appello quotquot hunc locum legerint, an talis auctor præferri debeat scriptori capitis 1 libri VII Gregorianæ Historiæ, qui Salvii Albigensis res gestas unico irreprehensibili, servatis historiæ legibus, conscripsit. De visione Salvio ostensa, quæ fortasse nonnullis displicebit, nihil diximus, quod eam revera contigisse, Salvio Ambianensi an Albigensi, parum refert, Cointius admiserit. Tales autem, quas homines sancti sive intra corpus, sive extra corpus constituti, ut loquitur de se Apostolus, habuerunt, passim suis temporibus contigisse memorant testes omni exceptione majores: Augustinus in libro de Cura pro mortuis, Gregorius Magnus, Scriptor passionis SS. Perpetuæ et Felicitatis, et alii passim magni nominis auctores.

119. Superest ut aliquid de Gregorianæ Historiæ epilogo dicamus, quem partim rejicit Cointius, partim pro habito admittit. Illum nempe tres in partes secat: primam his verbis *inlibata permanent* concludit, quam, quod in codice sancti Michaelis habeatur, admittit, sicut et secundam, licet in Michaelino codice desideretur, quod, inquit, Gregorius in Historiæ prologo opera sua versu describi permiserit, nihilque aliud habeatur in ista epilogi parte, quam quæ ex prologo fieri potuerunt. At tertiam partem ubi variæ habentur computationes, plane respuit, quod non satis, ut illi videtur, computo Gregoriano concordet. Qua in re nec codicum mss. auctoritatem curat, in quibus eædem ipsæ computationes habentur ad calcem libri IV, etiam in codice Corbeiensi: nec audiendos esse censet eos, qui nostri Gregorii vitam ex ejus scriptis collegerunt, quibus, fatente Cointio, etiam hæc tertia epilogi pars nota fuit. Nempe ut hæc omnia refellat, unicum ei sufficit argumentum, computationum nempe istarum discordia; quod tamen solum sufficiens esse nemo dixerit ad elevandam alicujus operis auctoritatem, multis aliunde et propemodum certis rationibus suffulti. Quis enim nesciat in ejusmodi computationibus non solum plerosque medii ævi auctores a vero aberrasse, sed etiam illorum erroribus alios errores ab amanuensibus fuisse ut plurimum superadditos, vel propria eorum incuria, vel quod nimium sibi ipsis fidentes veterum computa emendare voluerint? Hinc in exhibendis ejusmodi numeris tot sunt fere lectiones variæ, quot sunt codices, idque non in Gregorii solum operibus, sed et in aliis optimæ notæ auctoribus, quos tamen ob id nec falsos nec in ullus hactenus habuit: quod sexcentis e Cointio ipso allatis facile esset demonstrare

120. Jam tempus est ut finem impon discussioni, quam nonnulli fortasse prolixi conquerentur. At necessarium fuit hanc p ratius prosequi, in qua agebatur de rejic recipienda unicæ nostræ gentis Hist rim tenenda parte, quam Gregorio abjudica inter eruditos clarissimus censebat, nos v rum ipsius esse fetum propugnamus: quod disceptandi animo susceptum esse omnibus g esse velim, non quod mihi aliquid superbe qui cum tanto viro disputare voluerim, s tum solius veritatis studio et amore, ad se et propugnandam ejus auctoris operum int quem restituendum et illustrandum suscep res etiam ipsi Cointio, cujus memoriam im neror, ut pote sincero veritatis amatori, grata fuisset cum in istam opinionem ob manuscriptorum, quos nonnisi mancos et in habuit, auctoritatem abierit, facile in e concessurus sententiam, si aliorum codicu mero, et integritate, et auctoritate magis pr in recognoscenda Gregoriana historia adjut

IV. — 121. Jam itaque præfationis nostr par em attigimus, in qua ratio reddenda e quæ in hac nova Gregorianorum operum nobis præstita sunt. Gregorii opera per p cissa, et cum variis variorum auctorum permista in unum volumen collegimus. Et infinitis propemodum mendis, quæ vel ex aut editionum vitio, vel ex qualibet alia c sim in textum irrepserant, expurgare codi nuscriptorum ope conati sumus, et reip gentibus patebit, plurimum expurgavimu nonnulla de novo addidimus, et aliquot cap in prioribus editis indicabantur quidem, i inveniri nondum potuerant, ex fide qu exemplarium supplevimus. Ad hæc Gregor toriæ integritatem, qua pene ob aliquot defectus apud nonnullos eruditos vires c codicum melioris notæ, et minime ma auctoritate, aliisque argumentis asseruim terea notas marginales addidimus, quas v tiones manuscriptorum codicum, aut v novarum editionum exhibent, tempora re tarum indicant, res ipsas illustrant, loca describunt, personarumque notitiam sup laudatis etiam, aut adductis, cum opus est auctorum locis. Quin et ne notarum ejus lixitate aut multitudine quandoque obrut loquar, textus videatur, notas aliquot fi calcem voluminis * addidimus, ad quas e siorem exigebant animadversionem retul quibus etiam notis inseruimus nonnulla a monumenta, aliaque retulimus quæ nob

* Nos fusiores etiam notas textui subjicere maluimus. EDIT.

rant, aut quæ jam incepta hac editione accepimus, ad illustrandum Gregorium idonea. Præter hanc nostram præfationem quam Gregorii operibus præmittimus, Vitam ex ejus scriptis collectam ab Odone abbate, ad multos codices collatam proferemus, cui subjungemus virorum illustrium de nostro Gregorio testimonia. Post hæc subsequentur Annales Francici seu veterum omnium auctorum, qui Gregorium præcesserunt loca, et alia antiqua monumenta in quibus *Franciæ* aut *Francorum* mentio occurrit, secundum ordinem chronologicum disposita, quæ quidem V. Cl. Carolus Bu'tellus, Historiæ Francicæ studiosissimus, diligenter collegit, ac mihi liberaliter communicavit ad Gregorii nostri historiam illustrandam. His subjungimus indicem chronologicum eorum quæ in Gregorii aut Fredegarii operibus potissimum ad Historiam Francicam pertinent. Non enim solam Fredegarii Epitomen, quæ est Historiæ Gregorianæ breviarium, edidimus; sed et ipsum ejus Chronicum ac illius continuatores usque ad Pippini regis obitum et ejus filiorum Carlomanni et Caroli inaugurationem, subjungere visum est, de quibus inferius speciatim dicemus. Appendicem quoque addidimus, quæ vetusta quædam gentis nostræ, tam ecclesiasticæ, quam civilis historiæ monumenta complectitur, ea scilicet quæ Gregorius noster laudat, aut quæ conferunt omnino ad illustranda ejus aut Fredegarii scripta. Indices varios omitto : quæ omnia cum unicuique legenti obvia sint, fusius explicare non videtur esse operæ pretium. At cum ad asserendam veterum monumentorum auctoritatem, emendandosque eorum errores, plurimum conferat qualitas codicum, ex quibus vel eruta sunt, vel emendata, exponere juvat singillatim numerum ac conditionem eorum, quibus in adornanda hac Gregorii editione usi fuimus.

122. Et primo quidem Historiæ libros contulimus ad codices duos venerandæ antiquitatis, quos nempe haud multo post Gregorii nostri ætatem exaratos fuisse consentiunt viri, quotquot eos inspexerunt, eruditi. Pertinuerunt olim ad Antonium Oyselium Bellovacum, virum de re litteraria benemeritum, ex quo ad V. Cl. Claudium Jolium cantorem et canonicum Ecclesiæ Parisiensis, ejus ex filia nepotem, pervenerunt, cujus venerabilis et sapientissimi senis beneficio, illos vetusti simos codices commode et cum otio inspiciendi ac revolvendi, adeoque donum asportandi, quandiu libuit, facultatem habuimus. Prior eorum qui, ut accepimus, et indicat non semel ad oram libri apposita hæc inscriptio, *Ecclesiæ sancti Petri Bellovacensis*, olim in majoris Bellovacorum ecclesiæ bibliotheca asservabatur, in membranis elegantissime scriptus est litteris grandibus Romanis, quas vulgo unciales sive majusculas appellant ; at ita imbre, situ aut mucore corruptus, aut vetustate exesus est, ut multis in locis imperfectus sit. Initio et fine caret ob avulsa e codice aliquot folia. Incipit a media parte capitis 2 libri II, desinitque in libri V capite 15, quod vulgatarum editionum capiti 23 respondet. Alter codex qui, ut testatur ejus inscriptio, celebris monasterii Corbeiensis in agro Ambianensi olim fuit, ætate posterior censeri non debet. Exceptis titulis et aliquot librorum initiis, quæ majusculis et Romanis characteribus descripta sunt, *litteris*, ut loquitur Valesius, *plane barbaris mediocrisque magnitudinis scriptus est, ita inter se connexis, et per quædam notarum compendia pluribus expressis, ut fere lectori sit divinandum.* Quæ, uti conjicio, legendi difficultas Andream Chesnium ita deterruit, ut codicem hunc a se visum testetur, sed collatum non dicat. Et quidem pauca quæ de eo habet, a codice ita aliena sunt, ut nec illum ab eo visum fuisse facile diceres. Codex tamen integer est, illibataque perseveravit scriptura, cujus legendi difficultas me a labore ita non deterruit, ut ne de verbo ad verbum ipsum cum editis integrum conferrem. Scriptus est litteris quas vulgo Merovingicas seu Francogallicas appellamus, cujus si characteres, ut reipsa exarati sunt, quis videre voluerit, adeat librum de Re diplomatica a nostro Mabillonio editum, ibique libro IV, pag. 349, eorum specimen ex ipso codice æri incisum videre poterit.

Duos alios codices habuimus e Colbertina bibliotheca, quos, quia olim ad cl. Thuanum pertinuere, Thuaneos Chesnius et Valesius appellare solent. Maluit Cointius unum ex his sancti Michaelis codicem dicere, quod, ut indicat inscriptio, in aliquo hujus nominis monasterio scriptus fuerit ; et alterum sancti Arnulfi, seu Mettensem ex percelebri monasterio, ad quod olim pertinuit. Prior ab annis circiter 700 scriptus videtur, veteri charactere ac sine ulla capitum distinctione, quanquam eorum indiculus singulis præmittatur libris ; at detractis ex ipso codice decem prioribus quaternionibus, non nisi a media capitis 17 parte libri sexti initium ducit. Alter annis circiter centum posterior, initio quoque caret ex vitio codicis, qui imperfectus est ; quippe qui capite 7 libri II incipit. At plura scriptoris sive incuria, sive consilio, passim desunt capita ; nonnulla vero habentur altera manu addita, immo et passim interlineares lectiones variæ occurrunt, seu et in vocum expositiones quæ aut ex alio codice, aut certe ab ipso exscriptore superadditæ fuerunt. Denique librum nonum et decimum, seu potius unumque aliquot capitula, in unum librum consarcinat sub noni libri titulo, et Fredegarii Chronicum Gregorii librum decimum nuncupat, ut jam supra a nobis observatum est.

E Regia bibliotheca unicum Gregorianæ Historiæ codicem habuimus, ab annis circiter 500 scriptum, qui olim, uti inscribitur, fuit *sanctæ Mariæ in Ottemburg diœcesis Maguntinæ*. Nusquam Gregorii nomen exhibet : habet tamen ejus præfationem, sed multa passim omittit capita : quod data opera factum fuisse probant indices libris singulis præfixi. Index nempe primi libri viginti solummodo et sex capita exhibet : et tamen multo plura in ipso libro habentur ; ultimum nempe est quadragesimum, quod editorum tri-

gesimo octavo respondet. Index libri II recenset capita 32 : in libro vero ipso numerantur 56, præter alia quibus nullus præfigitur titulus. Index libri IV habet capita 35, cum eorum summariis, et tamen ipse liber desinit in media parte capitis 11, editorum 16. Nec codex est mutilus aut imperfectus, sed proxime post Gregorium sequitur Chronicum Reginonis eadem manu exaratum. Hi autem sunt quinque codices quos consuluit Cointius : unde merito conqueritur vir eruditus, non nisi codices imperfectos Gregorianæ Historiæ a se visos fuisse.

123. Sextus itaque codex ad quem Gregorii opera contulimus, est monasterii Beccensis in Normannia, ab annis fere 700 exaratus. Nihil in eo penitus desideratur præter primam Gregorii præfationem ; scriptura plana est et æqualis atque optimæ notæ. Septimum habuimus ex monasterio Regii montis in diœcesi Bellovacensi Ordinis Cisterciensis, qui omnes omnino Gregorii Historiæ libros complectitur, præter aliquot ultimi libri extrema capita, quæ, avulsis aliquot e codice foliis, desunt. Vidimus octavum codicem in bibliotheca Vindocinensi chartaceum, et cæteris recentiorem, ut pote qui annos 300 superare non videtur : continet solummodo quinque priores libros, sed omnino integros, excepta Gregorii prima præfatione. Libro v subjunguntur capitula libri VI. At librum ipsum se habere non potuisse conqueritur scriptor, testaturque *opus esse dignissimum, pro scribentis simul et materiæ dignitate.*

124. Nec satis fuit Gallicanos codices evolvere; visum est etiam consulere Italicos. Qua in re suppetias nobis attulit R. P. D. Claudius Stephanotius, Congregationis nostræ in curia Romana procurator generalis, qui varias lectiones, aliaque ad rem nostram conducentia, pro suo more liberaliter ex urbe Roma transmisit. Primus ex codicibus Italicis, cujus notitiam et lectiones varias accepimus, is ipse est Casinensis, quem in Sacro Monte a se et suo socio Michaele germano visum laudat noster Mabillonius Itineris Italici pag. 123, *Gregorii Turonensis Historiam, quæ in nonnullis ab editis differt.* Has differentias cum quatuor capitibus, quæ antea solo titulo nota erant, suis locis damus. Huic addendi duo codices ex Gallia in Italiam a Christina Sueciæ regina transportati, quorum noster Stephanotius copiam habuit. Prior, qui sæculo decimo scriptus fuit, et quidem, uti videtur, in monasterio sancti Launomari Blesensis, hodie servatur in Vaticana bibliotheca, ex dono Alexandri VIII, totamque Historiam complectitur, exceptis præfatione et ultimo libri x capite. Desunt etiam quædam in quarto libro, ex amanuensis oscitantia, qui aliquot paginas vacuas reliquit ; et alia pauca, quæ avulso uno aut altero folio desiderantur. Alter codex, qui olim ad monasterium Floriacense pertinuit, habetur in bibliotheca eminentissimi cardinalis Ottoboni ; cujus beneficio hunc codicem et alia, quæcunque nobis necessaria fuerunt, suppeditavit V. Cl. Franciscus Blanchinus, qui eminentissimi cardinalis in rem litteraria dio ultro obsecundans, nullam occasionem mittit nostris, nostrorumque studiis suppe rendi. Ultimum denique ex bibliotheca Palatina commodavit illustrissimus D. Laur Zaccagnis primus Vaticanæ bibliothecæ p ob edita opera viris omnibus litteratis no vero præterea ob liberalem in studia nostr plurimum commendandus. In hoc autem olim monasterii sancti Nazarii Lauresham ab annis circiter 800 scriptus videtur, mu passim capitula, id est ea omnino eadem, in Thuaneo seu Colbertino desiderari obse Ibi et liber nonus cum decimo confunditu degarii Chronicum sub titulo libri decimi Gregorianæ repræsentatur. Nihil vero ea priorum librorum notis marginalibus ad textum observavimus, quod hujus codicis nondum tunc Roma acceperamus. Similis videtur codex monasterii sancti Trudonis nia, in quo, uti observat Godefridus Hens præmissis ad Vitam sancti Sigiberti, multu desunt. Cæterum plures alios codices vi quidem antiquissimos, qui nonnulla Greg riæ fragmenta sub variis titulis complectu eos suo loco, si forte aliquid observatione eis occurrerit, aut in indice mss. codicum laudare sufficiat.

125. Ea porro fragmenta esse con nemo dixerit, cum e contrario multum v confirmandum germanum Gregorii textu enim excerpta sint ut in officiis publicis l tot sunt rerum veritatis quæ in eis narrant quot fuerunt Ecclesiæ quæ ea in lectionil divini adoptarunt. Hinc cum in plerisque fragmentis *Sermo de transitu sancti Martini* inscriptus, in iisque omnibus sanctus ant *tico et Cæsario consulibus*, ad superos ab stanter dicatur, sicut habent omnes om editi, quam scripti codices Historiæ Gr quis inficiabitur hanc esse veram et sinc gorii lectionem, quam ab annis plusquam Ecclesiæ adhibuerunt ? Codices enim præt vidimus duos ejus antiquitatis, u um scilic beiensi bibliotheca, alterum in archivis ecc'e dralis Andegavensis, characteribus fere M sæculo octavo labente exaratos. Unde licet istum Gregorii locum satis nobis visum fue auctoritate mss. omnium confirmare, rem tero circa extremum sancti Martini annu alii aliis annis assignant, in medio rei m pensis tamen postea diligentius Gregorii certum esse existimavimus, Martinum Ju rii mentem, *Attico et Cæsario consulibus*, e vita, proindeque anno vulgaris æræ 397 stat Atticum et Cæsarium consules fuisse repetit Gregorius in libro de Miraculis s tini, hancque epocham aliis characteribu logicis confirmat, cum sanctum Martini

scribit *secundo Honorii imperatoris anno*, qui etiam anno 397 respondet; et cum Perpetuum sexagesimo quarto post Martini obitum anno in thronum Turonensem subisse commemorat: quod sane verum non esset, si ultra annum prædictum Martini exitus differretur, siquidem Perpetuus anno 461 Turonensi concilio præfuit. Cætera argumenta prætermitto, quæ apud auctores vulgatos habentur. At, inquies, Gregorius in Miraculorum libris annos ab exitu sancti Martini ad suum usque tempus, id est ad annum Childeberti regis currentem, quo scribebat semel et iterum computans, manifeste indicat Martinum anno 400 ad cœlos convolasse. Fateor hanc fuisse Gregorii mentem si huic ejus computo stemus, quod secuti sunt non pauci sequiorum ac recentiorum temporum auctores. Ex his Albericus Trium Fontium in Campania monachus quovis periculo id se probaturum recipit, adhibetque inter alia duo illa Gregorii argumenta, tum ab Attici et Cæsarii consulatu, tum a secundo anno Honorii imperatoris, quod utrumque ad annum 400 æræ Christianæ revocat. At certum est utrumque anno 397 convenire, standumque potius notæ chronologicæ a prædicto consulatu et secundo Honorii anno petitæ, quam alteri a Gregorio prolatæ ab annis regni Childeberti. Longe enim certior et exploratior est prior illa computandi ratio a consulatu, quam a Gregorio adinventam esse nequaquam verisimile est, sed potius ex antiquis Ecclesiæ suæ aliisve publicis monumentis ab eo desumptam. Hanc vero consulatus notam ubi cum annis regum voluit comparare, facile errare potuit in illa temporum obscuritate: cum hodie quoque in hac eruditorum luce hæc concordia non sine negotio iniri possit. Cum itaque in alterutro aberraverit Gregorius, haudquaquam in assignando consulatu aberrasse censendus est: adeoque credere non dubitem, sancti Martini obitum statuendum esse anno 397, cui consulatum Attici et Cæsarii convenire recepta sententia est inter eruditos. Sed jam præfationem prosequamur.

126. Haud minori codicum numero usi fuimus in adornandis Gregorii libris de Miraculis sanctorum, ex quibus tres, et quidem ab annis circiter 800 scripti, omnes omnino libros habent optima manu exaratos. Primum, cum aliis supra et infra memoratis e bibliotheca Colbertina, nobis communicavit V. C. Stephanus Baluzius; secundum ex bibliotheca majoris ecclesiæ Bellovacensis, assentiente venerabili Capitulo, nobis suppeditavit D. de Neuilly ejusdem ecclesiæ canonicus. Tertium denique ex Laudunensi ecclesia, agente sapientissimo viro D. Leleu, consentientibusque cæteris venerabilibus canonicis mutuo accepimus, ad cujus calcem hæc habentur: *Explicit liber octavus feliciter. Adalardus subdiaconus scripsit istum codicem in honore beatissimi Michaelis archangeli.* In altero autem folio legitur hæc epigraphe: *Hunc indignus levita librum Odalricus obtulit Deo et sanctæ Mariæ..... quem si quis quolibet ingenio abstulerit, iram Dei omnipotentis incurrat, et perpetuæ maledictionis anathemate damnatus existat.* Voces quæ deletæ sunt Remensem designabant, uti suspicor, ecclesiam, cui multos alios codices Odalricus contulit, ut ex similibus codicum inscriptionibus patet, qui etiam nunc in bibliotheca metropolitanæ Remorum ecclesiæ asservantur: sed et ecclesia sancti Michaelis ibi etiam nunc in canonicorum claustro subsistit.

127. Præter Colbertinum codicem supra memoratum, tres alios ex eadem bibliotheca habuimus, qui aliquot Miraculorum libros a Gregorio nostro editos complectuntur; ex quibus unus e Tutelensi ecclesia advectus omnes habet præter Vitas Patrum. Totidem, uno de Confessoribus excepto, libros continet vetustus codex sancti Martini apud Turonos, cujus et alterius, e cathedralis sancti Gatiani ecclesiæ bibliotheca, varias lectiones a nostro Edmundo Martenne accepimus. Duos e Claromontensis collegii Parisiensis Ludovici Magni bibliotheca nobiscum seita sua humanitate communicavit R. P. Joannes Harduinus. Unicum e celebri sancti Victoris Parisiensis bibliotheca, nobis suppeditavit V. Cl. Herovallius ejusdem loci canonicus regularis, non minus paterni in litteras amoris quam nominis hæres. Unicum item accepimus ex bibliotheca Gemmeticensi, alterum ex Floriacensi, tertium ex Beccensi, quartum ex sancto Vincentio Cenomanensi, quatuor vero ex nostra sancti Germani bibliotheca habuimus. Nullum integrum e Regia bibliotheca vidimus, sed multa variorum librorum fragmenta, cum uno exemplari omnium librorum de Miraculis, edito quidem, sed in cujus margine variæ lectiones manu V. Cl. Petri Pithœi descriptæ passim occurrunt. Præterea varias lectiones habuimus, quas e duobus codicibus mss. collegit vir illustris memoriæ Jacobus Sanbovius, presbyter et doctor Sorbonicus, vel suo nomine celebris. Alias lectiones ex codice Romano Christinæ reginæ Sueciæ debemus Stephanotio nostro, qui codex omnes ferme Miraculorum libros comprehendit. Huic jungendus codex Vaticanus e Palatina bibliotheca annorum 800, qui olim fuit monasterii Weingartensis in Suevia, in quo habetur liber de Gloria confessorum. Cæteros pro opportunitate suis locis laudabimus, sicut et eos qui vel vitas aliquot singulares solummodo continent, aut certe quasdam singularia capita. Ad quos vero codices singuli libri collati fuerint, inferius in Indice particulari dicemus.

128. Nec minori cura varias Gregorii operum editiones inquisivimus et evolvimus, cum certum sit ex ejusmodi libris inter se collatis nonnunquam multa haberi posse ad illustranda veterum opera. Omnium autem prior Gregorii editio, quam quidem noverimus, Parisiis in lucem prodiit anno 1511 ex Joannis Parvi officina, curis Hieronymi Clichtovei Neoportuensis, qui illam Guillelmo Parvo nuncupavit. Complectitur autem, præmissa Gregorii nostri Vita, libros duos de Gloria Martyrum et quatuor de Virtutibus sancti Martini cum epistola de septem Dormientibus, quæ epistola in aliis etiam editis Gregorio nostro

tribuitur. Anno sequenti reliqua ejusdem auctoris opera, ipso curante Guillelmo Parvo, qui tunc a confessionibus Ludovici XII regis erat, edita sunt typis Jodoci Badii.

129. Anno 1561 Guillelmus Morelius regis typographus novam Gregorii editionem aggressus est, cujus curis Historia Gregorii lucem aspexit, ad codicem ms. bibliothecæ sancti Martini Turonensis, ut ipse testatur, emendata; additis etiam ad calcem nonnullis variis lectionibus. Idem postea Morelius anno 1563 alio volumine libros duos de Gloria Martyrum, et librum de Gloria Confessorum publici juris fecit ex vetustis, uti ait, et mss. codicibus.

130. Haud multo post, Gregorii editio in Germania primum visa est, quam Mathias Flaccus Illyricus, ad veterem codicem sancti Nazarii in *Lorischem* eam adornasse testatur. Prodiit Basileæ apud Petrum Pernam, non anno 1558, ut mendose prima pagina habet, sed anno 1568, ut ex epistola nuncupatoria colligitur: et quidem typographus in fine libri Morelii editionem laudat, quæ anno 1561 in lucem prodiit. Eodem sæculo septem, id est omnes, exceptis Vitis Patrum, Miraculorum libri Coloniæ editi sunt anno 1583, typis Materni Cholinii.

131. Eodem anno 1583, R. Laurentius de la Barre collectionem veterum auctorum sub titulo Historiæ Christianæ veterum Patrum edidit Parisiis apud Michaelem Sonnium, in qua inter alia opuscula Gregorii nostri Historiam inseruit, cum tribus Miraculorum libris, id est duos de Gloria Martyrum, et librum de Gloria Confessorum. At sexennio postea, id est anno 1589, Margarinus de la Bigne, doctor Parisiensis e societate Sorbonica, Bibliothecam sanctorum Patrum priore quam ante aliquot annos curaverat multo ampliorem edidit, in qua inseruit omnia Gregorii nostri opera, quæ exinde in sequentibus Bibliothecæ Patrum editionibus, doctorum scilicet Coloniensium anno 1618, et Lugdunensi anno 1677, locum habuerunt.

132. Decimo currentis hujus decimi septimi sæculi anno duæ iterum Gregorianæ Historiæ editiones prodierunt Parisiis: una Latine ex Laurentii Bochelli bibliotheca, cum variis lectionibus ex ms. Oseliano et aliis ejusdem Bochelli membranis, ad libri calcem adjunctis; altera vero Gallice, ex versione Claudii Bouveti Delphinatis, quam editionem curavit V. Cl. *d'Hemery d'Amboise* libellorum supplicum magister, præmisso Gregorii Historiæ prolixo prooemio, in quo potissimum ejus auctoris ad confutandos novorum hæreticorum errores utilitatem demonstrat. Has anno 1613 secuta est Marquardi Freheri editio, ad codicem Palatinæ bibliothecæ adornata, in Historicorum Franciæ collectione, quam Hanoviæ typis Wechelianis fieri curavit. Denique Andreas Duchesne, vir eruditione celebris et de gentis nostræ Historia bene meritus, nostro sæculo ineunte collectionem amplissimam omnium auctorum, qui de Francorum gente aliquid scripserunt, aggressus, primum ejus tomum anno 1636 edidit, in quo inter cætera diversorum auctorum opera Historiæ rii ad quinque codices mss. exactæ principem concessit: quæ editio cæteris videtur esse ac et emendatior. Quadriennio postea, anno 1640, Joannes Baleydens in senatu Parisi vocatus, octo Miraculorum libros cum hist ptem Dormientium edidit Parisiis, quos lib ad codices mss. expurgatos et emendatos f præfatione testatur. His denique omnibus edi adjiciendis est Gallicana, omnium omnino operum lingua nostra donatorum, et notis torum, quæ in lucem prodiit curis Michaelf lii abbatis Villalupensis, Parisiis ex Fredei nardi officina, anno 1668, duobus voluminil

133. Has sunt Gregorii Turonensis operum editiones, tum Latinæ tum Gallicæ, quas v enit, quibusve cum mss. codicibus collatis nostram adornandam usi fuimus. Præter l suluimus etiam virorum illustrium opera, occasione data, aut ex professo Gregorii n bros, hoc potissimum sæculo, illustrarunt. est inter alios Hadrianus Valesius, qui vita pene totam in gentis nostræ Historia ill transegit: cujus tomi tres, quos rerum F rum Historiam nuncupavit, in lucem pro Haud minus est utilis ejus Notitia Galliaru quorum auctorum monumentis et testimo ferta. Res Francorum, potissimum eccles illustrandas suscepit Carolus Cointius Orat licani presbyter, quas septem tomis comp sub Annalium Francorum titulo: octavum schedis edidit V. Cl. Gerardus *du Bois*, p per vitam licuisset, uti sperabamus, daturu abstrusas et alia ejusmodi exposuit vir clara riæ Carolus Fresnius Cangius in laudatissi sario. Complura explanavit illust. vir Ille Bignonius in notis ad Marculfi monachi f Multa item illustravit et emendavit V. Cl. S Baluzius tum in capitularibus regum, tum operibus, quæ summam ejus eruditionem t Quæ vero ad ecclesiasticam disciplinam sub prima regum nostrorum stirpe, ex Gre tissimum operibus elucidavit Ludovicus T nus. Multa item debemus Joanni Savaron montano, in patria subsidiorum curia præ passim in notis ad Apollinarem Sidonium e ginibus Claromontanis Gregorii nostri o et illustrat. Neque omittendus est V. Cl. Dadinus Alteserra in Tolosana academia a celeberrimus, qui notas et observationes in Turonensis Historiam et Fredegarii Chro singulari opere edidit Tolosæ anno 1679. autem prodesse possit in Gregorio illustr Joannis Mabillonii insignis liber de Re dipl nemo est qui nesciat, si vel semel egregi opus evolverit. Sed plura vetat dicere optim tri mei modestia, qui et in liturgia Gallica que in suis elucubrationibus gentis nostræ et antiquos mores ex Gregorii verbis plurim

mendavit. Ei, si quid in hac editione, aut in aliis opellis meis, utile occurrat rei litterariæ, totum me debere profiteor. Cæteros vero auctores singillatim non recensebo : laudantur enim quique suis locis. Nunc de Fredegario paucis dicendum.

V.— *De Fredegario et ejus operibus.* — 134. Quis Fredegarius fuerit difficile est dicere, cum ne quidem ejus nomen certum habeatur. Fredegarius tamen vulgo dicitur, et sub eo nomine laudatur passim : sed unde, viri eruditi hoc sibi incompertum esse fatentur. Hoc quippe nomen ne unicus quidem codex, qui scilicet notus sit, præfert. Immo laudat Hadrianus Valesius codicem unum, qui Fredegarii vulgati opera alteri, nempe *Idatio* cuidam, tribuit. Sed is codex alius non est a Sirmondiano, in quo *Adatii* quidem nomen occurrit, sed ducentis circiter annis exaratum post codicem scriptum, id est sæculo circiter nono, ut ex characteris forma æstimare licet. Titulus autem ille a nescio quo codici additus, sic habet, *Breviarium scarpsum ex Chronica Eusebii, Hieronymi, aliorumque auctorum a quodam Adatio.* Cui scriptori, quisquis ille fuerit, fucum fecit, ut ipse quoque Valesius observat, Idatii Chronicum, quod Fredegarii collectionis pariem constituit, cum epistola ipsi præmissa sub *Udacii* seu *Idacii* nomine, in qua ille se superius scripta ex Eusebio et Hieronymo collegisse profitetur ; sequentia vero a se exposita fuisse. At hæc dicta erant ab Idatio de suo Chronico, quod in Fredegarii collectione locum habet : quæ tamen posterus scriptor ad totam collectionem extendit. Nec aliud ex Rigordo deduci potest, qui in Philippi Augusti Vita generationes regum se comprobasse scribit *secundum Chronicas Idacii et Gregorii Turonensis;* idque ex ipsius Rigordi scriptis facile comprobatur. Ipse enim paulo superius de Francorum origine tractans, ait se ea de re sollicite inquisivisse *ex Historia Gregorii Turonensis, et ex Chronicis Eusebii, et ex Chronicis Idatii, et ex aliorum multorum scriptis.* Tum ea refert quæ de Francorum ex Trojanis origine, et alia quæ in Fredegarii collectione partim sub Eusebii seu Hieronymi nomine, partim sub aliis titulis habentur. At Idatium a Fredegario, seu ab auctore collectionis quæ sub Fredegarii nomine habetur, alium esse unico hoc argumento evinci potest. Qui in sua præfatione se Idatium sequi profitetur, ejusque opera non semel laudat, immo et Chronici ipsius epitomen facit; quique Gregorium et Isidorum auctores Idatio posteriores in epitomen redactos suæ collectioni inseruit, hic procul dubio ab Idatio distinguendus est. Hæc autem omnia præstat collectionis auctor, ut ejus scripta testantur, et ipse in præfatione Chronici declarat. *Itaque*, inquit, *beati Hieronymi, Idatii et cujusdam sapientis seu et Isidori, immoque et Gregorii Chronicas a mundi origine diligentissime percurrens, usque decedente regno Guntchramni, his quinque Chronicis hujus libelli... inserui.* Si quis vero Idacium seu Adacium aliquem introducere voluerit hujus collectionis auctorem, alium ab Idatio Chronici scriptore, qui Gregorio nostro ætate posterior fuerit, proferat argumenta ad id evincendum sufficientia, nosque ei ultro subscribemus. Interim virorum eruditorum vestigiis adhærentes, collectorem nostrum Fredegarium scholasticum appellare pergemus, maxime cum absque aliqua gravi ratione putandum non sit hoc ei nomen temere tributum fuisse a viris eruditis, quos Josephus Scaliger innominatos laudat. Ipse enim Scaliger et Marquardus Freherus primi sic eum appellasse inveniuntur.

135. Fredegarium Burgundionem fuisse Valesius et Cointius censent : quibus facile subscribimus, et quidem id ex ejus scriptis suaderi potest. In prioribus quippe suæ collectionis partibus Burgundionum in Gallias adventum narrat, nonnullaque haud contemnenda et singularia de hac gente habet, quæ nec apud Gregorium, nec apud alios auctores occurrunt. In Chronico autem, qui proprius illius est fetus, multo accuratius et fusius quam cætera prosequitur ea quæ ad Burgundiæ regnum spectant, et librum suum a Guntramni Burgundiæ regis laudibus inchoat, multaque de ejus virtutibus subjungit, atque annorum seriem deducit ex Burgundiæ regibus. Primo quippe res gestas per Guntramni annos designat ; nec Childeberti annos recenset, priusquam Guntramno defuncto successisset in Burgundiæ regnum ; indeque omissis annis, quibus idem Childebertus regnaverat in Austrasia, annos ejus ab inito Burgundiæ regno computat. Sic post Childeberti mortem, posthabito Theodeberto Austrasiorum rege, licet natu majori, annos Theoderici, cui obtigerat Burgundia, denotat : nec Chlotarii annos expressit priusquam exstinctis Childeberti filiis Burgundiam accepisset. Eumdem patriam Aventicum habuisse suspicatur Valesius, ob singularia quædam hujus urbis, quæ ille fusius narrat. Hæc enim urbs tunc ex Burgundia censebatur, quippe quæ primum Helvetiorum caput fuerat, ut ex vetustis Notitiis patet, deinde Transjurensibus attributa, tandem Burgundiæ regno accesserat. Transjurenses autem duces memorat passim Fredegarius, eorumque gesta nonnunquam describit. Deinde Aventicæ urbis laudes fuse prosequitur, quam post repressam Germanorum rebellionem, ut ipse scribit, Flavius Vespasianus exædificari, seu potius restaurari jussit, et inchoatam Tito filio suo perficiendam commisit, quod cum ille fuisset exsecutus *gloriose, ornata et nobilissima in Gallia facta est.* Ejus denique cladem, quam Gallieni temporibus a Germanis est perpessa, unicus auctor enarrat.

136. Hujus auctoris ætas ex ipsius scriptis deducenda est : sed prius scripta illius sincera ab adscititiis, et quidem codicum manuscriptorum auctoritate, secernenda sunt : quare quæ in singulis codicibus habeantur examinare juvat. Ex codicibus manuscriptis et editis liquet, Fredegarium, seu quemlibet alium, qui sub hoc nomine hodie notus est, auctorem, ex variis antiquorum excerptis collectionem historiarum fecisse, cui rerum tempore suo gestarum narrationem adjunxit. At cum varia in variis codicibus opuscula hæc collectio complectatur non adeo facile

est ea, quæ a primo auctore collecta sunt, certo definire. Quanquam illud omnino extra dubium esse videtur, Gregorii epitomen et Chronicum ei subjunctum sinceros esse hujus auctoris fetus; cum hæc opuscula, etsi Chronicum in aliis codicibus prolixius, in nonnullis vero brevius exstet, in omnibus omnino exemplaribus habeantur. De aliis hujus collectionis partibus dicendum.

137. Codex V. Cl. Jacobi Sirmondi, quem modo Claromontanum appellant, quod in Parisiensi Ludovici Magni collegio Claromontano asservetur, sæculo septimo scriptus, id est vivente collectionis auctore, primo chronologicum opus exhibet sub titulo *libri generationum*, a mundi creatione ad regnum Assyriorum. Tum subjunguntur varii catalogi, nempe Romanorum imperatorum ab Augusto ad Alexandrum, cognomento Severum, regum Hebræorum, etc.; subsequuntur annorum supputationes ab Adamo ad Christum natum. Tum catalogus Romanorum pontificum a sancto Petro ad Theodorum, qui manu paulo recentiori exinde continuatur ad Hadrianum I. Denique breve chronicum subjicitur a mundi exordio ad annum 31 Heraclii imperatoris, atque hi catalogi et supputationes recensentur in indice, qui initio libri præfigitur. Hunc eumdem librum habet codex unus Canisii, minor ab eo dictus, et sic eum deinceps appellabimus, exceptis catalogis aliisque computis, quæ tamen omnia amanuensis vitio in illo codice omissa fuisse patet ex præfatione, in qua, sicut et in codice Sirmondi, auctor se inter multa dicturum pollicetur de ejusmodi rebus. Porro hic liber abest omnino a codicibus Canisiano majore et Boheriano, cujus loco hi exhibent libellum Quinti Julii Hilarionis, qui in Bibliotheca Patrum editus est.

138. Liber secundus Fredegarianæ collectionis sic absolute in codice Sirmondi habetur, absque titulo alio: *Incipit capitolare Chronece Gironimi scarpsum.* Continet capita 62 a Nini regno usque ad Belisarii mortem. Hic idem omnino liber habetur in codice minore Canisiano sub hoc titulo: *Incipiunt capitula Chronicæ Jheronymi excarsum*, et in Boheriano, ubi *Incipiunt Chronecæ Hieronymi.* Sed in utroque codice interseritur *Historia Daretis Frigii de origine Francorum*, omnino fabulosa, alia tamen ab ea quam sub hujus auctoris nomine in codice ms. sancti Albini Andegavensis nuper vidimus. Porro librum hunc codex minor Canisianus in duos partitur. Primum appellat *librum II generationum*, quem epistola Idatii concludit; alterum vero *librum Chronicæ tertium.*

139. Liber tertius titulo caret in omnibus omnino manuscriptis; sic absolute incipit in codice Sirmondi: *Incipit præfatio Gregorii. Decedente*, etc.; tum, *Incipit capetolares libri quarti, quod est scarpsum de Chronica Gregorii Episcopi Toronaci, in Christi nomine fiat.* Deinde *Caput I de Chunis*, etc. Is liber est Historia Gregorii epitomata, quæ edita est. Error autem amanuensis esse videtur quod hic *libri quarti,* scrip erit, ut ex præcedenti et subsequenti hi picuum fit; nisi hic error ex ejusdem scrip cetantia processerit, qui incaute, nec satis a ad divisionem quam auctor in prioribus lib tuerat, libros sequentes modo secundum modo tertium quartum appellaverit. Et quid Canisiani minoris calculum reipsa liber iste tus, cui consentit codex Ambrosianus apud cium tomo II Bibliothecæ Vindobonensis qui sic habet: *Incipit præfatio Græca Libr* At codex Boherianus, qui ad calcem præce bri habet: *Explicit liber primus*, isti quoq junxit: *Explicit liber secundus.* Initio autem rat: *Incipit præfatio græca.* Tum: *Capitul est excarpsum de Chronicis Græc. episc. Th Incipit liber. Cumque Vandali*, etc. Similem exstitisse in minori Canisiano ex eo colligim ille pro suo more omisso capitulorum indic libro præfixerit: *Incipit præfatio libri quarti tum de Chronica Græca Thoromachi episcopi* mans hunc librum excerptum fuisse et Latinit tum ab auctore sæculi noni ex Chronico Th cujusdam episcopi Græci, quod falsum esse ja nescit.

140. Post Gregorianæ Historiæ epitome Canisianus minor habet Juliani Hilarionis quem nonnulli codices, ut supra obser primo loco exhibent. In Boheriano vero codice post epitomen sequitur Chronicum sub titulo *Chronecæ.* At codex Sirmondi habet: *Incipit cujusdam sapientis*, quanquam nec ipse prolo aliud quidquam ejus loco ibidem exstat, se spatio relicto exhibetur Fredegarii Chronici missо hoc titulo: *Incipit capitularis Cron quarti in Christi nomine.* At post capitum in prologum habet: *In nomine D. N. J. XI Chronica sexta. Guntramnus*, etc., ut in editis tem Flacoati relatam capite 90; quod capu gariani Chronici ultimum esse infra demonstr quanquam nonnulli alii codices plura habe vero post illud Chronicum et ejus continuat bent alii codices, at Sirmondianus librum se exhibet sic inscriptum: *In nomine Sanctæ T incipit liber I i I.* ΚΡΩΝΗΚΩΡΩΜ *sci. Esedori mus ex Hsis Julius Africanus sub imp. Marc Antonio*, etc. In fine autem: *Explicit liber br temporum a sancto Hesidoro collectum juxta fidem ab initio mundi usque quadragensea Chlotacharii regis.* Et sic codex desinit.

141. Hæc porro fusius persequi visum est cera Fredegarii opera perspecta habeantur. h colligimus, eum historicam collectionem ab i di exordio ad Guntramni ætatem ex variis a Chronicis adornasse, cui postea sui tempor riam adjunxit. Id ipsum profitetur in præfat nico præfixa, quam col. 586* edidimus. *Itaqu*

* Hic et infra, quoties aberit parenthesis, revocatur lector ad numeros inter textum crassiori ch expressos. EDIT.

beati Hieronymi, Ydacii et cujusdam Sapientis seu et Isidori, immoque et Gregorii Chronicas a mundi origine percurrens usque decedente regno Guntchramni, his quinque Chronicis hujus libelli..... inserui. Transacto namque Gregorii volumine temporum gesta.... quæ postea mihi fuerunt cognita... legendo simul et audiendo, etiam videndo cuncta quæ certificatus cognovi, in hujus libelli volumine scribere non silui. Hujus vero collectionis integræ unum et eumdem esse auctorem, præter præfationem et codices vetustos, probat ubique styli uniformitas, idem epitomatoris genius, sermo ubique æqualis et sibi similis, id est incultus plane ac barbarus, quoties auctor suo ore loquitur, nec verbis utitur alienis. Varietates vero illæ, quas in assignandis singulis libris codices etiam vetustissimi habent, ex amanuensium incuria, ut jam diximus, videntur processisse. Cæterum etsi nullum scriptorem Hieronymo vetustiorem laudet ille auctor, ex quo suam collectionem consarcinaverit, antiquiores tamen excerpsisse res ab eo narratæ probant, cum Julium Africanum, ex quo multa excerpsit Eusebius, Hieronymi, aut Eusebii quem Hieronymus continuavit, nomine comprehendisse extra dubium esse videatur. Quare antiquum aliquem auctorem alium ab Africano, qui tempore Alexandri Severi vixerit, ut visum est viris aliquot eruditis post Henricum Canisium et Marcum Welserum, admittere non videtur necessarium; quanquam præter Julium Africanum, alios quoque auctores Græcos recentiores ab eo auctore collectos fuisse existimat Hadrianus Valesius. Id unum certi hac in re statui potest, hunc auctorem collectionem suam ex Hieronymi Chronico aliisque auctoribus, quos ex ejus præfatione laudavimus, potissimum adornasse, admixtis tamen passim ex aliis auctoribus qui in ejus manus venerant, narrationibus.

142. Major esset, et quidem majoris momenti circa collectoris ætatem difficultas, nisi jam a Valesio, Cointio, et aliis viris eruditis illustrata fuisset. Etenim cum Fredegarii Chronicum in variis codicibus ad varia tempora protendatur, mirum non est si non eadem omnium fuit de ejus auctoris ætate sententia. In plerisque editis, ubi sub libri XI Historiæ Francorum, aut certe Appendicis ad Gregorii Historiam titulis exstat, usque ad Caroli Martelli mortem pertingit. Consentiunt codices tres scripti, qui illud, ut sæpe diximus, sub libri decimi Historiæ Gregorii Turonensis nomine repræsentant. Ii sunt codex Colbertinus, qui sub Thuanei nomine celebris est apud Cointium; alter ex Vaticana bibliotheca; et tertius, si tamen a Vaticano distinguendus sit, Nazarianus ex bibliotheca Archipalatina, quo se usum fuisse testatur Marquardus Freherus: quibus unus, nisi fallor, addendus est ex Canisianis. At cum ipse Canisius in altero e suis codicibus Chronicum istud ad Pipini mortem usque porrectum invenisset, non solum additionem istam tomo II lectionis antiquæ inseruit, sed etiam inde sumpsit occasionem totum hoc Chronicum, immo et totam Fredegarii collectionem auctori anonymo tribuendi, qui sub Carolo Magno vixerit; atque eam sub hoc titulo reipsa vulgavit; quem secutus Marquardus Freherus, Chronicum sub unico Fredegarii nomine ad idem tempus continuatum edidit. Verum aliam iniit viam Andreas Chesnius, qui tomo I Historiæ Francicæ scriptorum idem Chronicum inseruit sub Fredegarii nomine, quod jubente Childebrando Pippini patruo scriptum fuit, et curante Nibelungo ejusdem Childebrandi filio ad Pippini mortem continuatum, quasi primarius scriptor Fredegarius Chronicum illud integrum Childebrandi jussu scripserit usque ad Pippini inaugurationem, ipsumque postea aut idem Fredegarius, aut alius quivis ad ejusdem regis obitum Nibelungo jubente protraxerit. At falsus est vir eruditus, deceptus inscriptione codicis Petaviani, quam dedimus columna 685, ex qua quidem Fredegarii Chronicum Childebrandi curis continuatum, aut certe continuatores in unum corpus redactos fuisse inferri poterat, non vero tunc primitus conscriptum. Fredegarium enim, vel quisquis est alius Chronici hujus auctor, Childebrando antiquiorem fuisse, et Chronicum suum anno 641 conclusisse jam probarunt viri eruditi validissimis rationibus, quas nos hic breviter perstringemus, additis aliquot argumentis, quæ rem, ut quidem mihi videtur, conficient.

143. Fredegarii Chronicum ultra annum Chlodovei junioris 4, id est vulgaris æræ 641 non pertigisse, atque adeo in capite 90 desiisse evincitur ex codice Sirmondi seu Claromontano, qui circa istud tempus exaratus est. Idque probatur non tantum ex characteris quadrati forma et majusculis litteris, quibus scriptus est, verum etiam ex illis rebus quæ in ipso continentur. Nam catalogus pontificum Romanorum, qui, ut supra dicebamus, in primo collectionis libro insertus est, desinit in Theodoro, qui Romanæ Ecclesiæ ab anno 642 ad 649 præfuit. Sequentes autem pontifices ad Hadrianum I recensentur, sed alia, et quidem paulo recentiori manu. Consentit imperatorum Romanorum series, quæ ad trigesimum primum Heraclii imperii annum, id est ad vulgaris æræ 641 deducitur, ac proinde ad ipsum Chlodovei junioris annum quartum, quo Chronicum terminari contendimus. Ad idem ferme tempus res Hispanicæ describuntur ex Isidori Chronico: cujus clausula, quam supra ex eodem codice retulimus, annum 40 Chlotarii regis indicat, id est Christi 623. Eamdem codicis antiquitatem demonstrat vetus inscriptio, quæ in ultima pagina characteribus Merovingicis apposita est, sed fugientibus litteris ob vetustatem pene detrita, cujus reliquias hic describere visum est. *Invenit Lucerios presbeter monacos dom.... tuma.... per ista croneca, et per alia croneca..... quod septuogenta anni sunt..... sus quod sextus miliarios d..... esse explitos conputavit ipsos annos in upen..... in indictione exsieue tertia d..... o quarto Dagoberto regnante.* Ex quibus fragmentis colligimus, Lucerium illum monachum annorum summam computasse anno *quarto Dagoberti, indictione* XIII: quod de Dagoberto,

non primo, sed tertio, quem alii secundum dicunt, haud dubie intelligendum est, cujus annus quartus cum anno Christi 715 coincidit. Proindeque hoc ipso anno jam scriptus erat codex Claromontanus, id est priusquam Fredegarii Chronicum continuaretur. Cæterum eamdem inscriptionem in codice Claromontano, aut certe in altero simili viderat Philippus Labbeus, qui in epitome chronologica ad annum 715, se vidisse testatur antiquum codicem ms. in quo indictio XIII mense Augusto cum anno quarto Dagoberti regis composita erat.

114. Alia sunt insuper indicia non pauca, quæ sincerum Fredegarii Chronicum in capite 90 desinere haud obscure insinuant. Nam et alii codices qui totam Fredegarii collectionem continent, etsi continuatores Chronico subjunctos exhibeant, quasdam tamen præferunt notas, quæ diversa esse opera innuunt. In his Boherianus codex spatium aliquod inter caput 90 et continuatores reliquit. Quin et in capitum indice non plura quam 90 indicantur. Eadem habet Fredegarii editio a Marquardo Frehero adornata. Aimoinus plura non viderat, ut observat Henschenius in Vitam sancti Sigiberti tomo I Februarii, ubi et laudat codicem Melchioris Goldasti ab annis circiter 600 conscriptum, in quo Chronicum Fredegarii capitibus omnino 90 concluditur, apposita etiam vulgari clausula *explicit*, quæ opus perfectum indicat. Aliæ item sunt continuatorum a primo Chronici scriptore differentiæ. Fredegarius res gestas per annos regum Burgundiæ digesserat, unamquamque suo loco et suo tempore referens. Ast qui primus post caput 90 continuavit, compluribus omissis, posthabita annorum et regum serie, multa in unum congerit. Sigiberti gesta quæ Fredegarius inchoarat, penitus omittit, et ne unum quidem verbum de ejus obitu habet, aut de filii ejus Dagoberti fortuna, qui Grimoaldi factione in Scotiam transportatus, et postea a regni proceribus revocatus, regnum paternum aliquandiu obtinuit. Ad hæc annorum fere centum res gestas magni momenti quatuor aut quinque pagellis conclusit. Qui vero eum secuti sunt alii continuatores, qui suo quisque modo res gestas enarraverunt. Horum aliquos ex Austrasia fuisse probat maxima in Austrasiorum reges et principes propensio. Denique nihil de Langobardorum et Gotthorum regibus, allisque vicinarum gentium principibus habent, quorum tamen seriem et insigniora facta referre solebat Fredegarius.

115. Cum itaque constare debeat, sincerum Fredegarii Chronicum ultra capita 90 protendi non posse, visum est ipsum hac in nostra editione a suis continuatoribus, immo et ipsos continuatores diversos, qui antea in unum confundebantur, ab invicem secernere. Quatuor in partes Chronici Fredegarii continuationem dividendam esse censemus, quod patet tum ex styli diversitate, tum ex alio et alio res gestas enarrandi modo, immo et ex scriptorum ætate, quæ nonnunquam indicatur. Pars prior caput 91 et quinque sequentia complectitur, minimæ omnium auctoritatis ut pote quæ post alias partes addita videtur a consarcinatore, ut hiatum, qui inter Fredegarii Chronicum et secundæ partis auctorem interjacebat, suppleret. Ad id usus est ille auctoribus antiquis quidem, sed fabulosis : unde res plurimum ab anno 642 ad 680, quos complectitur, confuse referuntur. Secunda pars quæ incipit capite 97 desinit in media parte capitis 109, his verbis *Regnum Francorum;* cujus auctor res potissimum in Austrasia gestas ab anno 680 ad 736 narrat, et quidem satis accurate. Ætatem suam prodit capite 109, ubi annorum curricula replicans, se kalendis ipsis Januarii anni 735 scribere indicat, qui annus juxta nostrum computandi modum a Januario incipiens 736 censeri debet. Pars tertia a capite 109 ad 118 continuatur, id est ab eo tempore quo prior desiit, ad Pippini regis inaugurationem, quæ anno 752 facta est. Hanc jussu Childebrandi ejusdem regis patrui scriptam fuisse jam monuimus, ex veteri inscriptione, unde etiam ab auctore æquali eam fuisse exaratam colligimus. Reliqua vero quæ sequuntur ad Pippini obitum, quo tota collectio absolvitur, jussu Nibelungi Childebrandi filii conscripta fuisse indicat eadem inscriptio. An vero idem ipse sit auctor, qui tum Childebrandi, tum Nibelungi jussu scripserit, ex inscriptione divinare non licet, nec rescire multum interest. Is est forsitan ipse, qui has omnes continuationes in unum corpus redegit, adjuncta ex Gestis Francorum et Anonymo Dionysiano prima parte, ne inter Fredegarium et secundum continuatorem hiatus esset annorum triginta et novem. Certe id innuere videtur sæpe laudata inscriptio. Et quidem omnes has chronicorum partes unum historiæ corpus jam sæculo nono confecisse patet ex codice Jurensi, a Mannone ejus loci præpósito sub exitum sæculi noni ad sancti Eugendi sepulcrum oblato, quo in codice hi omnes continuatores simul juncti exhibentur. Sic etiam eos exhibent duo alii codices, Boherianus scilicet optimæ notæ ab annis 600 scriptus, et alter eorum, ex quibus Canisius editionem suam adornavit. Chronicum tamen Fredegarii seorsim a suis continuatoribus, immo et singulas continuationis partes sub suis quasque titulis edidimus, ne tot auctorum confusio lectoribus negotium aliquod facesseret. Ultimam vero partem, quæ nulla hactenus capitum divisione distincta fuit, in varia capitula ob legentium commodum partiri visum est.

116. Ex his autem omnibus quæ diximus, Fredegarii ætatem colligere non admodum difficile erit. Cum enim Chronicum ejus anno 641 concludatur, passimque, et potissimum in præfatione, asseveret ea quæ audierat ipse et viderat, aut certe legerat, vel aliunde *certificatus* cognoverat se esse scripturum, nemo est qui inficiari possit eum sæculo septimo labente floruisse. Vitam quippe ad annum saltem 658 protraxisse colligimus ex capite 48, ubi Samonem quemdam negotiatorem Francum in Sclaviam abiisse memorat anno Chlotarii 40, id est æræ vulgaris 623 ibique electum in regem annos 35 imperasse. Ex his etiam quæ diximus de Fredegario, colligi debet, hunc auctorem magno in pretio apud viros eruditos haben

dum, ut pote vetustissimum, oculatum et unicum, deficiente Gregorio, gentis nostræ historiæ scriptorem. Unde si qui auctores forte occurrant, qui eum ægre laudatum voluere, vel de ejus collectionis prioribus libris intelligendi sunt, aut certe styli barbariem, modumque res enarrandi plane impolitum attenderunt, vel denique Chronicum ejus ad Pippini mortem usque pertigisse existimaverunt. Etenim si de sincero ejus Chronico agatur, quod, ut probavimus, ultra Flaccati mortem capite 90 relatam non protenditur, nemo est qui ipsum probare non debeat. Ita sentit Hadrianus Valesius, qui cum primum Chronici continuatores a Fredegario non distinxisset, styli ejus barbarie offensus, rerumque scriptarum brevitate, eum non modo indoctum pronuntiavit, sed et am, ut pote *linguæ Latinæ grammaticæque ignarum ac plane barbarum usque ad fastidium et horrorem legentium*, exosum habuit. At postmodum re attentius inspecta, cum codicis Sirmondiani ope Chronicum Fredegarii sincerum a cæteris secrevisset, in laudes statim Fredegarii erupit, rejecta in temporis vitium auctoris in dicendo et narrando brevitate : *Fredegarius*, inquit, *ita est Historiæ nostræ necessarius, ut si tempora Chlotarii minoris, Dagoberti ac Chlodovei II nota habere volumus, prorsus eo carere non possimus.* Fatetur alibi nullum fuisse gentis nostræ historicum, qui ejus verba suos in commentarios non retulerit. Denique cum ad annum 641 in Historia rerum Francicarum pervenisset. Fredegario sibi deficiente sic conqueritur : *Fredegarius scholasticus nos in eo anno destituit, historicus pro captu illorum temporum diligens, ut ætate, sic auctoritate Gregorio proximus, et in magna bonorum auctorum inopia utilis ac necessarius, nec usquequaque contemnendus, cujus brevitas et cætera omnia vitia temporibus imputari debent.* Hæc ille, cui facile subscribent quivis veterum rerum Francicarum sinceri amatores.

147. In emendando autem Fredegario, codicibus manuscriptis potissimum quatuor usi fuimus. Primus ex illis, codex Jacobi Sirmondi vulgo appellatus, hodie in bibliotheca Collegii Parisiensis Soc. Jesu Ludovici Magni asservatur, quo nobis pro sua humanitate, quantum libuit, utendum permisit R. P. Joannes Harduinus, eumque ut pote auctoris ætate, ut supra diximus, scriptum diligentissime de verbo ad verbum contulimus. Secundum habuimus ex bibliotheca illustrissimi viri Boherii in Divionensi senatu præsidis infulati. Hunc codicem cum editis primum contulit noster domnus Odo Clergerius Divione apud sanctum Benignum; sed postea ipsummet codicem coram videre ac evolvere licuit, beneficio Cl. viri D. Boherii de Saviniaco, qui patris et avi in litteras amoris non minus quam cæterarum dotum successor, dum Parisios attulit, nobisque utendum commodavit. Tertium, qui in bibliotheca Colbertina asservatur, V. Cl. Stephano Baluzio humanissime concedente accepimus. Quartam denique e Laureshamensi sancti Nazarii monasterio in Vaticanam bibliothecam delatum, cum editis contulit noster domnus Claudius Stephanotius, indefessus studiorum nostrorum adjutor. His codicibus addendi duo ex quibus Canisius suam *Thoromachi*, ut vocat, *collectionem historicam chronographicam* edidit, et tertius e Palatina bibliotheca a Frehero collatus : quos omnes, ac editiones varias quas consuluimus, infra in peculiari indice codicum recensebimus.

148. Pauca supersunt quæ de monumentis in Appendice ad hujus voluminis calcem superaddita dicamus, cum eorum omnium index suo loco proferatur. Ea vero selegimus ex vetustis auctoribus et variis Historiarum collectionibus, quæ aut a Gregorio nostro laudantur, aut multum prosunt ad opera ejus illustranda, e quibus pauciora quidem e mss. de novo eruta sunt, sed pleraque ad vetustos codices collata, et passim emendata : ex quibus mss. unus est Corbeiensis, ætate Gregorii exaratus. Denique subjunximus brevem conditionis monasterii nostri sancti Germani a Pratis historiam, quod illud sit Childeberti regis illustrissimum pietatis ac munificentiæ monumentum, in cujus basilica ipse cum nonnullis aliis regibus sepulturam habet. Æri etiam incidi curavimus iconem tumuli Fredegundis reginæ, atque alias istius ævi reliquias, quæ multum conferunt ad illustrandam eorum temporum historiam.

149. Jam tandem finis imponendus est Præfationi nostræ, fortasse prolixiori; atque exhibenda Vita sancti Gregorii episcopi Turonensis, absque auctoris nomine jam edita, quæ in nonnullis antiquis codicibus Odoni abbati tribuitur. Sic enim in codice sancti Sergii Andecavensis inscribitur, *Prologus domni Odonis abbatis. Omnium*, etc. *Incipit vita edita ab Odone abbate.* Idem in fine repetitur. Hunc vero Odonem non alium esse putamus a sancto Odone Cluniacensi abbate, qui apud Cæsarodunum Turonum educatus ac diu conversatus, facile adduci potuit ad scribendam Vitam sancti antistitis, jam tunc ad pedes sancti Martini in ejus basilica sepulti, quam ex ejusdem Gregorii scriptis forte collegit priusquam fieret monachus, cum adhuc esset basilicæ Martinianæ præcentor et scholarum Magister.

VITA SANCTI GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

PER ODONEM ABBATEM.

Prologus.

Omnium quidem sanctorum jure memoria veneratur, sed eos primum fideles honorificant, qui vel doctrina, vel exemplo cæteris clarius effulsere. Porro unum ex his beatum Gregorium Turonicæ sedis archiepiscopum fuisse, eumque hac gemina dote resplenduisse non parva documenta produnt. Cujus nimirum gesta vel partim necessario describuntur, ne fama tanti viri quandoque dubietatis nebula fuscaretur. Et quidem satis est ad ejus gloriam quod Christum, cui placere quæsivit, conscium habet in excelso, sed tamen et hic nefas est illius laudes tacere, qui tot sanctorum studuit laudes propalare. Quæ scilicet relatio quantula erit, nec ejus insignia ut sunt proferet, quoniam plurimis quæ opinione feruntur omissis, pauca quædam quæ ex libris ejus approbantur attingimus. Quod si quis Judaico more signa requirens sanctum quemlibet signorum quantitate metitur, quid de beata Dei Genitrice, vel de præcursore Joanne censebit [a]? Sanius itaque discernat quod in tremendo die multis qui signa fecerunt reprobatis, hi qui opera justitiæ sectati sunt ad dexteram superni Judicis soli colligentur. Non igitur præsulem nostrum a gestu miraculorum commendamus, quamvis et illa non omnimodis deerunt, sed quod mitis et humilis corde Christum imitatus fuerit demonstrare aggrediamur [b].

I. Gregorius Celtico Galliarum tractu fuit exortus, Arvernicæ regionis indigena, patre Florentio, matre Armentaria procreatus. Et si quid divinæ generositati terrena conducit nobilitas, parentes ejus cum rebus locupletes, tum quoque natalibus fulserunt illustres. Sed quod pluris est, munilis divinæ servitutis quadam peculiari devotione ita videbantur annexi, ut quisquis ex his irreligiosus existeret, jure degener notaretur, ad quod astruendum quiddam de propinquioribus inseramus. Itaque Georgius [c] quondam senator Leocadiam duxit uxorem; hæc de stirpe Vectii Epagati descenderat, quem Eusebius in quinto Historiarum libro Lugduni passum, ac inter reliquos tunc temporis narrat gloriosius agonizatum. Quæ Leocadia peperit sanctum Gallum Arvernicæ sedis episcopum atque Florentium hujus pueri genitorem. De hoc autem Florentio, sed et de Armentaria matre, de Petro quoque fratre ejus, nec non et de uxore Justini sorore ejus, ac duabus neptibus Heustena videlicet, et Justina beatæ Radegundis discipula, libri miraculorum talia referunt, per quæ fides illorum et merita non exigui momenti fuisse dignoscantur. Hæc autem Arvernis [*Ed.* Arvernia], quæ puero genialis humus fuit, vehementer olim caput extulerat, ita ut senatoribus velut urbs Tarpeia [*It.* Roma] præpolleret: ab his Gregorii parentela profluxerat, hæc senatores, hæc judices et quidquid de ordine primariorum dixerim proferebat. Id sane de parentibus dictum sit, ut quia Dominus in generatione justa est, ad laudem Gregorii proficiat, quod ei sua progenies titulo sanctitatis columna videatur [d]. Hujus genus et patriam Fortunatus commemorans (*lib.* VIII, *car.* 17),

> Forte (*inquit*) decus generis, Turonicensis apex
> Al. ibus Arvernis veniens mons altior ipsis.

Ad matrem quoque ejus (*lib.* X, *carm.* 21),

> Felix bis meritis sibi Macchabæa vel orbi,
> Quæ septem palmas cœlo transmisit ab alvo:
> Tu quoque prole potens recte Armentaria felix.
> Fetu clara tuo geniti circumdata fructu,
> Est tibi Gregorius palma corona novus.

Ita nobili stirpe nobilissima prolis emergens, ut rosa quædam suo stipite gratior, decus generositatis auctum in parentes refudit. Et quamvis jam mysterii majestas in nominibus non quæratur, tamen hic, ut rebus assertum est, Gregorius competenti præsagio nominatur. Sic enim Græcus vigilantem appellat, hic denique non solum tertiam vigiliam, sed quod majus est secundam, quodque rarissime videas, observavit et primam: et quia jugum Domini ab adolescentia portavit, sedebat [*Al.* sedebit] solus, ut ait Hieremias, vel certe prope Martinum. Ut autem ætatulæ

[a] Germ., *censent.* Serg., *censebitur. Sanus.*

[b] Ed. et Cor., *demonstramus.* Germ., *demonstraremus.*

[c] Sic recte Serg.; ita enim dicebatur Gregorii avus, ei est Gregorii lectio. Editi, *Gregorius.*

[d] Germ., *quod sua... eo collumina a videtur.*

robur admisit, litterarum studiis mancipatur, in quibus equidem studiis primitus sub Gallo episcopo, suo videlicet patruo, sensus illius teneritudo coaluit.

II. Cum ergo jam in discendis notarum characteribus ageretur, hunc divina dispositio virtutum auspiciis initiavit, sanctamque ejus infantiam signorum ostensione nobilitavit. Nam pater ejus nimia valetudine comprehensus lectulo decubabat, intimis ossibus ardor furere, podagricus humor foris intumescere, vapor aridus ora perurgere cœpit, cum quidam puero vir per visionem apparens diceret : Legisti, ait, librum Jesu Nave? cui ille : Nihil, inquit, aliud litterarum præter notas attendo, quarum nunc exercitio constrictus affligor. Nam hic liber si sit penitus ignoro. Et ille : Vade, inquit, fac hastulam ex ligno quæ possit hoc recipere nomen, scriptumque ex atramento sub paterni capitis fulcro collocabis : quod si feceris, erit ei præsidium. Mane facto, matri quod viderat indicavit : senserat nimirum sancti puer ingenii non suo, sed matris judicio, rem esse gerendam. Tunc illa jubet visionem implere. Factum est, et pater de momento convaluit. Quid sane rationabilius quam nomen Jesu vel lignum ad reparandam sospitatem congrueret?

III. Parentes ejus, ut revera nobiles erant, et in Burgundia diffusi latifundii possessores. Sanctus vero Nicetius, vir totius religionis, qui Lugdunensi præerat civitati, cum prædicti parentes eum vicinarent [a], puerum Gregorium sibi jubet acciri. Quem sanctus vir coram positum aliquantisper contemplatus, et nescio quid divinum in eo commentatus, jussit hunc ad se, jacebat enim in lectulo, levari : ac velut [b] paradisi colonus concivem sibi futurum præsagiens, ulnis astrictum cœpit confovere, cum quidem, quod reticendum non est, ita collobio se totum contexit, ut nec summis digitis puerum in nudo contingeret. Hoc sane castitatis exemplum isdem puer adultus auditoribus suis frequenter ingerebat, ex hac perfecti hominis cautela suadens eos colligere, quantum fragiles quique debeant leporis attactus vitare [c]. Benedixit ergo puerum, et imprecatus illi prospera suis remisit eum.

IV. Biennio vero post miraculum quod diximus fere me exacto, jam memoratus Florentius recidivo languore [d] captatur : accenditur febris, intumescunt pedes, dolor pessimus pedes intorquet; perendinata pestis hominem contriverat, jam pene conclavatus jacebat. Interea puer vidit iterum in somno personam sese utrumne librum Tobiæ cognitum haberet interrogantem. Respondit : Nequaquam. Qui ait : Noveris hunc fuisse cæcum, atque per filium ex jecore piscis angelo comitante curatum : tu igitur fac similiter, et salvabitur genitor tuus. Hæc ille matri retulit : quæ confestim pueros ad amnem direxit : piscis capitur, quæ de ejus extis jussa fuerant pranis imponuntur. Non fefellit virtutis eventus, ut enim primo fumus odoris [*Germ.* odor fumi] in naribus patris reflavit, protinus omnis ille tumor dolorque discessit. Si magnum est os Zachariæ Joannis merito fuisse reseratum, nec modicum utique est Florentium non semel, sed bis per filium esse curatum. Senserant ex hoc iidem parentes quod dextro pedi potissime forei tonixurus; nec ignorare poterant quin illum divina dispositio dexterioribus officiis aptavisset. Quem tamen non continuo totonderunt, ipsius, ut reor, assensum in suscipiendo clericatu præstolantes, litterarum tamen studiis instantius applicabatur.

V. Adhuc itaque laicus, tam sensu quam corpore adoleverat, cum subito vi nimia febrium ac stomachi pituita comprehensus, cœpit graviter ægrotare, languor per dies ingravescere, medicinalis industria nihil proficere. Quem patruus Gallus frequenter visitabat, genitrix vero ut mater eum lamentis assiduabat. Sed cum jam de humano auxilio desperaretur, cœlitus adolescenti suggestum est quod se ad divinum conferret. Rogat igitur ut ad sepulcrum S. Illidii, erat enim juxta, portari deberet. Sed ei parum profuit, quia causa differebatur quæ per illud incommodum quærebatur. Domi reportatus ita cœpit post paululum tormentari, ut putaretur ad exitum urgeri. Vexatio tandem fecit causam intelligi, consolatur eos qui se flebant, dicens : Ad sepulcrum beati Illidii me semel adhuc deferte; fides mea est, quod et mihi sospitatem et vobis mox præstabit lætitiam. Tunc vero illic deportatus, voce qua poterat orationem fudit, spondens quia si ab hoc contagio liberaretur, clericatus habitum suscipere nec prorsus moraretur. Dixerat, et sensit protinus discedere febrem, et a naribus ejus copia sanguinis defluente, sic omnis illa valetudo disparuit, ac si legatus quidam re pro qua venerat obtenta, discedere festinaret : ita comam deposuit, et se divinis obsequiis ex toto mancipavit.

VI. Cum vero sanctus Gallus ad emeritam beatæ vitæ coronam vocaretur, vir Domini Avitus adolescentem suscepit, qui cum ejus ingenium morumque habitudinem exploravisset, magistrorum diligentiam adhibuit, et quanta vel ipsius industria, vel eorum sedulitas velocitate poterat, ad arcem sapientiæ provexit. Hæc in Vita præfati Illidii reperies. Porro autem in discendis litterarum studiis ea se discretione exercuit, ut utraque nimietate careret : nec poetarum nænias ex toto horreret, nec tamen, ut plerisque mos est, iis indecentius hærens, earum lenocinio mente ancillaretur. Fecit enim quod suffecit, aciem cordis veluti ad quamdam cotem exacuit, et ita quas ab Ægyptiis vasa aurea promutuans, et ad eremum qua [*mss.* quo] manna comederet demigrans, in perscrutandis divinarum Scripturarum potentatibus intravit. Quod ipse de se loquens ostendit dicens : Non ego Saturni fugam, non Junonis iram, non Jovis stu-

[a] Germ., *ejus*. Serg., *ei vicinarentur*.
[b] Serg., *ad se accedere jacebat enim in lectulo*, vetus... *præsagans*.
[c] Ed., *debeant tactus vitare*.
[d] Alii mss., *redivivo*. Ed., *redivivo dolore captatus*.

pra commemoro, et cætera monstra, quæ illic secutus adnectit usque dum diceret : Hæc omnia tanquam cito ruitura despiciens, ad divina potius et evangelica revertar ; non enim vel vinciri cupio meis retibus vel involvi. In quo se ostendit hæc scisse quidem, sed saniori judicio respuisse.

VII. Tempore præstituto diaconus ordinatus est. Ea tempestate erat quidam vir Arvernicus, qui lignum de sacrosancto beati Martini sepulcro detulerat, sed cum ligni reverentiam incautus negligeret, omnis ejus familia graviter ægrotare cœpit. Cum subinde languor ingravesceret, et ille causam percussionis ignorans minus se emendaret, vidit in somnio personam terribilem, cur secum ita ageretur percunctantem. Qui cum se nescire diceret : Lignum, inquit, quod de lectulo domni Martini tulisti, negligenter hic retines, et ideo hæc incurristi ; sed vade nunc, defer illud Gregorio diacono. Dignus jam, ut reor, idem Levita figurabatur, cui dominus iste Martinus pretiosa quæque sui gregis esset commendaturus. Tunc temporis apud Arvernum plerique in habitu religionis viri fulgebant, quos idem juvenis nunc cum beato Avito, nunc semotim invisebat, quatenus ab eis vel exempla pietatis assumeret, vel ipsis quod forte deerat mutua charitate præstaret. Nimirum in iis Christum colebat, et veluti solis jubar in vertice montium refulgentem [*Ed.* refulgens], in iis interim dum in seipso videri non potest, Christum respiciebat. Ad hoc animum intendens, vel ad laudem Christi proferret quidquid per eos, vel etiam per illos qui jam cœlo præcesserant, operari dignabatur.

VIII. Sane inter cæteros in quibus, ut diximus, Christus velut in montibus resplendebat, domnum et gloriosum Martinum deprehenderat, qui reliquos velut quidam Olympus excedit, et luculentius ut pote ætheri vicinior fulgoribus ipsa astra reverberat, in cujus utique veneratione totus orbis merito jam olim conjurat, in hujus desiderio Gregorius exardens inferbuit [a]. Hunc semper in corde, hunc in ore gerens, laudem ejus ubique spargebat. Dum vero mentis (*Sic*) ad nimium in exercitio virtutum defigeret, caro ejus a propriis viribus lacessebat, ita quippe mos est. Hinc est quod Daniel postquam angelicæ visionis contemplatione levatus est, a carnis virtute deficiens per multos dies ægrotavit. Hic itaque virtutibus proficiens, sed viribus corporis intabescens, aliquando valetudinem cum febre et pustulis incurrerat : qua tandem ita confectus est, ut usu cibi potusque negato, omnem vitæ hujus spem amiserit. Unum tamen supererat quod ejus fiducia Martino innixa nullatenus vacillabat. Quinimmo ferventius flagrans, tanto ejusdem Martini desiderio succensus est, ut cum mors pene caput illi emerserit, ad visendum tamen ejus sepulcrum iter arripere non dubitaverit, nec eum sui dehortari possent, cum obnixe restiterit, quia corporis illa febris febre vincebatur amoris. Et quidem actis duabus vel tribus mansionibus, itineris occasione itidem languor invaluit. Sed nec tunc omnino cogi potuit quin ad propositam Martini fiduciam festinaret, nomine divinæ majestatis dehortatores obtestans, ut vel vivum, vel certe [*Al.* forte] defunctum se ante ejus sepulcrum exponerent. Quid plura ? pervenit utcumque, probata fides speratæ salutis compos effecta est. Et non solum ille, sed et Armentarius quidam ex ejus clericis, qui sensu penitus carnerat, merito prædictæ fidei sanatus est. Agens itaque tam pro se quam pro illo gratias, amore Martini exsatiatus, vel potius magis succensus, ad patriam rediit.

IX. Aliquando vero cum iter de Burgundia ad Arvernem faceret, magna contra se tempestas exoritur, densus aer in nubibus cogitur, crebris ignibus cœlum micare, validisque tonitruorum cœpit fragoribus resonare, omnes pallescere, imminensque periculum pavitare. Sed Gregorius animæquior, sanctorum reliquias (has enim indesinenter collo ferebat) de sinu protrahit, et minacibus constanter nubibus opponit : quæ protinus divisæ, dextra lævaque prætereuntes, illæsum iter gradientibus præbuerunt. At superbia, quæ plerumque virtutibus nutritur, juvenili animo protinus irrepsit ; privatim gaudet, suisque meritis præstitum arrogat. Sed quid tam vicinum superbiæ quam casus : nam equus cui insederat illico lapsus, hunc ad terram graviter elisit, ita ut omni corpore contusus [*Germ.* concussus] vix assurgere posset : causamque ruinæ intelligens, satis deinceps cavit, ne se vanæ gloriæ stimulis qualibet sub occasione dejiceret : sed quotiens per eum aliquid divina virtus egisset, non suis meritis ascriberet, sed virtuti reliquiarum, quas, ut diximus, perinde ferebat. Quod factum si decreveris, mirabilius est superbiam correxisse quam nubem divisisse.

X. Erat autem in orationibus assuetus, præsertim quietis horis. Solemnitas beatæ Mariæ Virginis advenerat, siquidem apud Arvernem in villa Marciacensi ejus reliquiæ continentur. Tunc forte Gregorius intererat, qui cæteris alto sopore depressis, ad secretam orationem suo more processit, conspicatusque eminus videt oratorium ingenti claritate fulgere. Credit igitur aliquos devotorum jam se ad celebrandas vigilias præcessisse, visione tamen luminis attonitus illo pertendit, cuncta silentio data deprehendit. Ad ædituum transmisit, sed interim ostium sponte reseratur ; ille ad angelicas excubias reverenter ingressus divinam visitationem illico agnovit : claritas quam a foris mirabatur, protinus discessit, nihilque præter virtutem gloriosæ Virginis videre [b] potuit.

XI. Anno centesimo septuagesimo secundo post transitum domni Martini, Sigiberto rege anno duodecimo regnante, beatus Eufronius, qui inter virtutes consenescens tanta gratia donatus est, ut ei prophetiæ spiritus inesse visus sit, appositus est ad patres suos, tempusque advenerat, ut Gregorius amore beati Martini dudum flagrans, et ad pastoralis officii ministerium idoneus existens, cathedram ejus vi

[a] Hic desinit Vita in codice Cormaricensi.

[b] Serg., *Nihilque amplius videre*. Al., *per virtutem*

in descriptione miraculorum ita dirigitur [a], ut merito lectorem delectet : si quidem ut discretus et humilis corporea medicamenta sibi adhibebat primitus, sed quanto illa humilius expetebat, indignum se judicans cui medela per miraculum dari debuisset, tanto divina largitas hunc ad solam suæ potentiæ medicinam reservabat. Contigit aliquando ut solita beati Martini virtute ab unius temporis dolore sanaretur, cui post paululum cogitatio per insidiatorem subiit injecta, quod pulsus ille venarum sanguinis posset minutione sedari. Dum id apud se volveret, amborum temporum venæ prosiliunt, renovatus dolor ardentius irrumpit, sed ille concitus ad basilicam properat, veniam prius pro cogitatione precatur, debinc palla sancti sepulcri caput attigit, et illico sanus abscessit.

XV. Multa, fateor, in laudibus diversorum jam digesserat, sed quamvis amore Martini vehementius inferveret, ad ea tamen quæ de ejus miraculis scribenda erant, se nullatenus dignum judicabat, donec bis et ter per soporem admonitus, si taceret crimen incurrere minaretur. Denique oratorium sancti Stephani quod in suburbio est jusserat prolongari, et altare ut erat integrum in antea promoveri, sed quia nihil de pignoribus ibidem reperit, unum ex abbatibus, ut ejusdem martyris reliquias exhiberet, ad episcopium, clavem tamen oblitus direxit, qui capsam obseratam reperiens quid faceret dubitabat : si ad episcopum pro clave rediret, morosum erat; si capsam exhibuisset, ob multorum pignora sanctorum quæ ibi continebantur, molestum ei esse sciebat. Cum igitur apud se hæsisset, ut divina gratia cooperatricem se Gregorio testaretur, capsam exsilientibus repagulis aspicit reseratam. Tunc gratias agens, reliquias non sine admiratione multorum Gregorio detulit, qui reversus capsam ut reliquerat obseratam invenit.

XVI. Multa quidem Gregorius, quæ insequi longum esset, in salute languentium operabatur, quæ tamen sub obtentu sanctorum, quorum reliquias perinde ferebat, a suis meritis excludere nitebatur. Cum quidem hæc tanto verius per ipsum fiebant, quanto ipse humilius aliis tribuebat, ut est illud. Cum aliqua do per viam graderetur et crucem auream cum reliquiis beatæ Mariæ semper virginis, vel beati Martini collo gestaret, haud procul a via cujusdam pauperis hospitiolum incendio conspicit concremari. Erat autem, ut est in usibus pauperum, foliis atque surculorum cremiis, ignium videlicet fomentis, contectum. Hac illacque miser cum uxore et liberis cursitare et strepere, aquam advehere, sed nequicquam. Jam flammæ prævaluerant, nec poterant mitigari. Tunc vero Gregorius accurrit, et contra flammarum globos crucem elevavit, moxque in aspectu sanctarum reliquiarum ita totus ignis obstupuit, ut nec ea quæ jam apprehenderat ultra modicum ustulare posset.

XVII. Causa fuerat qua Remense oppidum deluerit, cumque ab Egidio pontifice hus fuisset exceptus, ibidem noctu quievit, in cra vero illucescente Dominica ad ecclesiam ej collocuturus venit. Cum ejus adventum in sec præstolaretur, nolebat enim in ecclesia loqui referendarius quondam Sigiberti regis ad e cessit, quem ille osculatum sedere juxta s Dum aliquantisper secum sermocinarentur, et ore Gregorii penderet, subito auris ejus, quæ obsurduerat, cum quodam crepitu [*Germ.* s reserata est. Ille gratias cœpit agere, et quid Gregorium præstitum sit manifestare. Sed mini, consuetæ non immemor humilitatis, hc ab hac æstimatione subducere nitens : Noli, a cissime fili, mihi aliquid gratiæ referre, se Martino per cujus reliquias, licet indignus, q fero, tibi auditus est redditus et surditas dep

XVIII. Virtus namque charitatis in illo præ bat adeo ut ipsis inimicis affectum dilectionis deret, ut sequenti patebit exemplo. Quoda tempore factum est, ut ad venerabilem matrem in Burgundiam properaret. In sylvis vero al quæ trans Verberim [b] fluvium sitæ sunt, l incurrit, qui tanto impetu super comitatum ruere nisi sunt, ut non modo eos exspoliare, occidere velle putarentur. Quorum assultu Gr terreri non potuit, qui præsidio Martini circ tus incedebat; cujus mox auxilium flagitans adesse expertus est, ut latrones velocius quan serant fugam inirent. At Gregorius usus c pietate [c], nec in perturbatione turbatus, fu revocat, ad cibum et potum inimicos invit crederes eos fustibus agi, et invitos equos possibilitatem calcaribus urgeri, ut nec revo audire possent. Ita Gregorius supernis auril tensus est vicinus, et operibus charitatis inte

XIX. Fides et devotio populi valde per Gre succrescebat; at malignus hostis non modico torquebatur : unde factum est, ut vim suæ n tatis ferre non sustinens, vel pastoris, vel gr duciam apertis vocibus dementare conaretu namque Natalis Domini die cum Gregorius cale [d] festum in principali basilica, sicut m solemniter celebrare procederet, quidam ex menis atrocior cæteris cœpit nimium debacc sequentibus vel obviantibus turbis, quæ Gre sepserant, se obvium ingerens : Frustra, inqu tini limina petitis, incassum ejus ædem adit vos propter multa crimina dereliquit : ecce horrens Romæ mirabilia facit. Hæc et alii cunctis, ut erant constipati, populis verba d

[a] Serg., *Hoc sæpe fiebat quando aut æqualiter in discretione miraculorum ita digeritur, ut*, etc.

[b] Papyrius Masso legit Ararim; sed nostra lectio melior ex ipso Gregorio, qui hunc fluvium Berberim appellat.

[c] Mss. 2, *usu consuetæ pietatis.*

[d] Serg., *principalem festum.... solemnizare deret.* Germ., *Gregorius in principali basilica moris est solemnizare procederet.*

insibilabat, ad quam vocem non solum rusticorum corda exturbantur, sed et clerus, quin et ipse Gregorius pavore concutitur. Ingredientes autem cum fletu magno basilicam, omnes pavimento prosternuntur, orantes ut sancti viri præsentiam mererentur. Quidam vero, cui ante tres annos ambæ manus cum uno pede contraxerant, ante sanctum altare cum reliquis prostratus beati Martini auxilium precabatur, qui subito nimia febre circumdatus tanquam in equuleo torquebatur extensus. Inter hæc sancta solemnia gerebantur, cumque sanctus pontifex fletibus insistens beati Martini præstolaretur adventum, divino mysterio palla jam ex more cooperto, languidus ad plenum restituitur sanitati. Quare Gregorius admodum gavisus omnipotenti Deo gratias agit, oculisque lacrymarum imbre suffusis, in hac ad populum voce prorupit : Timor a cordibus vestris, fratres, abscedat, quia nobiscum beatus confessor inhabitat, nec omnino credite diabolo, qui ab initio mendax est et in veritate non stetit. Cum hæc et alia verba consolatoria astantibus inferret, omnium luctus laxantur in gaudium, multoque alacriores quam venerant ad sua per Martinum atque Gregorium redierunt.

XX. Quia vero Natalis Domini mentionem fecimus, quid aliquando in hac die pontifici nostro contigerit memoremus. Nam in sacrosancta hujus solemnitatis [*Al.* natalis] nocte pridianis vigiliis fatigatus, cum paululum se cubito collocaret, vir quidam ad eum concitus venit, dicens : Surge, revertere ad ecclesiam. Ille expergefactus, signum crucis sibimet imponens, iterum obdormivit. Nec destitit vir ille, quin hominem secundo moneret : sed cum excitus gravem se adhuc sentiret, rursus obdormivit. Tum vero ille vir tertio veniens, maxillæ ejus alapam impressit, dicens : En tu reliquos ad vigilias admonere debes, et tandiu sopore deprimeris? Qua Gregorius voce perculsus pernici velocitate ad ecclesiam est regressus. Adeo supernis oculis gratus exstitit, ut nec humanitate cogente negligentiam pati permissus sit suæ salutis.

XXI. Visum est hoc inserere lectioni qualiter eum Deus arguere voluerit, ne vel aliorum levitate peccaret. Nam cum hunc a desperato languore beatus Martinus ita sanaret, ut ad ecclesiam in crastino properaret, ne se in solemniis missarum fatigaret, uni presbyterorum hæc celebrare præcepit. Sed cum presbyter nescio quid rustice festiva [*Al.* festina] verba depromeret, nonnulli de circumstantibus eum irridere cœperunt, dicentes melius fuisse tacere, quam sic inculte loqui. Nocte autem insecuta vidit virum dicentem sibi, de mysteriis Dei nequaquam disputandum. Satis dehinc apud eum constitit ne stultos et faciles ante se permitteret de beatis solemniis obtrectare.

XXII. Sæpius autem vir Domini, sicut verus et gregis et suimet consultor, vel subditorum utilitate, vel propriæ salutis causa longius procedebat. Aliquando igitur sepulcrum beati Hilarii supplicaturus adivit, cum ad visendam quoque sanctam Radegundem reginam divertit. Factum est autem cum hi duo, tanquam incolæ paradisi, secum de cœlestibus confabularentur, oleum quod ante pignora sanctæ crucis guttatim illic defluere solebat, sic in adventu pontificis auctum est, ut infra unius horæ spatium ultra unum sextarium exundaret. Porro cum hæc beata regina ad Regem esset accersenda cœlorum, vir Domini Gregorius de ejus transitu nuntium accepit : cumque illa jam eo accurrente migrasset, sancta ejus membra sepulturæ locavit. Quo quidem tempore altare solemniter benedixit, operculum tamen episcopo, qui tunc forte deerat, reservavit.

XXIII. Causa fuerat qua Garumnam fluvium juxta Maviense castrum transmeare debuerit, sed idem fluvius ita tunc intumuerat, ut intuentibus non parvum horrorem incuteret. Non longe autem sanctus Romanus presbyter requiescit, quem noster, ut vita ejus perhibet, Martinus tumulavit. Cum igitur hinc procella ventorum, illinc montes undarum, ingens periculum navigaturo minarentur, oculos ad cœlum erigens, et ad ecclesiam prædicti Romani subinde respiciens, adeo omne pelagus mox complanavit, ut compressis fragoribus, ripæ alteri sine periculo veheretur.

XXIV. Sexdecim annos hic in episcopatu exegerat, cum æquivocus ejus ille magnus Gregorius in sede apostolica subrogatur. Siquidem opinata res est quod dudum alter alteri peculiari sit amicitia devinctus. Nec immerito, cum hunc Fortunatus Gregorio comparet Nazianzeno, tanquam ille datus sit Orienti, Romensis autem Meridiei, ast hic noster Occidenti. Cum igitur iste sacra Apostolorum limina expetisset [a], magna cum reverentia sanctus eum papa excepit, quem ad beati Petri Confessionem introducens, e latere [*Ed.* ad altare] constitit, præstolans quoad surgeret. Interim autem, ut erat ingenio profundissimus, secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in hujusmodi hominem, erat enim statura brevis, tantam gratiam cœlitus profluxisse. Quod ille mox divinitus persentiens, et ab oratione surgens, placidoque ut erat vultu ad papam respiciens. Dominus, inquit, fecit nos, et non ipsi nos ; Idem in parvis qui et in magnis. Cumque id suæ cogitationi sanctus papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gavisus, gratiam quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit, sedemque Turonicam ita nobilitavit ut aureum ei cathedram donaret, quæ apud præfatam sedem [*Ed.* urbem] in posterum servaretur.

XXV. Jam vero beatus Martinus hunc alumnum suum usquequaque magnificans, ei se propitium multis modis demonstraverat, sed ut operibus ejus se quoque cooperatorem ostenderet, aliquando præsentiam suam, licet invisibilem, suo quo videri solet

[a] Hoc iter anno 594 a Gregorio susceptum fuisse videtur. Nam annos tres præcedentes, quibus Gregorius Magnus jam erat pontifex, in Galliis exegit ex Vitis Pat., etc.

splendore, manifestare dignatus est. Nam oratorium ex promptuario prædecessoris sui apud Turonem consecraturus, reliquias sancti Saturnini martyris ac domni Martini a basilica susceptas cum ingenti veneratione deferebat. Erat enim sacerdotum et levitarum in albis vestibus non minimus chorus, et civium honoratorum ordo præclarus, sed et populi secundi [*Germ.* sæcularis] ordinis magnus conventus, radiantibus solemniter cereis, crucibus in altum sublatis. Cum ita veniretur ad ostium, terribilis fulgor cellulam subito perfundens omnium oculos nimio splendore perstrinxit, qui diutius durans hac illaeque sicut fulgur discurrebat, omnes nimio pavore perculsi solo jacebant. At Gregorius, ut tantæ virtutis conscius, constanter eos exhortans : Nolite, inquit, timere, rememoramini qualiter globus ignis de capite beati Martini egressus, cœlum visus est conscendisse, et ob id nos cum his sanctis reliquiis ipsum credite visitasse. Tunc universi magnificaverunt Deum, et senior cum clericis dicebat : Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis.

XXVI. Pauca hæc de nostro præsule dicta sint : non enim eum miraculorum, quæ etiam reprobis dari solent, copia commendamus, sed nec hanc quidem gratiam illi defuisse demonstremus. Cæterum ad ejus gloriam commendandam illud nobis sufficiat, quod humili corde Christum secutus est, et quod non speravit in pecuniæ thesauris. Iloc [a] utique est mirabilia fecisse : quod ut partim superius monstratur, a peccatorum est laqueo custoditus. Super omnem quippe gloriam est a peccatis protectio. Vigesimo et primo igitur episcopatus sui anno, tanquam septenario annorum numero ter in fide sanctæ Trinitatis completo, appositus est ad patres suos, non tam dierum, quia ferme tricennalis ordinatus est, quam perfectione plenus. Qui tamen non usquequaque videtur clausus in tumulo, cui restat ut vel lingua vivat in mundo. Et quia, sicut credimus, beato Martino in cœlo est sociatus, sancto etiam corpore est illi in sepulcro vicinus. Porro Turonicenses, ne divinis muneribus videantur ingrati, semper necesse est, ut retractent quantopere sint a Deo suffulti. Datus namque est eis patronus non qualiscumque, sed Martinus, de cujus laude quid primum vel speciale dicatur, cum, ut scriptum est, ejus minima aliorum maximis majora esse manifestum sit, tamen quanti habendus sit testantur universæ, ut ita dicam, mundi nationes, A quæ illum ita privato affectu diligunt, ut nostro tempore, quando charitas nimium j gescit, multos tam gente quam lingua ignotc sanctissimum tumulum confluere videamus rito de eodem Martino dicatur : Cujus vult derat universa terra. Quorum utique studia qui vicini sumus, inertiam jure vehement guunt ; non tamen sine divino moderamin quod ejus amor ita omnium corda penetrav memoria velut alterius Josiæ tam dulcis hus ; et quod per omnes fines terræ ita spe ubi Christus habet nomen, Martinus hon beat. Datus est eis et Gregorius vir non solt tate, sed et doctrina clarus, ne urbs Turon rior videretur si scriptorum officio caruis B etiam sicut [*Ed.* potius] urbs Romulea post illustratur in altero Gregorio, ita et Turo Martinum decoretur in isto. Quem videlic apud Deum, vel apud beatum Martinum a quemdam atque sequestrem habere confid que nostras necessitates ad expediendum mus. Verum ille non erit immemor vel Martini misericordiæ, quam nobis tanto nuare curavit ; quippe qui ad hanc insinuai miracula digessit, ut quique futuri audient et qualia visibiliter operetur, quam despe guores sanet, de potentia ejus nullatenus et si pro dispensatione temporum contigeri miracula cessare, semper tamen credamu nostris animabus suæ virtutis medicinam C Gregorius igitur Martini misericordiæ cons per illi de grege suo suggerat [b], semper statu sancti loci sui ac pro totius regni sal pellet. Nec prætereundum quomodo consu humilitatem etiam in ipsa sepultura sua s Nam in tali loco se sepeliri fecit, ubi sempe pedibus conculcaretur ; et ipsa loci neces ret, ne unquam in aliqua reverentia habe sed grex beati Martini talia non ferens, am mini sui de loco levavit, et edito pulchro mu lævam sancti sepulcri digna reverentia co Obiit autem decimo quinto kalendas Decemb cet infra Martinianam hebdomadam, ut sole Martini, quam hic jam ægrotans celebrare Martino junctus in cœlo consummaret, D Domino Jesu Christo, qui cum Patre et Sp cto vivit et regnat Deus, per omnia sæcu lorum. Amen.

Explicit vita sancti Gregorii archiepiscopi Turonensis.

[a] Quæ sequuntur neque ad finem, paucis verbis contracta sunt in codice Germ.

[b] Ed., *semper ille de grege suo succrescat.*

[c] De sepulcro et reliquiis beati Gregorii diximus in notis fusioribus col. 1391. Festum ejus stioribus Kalendariis et Martyrologiis hoc memoratur. Obiit anno 593.

STEMMA GENTILITIUM S. GREGORII TURONENSIS.



TESTIMONIA VIRORUM ILLUSTRIUM

DE SANCTO GREGORIO EPISCOPO TURONENSI

Venantius Fortunatus in epistola operibus suis præfixa, quæ S. Gregorio Turonensi episcopo nuncupavit.

Domno sancto et dote meritorum sacris altaribus adscito pariter et educto, Gregorio papæ, Fortunatus. Acuminum eorum luculenta, etc... Unde, vir apostolice prædicande papa Gregori, quia viritim flagitas si quædam ex opusculis imperitiæ meæ tibi transferenda proferrem, nugarum mearum admiror te amore seduci, etc.., Sed quoniam, etc. *Eum passim laudat in carminibus; aliquot seligere sufficiat:*

Ex libro V, *carm.* 7.

Culmen honorum, decus almum, lumen opimum
Pastor apostolicæ sedis amore placens.
Amplectende mihi semper sacer arce Gregori, etc.

Ibid., carm. 13.

Florens in studiis, et sacra in lege fidelis,
Semper agens animæ dona futura tuæ.

Lib. VIII, *carm.* 16.

Alme, beate pater, lumen generale Gregori,
Jure sacerdotum culminis arce caput, etc.

Ibid., carm. 17.

Lumen ab Arvernis veniens feliciter arvis,
Qui inlustrans populos spargeris ore pharus.
Alpibus ex illis properans mens altior ipsis.

Ibid., ex carm. 23.

Dulcis, chare, decens, facunde, benigne Gregori,
Atque pater patriæ, hinc sacer, inde chare.
Muneribus, meritis, animis et moribus æquis,
Omnibus officiis unde colaris habens.

Ex libro IX, *carm.* 7.

Corde jocundo, calamo venusto
Litteras mittis, cupiente voto,
Blanda conscribens seriæ salutis
Chare Gregori.

Baudovinia sanctimonialis in Vita sanctæ Radegundis reginæ, num. 27.

Ambulavit quantus ad virum apostolicum domnum Gregorium Turonicæ civitatis episcopum, et advenit. Sed quantum præsens vidit oculis, antequam eam sepeliret, de ejus virtutibus, in libro Miraculorum quem composuit, inseruit. Cum autem venit ad locum ubi sanctum corpus jacebat, quod ipse postea cum sacramento lacrymans dicebat, quod in specie hominis angelicum vultum viderat; facies illius velut rosa et filium fulgebat, ita transfactus est ac metu concussus, tanquam si ante præsentiam beatæ Genitricis Domini astaret devotus vir Deo plenus.

A *Paulus Warnefridi libro* III *de Gestis Langobardorum, capite* 1, *ubi de sancto Hospitio recluso Nemausensi.*

Per hunc Dominus magnas virtutes operari dignatus est, quæ scriptæ habentur in libris venerabilis viri Gregorii Turonensis episcopi.

Agobardus archiepiscopus Lugdunensis in libro de Judaicis superstitionibus, cap. 4.

Sanctus Gregorius Lingonicæ Ecclesiæ episcopus quantæ sanctitatis et veritatis fuerit, Vita ejus scripta (inter Vitas Patrum Gregorii Turonensis, capite 7) et finis vitæ, atque honor ei ab Ecclesia delatus usque hodie testes sunt.

Florus Lugdunensis in Martyrologio, die 4 *Novembris.*

II Nonas. Bituricas depositio sancti Lusoris pueri, qui filius cujusdam senatoris, etc., scriptum in libro Miraculorum Gregorii Turonensis episcopi. *Ado et cæteri etiam Martyrologiorum scriptores ejusdem Gre-*
B *gorii verba adhibuerunt.*

Ex kalendario Sacramentarii S. Gatiani cathedralis ecclesiæ Turonensis annorum 800, *et altero Majoris Monasterii ab annis circ.* 600 *scripto.*

XV Kal. Decembris sancti Gregorii Turonensis. *Eodem die laudatur in variis Martyrologiis antiquis, potissimum Turonensium Ecclesiarum, sicut et in Romano, in Gallicano,* etc.

Ex veteri Legendario Ecclesiæ Cabillonensis, de sanctis Silvestro et Agricola episcopis ac Desiderato presbytero, apud Perardum et Bolland., 17 Mart.

De quibus licet compendiose, splendide tamen magnificus vir Gregorius Turonensis episcopus in libris Miraculorum ita scribit: Beatissimus vero Silvester, etc., *ex libro de Gloria Confess., capp.* 85, 86.

Hericus monachus libro I *De Miraculis sancti Germani Antissiodorensis episcopi, cap.* 29.

Gregorius Turonorum antistes, miraculorum curiosus indagator ac studiosissimus editor, nonnulla
C ab hujus et per hujus beatissimi Patris meritoriam patrata commemorat, quæ suis quam nostris verbis intimanda maluimus, ne rei absque pretio operæ permutatæ quiddam fidei detrahamus. Germanus, etc., *ut habet Gregorius in libro de Gloria Confess., cap.* 41.

Ex vita secunda sancti Medardi sæculo IX *scripta Spicilegii tomo* VIII.

Per idem tempus inter Gallicanos præsules Gregorius historicus sermone et actu Turonis habebatur insignis, etc... Hic nostra intermittentes, quid Gregorius historicus de hujus sanctissimi pontificis vir-

tote referat huic opusculo innectendum ratum duximus : Medardus, inquiens, gloriosus confessor, etc. *De Gloria Conf., cap.* 95.

Ex Testamento Ecchardi comitis fundatoris monasterii Patriciacensis (Persy) sæculo IX, *apud Perardum Hist. Burgund., p.* 26.

Donate Enschise archiepiscopo tapete uno meliore, Gesta Langobardorum libro uno, et Chronica quem Gregorius Turonensis facit libro duo. (*Sic.*)

Ex sancto Odone in sermone quod beatus Martinus par dicitur apostolis.

Non dissimiliter Gregorio Turonensi ejus (sancti Martini) reliquias in novam basilicam inferenti apparuit, etc., *quæ ex capp.* 20, 59 *et* 104 *libri de Gloria Confessorum accepit. Ejus verba item passim laudat.*

Letaldus monachus in prologo in Vitam S. Juliani episcopi Cenomanensis.

De tempore quo magnus ille floruerit ex libro Gregorii Turonensis per conjecturam sumpsi, qui in Historiarum suarum libro I, sub Decio et Grato consulibus a Xisto, etc..., cum beatus Dionysius a sancto Gregorio ex eorum numero fuisse dicatur, etc.

Frodoardus lib. II *Historiæ Remensis, capite* 2.

Gregorius in Historia gentis Francorum de hoc præsule (Ægidio) narrat, etc.

Lib. IV *ejusdem Historiæ, cap.* 59.

Aliis etiam nonnullis beati Patris hujus (S. Martini) urbs nostra fertur insignita miraculis ; ex quibus ea quæ sanctus Gregorius Turonensis in suis Miraculorum libris enarrat hic indere placuit, etc. *Idem auctor passim laudat eadem et alia Gregorii opera.*

Aimoinus lib. III *Historiæ Francorum, cap.* 41.

Quod cum Gregorio Turonensi, qui tunc cæteros episcopos sanctitate præibat, etc. *Ibidem, cap.* 65. Pro his itaque causis calumnias sancto antistiti inferebat Gregorio. *Eumdem passim* beatum Gregorium *appellat.*

Hugo archidiaconus Turonensis in Dialogo ad Fulbertum. Ex tomo I Analect. Mabillon.

Martinus habet virtutum suarum egregios interpretes... Habet Gregorium Turonensem episcopum, qui mira de Martino post obitum narrat miracula.

Fulbertus episcopus Carnotensis epistola 97, *quæ est ad Robertum Francorum regem.*

Sacra vestra monitus sum inquirere festinanter et scribere vobis, si qua historia sanguinem pluisse referat, et si factum fuit quid factum portenderit. Livium, Valerium, Orosium et plures alios hujus rei relatores invenî, de quibus ad præsens solum Gregorium Turonensem episcopum testem esse productum sufficiat, propter auctoritatem religionis suæ. Ait ergo Gregorius idem in sexto libro Historiarum, cap. 14. Anno sexto, etc.

Adhemarus in Chronico parte I, *cap.* 30.

Eo tempore sanctus Gregorius archiepiscopus Turonensis magnis virtutibus fulgebat. Per idem tempus sanctus Germanus Parisiorum episcopus missus a rege Chariberto Egolismam consecravit basilicam sancti Eparchii, ubi ipse nuper sepultus fuerat : adfuit cum eo venerabilis Gregorius episcopus Turonensis, et in ipsa basilica multa pignora reliquiarum beati Martini episcopi collocantes dedicaverunt eam in ejusdem beati Martini auctore. Denique in altare ipsius ab eodem sancto Germano atque Gregorio consecrato, sanctæ crucis hactenus apparent impressa signacula. Item in honore sancti Petri consecraverunt ecclesiam sedis episcopalis quam Chlodoveus, etc.

Idem in libello de virtutibus S. Eparchii abbatis Egolismensis, ex ms. cod. S. Cypriani Pictavensis Labbeo.

Gregorius Turonicæ civitatis episcopus, cum scribendis sanctorum virtutibus ab aliis præ scriptoribus operam dat, inter cæteros et hujus troni nostri meminit dicens : Obiit Eparchius Egolismensis reclusus, etc., *ex Gregorii Historia cap.* 8.

Ex Vita Caroli Magni. Chesn., tomo II, pa

Quo tempore (Childeberti) claruerunt sanc gorius papa primus, et Gregorius episcopu nensis, etc.

Ex Vita metrica S. Melanii episcopi Redon ex cod. ms.

Nempe Redonensis Melanius, ut Turonensis Gregorius scribit, qui talia plurima scribit, Innumeris signis perfecto præsule dignis Enituit mundo, etc.

Laudat cap. 55 *de Gloria conf.*

Glaber Rodulfus in Vita sancti Guillelmi a Divionensis.

Erat enim, ut beatus multorum sanctorum ptor miraculorum Gregorius Turonorum refert, prægrandis arca, etc., *ex cap.* 51 *Mart.*, pro cujus incredulitate narrat idem alterum sancti nominis Gregorium Lingonien scopum, acrius quondam fuisse increpatum

Anonymus auctor, qui sæculo XI *Acta Rotl sium archiepiscoporum scripsit, tomo II Mabillon.*

Rex concilium episcopos suos convocare e vir magnæ auctoritatis et probitatis Gregoriu piscopus Turonensis interfuit. Hic vero nè machinationi, qua episcopus (Prætextatus) est, nec injustæ destitutioni assensum præb ut sicut beatus Gregorius Turonensis in scr narrat, nocte sancta Paschæ, in loco ponti stare consueverat gladiis eum percuterent, terficerent.

Ex Vita metrica S. Cassiani episc. Eduensis ms. S. Germani a Pratis.

Idola cassavit, populum baptismate sanxit, Hæc quoque Gregorius Turonorum dux locul

Ex Chronico S. Benigni Divionensis. Spicilegi

Inventum est atque translatum corpus alm tyris Benigni a beato Gregorio Lingonicæ u scopo, divina revelante providentia, ut refer rius in libro Miraculorum, qui fuit antistes rum... Præfatus Gregorius Turonorum in illustribus viris hujus Hilarii quis et qualita meminit, etc... Successit Tranquillus, qu sanctitatis fuerit, crebræ sanitates infirmi tumulo præstitæ testantur, ut refert Gregor nensis in se ipso expertus.

Baldericus episcopus Noviomensis et Torna Chronico Cameracensi et Attrebatensi, lib. I

In ea namque urbe (Vienna), ut beatus Turonensis urbis episcopus scribit in gestis rum, tunc temporis inaudita cives prodigi rant, etc., *plura laudat, cap.* 3 *et seqq.* Historiæ Francorum.

Auctor Vitæ et Miraculorum sancti Solemnii Carnotensis, ex ms. cod. Regio.

Beatus Gregorius tunc temporis Turono scopus de beato Solemni pontifice Carnotem est ita : Licet de Turonica urbe, etc. Hæc a sancto in testimonium.

Ex Vita S. Maximi Cainonensis confessoris ms. Majoris Monasterii.

Ut autem ad beati Gregorii aures, qui tu

niam regebat Ecclesiam, horum miraculorum notitia perlata est, puerum tonsoratum, etc., *narrat miracula ex capite* 22 *libri de Gloria Confessorum.*

Sigibertus Gemblacensis in Chronico.

An. 7 Justini Junioris, 35 Chlotarii, Gregorius Turonensium ordinatus episcopus clarus habetur in omnibus.

Idem in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 49.

Gregorius Turonensis episcopus, vir magnæ nobilitatis et simplicitatis, scripsit multa simplici sermone. Scripsit duos libros de vita vel memoria quorumdam Confessorum, scripsit librum de Miraculis sanctorum, de miraculis Juliani martyris Brivatensis librum unum, de Miraculis sancti Martini suo tempore ostensis libros quatuor. Historiam Francorum parvo libello breviavit, eamque postmodum diffusius novem libris digessit. Scripsit et Chronicam ecclesiasticæ historiæ.

Honorius Augustodunensis de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 33.

Gregorius episcopus Turonensis scripsit librum Historiæ.

Chronicon Leodiense scriptum anno 1132. *Lab., t.* I *Bib., p.* 335.

Anno 572 obiit Eufronius Turonensis episcopus, succedit Gregorius historiographus.

Chronographus Saxo a V. Cl. G. G. Leibnizio editus.

An. 572 Gregorius Turonensis episcopus in Gallia claret. *Idem habent alii passim chronographi, quos singillatim recensere superfluum esset.*

Hugo, seu Anonymus S. Mariani Autissiodorensis.

Anno Justini 7 Gregorius Turonensium ordinatur episcopus, vir clarus in omnibus, a quo, inter cætera quæ scripsit, sancti Martini virtutes et miracula multa descripta sunt, quæ in diebus ipsius abundantissime provenerunt.

Gesta pontificum et comitum Engolismensium, auctore canonico Engolismensi, circa annum 1150, *cap.* 4.

Gregorius archiepiscopus Turonensis et Germanus... consecraverunt cathedralem ecclesiam, etc., consecraveruntque assensu regis episcopum Merorium, qui capellanus ipsius regis erat, etc.

Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis adversus calumniatores.

Gregorium laudas Arverno germine clarum,
Cui dat Martini celsa cathedra locum.

Petrus Pictaviensis monachus in Panegyrico Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis.

Profuit hinc etiam Juliani dulcis alumnus,
Qui bene Turonicæ præfuit Ecclesiæ.

De Arvernis loquitur. Item in epistola ad Calumniatorem.

Fortunatus etiam Gregorium Turonicum plurimosque alios episcoporum, etc., quam plausibili panegyrico extulerit non ignoramus.

Ex Anonymo qui Gesta episcoporum Turonensium et abbatum Majoris Monasterii scripsit apud Bochel.

Eustochius hic fuit tempore beati Gregorii Turonensis. *Passim complura describit ex ipso Gregorio.*

Ex Vita domni Garnerii præpositi S. Stephani Divionensis apud Perard. et Flotum in Historia ejusdem loci.

De hac videlicet Ecclesia in Vita sancti Grezorii Lingonensis episcopi legitur, quod gestatores corporis ejus a Lingonis eum deferentes, etc., *De Vitis Patrum, cap.* 7. *Et infra,* Est alia basilica, de qua in prædicta Gregorii Vita scriptum est, quod domus ejus baptisterio adhærebat, etc.

Rigordus in Vita Philippi Augusti ad an. 1184

Sollicitus prout potuimus colligere ex Historia Gregorii Turonensis, etc., in hac nostra Historia satis lucide determinavimus. *Et ad an.* 1185: Probantes hoc per Chronicas Ydatii et Gregorii Turonensis, *id est Fredegarii.*

Albericus monachus Trium Fontium in Chronico.

Natus est Martinus in Pannonia cujus genealogiam Gregorius Turonensis episcopus breviter ita comprehendit: Quidam rex, etc., *ex libro de septem Dormientibus.* Anno 593. Huc usque Gregorius Turonensis.

Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali, libro XXI, *cap.* 124.

De sancto Gregorio Turonensi archiepiscopo... Clarus habetur in omnibus. Hic Alvernicæ regionis indigena, etc. *Idem habet sanctus Antoninus,* etc.

Matthæus Westmonasteriensis in Floribus historiarum.

Anno gratiæ 572 Gregorius Turonensis episcopus ordinatus sanctitate refulsit insignis.

Anno gratiæ 598 floruit in Gallis Gregorius Turonicæ civitatis episcopus, qui ex Arvernico territorio attulit, etc.

Bernardus Guido episc. Lodovensis de sanctis Lemovicibus. Labb., t. I, p. 629.

S. Pelagia... quam sanctus Gregorius Turonensis in libro suo de Miraculis sanctorum collocat inter sanctos, etc. *Eumdem passim laudat, sicut et Petrus Equilinus de Natalibus, et alii qui Vitas Sanctorum collegerunt.*

Robertus Guaginus libro II *Historiæ Francicæ.*

Gregorius homo in primis sanctitate spectatus, etc. *Ejus opera pas im laudat.*

Ex Trithemio libro de Scriptoribus ecclesiasticis.

Gregorius episcopus Turonensis ex monacho discipulus quondam sancti Aviti præsulis Arvernorum, vir doctus et nobilis, mitis quoque et humilis. Tantæ sanctitatis et puritatis exstitit, ut etiam in vita miraculis coruscaverit, etc.

Idem libro III *de viris illustribus Ordinis S. Benedicti, cap.* 51. Gregorius... cujus pater Florentius Georgii senatoris filius, vir et ipse laudabilis et sanctæ conversationis effulsit. Unde bonus pater filium suum Gregorium in timore Domini instruens, sanctorum illi gesta ad memoriam commendavit, quibus semper ad meliora enituit... Fuit autem homo charitate et humilitate maximus, ita ut suo tempore in terris similem vix habuerit... multis et in vita et post mortem claruit miraculis, cujus festum colitur XV kalendas Decembris. Ejus Vita conscripta habetur.

Idem libro II, *cap.* 10. Gregorius... vir sanctus Deo et hominibus dilectus, in sacris Scripturis optime peritus; in perscrutandis gestis sanctorum studiosissimus fuit... qui cum esset vir doctus et eruditus scripsit aperto sermone plura opuscula, etc. *Catalogum contexuit Gregorii operum quod et fecere subsequentes auctores, Possevinus, Bellarminus, Vossius, Breviarii ejus Vitæ auctor, Labbeus, Cuvius,* etc.

Hieronymus Chlictoveus Neoportuensis in editionem variorum opusculorum.

Humanæ eloquentiæ, etc., locum novissimum tanquam cæteris eminentiorem Gregorio Turonensi reservavimus, nihil hæsitantes illi præ cæteris palmam esse concedendam, nec fuit præripiendam.

Præfatio editionis Jodici Badii.

Cum beati Gregorii Turonensis et Adonis Viennensis episcoporum commentarios, etc., auctoritate valent maxima: sunt etenim sanctitate vitæ conspicui, et episcopali Christianæ pietatis apice prælulgidi, et res plurimas a se visas et compertas, non exquisita quidem elegantia, sed sincera veritate tradunt, qua-

rum pietate, præcipuè Turonensis, vel solâ lectorem A deneveri possent.

Matthias Flacius Illyricus in epistola præmissâ ad suam editionem.

Dignus est Turonensis qui legatur... nullus vetustus historicus exstat, qui illorum temporum negotia tam certo pernoverit, aut etiam plane complexus sit. *Eum passim laudat in Centuriis Magdeb.*

Ex Patriarchio Bituricensi, cap. 27, tom. II Biblioth. Novæ Labb., p. 32.

Quod ex scriptis divi Gregorii Turonensis, viri certe in rerum gestarum cognitione eruditissimi, perspicuum fiet. *Laudatur passim in eodem libro.*

Præfatio in Vitas Sanctorum ex Aloisii Lipomani voluminibus extractas.

Gregorius cognomento Florentinus, vir scientiâ et nobilitate clarus, Turonensem Ecclesiam sanctissimè rexit; cujus scriptis ea adhibetur fides, quæ et viro sanctissimo et de Christiana fide optimè merito adhiberi solet, etc.

Joannes Mariana, libro v *Rerum Hispan., cap* 10.

Majus argumentum accedit, Gregorii Turonensis silentium. An id gratiæ datum putabis a Gallico scriptore magnæque auctoritatis viro.

Papirius Masso in Notitia Galliæ.

Condito autem regno (Francorum) quanta mutatio acciderit, malo ex libris Gregorii Turonensis intelligi, quam ex oratione mea.

Josephus Scaliger, lib. VI *de Emendatione temporum.*

Magna Gregorio gratia, qui in tanto neglectu Historiæ animum ad hæc scribenda appulit, quare absque eo foret metuendum ne fabulosus Hunnibaldus pedem in possessionem illius Historiæ poneret, etc. Nos neque meliorem neque vetustiorem in Historia Francorum habemus.

Nicolaus Faber Ludovici XIII Francorum regis præceptor in Schediasmate, etc.

Gregorius Turonensis episcopus diligentissimus Historiæ nostræ scriptor et antiquissimus.

Hieronymus Bignonius in Præfatione ad Marculfi formulas.

Ipse etiam Gregorius Turonensis, quo duplorem historicum non habemus, multis locis a Marculfo lucem accipit et omnino illustratur.

Jacobus Joannes Chifletius in Disquisitione, etc.

Sanctus Gregorius antiquissimus et fidelissimus Francorum historicus.

Sammarthani in Gallia Christiana.

S. Gregorius Ecclesiæ Gallicanæ lumen, virtutis, sapientiæ, eximiæque sanctitatis gloria illustris, de historia ecclesiastica rebusque Francicis bene meritus.

Joannes Launoius doctor Parisiensis in Discussione, etc.

Gregorius Turonensis Christianam apud Gallos religionis exordia, resque memoratu dignas summo studio prosecutus est. *Eum ejusque opera passim laudat.*

Hadrianus Valesius in Præfatione ad tomum II *Rerum Francicarum.*

Gregorium, quem virum pium et sapientem, ac historicorum nostrorum principem agnosco, et laude dignissimum judico.

Joannes Bona S. R. E. cardinalis in Notitia auctorum.

Gregorius Turonensis, fidelis historicus, sed simplicioris eloquii.

Carolus Cointius Annalium Ecclesiastic. Francorum ad an. 544.

Omittere non debuimus ortum illustris viri, quem Historiæ Francicæ parentem merito nuncupaveris. *Idem passim habet.*

Antonius Dadinus Alteserra J. U. professor et decanus Universitatis Tolosanæ in epistola ad notas, etc., *in Gregorii libros.*

Operam dedi ut consuleretur memoriæ maximi antistitis, ut explodereturerror et calumniæ malignorum, quibus perilissimus rerum nostrarum scriptor, et ex parte testis, habetur pro inepto fabellarum et somniorum auctore. Non inanis erit opera, si a me vindicetur fama episcopi cathedræ et meritorum divi B Martini successoris.

Bollandiani ad diem 17 *Martii et passim.*

Sanctus Gregorius Turonensis, cui uni tantum debet Historia Francica, quantum aliis scriptoribus aute ipsum simul omnibus.

Joannes Balesdens in suam editionem.

Non immerito dixerim, etiamsi in Gregorii scriptis columbæ simplicitas videatur, serpentis tamen prudentiam non deesse, cum in iis rebus eligendis disponendisque maxime et utilitate conducerent et fidei valerent. Nec dubitem asseverare posterioribus scriptoribus hac in re palmam præripuisse, etc.

DE FREDEGARIO.

Ex Vita S. Pippini majoris domus Austriæ Chesnii tomo I Hist. Franc.

C Sed ne videar de Vita beatissimi Ducis novum aliquid tulisse figmentum, non abs re erit si in testimonium sanctitatis ejus eadem verba quæ in Gestis Francorum diversis in locis inserta sunt, hic in unum collecta sub oculis ponero. Sunt ergo in hunc modum sese habentia: Usque ad id tempus ab initio quo regnare cœpit Dagobertus consilio beatissimi Arnulfi, etc., *profert excerpta ex Fredegario a cap.* 5 *Chronici ad caput* 86.

Rigordus supra laudatus in Vita Philippi Augusti. Josephus Scaliger in libro VI *de Emendatione temporum*

Ante annos autem aliquot prodiit Appendix a Gregorium, cujus quidam auctorem dicunt Fredegarium. In ea Appendice multa præclara sunt, quæ no temere alibi reperias.

Valesius in Defensionis suæ parte posteriori, cap. 8.

Mihi credo, quod tuto et citra erroris periculum facere potes, Res gestas amborum Childeberti minoris filiorum, Chlotharii junioris, Dagoberti atque Chlodovei posterioris usque ad quartum regni ejus annum ignoraremus, si ab Fredegario scriptæ non fuissent, aut si Fredegarii jacturam fecissemus; quæ ille pro captu temporum suorum diligentissime a curatissimeque mandavit litteris... Nec quemquam e nostris historicis veteribus reperias, qui non Fredegarii Chronici librum v fere ad verbum transcripserit.

Carolus Cointius ad annum 584, *n.* 21.

Auctor est omnium, qui post Gregorium res Francicas scripserunt, antiquissimus.

ANNALES FRANCICI

AB ANNO CCLV AD CAROLUM MAGNUM.

EX ANTIQUIS SCRIPTORIBUS, S. GREGORIO TURONENSI, FREDEGARIO, ETC.

Præmittuntur quædam de Francia et Francorum populis.

Francorum regio dicitur FRANCIA, *sita in Germania inter Saxones et Alemannos.*

Quid loquar rursus intimas FRANCIÆ nationes. *Eumenius in Panegyrico Constantini Magni, cap.* 6.

Affecisti pœna temeritatis reges ipsos FRANCIÆ. *Idem, cap.* 10.

FRANCIA GAUDIUM ROMANORUM. *Numisma Constantini M. apud Spanhemium de præstantia numism.*

FRANCIA ET ALEMANNIA GAUDIUM ROMANORUM. *Numisma ejusdem apud Morel. in specimine rei, num.* 2 *edit.*

Accedant vires quas FRANCIA, quasque CHAMAVES
Germanique tremant.
Ausonius in Mosella.
.... Qua FRANCIA mista Suevis
Certat ad obsequium.
Idem in Consulatu.

FRANCIA *ad dexteram Rheni ripam in tabula Peutingeriana.*

.... Provincia missos
Expellet citius fasces, quam FRANCIA reges,
Quos dederis.
Claudian. lib. I. *de Laud. Stilicon.*

Inter Saxones et Alemannos gens non tam lata quam valida, olim Germania nunc FRANCIA vocatur. S. *Hieronymus in Vita S. Hilarionis.*

Cumque consultaretur de successu, an in FRANCIAM transire deberent. *Sulpicius Alexander lib.* III *Histor. apud Greg. Turon. l.* II *Hist., cap.* 8.

Ratus tuto omnes FRANCIÆ recessus penetrandos. *Idem, lib.* IV *Histor. Ibid.*

FRANCORUM POPULI.

Salii, Attuarii, Bricteri seu Bructeri aut Burcturi, Chamavi, Ampsivarii, Chatti, Chauci, Cherusci, Tencteri, Usipetes, Sicambri.

Quibus paratis, petit primos omnium FRANCOS, eos videlicet quos consuetudo SALIOS appellavit. *Ammianus Marcellinus libro* XVII *Rerum gestarum.*

Julianus, etc... regionem subito pervasit FRANCORUM, quos ATTUARIOS vocant. *Idem, lib.* XX.

Ratus tuto omnes FRANCIÆ recessus penetrandos, etc. Collecto ergo exercitu, transgressus Rhenum BRICTEROS ripæ proximos, pagum etiam quem CHAMAVI incolunt depopulatus est, nullo usquam occursante nisi quod pauci ex AMPSIVARIIS et CHATTIS Marcomere duce in ulterioribus collium jugis apparuere. *Sulpicius Alexand. lib.* IV *Histor. apud Gregor. Tur. lib.* II, *cap.* 8.

CHAUCI, CHERUSCI, CHAMAVI, qui et FRANCI, FRANCIA, BRUCTERI. *Tabula itineraria Peutingerorum.*

Franci dicti sunt SICAMBRI, *quod veterum Sicambrorum agrum possederunt, qui ab eis Franciæ nomen habuit. Nam teste Tacito, lib.* XII *Annalium,* SUGAMBRI excisi et in Gallias trajecti, et *Cluverius libro* III *Germaniæ antiquæ, capp.* 9, 10 *et* 20, *sic habet:* TENCTERI *et* USIPETES in agros Sicambrorum successerunt, et nationes illæ cum Ampsivariis, Attuariis, Bructeris, Chamavis, Chattis, Chaucis et Saliis... in unum postmodo coierunt corpus, novumque sibi constituerunt nomen FRANCORUM.

ANNO 253. *Valerianus et Gallienus ejus filius AA.*

255. *Aurelianus Francos irruentes in Galliam cædit.*

Idem (Aurelianus) apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ, FRANCOS irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, sic afflixit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Unde iterum de eo facta est cantilena : Mille FRANCOS, mille Sarmatas semel occidimus. *Vopiscus in Aureliano, p.* 211.

253. *Gallienus in Gallia bellum cum Francis gerit.*

Gallienus videns Germanicas gentes cæteris infestiores esse, quæ accolas Rheni Celticas nationes acrius vexarent, hanc partem sibi propugnandam ab hostibus sumit; aliis, qui per Italiam, Illyricum, Græciamque prædis agendis intenti essent, duces cum eorum locorum exercitibus, bellum facere jussit. Ac quidem ipse Rheni transjectus custodiens, quantum præstare poterat, interdum transitu hostes arcet, interdum transeuntibus suos instructos objicit. Sed quod ingenti cum multitudine, perexiguas ipse copias habens, bellum gereret, in angustum jam coactæ res ipsius erant : cum inito fœdere cum quodam de gentis Germanicæ principibus, ex aliqua parte periculum minuisse visus fuit. Nam cæteros ille barbaros arcebat, quo minus continenter Rhenum transirent et irruentibus obstabat. *Zozimus Histor. lib.* I. *Quod idem bellum Zonaras describens libro* XII *Annalium* cum FRANCIS *gestum commemorat.*

260. *Valeriano a Persis capto Gallienus solus imperat.*

262. *Gallienus in Gallias transit contra Posthumum. Posthumus juratur auxilio Francorum.*

Contra Posthumium igitur Gallienus cum Aureolo et Clodio duce, qui postea imperium obtinuit, principe generis Constantini Cæsaris nostri, bellum incœpit : et cum multis auxiliis Posthumius juvaretur Celticis ac FRANCICIS, in bellum cum Victorino processit, cum quo imperium participaverat. Victrix Gallieni pars fuit. *Trebellius Pollio in Gallienis, p.* 178.

264. *Gallienus inimicum Romæ triumphum egit, ubi inter captivos Franci simulati.*

Ibant præterea gentes simulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, FRANCI, Persæ : ita ut non minus quam ducenti singulis globis ducerentur. *Ibidem, p.* 179.

265. *Piraticæ excursiones Francorum. Tarracona a Francis diripitur.*

FRANCI ipsi præter cæteros truces, quorum vis cum ad bella effervesceret, ultra ipsum Oceanum æstu furoris evecta, Hispaniarum etiam oras armis infestas habebat. *Nazarius in Panegyrico Constantini Magni, n.* 17

His prospere ac supra vota cedentibus, more hominum, secundis solutior, rem Romanam quasi naufragio dedit, cum Salonino filio cui honorem Cæsaris contulerat, adeo uti... Alemannorum Juthungi Italiam, FRANCORUM gentes, direpta Gallia, Hispaniam possiderent, vastato ac pene direpto Tarraconensium oppido. *Aurelius Victor in Gallieno.*

268. *Gallienus occisus, Claudius A.*

270. *Claudii mors. Aurelianus A.*

273. *Aurelianus in Gallliis vincit Tetricum. Triumphat Romæ. Inter captivos Franci.*

Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, FRANCI, Suevi,

Vandali, Germani, religatis manibus captivi præcesserunt. *Fl. Vopiscus in Aureliano, p.* 220.

274. *Probus in Gallia Francos cædit.*

Testes Franci inviis strati paludibus, testes Germani et Alemanni longe a Rheni submoti littoribus... Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia, et prius fuisti semper dignus Imperio, dignus triumphis. *Flav. Vopiscus in Probo imp., p.* 237.

275. *Aurelianus occisus, Tacitus A.*

276. *Mors Taciti, Florianus A. post* 60 *dies occisus. Ob statuas Taciti et Floriani fulmine dejectas responsum aruspicum de Francis.*

Interamnæ (Taciti et Floriani) statuæ fuerunt dejectæ fulmine, quo tempore responsum est ab aruspicibus, quandoque ex eorum familia Imperatorem Romanum futurum, seu per feminam, seu per virum, qui det judices Parthis ac Persis : qui Francos et Alemannos sub Romanis legibus habeat. *Fl. Vopiscus in Floriano, p.* 231

Probus A.

277. *Probus per duces suos in Gallia Francos strenue vincit.*

Alterum contra Francos prælium pugnavit : quibus opera ducum strenue victis, ipse cum Burgundorum, Vandilorumque copiis dimicavit. *Zosimus, Hist. l.* I, *p.* 664.

280. *Excursio piratica Francorum a Ponto, ubi sedes datæ eis erant, per mare Mediterraneum; Græcia et Asia populatæ, Syracusæ captæ, reditusque eorum in Franciam.*

Recursabat quippe in animos illa sub divo Probo et paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, et indigna felicitas, qui a Ponto usque correptis navibus Græciam, Asiamque populati, nec impune, plerisque Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, et immenso itinere pervecti Oceanum, qua terras irrupit, intraverant : atque ita eventu temeritatis ostenderant, nihil esse clausum piratici desperationi, quo navigiis pateret accessus. *Eumenius in Paneg. Constantio Cæsari, cap.* 18.

Iidem cum Franci ad imperatorem accessissent, et ab eo sedes obtinuissent, pars eorum quædam defectionem molita, magnamque navium copiam nacta, totam Græciam conturbavit. In Siciliam quoque delata, et urbem Syracusanam adorta, magnam in ea cædem edidit. Tandem cum et in Africam appulisset, ac rejecta fuisset, adductis Carthagine copiis, nihilominus domum redire, nullum passa detrimentum, potuit. *Zosimus, Hist. l.* I.

Proculum in Gallia rebellantem proditumque a Francis Probus vincit et interimit.

Hunc tamen Probus fugatum usque ad ultimas terras, et cupientem in Francorum auxilium venire, a quibus originem se trahere ipse dicebat, ipsis prodentibus Francis, quibus familiare est ridendo fidem frangere, vicit et interemit. *Fl. Vopiscus in Proculo, p.* 246.

282. *Probus occisus. Carus A., Carinus et Numerianus ejus filii Cæsares.*

283. *Carus fulmine ictus interiit. Carinus et Numerianus AA.*

284. *Numerianus occisus. Diocletianus* A. *Maximianus Herculius Cæsar.*

285. *Carinus occisus.*

286. *Maxim. Herculius A. transit in Gallias, rusticos tumultuantes, qui se Bacaudas nominabant, compescit et opprimit.*

287. *Maximianus Burgundiones, Alamannos, Chabiones, et Erulos effusos in Gallias profligat.*

Francis et Saxonibus Carausium opponit. Eumdem occidi jubet, quod ille comperiens Britanniam occupat.

Post hæc tempora etiam Carausius, qui vilissime natus, in strenuo militiæ ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicæ et Armoricæ pacandum mare ac quod Franci et Saxones infestabant, multis sæpe captis, nec præda integra, aut provi reddita, aut imperatoribus missa, cum susp cœpisset consulto ab eo admitti barbaros, eúntes cum præda exciperet, atque hac se ditaret, a Maximiano jussus occidi, purpur psit, et Britannias occupavit. *Eutropius lib.*

Franci Bataviam invadunt.

Multa ille Francorum millia qui Bataviam cis Rhenum terras invaserant interfecit, *certus in Paneg. Maxim. et Constantino M., victoria Constantii patris Const. M.*

Terram Bataviam, sub ipso quondam alu rausio) suo a diversis Francorum gentibus o omni hoste purgavit. *Eumenius in Paneg. tino M., c.* 5, *de victoria ejus patris Constan*

288. *Maximianus ultra Rhenum Germanos stativa habet in Francia. Athech et Genobaud corum reges. Athech pacem ab eo impetrat, baudes regnum recipit. Franci cessant a bello*

Cum per te regnum receperit Genobaude vero munus acceperit. Quid enim ille aliud ad conspectum cum omni sua gente venien ut tunc demum integra auctoritate regnaret Maximiane, placasset ? Ostendit ille te ident audio popularibus suis, et intueri diu jussi sequia discere, cum tibi ipse serviret. *Cl. Mc in Paneg. Maximiano, A.*

Prætereo Francos ad petendam pacem c venientes. *Claud. Mamertinus in Genethlia miani et Diocletiani, c.* 5.

Transrhenana victoria, et domitis oppres cis bella piratica. *Idem, c.* 7.

289. *Maximianus cum Carausio bellum i gerit.*

Cum Carausio tamen, cum bella frustra essent contra virum rei militaris peritissin postremum pax convenit. *Eutropius, Hist. l*

291. *Maximianus Francos in Galliam tran*

Itaque sicuti pridem tuo, Diocletiane jussu supplevit deserta Thraciæ translatis Asia, sicut postea tuo, Maximiane August Nerviorum et Treverorum arva jacentia læti minio restitutus, et receptus in leges Franc luit. *Eumenii Paneg. Const. Cæsari, c.* 21.

292. *Constantius et Galerius Cæsares. Gallia commissa. Bononia ab eo capta.*

293. *Constantius Bataviam a Francis e recuperat, eosque in Galliam abducit.*

Multa ille Francorum millia, qui Bataviam cis Rhenum terras invaserant, interfecit, cepit, abduxit. *Incerti Paneg. Maximiano et tino, c.* 4.

Qui eodem exercitu virtute capto, clemer servato, dum ædificandis classibus Britanni peratio comparatur, terram Bataviam, sub ip dam alumno suo a diversis Francorum gent cupatam, omni hoste purgavit, nec contentu ipsas in Romanas transtulit nationes, ut no arma, sed etiam feritatem ponere cogeren *menii Paneg. Constantino A., c.* 5.

Aut hæc ipsa (Batavia) quæ modo desi Barbaria non magis feritate Francorum veh desiderat, quam si eam circumfusa flumina alluens operuisset. *Idem in Orat. pro rei scholis, c.* 18.

Itaque sicuti pridem tuo, Diocletiane supplevit deserta Thraciæ translatis incolis cut postea tuo, Maximiane A., nutu Nervi Treverorum arva jacentia lætus postliminio tus et receptus in leges Francus excoluit, per victorias tuas, Constanti Cæsar invict quid infrequens Ambiano, et Bellovaco et Ti solo, Lingonicoque restabat barbaro cultor scit. *Eumenii Paneg. Constantio Cæsari c.* 2

Allectus socius Carausii eum occidit et post eum Britannias triennio tenuit.

296. *Constantius bellum infert Britanniæ; Allectus, victus et occisus ab Asclepiodoto præfecto prætorii. Franci in exercitu Allecti partim occisi, partim capti.*

Enim vero, Cæsar invicte, tanto deorum immortalium tibi est addicta consensu victoria omnium quidem quos adortus fueris hostium, sed præcipue internecio Francorum, ut illi quoque milites vestri, qui per errorem nebulosi, ut paulo ante dixi, maris abjuncti, ad oppidum Londinense pervenerant, quidquid ex mercenaria illa multitudine Barbarorum prælio superfuerat, cum direpta civitate fugam capessere cogitarent, passim tota urbe confecerint; et non solum provincialibus vestris in cæde hostium dederint salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem. O victoria multijuga et innumerabilium triumphorum, qua Britanniæ restitutæ, qua vires Francorum penitus excisæ. *Eumenii Paneg. Constantio Cæsari, c.* 17.

305. *Diocletianus et Maximianus purpuram deponunt, et Constantium Galeriumque Augustos nuncupant.*

Constantius Galliam, Hispaniam et Britanniam obtinuit.

Constantinus Galerio repetitus a patre proficiscitur in Gallias, et ad eum accessit eo tempore quo in Britanniam transfretabat.

306. *Constantius moritur Eboraci.*

Constantinus a Galerio Cæsar nuncupatus in Galliam transit, Francorumque irruptionem reprimit, regesque ipsos captivos fecit. Rheno trajecto Franciam ingressus Bructeros populatur, pontem Coloniæ Agrippinæ construit.

Affecisti pœna temeritatis reges ipsos Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violaverant: non dubitasti ultimis punire cruciatibus: nihil veritus gentis illius odia perpetua et inexpiabiles iras. *Eumenii Paneg. Const. M., c.* 10.

Hæc est tua, Constantine, de Ascarici Regaisique supplicio quotidiana atque æterna victoria. *Ibid., c.* 11.

Ut tamen omnibus modis Barbarorum immanitas frangeretur, nec sola hostes regum suorum supplicia mœrerent, etiam immissa Bructeris vastatione fecisti, imperator invicte, in quo prima consilii tui fuit ratio, quod exercitu repente trajecto inopinantes adortus es, non quo aperto marte dimicares, ut qui palam congredi maluisses, sed ut illa natio perfugiis silvarum et paludium bellum solita frustrari fugæ tempus amitteret. Cæsi igitur innumerabiles, capti plerimi; quidquid fuit pecoris captum, aut trucidatum est; vici omnes igne consumpti; puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati sævientes bestias multitudine sua fatigarunt. *Ibid., cap.* 12.

Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictæ gentis insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat; cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, et ornatum limitis facias, quam ad facultatem quoties velis in hosticum transeundi; quippe cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit, et ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat. *Ibid., c.* 13.

Constantinus ob illam victoriam ludos Francicos instituit, et quotannis per VI *dies cum maxime circensium missibus* 24 *eam celebravit.*

Julius. Idibus ludi Francici.
XVII Kalend. Aug.
XVI
XV
XIV
XIII Francici cm xxiiii.

Kalendarium Romanum vetus apud Bucherium Comm. in Victorium Aquitanum.

307. *Maximianus Constantinum ex Cæsare Augustum fecit, et ei Faustam filiam in matrimonium dedit.*

308. *Franci Gallias turbant. Constantinus cum paucis in eos proficiscitur, suadente Herculio, qui interea purpuram resumit, et exercitum ad defectionem sollicitat. Constantinus admirabili celeritate redit, eumque opprimit.*

Francorum gens in armis erat. (Herculius) persuadet nihil suspicanti ne omnem secum exercitum duceret, paucis militibus posse Barbaros debellari, ut et ipse haberet exercitum quem occuparet, et ille opprimi posset ob militum paucitatem. Credit adolescens ut perito ac seni, paret ut socero, proficiscitur relicta militum parte majore. Ille paucis diebus exspectatis, cum jam Constantinum æstimaret intrasse fines Barbarorum, repente purpuram sumit, thesauros invadit, donat ut solet large, fingit de Constantino quæ in ipsum protinus reciderunt. Imperatori propere quæ gesta sunt nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat; opprimitur homo ex improviso nondum satis instructus: milites ad Imperatorem suum redeunt. *Lactantius de Mortibus persecutorum, cap.* 29.

310. *Constantinus Francos, Alamannos aliosque Germaniæ populos vincit.*

Quid memorem Bructeros? quid Chamavos? quid Cheruscos, Vangionas, Alamannos, Tubantes, Bellicum strepunt nomina, immanitas Barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem. Hi omnes sigillatim, deinde pariter armati, conspiratione fœderatæ societatis exarserant. Tu tamen, imperator, cum tantam belli molem videres, nihil magis timuisti quam ne timereris. Adis Barbaros, et dissimulato principis habitu, quam proxime poteras cum duobus acced s... Innumeræ simul gentes ad bellum coactæ, sed uno impetu tuo fusæ, dum collativam vim comparant, compendiosam victoriam præstiterunt. *Nazarii Paneg. Const. Magno, c.* 18.

313. *Constantinus victo Maxentio redux in Gallias Francos profligat.*

Non enim fessus præliis, et expletus victoriis, ut natura fert, otio te et quieti dedisti, sed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexisti ad inferiorem Germaniæ limitem: magna scilicet intercapedine temporis, ac brevi locorum distantia post annuam expeditionem statim bello auspicatus a Tiberi ad Rhenum. *Incerti Paneg. Const. Mag., cap.* 21.

Ruperat fidem gens levis et lubrica Barbarorum, et robore atque audacia lectis eruptionis auctoribus, institisse Rheno nuntiabantur. Illico obvius adfuisti, et præsentia tua ne auderent transitum terruisti. Etiam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam, quod inhabita eruptione non foret materia victoriæ, sed inopinato consilio usus, abeundo enim, simulato nuntio majoris in superiore limite tumultus, occasionem stolidis ac ferinis mentibus obtulisti in nostra veniendi, relictis in occulto ducibus qui securos adorirentur: quo cum venissent, consilium tuum sequitur fortuna. Toto Rheni alveo oppleto navibus devectus terras eorum ac domos mœstas lugentesque populatus es, tantamque cladem vastitatemque perjuræ genti intulisti, ut vix post illud nomen habitura sit. *Ibid. c.* 22.

Facile est vincere timidos et imbelles, quales amœna Græcia et deliciæ Orientis educunt, vix leve pallium, et Sericos sinus vitando sole tolerantes, et si quando in periculum venerint, libertatis immemores, ut servire liceat orantes. Romanum vero militem, quem qualemque ordinat disciplina, aut trucem Francum ferina sola carne distentum, qui vitam pro victus sui vilitate contemnat, quantæ molis sit superare, vel capere? quod tu, imperator, et nuper in Italia et in ipso conspectu Barbariæ paulo ante fecisti. *Idem, c.* 24.

Imp. Cæsar. D. Constant. Filius. Fl. Constant. Max. victor. ac triumphator Pius. Felix. Invictus

Aug. Germanicus Sarmaticus. Francicus. Gothicus. Vandalicus. *Ex Onufrio.*

320. *Chrispus Cæsar in Galliis Francos vincit.*

Franci ipsi, præter cæteros truces, etc., sub armis tuis ita conciderunt, ut deleri funditus possent, nisi divino instinctu, quo regis omnia, quos ipse afflixeras conficiendos filios reservasses... cum memoria acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret. *Nazarii Paneg. Const. M. cap.* 17.

Quæ tuum, Constantine maxime, mite pectus inundavit gratulatio, cui tanto intervallo videre filium licuit, et videre victoriam, narravit utique exhausta bella, et hoc ad suam gratiam, non ad sui ostentationem : qualis excipiendo hoste, quam resistenti vehemens, quam facilis supplicanti. *Idem, cap.* 37.

. . . . Major tua gloria terris
Eo, Auguste, tuis præsens, et tantus ubique
Imperiis, fœcunde paras nunc omine Chrispi,
Oceani intactas oras, quibus eruta Franci
Dat regio procul ecce dium, cui devia latis
Tota patent, campi sub cæso limite victor.
P. Optatiani Porphyrii Paneg.

325. *Chrispus Cæsar Francis bellum inferre parat.*

Otia Cæsaribus pacis dedit, aurea sæcla
Indulgens natis patriæ pietatis honore,
Mitis jure Deus. Sed Chrispi in fortia vires
Non dubiæ ripa Rhenum Rhodanumque tueri
Ulteriore parant, et Francis tristia jura.
P. Optatiani Porphyrii Paneg.

337. *Constantinus M.* 22 *Maii moritur. Tres ejus filii Cæsares, Constantinus, Constantius et Constans AAA.*

Constantinus Gallias obtinet.

340. *Constantino occiso, Constans in Gallia imperat.*

341. *Constans cum Francis pugnat in Galliis.*

Vario eventu adversum Francos a Constante pugnatur. *S. Hieronymus in Chronico.*

Eodem vero tempore contigit ut respublica etiam turbaretur. Nam Francorum gens in Gallias irruptione facta, Romanorum agros vastavit. *Socrates, Hist. l.* 1, *c.* 10.

341. Marcellino et Probino. His Conss. pugna facta est cum gente Francorum a Constante *A.* in Galliis. *Idatius.*

342. *Franci a Constante vincuntur et pacantur.*

Franci a Constante perdomiti et pax cum eis facta. *S. Hieronymus in Chronico.*

Constantio scilicet tertium et Constante iterum : quo quidem tempore Constans Francos bello superatos, socios ac fœderatos populi Romani effecit. *Socrates, lib.* 1, *c.* 13.

Constantio III et Constante II. His Conss. victi Franci a Constante A. seu pacati. *Idatius.*

350. *Magnentius natione Francus imperium arripit, et Constantem A. per Gaisonem Francum prope Pyrenæos in castro Elena interficit.*

351. *Magnentius apud Mursiam acie vincitur a Constantio A. Franci et Saxones in exercitu Magnentii.*

Aderant una et affinitatis nomine promptissimi sociorum Franci, et Saxones, qui ultra Rhenum atque Occidentis mare habitant nationes omnium bellicosissimæ. *Julianus in oratione prima. In Constantii imp. laudem.*

353. *Magnentius Lugduni se interficit, Decentius ejus frater Cæsar apud Saxones laqueo se suspendit.*

355. *Silvanus magister peditum, apud Coloniam Agrippinam imperium invadit, et post* 28 *dies occisus. Multitudo Francorum in aula Constantii Augusti.*

Cum diuturna incuria Galliæ cædes acerbas, rapinasque et incendia, Barbaris licet grassantibus, nullo juvante perferrent, Silvanus pedestris militiæ rector, ut efficax ad hæc corrigenda, principis jussu perrexit, Arbetione id maturari modis quibus poterat adigente, ut absenti æmulo, quem superesse adhuc gravabatur, periculosæ molis onus impingeret. *Descrivit fusius quæ adversus Silvanum machinarunt, tum prosequitur Ammianus.*

Iniquitate rei percitus Malarichus gentilium collegis adhibitis strepebat immaniter, circumhomines dicatos Imperio per factiones et dolnime debere proclamans : petebatque ut ipse obsidum loco necessitudinibus suis, Mallobaumaturarum tribuno spondente quod remeabcius jubberetur ire ducturus Silvanum, aggretale conatum, quale insidiatores acerrimi runt : vel contra se paria promittente, Mallo orabat properare permitti, hæc quæ ipse p est impleturum. Testabatur enim id se procuscire, quod si quis mitteretur externus, sugenio Silvanus, etiam nulla re perterrente composita forte turbabit ; et quanquam utilis ret et necessaria, ventis tamen loquebatur in Namque Arbetione, etc.

Hæc Malarichus subito nactus, etiam tum lens et mœstus, suamque et popularis Silvaniviter ingemiscens, adhibitis Francis, quitempestate in palatio multitudo florebat, jam loquebatur : tumultuabaturque, patefactis retectaque jam fallacia, per quam ex confeseorum appetebatur, etc. Agens inter hæc apupinam Silvanus, assiduisque suorum comperiis, quæ Apodemius in labem suarum agennarum, et sciens animum tenerum versabilispis, timens ne absens et indemnatus perreus, in difficultate positus maxima, Barbafidei committere cogitabat. Sed Laniogaiso tunc tribuno... docenteque Francos, unde ointerfecturos eum, aut accepto præmio pronihil tutum ex præsentibus ratus, in consiliatur extrema : et sensim cum principiorum vesecretius collocutus, iisdemque magnitudine pmercedis accensis, cultu purpureo a dracvexillorum insignibus ad tempus abstracto, adImperiale surrexit, etc.

Firmato itaque negotio per sequestres gregarios, obscuritate ipsa ad id patrandum ipræmiorum expectatione accensos, solis ortutilo, subitus armatorum globus erupit : atquelet in dubiis rebus audentior, cæsis custodibpenetrata, Silvanum extractum ædicula, quimatus confugerat, ad conventiculum ritus Cltendentem, densis gladiorum ictibus truclta dux haud exsilium meritorum hoc genetit mortis, metu calumniarum, quibus factiquorum irretitus est absens, ut tueri possit sad præsidia progressus extrema. Licet enimpestivam illam cum armaturis proditionem asense prælium, obligatum gratia retineret Ctium ; ut dubium tamen, et mutabilem verebacet patris quoque Boniti prætenderet fortiFranci quidem, sed pro Constantini partibuscivili acriter contra Licinianos sæpe versamian. *Marcellin., lib.* XV.

355. *Franci Coloniam Agrippinam diripiunt a Constantio A. Cæsar creatus in Gallia tur.*

(Julianus) itineribus rectis Taurinos perve nuntio... Indicabat autem Coloniam Agrip ampli nominis urbem in secunda Germania, Barbarorum obsidione reseratam magnis vi deletam. *Amm., Hist. lib.* XV.

356. *Julianus Coloniam Agr. a Francis cacipit et pacem cum eorum regibus facit.*

Nullo itaque repugnante, ad recuperandplacuit Agrippinam, ante Cæsaris in Galliatum excisam, etc.... Igitur Agrippinam in non ante motus est exinde, quam Francoaurfurore mitescente perterritis, pacem firmarebliæ interim profuturam, et urbem recipertissimam. *Ammian., Hist. lib.* XVI.

His ergo calamitatibus vexatam, et afflictaGalliam, primum Agrippinam recuperavi, t

Rhenum altam, quæ ante menses circiter decem in potestatem hostium venerat. *Julian. epist. ad S. P. Q. Atheniensem.*

357. *DC. Franci in castello Menapiorum a Juliano obsessi et ad deditionem compulsi sunt.*

Rhemos Severus magister equitum per Agrippinam petens et Juliacum, Francorum validissimos cuneos in sexcentis velitibus, ut postea claruit, vacua præsidiis loca vastantes offendit ; hac opportunitate in scelus audaciam erigente, quod Cæsare Alamannorum secessibus occupato, nulloque vetante, expleri se posse prædarum opimitate sunt arbitrati. Sed metu jam reversi exercitus, munimentis duobus, quæ olim eximanita sunt, occupatis, se quoad fieri poterat tuebantur. Hac Julianus rei novitate perculsus, et conjiciens quorsum erumperet, si iisdem transisset intactis, retento milite circumvallare disposuit, etc... inedia, et vigiliis, et desperatione postrema lassati, sponte se propria dederunt : statimque ad comitatum Augusti sunt missi. Ad quos eximendos periculo multitudo Francorum egressa, cum captos comperisset, et asportatos, nihil amplius ausa, repedavit ad sua. Hisque perfectis acturus hiemem revertit Parisios Cæsar. *Ammian., Hist. lib.* XVII.

358. *Julianus Saliis et Chamavis bellum infert, et partem Saliorum quæ in Galliam irruperat in deditionem accepit.*

Quibus (subsidiis) paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellavit, 'ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere prælicenter. Cui cum Tungros venisset, occurrit legatio prædictorum, etc. Subito cunctos aggressus, tanquam fulminis turbo perculsit : jamque precantes potiusquam resistentes in opportunam clementiæ partem effectu victoriæ flexo, dedentes se cum opibus liberisque suscepit. *Ammian., Hist. lib.* XVII.

Quin adversus eos barbaros, id est Francos, Salios et Chamavos exercitum movens, aspirantibus diis, Saliorum partem excepi : Chamavos expuli, etc. *Julian. epist. ad S. P. Q. Atheniensem.*

Julianus Chamavos partim cædit, et partim vivos captos in vincula compegit cum illorum rege Nebiogaste, reddito ei filio captivo, et accepta sola ejus matre obside, pacem fecit.

Chamavos itidem ausos similia adortus, eadem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes vivosque captos compegit in vincula, etc., quorum legatis humi prostratis sub obtutibus ejus, pacem hoc tribuit pacto, ut ad sua redirent incolumes. *Ammian., Hist. lib.* XVII.

Cum Julianus in terram hostilem irrupisset, et Chamavi supplicarent ut genti tanquam quæ sua esset, parceret, assensus est, et eorum regem ad se venire jussit. Ut venit, etc., esse existimantes. Pacem igitur fecit; et solam Nebogasti matrem petiit, quam barbari fœdus approbantes statim dederunt *cum ejusdem regis filio, qui in prælio captus fuerat.* His confectis, autumno ad finem vergente et hieme ineunte (jam enim frigebat), profectus est. *Ex Eunapii Sardiani Excerptis de legationibus.*

360. *Julianus Cæsar Parisiis Augustus appellatur. Qui transgresso Rheno regionem Francorum Attuariorum pervadit, eos profligat et orantibus pacem ex arbitrio dedit.*

Julianus... etc., in limitem Germaniæ secundæ est egressus... Rheno exinde transmisso, regionem subito pervasit Francorum, quos Attuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percursantium extima Galliarum, quos adortus subito nihil metuentes hostile... superavit negotio levi : captisque plurimis et occisis, orantibus aliis qui superfuere, pacem ex arbitrio dedit. *Ammian., Hist. lib.* XX.

Francus ex aula Constantii A. a dæmone per S. Hilarionem est liberatus.

Candidatus (quidam) Constantii imperatoris, rutilas coma, candore corporis indicans provinciam (inter Saxones quippe et Alemannos gens ejus non tam lata quam valida, apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur), ab antiquo, hoc est ab infantia possessus a dæmone, qui noctibus eum ululare, ingemiscere, fremere dentibus compellebat, secreto vero ab imperatore evectionem petiit, causam ei simpliciter indicans; et acceptis ad consularem quoque Palæstinum litteris, cum ingenti honore et comitatu Gazam deductus est, etc. Deambulabat tunc senex in arenis mollibus, et secum de psalmis nescio quid submurmurabat : videnque tantam turbam venientem, substitit; et resalutatis omnibus, manuque eis benedicens, post horam cæteros abire præcepit, illum vero cum servis suis et apparitoribus remanere. Ex oculis enim ejus, et vultu, cur venisset agnovit. Statim ergo ad interrogationem suspensus homo, vix terram pedibus tangens, et immane rugiens, Syro, quo interrogatus fuerat, sermone respondit. Videres de ore barbaro, et qui Francam tantum et Latinam linguam noverat, Syra ad purum verba resonare; ut non stridor, non aspiratio, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquii. Confessus est itaque, quo in eum intrasset ordine. Et, ut interpretes ejus intelligerent, qui Græcam tantum et Latinam linguam noverant, Græce quoque eum interrogavit. Quo similiter et in verba eadem respondente, multasque incantationum occasiones, et necessitates magicarum artium obtendente : Non curo, ait, quomodo intraveris, sed ut exeas, in nomine Domini Jesu Christi impero. Cumque curatus esset, simplicitate rustica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit, audiens quod qui tali cibo alerentur aurum pro luto ducerent. *S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis.*

363. *Julianus interiit. Jovianus A.*

364. *Malaricus Francus magisterium armorum per Gallias suscipere recusat.* Ex Ammian., Hist. lib. XXV.

Jovianus A. moritur. Valentinianus fit A. post aliquot dies Valentem fratrem A. creat; eique Orientis imperium permittit.

366. *Charietto Francus per utramque Germaniam comes contra Alamannos pugnans occiditur.* Ex Ammiano, Hist. lib. XVII.

367. *Gratianus A.*

368. *Franci et Saxones vastant Gallias.*

Gallicanos tractus Franci et Saxones iisdem confines, quo quisque erumpere potuit terra vel mari, prædis acerbis incendiisque, et captivorum funeribus hominum violabant. *Amm., Hist. l.* XXVII.

Imperator Cæsar. Fl. Valentinianus.... Germanicus Maximus, Alamannicus Maximus, Francus Maximus, Gothicus Maximus, tribunitiæ potestatis VII, imperator VI, Consul. II. *Onufr.*

369. *Pax inter Romanos et Francos.*

370. *Saxones victi a Romanis in finibus Francorum ; a quibus nullum auxilium præstitum est ob pacem cum Romanis.*

Saxones cæsi ad Usonem, in regione Francorum. *S. Hieronymus in Chronico*, 377.

Valentinianus Saxones, etc. In ipsis Francorum finibus oppressit. *Orosius, l.* VII, *c.* 32.

374. *Macrianus occisus a rege Francorum.*

Macrianus rex Alamannorum periit in Francia : quam dum internecive vastando perrumpit avidius, oppetiit Mellobaudis bellicosi regis insidiis circumventus. *Ammian., Hist. l.* 30.

375. *Valentinianus A. obiit. Valentinianus Junior A., cui Italiam et Africam Gratianus A. dedit, Galliis sibi retentis.*

377. *Gratianus A. Merobaudes Francus cos. Richomeres comes domesticorum a Gratiano mittitur in Thraciam contra Gothos.*

Richomeres Francus comes domesticorum... Profuturo sociatur, etc., pertinaci concertatione nondum lassatæ, æquo Marte partes semet altrinsecus afflictabant : nec de rigore genuino quisquam remittebat, dum vires animorum alacritas excitaret, dire

mit tamen interneciva certamina cedens vespero A die, etc.... post quæ repetivit Gallias Richomeres, ob majorem præliorum fremitum qui exspectabatur, inde admînicula perducturus. *Ammian., Hist. l.* XXXI, *cap.* 7 *et* 8.

378. *Gratianus per Mellobaudem regem Francorum domesticorum comitem Lentienses vincit.*

Lentiensis Alamannicus populus... pagorum omnium populis in unum collectis, cum quadraginta armatorum millibus vel septuaginta, ut quidam laudes extollendo principis jactitarunt, sublati in superbiam nostra confidentius irruperunt; quibus Gratianus, etc. Nannieno negotium dedit virtutis sobriæ duci: eique Mallobaudem junxit pari potestate collegam domesticorum comitem regemque Francorum, virum bellicosum et fortem. Nannieno igitur pensante fortunarum versabiles casus, ideoque cunctandum esse censente; Mallobaudes alta pugnandi cupiditate raptatus, ut consueverat, ire in hostem differendi impatiens angebatur. Proinde horrifico adversum fragore terrente, primum apud Argentariam signo per cornicines dato concurri est cœptum... non plusquam quinque millia ut æstimabatur evaserunt, etc.; inter complures alios audaces et fortes rege quoque Priario interfecto, exitialium concitore pugnarum, etc. Conversus illuc cum exercitu Gratianus eadem qua antea fortitudine semitas ducentes ad ardua quæritabat: quem Lentienses intentum jugulis suis omni perseverandi studio contemplantes, post deditionem, quam impetravere suppliei prece, oblata (ut præceptum est) juventute valida nostris tirocinîis permiscenda, ad genitales terras innoxii ire permissi sunt. *Ammian., Hist. l.* XXXI, *c.* 10.

Valens A. In pugna cum Gothis vivus a barbaris est exustus.

379. *Bauto et Arbogastes Franci missi a Gratiano A. cum copiis ad Theodosium in Macedoniam et Thessaliam contra barbaros.*

At Gratianus, harum rerum nuntio non parum perturbatus, satis magnas copias ablegat, Baudoni C duci traditas: cum quo et Arbogastem misit. Erant autem ambo natione Franci, amicissimis in Romanos animis, ab avaritia tenisque captandis prorsus immunes, in bellicis rebus prudentia pariter ac robore præstantes. Postquam hi cum exercitu in Macedoniam Thessaliamque pervenissent, qui res istic agebant Scythæ, etc., ad imperatorem Theodosium mittunt, qui et benevolentiam et societatem, et faturos se quidquid imperasset, pollicerentur. *Zosimus, Hist. lib.* IV.

Theodosius a Gratiano A. fit Augustus.

382. Priamus regnat in Francia. *Prosperi Chronicum Pithœanum.*

383. *Merobaudes II. Saturninus coss. Maximus imperium invadit. Gratianum Lugduni dolo interceptum per Andragathium ducem occidit.*

384. *Richomeres Francus Clearchus coss.*

385. *Arcadius A. Bauto Francus coss.*

Cum ego Mediolanum ante Bautonem consulem D venerim, eique consuli kalendis Januariis laudem in tanto conventu conspectuque hominum, pro mea tunc rhetorica professione recitaverim. *S. Augustin. contra litteras Priscilliani, lib.* III, *cap.* 30.

388. *Maximo apud Aquileiam victo et occiso, Franci et Saxones qui navali militiæ Maximi merebant victoribus se sociarunt.*

Ille (Maximus) igitur statim a Francis et a Saxonum gente, in Sicilia, Siscia, Petavione, ubique terrarum victus est. *S. Ambrosius, Epist.* 40 *ad Theodos.*

Victor filius Maximi Cæsar ab Arbogaste imperio dejectus et occisus.

Genobaldus, Marcomeres, et Sunno irrumpunt in Gallias. Nannius et Quintinus magistri militum contra eos exercitum ducunt. Quintinus Francian *ingressus magnam cladem accipit.*

Eo tempore Genobaldo, Marcomere, et Sunnone ducibus, Franci in Germaniam prorupere, etc.; perturbatis ergo ordinibus cæsæ legiones, Heraclio Joviniacorum tribuno, ac pene omnibus qui militibus præerant, exstinctis, paucis effugium tutum nox et latibula silvarum præstitere. *Sulpitius Alexander lib.* III *Histor. Lege locum integrum apud Gregorium Turon. lib.* III *Hist.; cap.* 8, *col.* 57.

380. *Franci Gallias infestant. Arbogastes Romanos in eos excitat. Valentinianus pax cum illis init.*

Eo tempore Charietto et Syrus in locum Nanieni subrogati in Germania cum exercitu opposito Francis diversabantur, etc. *Sulpitius Alexander l.* IV *Hist. apud Gregorium Turon. lib.* II, *col.* 59.

392. *Valentinianus A. Viennæ occisus. Arbogastes Eugenium ad imperium evehit.*

Dum diversa in Oriente per Thracas geruntur, in Gallia status publicus perturbatur, et clauso apud Viennam palatii ædibus principe Valentiniano, etc. *Sulpitius Alexander apud Gregor. l.* II *Hist., col.* 59.

Arbogastes oriundus e gente Francorum, quem secundum a Baudone duce locum Gratianus imperator B obtinere jusserat, illo rebus humanis exempto, fretus industria sua, citra principis auctoritatem magisterium militum in se transtulerat, etc. Tandem Valentinianus... libellum porrigit, quo ei magistratum abrogabat. Hoc ille perlecto: Nec potestatem mihi dedisti, ait, nec eripere poteris. Quibus prolatis, discerptoque libello, et in terram abjecto discedit, etc. Quapropter (Arbogastes) imperatorem, qui apud oppidum Galliæ Viennam commorabatur... adortus lethaliter vulnerat et interficit. Cum omnes taciti facinus admissum ferrent, ob viri dignitatem, et fortitudinem bellicam, ac præterea, quod hominem magna benevolentia milites prosequerentur, qui pecuniam contemneret: Eugenium imperatorem declarat, etc. *Zosimus l.* IV *Histor.*

Arbogastes bellum infert Francis et postea cum eis pacem facit.

Eodem anno Arbogastes Sunnonem et Marcomeren subregulos Francorum gentilibus odiis insectans, etc. *Sulpitius Alexander apud Gregor. l.* II *Hist., col.* 60.

Per idem tempus Arbogastes comes adversus gentem suam, hoc est Francorum, bellum paravit, atque pugnando non parvam multitudinem manu fudit; cum residuis vero pacem firmavit. Sed cum in convivio a regibus gentis suæ interrogaretur, utrum sciret Ambrosium, et respondisset nosse se virum, et diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari solitum, audivit: Ideo vincis omnes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit soli, sta et stat. *Paulinus in Vita S. Ambrosii.*

393. *Franci in exercitu Eugenii.*

Dehinc Eugenius tyrannus, suscepto expeditionali procinctu, Rheni limitem petit, ut cum Alamannorum et Francorum regibus vetustis fœderibus ex more initis, immensum ea tempestate exercitum gentibus feris ostentaret. *Sulpitius Alexander apud Greg. Turon. l.* II *Hist., col.* 60.

394. *Theodosius A. Eugenium vincit et occidit. Arbogastes seipsum interficit.*

Potentia Dei, non fiducia hominis, victorem semper extitisse Theodosium, Arbogastes iste præcipuum in utroque documentum est: qui... collectis Gallorum Francorumque viribus exundavit, nixus etiam præcipuo cultu idolorum, magna tamen facilitate succubuit. Eugenius atque Arbogastes instructas acies campis expedierant, etc. At vero Theodosius in summis Alpibus constitutus, expers cibi ac somni.... corpore humi fusus, mente cœlo fixus, orabat. Dehinc postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, etc., arma corripuit solus: sciens se esse non solum signo crucis tuendum, sed et victoriam adepturum, signo crucis se muniens, signum victoriæ dedit (ac signo crucis signum prælio dedit), ac se in bellum, etiamsi nemo sequeretur, victor futurus immisit, etc. Eugenius captus atque interfectus est. Arbogastes sua se manu perculit. Ita et hic

duorum sanguine bellum civile restinctum est. *Orosius, Histor. l.* VII.

. . . . Cauto nec profuit hosti
Munitis hæsisse locis. Spes irrita valli
Concidit, et scopulis patuerunt claustra revulsis, etc.
At ferus inventor scelerum trajecerat altum
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Ensis, et ultrices in se converterat iras
Tandem justa manus.
Claudianus de tertio consulatu Honorii A. Paneg.

395. *Theodosius A. Mediolani moritur. Arcadius Orientem obtinet, Occidentem Honorius, qui per Stiliconem pacem facit cum Francis.*

Hunc tamen imprimis populos lenire feroces,
Et Rhenum pacare jubes. Volat ille citatis
Vectus equis ...
Attonitos reges humili cervice videres.
Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Cæsariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere solo : juratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alemannia nomen.
Basternæ venere truces, venit accola sylvæ
Bructerus Hercyniæ, latisque paludibus exit
Cimbrus, et ingentes Albim liquere Cherusci.
Accipit ille preces varias; tardeque rogatus
Annuit; et magno pacem pro munere donat, etc.
Hoc tibi dat Stiliconis iter.
Claudianus in quarto consulatu Honorii A. Paneg.
Miramur rapidis hostem succumbere bellis,
Cum solo terrore ruant. Non classica Francis
Intulimus, jacuere tamen, etc.
Idem lib. I *de laudibus Stiliconis.*

Arcadius Bautonis seu Baudonis Franci filiam Eudoxiam uxorem duxit.

(Eudoxia) erat eximia pulchritudine spectabilis et apud filium Promoti educabatur. *Zosimus, lib.* V. *Histor.*

(Eudoxia) vero non ad spuriam mariti naturam facta erat, verum inerat ipsi haud parum barbaricæ naturæ. *Philostorgius lib.* II *Hist. Eccles., c.* 6.

397. *Marcomirus et Sonno reges Francorum pacem perosi puniuntur.*

. . . . Provincia missos
Expellet citius fasces, quam Francia reges
Quos dederis, acie nec jam pulsare rebelles,
Sed vinclis punire licet, sub judice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer.
Marcomeres, Suevoque docent, quorum alter Etruscum
Pertulit exsilium : cum se promitteret alter
Exsulis ultorem, jacuit mucrone suorum.
Res avidi concire novas, odioque furentes
Pacis et ingenio sceleruinque cupidine fratres.
Claudianus de laudibus Stiliconis lib. I.

399. *Romanum Imperium Barbaris formidolosum erat.*

. . . . Tum forte decorus
Cum Stilicone gener pacem implorantibus ultro
Germanis responsa dabat, legisque Caucis, etc.
Ante pedes humili Franco, tristique Suevo
Perfruor, et nostrum video, Germanice, Rhenum.
Claudianus in Eutropium l. I, *v.* 377.

Idem lib. II *de Laudibus Stiliconis Galliam inducit conquerentem de Stilicone Francorum victore consulatum fastidiente.*

Qui mihi Germanos solus, Francosque subegit,
Cur nondum legitur fastis?
Claudian. de Laudibus Stiliconis l. II.

400. *Fl. Stilico, Aurelianus coss.*

406. *Ultimo die Decembris Vandali, Francis prostratis, Rhenum transeunt, Galliasque invadunt.*

Ante biennium (triennium) Romanæ irruptionis, excitatæ per Stiliconem gentes Alanorum, ut dixi, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ, Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias invadunt. *Orosius l.* VII, *cap.* 40,

Francorum. etc.. *centium vitia et mores describit*

A *Salvianus lib.* IV. *de Providentia, cap.* 14, *et libro* VII, *cap.* 15.

407. *In Britannia Constantinus imperator acclamatur, transit in Gallias, Justinianum et Nevigastem Francum Celticis exercitibus præficit.*

Acre prælium inter Constantinum et barbaros Gallias vastantes, victoriam obtinent Romani. Zosimus, Hist. l. VI.

408. *Franci Vandalos vincunt.*

Interea Respendial rex Alamannorum, etc. *Frigeridus lib.* II, *c.* 9. *apud Gregor. Turon., col.* 61.

Arcadius moritur anno ætatis 31. *Theodosius ejus filius A. Sarus contra Constantinum mittitur a Stilicone, qui Justinianum vincit et occidit, et Nevigastem violato juramento interficit. Edobinchus Francus et Gerontius iis a Constantino suffecti : qui Sarum in Italium fugere compellunt. Eodem tempore Sarum Stilico,* etc. Zosim. lib. VI Hist.

409. *Honorius Constantinum in societatem imperii admittit. Vandali, Alani, Suavi Hispaniam occupant.*

B *Trevirorum civitas direpta a Francis.*

Trevirorum civitas a Francis direpta incensaque secunda irruptione. *Frigeridus, l.* II, *c.* 9 *Greg. Turon., col.* 62.

410. *Roma ab Alarico capta.*

Franci in exercitu Constantis Constantini filii.

Edobecco ad Germanas gentes præmisso, Constans et præfectus jam Decimius Rusticus ex officiorum magistro petunt Gallias cum Francis et Alamannis omnique militum manu, ad Constantinum jamjamque redituri. *Frigeridus, l.* II, *c.* 9. *Gregor. Turon., col.* 62.

Gaiso Francus comes sacrarum largitionum Honorii A., deinde magister officiorum et postea magister militum. Lib. VII et IX codicis Theodosiani.

411. *Constantius comes contra Constantinum missus Arelatem obsidet.*

Edobicus Francus magister militum Constantini, in
C *ejus auxilium cum ingentibus copiis adventans, a Constantio vincitur, et ab Edicio amico perfido occiditur.* Interim circumsidente Arelatum Honorii exercitu, etc. *Sozomenus, libro* IX, *cap.* 14.

Jovinus Romanæ militiæ magister in Gallia purpuram sumit. Franci in ejus exercitu.

Vixdum quartus obsidionis Constantini mensis agebatur, cum repente ex ulteriori Gallia nuntii veniunt Jovinum assumpsisse ornatus regios, et cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere obsidentibus, ita acceleratis moris, reserata urbe Constantinus deditur. *Frigeridus apud Greg. Turon. lib.* II, *cap.* 9, *col.* 61.

Constantinus ab Arelatensibus Constantio vivus traditus jussu Honorii A. occisus.

412. *Jovinus et Sebastianus fratres in Gallias tyranni occisi.*

Apollinaris avus Sidonii Apollinaris præfectus prætorio Galliarum. Sidon. Apollinar. Ep. lib. III, epist. 12.

D 413. *Treviris a Francis direpta.*

Excisa ter continuatis eversionibus summa urbe Gallorum. *Salvianus lib.* VI, *c.* 15.

414. Eodem tempore Castinus domesticorum comes, expeditione in Francos suscepta, ad Gallias mittitur. *Frigeridus apud Greg. Turon. lib.* II, *cap.* 9, *col.* 62.

415. Nam et in Consularibus legimus Theodomerem regem Francorum, filium Richimeris quondam, et Ascilam matrem ejus, gladio interfectos. *Frigeridus ibid. apud Greg. Turon.*

Treveris a Francis eversa.

Non agitur in Treverorum urbe excellentissima, sed quia quadruplici est eversione prostrata. *Salvian. lib.* VI, *cap.* 8.

Denique expugnata est quater urbs Gallorum opulentissima. *Ibid. cap.* 13.

Nam quia te tria excidia non correxerant, quarto tu perire meruisti. *Ibid. cap.* 15.

416. *Franci partem Galliarum propinquam Rheno occupant.* Vide infra ad annum 428.

420. *Constantius ab Honorio A. creatur A.*

Pharamundus regnat in Francia. *Prosperi Chronicum Pithœanum.*

421. *Constantius A. imperii mense 7 obit.*

423. *Joannes imperium Occid. occupat.*

424. *Valentinianus Constantii A. filius ab Honorio A. Cæsar creatus et missus in Occidentem contra Joannem tyrannum.*

425. *Joannes tyrannus captus et occisus. Valentinianus a Theodosio A. appellatur.*

428. Chlodio *rex Francorum.*

Felice et Tauro. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverant, Aetii comitis armis recepta. *Prosperi Chronicon Hieronymi Chronico adjunctum.*

431. 8. Theodosii A. Arcadii A. filii. Superatis per Aetium in certamine Francis et in pace susceptis. *Idatii Chronicum.*

437. *Chlodio Francorum rex præmissis ad Camaracum exploratoribus Rhenum transit, Romanos profligat, Camaracum capit et omnia loca usque ad Suminam fluvium occupat.* Gregor. Turon. lib. II, cap. 9, col. 63.

445. *Pugna inter Chlodionem regem Francorum et Aetium et Majorianum duces Romanorum.*

. . . . Post tempore parvo
Pugnastis pariter, Francus qua Cloio patentes
Arebatum terras pervaserat, etc.
Sidonius in Paneg. Majoriam A.

Francorum descriptio ex Sidonio ibid.

Hic quoque monstra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauco
Albet aquosa acies, ac vultibus undique rasis,
Pro barba tenues perarantur pectine cristæ.
Strictius assutæ vestes procera coercent
Membra virum, patet his altato tegmine poples,
Latus et angustam suspendit balteus alvum.
Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præscisse locum, clypeosque rotare
Ludus, et intortas præcedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse prius. Puerilibus annis
Est belli maturus amor. Si forte premantur
Seu numero, seu sorte loci, mors obruit illos
Non timor, invicti perstant, animoque supersunt
Jam prope post animam.

448. *Chlodionis mors, dissensio inter ejus liberos de regno. An Meroveus ejus successor filius ipsius fuerit, incertum.*

At (Attilæ) Francos bello lacessendi occasionem ei subministrabat regis illorum obitus, et de regno inter liberos ejus orta dissensio. Quorum major natu Attilam, minor Aetium in auxilium vocare statuerat. Hunc nos Romæ legationem obeuntem vidimus, adhuc imberbem : flava coma, adeoque promissa, ut super humeros circumfusa esset. Eum Aetius filium a se adoptatum, multisque cum ab ipso, tum ab imperatore ornatum muneribus, et amicum ac socium populi Romani appellatum dimisit. *Ex historia Prisci rhetoris et sophistæ.*

449. *Apollinaris pater Sidonii præfectus prætorio Galliarum.*

451. *Attila Hunnorum rex Gallias invadit ; Franci in ejus exercitu. Vincitur ab Aetio ; Meroveus Francorum rex pro Romanis stetit.* Gregor. Turon. Hist. l. II, c. 7, col. 55.

. . . . Subito cum rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat arctos
Gallia. Pugnacem Rugum comitante Gelono
Gepida trux sequitur, Scyrum Burgundio cogit;
Chunus, Bellonotus, Neurus, Basterna, Toringus,
Bructerus, ulvosa quem vel Nicer abluit unda,
Prorumpit Francus; cecidit cito secta bipenni
Hercinia in lintres, et Rhenum texuit alno.
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos.
Sidonii Panegyricus Avito Augusto.

His (Romanis) enim adfuere auxiliares Fra
Jornandes de rebus Geticis, cap. 36.

In hoc enim famosissimo bello... Francis pro manorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnanti *Idem, cap.* 41.

454. *Aetius a Valentiniano A. occisus.*

455. *Valentinianus A. occiditur auctore Max qui imperium invadit. Franci Gallias,* etc., *depopu tur. Maximus Avitum magistrum militiæ Galliarum cit, Barbari hujus metu aufugiunt.*

Francus Germanum primum Belgamque secundu
Sterneb'at, etc.
Ut primum ingesti pondus suscepit honoris,
Legas qui veniam poscant Alamanna furoris, etc.
Sidonii Panegyr. Avito Aug.

Maximus a suis laniatus et in Tiberim projectu imperii die. Roma a Genserico capitur. Avitus A.

EX S. GREGORIO TURONENSI.

Anno 458. Childericus Francorum rex Mer patri suo succedit, col. 63. Aegidius fit magister litiæ Romanæ in Galliis, qui pulso a Francis Ch rico ob luxuriam, in ejus locum substituitur, 6

464. Franci revocato Childerico Aegidium lunt, 66.

477 *ad* 481. Childericus Aureliani pugnat, Ad crius Andecavum venit, 70. Paulus militiæ Rom magister in Gothos pugnat, Childericus interea Paulo Andecavum obtinet, 70. Insulæ Saxonu Francis captæ, 71. Childericus Adouacrio jun Alamannos subjugat, 71.

481. Chlodoveus Childerico patri suo mortuo cedit.

486. Chlodoveus in Siagrium Ægidii filium m eumque fugat, et ab Alarico repetitum interficit

487. Chlodoveus in campo Martio Francum dit, qui anno præcedenti vas Rhemensis ecc ipsi denegaverat, 79, 556.

491. Chlodovei expeditio in Thoringos, quos perio suo subjicit, 79.

493. Chlodoveus Chlotildem uxorem accipit,

496. Chlodoveus invocato Christi nomine Alam nos vincit, eorum rege interempto, 82. Rem eruditum in fide Chlodoveum baptizat, effusis b mis, etc., templum divino respergitur ab odore li que astantes donantur gratia, ut æstimarent a radisi odoribus locari, 83. Francorum supra millia et Chlodovei soror baptizantur, 84.

497. Albofledis Chlodovei soror obit. Ea de Remigius Chlodoveum litteris solatur, 84, 1326.

498-499. Godegiselus Burgundionum rex in fra suum Gundobadum, alterum ejusdem gentis re conjurat, et Chlodoveo sibi juncto, 85, eum f 86 *et seq.*

500. Gundobaldus occiso Godegiselo et pulsis Vi Francis, Burgundiæ monarchiam sibi asserit, 8 ges condit, *ibid.*

502. Chlodoveus civitates Britanniæ Are subjugat, 144.

503. Colloquium Chlodoveum inter et Alar Wisigothorum regem prope Ambaciacum, 90,

507. Chlodoveus victo in acie prope Pictavum occiso Alarico Wisegothorum rege Francorum perium ad Pyrenæos montes usque dilatat, 92

508. Chlodoveus transacta apud Burdegalam me, Ecolismam et Tolosam sibi subjicit. Ac consulatus codicillis apud Turonos in basilica S. tini Augustus appellatur, tum Parisiis regni instituit, 95.

509. Sigibertus Francorum Coloniæ rex a Chloderico occiditur, ipso quoque Chloderic terempto, Chlodoveus Coloniam et vicinas re imperio adjicit, 96, 97.

Chararico Francorum regulo, ejusque filio et corum regno Chlodoveus potitur, 97.

510. Ragnacharius Francorum apud Camar

rex cum suo fratre Richario a Chlodoveo occiditur, qui eorum regnum occupat, 98, 99. Rignomeris apud Cenomannum a Chlodoveo occidi jubetur, 99. Namnetes a Chillone Chlodovei exercitus duce obsessi miraculo liberantur, 791.

511. Chlodoveus devictis vicinis regibus, occisisque propinquis suis, Francorum monarcha obit Parisiis v Kal. Decembris, sepelitur in basilica Apostolorum, 100. Francorum regno in Tetrarchiam diviso inter quatuor Chlodovei filios THEODERICUS Rhemis, CHLODOMERIS Aureliani, CHILDEBERTUS Parisiis, CHLOTARIUS Suessionibus sedem regni habent, 105.

516. Chochilaicus Danorum rex in Gallias ingressus, hoc scelus sua morte, ac suorum excidio, qui in prælio navali superati sunt, luit, 106. Hermenefridus occisis fratribus solus in Thoringia regnat, illuso Theodorico, quem appellarat in auxilium, 106, 107.

Sigismundus Gundobado patre mortuo Burgundiæ regnum obtinet, 107.

522. Theodericus Sigismundi filiam in uxorem accipit, 108.

523. Instigante Chlotilde Franci in Burgundiones arma movent, 108. Godomaro fugato frater ejus Sigismundus cum uxore et filiis a Chlodomere captivus abducitur, 109.

524. Godomarus resumptis viribus Burgundionum regnum recuperat, Chlodomeris adversus eum iturus Sigismundum cum ejus uxore et filiis interficit, 109. Chlodomeris in prælio occiditur, Burgundionum regnum deletur a Francis. Godomarus iterum regnum recuperat, 110.

525. Chlotarii et Childeberti in Burgundiam expeditio, ad quam ire renuens Theodericus Arvernos diripit, 114, 1161, 1166.

526. Childebertus et Chlotarius suos ex fratre Chlodomere nepotes Theodebaldum et Chlotarium interficiunt, Chlodoaldo per viros fortes liberato, 123.

528. Theodoricus expeditionem adversus Hermenefridum Thoringorum regem parat, 110.

529. Thoringi a Francis devicti. Chlotarius inde Radegundem captivam adduxit, 112.

530. Childebertus, frater in Thoringia occupato, Arvernos occupare frustra conatur, 113. Theodoricus dolo Hermenefridum occidit, et Thoringorum regnum occupat, 112. Mundericus adversus Theodoricum rebellis opprimitur, 117.

531. Childebertus sororis suæ Chlotildis injurias ulturus Wisigothos aggreditur, occiso Amalarico, spoliis onustus cum sorore in Franciam redit, 114.

535. Francorum in Wisigothos expeditio, 127.

534. THEODEBERTUS Theodorico patri suo mortuo succedit, 128.

537. Childeberti et Theodeberti in Chlotarium expeditio, sed civilis illa discordia Chlotildis ad sepulcrum S. Martini precibus miraculo repressa fuit, 129.

539. Theodeberti in Italiam expeditio, Buccellinum ibi exercitus ducem relinquit, qui victo Belisario, tum Narsete, magnam Italiæ partem occupavit, 133, 134.

542. Childeberti et Chlotarii in Hispaniam contra Wisigothos expeditio. Cæsaraugusta ab iis obsessa S. Vincentii precibus solvitur, 130, 131.

544. Nascitur Gregorius Turon. die festo S. Andreæ, 1264, c. 545. Chlotildis regina abit ad superos, sepelitur a filiis in basilica Apostolorum, 141.

546. Lues inguinaria, quæ variis in locis sanctorum intercessione sedatur, 144, 959, 1174, etc.

548. THEODEBALLUS Theodeberto patri suo succedit, 138.

553. Occiso Theia defecit Gothorum regnum in Italia. Circa id tempus Chanso comes Britannorum fratres suos interficit, 143.

555. Chlotarius Theodebaldi defuncti regnum occupat, 148. Chramnus a Chlotario patre in Arvernam missus, ubi pessime agit, 151, 797. Chlotarius Saxones rebelles reprimit, Thoringiam ob ipsis præstitum auxilium devastat, 148. Buccellino Francorum in Italia duce occiso, deletoque ejus exercitu, a Narsete Franci ex Italia pelluntur, 567.

556. Chlotarius a suis coactus in Saxones pugnat infeliciter, 154. Chramnus adversus patrem rebellat, Childeberto jungitur, etc., 155 *et seq.*

557. Saxones in Franciam erumpunt, Chlotarii tertia in eos expeditio. Childebertus Rhemensem Campaniam devastat, 158.

558. Childebertus obit, et sepelitur in basilica Vincentiana, ab eo exstructa, CHLOTARIUS monarchiam obtinet, 160.

559. Chramnus patri repræsentatus, evadit, et fugit in Britanniam, 160.

560. Chlotarii in Chramnum et Brittones expeditio; quem cum uxore et filiis interimi jubet, 161, 162. Visitat S. Martini tumulum, 285. Ejus basilicam a Wilichario incensam restaurari imperat, 160.

561. Chlotarius obit, sepelitur in basilica S. Medardi, 162. Regnum inter quatuor Chlotarii filios divisum, CHARIBERTUS Parisios sedem habet, GUNTRAMNUS Aurelianum, CHILPERICUS Suessionas, ac SIGIBERTUS Rhemos, 162, 163.

562. Charibertus Gundovaldum, qui se Chlotarii filium dicebat, excipit; Sigibertus tonsum cogit exsulare: qui confugit ad Narsetem in Italiam, acceptaque conjuge abit Constantinopolim, 163. Charibertus vitiis deditus, 1026. Sigibertus Hunnos in Gallias erumpentes profligat, quibuscum postea fœdus init, 163.

564. Sigiberto adversus Hunnos occupato, Chilpericus Rhemos et alias civitates invadit. Hinc natum civile bellum. Chilpericus fugatur, Sigibertus amissa recuperat, etc., 163.

564. Santonensis Synodus, 165.

565. Sigibertum inter et Chilpericum pax redintegrata, 163. Guntramnus Austrigildem ducit uxorem, 164.

566. Sigibertus Brunichildem uxorem ducit, 168. Altera Sigiberti in Hunnos expeditio, 169. Bello inter Sigibertum et Guntramnum exorto, Arelas a Sigiberto obsidetur, 169 *et seqq.*

567. Justino Justiniani successori Sigibertus legationem mittit, 180. Concilium Lugdunense, in quo depositi Salonius et Sagittarius, 252. Chilpericus Galsuintham ducit uxorem, quam postea necat, 168. Obit Charibertus, 167, 908. Hinc bellum civile et nova Franciæ regni divisio, 187, 574.

569. Alboinus cum Langobardis in Italiam transmigrat, 182.

571. Prodigia et lues maxima, 172. Langobardi in Gallias irrumpunt, fugato occisoque Amato patricio, postmodum a Mummolo penitus delentur, 183.

572. Saxones ex Italia in Gallias erumpentes a Mummolo profligantur, 183, 573.

573. Saxones in patriam redeunt annuente Sigiberto, 184. Gregorius Rhemis ab Egidio consecratur, æger sanatur S. Martini meritis, 1038. Synodus IV Parisiensis ad Guntramni, seu Chilperici, discidium cum Sigiberto sedandum, 190. Synodi patribus libellum obtulit Pappolus episcopus Carnot. contra Ægidium Rhemensem, qui Duni episcopum ordinaverat, 343.

574. Langobardi Clepo mortuo iterum in Gallias irrumpentes, ad internecionem cæsi, 186, 574. Civile bellum inter Chilpericum et Sigibertum effervescit, 190 *et seqq.*, 802. Pax utcumque facta, 1043.

575. Sigibertus pulso fere e regno fratre suo Chilperico, conciliatoque sibi Guntramno, occiditur, 195. CHILDEBERTUS II e Chilperici manu ereptus patri succedit, 201. Turones a Ruccoleno Cenomannorum comite vexantur, 1056.

576. Brunichildis Sigiberti relicta Meroveo Chilperici filio nubit, 201. Hinc gravia discidia inter patrem et filium, 215 *et seqq.* S. Germanus Parisiorum episcopus evolat ad cœlos, 211.

577. Guntramnus filiis orbatus, Childebertum adoptat, 221. Synodus Parisiensis adversus Prætextatum,

222 *et seqq.* Discidium inter Britanniæ comites, 220. Dubietas Paschæ, 221. Meroveus necatur, 229.

578. Chilpericus Pictavum pervadit, 235. Adversus Brittones mittit, 237.

579. Synodus Cabillonensis in causa Sagittarii et Salonii, 238. Brittonum irruptiones, 246.

580. Chilpericus labitur in Sabellii hæresim. A Gregorio, tum a Salvio reprehensus resipiscit, 256. Synodus Brennacensis, in qua Gregorius purgatus est, 264. Lues gravis in Gallia, 243. Chilpericus ægrotat; hortante Fredegunde piis operibus insistit, 243, 244. Chlodoveum filium occidit, 249. Leuvigildus rex persecutionem movet in Hispania, 247. Gregorii cum Agilane Ariano dissertatio de fide, 253.

581. Childebertus cum Chilperico init fœdus rellcto Guntramno, 271. Gregorius Chilpericum adit Novigentum, ubi Chilpericus munera ab imperatore suscipit, 272. Ægidius Rhemorum episcopus legatus Childeberti ad Chilpericum, 273. Gregorii cum Prisco Judæo coram rege concertatio de fide, 274. Chilpericus Parisios ingreditur, 277. Postridie paralyticus ad S. Germani sepulcrum curatur, 972. Guntramno et Childeberto dissidentibus Chilpericus Guntramni urbes invadit, 289.

583. Ægidius Rhemor. episcopus iterum legatus Childeberti ad Chilpericum. Bellum civile, 304.

584. Gregorius cum Oppilane Ariano de fide disputat, 315. Childebertus pace cum Guntramno facta Italicam expeditionem suscipit contra Langobardos, etc., 318, 319. Rigantis in Hispaniam Reccaredo desponsata mittitur, 321. Patre necato res infecta mansit, 337. Chilpericus Calæ occiditur, 324. Sepelitur Parisiis in basilica Vincentiana, 326. Guntramnus a Fredegunde invitata Parisios venit. Fratris errata emendat. Chlotarius II patris successor dicitur, 325, 326, 597. Gundovaldus Ballomer rex Brivæ salutatur, 338. Legationes variæ Childeberti ad Guntramnum, et tumultus civiles, 335, 339, 340.

585. Bellum civile, 349. Guntramnus exercitum adversus Gundovaldum movet, 350, 840. Legationem C ab eo suscipit, 357. Gundovaldus apud Convenas obsessus, 361, occiditur, 365, 597. Fames invalescit in Galliis, 369. Guntramnus Aureliani suscipitur, 375, ubi Gregorium invisit, 376, et excipit convivio, 377. Parisiis nepotum corpora in basilicam Vincentianam transferri curat, 381 *et seqq.* Monasterium S. Marcelli Cabillone condit, 595. Gregorius ad Childebertum legatus, 385 *et seqq.* Childeberti in Italiam contra Langobardos, excitante imperatore, expeditio, 390. Synodus Matiscone celebratur, 392. Placitum Childeberti apud Belsonancum, 392.

586. Hermenegildo a patre occiso, Ingundis fugiens in Africa moritur. Guntramnus neptem ulturus movet in Septimaniam, 397, 399, 597. Prætextatus epise. Rotbomagensis Fredegundis opera occiditur, 402. Gotthi pacem petunt, Reccaredus semel et iterum in Gallias irrumpit, 402, 408, 409.

587. Reccaredus patri Leuvigildo succedit, 416, 598. Pacem a Francis petit, 419. Obit S. Radegundis, 420. Ejus exsequias curat Gregorius, 985. Wasconum irruptiones repressæ, 425. Rauchingus rebellat, 426. Occiditur, 427. Colloquium et pax inter Guntramnum et Childebertum apud Andelaum, 429, 430, 439, 598. Childeberti expeditio in rebelles, 431. Reccaredus cum Gotthorum gente fit catholicus, 433. Pacem a Francis petit, 435, 445. Britannorum motus sedantur, 436.

588. Gregorius legatus ad Childebertum, 439. Franci a Langobardis profligati, 450.

589. Langobardi a Childeberto pacem petunt, 852. Guntramni in Septimaniam expeditio, 454, infausta, 455, 600. Theodebertus Childeberti filius Suessionensibus, etc., conceditur, 460. Scandalum grande in monasterio S. Crucis Pictaviensis incipit, 463 *et seqq.*

590. Lues magna Romæ. S. Gregorius in papam assumptus, 479. Childeberti expeditio in Langobardos, 485. Mauricius ob interfectum anno præcedenti in Africa legatum Francis satisfacit, 483 *et seqq.*, 488. Concilium in causa Tetradiæ, 490. Britannicum bellum, 493, 600. Gregorius presbyterum Sadducæum convincit, 497. Pictaviensium monialium turbæ sugescunt, 502. Dubietas Paschæ, 516. Concilium Mettense, in quo Ægidius Rhemensis deponitur, 511 *et seqq.*; ibi et moniales Pictavienses absolutæ, 514.

591. Chlotarius II baptizatur, 522.

EX FREDEGARII CHRONICO, etc.

Anno 593. Guntramnus moritur, cujus regnum Childebertus obtinet, 601. Aurelianum accedit, 1135. Chlotarius Quintrionem Campaniæ ducem fugat, 601.

594. Britannicum bellum, 601. Gregorius Romam petit. *Ejus Vitæ*, n. 24.

595. Childebertus Warnos profligat, 601. Gregorius Turonum antistes pie obit xv Kalend. Decembris. B *Vitæ*, n. 26.

596. Childebertus II obit, filii ejus succedunt Theodebertus II in Austrasia, Theodoricus II in Burgundia, 601. Utriusque exercitum Chlotarius fugat, 602.

597. Fredegundis regina moritur, 602.

598. Wintrio Campaniæ dux Brunichildis opera occiditur, 602.

599. Brunichildis turpiter ex Austrasia pellitur, 602.

600. Chlotarius a Theodeberto et Theodorico victus, pacem iniquis conditionibus accepiat, 603.

602. Wascones ab iisdem regibus subjugati ducem accipiunt, 604.

603. Desiderius Viennæ episc. in conventu Cabilone exauctoratus, 605.

604. Chlotarius a Theoderico fugatus, fœdus init cum Theodeberto, 608.

605. Theodericus instigante Brunichilde in Theodebertum movet, 607. Pacem ineunt, 608. C

607. Brunichildis in S. Aredium, etc., sævit, 608. Conjuratio quatuor regum in Theodericum evanescit, 509.

608. Placitum inter Theodebertum et Theodoricum pro pace, 611.

610. Placitum apud Saloissam inter eosdem, 617.

611. Theodericus fœdere cum Chlotario inito in fratrem Theodebertum parat expeditionem, 618.

612. Theodericus, bis victo ac capto Theodeberto, ejusque filio occiso, Austrasiam invadit, 618 *et seqq.* In Chlotarium movet, 619.

613. Theodericus in Chlotarium parans moritur, succedit Sigibertus II quem Chlotarius victum et captum cum fratribus occidi imperat, tum Brunichildem; et sic obtinet monarchiam, 620 *et seqq.*, 1351.

616. Conventus apud Bonogilum, 624.

617. Chlotarius tributis, quæ Langobardi solvebant, dimissis, pacem cum illis init, 626.

618. Bertrudis regina moritur, 626. D

622. Dagobertus a patre Austrasiorum rex instituitur, 626.

623. Samo negociator Francus fit rex Sclavorum-Winidorum, 626.

625. Dagobertus apud Clippiacum Gomatrudem uxorem ducit, 630.

628. Chlotarius obit, et sepelitur in basilica Vincentiana Parisiis, Dagobertus regnum integrum excluso fratre obtinet, 633. Dagobertus Chariberto fratri Aquitaniæ partem dimittit, qui ibi regnat, 634.

629. Pax inter Francos et Heraclium imperatorem inita, 637. Charibertus superatis Wasconibus regnum suum auget, 634.

630. Charibertus II moritur, tum Chilpericus ejus filius: inde Dagobertus solus in Francia imperat, 641. Franci a Sclavis et Winidis profligantur 641, 642. Dagobertus ecclesiam S. Dionysii prope Parisios

exstruit, etc., 651. Bulgari a Bajoariis jubente Dagoberto una nocte occiduntur, 645. Dagobertus Sisenando Hispaniæ regi auxiliatur, 646.

651. Winidi Thoringiam devastant, 646. Saxonibus ut illos reprimerent, tributa a Dagoberto remittuntur, 647.

652. Winidi Francorum ditiones vexare pergunt, 647. Sigibertus III a patre suo Dagoberto Austrasiæ rex instituitur, 647.

653. Dagobertus, nato sibi altero filio Chlodoveo, regni sui divisionem inter eos faciendam designat, 648. Radulfus dux Thoringiæ ob victoriam in Winidos relatam meditatur rebellionem, 648.

655. Wascones rebelles oppressi, 648. Judicael rex Britanniæ ad Dagobertum venit, eique subjectionem spondet, 650.

656. Wascones Dagoberto obedientiam jurant, 650.

638. Dagobertus moritur, sepelitur in basilica Dionysiana, 651. Chlodoveus II ejus filius Burgundiæ et Neustrasiæ regnum obtinet, 651.

649. Sigibertum inter et Chlodoveum patris thesauri dividuntur, 655. Expeditio Sigiberti in Radulfum rebellem, 656, infausta, 657. *Contigit anno* 8 *Sigiberti, qui si incœpit anno* 632, hic erit an. 639.

641. Motus civiles in Burgundia, 658 *et seqq.* Nanthildis regina obit, 659.

654. Sigibertus rex obit, Grimoaldus major domus, amandato in Scotiam Dagoberto Sigiberti filio, Childebertum filium suum in regem sublimat. Utroque exauctorato, Chlodoveus monarchiam obtinet, 657, n.

656. Chlodoveus II obit, 663.

656. Chlotarius III solus e suis fratribus patri succedit, sub Balthildis matris tutela, 663.

660. Childericus II Austrasiæ rex instituitur, 664.

669. Chlotarius III moritur, in cujus locum succedit ejus frater Theodericus III qui paulo post, Ebroino in Luxoviense monasterium relegato, e solio dejicitur, et Childericus fit monarcha, 664, 665.

673. Childerico II cum uxore prægnante interfecto, 665. Theodericus III opera Ebroini restituitur, et monarchiam obtinet, 666. Motus civiles, *ibid.*

674. Chlodoveum Ebroinus in solium Austrasiæ elevat, quem Chlotarii III filium esse mentiebatur, 665, n. Eo pulso Dagobertus II Sigiberti III filius e Scotia redux Austrasiani regni partem obtinet, 665, n.

678. S. Leodegarius ab Ebroino occiditur, 666. Motus civiles, 667.

680. Dagoberto II et ejus filio Sigiberto defunctis, Theodericus rursus monarchiam obtinet, 667.

681. Ebroinus occiditur, 668.

687. Pippinus Heristalius major domus Austrasiæ Theodericum regem cum Bertario majore domus profligat, 670. Inde palatii principatum obtinuit.

690. Chlodoveus III patri suo Theoderico III defuncto succedit in monarchiam, 670.

694. Childebertus III fratri suo Chlodoveo absque liberis defuncto in monarchiam succedit, 670.

C. 697. Pippini victoria in Frisios Dorestatæ, 671.

710 *seu* 711. Dagobertus III patri suo Childeberto defuncto succedit monarcha, 671.

714. Pippinus paulo post Grimoaldi filii sui necem defungitur, 672. Bella civilia, *ibid.*

715 *seu* 716. Dagobertus relicto parvulo Theoderico, obit. Franci Danielem (Childerici II filium) regem instituunt, sub Chilperici III nomine, 672. Carolus a Frisiis fugatur, 672.

717. Pugna Vinciacensis, in qua Chilpericus a Carolo victus fuit, 673.

718. Chlotarius IV (Theoderici III filius) a Carolo rex instituitur, Chilperico opponendus, 673.

719. Chilpericus, cum advocato ad sui auxilium Eudone Aquitanorum duce, a Carolo superatur, 673. Chlotarius rex obit, *ibid.*

720. Carolus fœdere cum Eudone duce inito, ab eo Chilpericum regem recipit, 674.

721. Theodericus IV Dagoberti III filius, Chilperico mortuo fit rex, 674.

724. Carolus Andegavos devastat, tum Saxonum rebellionem comprimit, 674.

725. Bajoarii a Carolo subacti, 674.

731. Eudo dux, inito cum Sarracenis fœdere, a Carolo vincitur, 674.

732. Sarraceni ab Eudone evocati Franciam devastant, a Carolo cui sese Eudo adjunxit, profligantur, 675. Exinde dictus est Martellus.

733. Carolus Burgundiæ tuitioni adversus Sarracenos providet, 675, 677. Frisios prosternit, 676.

734. Expeditio Caroli in Saxones, 677.

735. Eudone mortuo Carolus Aquitaniam occupat, 675.

736. Sarraceni fraude Mauronti ducis Avenionem capiunt, 678.

737. Carolus devictis Sarracenis Septimaniam, etc., occupat, 678 *et seqq.* (Theodericus IV rex obit. Interregnum.)

738. Caroli expeditio in Saxones, 677.

739. Sarraceni iterum a Carolo fugantur, 680.

741. Carolus a Gregorio III claves S. Petri recipit, 680. Diviso inter filios principatu, 681, obit, 682.

742. Carlomannus et Pippinus principes Wascones et Aquitanos debellant, 682. Tum Alamannos proterunt, 683.

745. Expeditio in Odilonem Bojoariæ ducem, 683 (Childericus III Theodorici IV, ut putant, filius res instituitur.)

744. Carlomannus Saxones superat, 683. Pippinus Theudebaldum ducem, 684.

745. Wasconum rebellio a Pippino repressa, 684.

746. Alamannorum rebellionem reprimit Carlomannus, 684.

747. Carlomannus dimisso principatu fit monachus, 684. Pippinus Saxones vincit, ac tributarios efficit, 684.

749. Pippini in Bajoarios victoria, 685, 686.

750. Hoc anno et sequenti pax in Francia, 686.

752. Pippinus exauctorato Childerico rex instituitur, 686, et ungitur, 991, n.

753. Pippinus Saxonum rebellionem punit, 687. Grifo ejus frater occiditur, 688. Stephano papæ Carolum filium mittit obviam, 688.

754. Stephanus papa a Pippino rege honorificentissime suscipitur, 688. Pippini Italica expeditio contra Langobardos, 689.

755. Langobardi effracta fide Romam vexantes iterum a Pippino victi, Francorum tributarii efficiuntur, 691.

756. Desiderius Langobardorum rex annuente Pippino constituitur, et consecratur, 692.

757. Fœdus inter Pippinum et imperatorem Orientis, 693.

758. Hoc et sequenti anno pax in Francia, 693.

760. Bellum adversus Waifarium Aquitanorum ducem movet Pippinus, quod ad annum 768 continuatum est, quo, interfecto Waifario, Aquitania Pippino penitus subjecta fuit, 693 *et seqq.*

768. Pippinus, diviso inter Carolum et Carlomannum filios regno, moritur, 703. Carolus et Carlomannus reges inaugurantur, 704.

Præfatio.

1-2 Decedente, atque [a] immo potius pereunte ab urbibus Gallicanis liberalium cultura litterarum, cum nonnullæ res gererentur vel recte, vel improbe, ac feritas gentium desæviret, regum furor acueretur, Ecclesiæ impugnarentur ab hæreticis, a catholicis tegerentur, ferveret Christi fides in plurimis, refrigesceret [b] in nonnullis, ipsæ quoque ecclesiæ vel ditarentur a devotis, vel nudarentur a perfidis: nec reperiri posset quisquam peritus in arte dialectica grammaticus, qui hæc aut stylo prosaico, aut metrico depingeret versu. Ingemiscebant sæpius plerique [c], dicentes: Væ diebus nostris, quia periit studium litterarum a nobis, nec reperitur in populis, qui gesta præsentia promulgare possit in paginis. Ista etenim atque his similia jugiter intuens dici [d], pro commemoratione præteritorum, ut notitiam attingerent venientium, etsi inculto affatu, nequivi tamen obtegere vel certamina flagitiosorum, vel vitam recte viventium. Et præsertim his illicitus stimulis, quod a nostris fari plerumque miratus sum, quia philosophantem rhetorem intelligunt pauci, loquentem rusticum multi; libuit etiam animo, ut pro supputatione annorum ab ipso mundi principio libri primi poneretur initium: cujus capitula deorsum subjeci.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. De creatione Adæ et Evæ, et de Adæ typo.
II. Ut Cain occidit Abel fratrem suum.
III. Enoch justus, quomodo a Deo translatus est.
IV. De diluvio, de Noe, de arca, de ira Dei et supputatione generationum.
V. De generatione Noe et filiorum ejus, præcipue de Chus filio Cham magiæ et idololatriæ inceptore et inventore staticuli.
VI. De turre Babylonica et linguarum confusione.
VII. De ortu, nativitate et interpretatione Abrahæ, de Nino.
VIII. De Isaac, Esau et filiis ejus, et Job.
IX. De Jacob et filiis ejus, et Joseph in Ægypto.
X. De Nili natura, et maris Rubri transitu.
XI. De filiis Israel in eremo, et de ingressu eorum in terram promissionis, et Josue.
XII. De regibus Judæorum.
XIII. De Salomone et templi ædificatione.
XIV. Quomodo regnum Israel sit divisum propter duritiam Roboæ, et de captivitate Babylonica, et de prophetis illius temporis.
XV. De reditu Judæorum e Babylone usque ad Christi nativitatem.
XVI. De reliquarum gentium regibus et regnis.
XVII. De imperatoribus Romanis. Quo tempore Lugdunus sit condita.
XVIII. De nativitate Salvatoris nostri. De muneribus magorum et nece infantum.
XIX. De Christi prædicatione, miraculis et passione.
XX. De Joseph ab Arimathia, qui eum sepelivit.
XXI. De Jacobi apostoli voto.
XXII. De die resurrectionis Dominicæ.
XXIII. De ascensione Domini, et de interitu Pilati et Herodis.
XXIV. De Petro qui Romam venit, et martyrum Christo perhibuit, et de Nerone; de Jacobo, Marco, et Johanne evangelista.
XXV. De persecutione sub Trajano principe.
XXVI. De hæresum et schismatum ortu.
XXVII. De Pothino et Irenæo martyribus.
XXVIII. De persecutione sub Decio, de septem viris in Gallias ad prædicandum missis.
XXIX. De Bituricensium conversione.
XXX. De persecutione sub Valeriano et Gallieno. De Chroco et de delubro Arverno.
XXXI. De aliis martyribus.
XXXII. De privato martyre et Chroco tyranno.
XXXIII. De persecutione sub Diocletiano.
XXXIV. De Constantino Magno, beato Martino, et Crucis Dominicæ inventione.
XXXV. De Constantis imperio.
XXXVI. De adventu sancti Martini. De Melania matrona.
XXXVII. De interitu Valentis imperatoris.
XXXVIII. De Theodosio et ejus imperio. De interitu Maximi tyranni.
XXXIX. De Urbico episcopo Arverno.
XL. De sancto Hillidio, et ejus in episcopatu successore.
XLI. De sancto Nepotiano etiam Arvernorum episcopo.
XLII. De Duorum Amantium castitate et sepultura.
XLIII. De beati Martini transitu.

[a] Aliqui, *Recedente*; cod. Casin., *Decedente itaque*. Cæterum hæc præfatio deest in plerisque editionibus. Eam tamen Fredegarius integram retulit.

[b] Alii cum Fredeg., *tepesceret*.

[c] Fredeg. edit., *clerici*; in ms. tamen habebatur *clerique*; sed antiqua manu emendatum est, *clerici*.

[d] Cod. Casin., *duxi*: et infra pro *illicitus*, habet *illectus*.

S. GEORGII FLORENTII GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ FRANCORUM

LIBRI DECEM.

LIBER PRIMUS.

Prologus.

5 Scripturus bella regum cum gentibus adversis, martyrum cum paganis, Ecclesiarum cum hæreticis, prius fidem meam proferre cupio, ut qui legerit, me non dubitet esse catholicum. Illud etiam placuit propter eos, qui appropinquante mundi fine desperant, ut collecta per chronicas [a] vel per historias anteriorum annorum [b] summa, explanetur aperte quot ab exordio mundi sint anni. Sed prius veniam a legentibus precor, si aut in litteris, aut in syllabis grammaticam artem excessero, de qua adplene [c] non sum imbutus. Illud tantum studens, ut quod in Ecclesia credi prædicatur, sine aliquo fuco aut cordis hæsitatione retineam : quia scio peccatis obnoxium, per credulitatem puram obtinere posse veniam apud nostrum pium Dominum [d].

6 Credo ergo in Deum Patrem omnipotentem. Credo in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum Deum nostrum, natum a Patre, non factum; non post tempora, sed ante cunctum tempus, semper fuisse cum Patre. Nec enim Pater dici potuerat, nisi haberet Filium; neque Filius esset, si Patrem utique non haberet. Illos vero qui dicunt, [e] Erat quando non erat, exsecrabiliter renuo, et ab Ecclesia segregari contestor. Credo Christum hunc Verbum esse Patris, per quem facta sunt omnia. Hunc Verbum carnem factum credo, cujus passione mundus redemptus est; et humanitatem, non deitatem subjacuisse passioni credo. Credo eum die tertia resurrexisse, hominem perditum liberasse, ascendisse in cœlos, sedere ad dexteram Patris, venturum ac judicaturum vivos et mortuos. Credo sanctum Spiritum a Patre et Filio [f] processisse, non 7 minorem, et quasi ante non esset, sed æqualem, et semper cum Patre et Filio coæternum Deum, consubstantialem natura, æqualem omnipotentia, consempiternum essentia, ut nunquam sine Patre fuisse vel Filio, neque minorem Patre vel Filio. Credo hanc Trinitatem sanctam in distinctione subsistere personarum; et aliam quidem personam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti. In qua Trinitate unam deitatem, unam potentiam, unam essentiam esse confiteor. Credo [g] beatam Mariam, ut virginem ante partum, ita virginem et post partum. Credo animam immortalem, nec tamen partem habere deitatis. Et omnia quæ a trecentis decem et octo episcopis Nicææ constituta sunt, credo fideliter. De fine vero mundi ea sentio quæ a prioribus didici. Antichristus [h] vero primum circumcisionem inducet, se asserens Christum : deinde in templo Hierosolymis statuam suam collocabit adorandam, sicut [i] Dominum dixisse legimus : *Videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto* (*Matth.* XXIV, 15). Sed diem illam omni-

[a] Sic Bec. et Reg.; alii, *chronica*. Certe infra omnes habent, *chronicæ Eusebii*.

[b] In cod. Corb. deest *annorum*.

[c] Cod. Reg., *de qua plene*. Casin., *adprime non sum instructus*.

[d] Mss. et aliquot editi, *apud Deum*.

[e] Hoc adversus Arianos symbolo suo addiderunt Patres Nicæni : unde, ni fallor, post hæc verba, *Erat quando non erat*, addendum est, *etc.*

[f] Hanc particulam *Filioque* habent omnes editi et mss. cum codice Corbeiensi. Et quidem jam a sæculo V et VI, in fidei professionibus legitur in Hispaniæ synodis. Quanquam sæculo IX turbæ excitatæ fuerunt, cum primum symbolo Constantinopolitano, quod inter Missarum solemnia cantabatur, addita fuit.

[g] Hæc usque ad cap. 1 desunt in cod. Regio.

[h] Cod. Casin., *didici antichristum prius esse venturum, qui se asserens*, etc. In Corb. post *venturum* semilinea detrita est, postquam *sed primum circumcisionem*.

[i] Hunc locum de antichristo inter alios intellexerunt duo Gallicanæ Ecclesiæ illustrissimi patres, Irenæus sub finem libri V, et Hilarius in Commentariis in Matth. cap. 25.

bus hominibus ignorari, ipse Dominus manifestat dicens : *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque Filius, nisi Pater solus* (*Marc.* XIII, 32). Sed et hic respondebimus hæreticis, qui nos impugnant, asserentes minorem esse Filium Patre, qui hanc diem ignoret. Cognoscant ergo hunc Filium Christianum populum nuncupatum, de quo a Deo prædicitur : *Ego ero illis in patrem, et ipsi erunt mihi in filios* (*II Cor.* VI, 18). Si enim hæc de unigenito Filio prædixisset, numquam ei angelos præposuisset. Sic enim ait : *Neque angeli cœlorum, neque Filius;* ostendens non de Unigenito, sed de adoptivo populo hæc dixisse [a]. Noster vero finis, ipse Christus est, qui nobis vitam æternam, si ad eum conversi fuerimus, larga benignitate præstabit.

A

De supputatione vero hujus mundi evidenter Chronicæ Eusebii Cæsariensis 8 episcopi ac Hieronymi presbyteri proloquuntur, et rationem de omnium annorum serie pandunt. Nam et Orosius diligentissime hæc inquirens, omnem numerum annorum ab initio mundi usque ad suum tempus in unum collegit. Hoc etiam et Victorius, cum ordinem Paschalis solemnitatis inquireret, fecit. Ergo et nos scriptorum supra memoratorum exemplaria sequentes, cupimus a primi hominis conditione, si Dominus dignabitur suum commodare auxilium, usque ad nostrum tempus cunctam annorum congeriem computare. Quod facilius adim lebimus, si ab ipso Adam sumamus exordium.

B

I. In principio Dominus cœlum terram ue, in Christo suo, qui est omnium principium, id est in Filio suo formavit, qui post creata mundi elementa, glebam assumens fragilis limi [b], hominem ad suam imaginem similitudinemque plasmavit, et insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est in animam viventem : cui dormienti ablata costa, mulier Eva creata est. Nec dubium enim est, quod hic primus homo Adam, antequam peccaret, typum Domini nostri Redemptoris prætulisset. Ipse enim in sopore passionis obdormiens, de latere suo dum aquam cruoremque produxit, virginem immaculatamque Ecclesiam sibi exhibuit, redemptam sanguine, latice emundatam, non habentem maculam aut rugam ; id est lymphis ablutam propter maculam, in cruce extensam propter rugam. Ili ergo primi homines inter amœna paradisi [c] beate viventes, anguis astu illecti, divina præcepta transiliunt. Ejectique

C

D

ab angelica sede, mundi laboribus occupantur.

II. Cognita autem a satellite [d] mulier concepit, peperitque duos filios. Sed dum Deus unius sacrificium dignanter suscipit, alter invidia inflammante tumescit, et in fraterni sanguinis effusionem novus parricida 9 consurgens [e], fratrem opprimit, vincit, interimit.

III. Et exhinc cunctum genus in facinus exsecrabile ruit, præter Enoch justum, qui ambulans in viis Dei, ab ipso Domino propter justitiam assumptus de medio peccantis populi liberatur. Sic enim legimus : *Ambulavit Enoch cum Deo, et non comparuit, quia Deus tulit eum* (*Gen.* V, 24).

IV. Dominus ergo commotus contra iniquitates populi non in suis semitis gradientis, diluvium immisit, cunctamque animam viventem de superficie terræ diluvio inundante delevit ; tantumque Noe fidelissimum ac peculiarem sibi, suique typi speciem præferentem, cum sua et trium natorum conjugibus, posteritatis reparandæ gratia, in arca reservavit. Increpant nos hic hæretici, cur Scriptura sacra Dominum dixisset iratum. Cognoscant ergo, quia Dominus noster, non ut homo irascitur : commovetur enim, ut terreat ; pellit, ut revocet ; irascitur, ut emendet. Sed nec hoc ambigo, quod species illa arcæ typum matris gesserit Ecclesiæ : ipsa enim inter fluctus et scopulos hujus sæculi transiens, nos ab imminentibus malis materno gestamine fovens, pio amplexu ac protectione defendit.

Ab Adam ergo usque ad Noe sunt generationes decem : id est Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Enoch, Matusalam, Lamech, Noe. In his ergo decem generationibus, inveniuntur anni mille ducenti quadraginta duo. Adam vero in terra Enachim sepultum, quæ prius Ebron vocabatur, liber Jesu Nave evidenter explanat (*Jos.* XIV, 15).

V. Habebat ergo Noe post diluvium tres filios Sem, Cham, et Jafeth. De Jafeth egressæ sunt gentes, similiter et de Cham, et de Sem. Et, sicut ait vetus historia, ab his disseminatum est genus humanum sub universo cœlo. Primogenitus vero Cham, Chus. Hic fuit totius artis magicæ, inbuente diabolo, et primus idololatriæ adinventor. Hic primus statunculam [f] adorandam diaboli instigatione constituit : qui et stellas, et ignem 10 de cœlo cadere, falsa virtute, hominibus ostendebat. Hic ad Persas transiit. Hunc Persæ vocitavere Zoroastrem [g], id est viven-

[a] Diversas alias hujus loci interpretationes afferunt sancti Patres, inter quas ea est communior, quod illum quidem diem ex natura humanitatis Filius hominis nescierit, quem tamen probe Deus homo noverat. Vel nesciebat sub ratione qua legatus erat ad homines. Non enim erat ex illis veritatibus quas cum hominibus erat communicaturus, et de quibus alias dixit : Omnia nota feci vobis quæ audivi a Patre meo, id est omnia quæ ex ejus parte vobis habebam notificanda. Hæc Augustinus et Gregorius M.

[b] Sic cod. Casin. ; alii, *fragillimam*.

[c] Editi, *in amœna paradiso*.

[d] Sic mss. sicut et infra non semel. Editi tamen habent, *cognita autem a consorte*. Corb. sicut et alias sæpe accusandi casu utens pro sexto, *cognitum... satellitem*.

[e] Editi, *in fratrem sanguinis..... fratricida consurgens*.

[f] Alii, *statunculam*. Mss. Bec., Reg. et Regm., *statunculum adorandum*. Corb., *staticolam*. Morelius quoque, ex eodem ms. S. Martini Turonensis, legit *statunculum*, quam vocem sic neutro genere in fragmento Petronii nuper edito usurpatam fuisse observavit Alteserra, qui ejus verba refert : *Ita ex ha massa fabri sustulerunt, et fecerunt catilla et paropsides*, STATUNCULA, etc.

[g] De Zoroastre, quem primum Bactrianorum regem fuisse volunt, plura habet Plinius.

tem stellam. Ab hoc etiam ignem adorare consueti, ipsum divinitus igne consumptum ut deum colunt.

VI. Cumque multiplicati homines dispergerentur per universas terras, egressi ab Oriente, Sennaar graminosum reperiunt campum. In quo ædificantes civitatem, turrem quæ cœlos attingeret, nituntur struere. Quorum vanam cogitationem simul et linguam, ipsosque confutans Deus, per mundum late patentem in universa terra dispersit : vocatumque est nomen civitatis, Babel, hoc est, Confusio, eo quod ibi confudisset Deus linguas eorum. Hæc est Babylonia a Nembroth [a] gigante ædificata filio Chus. Et, sicut Orosii narrat historia, mira campi planitie in quadrum disposita est : murus ejus ex coctili latere infuso bitumine, in latum habet cubitos quinquaginta, altitudinis cubitos ducentos, in circuitu stadia quadringenta septuaginta. Unum stadium [b] habet aripennes quinque. Vicenæ quinæ portæ per unumquodque latus sitæ sunt, quæ faciunt centum. Harum portarum ostia miræ magnitudinis, ex ære fusili sunt formata. Multa et alia de hac civitate idem historiographus narrat [c], addens : Et cum tanta fuisset honestas ædificii, attamen victa atque subversa est.

VII. Primus autem filius Noe, Sem, de quo generatione decima, natus est Abraham : id est, Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phalech, Reu [d], Saruch, Thare, qui genuit Abraham. In his decem generationibus, hoc est a Noe usque ad Abraham, inveniuntur anni 942 [e]. Eo tempore regnabat Ninus, qui ædificavit civitatem, quam Ninivem vocavit : cujus in tribus mansionibus spatium amplitudinis Jonas propheta determinat. Hujus quadragesimo tertio regni anno natus est Abraham. Hic est Abraham, initium fidei nostræ : hic accepit repromissiones, huic se Christus Dominus noster nasciturum, ac pro nobis passurum in victimæ commutatione monstravit, ipso in Evangeliis sic dicente : **11** *Abraham exsultavit ut videret diem meum : et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). Hoc vero holocaustum in monte Calvariæ [f], quo Dominus crucifixus est, oblatum fuisse Severus narrat in Chronica [g]; sicut et hodie-

A que in ipsa Hierosolymorum urbe celebre fertur. In hoc monte crux sancta, in qua Redemptor affixus est, stetit, de qua et beatus ille cruor effluxit. Hic ergo Abraham accepit signum circumcisionis, ostendens ut quod ille gessit in corpore, nos portemus in corde, dicente Propheta : *Circumcidite vos Deo vestro, et circumcidite præputium cordis vestri* (*Deut.* X, 16), *et nolite sequi deos alienos* (*Jerem.* XXXV, 15). Et iterum : *Omnis incircumcisus corde non intret in sancta mea* (*Ezech.* XLIV, 9). Hunc Abraham Deus, post adjectam nomini syllabam [h], patrem multarum gentium nuncupavit.

VIII. Is cum centum esset annorum, genuit Isaac. Porro Isaac sexagesimo ætatis anno nati sunt filii gemini de Rebecca. Primus Esau, qui et Edom, id B est terrenus : qui propter gulam vendidit primogenita sua. Ipse est pater Idumæorum, de cujus generatione quarta natus est Jobab : hoc est, Esau, Raguel, Zara, Jobab, qui et Job. Is vixit annos ducentos quadraginta novem : octogesimo [i] anno ab infirmitate liberatus est; post infirmitatem autem, centum septuaginta [j] annis, restituta in duplum omni facultate, cum tot quot perdiderat filiis jocundatus est.

IX. Secundus autem filius Isaac, Jacob, dilectus Dei, sicut ait per Prophetam : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* I 2, 3). Hic post angelicam luctam vocatus est Israel, a quo Israelitæ. Hic genuit duodecim patriarchas, quorum hæc sunt nomina : Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon, C Dan, Nephtalim, Gad, et Aser. Post hos genuit Joseph de Rachel, nonagesimo secundo ætatis suæ anno. Hunc cæteris filiis **12** plus dilexit. Habuit ex ea et Benjamin ultimum omnium. Joseph autem, decimum sextum ætatis annum habens, typum præferens Redemptoris, vidit somnia quæ fratribus retulit : Quasi manipulos legens [k], quos suorum fratrum manipuli adorarent. Et iterum : Quasi sol et luna cum undecim stellis prociderent ante eum. Quæ res magnum ei cum fratribus odium generavit. Unde et inflammati invidia, viginti [l] eum argenteis Ismaelitis in Ægyptum transeuntibus vendiderunt. Immi-

[a] Cod. Corb. habet *ab Hebron*.

[b] Editio Badii habet : *Unum stadium habet passus centum viginti quinque*. Sic et Plinius, lib. I, cap. 23 : *Stadium, inquit, centum viginti quinque nostros efficit passus, hoc est, pedes sexcentos viginti quinque*. De Babyloniæ vero amplitudine plura habent passim vetusti auctores, qui eam provinciæ potius quam urbis nomine donandam scripserunt. In describendo ipsius ambitu variæ sunt Orosii editiones, lib. II, cap. 6, aliis 7 : quædam enim habent stadia CCCCLXXX, aliæ vero CCCCLXX, quam posteriorem lectionem alteri præferendam esse Gregorii nostri auctoritas persuadet. Babyloniæ ambitum CCCLVIII stadiis concludit Quintus Curtius lib. V, num. 1, ubi plura de hac urbe scitu digna habet.

[c] Hæc omnia Orosius describit lib. II, Histor., cap. 7.

[d] Sic Mss. Bec., Reg. et Regm.; alii habent *Faler, Ragau*.

[e] Cod. Corb. habet 900; Bec., 945.

[f] Idem dicit auctor sermonis 6 Appendicis S. Augustini, antea 71 de tempore, qui et laudat Hieronymum. Sed id reperitur in cap. 15 commentariorum in Marcum, S. Hieronymo perperam attributorum.

[g] Gennadius in Catalogo virorum illustrium inter Severi Sulpicii opera recenset *Chronicam*, quo nomine Historiam sacram ab eo editam puto designari. In ea tamen Isaac supra Calvariæ montem immolandum a patre ductum fuisse non legi.

[h] Genes. cap. 17 ex *Abram* appellatur *Abraham*.

[i] Sic cod. Reg.; alii addunt *nono* : at 89 simul cum 170 efficerent 259. Bec., *vixit an.* 248.

[j] Et tamen lib. Job, cap. et vers. ult., Job dicitur vixisse posthæc 140 annis. Versio Syriaca et Arabica 146; sic et versio Græca, quæ etiam habet totam Job vitam fuisse annorum 240 : quod non habent aliæ versiones.

[k] Cod. Regm., *legens, suumque manipulum fratrum*, etc.; cod. Reg. habet *ligans suumque*, etc., quod est textui Geneseos conformius.

[l] Sic Regm., sicut et in Genesi.; alii habent *triginta*.

sente autem fame, cum descendisseat hi in Ægyptum, cogniti sunt a Joseph, nec tamen ipsi Joseph cognoverunt. Ipse tamen se his post multas eorum fatigationes, et adducto Benjamin, declaravit : de Rachel enim matre sua natus et hic fuerat. Post hæc descendunt cuncti Israelitæ in Ægyptum, et per Joseph Pharaonis gratia utuntur. Jacob autem post benedictos filios suos in Ægypto moritur, et in sepulcro [a] patris sui Isaac sepelitur in terra Chanaan. Mortuo autem Joseph atque Pharaone [b], subjicitur cuncta generatio servituti, quæ per Moysen post decem plagas Ægypti liberatur, demerso Pharaone in mari Rubro.

X. Et quoniam de hoc maris transitu plures multa dixerunt, visum est, ut de situ loci illius, vel ipsius transitu, aliqua huic inseram lectioni. Nilus per Ægyptum, sicut optime nostis, decurrit, et ipse eam impetu suo irrigat : unde et Ægyptii Nilicolæ appellantur. Cujus nunc littora multi locorum perlustratores, referta sacris monasteriis dicunt esse. Super ripam vero ejus non Babylonia, de qua supra meminimus, sed Babylonia altera civitas [c] collocatur, in qua Joseph horrea miro opere de lapidibus quadris et cæmento ædificavit : ita ut ad fundum capaciora, ad summum vero constricta 13 sint, ut per parvulum foramen ibidem triticum jaceretur, quæ horrea usque hodie cernuntur. De hac civitate rex ad persequendum Hebræos, cum exercitibus curruum, ac multa pedestri manu directus est. Ante dictus vero fluvius ab Oriente veniens, ad occidentalem plagam versus Rubrum mare vadit : ab Occidente vero stagnum sive brachium de mari Rubro progreditur, et vadit contra Orientem, habens in longo millia circiter quinquaginta ; in lato autem, decem et octo. In hujus stagni capite Clysma civitas [d] ædificata est, non propter fertilitatem loci, cum nihil sit plus sterile, sed propter portum : quia naves ab Indiis venientes, ibidem ob portus opportunitatem quiescunt ; ibi comparatæ merces per totam Ægyptum deportantur. Ad hoc stagnum per desertum Hebræi tendentes, usque ad ipsum mare venerunt, inventisque dulcibus aquis castra metati sunt. In hoc ergo arcto loco, tam ab eremo quam ab ipso mari, consederunt, sicut scriptum est : *Audiens Pharao, quod conclusisset eos mare atque desertum, nec esset eis via qua possent pergere, ad persequendum eos direxit* (*Exod.* XIV, 3). Cumque imminentibus his Moysi populus acclamasset, secundum jussum Divinitatis projecta virga super mare, divisum est ; illisque per sicca gradientibus, et, ut Scriptura ait : *Muro aquarum undique vallati* (*Exod.* XIV, 22), in littus illud, quod est contra montem Syna, illæsi prorsus, demersis Ægyptiis, Moyse duce transgrediuntur. De quo transitu multa, ut dixi, narrantur : sed nos quod a sapientibus, et certe illis hominibus, qui in eodem loco accesserant, verum cognovimus, ea inserere studuimus paginæ. Aiunt enim sulcos, quos rotæ curruum fecerant, usque hodie permanere, et quantum acies oculorum videre potest, in profundo cerni. Quos si modicum commotio maris obtexerit, illo quiescente, rursum divinitus renovantur ut fuerant. Dicunt alii, quod ad ipsam ripam, facto modico per mare circuitu, unde ingressi fuerant, sint reversi. Alii vero asserunt, unum cunctis ingressum : nonnulli, unicuique tribui suam patuisse viam, illud testimonium Psalterii adducentes [e] : *Qui divisit mare Rubrum in divisiones* (*Psal.* CXXXV, 13), 14 quas nos divisiones spiritaliter, et non secundum litteram intelligere oportet. Sunt enim et in hoc sæculo, quod figuraliter mare dicitur, multæ divisiones : non enim æqualiter possunt, aut per unam viam ad vitam cuncti transire. Alii autem transeunt in horam primam : id est qui renati per baptismum, immaculati ab omni inquinamento carnis perdurare usque ad vitæ præsentis exitum possunt. Alii ad horam tertiam, videlicet qui majori ætate convertuntur. Alii ad sextam, qui luxuriæ fervorem coercent : et per has quasque horas, sicut Evangelista (*Matth.* XX) commemorat, ad operam dominicæ vineæ secundum fidem propriam conducuntur. Illæ sunt divisiones, quibus per hoc mare transitur. Illud vero quod ad mare usque venientes, littus stagni tenentes revertuntur, illud est quod Dominus ad Moysen dixit : *Reversi castra metentur e regione Phiahiroth, quæ est inter Magdalum et mare contra Beelsephon* (*Exod.* XIV, 2). Nec enim dubium est, quod transitus ille maris, vel columna nubis typum gesserint nostri baptismatis, dicente beato Paulo apostolo : *Nolo vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari* (*I Cor.* X, 1, 2). Columna vero ignis typum sancti Spiritus prætulit.

A nativitate ergo Abrahæ usque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, vel transitum maris Rubri, qui fuit Moysi octogesimus annus, supputantur anni numero 462.

XI. Exinde per quadraginta annos Israelitæ eremo utuntur, imbuuntur legibus ; probantur, victibusque pascuntur angelicis. Deinceps enim post acceptam Legem, transgressoque cum Jesu Nave Jordane, terram repromissionis accipiunt.

XII. Post cujus transitum, dum præcepta divina postponunt, sæpe in alienigenarum servitio subjugantur. Sed cum conversi ingemiscunt, tribuente Domino, per virorum fortium brachium liberantur. Posthæc per Samuelem, regem, sicut reliquæ gentes

[a] Cod. Regm., *in sepulcro suo a Joseph*. Utraque lectio vera ex Genesi.

[b] Cod. Regm., *a Pharaone subjicitur*, quæ etiam lectio vera est.

[c] Hæc hodie Cairum appellatur, urbs Ægypti præcipua ad Nilum fluvium, olim sultanorum Ægypti sedes, hodie Turcis subdita.

[d] Apud Ptolemæum præsidium est in sinu Arabico situm. Lismum esse Antonini putat Simlerus apud Ortelium.

[e] Codex Turon. apud Morelium habet *testimonium psalterii abutentes*, quartum fortasse casum pro sexto adhibens. Videtur quippe Gregorius eorum sententiam de qua hic loquitur, non approbare.

habent, a Domino postulantes, accipiunt primum Saul, deinde David.

Ab Abraham ergo usque ad David generationes quatuordecim, id est, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, **15** Esrom, Aram, Aminadab, Naason, Salmon, Booz, Obeth, Jesse, David. David autem genuit Salomonem de Betsabee. Is per Natham prophetam fratrem suum, et matrem in regno evectus est.

XIII. Defuncto autem David, cum regnare cœpisset Salomon, apparuit ei Dominus, et quod peteret, ut indulgeat pollicetur. At ille terrenas divitias postponens, sapientiam magis expetiit. Quod ratum [a] Domino fuit, ita ut ab eodem audiret : *Quia non quæsisti regna mundi, nec divitias ejus, sed postulasti sapientiam, ideo accipies eam. Ante te non fuit tam sapiens, sic et post te non erit* (*Reg.* III, 12). Quod postea judicium illud, quod inter duas mulieres de uno infante litigantes intulit, comprobavit (*Ibid.* 16 *et seq.*). Hic Salomon ædificavit templum nomini Domini miro opere, multum ibi auri argentique, æris ac ferri ingerens, ita ut diceretur a quibusdam, nunquam simile in mundo fuisse ædificium fabricatum.

Ab egressu ergo filiorum Israel ex Ægypto usque ad ædificationem templi, qui fuit annus septimus regni Salomonis, inveniuntur anni 480 [b], sicut Regum testatur historia.

XIV. Post mortem autem Salomonis, divisum est per duritiam Roboæ regnum in duas partes. Restiterunt duæ tribus ad Roboam, quod Juda appellatur : ad Jeroboam autem decem tribus, quod Israel vocabatur. Posthæc igitur ad idololatriam declinantes, nec prophetarum vaticinia, nec eorum interitus, nec clades patriæ, nec ipsorum etiam regum eos excidia domuerunt; donec iratus contra eos Dominus excitavit Nabuchodonosor, qui eos in Babyloniam cum omnibus templi ornamentis captivos abduxit : in qua captivitate et Daniel propheta eximius inter esurientes leones illæsus, et tres pueri in medio ignium rorulenti, abiere captivi. In hac captivitate et Ezechiel prophetavit, et Esdras propheta natus est.

A David autem usque ad desolationem templi, et transmigrationem in Babyloniam generationes quatuordecim : **16** id est, David, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Josaphat, Joram, Ozias, Joatham, Achaz, Ezechias, Manasses, Amon, Josias. In his ergo quatuordecim generationibus, anni inveniuntur numero 361 [c]. De hac vero captivitate per Zorobabel liberantur : qui postea et templum et civitatem restituit. Sed hæc captivitas typum illius captivitatis, ut puto, gerit, in qua anima peccatrix abducitur, quam nisi Zorobabel, id est Christus, liberaverit, horribiliter exsulabit. Ipse enim Dominus in Evangelio dicit : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Ipse oro sibi in nobis templum, in quo dignetur habitare, constituat; in quo fides, ut aurum luceat; in quo eloquium prædicationis, ut argentum splendeat; in quo omnia visibilis templi illius ornamenta in nostrorum sensuum honestate clarescant. Bonæ etiam voluntati nostræ ipse salubrem effectum indulgeat. Quia *nisi ipse ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam* (*Psal.* CXXVI, 1). Hæc vero captivitas annis 76 [d] fuisse dicitur.

XV. Reversi autem per Zorobabel, sicut diximus, nunc contra Deum murmurantes, nunc post idola corruentes, vel abominationes facientes, et quæ gentes exercent imitantes, dum Dei prophetas contemnunt, gentibus traduntur, subjugantur, intercidunt : donec ipse Dominus, patriarcharum prophetarumque vocibus repromissus, Virginis Mariæ utero per Spiritum sanctum illapsus ad redemptionem nasci, tam illius gentis, quam omnium gentium dignaretur.

A transmigratione ergo usque ad nativitatem Christi generationes quatuordecim : id est, Jechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoc, Achim [e], Eliud, Eleazar, Mathan, Jacob, Joseph vir Mariæ, de qua Dominus noster Jesus Christus nascitur : qui Joseph, quartus decimus computatur [f].

XVI. Ergo ne videamur unius tantum Hebrææ gentis habere notitiam, reliqua regna, quæ, vel quali Israelitarum fuerint tempore, memoramus. **17** Tempore Abrahæ Ninus regnabat super Assyrios; Sicyoniis, Europs; apud Ægyptios autem sexta decima erat potestas, quam sua lingua dynastian vocabant. Tempore Moysi, apud Argivos regnabat septimus Tropas [g]: in Attica Cecrops primus; apud Ægyptios, Cenchris duodecimus, qui et in mari obrutus est Rubro; apud Assyrios, sextus decimus Agatadis; apud Sicyonios Maratis. Tempore vero Salomonis, quando regnabat super Israel, apud Latinos quintus regnabat Silvius; Lacedæmoniis, Festus [h]; Corinthiis, secundus Oxion; Ægyptiorum, Thephei [i]. Centesimo vicesimo sexto anno [j] super Assyrios, Eutropes; Atheniensibus, secundus Agasastus. Tempore quo Amon regnabat super Judæam, quando captivitas in Babyloniam abiit, Macedoniis præerat Argeus; Lydorum, Gyges; Ægyptiorum, Vafres; apud Babyloniam, Nabuchodonosor, qui eos captivos abduxit; Romanorum, sextus Servius Tullus [k].

XVII. Post hos, imperatores: primus, Julius Cæsar fuit, qui totius imperii obtinuit monarchiam; se-

[a] Latinius mavult legere *gratum*.

[b] Cod. Corb., 280, sed mendose, ut patet ex Regum libro III, cap. 6.

[c] Sic codd. mss. cum edit. Badiana; aliæ cum Bec. habent 340. Cod. Corb., 390.

[d] Sic cod. Corb., alii 70.

[e] Idem habet, *Joachim*.

[f] Hic solummodo decimus tertius recensetur, nisi duplex Jechonias admittatur, pater scilicet et filius, qui etiam Joachim dicti sunt, ut observant Ambrosius, Augustinus, Hieronymus et alii patres.

[g] Cod. Corb., *Trophas*.

[h] Cod. Regm., *Sistus*; alii cum edit., *Fistus*. Corb. lectionem cæteris prætulimus.

[i] Sic idem cod. Corb.; at alii, *Thebei*.

[j] Corb. habet, *centesimo vigesimo anno*. Ed. Bad., *septuagesimo sexto anno*.

[k] Codd. mss., Corb., Reg., Bec. et Regm. omittunt hanc vocem *Tullus*.

cundus, Octavianus, Julii Cæsaris nepos, quem Augustum vocant, a quo et mensis Augustus est vocitatus. Cujus nono decimo imperii anno, Lugdunum Galliarum urbem conditam manifestissime reperimus [a]: quæ postea illustrata martyrum sanguine, Nobilissima nuncupatur.

XVIII. Anno quadragesimo tertio [b] imperii Augusti, Dominus noster Jesus Christus, ut diximus, ex virgine Maria in Bethleem David oppido, secundum carnem natus est: cujus immensum sidus magi ab Oriente cernentes, cum muneribus veniunt, et puerum supplices oblatis donis adorant. Herodes vero ob zelum regni sui, dum Deum Christum persequi nititur, parvulos infantes interimit. Ipse quoque postmodum 18 judicio divino percussus est.

XIX. Domino autem Deo nostro Jesu Christo pœnitentiam prædicante, baptismi gratiam tribuente, vel cœleste regnum cunctis gentibus promittente, atque prodigia et signa per populos operante; hoc est, dum de aquis vina profert, dum febres exstinguit, dum cæcis lumen tribuit, dum sepultis vitam restituit, dum obsessos ab immundis spiritibus liberat, dum leprosos miserabili turpentes cute reformat: hæc dum et alia signa multa faciens, manifestissime se Deum populis esse declarat. In Judæis ira succenditur, invidia exagitatur, ac mens de sanguine prophetarum pasta, ut Justum interimat injuste molitur. Ergo ut veterum vatum complerentur oracula, a discipulo traditur, a pontificibus inique condemnatur, a Judæis illuditur, cum iniquis crucifigitur, a militibus emisso spiritu custoditur. His igitur actis, tenebræ super universum mundum factæ sunt, et multi conversi ingemiscentes, Jesum Filium Dei confessi sunt.

XX. Apprehensus autem et Joseph, qui eum aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellulam recluditur [c], et ab ipsis sacerdotum principibus custoditur, majorem in eum habentes sævitiam, ut Gesta Pilati ad Tiberium imperatorem missa referunt [d], quam in ipsum Dominum, ut cum ille a militibus, hic ab ipsis sacerdotibus custodiretu resurgente Domino, custodibus visione angelic ritis, cum non inveniretur in tumulo, nocte pa de cellula, in qua Joseph tenebatur, suspend in sublimi; ipse vero de custodia, absolvent gelo, liberatur, parietibus restitutis in locum Cumque pontifices custodibus exprobrarent, e ctum corpus ab eisdem instanter requirerent, eis milites: Reddite 19 vos Joseph, et nos mus Christum: sed ut verum agnoscimus, neq benefactorem Dei, neque nos Filium Dei re nunc valemus. Tunc illis confusis, milites su excusatione liberantur.

XXI. Fertur Jacobus apostolus, cum Dom jam mortuum vidisset in cruce, detestasse [e] jurasse, nunquam se comesturum panem, nisi I num cerneret resurgentem. Tertia demum d diens Dominus, spoliato tartaro cum triumph cobo se ostendens, ait: Surge Jacobe, comede, jam a mortuis resurrexi. Hic est Jacobus J quem fratrem Domini nuncupant [f], pro eo quo seph fuerit filius ex alia uxore progenitus.

XXII. Dominicam vero resurrectionem, di ma factam credimus, non septima sicut multi tant. Hic est dies resurrectionis Domini nostri Christi, quem nos proprie Dominicam, pro s ejus resurrectione vocamus. Hic primus lucem in principio, et hic primus Dominum resurge contemplari meruit de sepulcro.

A captivitate vero Hierosolymæ et desol templi, usque ad passionem Domini nostri Christi, id est usque ad Tiberii septimum deci annum, supputantur anni 668 [g].

XXIII. Resurgens autem Dominus, per qu ginta dies cum discipulis de regno Dei disputan dentibus illis in nube susceptus, evectusque i los, ad Patris dexteram residet gloriosus. P autem Gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, et ei de virtutibus Christi, quam de passione vel res ctione ejus insinuat. Quæ Gesta [h] apud nos hod tinentur scripta. Tiberius autem hoc ad sena

[a] Utrumque quod hic a Gregorio dicitur falsum esse putat Valesius in Notitia Galliarum. Nam, teste Dione, ut hic auctor observat, Lugdunum a Lucio Planco conditum est jussu senatus, metuentis ne Plancus armatus Antonio hosti reipublicæ declarato sese conjungeret. Secundo, Lugdunum *nobilissimum* dictum non est a martyrum multitudine, sed ob splendorem et potentiam coloniæ, quæ etiam senatores curiæ conferebat. In eadem urbe natus est Claudius Augustus.

[b] Cod. Corb., *anno quadragesimo quarto imperii*, etc. Cæteri scripti habent *quadragesimo tertio*, ut editi.

[c] Hoc ex apocrypho Nicodemi Evangelio, aut ex aliquo ejusdem farinæ auctore descripsit Gregorius, nec majorem fidem merentur Gesta Pilati, quæ inter apocrypha deputavit Gelasius Papa in Catalogo librorum apocryphorum.

[d] Tertullianus in Apologetico idem testatur, et ex eo Euseb. lib. II Historiæ, cap. 2. Plura habet Orosius libro VII, cap. 2, ubi ait Pilatum retulisse ad Tiberium et senatum de passione et resurrectione Christi, de ejus virtutibus et iis quæ per ipsum cipulos in ejus nomine fiebant, etc.

[e] Editi habent *detestatum esse*. Hanc autem riam ex Hebræorum Evangelio laudat Hieron in Catalogo virorum illustrium. De ea et vul Abdias libro VI.

[f] Quæ sequuntur ad caput 22 desunt in cod gio. Jacobum Josephi ex alia uxore filium fuis cunt plerique patres Græci et Latini, quos imp Hieronymus. Et quidem Jacobi mater quæ lau in Evangelio, tempore passionis Christi no obierat; sicque Joseph aut eam repudiasse dic est, ut Mariam duceret, aut duas uxores simu buisse. Quod utrumque falsissimum esse nemi videt.

[g] Hæc annorum enumeratio in cod. Corb. no betur.

[h] Gesta Pilati laudat Justinus martyr, Apol quæ suo tempore in omnium manibus habeba quæ vero ad nos pervenere, vulgoque nunc ci feruntur, inter spuria monumenta reputari debent

[i] Cod. Corb., *senatores*.

recensuit : quod senatus cum ira respuit, 20 pro eo quod non ad eum primitus advenisset. Hinc etenim contra Christianos prima odiorum germina pullularunt. Pilatus autem non permanens impunitus, pro suæ malitiæ scelere, hoc est pro nece quam in Dominum nostrum Jesum Christum exercuit, propriis se manibus interfecit [a]; quem Manichæum fuisse multi putant, secundum illud quod in Evangelio legitur : *Venerunt quidam de Galilæis, nuntiantes ei, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum* (*Luc.* XIII, 1).

Sic et Herodes rex, dum in apostolos Domini sævit, percussus divinitus ob tanta scelera, intumescens ac scatens vermibus, accepto cultro ut malum purgaret, propriæ in se manus ictum libravit [b].

XXIV. Beatus Petrus apostolus sub imperatore Claudio, quarto ab Augusto, Romam aggreditur, ibique prædicans, multis virtutibus manifestissime Christum esse Dei Filium comprobavit. Ab illis enim diebus Christiani apud civitatem Romanam esse cœperunt. Cum autem nomen Christi per populos magis ac magis dilataretur, oritur contra hæc antiqui serpentis invidia, et totis se imperatoris præcordiis immittit sæva malignitas. Nam Nero ille luxuriosus, vanus atque superbus, virorum succuba, et rursus virorum appetitor, matris, sororum ac proximarum quarumque mulierum spurcissimus violator, ad complendam malitiæ suæ molem, primus contra Christi cultum persecutionem excitat in credentes. Habebat enim secum Simonem Magum, virum totius malitiæ, et omnis magicæ artis magistrum. Hoc eliso per apostolos Domini Petrum atque Paulum, commotus contra eos, quod Christum Filium prædicarent [c], et idola adorare contemnerent, Petrum cruce, Paulum gladio jubet interfici. Ipse quoque 21 excitatam super se seditionem fugere tentans, quarto ab urbe lapide propria se manu interfecit.

Tunc et Jacobus frater Domini, et Marcus evangelista, pro Christi nomine glorioso martyrio coronati sunt. Primus tamen omnium hanc viam levita Stephanus et martyr intravit. Magna post Jacobi apostoli necem Judæos calamitas assecuta est. Nam adveniente Vespasiano, et templum incensum est, et sexcenta millia Judæorum eo bello, gladio [d] et fame affecta sunt. Domitianus autem secundus post Neronem in Christianos sævit; Joannem apostolum in insulam Pathmos relegat in exsilium, et diversas crudelitates in populos agitat. Post cujus mortem, beatus Joannes apostolus et evangelista de exsilio rediit : qui senex et plenus dierum, perfectæque in Deum vitæ, vivens se deposuit in sepulcro. Hic fertur [e] non gustare mortem, donec iterato Dominus judicaturus adveniat, ipso in Evangeliis ita dicente : *Sic eum volo manere donec veniam* [f] (*Joan.* XXI, 21).

XXV. Tertius post Neronem, persecutionem in Christianos Trajanus movet : sub quo beatus Clemens, tertius Romanæ Ecclesiæ episcopus [g], passus est; et sanctus Simeon Hierosolymitanus episcopus, Cleophæ filius, pro Christi nomine crucifixus asseritur; et Ignatius Antiochensis episcopus, Romam ductus bestiis deputatur. Hæc sub Trajani temporibus acta sunt.

XXVI. Post [h] hunc Ælius Adrianus imperator creatus est. Unde et Hierosolyma Ælia ab Ælio Adriano vocatur, successore Domitiani, eo quod eam reparaverit. Post has vero passiones sanctorum, non fuit satis parti adversæ gentes incredulas contra Christicolas excitasse, nisi commoveret et in ipsis Christianis schismata. Concitat hæreses, et divisa fides catholica aliter aliterque disseritur. Nam sub Antonini 22 imperio Marcionitana et Valentiniana hæresis insana surrexit [i] : et Justinus Philosophus, post scriptos catholicæ Ecclesiæ libros, martyrio pro Christi nomine coronatur. In Asia autem, orta persecutione, beatissimus Polycarpus, Joannis apostoli et evangelistæ discipulus, octogesimo ætatis suæ anno, velut holocaustum purissimum, per ignem Domino consecratur. Sed et in Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati : quorum passionum historiæ apud nos fideliter usque hodie retinentur [j].

XXVII. Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Photinus episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Beatissimus vero Irenæus hujus successor martyris, qui a beato Polycarpo ad hanc urbem directus est, admirabili virtute enituit : qui in modici temporis spatio, prædicatione sua maxime in integro civitatem reddidit Christianam. Sed veniente persecutione, talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, et tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem Dominici nominis est jugulata, ut per

[a] Apud Viennam Galliæ urbem relegatus, ut scribit Ado Viennensis in Chronico.

[b] Sic cod. Regm. ; alii vero, *propriæ se manus ictu libraverit*. Corb., *ictibus*. De Herodis Agrippæ interitu, præter Acta Apostolorum, cap. 12, legendus Joseph in Antiquit. Judaicis, cap. 7. Gregorius tamen hic Ascalonitam cum Agrippa confundit. Quæ enim hic narrat Ascalonitæ contigerunt, ut refert Joseph lib. II, de bello Judaico, et ex eo Eusebius et Rufinus lib. I Historiæ, cap. 8.

[c] Sic habent omnes editi. Legendum tamen, *Christum Filium Dei prædicarent*, quæ lectio est codicis Beccensis.

[d] Cod. Corb., *et bello et gladio*.

[e] Hæc fuit aliquot veterum opinio, quam Tertullianus et alii plerique patres refutarunt. Polycrates Ephesiorum episcopus, qui Joannis discipulos viderat, eum Ephesi sepultum, ibique extremam resurrectionem exspectantem jacere affirmat in epistola, quam Eusebius refert lib. V, cap. 24.

[f] Sic habent Bec., Reg. et Regm. cum editis Bad. et III., quam lectionem vulgata nostra etiam nunc retinet. Alii, *si eum volo*, etc., ut Græci legunt, et in aliquot mss. Latinis habetur.

[g] Corb., *Ecclesiæ fuit episcopus. Passus*, etc.

[h] Illud caput cum seq. deest in col. Corb.

[i] Cod. Regm., *hæreses insanæ surrexerunt*.

[j] In epistola scilicet Lugdunensium martyrum quam Eusebius in Historia ecclesiastica refert. Eam, et supra laudatorum martyrum passiones, dedimus inter Acta martyrum sincera.

plateas flumina currerent de sanguine Christiano : quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit [a]. Post hunc et quadraginta octo [b] martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium Epagatum.

XXVIII. Sub Decio vero imperatore multa bella adversum nomen Christianum exoriuntur, et tanta strages de credentibus fuit, ut nec numerari queant. Babyllas episcopus Antiochenus, cum tribus [c] parvulis, id est, Urbano, Prilidano et Epolono; et Sixtus Romanæ Ecclesiæ episcopus, et **23** Laurentius archidiaconus, et Hippolytus, ob Dominici nominis confessionem per martyrium consummati sunt. Valentinianus et Novatianus maximi tunc hæreticorum [d] principes, contra fidem nostram inimico impellente grassantur. Hujus tempore septem viri episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis sancti martyris Saturnini denarrat [e]. Ait enim : Sub Decio et Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt : Turonicis, Gatianus [f] episcopus; Arelatensibus, Trophimus episcopus; Narbonæ, Paulus episcopus; Tolosæ, Saturninus episcopus; Parisiacis, Dionysius episcopus; Arvernis, Stremonius episcopus; Lemovicinis, Martialis est destinatus episcopus. De his vero, beatus Dionysius Parisiorum episcopus, diversis pro Christi nomine affectus pœnis, præsentem vitam gladio imminente finivit; Saturninus vero, jam securus de martyrio, dicit duobus presbyteris suis : Ecce ego jam immolor, et tempus meæ resolutionis instat. Rogo, ut usquedum debitum finem impleam, a vobis penitus non relinquar. Cumque comprehensus ad Capitolium duceretur, relictus ab his solus attrahitur. Igitur [g] cum se ab illis cerneret derelictum, A orasse fertur : Domine Jesu Christe, exaudi i cœlo sancto tuo, ut nunquam hæc Ecclesia c civibus mereatur habere pontificem in sempite Quod usque nunc in ipsa civitate ita evenisse c vimus. Hic vero tauri furentis vestigiis alligat de Capitolio præcipitatus, vitam finivit. Ga vero, Trophimus, Stremoniusque, et Paulus, Martialis, in summa sanctitate [h] viventes, po quisitos **24** Ecclesiæ populos, ac fidem Chris omnia dilatatam, felici confessione migrarunt. tam isti per martyrium, quam hi per confessi relinquentes terras, in cœlestibus pariter sun juncti.

XXIX. [i] De horum vero discipulis quidam I gas civitatem aggressus, Salutare omnium, Chi B Dominum populis nuntiavit. Ex his ergo pau modum credentes, clerici ordinati, ritum psa suscipiunt : et qualiter ecclesiam construan omnipotenti Deo solemnia celebrare debeant buuntur. Sed illis parvam adhuc ædificandi facu habentibus, civis cujusdam domum, de qua ecc faciant, expetunt. Senatores vero, vel reliqui i res loci, fanaticis erant tunc cultibus obligati vero crediderant, ex pauperibus erant, juxta Domini, quod Judæis exprobrat, dicens : *Quia trices et publicani præcedent vos in regno Dei* (M XXI, 31). Hi vero non obtenta a quo petierant C Leocadium quemdam primum Galliarum senat qui de stirpe Vettii Epagati fuit, quem Lugdun sum pro Christi nomine superius memoravir repererunt. Cui cum petitionem suam, et fidem ter intimassent, ille respondit : Si domus mea, apud Bituricam urbem habeo, huic operi digi set, præstare non abnegarem. Illi autem audi pedibus ejus prostrati, oblatis trecentis aureis disco argenteo, dicunt eam huic ministerio ess dignam [k]. Tunc ille acceptis de his tribus aure benedictione, clementer indulgens reliqua, cur huc esset in errore idololatriæ implicitus, Chi

[a] Conqueritur S. Gregorius M. lib. IX, ep. 50, scripta simul et gesta S. Irenæi a se non potuisse reperiri. Scripta, ut plurimum, habemus, sed gesta authentica nemo hactenus protulit. Irenæo martyris titulum tribuit Hieronymus.

[b] Illi non post Irenæum, sed ante ipsum simul cum Pothino episcopo passi sunt, quorum nomina ipse Gregorius refert lib. I de Gloria Martyrum, D cap. 49.

[c] Sic mss. omnes cum edit. Bad.; aliæ cum Bec., *fratribus*. Tres pueros cum Babila interfectos memorant Chrysostomus et alii.

[d] Corb., *maxime tunc hæretici, quorum principes*, etc.

[e] Acta S. Saturnini ejus in Gallias missionis tempus exhibent: sed nihil habent de cæteris hic recensitis, quorum in Gallias adventum alii aliis temporibus assignant. Gregorius tamen qui eos putavit simul in Gallias accessisse, ex certa epocha quæ in actis sancti Saturnini habetur, cæterorum etiam tempora deduxit.

[f] Cod. Regm., *Gazianus;* et sic inferius. Editi cum cod. Reg., *Gratianus*.

[g] Quæ sequuntur ex vulgi traditione retulit Gregorius. Nam hæc in Actis sancti Saturnini non habentur, quæ videtis inter Acta martyrum sincera, 109, quæ nimis incaute ad annum 245 retuli, circiter anno Saturninus in Gallias advenerat, non nisi Decio et Grato consulibus, id est ann Tolosæ institutus sit episcopus.

[h] Cod. Regm., *in summa religione*.

[i] Hoc caput deest in cod. Corb. Porro hunc *num* appellat Gregorius lib. de Gloria Confess., 80, eumque ibi a discipulis apostolorum ordin et in Gallias destinatum fuisse dicit; quo e modo loquitur de ipso Saturnino in lib. de (Mart., cap. 48. Porro *Biturigas* ipsiusmet urbis men fuisse, *Bituriges* vero incolas, seu cives dictos, patet ex Apollinaris Sidonii concione electione Bituricensis episcopi habita, libro VII, 9, ubi ait *prius Bituriges noveram, quam Bitur* quod scilicet Simplicium civem, pro quo pero nosset, antequam Biturigas unquam accessisset.

[j] Supra cap. 27.

[k] Sic codd. Bec., Reg. et Regm.; cæteri, *esse gruam. Qui acceptis*. Codex Turonensis apud lium sic habet : *Si enim domus mea..... præstar abnuerem..... huic mysterio esse congruam.* I serva, hoc caput, quod deest in cod. Corbeien ms. Turonensi haberi.

nus factus, domum suam fecit ecclesiam. Hæc est nunc ecclesia apud Biturigas urbem prima, miro opere composita, et primi martyris Stephani reliquiis illustrata [a].

25 XXX. Vigesimo septimo loco, Valerianus et Gallienus Romanum imperium sunt adepti, qui gravem contra Christianos persecutionem suo tempore commoverunt. Tunc Romam Cornelius [b], Cyprianus Carthaginem felici sanguine illustraruni. Horum tempore et Chrocus ille Alamannorum rex, commoto exercitu, Gallias pervagavit. Hic autem Chrocus multæ arrogantiæ fertur fuisse : qui cum nonnulla iniquе gessisset, per consilium, ut aiunt, matris iniquæ, collectam, ut diximus, Alamannorum gentem [c], universas Gallias pervagatur, cunctasque ædes, quæ antiquitus fabricatæ fuerant, a fundamentis subvertit. Veniens vero Arvernos, delubrum illud, quod Gallica lingua Vassô [d] Galatæ vocant, incendit, diruit, atque subvertit. Miro enim opère factum fuit atque firmatum, cujus paries duplex erat. Ab intus enim de minuto lapide ; a foris vero quadris scalptis fabricatum fuit. Habuit enim paries ille crassitudinem pedes triginta. Intrinsecus vero marmore ac musivo variatum erat [e]. Pavimentum quoque ædis marmore stratum, desuper vero plumbo tectum.

XXXI. Juxta [f] hanc urbem Liminius, Antolianusque martyres requiescunt. Ibi Cassus ac Victorinus in dilectione Christi fraterno affectu sociati, per effusionem cruoris proprii, cœlorum regna pariter sunt adepti. Nam refert antiquitas, Victorinum servum fuisse ante dicti templi sacerdotis. Qui dum plerumque vicum, quem Christianorum vocant, ad persequendos Christianos adit, Cassium reperit **26** Christianum : cujus prædicationibus atque miraculis motus, credit Christo, relictisque fanaticis sordibus ac baptismo consecratus, magnus in virtutum operatione enituit. Nec multo post per martyrium, ut diximus, in terris sociati, ad cœlestia pariter regna migraverunt [g].

XXXII. Irruentibus autem Alamannis in Gallias, sanctus Privatus Gabalitanæ urbis episcopus [h], in crypta Memmatensis montis, ubi jejuniis orationibusque vacabat, reperitur, populo Gredonensis castri in munitione concluso [i]. Sed dum oves suas bonus pastor lupis tradere non consentit, dæmoniis immolare compellitur. Quod spurcum ille tam exsecrans quam refutans, tandiu fustibus cæditur, quoadusque putaretur exanimis. Sed ex ipsa quassatione, interpositis paucis diebus, spiritum exhalavit. Chrocus vero apud Arelatensem Galliarum urbem comprehensus, diversis affectus suppliciis, gladio verberatus interiit, non immerito pœnas quas sanctis Dei intulerat, luens.

XXXIII. Sub Diocletiano, qui tricesimo tertio loco Romanum rexit imperium, gravis contra Christianos per annos quatuor [j] persecutio exagitata est : ita ut quadam vice in ipso sacratissimo die Paschæ, magni Christianorum populi ob veri Dei cultum interficerentur. Eo tempore, Quirinus Sisciensis [k] Ecclesiæ sacerdos gloriosum pro Christi nomine martyrium tulit; quem ligato ad collum molari saxo, in fluminis gurgitem sævitia impulit paganorum. Igitur cum cecidisset in **27** gurgitem, diu super aquas divina virtute ferebatur; nec sorbebant aquæ, quem pondus criminis non premebat. Quod factum admirans multitudo populi circumstantis, despecto furore gentilium, ad liberandum properant sacerdotem. Hæc ille cernens, non passus est se a martyrio subtrahi,

[a] Hodieque major ecclesia Biturigum sancto Stephano sacra, paucis in Gallia sacris ædificiis cedit.

[b] Cornelius tamen obiit anno 252, sub Decii principatu, et quidem, ut verisimilius est, apud Centumcellas, ubi *cum gloria dormitionem accepit*, ut legitur in vetustissimo pontificali Bucheriano. Non desunt tamen qui eum Romæ passum asseverent: sed nulla est circa martyrii tempus opinionum diversitas. Cyprianus vero anno 258 prope Carthaginem capite plexus est, Valeriano et Gallieno imperatoribus.

[c] Bec. et Regm., *collecta.... gente*; quæ lectio etsi melior, non tamen sincerior. Gregorius quippe, ut ipse fatetur, sæpius accusandi casum pro ablativo posuit. Quod semel monuisse sufficiat. Chroci irruptionem alii sæculi quinti initio consignant.

[d] Cod. Regm., *Vasa*. Hoc nomine Martem deum ab antiquis Gallis designatum fuisse volunt.

[e] Quæ sequuntur ad num. seq. desunt in cod. Regm. Hoc ipsum templum Mercurio consecratum fuisse conjicit Alteserra, quod Plinius lib. III, cap. 7 scribat, sua ætate apud Arvernos factum fuisse a Zenodoro ingens Mercurii simulacrum. Hæc sunt verba Plinii : *Verum omnem amplitudinem statuarum ejus generis vicit, ætate nostra, Zenodorus, Mercurio facto, in civitate Galliæ Arvernis, per annos decem* HS CCCC *manu pretio.*

[f] Hoc caput cum quatuor sequentibus deest in Corb. codice.

[g] Horum martyrum festa antiqua martyrologia commemorant. Sanctorum Cassii, Victorini, Antoliani ac Astrebundii, aliorumque sanctorum, qui in ea urbe coronati fuerunt, passiones a beato Præjecto descriptas fuisse narrat secundus ejusdem Præjecti Vitæ auctor in Sæculo II Benedictino. De his item Gregorius aliis in locis scribit. Sancti Cassius et Victorinus quiescebant in ecclesia sancti Cassii, quæ hodie parochialis est; Antolianus vero in ecclesia sancti Galli, ex libro I de Claromontensibus ecclesiis a Savarone vulgato cap. 9 et 8. Liminius autem ex Gregorio ipso lib. de Gloria Confess., cap. 36, servabatur in ecclesia sancti Venerandi.

[h] Ejus festum die 21 Augusti recolitur. Sedes episcopi Gabalitani, quæ olim apud Anderitum erat, Mimatum transla'a circa sæculum decimum, ibi etiam nunc perseverat.

[i] Sic. cod. Regm.; alii cum editis, *populi Gredonensis castri munitione conclusus*. Gredo autem putatur esse vicus ad radices montis situs, vulgo dictus *Grese*. Est tamen in Gabalis vicecomitatus Credonensis, et cod. Regm. cum edit. Badiana habet *Credonensis*.

[j] Nullo pacto Diocletiani persecutio ad annos quatuor revocari potest. De hac re vide præfationem nostram in Acta martyrum sincera.

[k] Sic recte codd. Bec., Reg. et Regm. Editi mendose, *Sistiensis*. Siscia quippe urbs erat episcopalis in Pannonia superiori, ubi passus est Quirinus, de quo Prudentius hymno 7, de Coronis. Ejus Acta vide inter sincera martyrum, pag. 552, ad annum 309.

sed erectis ad cœlum oculis, ait : Jesu Domine, qui gloriosus resides ad dexteram Patris, ne patiaris me ab hoc stadio removeri ; sed suscipiens animam meam, conjungere me tuis martyribus in requie sempiterna dignare. His dictis, reddidit spiritum. Cujus corpus a Christianis susceptum venerabiliter sepulturæ mandatum est.

XXXIV. Romanorum tricesimus quartus imperium obtinuit Constantinus, annis triginta regnans feliciter. Hujus imperii anno undecimo, cum post excessum Diocletiani pax reddita fuisset Ecclesiis, beatissimus præsul Martinus apud Sabariam [a] Pannoniæ civitatem nascitur, parentibus gentilibus, non tamen infimis. Hic Constantinus anno vicesimo imperii sui, Crispum filium veneno, Faustam conjugem calente balneo interfecit, scilicet quod proditores regni ejus esse voluissent. Hujus tempore venerabile crucis Dominicæ lignum per studium Helenæ matris ejus repertum est, prodente Juda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus. Usque hoc tempus historiographus in Chronicis scribit Eusebius. A vicesimo primo enim ejus imperii anno, Hieronymus presbyter addidit, indicans Juvencum presbyterum Evangelia versibus conscripsisse, rogante supradicto imperatore.

XXXV. Sub Constantis autem imperio, Jacobus Nisibenus [b] fuit, ad **28** cujus preces inclinatæ aures divinæ clementiæ, multa pericula a civitate ejus repulerunt. Sed et Maximinus Treverorum episcopus potens in omni sanctitate reperitur.

Nono decimo Constantii [c] junioris anno, Antonius monachus transiit, centesimo quinto [d] ætatis suæ anno. Beatissimus Hilarius Pictaviensis episcopus, suasu hæreticorum exsilio deputatur : ibique libros pro fide catholica scribens, Constantio misit, qui quarto exsilii anno eum absolvi jubens, ad propria redire permisit.

XXXVI. Tunc [e] jam et lumen nostrum exoritur, novisque lampadum radiis Gallia perlustratur : hoc est, eo tempore beatissimus Martinus in Galliis prædicare exorsus est, qui Christum Dei Filium per multa miracula verum Deum in populis declarans, gentilium incredulitatem avertit. Hic enim fana destruxit, hæresim oppressit, ecclesias ædificavit, et cum aliis multis virtutibus refulgeret, ad consummandum laudis suæ titulum, tres mortuos vitæ restituit. Quarto Valentiniani et Valentis anno, sanctus Hilarius apud Pictavos, plenus sanctitate et fide, multis undique virtutibus editis, migravit ad cœlos [f]. Nam et ipse legitur mortuos suscitasse.

Melania vero matrona nobilis, et incola urbis Romanæ, Hierosolyma ob devotionem abiit, Urbano filio Romæ relicto. Quæ ita se in cuncta bonitate ac sanctitate omnibus præbuit, ut Thecla vocaretur ab incolis.

XXXVII. Post mortem autem Valentiniani, Valens integri successor imperii, monachos ad militiam cogi jubet, nolentes fustibus præcipit verberari. Posthæc, bellum sævissimum in Thracia Romani gessere [g] : **29** in quo tanta strages fuit, ut Romani, amisso equorum præsidio, pedibus fugerent. Cumque a Gotthis internecione maxima cæderentur, et Valens fugeret sagitta sauciatus, parvum tugurium ingressus, imminentibus hostibus, super se incensa casula, optata caruit sepultura. Sicque ultio divina ob sanctorum effusum sanguinem, tandem emissa processit. Huc usque Hieronymus : ab hoc vero tempore, Orosius presbyter plus scripsit.

XXXVIII. Igitur cum Gratianus imperator destitutam [h] cerneret esse rempublicam, Theodosium collegam imperii facit. Hic Theodosius omnem spem suam atque fiduciam in Dei misericordiam ponit. Qui multas gentes non tam gladio, quam vigiliis et operatione compescuit, rempublicam confirmavit [i], Constantinopolim urbem victor ingressus est.

Maximus vero cum per tyrannidem oppressis Bri-

[a] Hodie, ut putant, oppidum est Hungariæ, *Szombatel* dictum, alias *Stain am Angern*, in comitatu Castriferrensi. Cluverius tamen existimat Sabariam antiquam olim exstitisse, ubi hodie est castrum *Sarwar*, quod Germani *Rothenturn* appellant, tribus leucis infra prædictum oppidum, ad confluentes Sabariæ fluvii in Arrabonem.

[b] Aliquot editi mendose, *Niebenus*. Hic quippe est celebris Jacobus episcopus, qui Nisibam Mesopotamiæ urbem a Saporis Persarum regis obsidione liberavit, anno 350. Cæterum nisi ipse Gregorius erraverit, legendum est *Constantii*, pro *Constantis*.

[c] Sic cod. Regm. Alii, *Constantini*. Sed mendose ; nam quarto sui imperii anno occisus est Constantinus junior. Constantium hic juniorem appellat Gregorius, forte ut ipsum a Constantio Chloro distinguat.

[d] Editi cum cod. Regio, *anno centesimo*, sed mendose.

[e] Hæc usque ad *Melania vero*, desunt in codice regio.

[f] Lis est inter auctores de die et anno, quibus S. Hilarius excessit e vita. De hac re fusius disseritur in ipsius Vita, quæ ejus operibus recens a nostris editis præmittitur, num. 113 et seq. Ejus festivitas Idibus Januarii in antiquis et recentibus martyrologiis celebratur, qua die et quidem anno 368 eum obiisse verisimilius est. Mortuum infantem ab eo suscitatum refert Fortunatus in ejus Vitæ libro I, num. 12. De hoc sancto Gregorius item agit in lib. de Gloria Confess., cap. 2. Melaniæ laudes præter Hieronymum fuse prosequuntur alii sancti Patres. Valentis tempore maxime enituit in fovendis et abdendis confessoribus, quos ille persequebatur. Quinque monachorum millia semel per triduum tyranni insidias fugientium pavit. Vide S. Paulini epistolam ad Severum, olim 10, in nova edit. 20. Monet Rosweydus, in notationibus ad peregrinationem Rufini et Melaniæ, Gregorium hic lapsum esse, qui Melaniæ filium appellavit *Urbanum*, ex loco Chronici Hieronymi male intellecto, ubi Hieronymus parvulum Melaniæ filium prætorem URBANUM, id est Romanæ urbis, exstitisse memorat, quod sic interpretatus est Gregorius quasi URBANUS nomen parvuli fuerit.

[g] Aliquot codd., *Thracias*. Nonnulli cum editis *Thracas*. Valentis persecutionem ac orthodoxorum præclaras confessiones fuse describunt Gregorius Nyssenus, Sozomenus, Theodoritus et alii passim. Lex contra monachos habetur, *l.* 26, *c. de Decurionibus*. Obiit die 9 Augusti anno 378, cum paulo amplius quam annos 15 regnasset.

[h] Cod. Regm., *destructam*.

[i] Cod. Regm., *remque publicam confirmans*.

tannis sumpsisset victoriam, a militibus imperator creatus est. In urbe Treverica sedem instituens [a], Gratianum imperatorem circumventum dolis interfecit. Ad hunc Maximum beatus Martinus jam episcopus venit. In loco ergo Gratiani, Theodosius ille qui totam spem in Deum posuerat, totum suscipit imperium. Qui deinceps divinis affatibus fretus, Maximum spoliatum imperio interfecit [b].

XXXIX. Apud Arvernos vero post Stremonium episcopum prædicatoremque, primus episcopus Urbicus fuit, ex senatoribus conversus, uxorem habens, quæ juxta consuetudinem ecclesiasticam, remota a consortio sacerdotis 30 religiose vivebat. Vacabant enim ambo orationi, eleemosynis, atque operibus bonis. Cumque hæc agerent, livor inimici, qui semper est æmulus sanctitati, commovetur in feminam : quam in concupiscentiam viri succendens, novam Evam efficit. Nam succensa mulier a libidine, operta peccati tenebris, pergit ad domum ecclesiæ per tenebras noctis. Cumque obserata omnia reperisset, pulsare fores ecclesiæ domus cœpit, ac voces hujusmodi dare : Quousque sacerdos dormis? quousque ostia clausa non reseras? cur conjugem [c] spernis ? cur obduratis auribus Pauli præcepta non audis ? Scripsit enim : *Revertimini ad alterutrum, ne tentet vos Satanas.* Ecce ego ad te revertor, nec ad extraneum, sed ad proprium vas recurro. Hæc et his similia diu declamanti [d], tandem sacerdotis tepescit religio. Jubet eam cubiculo intromitti, ususque concubitu ejus discedere jubet. Dehinc tardius ad se reversus, et de perpetrato scelere condolens, acturus pœnitentiam, diœcesis suæ monasterium expetit : ibique cum gemitu ac lacrymis quæ commiserat diluens, ad urbem propriam est reversus ; qui impleto vitæ cursu migravit a sæculo. Nata est enim ab hoc concubitu [e] filia, quæ in religione permansit. Ipse quoque sacerdos cum conjuge et filia in crypta Cantobennensi [f], juxta aggerem publicum [g] est sepultus. In cujus loco Legonus [h] episcopus subrogatur.

XL. Quo defuncto, sanctus Hillidius successit, vi eximiæ sanctitatis ac præclaræ virtutis, qui in tant sanctitate emicuit, ut fama ejus etiam extraneos 3: fines adiret : unde factum est, ut [i] imperatoris Tre verici filiam expetitus a spiritu immundo curare quod in libro illo, quem de ejus Vita conscripsimus memoravimus. Fuit autem, ut fama refert, valde se nex et plenus dierum, plenusque bonis operibus, qu felici consummatione, vitæ hujus perfunctus tramite migravit ad Christum, sepultusque in crypta, sub urbano [j] civitatis illius. Habuit autem et archidiaco num, nomine et merito Justum [k], qui et cursum vitæ bonis consummans operibus, magistri tumulo socia tur. Jam vero post transitum beati Hillidii confes soris, ad gloriosum ejus sepulcrum tantæ virtute apparent, ut nec scribi integre queant, nec memori retineri. Huic sanctus Nepotianus successit.

XLI. Igitur apud Arvernos sanctus Nepotianu quartus [l] habebatur episcopus. A Treveris vero legat in Hispaniam mittebantur : ex quibus Artemius qui dam, admirabilis sapientiæ atque pulchritudinis, e prima ætate florens, vi febrium est correptus. Præ cedentibus vero aliis, hic apud Arvernos ægrotus re linquitur. Nam eo tempore apud Treveros sponsal erat vinculo nexus. A sancto autem Nepotiano visi

[a] Idem cod., *sedem sibi constituens.*

[b] Hic desinit liber I in cod. Regio. Cætera usque ad librum II desunt; præter clausulam; *Explicit liber I a principio mundi usque ad transitum sancti Martini, computantur anni* 5546. In cod. vero Corb. omittuntur quatuor sequentia capitula, sed habetur ultimum. In Vaticano codice eadem quatuor capita, quæ non habet codex Corbeiensis, desiderantur. Hic porro adnotare liceat quædam alia capita quæ in eodem codice Vaticano desunt in prioribus Gregorii libris, quod, catalogo eorum nondum recepto, ea suis locis assignare fas non fuerit. Itaque præter quatuor capita memorata quæ in libro primo non habentur, desunt in libro II capita 14, 15, 16, 17, 21, 22, 23, 26 et 39; capita vero 1 et 4 non quidem exstant suo loco, sed in fine libri habentur. In libro IV desunt capita quatuor, scilicet 5, 6, 7, 12. In quinto desunt tredecim, nempe 5, 7, 9, 10, 12, 33, 37, 38, 41, 43, 46, 47, 49. Cætera suis locis annotantur.

[c] Bec. et Regm., *cur satellitem spernis... cur obturatis*, etc.; supra cap. 2, vir *satelles* appellatur. Codex Turon. habet etiam *cur satellitem*, etc.

[d] Cod. Reg., *declamante, tandem sacerdos tepescit religiosus; jubetque eam cubiculum introire, post concubitum vero discedere.*

[e] Ed. et Bec., *conceptu.* Observandum hic *religionis* vocem ad exprimendum vitæ sanctioris statum adhibitam. Quod et sæpius Gregorius facit passim.

[f] Cod. Reg., *Catabennensi*; Bad., *Cantobonensi*, vulgo *Chantoin*, ubi exstitit postea monasterium puellarum, cujus ecclesiæ dicata fuit sancto Petro, ut habetur in catalogo ecclesiarum Claromontensium a Savarone edito, lib. I, cap. 26. Huc secesserunt canonici regulares ecclesiæ cathedralis, qui capitulo Claromontensi sæculari toga donato regulam ejurare noluerunt. In eodem tamen libello, cap. 8, sanctus Urbicus sepultus dicitur in ecclesia sancti Galli, sed jam forte loco motus fuerat. Et quidem postea iterum translatus est in ecclesiam sancti Illidii. De Cantobennensi monasterio agitur infra lib. II, cap. 21. Robertus abbas Cantinobensis memoratur in appendice ad Historiam translationis S. Austremonii apud Labb. tom. II Biblioth. novæ, pag. 506.

[g] Editi duo habent, *Publianum.* Aggeris publici nomine designantur viæ publicæ seu militares.

[h] An sanctus Linguinus, qui in ecclesia sancti Venerandi sepultus dicitur cap. 10 libri I de ecclesiis Claromontens. Hunc potius esse Liminium martyrem putat Savaro, et quidem lib. II, cap. 18, memoratur ecclesia sancti Leogontii, ubi idem sanctus, quem Gregorii Legonum esse putat Savaro, dicitur quiescere.

[i] Sic cod. Regm. et edit. Bad.; cæteri, *ut ab imperatoris Treverici filia expetitus, ut spiritu*, etc.

[j] Ed. Bad. habet *suburbio*; cod. Regm., *suburbana.*

[k] Memoratur inter sanctos qui in ecclesia S. Illidii quiescebant, lib. I de eccles. Claromont., cap. II, quanquam episcopus mendose in inscriptione dicitur. Nisi forte duo sint Justi, unus archidiaconus, et alter episcopus. Nam et in eodem libro, cap. 14, Justus in ecclesia S. Cyrici quiescere dicitur. V. Sirmond. in ep. II, lib. IV. Sidonii Justi festum in Illidianis tabulis die 12 Kal. Novembris memoratur. De S. Illidio plura dicemus ad ejus Vitam, quæ est inter Vitas Patrum, cap. 2.

[l] Etiam juxta Gregorii calculum Nepotianus quintus est Arvernorum episcopus. De ejus sepulcro vide lib. de Gloria Confess., cap. 37.

[illegible] 33 [illegible] 32 [illegible] Tunc [illegible] Multos [illegible] vixerunt [illegible] trans- [illegible] certamine, [illegible] funeris [illegible] deponeret. ait: [illegible] quia [illegible] accepi. ita [illegible] subri- [illegible] quod non interrogaris? [illegible] insequitur. 34 [illegible] diversis parie- [illegible] quæ eorum [illegible] apparuit. Nam facto mane [illegible] invenerunt sepul- [illegible] reliquerant, [illegible] sepulcrorum hic [illegible] Hos usque ho- [illegible] Duos Amantes [illegible] locis incolæ voluerunt. Meminimusque de his in libro Miraculorum [d].

XLIII. Arcadii vero et Honorii secundo imperii anno, sanctus Martinus Turonorum episcopus, plenus virtutibus et sanctitate, præbens infirmis multa beneficia, octogesimo et primo ætatis suæ anno, episcopatus autem vigesimo sexto apud Condatensem diœcesis suæ vicum [f] excedens a sæculo

[a] Ecclesia sancti Artemii memoratur in libello de ecclesiis Claromont., cap. 29, quam destructam et violatam, et arcam lapideam quæ olim beat viri ossa continebat, prætereuntium pedibus conculcatam luget Savaro in notis ad hunc librum. Ejus festum colitur die 24 Januarii.

[b] Regm., *non ornant, sed deformant sponsalia... super quadrifluo amnis margine.*

[c] Bign., etc., *solatia*; rectius, *solaria*, id est superiores ædium partes.

[d] In libro de Gloria Confess. cap. 32. Porro hi Duo Amantes in ecclesia sancti Illidii sepulti fuerunt, et puellæ nomen, quod hic non exprimitur, colligimus ex lib. I de ecclesiis Claromont., ubi cap. 11, in ecclesia Illidiana *S. Injuriosus et Scholastica in corpore* quiescere dicuntur. Quippe cum Gregorius Injuriosum alterum e duobus hic appellet, dubium non est quin Scholastica fuerit, quæ ei nuptui tradita fuerat.

[e] Clarom. in quo, ut et in aliis plurimis codicibus hoc caput legitur sub *sermonis Gregorii Turon.* titulo, habet, *Arcadio et Honorio imperantibus sanctus*, etc. Sic et cod. Corb. annorum 900, ubi habetur sub titulo *Epistolæ de transitu S. Martini.*

[f] Vulgo dicitur *Candes* : situs est in confinio Turonum et Andegavorum ad Vigennæ et Ligeris confluentes, unde nomen traxit. Veteres enim Galli Condatum appellabant duorum fluminum confluxum.

migravit ad Christum. Transiit autem media æ Dominica habebatur, Attico Cæsarioque [a] is. Multi enim in ejus transitu psallentium [b] t in cœlo, quod in libro virtutum ejus pri- 4 et 5) plenius exposuimus. Nam cum pri- nctus Dei apud Condatensem, ut diximus, egrotare cœpisset, Pictavi populi ad ejus n sicut Turonici convenerunt. Quo migran- is altercatio in utrumque surrexit populum. enim Pictavi: Noster est monachus [c]; ba exstitit; nos requirimus commendatum. vobis, quod dum esset in mundo episco- estis ejus colloquio, participastis convivio, nistis benedictionibus, insuper et virtutibus i. Sufficiant ergo vobis ista omnia: nobis ferre vel cadaver **35** exanimum. Ad hæc respondebant: Si virtutum nobis facta suf- itis, scitote quia vobiscum positus, amplius n hic operatus. Nam, ut prætermittamus vobis suscitavit duos mortuos, nobis et, ut ipse sæpe dicebat [d], major ei virtus copatum fuit, quam post episcopatum. Ergo st, ut quod nobiscum non implevit vivens, el defunctus. Vobis est enim ablatus, no- donatus. Verum si mos antiquitus insti- rvatur, in urbe qua ordinatus est, habebit nte sepulcrum. Certe si pro monasterii pri- cupitis vindicare, scitote quia primum ei ium cum Mediolanensibus fuit. His ergo us, sole ruente nox clauditur, corpusque in medio positum, firmatis serra ostiis, ab utroque populo custoditur, futurum ut mane facto a Pictavis per violentiam auferretur: sed Deus omnipotens noluit urbem Turonicam a proprio frustrare patrono. Denique nocte media omnis Pictava somno phalanga comprimitur, nec ullus superfuit qui ex hac multitudine vigilaret.

Igitur ubi Turonici eos conspiciunt obdormisse, apprehensam sanctissimi **36** corporis glebam, alii per fenestram ejiciunt, alii a foris suscipiunt, positumque in navi cum omni populo per Vingennam [f] fluvium descendunt. Ingressique Ligeris alveum, ad urbem Turonicam cum magnis laudibus psallentioque dirigunt copioso. De quorum vocibus Pictavi expergefacti, nihil de thesauro quem custodiebant habentes, cum magna confusione ad propria sunt reversi. Quod si quis requiret, cur post transitum Gatiani episcopi, unus tantum, id est Litorius [g], usque ad sanctum Martinum fuisset episcopus, noverit quia obsistentibus paganis, diu civitas Turonica sine benedictione sacerdotali fuit. Nam qui Christiani eo tempore videbantur, occulte et per latebras divinum officium celebrabant. Nam si qui a paganis reperti fuissent Christiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur.

A Passione ergo Domini, usque transitum sancti Martini, anni 412 [h] computantur.

Explicitus est liber primus, continens annos 5546, qui computantur a principio mundi usque ad transitum sancti Martini episcopi.

cod. Corb. et Germ.; alii, *Cæsarico*; non- *sareo*. Quibus consulibus vulgaris æræ an- designatur, quem Martino extremum fuisse probat Cointius tomo I Annal. eccles. Franc. n 498. Scaliger lib. VI de Emendatione tem- ontendit eum anno 395 obiisse. Alii alium ssignant, ut videre est apud V. Cl. Jos. n in singulari de hac re dissertatione. Et cum nec Severus Sulpicius, nec Gregorius designandis characteribus chronologicis sibi suum quisque calculum præferentes, in opiniones abiere. Nobis satis sit Gregorii ut in mss. et editis habetur, repræsentare, ligendi unicuique relinquendo facultatem.

orb.; alii addunt *voces*. At Gregorius et alii auctores *psallentium* substantive usurpant.

ium in monasterio prope Pictavos vitam duxisse refert Severus Sulpicius in ipsius nc locum Locociacum dictum, vulgo *Liguculis* celebrem invisit Gregorius, ut ipse b. IV de Mirac. S. Mart., cap. 30; ibique ebat adhuc monasticus ordo sub abbatis regimine; sed postea locus in prioratum redactus, tandem patribus Societatis Jesu cessit.

[a] Id ipsum testatur Severus Sulpicius in dialogo 2 de ejusdem sancti virtutibus.

[c] Sic Clarom., Corb. duo, Germ. et Vinc. Alii vero, *monasterio privilegium*.

[f] Alias, *Vigenna*; nonnulli, *Vincenna*, *la Viane*, vel *la Vignanne*, vulgo *la Vienne* dicitur. Oritur in Lemovicibus, quorum, sicut et Pictonum, aliquot oppida alluit; denique prope ipsum Condatum in Ligerim devolvitur.

[g] Aliquot mss. et editi, *Lidorius*. Plures Gatianum inter ac Martinum admittendos esse episcopos innuit Sulpicius Severus in libro de Vita S. Martini, cap. 8, ubi agens de altari cujusdam pseudomartyris, quod Martinus evertit, illud *a superioribus episcopis constitutum* fuisse dicit. Quod cum sancto Gatiano primo episcopo imputare nefas sit, alii præter S. Litorium intermedii videntur admittendi.

[h] Scaliger lib. VI de emend. temporum hic et in fine lib. IV et VI, legendum esse censet 362; quo numero additi anni 33 Christi vitæ, efficitur annus 395.

37-38 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

copatu Briccii.
andalis et persecutione Christianorum sub
Cyrola hæreticorum episcopo, et de sanctis bus.
rsecutione sub Athanarico agitata.
vatio episcopo et Chunis.
silica sancti Stephani apud Mettensem urbem.
ore Aetii. De Attila.
d de Aetio historiographi scripserunt.
de Francis tidem dicant.
I. Quid de simulacris gentium prophetæ Domini scribant.
II. De Avito imperatore.
III. De Childerico rege et Ægidio.
IIII. De episcopatu Venerandi ac Rustici Arvernis.
IIV. De episcopatu Eustochii Turonici atque Perpetui; et de basilica sancti Martini.
IV. De basilica sancti Symphoriani.
VI. De Namatio episcopo, et ecclesia Arverna.
VII. De conjuge ejus, et basilica sancti Stephani.

XVIII. Quod Childericus Aurelianis, et Andegavis venit Adouacrius.
XIX. Bellum inter Saxones ac Romanos.
XX. De Victorio duce.
XXI. De Eparchio episcopo.
XXII. De Sidonio episcopo.
XXIII. De sanctitate Sidonii episcopi, et de injuriis ultione divina moderatis.
XXIV. De fame Burgundiæ, et Ecditio.
XXV. De Euvarege persecutore.
XXVI. De obitu sancti Perpetui, et episcopatu Volusiani ac Veri.
XXVII. Quod Chlodovechus regnum accepit.
XXVIII. Quod Chlodovechus Chrothechildem accepit.
XXIX. De primo eorum filio baptizato et in albis defuncto.
XXX. Bellum contra Alamannos.
XXXI. De baptismo Chlodovechi.
XXXII. Bellum contra Gundebadum.
XXXIII. De interitu Godegiseli.
XXXIV. Quod Gundebadus converti voluerit.
XXXV. Quod Chlodovechus et Alaricus se viderunt
XXXVI De Quintiano episcopo.
XXXVII. Bellum contra Alaricum.
XXXVIII. De Patricialu Chlodovechi regis.
XXXIX. De Licinio episcopo.
XL. De interitu Sigiberti senioris et filii ejus.
XLI. De interitu Chararici et filii ejus.
XLII. De interitu Ragnacharii et fratrum ejus.
XLIII. De obitu Chlodovechi.

LIBER SECUNDUS.

Prologus.

39 Prosequentes ordinem temporum, miste confuseque tam virtutes sanctorum, quam strages gentium memoramus. Non enim irrationabiliter accipi puto, si felicem beatorum vitam inter miserorum memoremus excidia, cum id non facilitas scriptoris, sed temporum series præstet. Nam sollicitus lector, si inquirat strenue, inveniet inter illas regum Israeliticorum historias, sub Samuel justo Phineem interisse sacrilegum ; ac sub David, quem Fortem manum [a] dicunt, Goliam allophylum corruisse. Meminerit etiam sub Heliæ eximii vatis tempore, qui pluvias cum voluit abstulit, et cum libuit arentibus terris infudit; qui viduæ paupertatem oratione locupletavit; quantæ populorum strages **40** fuere, quantæ fames, vel quæ siccitas miseram oppresserit humum. Quæ sub Ezechiæ tempore, cui Deus ad vitam quin annos auxit, Hierosolyma mala pertulerit. Sed Elisæo propheta, qui mortuos vitæ restituit, in populis miracula multa fecit, quantæ inter nes, quæ miseriæ ipsum Israeliticum populu presserunt. Sic et Eusebius, Severus, Hi musque in Chronicis, atque Orosius, et bella r et virtutes martyrum pariter texuerunt. Ita idcirco sic scripsimus, quo facilius sæculorum vel annorum ratio usque ad nostra tempora t periatur. Venientes ergo per ante dictorum auc Historias, ea quæ in posterum acta sunt, D adjuvante [b] disseremus.

I. Igitur [c] post excessum beati **41** Martir ronicæ civitatis episcopi, summi et incompa

[a] Sic Corb.; alii, *Fortem manu.*
[b] Sic cod. Casin.; alii, *jubente.*
[c] Deest hoc caput in Corb. et Reg. Porro nonnulli hujus temporis eruditi viri, quibus non placet hæc Gregorii narratio, eum in hoc falsum fuisse putant, quod Brictionem, de quo Sulpicius in fine Dialog. 3 scripsit, cum Briccio sancti Martini confuderit, quos tamen diversos omnino fuisse volunt : primo, quod neque Sulpicius, neque Fortunatus, qui Brictionis etiam meminit, eum Martino successisse dixerint; 2° quod verisimile non sit hominem adeo facinorosum, qualis Brictio ab illis auctoribus describitur, tanto viro in episcopatu successisse; 3° quod, si Brictio Martino successisset, Sulpicius qui eo Turonis sedente Dialogos scripsit, tanta ejus facinora, aut saltem nomen reticuisset. Denique quod Sulpicius et Fortunatus Brictionem nominaverint, Martini vero successor Briccius etiam ab ipso Gregorio appellatus fuerit. Quin et alii volunt totum hoc caput Gregorii Historiæ ab aliquo interpolatore fuisse adjectum : cum in codd. vetustissimis, Corbeiensi scilicet et Belovacensi, non habeatur, et in eo proferantur multa, quæ non satis sibi constant, ut a Gregorio scripta dici possint, videlicet hominem vanum Martino successisse, eumque annos saltem septuaginta natum adulterii crimine impetitum; Romæ, ut suam causam tueretur, annos septem commoratum. His addunt pontificis Romani, qui tamen Gregorio probe notus erat, nomen suppressum; nullam denique horum factorum alias memoriam haberi, aliaque id genus, quæ a Cl. V. Josepho Antelmio in epistola ad R. P. Ant. Pagium Parisiis edita anno 1693 proferuntur.

Verum his omnibus opponi potest antiqua et constans Ecclesiæ Turonensis traditio, quæ Briccium suum, qualis a Gregorio repræsentatur, semper venerata est, et etiam nunc cultu publico colit autem objiciuntur adversus hanc traditionem fortasse tanti videbuntur, quæ hanc omnino elevare. Quid enim mirum si Briccius, vir alitibus bonis non plane destitutus, cujus crimicultaverat sanctus Martinus, quem et ipse a in monasterio suo educatum, presbyterum cre ipsi in successorem suffectus fuerit? Sulpicius ejus in sanctum virum convicia retulit, sed tempore, quo ea Briccius a suis vexatus palam tebatur, juste, ut refert ipse Gregorius, sibi tates contigisse dicens, quod ipse sæpius sancti rum calumniis impetitisset. Nihil porro obest le nominum diversitas, cum martyrologia, etiam tustissima, ut in plerisque observavimus, alii *Briccium*, aliquando *Briccionem*, hunc beatum appellent. Quæ autem de Fortunato dicuntur, objectionem roborant, cum certum sit ea solum ab eo versibus expressa fuisse, quæ Sulpicius oratione dixerat. Quæ vero ad historiam hanc gorio abjudicandam proferuntur, multo minori momenti. Nam abest quidem a codice Corbeien in isto codice multa alia desiderantur, quæ ta Gregorio scripta fuisse aliunde certum est, loco probamus. Ex codice autem Bellovacens erui potest, cum avulsis ab eo aliquot foliis, a tertii fine folium primum quod superest incipia terum hæc historia in aliis, etiam vetustis et notæ, codicibus habetur, tam in ipsa Historia gorii, quam in aliis codd. sub titulo Vitæ sancti cii, et quidem sub ipsius Gregorii nomine. Quo homo vanus in episcopatum evectus, vel septe rius adulterii crimine impetitus fuerit, aut pro causa tuenda, seu pro quavis alia ratione septennio fuerit moratus; denique quod pe

e cujus virtutibus, magna apud nos volumina
tur, Briccius ad episcopatum succedit. At
riccius iste, cum esset primævæ ætatis juvenis,
adhuc Martino viventi in corpore multas ten-
nsidias, pro eo quod ab eodem plerumque, cur
[a] res sequeretur, arguebatur. Quadam autem
m quidam infirmus medicinam a beato Mar-
peteret, Briccium adhuc diaconum in platea
it; cui simpliciter ait : Ecce ego præstolor
i virum, et nescio ubi sit, vel quid operis
Cui Briccius : Si, inquit, delirum illum quæ-
spice eminus : ecce cœlum solito [b] sicut amens
t. Cumque pauper ille, occursu [c] reddito, quod
t impetrasset, Briccium diaconum vir beatus
tur : En ego, Bricci, delirus tibi videor ?
ie ille confusus hæc audiens, dixisse se de-
t, ait vir sanctus : Nonne aures meæ ad os
erant, cum hæc eminus loquebaris? Amen dico
uia obtinui apud Deum, ut post meum trans-
d pontificatus **42** honorem accedas : sed no-
e in episcopatu multa adversa passurum. Bric-
æc audiens irridebat, dicens : Nonne verum
itum delira verba proferre? Sed et presbyterii
prædítus, sæpius beatum virum conviciis
rit. Adeptus ergo, consentientibus civibus,
atus officium, orationi vacabat. Quia quan-
esset superbus et vanus, castus tamen habe-
corpore. Tricesimo tertio [d] vero ordinationis
nno, oritur contra eum lamentabilis causa pro
e. Nam mulier, ad quam cubicularii ejus ves-
a deferre solebant ad abluendum, quæ sub
religionis erat veste mutata [e], concepit et pe-
)ua de re surrexit omnis populus Turonorum
a, et totum crimen super episcopum referunt,

A volentes eum unanimiter lapidare. Dicebant enim : Diu pietas sancti tuam celavit luxuriam : nec [f] Deus nos diutius sinit manus tuas indignas osculando pollui. Illo quoque econtrario viriliter hæc negante : Afferte, inquit, infantem ad me. Cumque oblatus fuisset infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad **43** eum Briccius episcopus : Adjuro te per Jesum Christum Filium Dei omnipotentis, ut si ego te generavi, coram cunctis edicas. Et ille : Non es, inquit, tu pater meus. Populis autem rogantibus, ut quis esset pater interrogaret, ait sacerdos : Non est hoc meum. Quod ad me pertinuit, sollicitus fui : vobis si aliquid suppetit, per vos quærite. Tunc illi magicis hæc artibus facta asseverantes, insurgunt contra eum in una conspiratione. Et trahentes eum B dicebant : Non diutius nobis falso pastoris nomine dominaberis. Ille autem ad satisfaciendum adhuc populo, prunas ardentes in byrrum [g] suum posuit : et ad se stringens, usque ad sepulcrum beati Martini una cum populorum turbis accedit : projectisque ante sepulcrum prunis, vestimentum ejus inustum apparuit. Illo quoque sic prosequente : Sicut istud vestimentum ab his ignibus videtis illæsum, ita et corpus meum a tactu mulierisque coitu est impollutum. Illis vero non credentibus, sed contradicentibus, trahitur, calumniatur, ejicitur [h], ut sermo sancti adimpleretur: Noveris te in episcopatu multa adversa passurum. Hoc enim ejecto, Justinianum in episcopatu constituunt. Denique Briccius Romanæ urbis papam expetiit, flens et ejulans, atque dicens : Merito hæc pa- C tior, quia peccavi in sanctum Dei, et eum delirum et amentem sæpe vocavi cujus ; videns virtutes, non credidi. Post cujus abscessum, aiunt Turonici sacerdoti suo : Vade post eum [i], et exerce negotium

[a] Gregorio suppressum fuerit, aliaque ejus-
rgumenta, non adeo sunt valida, ut traditio-
nctenus inconcussam evellere possint; cum
sint, etiam istis temporibus, exempla, queis
i narratio approbari possit. Et quidem Zozi-
apa epist. 4 Aurelio, etc., Afris episcopis,
Briccium Turonicæ civitatis episcopum falso
ma fuisse a Lazaro. Qui Lazarus, uti idem
efert epist. 6, damnatus fuit in conc. Tauri-
quod *Briccii innocentis episcopi vitam falsis*
nibus appetisset.
nius legendum putat *futiles*. Regm., Germ. et
ser *facile*. Sed retinenda prima lectio. Eodem
sensu hanc vocem *faciles* usurpat Gregorius
ilrac. S. Martini, cap. 1, et alibi passim.
Regm. cum editis 2; alii, *solite*, unde Latinius
reponendum conjicit.
m., *cursu*.
., Germ. et Regm., *Tricesimo vero*.
a vestium mutationem ab iis qui religiosam
ageb.nt, quod et frequenter apud Gregor. oc-
sed semel annotasse sufficiat. Vide Conc.
II, can. 25.
m., *Non Deus sinat nos manus tuas indignas*
do pollui diutius. Vetus est et plane laude di-
nsaeiudo manus Episcoporum osculandi, quod
rum impositionem tradatur Spiritus sanctus.
idere est in Vita S. Ambrosii per Paulinum, in
Fulgentii per Ferrandum, etc. Id etiam reges
ducebant, ut testatur Gerbertus, seu quivis
liquus auctor sub sancti Ambrosii nomine, in
e Dignitate sacerdotum, cap. 2. *Cum videas re-*
gum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et exosculata eorum dextera orationibus eorum se credant communiri, etc.

[e] Byrri nomine vestis designatur in Actis S. Cypriani, ad quæ plura observavimus in Actis martyrum sinceris, p. 218. His adde locum ex lib. II Vitæ S. Odonis Sæc. V Bened., ubi num. 5 dicitur ille sanctus per *birri*, quo more cappæ tegebatur, fimbriam apprehensus.

[h] Germ., *calumniatus ejicitur*.

[i] Cod. Turonensis apud Morelium habet, *Vade post eum, et exere negotium tuum; quia si eum persecutus non fueris, a nostro omnium contemptu humiliaberis.* Hinc porro colligere licet hoc de S. Briccio caput in ms. Turonensi exstitisse. Si vero ejus Historia exemplis approbari sit necesse, quod suo loco facere non licuit, quippe cum jam notæ nimium excrevissent, proferimus primo Victoris II pont. Romani exemplum, ex Papirii Massoni libro IV de Vitis pontificum, ubi narrat Victorem, qui Leoni IX suo decessori molestias intulerat, solitum fuisse cum ei aliquid adversi contingeret dicere, *quod fecit Saulus hoc patitur Paulus.* Infantuli vero, qui ad calumnias ab innocentibus avertendas divino nutu locuti sunt, passim occurrunt in Historia ecclesiastica, ex quorum numero unum aut alterum exemplum proferre sufficiat. S. Broon episcopus, beati Patricii discipulus, a simili calumnia vindicatus est, jubente Brigida infantula ut patrem suum declararet, in Vita S. Brigidæ apud Surium et Bollandum, die 1 Februarii. S. Sergius papa Romanus simili miraculo innocens declaratus fuit, agente sancto Adhelmo,

tuum, quia si eum prosecutus non fueris, ad nostrum A omnium contemptum humiliaberis. Justinianus vero egressus a Turonis, Vercellas Italiæ civitatem aggressus, judicio Dei percussus, obiit peregrinus. Turonici ejus obitum audientes et in sua malitia perdurantes, Armentium in ejus loco constituunt. At Briccius episcopus Romam veniens, cuncta quæ pertulerat papæ refert. Qui ad sedem apostolicam residens, plerumque Missarum solemnia celebrans, inibi quidquid in sanctum Dei deliquerat, **44** deflendo diluit. Septimo igitur regressus anno a Roma, cum auctoritate papæ illius, Turonos redire disponit : et veniens ad vicum cujus nomen est Laudiacum [a], sexto ab urbe milliario, mansionem accepit. Armentius vero febre corripitur, et media nocte spiritum exhalavit. Quod protinus Briccio episcopo per visum B revelatum est, qui ait suis : Surgite velocius, ut ad tumulandum fratrem nostrum Turonicum pontificem occurramus. Cumque illi venientes portam civitatis ingrederentur, ecce istum per aliam portam mortuum efferebant. Quo sepulto, Briccius in cathedram suam regressus est, septem postea feliciter vivens annos. Cui post quadragesimum septimum episcopatus annum defuncto sanctus Eustochius successit, magnificæ sanctitatis vir [b].

II. Posthæc [c] Vandali a loco suo digressi, cum Gunderico rege in Gallias ruunt. Quibus valde vastatis, Hispanias appetunt. Hos secuti Suevi, id est, Alamanni, Galliciam apprehendunt. Nec multo post scandalum inter utrumque oritur populum, quoniam propinqui sibi erant. Cumque ad bellum armati procederent, ac jamjamque in conflictu parati essent, ait Alamannorum rex : Quousque bellum super cunctum populum commovetur? Ne pereant, quæso, populi utriusque phalangæ : sed procedant duo de nostris in campum cum armis bellicis, et ipsi inter se confligant. Tunc ille, cujus puer vicerit, regionem sine certamine obtinebit. Ad hæc cunctus consensit populus, ne universa multitudo in ore gladii rueret. His enim diebus Gundericus rex obierat, in cujus loco Trasamundus [d] obtinuerat regnum. Confligentibus vero pueris, pars Vandalorum victa succubuit; interfectoque puero, placitum egrediendi Trasamundus spopondit, ut scilicet, præparatis itineris ne se a finibus Hispaniæ removeret.

Per idem vero tempus persecutionem in nos Trasamundus exercuit, ac totam Hispa ad perfidiam **45** Arianæ sectæ consentiret, ac diversis mortibus impellebat Unde factu puella quædam religiosa, prædives opibus, dum sæculi dignitatem nobilitate senatori et, quod his omnibus est nobilius, fide pollens, Deoque omnipotenti irreprehensibi viens, ad hanc quæstionem adduceretur. regis fuisset oblata conspectibus, cœpit eam ad rebaptizandum blandis sermonibus illic cum venenosum ejus jaculum fidei parma pr præcepit rex facultates ejus auferri, quæ j possidebat regna paradisi ; deinde suppliciis tam, sine spe præsentis vitæ torqueri. Quid pl multas quæstiones, post ablatos terrenarum d thesauros, cum ad hoc frangi non posset, scinderet Trinitatem, ad rebaptizandum in citur. Cumque in illud cœnosum lavacrum retur immergi, ac proclamaret : Patrem c ac Spiritum sanctum unius credo esse s essentiæque; digno aquas unguine cunctas est fluxu ventris aspergit. Exhinc ad legit ducta quæstionem, post equuleos, post fl ungulas, Christo Domino capitis decisione Posthæc prosequentibus Alamannis usque ctam [e], transito mari Vandali per totam A Mauritaniam sunt dispersi.

III. Sed quoniam eorum tempore per Christianos invaluit, sicut superius mentio videtur et aliqua ex his quæ circa Dei ec tulerunt, vel quemadmodum de regno ex memorare. Defuncto igitur Trasamundo, p quæ in sanctis Dei exercuit, Hunericus s delior Africanum occupat regnum, atque ex Vandalorum ipsis præponitur. Cujus sub quanti Christianorum populi pro ipso Chri tissimo nomine cæsi sint, ab hominibus comprehendi. Testis est tamen Africa quæ Christi dextera, quæ gemmis immarce **46** coronavit. Legimus tamen quorumdam

postea Schireburnensi episcopo, ut in ejus Vita narratur, apud eosdem auctores die 25 Maii, et inter Acta SS. Ord. Benedictini Sæc. III. Denique Daniel senex monachus publica infantis 25 dierum declaratione, a suspicione adulterii liberatus est, in Prato Spirituali, cap. 114. Eorum vero qui ignem ad suam castitatem approbandum illæsi contrectaverunt, frequentiora sunt apud auctores exempla, quam ut hic adduci debeant in testimonium.

[a] Is ipse locus infra lib. x, cap. 31, appellatur *Mons-laudiacus*, vulgo dicitur *Mont-loys*. Regm. habet *Claudiacum*.

[b] De utroque iterum lib. x, cap. 31.

[c] Reg. incipit absolute, *Vandali*.

[d] Sic semper Corb. Reg. vero, Bec. et Regm., cum aliquot editis, *Transimundus*; alii, *Trasimundus*. Porro hæc non sub Trasamundo, sed sub Genserico contigerunt, uti diximus in Historia persecutionis Vandalicæ, ubi gentis hujus in Gallias primum, tum in Hispanias et Africam irruptiones descripsimus.

[e] Hanc Hispani appellant Vincentiam, q riæ in Lusitania passam volunt : de hac egi bro laudato de persecutione Vandalica, cap. 2

[f] Plinius libro v Historiæ naturalis, cap alia nomina, quæ olim Tingitanæ, etiam bri Africæ urbi, vulgo *Tanger*, data fuisse morat, ait eam *a Claudio Cæsare, cum colonia* appellatam fuisse *Julia'n Traductam*. Jul ductam in altera ripa, id est in Hispan littore, sitam fuisse alii contendunt, et aucto moniis probant : et quidem Gregorius n ductam in Hispania videtur locare. Trad utraque ripa unam exstitisse censet Hard pacto hæc auctorum contrarietas facile Vide quæ de hac re ipse dixit in notis e ad hunc Plinii locum.

[g] Editi, *Honoricus*. Is Genserico patri cessit : huic Guntabundus, et Guntabund mundus.

um passiones, ex quibus quædam replicanda
it ad ea quæ spopondimus veniamus. Igitur
falso vocatus episcopus, hæreticorum tunc
os habebatur assertor. Cumque ad persequen-
hristianos rex per diversa transmitteret, san-
ugenium episcopum, virum inenarrabili san-
qui tunc ferebatur magnæ prudentiæ esse, in
ano civitatis suæ reperit persecutor : quem ita
r rapuit, ut nec ad hortandum gregem Chris-
abire permitteret. Ille vero cum se videret
epistolam civibus pro custodienda fide ca-
hoc modo transmisit [b] :

*ectissimis et in Christi amore dulcissimis filiis
bus Ecclesiæ mihi a Deo commissæ* [c], *Eugenius
us.*

galis emanavit auctoritas, et pro exercenda
tholica, edicto nos a Carthagine [d] venire præ-
t ideo ne abiens a vobis Ecclesiam Dei in
o, hoc est in suspenso, dimitterem, aut oves
non verus pastor silentio relinquerem, ne-
am duxi has pro me vicarias vestræ dirigere
ti : in quibus non sine lacrymis peto, hortor,
, et satis abundeque obtestor per Dei maje-
, et per tremendum judicii diem, atque ad-
Christi terribilem claritatem, ut fixius teneatis
am fidem, asserentes Filium Patri esse æqua-
Spiritum sanctum eamdem habere cum Patre
deitatem [e]. Servate itaque unici baptismatis
a, custodientes chrismatis unctionem [f]. Nemo
uam revertatur ad aquam, renatus ex aqua.
nim Dei sal ex aqua conficitur; sed si in aquam
im fuerit, omnis species ejus confestim eva-
. Unde non immerito Dominus in Evangelio
sal infatuatum fuerit, in quo salietur (*Matth.*
? Et utique hoc est infatuari, velle secundo
i, cum semel factum sufficiat. Non audistis
im dicentem : *Qui semel lotus est, non habet
tatem* 47 *iterum lavandi* (*Joan.* XIII, 10)?
e, fratres, et filii, filiæque meæ in Domino,
s contristet absentia mea, quia si catholicæ
inæ adhæreatis, ego vos nec longinquitate
obliviscar, nec morte a vobis divellar [g]. Scitote
ocumque me fecerint dividi agones, mecum
ma : si ad exsilium abiero, beati Joannis
listæ exemplum habeo; si ad mortis exitium,
mihi Christus est, et mori lucrum (*Philipp.* I,
i rediero, fratres, implebit Deus desiderium
m. Attamen sufficit modo, quod vobis non ta-
onui, instruxi, quomodo potui; ideoque immu-
a sanguine omnium pereuntium; et scio quia
us eos legentur litteræ istæ ante tribunal Christi,
enerit reddere unicuique secundum opera sua.
ersus fuero, fratres, videbo vos in hac vita : si
A non reversus fuero, videbo vos in futura. Dico tamen vobis : Valete, orate pro nobis, et jejunate : quia jejunium et eleemosyna semper Dominum ad misericordiam deflexerunt. Mementote esse scriptum in Evangelio : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : timete autem eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem et animam et corpus perdere et mittere in gehennam* (*Matth.* X, 2). »

Ductus itaque sanctus Eugenius ad regem, cum illo Arianorum episcopo pro fide catholica decertavit. Cumque eum de sanctæ Trinitatis mysterio potentissime devicisset, et insuper multas per eum virtutes Christus ostenderet, in majorem insaniam idem episcopus, invidia inflammante, succenditur. Erant enim
B tunc temporis cum sancto Eugenio viri prudentissimi atque sanctissimi, Vindemialis [h] et Longinus episcopi, pares gradu, et virtute non impares. Nam sanctus Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum suscitasse; Longinus autem multis infirmis salutem tribuit. Eugenius quoque non solum visibilium oculorum cæcitatem, sed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequam Arianorum episcopus, vocatum ad se quemdam hominem, ab illo quo ipse vivebat errore 48 deceptum, ait : Non patior, quod hi episcopi multa in populo signa depromunt, illosque cuncti me neglecto sequuntur. Acquiesce nunc his quæ præcipio, et acceptis quinquaginta aureis, sede in platea, per quam nobis est transitus, et manum super clausos oculos ponens, me præfereunte cum reliquis,
C exclama in magna virtute, dicens : Te, beatissime Cyrola, nostræ religionis antistes, deprecor, ut respiciens manifestes gloriam ac virtutem tuam, ut oculos meos aperiens merear lucem videre quam perdidi. Qui jussa complens, residensque in platea, transeunte hæretico cum sanctis Dei, iste qui Deum irridere cogitabat, exclamat in magna virtute, dicens : Audi me, beatissime Cyrola; audi me, sancte sacerdos Dei : respice cæcitatem meam. Experiar ego medicamenta quæ sæpe cæci reliqui a te meruerunt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi etiam mortui præsenserunt. Adjuro te per ipsam virtutem quam habes, ut mihi desideratam restituas lucem, quia gravi sum cæcitate percussus. Veritatem enim
D nesciens, verum dicebat : quia cæcaverat eum cupiditas, et virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam æstimabat. Tunc hæreticorum episcopus paululum se divertit, quasi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atque superbia, posuit manum suam super oculos ejus, dicens : Secundum fidem nostram, qua recte Deum credimus, aperiantur oculi tui. Et mox ut hoc nefas erupit, risus mutatur in planctum, et dolus episcopi est patefactus in publico : nam

[b] mss., at editi cum Bec. habent *Christi ullum.*
est epistola integra in Corb., sed quæ tamen
emissa fuit, cum habeat, *epistolam.... hoc transmisit.*
. 1, *commissis.*
gin., *Carthaginem*, et infra, post *vicarias*, ad-
teras.
m et Bec., *asserentes Patrem et Spiritum san-
ctum eamdem habere cum Filio deitatem.*

[f] Baptismi gratiam, chrismatis unctionem inter bona Christianis a Deo collata recenset Salvianus, ejusdem ævi auctor, lib. III de Gubernatione Dei.

[g] Sic mss. 2; alii, *quin si catholicæ disciplinæ adhæreatis, ego... obliviscor... divellor.*

[h] Corb., habet ubique *Vindimialis.*

[a] tantus dolor oculos miseri illius invasit, ut eos digitis vix [b] comprimeret, ne creparent. Denique clamare cœpit miser, ac dicere : Væ mihi misero, quia seductus sum ab inimico legis divinæ. Væ mihi, quia Deum per pecuniam irridere volui, et quinquaginta aureos accepi, ut hoc facinus perpetrarem. Ad episcopum autem aiebat : Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidi. Vosque rogo, gloriosissimi Christiani, ne despiciatis miserum, sed velociter succurrite pereunti. Vere enim cognovi, quia *Deus* **49** *non irridetur* (*Gal.* VI, 7). Tunc sancti Dei misericordia moti : *Si*, inquiunt, *credis, omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* IX, 22). At ille clamabat voce magna : Qui non crediderit Christum Filium Dei et Spiritum sanctum æqualem habere substantiam atque deitatem cum Deo Patre, hodie quæ ego perfero patiatur. Et adjecit : Credo Deum Patrem omnipotentem, credo Filium Dei Christum Jesum æqualem Patri, credo Spiritum sanctum Patri et Filio consubstantialem atque coæternum. Hæc illi audientes, et se invicem honore mutuo prævenientes, oritur inter eos sancta contentio, quis oculis ejus signum beatæ crucis imponeret. Vindemialis vero ac Longinus Eugenium, ille autem econtra eos exorat ut manus imponerent cæco. Quod cum fecissent, et manus suas super caput ejus tenerent, sanctus Eugenius crucem super oculos cæci faciens, ait : In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti veri Dei, quem trinum in una æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et statim ablato dolore, ad pristinam rediit sanitatem. Manifestissime autem patuit per hujus cæcitatem, qualiter hæreticorum episcopus oculos cordium misero assertionis suæ velabat amictu, ne veram lucem ulli liceret fidei oculis contemplari. O miserum, qui non ingressus per januam, id est per Christum, qui est janua vera, lupus magis gregi quam custos effectus est; et pacem [c] fidei quam in credentium cordibus debuerat accendere, pravitate cordis sui conabatur exstinguere. Sancti vero Dei alia signa in populis multa fecerunt, et erat vox una populi dicentis : Verus Deus Pater, verus Deus Filius, verus Deus Spiritus sanctus, una fide colendus, uno timore metuendus, eodemque honore venerandus. Nam quæ Cyrola asserit, falsa esse cunctis est manifestum.

Videns autem Honoricus rex, assertiones suas per sanctorum fidem gloriosam taliter denudari, nec erigi sectam erroris, sed potius destrui, fraudemque **50** pontificis sui in hoc scelere fuisse detectam Dei post multa tormenta, post equuleos, po mas, post ungulas, jussit interfici. Beatum genium decollari jussit, sub ea specie, ut hora qua ensis super cervicem ejus incumb reverteretur ad hæreticorum sectam, non tur, ne eum pro martyre excolerent Christ exsilio damnaretur : quod ita factum esse ma est. Nam cum imminenti morte, interrogatu si mori pro fide catholica destinaret, respond enim est sempiterna vita, pro justitia mo suspenso gladio, apud Albigensem Galliarum exsilio deputatus est : ubi et finem vitæ p fecit [d]. Ad cujus nunc sepulcrum multæ virt berrime ostenduntur. Sanctum vero Vind gladio percuti præcepit. Quod ita impletum e certamine. Octavianus vero archidiaconus, millia virorum ac mulierum hanc fidem asse interempta atque debilitata sunt. Sed pro a riæ, nihil erant hæc supplicia confessoribus qui in paucis vexati, in multis bene se nove ponendos (*Sap.* III, 5), juxta illud Apostol *non sunt condignæ passiones hujus temporis ram gloriam, quæ revelatur in sanctis* (*Rom.* Multi tunc errantes a fide, accipientes div seruerunt se doloribus multis : sicut infelix scopus, nomine Revocatus, eo tempore est a fide catholica. Tunc [e] et sol teter apparui vix ab eo pars vel tertia eluceret : credo, p sceleribus et effusione sanguinis innocentis. cus vero post tantum facinus, arreptus a qui diu de sanctorum sanguine pastus fuer priis se morsibus laniabat : in quo etiam vitam indignam justa morte finivit. Huic Ch [f] successit, quo defuncto, Gelesimiris regu cipit. Ipse quoque a republica [g] superatu principatumque finivit : et sic regnum deci dalorum.

51 IV. Multæ enim hæreses eo tempore clesias impugnabant, de quibus plerumque vina data est. Nam et Athanaricus Gottho magnam excitavit persecutionem : qui mult stianorum, diversis pœnis affectos, gladio d bat; sed [h] et nonnullos exsilio datos, fame cruciatibus enecabat. Unde factum est, ut im judicio Dei, pro effusione sanguinis justi expelleretur, et esset exsul a patria, qui D sias impugnabat. Nunc vero ad superiora re

[a] Cod. Bellov. cæteris avulsis incipit ab his verbis, *patefactus in publico*. Tum quæ sequuntur usque ad hæc verba, *Tunc sancti Dei*, desunt in eodem cod. Porro similis huic Historia Leovigildi temporibus in Hispania contigit, quam narrat ipse Gregorius lib. de Gloria Conf., cap. 13.

[b] Regm., *vi comprimeret*. Casin., *digitis suis comprimeret*.

[c] Bell., *faciem*, pro *facem*, nisi fallor.

[d] De Eugenio, cæterisque hic a Gregorio laudatis, consule Historiam persecutionis Vandalicæ a nobis editam, cap. 8, ubi fuse de his egimus, et de ejus sepulcro prope Albigensium urbem.

[e] Anno 450; sequenti vero Hunnorum in Gallias irruptionem contigisse probat Scaliger lib. Emend. temp.

[f] Reg., *Hildericus*, quod idem est; nam poribus littera H perinde sonabat ac nostris terum non nisi Guntabundo et Trasamundo dis Hunerico patri suo successit Hilderic defuncto, sed pulso, Gelisimer regnum Eorum fortunam Procopius et alii describu Hist. persecut. Vandalicæ a nobis editam, cap.

[g] Id est a Belisario famoso duce Justinia ratoris.

[h] Hæc usque ad *unde* desunt in mss. 2. Po narici persecutionem descriptam habes in A tyrum sinceris, pag. 670, ubi de S. Saba ad ann

tur rumor erat Chunos [a] in Gallias velle pro-
:. Erat autem tunc temporis apud Tungros
ı Aravatius [b] eximiæ sanctitatis episcopus,
liis ac jejuniis vacans crebro lacrymarum
erfusus, Domini misericordiam precabatur,
ıam gentem hanc incredulam, seque semper
n, in Gallias venire permitteret. Sed sentiens
itum, pro delictis populi, sibi hoc non fuisse
ım, consilium habuit expetendi [c] urbem Ro-
; scilicet, ut adjunctis sibi apostolicæ virtutis
iis, quæ humiliter ad Dominum flagitabat,
ur facilius obtinere. Accedens ergo ad beati
tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis
multa abstinentia, maxima inedia se consu-
ta ut biduo triduoque sine ullo cibo potuque
, nec esset intervallum aliquod, in quo ab
ı cessaret. Cumque ibi per multorum dierum
ı tali afflictione moraretur, fertur hoc a beato
accepisse responsum: Quid me, vir sanctis-
52 inquietas? Ecce enim apud Domini deli-
ıem prorsus sancitum est Chunos in Gallias
e, easque maxima tempestate debere depo-
Non igitur sume consilium, accelera veloci-
ina domum tuam, sepulturam compone: re-
nteamina munda. Ecce enim migrabis a cor-
ıc videbunt oculi tui mala quæ facturi sunt
n Galliis, sicut locutus est Dominus Deus no-
ôc a sancto apostolo pontifex responso sus-
ıter accelerat, Galliasque velociter repetit:
que ad urbem Tungrorum, quæ erant neces-
pulturæ secum citius levat: valedicensque
ac reliquis civibus urbis, denuntiat cum
lamentatione, quia non visuri essent ultra
illius. At illi cum ululatu [d] magno et lacrymis
osequentes, supplicabant humili prece, di-
: Ne derelinquas nos, pater sanete; ne obli-
nostri, pastor bone. Sed cum eum fletibus
e non possent, accepta benedictione cum os-
dierunt. Hic vero ad Trajectensem [e] urbem

A accedens, modica pulsatus febre recessit a corpore: ablutusque a fidelibus, juxta ipsum aggerem publicum est sepultus. Cujus beatum corpus qualiter post multorum temporum spatia sit translatum, in libro [f] Miraculorum scripsimus.

VI. Igitur Chuni a Pannoniis egressi, ut quidam ferunt, in ipsa sancti Paschæ vigilia, ad Mettensem urbem, reliqua depopulando, perveniunt, tradentes urbem incendio, et populum in ore gladii trucidantes, ipsosque sacerdotes Domini ante sacrosancta
B 53 altaria perimentes. Nec remansit in ea locus inustus, præter oratorium beati Stephani primi martyris ac levitæ. De quo oratorio, quæ a quibusdam audivi, narrare non distuli. Aiunt enim, priusquam hi hostes venirent, vidisse se virum fidelem in visu, quasi conferentem cum sanctis apostolis Petro ac Paulo, beatum levitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem: Oro, domini mei, ut non permittatis obtentu vestro Mettensem urbem ab inimicis exuri, quia locus in ea est in quo parvitatis meæ pignora [g] continentur: sed potius sentiant se populi aliquid me posse cum Domino. Quod si tantum facinus populi supercrevit, ut aliud fieri non possit, nisi civitas tradatur incendio; saltem vel hoc oratorium non cremetur. Cui illi aiunt: Vade in pace, dilectissime frater, oratorium tantum tuum carebit incendio. Pro urbe vero non obtinebimus, quia Dominicæ sanctionis super eam sententia jam processit. Invaluit enim peccatum populi, et clamor malitiæ eorum ascendit coram Deo: ideo civitas hæc cremabitur incendio.
C Unde procul dubio est, quod horum obtentu urbe vastata, oratorium permansit illæsum.

VII. Attila vero Chunorum rex, a Mettensi urbe egrediens, cum multas Galliarum civitates opprimeret, Aurelianis aggreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus, in supradicta urbe episcopus, vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis sanctitatis, cujus virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur [h].

not mss. et editi, *Hunos*, seu *Hunnos*, quod est. In Regio autem hoc caput cum sequenti

l fere omnes cum cod. Bec., *Servatius*. Corb., *us*. Quem cum vulgati auctores eum putarent
ervatium Tungrorum antistitem, ab Athana-
vero Sulpicio, aliisque auctoribus laudatum,
odis Sardicensi, Ariminensi, immo et Agrip-
si sincera sunt hujus concilii acta, inter
adem Galliarum, quam hic Gregorius Hunnis
ad Vandalorum incursiones referre conati
ed cum ex omnibus mss. quos videre licuit,
Beccensis hic, et unicus cod. Clarom. in lib.
. Conf., cap. 72, *Servatius* habeant; facile
sententiæ subscribo, qui illos a sese invicem
andos esse censent, quorum prior *Servatius*
quarto vixerit; posterior vero, de quo hic
Gregorius, *Aravatius*, seu *Asavatius*, ut habet
seu *Arvatius*, ut in libro de Gloria Confesso-
ap. 72, sicut et apud Fredegarium etiam in
mss. legitur, appellatus, sæculo sequenti. De
Valesius fuse agit in Præf. tomi II Histor. Fran-
abi duos admittit. Unicum vero fuisse plu-
robare conatur Henschenius ad diem 13 Maii
. Cum huic difficultati illustrandæ essem oc-
, occurrit mihi inter alios codices Corbeienses

qui in nostram sancti Germani bibliothecam advecti sunt, unus Merovingico charactere partim, et partim Romano ab annis saltem 900 conscriptus, in quo tota hæc Gregorii narratio, et quidem paulo prolixior, continetur sub sancti *Servatii vitæ* titulo. In quo codice nunquam aliter, sive in Vita ipsa, sive in Hymno antiquo, qui ei subjungitur, hic sanctus vir appellatur, quam *Servatius*. Unde inferendum est, vel ipsum binominem fuisse, aut certe jam tunc temporis Aravatii nomen in Servatium fuisse translatum. In Vaticano et Vindocinensi codd. mss. idem *Aravatius* appellatur.

[c] Aliquot codd., *cepit ut expeteret*.

[d] Sic Corb. et Bell.; at cæteri cum editis, *ejulatu*.

[e] Trajectum scilicet ad Mosam, inferius dictum, vulgo *Mastricht*, quo paulo post eversa per Attilam Aduaca, Tungrorum episcopalis sedes translata est, quæ tandem Leodium migravit.

[f] Scilicet in libro de Gloria Confess., cap. 72.

[g] Etiam nunc in majori urbis Mettensis ecclesia sancto Stephano dicata servantur aliquot reliquiæ sancti Protomartyris.

[h] Ejus festum colitur die 17 Novembris. De hac obsidione vide Apollinaris Sidonii epist. 15 libri VIII,

Cumque inclusi populi suo pontifici quid agerent acclamarent, ille fisus in 54 Deo, monet omnes in orationem prosterni, et cum lacrymis præsens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Denique his ut præceperat deprecantibus, ait sacerdos : Aspicite de muro civitatis, si Dei miseratio jam succurrat. Suspicabatur enim per Domini misericordiam Aetium advenire, ad quem et Arelatem abierat prius, suspectus futuri. Aspicientes autem de muro, neminem viderunt. Et ille : Orate, inquit, fideliter, Dominus enim liberabit vos hodie. Orantibus autem illis ait : Aspicite iterum. Et cum aspexissent, neminem viderunt qui ferret auxilium. Ait eis tertio : Si fideliter petitis, Dominus velociter adest. At [a] illi cum fletu et ejulatu magno Domini misericordiam implorabant. Exacta quoque oratione, tertio juxta B senis imperium aspicientes de muro, viderunt a longe quasi nebulam de terra consurgere. Quod renuntiantes, ait sacerdos : Domini auxilium est. Interea jam trementibus ab impetu arietum muris, jamque ruituris, ecce Aetius venit, et Theodorus [b] Gotthorum rex, ac Thorismodus filius ejus cum exercitibus suis ad civitatem accurrunt, adversumque hostem ejiciunt, repelluntque. Itaque liberata obtentu beati antistitis civitate, Attilanem fugant, qui Mauriacum [c] campum adiens, se præcingit ad bellum. Quod hi audientes, se contra eum viriliter præparant.

His diebus Romam sonus adiit, Aetium in maximo discrimine inter phalangas hostium laborare. Quo audito uxor ejus, anxia atque mœsta, assidue basili- C cam sanctorum Apostolorum adibat, atque ut virum suum de hac via reciperet [d] 55 sospitem precabatur. Quæ cum die noctuque hæc ageret, quadam nocte homo pauperculus, crapulatus a vino, in angulo basilicæ beati Petri apostoli obdormivi autem ex more ostiis, a custodibus non es

quæ est ad Prosperum Aniani successorem. Aniani acta a Sausselo ex variis auctoribus consarcinata Surius retulit tomo II ; at ea prout a veteri auctore condita sunt in codd. mss. invenimus, ubi ejus iter Arelatense ac virtutes in eo patratæ fusius narrantur. Vide Chesnium tomo I, pag. 521. De eadem re legendum carmen 7 Apollinaris Sidonii.

[a] Hic incipit cod. Colbertinus, quem ut ab alio distinguamus, appellabimus primum, et sic, Colb. a. designabimus.

[b] Sic mss. et plerique editi pro *Theodoris*, ut a Sidonio appellatur, aut *Theodoricus*; alii *Theudo*. D Thorismodus vero, in Corb. appellatur *Thurrem*[illegible], in Bell. *Thursimodus*, in Regm. *Thursimundus*, *Thorismondus*. Ii sunt Theuderedus seu The[illegible]ricus, rex Wisigotthorum, qui ab anno 419 ad [illegible]gnavit, et filius ejus Thurismundus, qui [illegible] post patris obitum idem regnum o[illegible], anno 453 a suis fratribus interemptus, ut dice infra.

Hujus regis sincerum nomen [illegible]imus ex antiqua inscriptione, quæ in conventum [illegible]imorum Narbonensium nuper translata est ex veteri o[illegible]torio sancti Lupi, haud procul ab ipsa urbe dissito, olim sub titulo sancti Vincentii Aginnensis, scilicet in isti[illegible]partibus celebris, sacrato. Inscriptio autem epitaphii est cujusdam Palenopes, marmori albo insculptum, quod hic repræsentare visum est integrum, quod non modo verum Gotthi regis nomen exhibeat, sed et ejus imperii tempus certo indicet, decimum regni illius annum cum Indictione IV componens. Linea vero quæ inscriptionem secare in duas partes vide moris fractionem exhibet, quæ manu fere hausit.



Ejusdem oratorii antiquitas ex alio qu numento colligi potest. In antiqua quip altaris parte visitur inscriptio Rustici, ep episcopi Narbonensis, fideles exorantis, Deum pro se ipso intercedant, quod fo altare consecrasset. Sic autem se habet manis exarata :

ORATE PRO ME RUSTICO VESTRO.

Has inscriptiones cum tertia, Leovigil scripta, quæ infra habetur, ad me transi D. *Peche*, majoris ecclesiæ Narbonensis canon

[c] Non una est auctorum de hac re sente dellus putat Mauriacum esse vicum, *Hel* dictum, in Catalaunensi diœcesi. Et quid des Mauriacos campos a Catalaunicis non Isidorus vero *in campis Catalaunicis* confli scribit ad æram 452. Sic et Idatius, qui longe a Mettensi urbe dissitos dicit. Sava ad carmen 7 Sidonii aliquos e suis laudat pos istos a Mauriaco Arverniæ oppido sic lebant. At Valesius qui Mauriacos campos, degarium, in Tricassibus locat, eos sic fuisse a Mauriaco, vulgo *Mery*, quod oppi Sequanam positum inter Trecas et Duodec ubi primum leviter adversus Attilam pugna contendit, ac paulo post in Catalaunicis gens prælium fuisse commissum. Mittimus nullos, qui pro Catalaunicis Secalaunico *la Sologne*, prope Aurelianum, aut Catal Testosages, intrudunt, cum eorum sem ab omnibus explodantur.

[d] Sic Corb., Bec. Colb. a. et Regm.; alii *hac exspectatione susciperet*.

de nocte vero consurgens, relucentibus per tota ædis spatia lychnis, pavore perterritus, quærit aditum foris ut evaderet [a]. Verum ubi primi atque alterius ostii claustra pulsat, et obserata cuncta cognoscit, solo decubuit, trepidus præstolans locum, ut conveuientibus ad matutinos hymnos populis, hic liber abscederet. Interea vidit duas personas se invicem venerabiliter salutantes, sollicitosque de suis esse prosperitatibus. Tunc qui erat senior, ita exorsus est: Uxoris Aetii lacrymas diutius sustinere non patior. Petit enim assidue, ut virum suum de Galliis reducam incolumem, cum aliud exinde fuisset apud divinum judicium præfinitum: sed tamen obtinui immensam pietatem pro vita illius. Et ecce nunc illuc propero, vivenlem eum exinde reducturus. Verumtamen obtestor, ut qui hæc audierit sileat, arcanumque Dei vulgare non audeat, ne pereat velociter a terra. Ille autem hæc audiens, silere non potuit: sed mox illucescente cœlo, omnia quæ audierat matrisfamiliæ pandit: expletisque sermonibus lumine caruit oculorum.

Igitur Aetius cum Gothis Francisque conjunctus, adversus Attilanem confligit. At ille ad internecionem vastari suum cernens exercitum, fuga dilabitur. Theodorus vero Gothorum rex huic certamini succubuit. Nam nullus ambigat Chunorum exercitum obtentu memorati antistitis fuisse fugatum. Verumtamen Aetius patricius cum Thorismode victoriam obtinuit, hostesque delevit. Exploque bello, ait Aetius Thorismodo: Festina velociter redire in patriam, ne insistente germano, patris regno priveris. Hæc ille audiens, cum velocitate discessit, quasi 56 anticipaturus fratrem, et prior patris cathedram adepturus. Simili et Francorum regem [b] dolo fugavit. Illis autem recedentibus, Aetius spoliato campo, victer in patriam cum grandi est reversus spolio. Attila vero cum paucis reversus est, nec multo post Aquileia a Chunis capta, incensa atque diruta, Italia pervagata atque subversa est. Thorismodus, de quo supra meminimus, Alanos [c] bello edomuit: ipse deinceps, post multas lites et bella, a fratribus oppressus ac jugulatus interiit [d].

VII. Igitur his ita digestis ac per ordinem expletis, quid de Aetio supra memorato Renati Frigeridi [e] narrat Historia tacere nefas putavi. Nam cum in duodecimo Historiarum libro referat, post divi Honorii excessum, Valentinianum puerulum, uno tantum lustro peracto, a consobrino Theodosio imperatorem fuisse creatum, et apud urbem Romam tyrannum Joannem in imperium surrexisse, legatosque ejus a Cæsare dicat fuisse despectos, adjecit: « Dum hæc ita gererentur, legati ad tyrannum reversi sunt, mandata atrociora portantes [f]: quibus permotus Joannes, Aetium id temporis curam palatii gerentem, cum ingenti auri pondere ad Chunos transmittit, notos sibi obsidiatus sui tempore, et familiari amicitia devinctos, cum mandatis hujusmodi: Cum primum partes adversæ Italiam ingressæ forent, ipsi a tergo adorirentur, se a fronte venturum. Et quia de hoc viro consequenter plura memoranda sunt, ejus genus moresque ordiri placet. Gaudentius pater, Scythiæ [g] provinciæ primoris loci, a domesticatu exorsus militiam, usque ad magisterii equitum culmen provectus est. Mater Itala, nobilis ac locuples femina. Aetius filius, a puero prætorianus, tribus annis Alarici obses, dehinc Chunorum; post hæc Carpilionis gener, ex comite domesticorum, et Joannis curam palatii 57 gerere cœpit. Medii corporis, virilis habitudinis decenter formatus, quo neque infirmitudini esset neque oneri, animo alacer, membris vegetus, eques promptissimus, sagittarum jactu peritus, conto impiger, bellis aptissimus, pacis artibus celebris; nullius avaritiæ, minimæ cupiditatis, bonis animi præditus, nec impulsoribus quidem pravis ab instituto suo devians, injuriarum patientissimus, laboris appetens, impavidus periculorum, famis sitisque atque vigiliarum tolerantissimus. Cui ab ineunte ætate prædictum liquet, quantæ potentiæ fatis destinaretur, temporibus suis locisque celebrandus. » Hæc supradictus historiographus de Aetio narrat. Adultus autem Valentinianus imperator, metuens ne se per tyrannidem Aetius opprimeret, eum nullis causis exstantibus interemit. Ipse postmodum Augustus, dum in Campo Martio pro tribunali resideus, concionaretur ad populum, Oreylla buccellarius Aetii ex adverso veniens, eum gladio perfodit. Talis utrisque exstitit finis [h].

IX. De Francorum vero regibus, quis fuerit primus a multis ignoratur. Nam cum multa de eis Sulpicii Alexandri [i] narret Historia, non tamen regem primum eorum ullatenus nominat, sed duces eos habuisse dicit: quæ tamen de eisdem referat, memo-

[a] Sic codd. vetustiores, alii, *aditum per quem foris eraderet, quærit.*

[b] An Meroveum regem? quem post Aetii mortem Germaniæ primæ ac Belgicæ secundæ bellum intulisse ut regni fines promoveret, testis est Sidonius in Panegyrico, quem socero suo dixit. Prosper Meroveum in Francia anno 447 regnasse scribit. De causa belli per Attilam illati videsis Prisci rhetoris Historiam, et Jornandem de Reb. Geticis, cap. 35 et seqq.

[c] Sic mss. Corb., Bell., Colb., Regin., Reg. et Palatinus, cum editis Bad., etc. *Alamannos* vero habent plerique editi cum Bec. Certe Alani tunc temporis trans Ligerim sedem habebant. De his consule Valesium lib. IV Rerum Francicarum.

[d] Occisus est anno 453, ut idem Valesius probat, a Theodorico et Friderico fratribus, quorum prior regnum occupavit ex Idatio, etc.

[e] Hic auctor ex solo Gregorio nobis est notus.

[f] Sic mss. plerique; alii, *atrocia reportantes.*

[g] Bell., *Sciciæ*; Bec., *Scyciæ.*

[h] De Aetii et Valentiniani cæde, aliisque labentis imperii rebus, quæ hic et in sequentibus referuntur, videndi Orosius lib. VII, Procopius lib. I Hist. Vandalic., Marcellinus comes, Prosper, etc., de quibus fusius in notis agere supervacuum videtur. Hæc tamen in Indice chronologico, quem Gregorii operibus præmisimus, suis locis posuimus, ut Francicarum rerum, quibuscum permista sunt, series notior haberetur.

[i] Nec aliunde quam ex Gregorio hunc auctorem, aut ejus Historiam novimus.

rare videtur. Nam cum dicit Maximum intra Aquileiam, amissa omni spe imperii, quasi amentem residere, adjungit: « Eo tempore Genobaude [a], Marcomere, et Sunnone ducibus, Franci in Germaniam prorupere, ac pluribus mortalium limite irrupto cæsis, fertiles maxime pagos depopulati, Agrippinensi etiam Coloniæ metum incussere. Quod ubi Treveris perlatum est, Nannenus [b] et Quintinus militiæ magistri, quibus infantiam filii et defensionem Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu apud Agrippinam convenere. Sed onusti præda hostes, provinciarum opima depopulati, Rhenum transiere, pluribus suorum in 58 Romano relictis solo, ad repetendam depopulationem paratis, cum quibus congressus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonariam [c] ferro peremptis. Cumque consultaretur de successu, an in Franciam transire deberent, Nannenus abnuit, quia non imparatos et in locis suis indubie fortiores futuros sciebat. Quod cum Quintino et reliquis viris militaribus displicuisset, Nanneno Mogontiacum reverso, Quintinus cum exercitu circa Nivisium [d] castellum Rhenum transgressus, secundis a fluvio castris, casas habitatoribus vacuas atque ingentes vicos destitutos offendit. Franci enim, simulato metu, se in remotiores saltus receperant, concidibus per extrema silvarum procuratis. Itaque universis domibus exustis, in quas sævire stoliditas ignava victoriæ consummationem repoyebat, noctem sollicitam milites sub armorum onere duxerant. Ac primo diluculo, Quintino prælii duce ingressi saltus, in medium fere diem implicantes se erroribus viarum, toto pervagati sunt: tandem cum ingentibus septis omnia a solido clausa offendissent, in palustres campos, qui silvis jungebantur, prorupere: molientibus [e], hostium rari apparuere: qui conjunctis arborum truncis, vel concidibus superstantes, velut e fastigiis turrium, sagittas tormentorum ritu effudere illitas herbarum venenis, ut summæ cuti, neque lethalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes sequerentur. Dehinc majori multitudine hostium circumfusus exercitus, in aperta camporum, quæ libera Franci reliquerant, avide effusus est: ac primi equites voraginibus immersi, permixtis hominum jumentorumque corporibus, ruina invicem suorum oppressi sunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorum calcaverant, implicati limo, ægre explicantes gressum, rursus se, qui paulo ante vix emerserant, silvis trepidantes occulebant. Perturbatis ergo ordinibus, cæsæ legiones, Heraclio Jovianorum [f] 59 tribuno, ac pene omnibus qui militibus præerant, exstinctis, paucis effugium tutum nox et latibula silvarum præstitere. » Hæc in tertio Historiæ libro narravit.

In quarto vero libro, cum de interfectione Victoris filii Maximi tyranni narraret, ait: « Eo tempore Carietto et Syrus in locum Nanneni subrogati, in Germania cum exercitu opposito Francis diversabantur. » Et post pauca, cum Franci de Germania prædas tulissent, adjecit: « Nihil Arbogastes differre volens, commonet Cæsarem pœnas debitas a Francis exigendas, nisi universa quæ superiori anno cæsis legionibus diripuerant, confestim restituerent, auctoresque belli traderent, in quos violatæ pacis perfidia puniretur. » Hæc acta, cum duces essent, retulit, et deinceps ait: « Post dies pauculos, Marcomere et Sunnone Francorum regalibus, transacto cursim colloquio, impetratisque [g] ex more obsidibus, ad hiemandum Treveris concessit. » Cum autem eos regales vocet, nescimus utrum reges fuerint, an vices tenuerint regum. Idem tamen scriptor, cum necessitates Valentiniani Augusti commemorat, hæc adjungit: « Dum diversa in Oriente per Thracias [h] geruntur, in Gallia status publicus perturbatur. Clauso apud Viennam palatii ædibus principe Valentiniano, et pene infra privati modum redacto, militaris rei cura Francis satellitibus tradita, civilia 60 quoque officia [i] transgressa in conjurationem Arbogastis: nullusque ex omnibus sacramentis militiæ obstrictis reperiebatur, qui familiari principis sermoni aut jussis obsequi auderet. Dehinc refert, quod eodem anno Arbogastes Sunnonem et Marcomerem subregulos Francorum gentilibus odiis [j] insectans, Agrippinam rigente maxime hieme petiit: ratus tuto omnes Franciæ recessus penetrandos urendosque, cum decussis foliis nudæ atque arentes silvæ insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu, transgressus Rhenum [k], Bricteros ripæ proximos, pagum [l] etiam quem Chamavi incolunt, de-

[a] Plerique edit., *Genobaldo;* Bec., *Genebaudo;* Bad. pro *Sunnone* habet *Sansone;* Regm., *Sumsone.*

[b] Sic appellant veteres mss. At Colb. et Reg., *Namninus.* Plerique editi, *Nannius.*

[c] Carbonaria silva inter Rhenum et Scaldim sita, quæ pars erat Arduennæ.

[d] Alii habent *Novesium.* Quæ lectionis varietas etiam apud alios auctores occurrit, vulgo dicitur *Nuis,* oppidum haud procul a Colonia Agrippina.

[e] Mss. 2, *prorumpere molientibus.*

[f] Valesius legit *Jovianorum.* Et quidem celebres erant *Jóviani milites,* de quibus Tolnardus in notis ad Lactantium. Vide et Notas in Acta martyrum, pag. 664. Alii forte hic memorantur, sic dicti a Jovino, de quo infra.

[g] Regm., *imperator ab eis acceptis obsidibus ex more ad hiemandum Treveris concessit;* et pro *an vices,* etc., idem cod. *an per vices tenuerint regnum.* Codd. mss., Bellovac., Beccensis et Turon. habent *imperatorisque ex more obsidibus,* quod sic Morelius restituendum suspicatur, *imperatisque ex more obsidibus.*

[h] Sic Bec.; alii *Thracas.*

[i] Id est publici ministri, qui præsidibus provinciarum aut magistratibus inserviebant in publicis muniis. Hinc Officiales dicti sunt. Vide Baron. in Notis ad Martyrol. Rom. die 27 Maii.

[j] Ipse enim Arbogastes genere erat Francus, ut scribit Paulinus in Vita sancti Ambrosii, et alii quoque ejus ævi scriptores innuunt.

[k] Hic in cod. Bellov., detractis duobus foliis, qua sequuntur ad cap. 12 desunt.

[l] Corb., *Brictoris ripæ proximum pagum.* Ii sunt ni fallor, Bructeri, de quibus Paterculus, Tacitus et alii, quos Toringis, Francis, etc., jungit Sidonius carm. 7. Habitabant, ut putat Il. Junius, in hodierna Westphalia. Editi duo pro *etiam* habent *Æthicum*

populatus est, nullo unquam occurrente, nisi quod pauci ex Ampsuariis et Chattis Marcomere duce in ulterioribus collium jugis apparuere. » Iterum hic relictis tam ducibus quam regalibus, aperte Francos regem [a] habere designat, hujusque nomen prætermittens, ait: « Dehinc Eugenius tyrannus suscepto expeditionali procinctu, Rheni limitem petit, ut cum Alamannorum et Francorum regibus, vetustis fœderibus ex more initis, immensum ea tempestate exercitum gentibus feris ostentaret. » Hæc suprascriptus historiographus de Francis disseruit.

Renatus Profuturus Frigeridus, cujus jam supra meminimus, cum Romam refert a Gothis captam atque subversam, **61** ait: « Interea Respendial rex Alamannorum [b], Goare ad Romanos transgresso, de Rheno agmen suorum convertit, Vandalis Francorum bello laborantibus, Godegisilo rege absumpto, acie viginti ferme millibus ferro peremptis, cunctis Vandalorum ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tempore subvenisset. » Movet nos hæc causa, quod cum aliarum gentium reges nominat, cur non nominet et Francorum. Tamen cum ait, quod Constantinus, assumpta tyrannide, Constantium filium ad se de Hispaniis venire jussisset, ita disseruit: « Accito Constantinus tyrannus de Hispaniis Constante filio, itemque tyranno, quo de summa rerum consultarent præsentes, factum est ut Constans, instrumento aulæ et conjuge sua Cæsar-augustæ dimissis, Gerontio intra Hispanias omnibus creditis, ad patrem continuato itinere decurreret. Qui ubi in unum venere, interjectis diebus plurimis, nullo ex Italia metu, Constantinus gulæ et ventri deditus, redire ad Hispanias filium monet. Qui præmissis agminibus, dum cum patre resideret, ab Hispania nuntii commeant, a Gerontio Maximum, unum e clientibus suis, imperio præditum, atque in se comitatu gentium barbararum accinctum parari. Quo exterriti, Edobecco [c] ad Germanas gentes præmisso, Constans, et præfectus jam Decimus [d] Rusticus ex officiorum magistro petunt Gallias cum Francis et Alamannis, omnique militum manu, ad Constantinum jamjamque redituri. Item cum Constantinum obsideri scribit, ita dicit: Vix dum quartus obsidionis Constantini mensis agebatur, cum repente ex ulteriori Gallia nuntii veniunt, Jovinum assumpsisse ornatus regios, et cum Burgundionibus, **62** Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere obsidentibus. Ita acceleratis moris, resorata urbe Constantinus deditur. Confestimque ad Italiam directus, missis a principe obviam percussoribus, supra Minium flumen capite truncatus est. Et post pauca idem refert: Iisdem diebus præfectus tyrannorum Decimus Rusticus, Agroetius ex primicerio notariorum Jovini [e], multique nobiles apud Arvernos capti a ducibus Honorianis, et crudeliter interempti sunt. Treverorum civitas a Francis direpta, incensaque est secunda irruptione. » Cum autem Asterius codicillis imperialibus patriciatum sortitus fuisset, hæc adjungit: « Eodem tempore Castinus domesticorum comes, expeditione in Francos suscepta, ad Gallias mittitur. » Hæc hi de Francis dixere. Orosius autem et ipse historiographus in septimo operis sui libro [f], ita commemorat: « Stilico congregatis gentibus Francos proterit, Rhenum transit, Gallias pervagatur, et ad Pyrenæos usque perlabitur. » Hanc nobis notitiam de Francis memorati historici reliquere, regibus non nominatis. Tradunt enim multi eosdem de Pannonia fuisse digressos. Et primum quidem littora Rheni amnis incoluisse [g]: dehinc transacto Rheno, Thoringiam [h] transmeasse: ibique juxta pa-

quo nomine Ortelius putavit designari pagum, quem Chamani, sive Chamavi, ut alii codices habent, incolebant. Infra pro *Ampsuariis*, Chesnius, etc., habent *Ampsivariis*; sic pro *Chattis* Corb. habet *Chatis*. Ii sunt *Catti*, celebres Germaniæ populi.

[a] An is quem nostratis historiæ scriptores Pharamundum seu Faramundum appellant, quem Chlodionis patrem, et Francicæ monarchiæ parentem esse volunt? Chlodionem Faramundi filium appellat auctor, qui Gesta Francorum scripsit sub Theoderico II rege, quem secuti sunt Rorico, etc. In Prosperi Chronico ad annum 26 Honorii, id est Christi 420, Faramundus regnasse dicitur in Francia; et superius ad annum 4 Theodosii, id est Christi 382, legitur, *Priamus regnat in Francia*. At Eugenius, de quo hic Gregorius, occisus est anno 394. Mirum autem est nihil de Faramundo apud Gregorium et Fredegarium haberi. Cæterum Valesius lib. II Rerum Francic., pag. 87, inscitiæ Gregorium arguit quod ea verba Sulpicii Alexandri, *Genobaude*, etc., *ducibus* et *Marcomere duce*, interpretatus sit de ducis dignitate, quasi tunc temporis Franci duces solummodo habuerint, non reges, quod, inquit, postea veteres ac recentiores plerique incaute secuti Gregorium, pariter scripserunt. Cum tamen certum sit, ut ille existimat, *ducis* nomine eo loco nihil aliud Sulpicium voluisse, quam iis auctoribus seu ductoribus, bella, quæ hic memorantur, a Francis fuisse confecta, aliunde istos principes vere Francorum reges fuisse constet ex Claudiano, Paulino in Vita sancti Ambrosii, et ipsomet Sulpicio, qui eos non

solum *regales*, sed et *subregulos* appellat, quo nomine ab eo auctore reges fuisse designatos contendit. Idem Valesius in addendis ad tomum I observat Attilam et Bledam, Hunnorum reges, a Prisco nonnunquam regales appellari.

[b] Valesius et Colutius legunt *Alanorum*.

[c] Bec., *Odobecco*.

[d] Sic Corb., Bad., etc., sicut et infra; alii, *Decimius*. Is est Rusticus, ut observat Sirmondus, quem Apollinaris Sidon. laudat lib. v, epist. 9.

[e] Reg., *Jovinus*, *multique*, etc. Corb., *ex primitivorum notariorum Jovini*, etc.

[f] Scilicet cap. 28, seu totius operis penultimo.

[g] Colb., etc., *incubuisse*.

[h] Sic habent omnes mss. quos licuit videre, et infra, *Thoringorum*, præter Regm. qui hac secunda vice habet *Tungorum*, et Bad., *Tongrorum*. Unde cum Thuringia trans Rhenum Galliarum respectu sita sit, Valesius legendum putat *transacto Mæno*, qui fluvius e Pannonia in Thuringiam properantibus transmeandus est. Aliam viam iniit R. P. Daniel Soc. Jesu in Historia Franciæ a se Gallice edita, ubi ait *Rheno* vocem esse retinendam eo quod hic Gregorii locus de Francis intelligendus sit, qui post acceptas a Probo imperatore circa Pontem Euxinum sedes, per varias provincias divagati, tandem in patriam suam per Gallias repedarint, quo pacto Rhenum transiere, quem revera obvium habere debuissent. Sed hæc expositio verbis Gregorii contraria videtur. Guillelmus Morelius se vidisse ait veterem codicem, in quo eadem manu scriptum erat. *Thorin'gium* vel *Tungro-*

gos vel civitates, reges crinitos super se creavisse, de prima, et ut ita dicam, nobiliori suorum familia. Quod postea probatum Chlodovechi [a] victoriæ tradidere, idque in sequenti digerimus. Nam et in consularibus legimus Theodomerem regem Francorum, filium Richimeris quondam [b], et Aschilam matrem ejus, gladio interfectos. Ferunt etiam tunc Chlogionem utilem ac nobilissimum in gente sua, regem 63 Francorum fuisse, qui apud Disparguin [c] castrum habitabat, quod est in termino Thoringorum. In his autem partibus, id est ad meridionalem plagam, habitabant Romani usque Ligerim fluvium. Ultra Ligerim vero Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arianorum sectam sequentes, habitabant trans Rhodanum, qui adjacet civitati Lugdunensi. Chlogio autem missis exploratoribus ad urbem Camaracum, perlustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, civitatem apprehendit: in qua paucum tempus residens, usque Suminam fluvium occupavit [d]. De hujus stirpe quidam Merovechum regem fuisse asserunt, cujus fuit filius Childericus.

X. Sed hæc generatio fanaticis semper cultibus visa est obsequium præbuisse, nec prorsus agnovere Deum: sibique silvarum atque aquarum, avium, bestiarumque, et aliorum quoque elementorum finxere formas, ipsasque ut Deum colere, eisque sacrificia delibare consueti. O si eorum fibras cordium vox illa terribilis attigisset, quæ per Moysem populo locuta est, dicens: *Non sint tibi dii alii præter me. Non facies tibi sculptile, neque adorabis omnem similitudinem quæ in cœlo est, et quæ in terra, et quæ versantur in aquis: non facies ea, et non coles ea* [e] (*Exod.* xx, 3-5). Et illud: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies, ac per nomen ejus jurabis* (*Deut.* vi, 13). Quid si intelligere potuissent quæ pro vituli conflatilis veneratione Israeliticum populum ultio subsecuta compresserit, cum post epulum et cantica, post luxurias atque saltationes, cum ore immundo proferr eodem sculptili: *Hi* 64 *sunt dii tui, Israel, eduxerunt de terra Ægypti* (*Exod.* xxxii, 4): c ex eis viginti quatuor millia hominum. Quid qui initiati Beelphegor cum Moabitidibus scort mixti, a proximis cæsi, prostrati sunt? plaga Phinees sacerdos, interemptis adulteris vit furorem Dei (*Num.* xxv, 1-11), *et reputa illi ad justitiam* (*Psal.* cv, 31). Quid si et illa auribus illata fuissent, quæ Dominus per Davi nat, dicens: *Quia omnes dii gentium dæmonia, nus autem cœlos fecit* (*Psal.* xcv, 5). Et, *Si gentium argentum et aurum, opera manuum hor similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui co in eis* (*Psal.* cxiii, 4, 8, *et Psal.* cxxxiv, 15, 1 illud: *Confundantur omnes qui adorant sculp qui gloriantur in simulacris suis* (*Psal.* xcvi, 7). rum quod Habacuc propheta testatur, dicens *prodest sculptile quod sculpserunt? Illud finxer lud conflatile fantasma* [f] *mentium est. Hoc aut ductio auri, et argenti, et omnis spiritus non est Dominus autem in templo sancto suo: sileat a ejus universa terra* (*Habac.* ii, 18-20). Sed e propheta dicit: *Dii qui cœlum et terram non pereant a terra et de his quæ sub cœlis sunt* [h] (*Je* 11). Item illic: *Hæc dicit Dominus, creans ipse Deus formans terram, et quæ in ea sunt: i stes ejus, non in vanum fundavit eam, ut hab creavit eam* (*Isai.* xlv, 18). *Ego Dominus, h nomen est, gloriam meam alteri non dabo, neq tem meam sculptilibus, quæ ab initio transier* xlii, 8). Et alibi: *Nunquid* [i] *sunt in sculptilib tium qui pluant* (*Jerem.* xiv, 22)? Et per Isai rum dicit: *Ego primus et novissimus* [j], *et ab non est Deus, et formator, quem ego non noveri stæ idoli omnes nihil sunt, et amantissima eor proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia* 65

---

rum. Unde aliqui recentiores Francos tunc transmisso Rheno Tungrorum regionem inhabitasse putant. Sed huic lectioni non solum editi et mss. codices, sed et Fredegarius, auctor Gestorum Franc., etc., refragantur.

[a] Reg., *Hludouvichi*. Hic innuit Gregorius Chlodovei victoriæ datum fuisse, ut ipse rex esset, ac penes ipsius posteros regia dignitas semper remaneret. Porro ex Claudiano et Eumenio probat Valesius longe ante Chlodionem Francorum reges comatos fuisse.

[b] Valesius pro *quondam* putat esse legendum *cons.*, id est *consulis*; quam vocem non habet cod. Reg., et ipse Valesius eumdem locum laudans in addendis ad tom. I Hist. hanc ipsam vocem omittit. Aschilam hic memoratam aliqui putarunt esse Anthemii imp. filiam, quod Ricimer ejusdem Anthemii gener fuerit. Sed illi Ricimeres duos tempore et patria diversos, ut monet Sirmondus in notis ad Ennod. in Vit. B. Epiphanii, in unum conflarunt. Porro, ut observat Scaliger lib. VI de Emend. temp., chronica apud antiquos duobus modis conscripta erant: alia per consulum seriem, quæ *Consularia* appellabantur, qualia hic laudat Gregorius; alia vero in quibus non erant digesti consules, dicebantur Chronica.

[c] Cum de Thuringiæ, quam laudat Gregorius, situ non eadem sit sententia, varie etiam varii sentiunt de Dispargo castro hic memorato, quod alii putant esse *Duysburg* ad Rhenum in ducatu Monten cum Ortelio Asciburgium, vulgo *Asbourg*, in c Moersensi; alii quibus accedit Cointius, *Du* quod etiam nunc oppidum est inter Bruxella vanium. Wendelinus et cæteri, volunt esse Di

[d] Discimus ex Apollinari Sidonio in Pan Majoriani, Chlodionem, qui Atrebates pervas Majoriano fugatum fuisse.

. . . . Post tempore parvo
Pugnatis pariter Francis, qua Cloio patentes
Atrebatum terras pervaserat, etc.

Sirmondus legit, *Francus qua*, etc. Pro Chronico ad an. 5 post Honorii mortem, id 427, *Clodius regnat in Francia*. Et anno post gesimo, seu 447, *Meroveus regnat in Francia*.

[e] Colb., *non facias ea, non colas ea*.

[f] Bec. et Corb., cum Mor. s., Chesn. et *Fantasma, mendacium est. Hæc autem*, etc. editi omnino aliter hunc textum referunt. *Qu dest sculptile his, qua sculpsit illud fictor suus: tile et imaginem falsam*, etc. *Ecce iste cooper auro et argento, et omnis*, etc.; quæ lectio mi conformis nostræ versioni. Altera vero videt tius sensum referre quam sacri codicis verba.

[g] Corb., Bec., Mor. s. et Regm., *timeat a fa*

[h] Iidem, *sub cœlo sunt*.

[i] Bec., *Nunquid Deus... qui pluat*.

[j] Regm., *et ego novissimus*.

que intelligunt, et confundantur [a] *in eis : ecce participes ejus confundentur ; fabri enim sunt ex bus.* [b] *Quis formavit deum, et sculptile conflavit il utile? in prunis et malleis formavit illud, et is est in brachio fortitudinis suæ. Similiter et lignarius in circino tornavit illud, et fecit ima- ri, quasi speciosi hominis habitantis in domo. it lignum, operatus est, fecit sculptile, et adora- teum : clavis et malleis compaginavit, ut non atur. Portata tolluntur* [c]*, quia incedere non va- eliquum vero ligni, factum est hominibus in fo- calefacti sunt. Ex alio vero deum fecit, et scul- bi : curvatur ante illud, et adoravit illud* [d]*, et it dicens : Libera me, quia deus meus es tu. Me- m ejus igni combussi, et coxi super carbones mes ; coxi carnes, et comedi, et de reliquo ejus faciam. Ante truncum ligni procidam* [e] *: pars is est. Cor insipiens adoravit illud, et non libe- simam suam* [f] *: neque dicit, forte mendacium est ra mea* (*Isai.* XLIV, 6-20). Hæc autem Franco- neratio non intellexit primum, intellexerunt postea, sicut sequens historia narrat.

Avitus enim unus ex senatoribus, et, ut valde stum est, civis Arvernus, cum Romanum am- mperium, luxuriose agere volens, a senatori- ojectus [g], apud Placentiam urbem episcopus ur. Comperto autem, quod adhuc indignans vita eum privare vellet, basilicam sancti Ju- rverni martyris cum multis muneribus expeti- l impleto in itinere vitæ cursu, obiit, delatusque atensem vicum, ad pedes antedicti martyris est is : cui Martianus [*Forte* Majorianus] successit. iis autem Ægidius ex Romanis magister mili- tus [h] est.

Childericus vero cum esset nimia in luxuria ius, et regnaret super Francorum gentem, ilias eorum stuprose detrahere. **66** Illi quoque indignantes, de regno eum ejiciunt. Comperto quod cum etiam interficere vellent, Thorin- petiit, relinquens ibi hominem sibi carum [i], orum furentium animos verbis lenibus mollire

A possit, dans etiam signum quando rediro possit in patriam : id est, diviserunt simul unum aureum, et unam quidem partem secum detulit Childericus, aliam vero amicus ejus retinuit, dicens : Quandoquidem hanc partem tibi misero, partesque conjunctæ unum effecerint solidum, tunc tu securo animo in patriam repedabis. Abiens ergo in Thoringiam, apud regem Bisinum [j] uxoremque ejus Basinam latuit : denique Franci, hoc ejecto, Ægidium sibi, quem superius ma- gistrum militum a republica missum diximus, unanimiter regem asciscunt. Qui cum octavo anno super eos regnaret, amicus ille fidelis, pacatis occulte Francis, nuntios ad Childericum, cum parte illa divisi solidi quam retinuerat, mittit. Ille vero certa cognoscens indicia, quod a Francis desideraretur, ipsis B etiam rogantibus, a Thoringia regressus, in regno suo est restitutus. His ergo regnantibus simul, Basina illa, quam supra memoravimus, relicto viro suo, ad Childericum venit. Qui cum sollicite interrogaret, qua de causa ad eum de tanta regione venisset, respondisse fertur : Novi, inquit, utilitatem tuam, quod sis valde strenuus : ideoque veni ut habitem tecum ; nam noveris, si in transmarinis partibus aliquem cognovissem utiliorem te, expetissem utique cohabitationem ejus. At ille gaudens, eam sibi in conjugio copulavit : quæ concipiens peperit filium, vocavitque nomen ejus Chlodovechum. Hic fuit magnus, et pugnator egregius.

XIII. Apud Arvernum vero post transitum sancti Artemii, Venerandus e senatoribus episcopus ordina- C tur. Qualis autem fuerit hic pontifex, testatur Paulinus [k] dicens : « Si enim hos videas dignos Domino sacerdotes, vel Exsuperium [l] **67** Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecolismæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrocoriis, utcumque se habent sæculi mala, videbis profecto dignissimos totius sanctitatis ac fidei, religionisque custodes. » Hic in ipsa dominici Natalis vigilia transisse refertur [m]. Mane autem facto, processio solemnitatis funeris ejus obsequium

em et Bec., *confundentur*.
is *formarit*, etc., usque ad *in prunis*, desunt ., Regm. et Bec.
gm. et Bec., *tollentur*.
gm., *et adorat et obsecrat*.
rb., Bec. et Regm., et Mor. s., *adorabo*.
gm., *liberavit eum*.
c Corb. et Colb.; at alii, *ejectus*. Placentia urbs iæ notissima. De S. Juliano, qui apud Briva- risonde, in Arvernia quiescit, totus est liber us Gregorii de Gloria Martyrum.
iquot mss. et ed., *dictus est*. Hanc dignitatem o habuerat. Comes utriusque militiæ ab Idatio tur.
Colb. addita sunt æquali fere manu hæc duo nomine *Viomadum*. Sic ille ab Aimoino appel- h. II, cap. 7.
g. et Bad., *Basinum*. Regm. et Bec., *Bis-*

D Rem in medio relinquit Rosweydus. Certe etsi a Gregorio Paulinus hic presbyter appellatus fuerit, ut habent aliquot codices, nil inde confici potest, cum hæc epistola a Paulino tunc presbytero scribi potuisset ; atque ita ejus titulum legisset Gregorius, ut ipsi tunc erat præfixus. Sed cujuscunque Paulini fuerit, nihil de ea exstat præter verba quæ hic a Gregorio laudantur.

[l] Exsuperius a S. Hieronymo laudatur in epist. ad Rusticum monachum, et aliis in locis. Eidem scripsit Innocentius I papa. Ejus festum recolitur die 28 septembris. De Simplicio Zosimus papa epist. 7. In Colb. et Bad. dicitur *Supplicius*. De Amando vide lib. de Gl. Conf., cap. 45. Dynamius in Corb., Regm. et Bad. scribitur *Damianus*. Bec., *Dinamium Engolesinæ*.

[m] De S. Venerandi ecclesia agit Gregorius lib. de Gloria Conf., cap. 35, et seqq.; memoratur in libello de sanctis Claromont., cap. 10, ubi complura sanctorum martyrum corpora in ea sepulta fuisse dicuntur. Hodie exstat in hortis monasterii Illidiani. Vide Savaronis notas. S. Venerandi festum colitur die 18 Januarii.

lii cum aliquot mss. habent *presbyter Pauli-* me celebrem Paulinum Nolæ episcopum esse dit novæ ipsius operum editionis auctor, ejus ap. 49, contra Chifletium qui id inficiatur.

fuit : post cujus obitum fœda apud cives pro episcopatu intentio [a] vertebatur. Cumque partes inter se divisæ, alium aliumque erigere vellent, magna collisio erat populis. Residentibus tamen episcopis die dominica, mulier quædam velata atque devota Deo, audenter ad eos ingreditur, quæ ait : Audite me, sacerdotes Domini. Scitote enim, quod non est in his beneplacitum Deo, quos hi ad sacerdotium elegere. Ecce enim Dominus hodie ipse sibi providebit antistitem. Itaque nolite conturbare neque collidere populum, sed patientes estote parumper : Dominus enim nunc dirigit, qui regat Ecclesiam hanc. His itaque mirantibus hæc verba, subito Rusticus nomine, qui erat ex ipsa urbis Arvernis diœcesi presbyter, advenit : ipse enim jam mulieri per visionem fuerat indicatus. Quo viso ait : En ipsum quem elegit Dominus; ecce qualem vobis Dominus pontificem destinavit : hic ordinetur episcopus. Hæc ea loquente, omnis populus cuncta intentione postposita, clamavit dignum ac justum esse. Qui in cathedra positus, septimus in eodem loco pontificatus **68** honorem, populo gaudente, suscepit [b].

XIV. Apud [c] urbem vero Turonicam, defuncto Eustochio episcopo, septimo decimo sacerdotii sui anno, quintus [d] post beatum Martinum Perpetuus ordinatur. Qui cum virtutes assiduas ad sepulcrum ejus fieri cerneret, cellulam quæ super eum fabricata fuerat, videns parvulam, indignam talibus miraculis judicavit. Qua submota, magnam ibi basilicam, quæ usque hodie permanet, fabricavit [e] : quæ habetur a

B

[a] Sic mss. omnes, at editi habent hic et infra *contentio*. Certum est tamen a Gregorio aliisque ejusmodi auctoribus vocem *intentio* pro exprimenda *contentione*, ut plurimum adhiberi.

[b] Ejus festum colitur die 24 septemb.; vulgo dicitur *Saint Rotiri*.

[c] Hoc caput et tres seqq., id est, 14, 15, 16 et 17, desunt in Bell. et Corb. In Colb. a. istud et sequens alia manu, sed antiqua addita sunt.

[d] Infra lib. x, cap. 31, dicitur sextus episc. Turon., quod inter eos Justinianum et Armentium Briccio suffectos ibi non recenseat. Apollinaris vero Sidonius lib. iv, epist. 18, eumdem sextum a B. Martino numerat, duos prædictos admittendo, quo sensu hic *quintus* dici potest post S. Martinum, ita ut Briccius primus sit, tum Justinianus, Armentius, et quartus Eustochius, cui Perpetuus successit.

[e] Defuncto apud Condatum beato antistite Turonenses, reclamantibus licet Pictavis, sacrum ejus corpus Ligeri Impositum in urbem suam retulere. Depositum est primo juxta littus in loco qui exinde *Statio corporis beati Martini* dictus fuit, ubi hodieque visitur oratorium illius nomini sacrum. Inde alio translatum fuit, et crebrescentibus ad ejus sepulcrum miraculis, Brictius ejus successor anno post illius transitum undecimo ecclesiam, ut habet Gregorius, supra ipsum sanctum corpus exstruxit, quam postea evertit Perpetuus, ut magnificentiorem exædificaret. In hanc basilicam sacri corporis translationem describit Gregorius libro i de Miraculis sancti Martini, cap. 6. De eadem basilica agit Apollinaris Sidonius, tunc temporis Arvernorum antistes, quam invitante Perpetuo versibus exornavit, qui in ejus epistola 18, libro iv, ad Lucontium habentur. Alios versus a Martino Galliciensium sive Suevorum apostolo editos laudat noster Gregorius libro v Historiæ, cap. 38 ; alios item, a Paulino Petrocordiensi compositos, qui in variis basilicæ locis descripti erant, edidit V. Cl. Jacobus Sirmondus. Quam vero exinde celebris fuerit sancti Martini tumulus, ex variis passim Gregorii locis patet, quos singillatim referre non vacat. Certe reges nostri Martinum ut specialem regni sui patronum semper venerati sunt, ejusque basilicam variis donariis et immunitatibus cumularunt. Eam a Williobario incensam Chlotarius I restitui et stanno cooperiri curavit. Varia ejus ornamenta quibus olim nitebat paucis describit sanctus Odo in sermone de ejus combustione : *Crustulis marmoreis intus obducta erat. Nam interdum Protonisso marmore paries rubicundus, nunc Pario candidus, nunc quoque Prasino viridis, varium et satis pulchrum schema præferebat ; et foris aureolis sapphirinis atque musivis fulgebat lapillis, sed et tectum stanneis tabulis erat opertum.* Ejusdem sancti viri sepulcrum auro argentoque ac gemmis pretiosis a sancto Eligio fabricatum et adornatum fuisse narrat sanctus Audoenus. *Absidam* vero, qualis a beato Perpetuo structa fuerat, describit Herbernus, qui ex abbate Majoris Monasterii factus est archiepiscopus Turonensis sæculo nono labente, post relationem sacri corporis ex Burgundia. Ejus autem verba, quæ Anonymus in Gestis comitum Andegavensium adoptavit, ex 2 mss. codicibus huc proferimus. « Absida siquidem ubi corpus beati Martini continebatur, quam etiam detulerant ab Antissiodoro, fusilis erat ex auro et argento, quod dicitur electrum, spissitudine duorum digitorum, auctoremque operis beatum Perpetuum insculptor designarat suffragio litterarum et versuum : nec erat rima, foramen, fenestra, vel ostium in ea. Hanc autem fecerat beatus Perpetuus quando elevavit corpus ejus a terra involutum prius in purpura rubea et diligenter consutum, sicque in hanc absidam posuit. Fecit etiam altare quadratum et concavum ex lapidibus tabulatis quæ magna tabula cooperuit, et cum aliis cæmentavit. Fecit et intus aliam absidam ex auricalco, cupro et stanno fusilem, habens palmum in spissitudine cum ostio fusili, quod gumphiis et virtevellis et quatuor clavibus firmabatur, ubi et hanc absidam electrinam posuit. Fecit denique fredam desuper auro optimo et lapidibus pretiosis ornatam, tanto sacerdote condignam. »

Sæculi undecimi initio ecclesia sancti Martini, quam Normanni combusserant, non restaurata modo, sed nova penitus a fundamentis ædificata fuit ab Herveo thesaurario, eo fere modo, quo hodie visitur. Hujus basilicæ dedicationem solemniter factam fuisse scribit Glaber Rodulphus. Tunc suo loco restitutum est beati antistitis corpus, quod ibi, ut sæculo sequenti scribit Sigibertus Gemblacensis, *sub ciborio auro, argento gemmisque vestito decenter collocatum*, miracula coruscabat. Ciborium illud a Calvinianis sæculo superiori destructum atque dilapidatum fuit : sed quæ forma olim exstiterit, videre licet ex vitro sacelli cujusdam in ala septentrionali majoris basilicæ siti, ubi Ludovicus XI Francorum rex coram sancti Martini sepulcro sub ciborio existente, genuflexus orans, duobus in locis depictus est. Visuntur et ibi aliæ sanctorum capsæ, quæ ante illam cladem circa beati antistitis tumulum asservabantur. Cæterum etsi beati viri sepulcrum tot vicibus fuisset e loco suo motum, nondum tamen post primam a beato Perpetuo factam translationem apertum fuerat. Id patet ex veteri instrumento, quod ex ms. codice sancti Martini a nobis descriptum huc proferre visum est.

« Præsente Carolo Pulchro cum uxore sua multisque episcopis et principibus, permissu Joannis XII anno 1325, die 1 Decembris, translatum est cu

civitate passus quingentos quinquaginta. Habet in longum pedes centum sexaginta[a], in latum sexaginta : habet in altum usque ad cameram pedes quadraginta quinque; fenestras in altario [b] triginta duas, in capso viginti, columnas quadraginta unam. In toto ædificio fenestras quinquaginta duas, columnas centum viginti; ostia octo, tria in altario, quinque in capso. Solemnitas enim ipsius basilicæ triplici virtute pollet : id est dedicatione templi, translatione corporis sancti, vel ordinatione ejus episcopatus. Hanc enim quarto nonas Julias observabis : depositionem vero ejus tertio idus Novembris esse cognoscas. Quod si fideliter celebraveris, et in præsenti sæculo, et in futuro, patrocinia beati antistitis promereberis. Et quoniam camera cellulæ illius prioris eleganti opere fuerat fabricata, indignum duxit sacerdos, ut opera ejus deperirent : sed in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli aliam construxit basilicam, in qua cameram illam affixit. Multas et alias basilicas ædificavit, quæ usque 69 hodie in Christi nomine constant.

XV. Eo tempore et basilica beati Symphoriani Augustodunensis martyris ab Eufronio presbytero ædificata est. Et ipse Eufronius, hujus deinceps urbis episcopatum sortitus est [c]. Hic enim marmor quod super sanctum sepulcrum beati Martini habetur, cum grandi devotione transmisit.

XVI. Sanctus [d] vero Namatius, post obitum Rustici episcopi, apud Arvernos in diebus illis octavus erat episcopus. Hic ecclesiam quæ nunc constat [e], et senior infra muros civitatis habetur, suo studio fabricavit, habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes sexaginta, in altum infra capsum usque cameram, pedes quinquaginta : in ante absidem rotundam habens, ab utroque latere ascellas eleganti constructas opere, totumque ædificium in modum crucis habetur expositum. Habet fenestras quadraginta duas, columnas septuaginta, ostia octo. Terror namque ibidem Dei, et claritas magna conspicitur; et vere plerumque inibi odor quasi aromatum suavissimus advenire a religiosis sentitur. Pa-

S. Martini a Roberto episcopo Carnotensi, aperto sancti Martini sepulcro.

« In quo quidem sepulcro invenerunt capsam unam argenteam, et in eadem cistellam salliceam mirabiliter albam et recentem, in qua corpus ejusdem beatissimi confessoris honorifice reposuerat beatus Perpetuus, qui anno sexagesimo quarto post transitum gloriosissimi Martini sedis Turonicæ cathedralem sortitus fuerat dignitatem. Aperiens autem cum devotione et tremore ille venerabilis episcopus Carnotensis cistellam in qua corpus beatissimum latitabat, sepul cum reliquo corpore ad instar infantuli involutum et ligatum, cedulam alligatam invenit, in qua scriptum erat : HIC EST CORPUS BEATI MARTINI EPISCOPI TURONENSIS. Quo viso, congaudentes in Domino de tam pretioso thesauro hic reperto, idem episcopus Carnotensis inceepit solvere sanctum corpus, quod ex quadam zona candida a beato Perpetuo tempore translationis ejusdem corporis fuerat sic ligatum, ejusque proprio sigillo sigillatum. Quod cum solutum fuisset et detectum, idem episcopus insinuavit regi, quod caput beatissimi confessoris acciperet, et in vase aureo deponeret, quod erat illico præparatum. Sed rex nolens nec præsumens caput sanctissimum attingere, dixit episcopo quod ipsemet illud acciperet et transferret. »

Hic fuit ecclesiæ Martinianæ status usque ad annum 1562, quo Calviniani hæretici Turonum urbe potiti, omnes urbis ac provinciæ ecclesias penitus spoliaverunt, combustis immani sacrilegio sanctorum reliquiis. Visitur hodieque locus ad australem ecclesiæ januam, in quo sancti Martini corpus crematum est. Anno sequenti, turbis utcunque sedatis, paucula quæ hæreticorum furori subducta fuerant, ordinante venerabili capitulo, recognita, in theca recondita sunt. Capituli ea de re decretum ex ejus registris describimus, quod sic habet :

« Anno 1563, die 1 Julii, domini mei ordinarunt, quod unum ex magnis ossibus brachii beatissimi Martini, et aliud ex capite ejusdem, nec non pannus sericeus, in quo corpus ejusdem beatissimi Martini repositum fuerat, et alia reliquiaria ex capitibus beatorum Briccii et Gregorii, quæ remanserunt, et combusta non fuerunt per hæreticos anno novissimo, reponantur in parva capsa lignea propterea facta, quæ cooperietur ex aliquo pulchro panno sericeo; et super quolibet reliquiario hujusmodi ponatur inscriptio cujusnam sit, et signetur per *me notarium ad perpetuam rei memoriam.* » Quæ omnia die 3 Julii sequenti facta fuisse indicat idem registrum. Anno autem 1564, die 5 Julii, eædem *reliquiæ in capsa positæ repositæ sunt super altare existens retro majus altare, ubi solebat esse capsa sancti Martini.* Quæ anno 1636, die undecima Septembris solemniter sunt visitatæ a toto capitulo. Visitur hodieque istud altare multis gradibus elevatum, sub quo positus est lapis sepulcri beati Martini, ubi in majoribus festivitatibus sacerdos celebrans missam inchoat, atque ad illa verba post confessionem, *Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum, quorum hic reliquiæ habentur,* illum lapidem osculatur, tum ad altare majus accedit, Missam solito more celebraturus. Columnæ sepulcro vicinæ ex mandato capituli affixa est tabella cum hac epigraphe : *Nomina corporum sanctorum hujus ecclesiæ, quæ hic sepulta erant : S. Martinus, S. Briccius, S. Spanus, S. Perpetuus, S. Gregorius Turonensis, S. Eustochius, S. Eufronius. Hic in medio illorum erat corpus et sepulcrum beatissimi Martini, quorum venerabiles reliquiæ in capsis existebant.* Atque hic est hodiernus ecclesiæ sancti Martini status. De ejus vero prærogativis ac jurisdictione quam in alias complures ecclesias etiam nunc habet, disserere mei non est instituti. Quæ vero hic protulimus, ut plurimum debemus V. Cl. Gatiano Galiczonio, doctori Sorbonico, ejusdem ecclesiæ canonico et cantori, qui cum apud Turones essemus, omnia minutatim nobis ostendit.

[a] Reg., Colb. et Chesn. habent, *longum pedes centum quinquaginta quinque.*

[b] Hic altarii nomine presbyterium, per capsum vero navem intelligi verisimile est. Consule Liturgiam Gallicanam nostri Mabillonii lib. I, cap. 8, num. 1 et seqq. De hac ecclesia iterum agit Gregorius lib. I de Mirac. S. Martini, etc. Vide et epistolam 18, lib. IV, Apollinaris Sidonii; cui interseruntur versus, quos eidem ecclesiæ adornandæ ipse composuit.

[c] Æduensi Ecclesiæ præfuit labente sæculo V. Interfuit ordinationi Joannis Cabillonensis episcopi, uti testatur Apollinaris Sidonius lib. IV, epist. 25, et ad eum scripsit idem auctor epist. 8 libri VII, et 2 libri IX. Exstat ejus et Lupi Tricassini episcopi egregia epistola de disciplina ecclesiastica, apud Sirmond. tom. I Concil.; alteram ejusdem ad Agrippinum comitem laudat Idatius in Chronico.

[d] Hoc caput et sequens desunt in codd. Regio et Colb.

[e] Hæc est ecclesia cathedralis, de qua Savaro multa observat in notis ad cap. 1 libri de ecclesiis Clarc-

rietes ad altarium, opere sarsurio [a], ex multo marmorum genere exornatos habet. Exacto ergo in duodecimo anno beatus pontifex ædificio, Bononiam civitatem Italiæ sacerdotes dirigit, ut ei reliquias sanctorum Vitalis et Agricolæ exhibeant, quos pro nomine Christi Dei nostri, manifestissime crucifixos esse cognovimus [b].

70 XVII. Cujus conjux basilicam sancti Stephani [c] suburbano murorum ædificavit. Quam cum fucis colorum adornare vellet, tenebat librum in sinu suo, legens historias actionum antiquorum [d], pictoribus judicans quæ in parietibus fingere deberent. Factum est autem quadam die, ut sedente illa in basilica, ac legente, adveniret quidam pauper ad orationem et aspiciens eam in veste nigra, senio jam provectam, putavit esse unam de egentibus, protulitque quadram panis, et posuit in sinu ejus, et abscessit. Illa vero non dedignans munus pauperis, qui personam ejus non intellexit, accepit et gratias egit, reposuitque, hanc suis epulis anteponens, et benedictionem ex ea singulis diebus sumens, donec expensa est.

XVIII. Igitur Childericus Aurelianis pugnas egit; Adouacrius [e] vero cum Saxonibus Andegavos venit. Magna tunc lues populum devastavit. Mortuus est autem Ægidius, et reliquit filium, Syagrium nomine. Quo defuncto, Adouacrius de Andegavo et aliis locis obsides accepit. Britanni de Biturica [f] a Gothis expulsi sunt, multis apud Dolensem vicum [g] peremptis: Paulus vero comes cum Romanis [h] ac Francis, Gothis bella intulit et prædas egit. Veniente vero A Adouacrio Andegavis, Childericus rex sequenti die advenit, interemptoque Paulo comite, civitatem obtinuit, Magno ea die incendio domus ecclesiæ concremata est [i].

XIX. His itaque gestis, inter Saxones atque Romanos bellum gestum **71** est: sed Saxones terga vertentes, multos de suis, Romanis insequentibus, gladio reliquerunt; insulæ eorum cum multo populo interempto, a Francis captæ atque subversæ sunt [j]. Eo anno mense nono terra tremuit. Adouacrius cum Childerico fœdus iniit, Alamannosque, qui partem Italiæ pervaserant, subjugarunt.

XX. Eorichus [k] autem Gothorum rex, Victorium ducem super septem civitates præposuit, anno quarto decimo regni sui. Qui protinus Arvernis adveniens, B civitatem addere voluit: unde et cryptæ [l] illæ usque hodie perstant ad basilicam sancti Juliani, et columnas, quæ sunt in æde positæ, exhiberi jussit. Basilicam sancti Laurentii et sancti [m] Germani Licaniacensis vici jussit ædificari. Fuit autem Arvernis annis novem. Super Eucherium [n] vero senatorem calumnias devolvit: quem in carcere positum nocte extrahi jussit, ligatumque juxta parietem antiquum, ipsum parietem super eum elidi jussit. Ipse vero dum nimium esset in amore mulierum luxuriosus, et ab Arvernis vereretur interfici, Romam aufugit: ibique similem tentans exercere luxuriam, lapidibus est obrutus. Post cujus excessum regnavit Eorichus annos quatuor: obiit autem anno vigesimo septimo regni sui. Fuit etiam et tunc terræmotus magnus.

XXI. Defuncto [o] autem apud Arvernos Namatio C

montensibus. Unde *senior* in Mor. s. et Regm. dicitur, pro qua voce editi habent *veterrima*. Vide Liturgiam Gallicanam Mabillonii lib. I, cap. 8.

[a] Opus *sarsurium* idem esse observat Altaserra ac opus tectorium, quod varium est et multiplex, sic dictum a verbo *sarcire*. Parietes autem templorum et publicorum ædificiorum marmore tegebantur seu incrustabantur, qualiter hic describitur templum a S. Namatio constructum.

[b] Et quidem reliquias horum martyrum obtinuit, ut narrat ipse Gregor. lib. I de Gloria Mart., cap. 44. Eorumdem martyrum passionem describit S. Ambrosius in lib. de Exhortatione virginit., cap. 1 et 2.

[c] Hodie ecclesia est parochialis, mutato nomine ab annis circiter 200, *Sancti Eutropii Suburbicarii* dicta. In ea sepultus fuit sanctus Namatius cum aliis sanctis, ut indicat libellus de sanctis Claromont., cap. 13.

[d] Sic Regm. Editi vero, *historias actionis antiquas*; Mor. s., *antiquæ*. Picturas in ecclesiis memorat passim Gregorius, ut lib. VII, cap. 36, lib. X, cap. ult., etc.

[e] Sic Bell., Corb., Reg. et Regm., cum aliquot editis. Alii, *Odouacrius*, et Colb., *Odoacrius*. Bec., *Adouacius*.

[f] Corb. et Bec., *Biturigas*.

[g] Etiam nunc exstat monasterio Ordinis nostri insignitus, quod sæcularibus canonicis hujus sæculi initio cessit. Vulgo dicitur *Bourg de Deols*, a Castro-Radulphi Andria fluvio interjacente divisus.

[h] Romanos hic appellat Gallos illos, qui nondum exteris regibus subjecti erant. Et quidem non solum in Gallia, sed et in Italia, Hispania, Africa, etc., etiam post subactas omnino a barbaris has provincias, populi in duas, veluti partes dividebantur: alii dicebantur Romani, veteres scilicet incolæ, quod Romanis paruissent, legibusque ut plurimum, etiam exteris principibus subditi, Romanis uterentur, quodque catholicam fidem colerent; alii vero dicebantur *Barbari*, quod vocabulum honorificum esse docebant. Videsis plura de hac re apud Valesium lib. VII rerum Francic., pag. 289.

[i] Hic in cod. Bell., detritis aliquot lineis, quæ sub pagiuæ finem habebantur, sequens pagina ejusdem folii incipit ab his verbis, *regionem. Tantum ut quod tibi*, etc., quæ sunt de cap. 32.

[j] Insulæ istæ ad Ligerim positæ erant, ut censet Cointius, quas arcibus munierant Saxones, ut si res ipsis minus feliciter contingerent, liberam haberent per Oceanum abeundi facultatem. Idem Cointius legendum censet *Alanos*, pro *Alamannos*, qui non Italiæ, sed Galliæ partem invaserant. Cui conjecturæ favent quæ observavimus supra ad caput 7 hujus libri.

[k] Regm., *Theodericus*, et infra, *Teddricus*, Corb. D et Bec., *Eoricus*, seu *Euricus*. Infra cap. 25 appellatur *Evarix*. Victorii mortem refert Gregorius lib. I de Gloria Mart., cap. 45, et in Vita S. Abrahæ. De eodem Apollinaris Sidonius lib. VII, epist. 17. Deest hoc caput in Bell.

[l] Tres mss., *scriptæ*. Porro non hic designatur basilica Brivatensis, ut Fredegarius existimavit, sed quæ in honorem S. Juliani in ipsa Arvernorum urbe sita est, ut observat Savaro in notis ad cap. 35, lib. I de eccles. Claromont. Adi Cointium ad annum 554, num. 4.

[m] Cod. Casin., *Sancti Martini Lecaniacensis*. Regm., *S. Germani Licaniacensi vico*. Observat Marollius hunc locum hodie vulgo appellari, *Saint-Germain de Lambron*.

[n] Is esse putatur ad quem Sidonius scribit lib. III, epist. 8.

[o] Hoc caput deest in Corb., Bell., Reg. et Colb.

episcopo, Eparchius successit, vir sanctissimus atque religiosus. Et quia eo tempore ecclesia parvam infra muros urbis possessionem habebat, ipsi sacerdoti in ipso, 72 quod modo Salutatorium [a] dicitur, mansio erat, atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas ad altarium ecclesiæ consurgebat. Factum est autem, ut nocte quadam ingrediens, plenam ecclesiam dæmonibus reperiret, ipsumque principem in modum ornatæ mulieris, in throni illius cathedram residentem. Cui ait pontifex : O meretrix exsecranda, non sufficit tibi loca cuncta variis pollutionibus inficere, adhuc et cathedram a Domino consecratam fœtida sessionis tuæ accessione coinquinas? Abscede a domo Dei, ne a te amplius polluatur. Cui ait : Et quia mihi meretricis nomen imponis, multas tibi parabo insidias ob desideria mulierum. Et hæc dicens, sicut fumus evanuit. Verumtamen sacerdos tentatus est per commotionem corporis ad concupiscentiam [b] : sed signo crucis sanctæ munitus, nihil ei inimicus nocere potuit. Ferunt etiam ipsum in arce Cantobennici montis monasterium [c] collocasse, ubi nunc oratorium est, et ibi se diebus Quadragesimæ sanctæ recludebat : die autem Cœnæ dominicæ, cum magno psallentio, comitantibus clericis civibusque, ad ecclesiam suam revertebatur. Quo migrante, Sidonius ex præfecto substituitur, vir secundum sæculi dignitatem nobilissimus, et de primis Galliarum senatoribus : ita ut filiam sibi Aviti imperatoris in matrimonio sociaret. Hujus tempore, cum adhuc apud urbem Arvernam Victorius, cujus supra meminimus, moraretur, fuit in monasterio beati Cyrici [d] urbis ipsius abbas, Abraham nomine : qui fide 73 atque operibus Abrahæ illius prioris refulgebat, sicut in libro Vitæ ejus scripsimus.

XXII. Sanctus [e] vero Sidonius tantæ facundiæ erat, ut plerumque ex improviso luculentissime quæ voluisset, nulla obsistente mora componeret. Contigit autem quadam die, ut ad festivitatem basilicæ monasterii, cujus supra meminimus, invitatus accederet; ablatoque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueverat, ita paratus a tempore cunctum festivitatis opus explicuit, ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ab astantibus ibidem hominem locutum fuisse, sed angelum. Quod in præfatione libri, quem de Missis ab eo compositis conjunximus, plenius declaravimus. Cum autem esset magnificæ sanctitatis, atque, ut diximus, ex senatoribus primis, plerumque, nesciente conjuge, vasa argentea auferebat a domo, et pauperibus erogabat. Quod illa cum cognosceret, scandalizabatur in eum : sed tamen dato egenis pretio, species domui restituebat.

XXIII. Cumque [f] ad officium dominicum fuisset mancipatus, et sanctam ageret in sæculo vitam, surrexere contra eum duo presbyteri, et ablata ei omni potestate a rebus Ecclesiæ, arctum ei victum et tenuem relinquentes, ad summam eum contumeliam redegere. Sed non longi temporis spatio inultam ejus injuriam divina voluit sustinere clementia. Nam unus ex his nequissimis et indignis dici presbyteris, cum ante noctem minatus fuisset eum de ecclesia velle extrahere [g], signum ad matutinas audiens fuisse commotum, fervens felle contra sanctum Dei, surrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractaverat. Ingressus autem in secessum suum, dum ventrem purgare nititur, spiritum exhalavit. Exspectabat enim puer foris cum cereo dominum egressurum. 74 Jamque advenerat lux, et satelles ejus, id est alius presbyter, mittit nuntium, dicens : Veni, ne tardaveris, ut quæ nobis die hesterna convenerant, pariter expleamus. Sed cum responsa dare differret exanimis, elevato puer velo ostii, reperit dominum super sellulam secessus defunctum. Unde indubitatum est non minoris criminis hunc reum esse, quam Arium illum, cui similiter in secessu fuere interna deposita per partes inferiores

[a] Salutatorium, quod alias *secretarium*, hodie *sacristia* appellatur, uti patet ex Gregorii M. epist. 54 libri IV ad Marinianum episc. Ravennat., et ex concilio Matisc. I, can. 2, sic dictum est, quod ibi episcopi ante Missarum celebrationem sedere solerent ad excipiendas fidelium salutationes, qui eorum orationibus se, vel aliqua negotia commendare volebant. Id presbyteris reliquisse videtur sanctus Martinus apud Sever. Sulpic., dial. 2, ubi ipse dicitur orationi incubuisse, eo tempore quo presbyteri in alio secretario sedentes ejus permissu salutationibus, aut audiendis negotiis occupabantur.

[b] Mor. s., *a concupiscentia*.

[c] De hoc monasterio vide supra lib. I, cap. 39. Cantobennense monasterium illud ipsum esse censet Savaro, quod non procul ab urbe sanctimonialibus paravisse dicitur sanctus Genesius Arvernensis episcopus in ipsius Vita. Alii ab eo etiam non distinguunt Candidinense monasterium, quod Felix ejusdem urbis antistes, Præjecto tunc abbati, postea ipsius successori et martyri, gubernandum tradidit, ut in secunda ipsius Præjecti Vita legitur. Hunc locum postea destructum reparavit sæculo undecimo quidam Aldefredus, quem Robertus de Alvernia episcopus ultimo sequentis sæculi anno Piperacensi cœnobio subjecit : sed tandem post varias fortunas Carmelitis excalceatis nostro ævo donatus est. Vide notas in caput 39 libri I.

[d] Sic Regm. cum Bad.; cæteri ed. et Bec., *Cyriaci*. At nostra lectio sincera est. Hic est enim Cyricus puer, qui cum Julitta matre martyr occubuit. Vide Savaronem in notis ad libellum de ecclesiis Claromont. num. 14, qui est de ecclesia sancti Cyrici. De qua et Gregorius agit in Vita S. Abrahæ, lib. de Vitis Patrum, cap. 3.

[e] Deest hoc caput in Corb., Bell., Colb. et Regio. Porro Sidonius ille illustrior est, quam ut hic de eo plura observemus. Exstant ejus opera a Savarone primum, tum a J. Sirmondo edita. Caius Sollius Apollinaris Sidonius appellabatur, cujus vitam collegit Savaro, eamque ipsius operibus præfixit. Papianillæ uxori suæ, filiæ Aviti imp., epistolam 16 libri V scripsit ipse Sidonius, quam post susceptum sacerdotium uti sororem habuit, ut probat Sirmondus in notis ad eamdem epist., ubi et plura habet de majorum clericorum cælibatu. V. supra lib. I, cap. 39, et Hieronymi epist. ad Pammachium.

[f] Hoc caput deest in Corb., Bell., Colb. et Regio.

[g] Regm., *velle extrahi*, Chesn. et Freh., *vel extrahere*.

egesta [a] : quia nec istud sine hæresi potest accipi, ut in Ecclesia non obediatur sacerdoti Dei, cui ad pascendum oves commissæ sunt, et ille se ingerat potestati, cui neque a Deo, neque ab hominibus aliquid est commissum. Dehinc beatus sacerdos, uno adhuc manente nihilominus inimico, suæ restituitur potestati. Factum est autem posthæc, ut accedente febre ægrotare cœpisset : qui rogat suos, ut eum in ecclesiam ferrent. Cumque illuc illatus fuisset, conveniebat ad eum multitudo virorum ac mulierum, simulque etiam et infantium plangentium atque dicentium : Cur nos deseris, pastor bone, vel cui nos quasi orphanos derelinquis? Nunquid erit nobis post transitum tuum vita? nunquid erit postmodum qui nos sapientiæ sale sic condiat? aut ad dominici nominis timorem talis prudentiæ ratione redarguat? Hæc et his similia populis cum magno fletu dicentibus, tandem sacerdos, Spiritu in se sancto influente, respondit : Nolite timere, o populi, ecce frater meus Apruncul[us] vivit, et ipse erit sacerdos vester. Qui non intelligentes, putabant eum loqui aliquid in extasi.

Quo migrante [b], presbyter ille nequam, alter ex duobus qui remanserat, protinus omnem facultatem Ecclesiæ, tanquam si jam episcopus esset, inhians cupiditate, præoccupat, dicens : Tandem respexit in me Deus, cognoscens me justiorem esse Sidonio, largitusque **75** est mihi hanc potestatem. Cumque per totam urbem superbus ferretur, adveniente die dominico, qui imminebat post transitum sancti viri, præparato epulo, jussit cunctos cives in domo ecclesiæ [c] invitari : despectisque senioribus, primus recumbit in toro. Cui oblato pincerna poculo, ait : Domine mi, vidi somnium, quod si permittis edicam : Videbam hac nocte dominica, et ecce erat domus magna, et in domo erat thronus positus, in quo quasi judex residebat, cunctis potestate præstantior : cui assistebant multi sacerdotum in albis vestibus, sed et promiscuæ populorum turbæ valde innumerabiles. Verum cum hæc trepidus contemplarer, conspicio eminus inter eos beatum astare Sidonium, et cum presbytero illo tibi carissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migravit, attente litigantem. Quo devicto, jubet rex ut in imis carceris angustiis retrudatur; ablatoque isto, contra te iterum insurgere [d], dicens te in eo scelere, propter quod ille prior damnatus fuerat, fuisse participem. Verum ubi judex, quem ad te transmitteret, sollicite cœpit inquirere, ego me inter reliquos occulere cœpi, et a tergo steti, tractans apud memetipsum, ne forte ego, qui notus sum homini, mittar. Dum hæc mecum tacitus volverem, amotis omnibus remansi solus in publico : vocatusque a judice, propius accedo. Cujus virtutem atque splendorem contuens, cœpi hebes effectus titubare præ metu. Et ille : Ne timeas, puer, inquit : sed vade, die presbytero illi : Veni ad respondendam causam, quia Sidonius te accersiri deprecatus est. Tu vero ne moram facias ad eundum, quia sub grandi testificatione mihi præcepit rex ille tibi hæc loqui, dicens : Si tacueris, morte pessima morieris. Hæc eo loquente, exterritus presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritum : ac de recubitu ablatus mortuus sepulturæ mandatus est, possessurus infernum **76** cum satellite suo. Tale judicium super contumaces clericos Dominus in hunc prætulit mundum, ut unus Arii sortiretur mortem; alius, tanquam Simon Magus, apostoli sancti oratione ab excelsa arce superbiæ præceps allideretur. Qui non ambiguntur pariter possidere tartarum, qui simul egerunt nequiter contra sanctum episcopum suum. Interea cum jam terror Francorum resonaret in his partibus, et omnes eos amore desiderabili cuperent regnare, sanctus Apruncul[us], Lingonicæ civitatis episcopus [e], apud Burgundiones cœpit haberi suspectus. Cumque odium de die in diem cresceret, jussum est ut clam gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuntio, nocte à castro Divionensi per murum demissus, Arvernis advenit, ibique juxta verbum Domini, quod posuit in ore sancti Sidonii, undecimus datus est episcopus.

XXIV. Sed [f] tempore Sidonii episcopi magna Burgundiam fames oppressit. Cumque populi per diversas regiones dispergerentur, nec esset ullus qui pauperibus alimoniam largiretur, Ecdicius quidam ex senatoribus, hujus propinquus [g], magnam tunc rem in Deo confisus fecisse perhibetur. Nam invalescente fame, misit pueros suos cum equis et plaustris per vicinas sibi civitates, ut eos qui hac inopia vexabantur sibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes quotquot invenire potuerunt, adduxere ad domum [h] ejus. Ibique eos per omne tempus sterilitatis pascens, ab interitu famis exemit. Fuereque,

[a] Regm., *inferioris egestus*, et infra *obaudiatur sacerdoti*. Bec., *partis inferioris egestum... obaudiatur sacerdos.*

[b] Obiit anno 484, ut scribit Savaro, et quidem die 12 kal. Septembris, ejus tamen festum 10 kal. ejusdem mensis in Martyrologio Romano recolitur. Sepultus est in ecclesia sancti Saturnini, ut dicitur in lib. I de eccles. Claromont., cap. 22. Hæc ecclesia mutato nomine sancti Amandini dicta est. Postmodum translatum est B. Sidonii corpus in ecclesiam sancti Genesii.

[c] Domum ecclesiæ passim memorat Gregorius, quo nomine ædes episcopales, majori ecclesiæ urbis seu cathedrali adhærentes, designari videtur esse extra dubium.

[d] Editi habent, *suggerit.*

[e] De eodem infra cap. 36, et lib. III, cap. 2, ad quem exstant aliquot Ruricii Lemovicensis episc. epistolæ. Eidem, adhuc Lingonum episcopo, scripsit Sidonius epistolam 10 libri IX. Sepultus est in ecclesia S. Stephani ex lib. I. Ecclesiar. Claromont., cap. 13, ubi *sanctus* dicitur. Celebratur in Martyrol. Gallic. Saussaii die 14 Maii.

[f] Hoc caput deest in Bell. In tribus vero aliis absolute incipit, *Tempore Sidonii*, etc.

[g] Ecdicius, seu, ut alii scribunt, Hecdicius, filius fuit Aviti imperatoris, et frater Papianillæ uxoris Sidonii, ad quem exstant ejusdem Sidonii carmen 20, epistola 1 lib. II, et 3 libri III. Factus est Patricius a Julio Nepote Augusto ex epist. 16 lib. V.

[h] Editi plerique cum Bec., *ad domos.*

ut multi aiunt, amplius quam quatuor millia promiscui sexus. Adveniente autem ubertate, ordinata iterum evectione, unumquemque in locum suum restituit. Post quorum discessum, vox ad eum e cœlis lapsa pervenit, dicens : Ecdici, Ecdici, quia feciati rem hanc, tibi et semini tuo panis non deerit in sempiternum : eo quod obedieris verbis meis et famem meam refectione pauperum satiaveris. Quem Ecdicium miræ velocitatis fuisse 77 multi commemorant : nam quadam vice multitudinem Gotthorum cum decem viris fugasse perscribitur [a]. Sed et sanctus Patiens Lugdunensis episcopus simile huic in ipsa fame populis præstitisse perhibetur beneficium. Exstat exinde hodie apud nos beati Sidonii epistola [b], in qua eum declamatorie collaudavit.

XXV. Hujus tempore et Evarix [c] rex Gotthorum, excedens Hispanum limitem, gravem in Galliis super Christianos intulit persecutionem. Truncabat passim perversitati suæ non consentientes, clericos carceribus subigebat : sacerdotes vero, alios dabat exsilio, alios gladio trucidabat. Nam et ipsos sacrorum templorum aditus spinis jusserat obserari, scilicet ut raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei. Maxime tunc Novempopulanæ, geminæque Germaniæ [d] urbes, ab hac tempestate depopulatæ sunt. Exstat hodieque et pro hac causa ad Basilium episcopum nobilis Sidonii ipsius epistola, quæ hæc ita loquitur. Sed persecutor non post multum tempus, ultione divina percussus interiit.

XXVI. Post hæc [e] beatus Perpetuus Turonicæ civitatis episcopus, impletis triginta in episcopatu annis, in pace quievit : in cujus loco Volusianus, unus ex senatoribus, subrogatus est. Sed a Gotthis suspectus habitus, episcopatus sui anno septimo in Hispanias est quasi captivus abductus ; sed protinus vitam finivit. In cujus loco Verus [f] succedens, septimus post beatum Martinum 78 ordinatur episcopus.

XXVII. His [g] ita gestis, mortuo Childerico, regnavit Chlodovechus, filius ejus, pro eo. Anno autem quinto regni ejus, Syagrius Romanorum rex, Ægidii filius, ad civitatem Suessionas [h], quam quondam supra memoratus Ægidius tenuerat, sedem habebat. Super quem Chlodovechus cum Ragnachario [i] parente suo, quia et ipse regnum tenebat, veniens, campum pugnæ præparari deposcit. Sed nec iste distulit, ac resistere metuit. Itaque inter se utrisque pugnantibus, Syagrius clisum cernens exercitum, terga vertit, et ad Alaricum regem, Tolosam cursu veloci perlabitur. Chlodovechus vero ad Alaricum mittit, ut eum redderet : alioquin noverit sibi bellum ob ejus retentionem inferri. At ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurreret, ut Gotthorum pavere mos est [j], vinctum legatis tradidit. Quem Chlodovechus receptum custodiæ mancipari præcepit : regnoque ejus accepto, eum gladio clam feriri mandavit. Eo tempore multæ ecclesiæ a Chlodovechi exercitu deprædatæ sunt, quia erat ille adhuc fanaticis erroribus involutus. Igitur de quadam ecclesia urceum miræ magnitudinis ac pulchritudinis hostes abstulerant, cum reliquis ecclesiastici ministerii ornamentis. Episcopus [k] autem ecclesiæ illius missos ad regem dirigit, poscens ut si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltem vel urceum ecclesiæ sua reciperet. Hæc audiens rex, 79

[a] Id narrat Sidonius epist. 3 libri III, ubi *vix duodeviginti equites* cum Ecdicio fuisse dicuntur.

[b] Ea est duodecima libri VI. Eumdem laudat ob ecclesiam Lugduni constructam lib. II, epist. 10. Ipsius vero memoria in fastis ecclesiasticis recolitur tertio idus Septembris.

[c] Is ipse supra cap. 20 appellatur *Eorichus*, seu *Eurichus*. In capitum indicibus, etiam vetustiorum codicum legitur *de Euva rege*. Cæterum hoc caput deest in Bellov.

[d] Legendum haud dubie *Aquitaniæ*. Non enim Evarichus persecutionem in Germania movit, cum econtrario, maxime efferbuerit in Novempopulania, ac in utraque Aquitania, ut patet ex ipsa Sidonii epistola ad Basilium episcopum, quam infra Gregorius laudat ; estque 6 libri VII. Ibi enim recensentur urbes ex his tribus provinciis, in quibus persecutio sæviit : scilicet Elusa, Auscium, Vasate et Convenæ in Novempopulania ; Rutheni, Lemovicæ et Gabali in Aquitania prima ; Burdegala et Petrocorii in secunda Aquitania. Non tamen textum Gregorii mutare licuit absque alicujus codicis auctoritate. Et quidem Valesius Germaniæ nomen a Gregorio datum fuisse Aquitaniæ putat, quod ibi regnaret Euricus, quem hic a Germania oriundum existimabat. Quo pacto et Lugdunensis Germania dicitur a Sidonio lib. V, epist. 7. Janus a Costa in lib. II Decretalium Gregorii IX tit. 1, hic legendum esse censet, *geminæque germanæ. Geminam enim*, uti prosequitur, *et Duplicem Aquitaniam, primam et secundam, eleganter vocat germanam et sororem Novempopulaniæ, id est Aquitaniæ tertiæ, quasi provinciæ divisæ in duas, tres vel plures sint sibi invicem sorores ex hac divisione ; habeantque communem matrem urbem Romam, imperii caput, a qua scilicet provinciæ institutæ et veluti partæ. Sic apud Tertullianum in libro de Pallio Utica colonia Romanorum dicitur soror Carthaginis.* Hæc ille, cujus sententia ex Testamento S. Remigii aliisque antiquis monumentis confirmari potest, in quibus Ecclesiæ Rhemensis ac Trevirensis *sorores* appellantur, eo quod utraque in Belgica metropolis esset et suæ provinciæ caput. Favet etiam codex ms. Regii-montis, in quo legitur, *geminæque germanæ.*

[e] Hoc caput deest in codd. Corb. et Bellov. In Colb. autem alia manu, licet antiqua, additum est. De Perpetuo, Volusiano et Vero vide infra lib. X, c. 31.

[f] Sic Colb. et Reg. cum aliquot editis ; alii cum Bec. et Regm., *Virus.*

[g] Hoc caput deest in cod. Bellovac.

[h] Corb., *Saxonas ;* scriptum est tamen alia manu fere æquali, sicut et infra, *Suessionas.* Bec., *Suessiones*, et infra *Sessionas.* Quæ lectiones variæ passim in mss. occurrunt.

[i] Idem cod., *Ragnario parente suo, qui et ipse tenebat, veniens campum ut pugnaret :* Regm., *Racanario... tenuerat*, etc. Colb., *Raghenario*, etc. Idem et Pal. pro Clodovechus habent semper *Hludouvichus*, et alia manu Regm., *Clodoveus :* quod semel et iterum monuisse satis sit.

[j] Vide Salvianum lib. VII, de Gubernatione Dei.

[k] Hic fuit beatus Remigius Rhemorum antistes, ut Fredegarius cap. 16, Hincmarus, Frodoardus, aliique auctores testantur. Porro *ministerii ecclesiastici* nomine sacram ecclesiæ suppellectilem intelligebant, ut ex compluribus Gregorii ipsius, aliorumque auctorum locis constat, quos videsis libro I Liturgiæ Gallicanæ Mabillonii nostri, cap. 7. Legendum ea de re beati Aredii Testamentum, quod in Appendice integrum proferemus.

ait nuntio : Sequere nos usque Suessionas, quia ibi cuncta quæ acquisita sunt, dividenda erunt. Cumque mihi vas illud sors dederit, quæ papa poscit, adimpleam. Deinc adveniens Suessionas, cuncto onere prædæ in medium posito, ait rex : Rogo vos, o fortissimi prælitatores, ut saltem mihi vas istud (hoc enim de urceo supra memorato dicebat) extra partem concedere non abnuatis. Hæc rege dicente, illi quorum erat mens sanior, aiunt : Omnia, gloriose rex, quæ cernimus tua sunt : sed et nos ipsi tuo sumus dominio subjugati. Nunc quod tibi beneplacitum videtur, facito : nullus enim potestati tuæ resistere valet. Cum illi hæc ita dixissent, unus levis, invidus ac facilis [a], cum voce magna, elevatam bipennem urceo impulit, dicens : Nihil hinc accipies, nisi quæ tibi sors vera largitur. Ad hæc obstupefactis omnibus, rex injuriam suam patientiæ lenitate coercuit, acceptumque urceum nuntio ecclesiastico reddidit, servans abditum sub pectore vulnus. Transacto vero anno, jussit omnem cum armorum apparatu advenire phalangam, ostensuram in Campo Martio [b] suorum armorum nitorem. Verum ubi cunctos circuire deliberat, venit ad urcei percussorem, cui ait : Nullus tam inculta, ut tu, detulit arma : nam neque tibi hasta, neque gladius, neque securis [c] est utilis; et apprehensam securim ejus in terram dejecit. At ille cum paululum inclinatus fuisset ad colligendum eam, rex elevatis manibus, securim suam capiti ejus defixit. Sic, inquit, tu apud Suessionas in urceo illo fecisti. Quo mortuo, reliquos abscedere jubet, magnum sibi per hanc causam timorem statuens. Multa [d] bella, victoriasque fecit. Nam decimo regni sui anno, Thoringis bellum intulit, eosdemque suis ditionibus subjugavit.

80 XXVIII. Fuit autem et Gundeuchus [e] rex Burgundionum, ex genere Athanarici regis persecutoris, de quo supra meminimus. Huic fuerunt quatuor filii, Gundobadus, Godegiselus, Chilpericus et Godomarus. Igitur Gundobadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, uxoremque ejus, ligato ad collum lapide, aquis immersit. Hujus duas filias exsilio condemnavit : quarum senior, mutata veste Chrona [f], junior Chrotechildis [g] vocabatur. Porro Chlodovechus, dum legationem in Burgundiam sæpius mittit, Chrotechildis puella reperitur a legatis ejus. Qui cum eam vidissent elegantem atque sapientem, et cognovissent quod de regio esset genere, nuntiaverunt hæc Chlodovecho regi. Nec moratus ille, ad Gundobadum legationem dirigit, eam sibi in matrimonio petens : quod ille recusare metuens, tradidit eam viris; illique accipientes puellam, regi velocius repræsentant. Qua visa, rex valde gavisus, suo eam conjugio sociavit, habens jam de concubina filium, nomine Theodoricum.

XXIX. Igitur [h] rex ex Chrotechilde regina habuit filium primogenitum : quem cum mulier baptismo consecrare vellet, prædicabat assidue viro, dicens : Nihil sunt dii quos colitis, qui neque sibi, neque aliis potuerunt subvenire : sunt enim aut ex lapide, aut ex ligno, aut ex metallo aliquo sculpti. Nomina vero quæ eis indidistis, hominum fuere, non deorum [i], ut Saturnus, qui filio, ne a regno depelleretur, per fugam elapsus asseritur; ut ipse Jupiter omnium stuprorum spurcissimus perpetrator, incestator virorum, propinquarum derisor, qui nec ab ipsius sororis propriæ potuit abstinere concubitu, ut ipsa ait : *Jovisque et soror et conjux* (*Virg. Æneid.* lib. 1). Quid Mars Mercuriusque **81** potuere? Qui potius sunt magicis artibus prædi ti, quam divini numinis potentiam habuere. Sed ille magis coli debet, qui cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, verbo ex non existantibus procreavit; qui solem lucere fecit, et cœlum stellis ornavit; qui aquas reptilibus, terras animantibus, aera volatilibus adimplevit; cujus nutu terræ frugibus, pomis arbores, uvis vineæ decorantur; cujus manu genus humanum creatum est; cujus largitione ipsa illa creatura omnis homini suo, quem creavit, et obsequio et beneficio famulatur. Sed cum hæc regina diceret, nullatenus ad credendum regis animus movebatur, sed dicebat : Deorum nostrorum jussione cuncta creantur ac prodeunt; Deus vero vester nihil posse manifestatur, et quod magis est, nec de deorum genere esse probatur. Interea regina fidelis filium ad baptismum exhibet : adornari ecclesiam velis præcipit atque cortinis, quo facilius vel hoc mysterio [j] provocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem [k] vocitaverunt, in ipsis,

[a] Chesn. cum Colb., *unus Francus levis*. Alii editi, *cerebrosus*.

[b] Conventus Francorum sic dicebatur, quod singulis annis kal. Martii fieri soleret in campo, quo omnes armis instructi accedere debebant. Postea *Campus Maius* dictus est, ex quo a Pippino in kal. Maii translatus est.

[c] Editi plerique, *bipennis*, et sic infra ubi occurrit vox *securis*.

[d] Sic Corb., at alii, *Multa deinde bella*, etc. Chlodoveus Thuringos devictos tributarios fecit, ut auctor Gestorum Francorum refert : nam et postmodum, etiam testante Gregorio, Thuringi suos reges habuere.

[e] Deest hoc caput in Bellov. *Gundeuchus* scribitur in Corb. et alis. Nonnulli habent *Gundivicus*. Ejusdem filii in aliquot codd. appellantur *Gundobaldus*, *Gothesilus*, seu *Godegisilus*, *Hilpericus*, etc. Bec., *Gundobaudus*. De Athanarici persecutione supra c. 4.

[f] Sic appellatur in Corb., Palat. et Colb., quibus concordat Vita sanctæ Chlotildis, ubi num. 2 legitur *Chrona*, Sæc. 1 Act. SS. Ord. Benedictini. Bec. tamen et Regm. cum plerisque editis habent, *Mucrona*; alii, *Corona*. Dicitur in Fredegarii Epitome, cap. 17 *Sedeleuba*. De qua agitur in Chronici cap. 22. Chlotildis et Chronæ matrem Agrippinam appellatam fuisse, de qua Sidonius lib. v, epist. 7, observat Savaro.

[g] Alias *Chrotchildis*, *Chrotigeldis*, *Rodieldis*, seu *Chrodieldis*, *Chrotildis*. Hodie vulgo scribitur *Clotildis*.

[h] Deest hoc caput in cod. Bell.

[i] Sic edit. Bad., at cæteri, *homines fuere, non dii*.

[j] Cod. Regm. *ministerio*.

[k] Cassin. cum aliquot edit., *Ignomerem*.

sicut regeneratus fuerat, albis [a] obiit. Qua de causa commotus felle rex, non segniter increpabat reginam, dicens : Si in nomine deorum meorum puer fuisset dicatus, vixisset utique : nunc autem quia in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere omnino non potuit. Ad hæc regina : Deo, inquit, omnipotenti, creatori omnium, gratias ago, qui me non usquequaque judicavit indignam, ut de utero meo genitum regno suo dignaretur ascire. Mihi autem dolore hujus causæ animus non attingitur, quia scio in albis ab hoc mundo vocatos, Dei obtutibus nutriendos [b]. Post hunc vero genuit alium filium, quem baptizatum Chlodomerem vocavit; et hic cum ægrotare cœpisset, dicebat rex : Non potest aliud fieri, nisi et de hoc, sicut et de fratre ejus, contingat, ut baptizatus in 82 nomine Christi vestri, protinus moriatur. Sed orante matre, Domino jubente convaluit.

XXX. Regina [c] vero non cessabat prædicare regi, ut Deum verum cognosceret, et idola negligeret; sed nullo modo ad hæc credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoveretur : in quo compulsus est confiteri necessitate, quod prius voluntate negaverat. Factum est autem, ut confligente utroque exercitu, vehementer cæderentur, atque exercitus Chlodovechi valde ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, elevatis ad cœlum oculis, compunctus corde, commotus in lacrymis, ait : Jesu Christe, quem Chrotechildis prædicat esse filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te sperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam devotus efflagito : ut si mihi victoriam super hos hostes indulseris, et expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus probasse se prædicat, credam tibi, et in nomine tuo baptizer. Invocavi enim deos meos, sed, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo : unde credo eos nullius esse potestatis præditos, qui sibi obedientibus non occurrunt [d]. Te nunc invoco, et tibi credere desidero; tantum, ut eruar ab adversariis meis. Cumque hæc diceret, Alamanni terga vertentes, in fugam labi cœperunt. Cumque regem suum cernerent interemptum, Chlodovechi se ditionibus subdunt, dicentes : Ne amplius, quæsumus, pereat populus : jam tui sumus. At ille, prohibito bello, coarctatoque populo, cum pace regressus, narravit reginæ, qualiter per invocationem nominis Christi victoriam meruit obtinere [e].

XXXI. Tunc [f] regina accersiri clam sanctum Remigium Rhemensis urbis episcopum jubet, deprecans ut regi verbum salutis insinuaret. Quem sacerdos accersitum, secretius cœpit 83 ei insinuare [g], ut Deum verum, factorem cœli et terræ crederet, idola negligeret, quæ neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait : Libenter te, sanctissime pater, audiam, sed restat unum, quod populus qui me sequitur, non patitur relinquere deos suos : sed vado et loquar eis juxta verbum tuum. Conveniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter acclamavit : Mortales deos abjicimus, pie rex, et Deum quem Remigius prædicat immortalem sequi parati sumus. Nuntiantur hæc antistiti, qui gaudio magno repletus, jussit lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptisterii divino respergitur ab odore [h]; talemque ibi gratiam astantibus Deus tribuit, ut æstimarent se paradisi odoribus collocari. Rex ergo prior poposcit se a pontifice baptizari. Procedit novus Constantinus ad lavacrum, deleturus lepræ [i] veteris morbum,

[a] *In albis*, id est intra hebdomadam in qua recens baptizati albis induti prodibant.

[b] Alii, *vocatum, Dei obtutibus nutriendum.*

[c] Et hoc caput deest in cod. Bellovac.

[d] Sic mss. 4; alii cum editis, *succurrunt.*

[e] Bec., Mor. s. alia manu, et alius codex ab Henschenio laudatus cum Chesn. hic habent, *Actum anno 15 regni sui*, id est anno 496 : quæ verba desumpta fuisse videntur ex libro de Gestis Francorum. In cæteris enim scriptis et editis, quos videre licuit, non habentur. Corb. tamen et Bell. in medio cap. 37, ut infra notabitur, habent, *anno 15 Chlodovechi.* Porro pugna, quæ hic memoratur, data creditur apud Tolbiacum oppidum, uti ex eodem cap. 37 colligitur.

[f] Hoc caput non exstat in cod. Bell.

[g] Sic mss.: editi vero, *cœpit instigare.*

[h] Hincmarus et qui post eum secuti sunt scriptores asserunt, chrisma hac ipsa occasione in ampulla e cœlo allatum fuisse a columba : quod etsi diserte non dicat Gregorius, innuit tamen aliquid insolitum tunc contigisse, cum ait *divino odore* locum fuisse respersum, ita ut omnes gratia Dei id tribuente se esse in *Paradiso* locatos existimarent. Certe Hincmarus miraculum istud non solum in Vita S. Remigii descripsit, sed et in frequenti prælatorum, principum, populorumque conventu palam de illo, uti publice noto, locutus est apud Mettas, cum scilicet Carolum Calvum ibi in majori ecclesia regem inauguraret. Quin et ejus rei vestigium aliquod inspicitur in Vita sanctæ Chlotildis, quæ videtur ante Hincmarum scripta fuisse. Quod vero aiunt a centuriatoribus Magdeburgensibus visum fuisse codicem Gregorii, in quo ampulla illa memoraretur, quem hereroloxi postea dissimulaverint, verisimile non videtur. At forte illi habuere præ manibus librum de Gestis Francorum a Chesnio tomo I editum, qui in nonnullis codicibus mss. Gregorio nostro tribuitur, in quo hæc historia descripta fuerit. Ejusmodi habetur unum exemplar in bibliotheca Archimonasterii Remigiani apud Rhemos, ab annis circiter 500 exaratum. Cæterum ampulla illa etiam nunc Rhemis asservatur studiosissime in archimonasterio Remigiano, ad regum nostrorum consecrationem *. Chlodoveum autem a sancto Remigio baptizatum, septiformi gratia Spiritus sancti illustratum, et ad regiam potestatem perunctum fuisse in ecclesia beatæ Mariæ Rhemensis agnovit Ludovicus Pius apud Frodoardum lib. II Histor. Rhemensis, cap. 19. Ad hanc vero baptismi sui solemnitatem, Chlodoveum, non solum sui regni, sed et cæteros episcopos catholicos invitasse colligitur ex epistola sancti Aviti ad ipsum Chlodoveum, quam in Appendice ad hunc tomum reperies.

[i] Colb. ad marginem hæc habet, ab annis circ. 400 addita : *Ecce iste historiographus concordat cum Historia sancti Silvestri de lepra Constantini mundata in fonte baptismi.* Et quidem certum videtur ex hoc loco, ubi etiam Chlodoveus Constantino et sanctus Remigius beato Silvestro comparantur, tunc temporis

* Non nisi in nostrate histo ia peregrinus nescit, sacram ampullam a *Conventionis* satellitibus effractam periisse; chrismatis autem particulam a viro quodam honorabili religiose collectam deinque celatam, tandem, redivivo Clodovæi throno, novæ fuisse creditam ampullæ quæ Carolo X in regem consecrando inserviit. EDIT.

ait nuntio : Sequere nos usque Suessionas, quia ibi cuncta quæ acquisita sunt, dividenda erunt. Cumque mihi vas illud sors dederit, quæ papa poscit, adimpleam. Deinde adveniens Suessionas, cuncto onere prædæ in medium posito, ait rex : Rogo vos, o fortissimi prælialores, ut saltem mihi vas istud (hoc enim de urceo supra memorato dicebat) extra partem concedere non abnuatis. Hæc rege dicente, illi quorum erat mens sanior, aiunt : Omnia, gloriose rex, quæ cernimus tua sunt : sed et nos ipsi tuo sumus dominio subjugati. Nunc quod tibi beneplacitum videtur, facito : nullus enim potestati tuæ resistere valet. Cum illi hæc ita dixissent, unus levis, invidus ac facilis [a], cum voce magna, elevatam bipennem urceo impulit, dicens : Nihil hinc accipies, nisi quæ tibi sors vera largitur. Ad hæc obstupefactis omnibus, rex injuriam suam patientiæ lenitate coercuit, acceptumque urceum nuntio ecclesiastico reddidit, servans abditum sub pectore vulnus. Transacto vero anno, jussit omnem cum armorum apparatu advenire phalangam, ostensuram in Campo Martio [b] suorum armorum nitorem. Verum ubi cunctos circuire deliberat, venit ad urcei percussorem, cui ait : Nullus tam inculta, ut tu, detulit arma : nam neque tibi hasta, neque gladius, neque securis [c] est utilis; et apprehensam securim ejus in terram dejecit. At ille cum paululum inclinatus fuisset ad colligendum eam, rex elevatis manibus, securim suam capiti ejus defixit. Sic, inquit, tu apud Suessionas in urceo illo fecisti. Quo mortuo, reliquos abscedere jubet, magnum sibi per hanc causam timorem statuens. Multa [d] bella, victoriasque fecit. Nam decimo regni sui anno, Thoringis bellum intulit, eosdemque suis ditionibus subjugavit.

80 XXVIII. Fuit autem et Gundeuchus [•] rex Burgundionum, ex genere Athanarici regis persecutoris, de quo supra meminimus. Huic fuerunt quatuor filii, Gundobadus, Godegiselus, Chilpericus et Godomarus. Igitur Gundobadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, uxoremque ejus, ligato ad collum lapide, aquis immersit. Hujus duas filias exsilio condemnavit : quarum senior, mutata veste Chrona [f], junior Chrotechildis [g] vocabatur. Porro Chlodovechus, dum legationem in Burgundiam sæpius mittit, Chrotechildis puella reperitur a legatis ejus. Qui cum eam vidissent elegantem atque sapientem, et cognovissent quod de regio esset genere, nuntiaverunt hæc Chlodovecho regi. Nec moratus ille, ad Gundobadum legationem dirigit, eam sibi in matrimonio petens : quod ille recusare metuens, tradidit eam viris; illique accipientes puellam, regi velocius repræsentant. Qua visa, rex valde gavisus, suo eam conjugio sociavit, habens jam de concubina filium, nomine Theodoricum.

XXIX. Igitur [h] rex ex Chrotechilde regina habuit filium primogenitum : quem cum mulier baptismo consecrare vellet, prædicabat assidue viro, dicens : Nihil sunt dii quos colitis, qui neque sibi, neque aliis poterunt subvenire : sunt enim aut ex lapide, aut ex ligno, aut ex metallo aliquo sculpti. Nomina vero quæ eis indidistis, hominum fuere, non deorum [i], ut Saturnus, qui filio, ne a regno depelleretur, per fugam elapsus asseritur; ut ipse Jupiter omnium stuprorum spurcissimus perpetrator, incestator virorum, propinquarum derisor, qui nec ab ipsius sororis propriæ potuit abstinere concubitu, ut ipsa ait : *Jovi·que et soror et conjux* (*Virg. Æneid.* lib. I). Quid Mars Mercuriusque **81** potuere? Qui potius sunt magicis artibus prædili, quam divini numinis potentiam habuere. Sed ille magis coli debet, qui cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, verbo ex non existantibus procreavit; qui solem lucere fecit, et cœlum stellis ornavit; qui aquas reptilibus, terras animantibus, aera volatilibus adimplevit; cujus nutu terræ frugibus, pomis arbores, uvis vineæ decorantur; cujus manu genus humanum creatum est; cujus largitione ipsa illa creatura omnis homini suo, quem creavit, et obsequio et beneficio famulatur. Sed cum hæc regina diceret, nullatenus ad credendum regis animus movebatur, sed dicebat : Deorum nostrorum jussione cuncta creantur ac prodeunt; Deus vero vester nihil posse manifestatur, et quod magis est, nec de deorum genere esse probatur. Interea regina fidelis filium ad baptismum exhibet : adornari ecclesiam velis præcipit atque cortinis, quo facilius vel hoc mysterio [j] provocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem [k] vocitaverunt, in ipsis,

[a] Chesn. cum Colb., *unus Francus levis*. Alii editi, *cerebrosus*.

[b] Conventus Francorum sic dicebatur, quod singulis annis kal. Martii fieri soleret in campo, quo omnes armis instructi accedere debebant. Postea *Campus Maius* dictus est, ex quo a Pippino in kal. Maii translatus est.

[c] Editi plerique, *bipennis*, et sic infra ubi occurrit vox *securis*.

[d] Sic Corb., at alii, *Multa deinde bella*, etc. Chlodoveus Thuringos devictos tributarios fecit, ut auctor Gestorum Francorum refert : nam et postmodum, etiam testante Gregorio, Thuringi suos reges habuere.

[•] Deest hoc caput in Bellov. *Gundeuchus* scribitur in Corb. et al is. Nonnulli habent *Gundivicus*. Ejusdem filii in aliquot codd. appellantur *Gundobaldus*, *Gothesilus*, seu *Godegisilus*, *Hilpericus*, etc. Bec., *Gundobaudus*. De Athanarici persecutione supra c. 4.

[f] Sic appellatur in Corb., Palat. et Colb., quibus concordat Vita sanctæ Chlotildis, ubi num. 2 legitur *Chrona*, Sæc. 1 Act. SS. Ord. Benedictini. Bec. tamen et Regm. cum plerisque editis habent, *Mucruna*; alii, *Corona*. Dicitur in Fredegarii Epitome, cap. 17 *Sedeleuba*. De qua agitur in Chronici cap. 22. Chlotildis et Chronæ matrem Agrippinam appellatam fuisse, de qua Sidonius lib. v, epist. 7, observat Savaro.

[g] Alias *Chrotchildis*, *Chrotigeldis*, *Rodieldis*, seu *Chrodieldis*, *Chrotildis*. Hodie vulgo scribitur *Clotildis*.

[h] Deest hoc caput in cod. Bell.

[i] Sic edit. Bad., at cæteri, *homines fuere, non dii*.

[j] Cod. Regm. *ministerio*.

[k] Cassin. cum aliquot edit., *Ignomerem*.

sicut regeneratus fuerat, albis [a] obiit. Qua de causa commotus felle rex, non segniter increpabat reginam, dicens : Si in nomine deorum meorum puer fuisset dicatus, vixisset utique : nunc autem quia in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere omnino non potuit. Ad hæc regina : Deo, inquit, omnipotenti, creatori omnium, gratias ago, qui me non usquequaque judicavit indignam, ut de utero meo genitum regno suo dignaretur ascire. Mihi autem dolore hujus causæ animus non attingitur, quia scio in albis ab hoc mundo vocatos, Dei obtutibus nutriendos [b]. Post hunc vero genuit alium filium, quem baptizatum Chlodomerem vocavit; et hic cum ægrotare cœpisset, dicebat rex : Non potest aliud fieri, nisi et de hoc, sicut et de fratre ejus, contingat, ut baptizatus in **82** nomine Christi vestri, protinus moriatur. Sed orante matre, Domino jubente convaluit.

XXX. Regina [c] vero non cessabat prædicare regi, ut Deum verum cognosceret, et idola negligeret; sed nullo modo ad hæc credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoveretur : in quo compulsus est confiteri necessitate, quod prius voluntate negaverat. Factum est autem, ut confligente utroque exercitu, vehementer cæderentur, atque exercitus Chlodovechi valde ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, elevatis ad cœlum oculis, compunctus corde, commotus in lacrymis, ait : Jesu Christe, quem Chrotechildis prædicat esse filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te sperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam devotus efflagito : ut si mihi victoriam super hos hostes indulseris, et expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus probasse se prædicat, credam tibi, et in nomine tuo baptizer. Invocavi enim deos meos, sed, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo : unde credo eos nullius esse potestatis præditos, qui sibi obedientibus non occurrunt [d]. Te nunc invoco, et tibi credere desidero; tantum, ut eruar ab adversariis meis. Cumque hæc diceret, Alamanni terga vertentes, in fugam labi cœperunt. Cumque regem suum cernerent interemptum, Chlodovechi se ditionibus subdunt, dicentes : Ne amplius, quæsumus, pereat populus : jam tui sumus. At ille, prohibito bello, coarctatoque populo, cum pace regressus, narravit reginæ, qualiter per invocationem nominis Christi victoriam meruit obtinere [e].

XXXI. Tunc [f] regina accersiri clam sanctum Remigium Rhemensis urbis episcopum jubet, deprecans ut regi verbum salutis insinuaret. Quem sacerdos accersitum, secretius cœpit **83** ei insinuare [g], ut Deum verum, factorem cœli et terræ crederet, idola negligeret, quæ neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait : Libenter te, sanctissime pater, audiam, sed restat unum, quod populus qui me sequitur, non patitur relinquere deos suos : sed vado et loquar eis juxta verbum tuum. Conveniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter acclamavit : Mortales deos abjicimus, pie rex, et Deum quem Remigius prædicat immortalem sequi parati sumus. Nuntiantur hæc antistiti, qui gaudio magno repletus, jussit lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptisterii divino respergitur ab odore [h]; talemque ibi gratiam astantibus Deus tribuit, ut æstimarent se paradisi odoribus collocari. Rex ergo prior poposcit se a pontifice baptizari. Procedit novus Constantinus ad lavacrum, deleturus lepræ [i] veteris morbum,

[a] *In albis*, id est intra hebdomadam in qua recens baptizati albis induti prodibant.

[b] Alii, *vocatum*, *Dei obtutibus nutriendum*.

[c] Et hoc caput deest in cod. Bellovac.

[d] Sic mss. 4; alii cum editis, *succurrunt*.

[e] Bec., Mor. s. alia manu, et alius codex ab Henschenio laudatus cum Chesn. hic habent, *Actum anno 15 regni sui*, id est anno 496 : quæ verba desumpta fuisse videntur ex libro de Gestis Francorum. In cæteris enim scriptis et editis, quos videre licuit, non habentur. Corb. tamen et Bell. in medio cap. 37, ut infra notabitur, habent, *anno 15 Chlodovechi*. Porro pugna, quæ hic memoratur, data creditur apud Tolbiacum oppidum, uti ex eodem cap. 37 colligitur.

[f] Hoc caput non exstat in cod. Bell.

[g] Sic mss.; editi vero, *cœpit instigare*.

[h] Hincmarus et qui post eum secuti sunt scriptores asserunt, chrisma hac ipsa occasione in ampulla e cœlo allatum fuisse a columba : quod etsi diserte non dicat Gregorius, innuit tamen aliquid insolitum tunc contigisse, cum ait *divino odore* locum fuisse respersum, ita ut omnes gratia Dei id tribuente sese in *Paradiso* locatos existimarent. Certe Hincmarus miraculum istud non solum in Vita S. Remigii descripsit, sed et in frequenti prælatorum, principum, populorumque conventu palam de illo, uti publice noto, locutus est apud Mettas, cum scilicet Carolum Calvum ibi in majori ecclesia regem inauguraret. Quin et ejus rei vestigium aliquod inspicitur in Vita sanctæ Chlotildis, quæ videtur ante Hincmarum scripta fuisse. Quod vero alunt a centuriatoribus Magdeburgensibus visum fuisse codicem Gregorii, in quo ampulla illa memoraretur, quem heterodoxi postea discisserunt, verisimile non videtur. At forte illi habuere præ manibus librum de Gestis Francorum a Chesnio tomo I editum, qui in nonnullis codicibus mss. Gregorio nostro tribuitur, in quo hæc historia descripta fuerit. Ejusmodi habetur unum exemplar in bibliotheca Archimonasterii Remigiani apud Rhemos, ab annis circiter 500 exaratum. Cæterum ampulla illa etiam nunc Rhemis asservatur studiosissime in archimonasterio Remigiano, ad regum nostrorum consecrationem *. Chlodoveum autem a sancto Remigio baptizatum, septiformi gratia Spiritus sancti illustratum, et ad regiam potestatem perunctum fuisse in ecclesia beatæ Mariæ Rhemensis agnovit Ludovicus Pius apud Frodoardum lib. II Histor. Rhemensis, cap. 19. Ad hanc vero baptismi sui solemnitatem, Chlodoveum, non solum sui regni, sed et cæteros episcopos catholicos invitasse colligitur ex epistola sancti Aviti ad ipsum Chlodoveum, quam in Appendice ad hunc tomum reperies.

[i] Colb. ad marginem hæc habet, ab annis circ. 400 addita : *Ecce iste historiographus concordat cum Historia sancti Silvestri de lepra Constantini mundata in fonte baptismi*. Et quidem certum videtur ex hoc loco, ubi etiam Chlodoveus Constantino et sanctus Remigius beato Silvestro comparantur, tunc temporis

* Non nisi in nostrate histo ia peregrinus nescit, sacram ampullam a *Conventionis* satellitibus effractam periisse; chrismatis autem particulam a viro quodam honorabili religiose collectam deinque celatam, tandem, redivivo Clodovæi throno, novæ fuisse creditam ampullæ quæ Carolo X in regem consecrando inserviit. EDIT.

sordentesque maculas 84 gestas antiquitus [a] recenti latice deleturus. Cui ingresso ad baptismum sanctus Dei sic infit ore facundo : Mitis depone colla, Sicamber [b] : adora quod incendisti, incende quod adorasti. Erat enim sanctus Remigius episcopus egregiæ scientiæ, et rhetoricis adprime imbutus studiis [c] : sed et sanctitate ita prælatus, ut sancti Sylvestri virtutibus æquaretur. Est enim nunc liber Vitæ ejus, qui eum narrat mortuum suscitasse. Igitur rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, delibutusque sacro chrismate cum signaculo crucis Christi. De exercitu vero ejus baptizati sunt amplius tria millia. Baptizata est et soror ejus Albofledis [d] ; quæ non post multum tempus migravit ad Dominum : pro qua cum rex contristaretur, sanctus Remigius consolatoriam misit ei epistolam, quæ hoc modo sumpsit exordium : « Angit me et satis me angit vestræ causa tristitiæ, quod bonæ memoriæ germana vestra transiit Albofledis. Sed de hac re consolari possumus, quia talis de hoc mundo migravit, ut suspici magis debeat quam 85 lugeri. » Conversa est enim et alia soror ejus, Lanthechildis [e] nomine, quæ in hæresim Arianorum dilapsa fuerat, quæ confessa æqualem Filium Patri et Spiritum sanctum, chrismata est.

XXXII. Tunc Gundobadus et Godegiselus fratres regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Massiliensi provincia retinebant. Erant autem tam illi, quam populi eorum, Arianæ sectæ subjecti. Cumque se invicem impugnarent, audiens Godegiselus Chlodovechi regis victorias, misit ad eum legationem occulte, dicens : Si mihi ad persequendum fratrem meum præbueris solatium [f], ut eum bello interficere, aut de regno ejicere possim, tributum tibi, quale tu ipse velis injungere, annis singulis dissolvam. Quod ille libenter accipiens, auxilium ei ubicunque necessitas posceret, repromisit. Et statuto tempore contra Gundobadum exercitum commovit. Quo audito Gundobadus, ignorans dolum fratris, misit ad eum, dicens : Veni in adjutorium meum, quia Franci se commovent contra nos, et regionem nostram adeunt ut eam capiant : ideoque simus unanimes adversus gentem inimicam nobis, ne separati ab invicem, quod aliæ gentes passæ sunt perferamus. At ille : Vadam, inquit, cum exercitu meo, et tibi auxilium præbebo. Moventesque simul hi tres exercitum, id est Chlodovechus contra Gundobadum, et Godegiselum [g] cum omni instrumento belli, ad castrum, cui Divione nomen est, pervenerunt. Confligentesque super Oscaram [h] fluvium, Godegiselus Chlodovecho conjungitur, ac uterque exercitus Gundobadi populum atterit. At ille dolum fratris, quem non suspicabatur, advertens, terga dedit, fugamque iniit, Rhodanitidesque ripas 86 paludesque percurrens, Avenionem urbem ingreditur. Godegiselus vero obtenta victoria, promissa Chlodovecho aliqua parte regni sui, cum pace discessit, Viennamque triumphans, tanquam si jam totum possideret regnum, ingreditur. Auctis adhuc Chlodovechus rex viribus, post Gundobadum abiit, ut eum de civitate extractum interimeret. Quod ille audiens, pavore perterritus, metuebat ne ei mors repentina succederet. Habebat tamen secum virum illustrem Aridium [i], strenuum atque sapientem, ad quem ad se accersitum ait : Vallant me undique angustiæ, et quid faciam

jam invaluisse opinionem de baptizato Romæ Constantino per beatum Silvestrum, lepraque ejus mundata. Sed et S. Silvestri acta in Decreto Gelasi irrecensentur. Porro in codice Reg., post hæc verba *a pontifice baptizari*, una fere pagina vacua relinquitur : tum sequens incipit, quasi textum continuatura per verba sequentia, *Procedit hic novus Constantinus*, quæ cum medio capitis sequentis conjunguntur sic prosequendo, *inquit cum exercitu meo tibi auxilium*, etc.

[a] Sic Corb. et Reg. ; alii, *gestorum antiquorum*.

[b] De Sicambrorum gente fusius agit Browerus in notis ad carmen 4 libri VI Fortunati.

[c] Vide Apollinaris Sidonii epistolam 7 libri IX, ad ipsum Remigium directam. De eodem Avitus in Collatione episcoporum coram rege Gundobado : *Providente Domino Ecclesiæ suæ, et inspirante pro salute totius gentis cor domni Remigii, qui ubique altaria destruebat idolorum, et veram fidem potenter cum multitudine signorum amplificabat, factum est ut episcopi*, etc. Sic etiam exteris Remigii apostolatus ut lis erat. Nihil porro superest ex ejus scriptis, præter aliquot epistolas ; nam Commentarii in sacram Scripturam, qui vulgo ipsi tribuuntur, sunt ipsius ætate multo recentiores. Vita autem ejus, a Gregorio hic laudata, quæ a Fortunato descripta creditur, etiam nunc exstat, sed brevior est quam ut tam eximii viri, regum et gentis nostræ apostoli, gestis describendis par sit, in qua ne unum quidem verbum de Francorum conversione, aut Chlodovei baptismo. Hinc mirum non est, si Gregorius plura de his rebus non dixerit. Prolixiorem scripsit Hincmarus, nullusque ferme auctor exstitit, qui hunc sanctissimum virum laudibus non fuerit prosecutus.

[d] Colb., et infra *Albfledis*. Epistolam hic laudatam, ex qua patet Albofledem virginitatem suam Deo consecrasse, in Appendice referemus integram.

[e] Sic Corb. ; alii *Lantildis*. Solius chrismationis in Arianorum reconciliatione meminit passim Gregorius, sicut nec hodie in conferendo confirmationis sacramento, vix aliqua fit mentio impositionis manuum, quæ tamen omnino necessaria est ; sic et tunc impositionem manuum præter chrismationem adhibitam fuisse extra dubium videtur, ne si aliquis absque ea ab hæresi veniens reciperetur, *tanquam extra omnem culpam*, uti loquitur Augustin. lib. V de Baptismo contra Donatistas, cap. 23, *esse judicaretur*. Vide Morinum de Pœnitentia lib. IX, cap. 10, et Cointium tom. I Annal. eccles. Franc.

[f] Sic Corb. et Bec. ; cæteri, *auxilium*. Et quidem fere semper pro *auxilio* in vetustioribus mss. *solatium* habetur.

[g] Sic Corb., Bec. et Reg., melius quam cæteri, qui habent *Godegiselus*. Tunc enim duo fratres conjuncti simul adversus Chlodoveum videbantur, nondum detecta Godegisili proditione.

[h] Edit. Bad. mendose *Isaram*. Oscara nempe fluvius est Burgundiæ, vulgo *Ouche*, qui Divionem aliaque loca præterlapsus, ad S. Joannem de Latona in Ararim defluit. Hæc autem, Patricio et Hypatio coss., id est anno 500, contigisse scribit Marius in Chronico.

[i] Sic fere omnes mss. ; editi vero plerique cum Bec., *Arædium*. Is est, ni fallor, qui memoratur in collatione episcoporum coram rege Gundobado, de qua infra ad cap. 34. Vid. Fredeg. Epitom. cap. 18.

ignoro, quia venerunt hi Barbari super nos, ut nobis interemptis regionem totam evertant. Ad hæc Aridius ait : Oportet te lenire feritatem hominis hujus, ne pereas. Nunc ergo si placet in oculis tuis, ego a te fugere, et ad eum transire consimulo ; cumque ad eum accessero, ego faciam ut neque te, neque hanc evertat [a] regionem. Tantum, ut quod tibi per meum consilium demandaverit implere studeas, donec causam tuam Dominus prosperam facere sua pietate dignetur. Et ille : Faciam, inquit, quæcunque mandaveris. Hæc eo dicente, valedicens Aridius discessit, et ad Chlodovechum regem abiens, ait : Ecce ego humilis servus [b] tuus, piissime rex, ad tuam potentiam venio, relinquens illum miserrimum Gundobadum. Quod si me pietas tua respicere [c] dignatur, integrum in me famulum atque fidelem, et tu, et posteri tui habebitis. Quem ille promptissime colligens, secum retinuit : erat enim jocundus in fabulis, strenuus in consiliis, justus in judiciis, et in commisso fidelis. Denique Chlodovecho cum omni exercitu circa muros urbis residente, 87 ait Aridius : Si dignaster, o rex, gloria celsitudinis tuæ paucos humilitatis meæ sermones velit accipere, consilio licet non egeatis, tamen fide integra ministrabo ; idemque vel tibi congruum, vel civitatibus erit, per quas transire deliberas. Cur, inquit, retines exercitum, cum loco firmissimo tuus resideat inimicus? Depopularis agros, prata depascis, vineas dissecas [d], oliveta succidis, omnesque regionis fructus evertis : interim et illi nocere non prævales. Mitte potius legationem, et tributum, quod tibi annis singulis dissolvat, impone ; ut et regio salva sit, et tu tributa dissolventi perpetuo domineris : quod si noluerit, tunc quod libuerit facies. Quo consilio rex accepto, hostem [e] redire jubet ad propria. Tunc missa legatione ad Gundobadum, ut ei per singulos annos tributa imposita reddere debeat, jubet. At ille et de præsenti solvit, et deinceps soluturum esse se promittit.

XXXIII. Posthæc resumptis viribus, jam despiciens regi Chlodovecho tributa promissa dissolvere, contra Godegiselum fratrem suum exercitum commovit, eumque apud Viennam civitatem inclusum obsedit. Verum ubi minori populo alimenta deficere cœperunt, timens Godegiselus, ne ad se usque fames extenderetur, jussit expelli minores populi ab urbe. Quo facto expulsus est inter cæteros artifex ille ab urbe, cui de aquæductu cura manebat. Ille vero indignans, quod fuerit ejectus ab urbe cum cæteris, ad Gundobadum furibundus vadit, indicans qualiter civitatem irrumpens, ultionem exerceret in fratrem. Illo quoque duce, exercitu per aquæductum directo, multis cum ferreis vectibus præcedentibus, erat autem spiraculum illius lapide magno conclusum, quo cum vectibus illis per magisterium artificis repulso, civitatem introeunt : 88 illisque de muro sagittantibus, hi terga præveniunt [f]. Dato autem de medio civitatis sono buccinæ, obsidentes portas capiunt, apertisque pariter ingrediuntur. Cumque inter duas has acies populus urbis ab utroque exercitu cæderetur, Godegiselus ad ecclesiam hæreticorum confugit, ibique cum episcopo Ariano interfectus est. Denique Franci, qui apud Godegiselum erant, in unam se turrim congregant. Gundobadus autem jussit, ne uni quidem ex ipsis aliquid noceretur : sed apprehensos eos Tolosæ in exsilium ad Alaricum regem transmisit, interfectis senatoribus, Burgundionibusque qui Godegiselo consenserant. Ipse vero regionem omnem, quæ nunc Burgundia dicitur, in suo dominio restauravit. Burgundionibus leges [g] mitiores instituit, ne Romanos opprimerent.

XXXIV. Cum autem cognovisset assertiones hæreticorum nihil esse, a sancto Avito episcopo Viennensi [h], Christum Filium Dei et Spiritum sanctum æqualem Patri confessus, clam ut chrismaretur expetiit. Cui ait sacerdos : Si vere credis, quod nos ipse Dominus edocuit debes exsequere [i]. Ait autem, *Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis* (*Matth.* x, 32 *et* 33). Sic et ipsis sanctis ac dilectis suis beatis apostolis [k], cum de futuræ persecutionis tentationibus doceret, insinuavit, dicens : *Attendite vobis ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et præsides stabitis propter me in testimonium illis, et omnibus* [l] *gentibus* (*Matth.* x, 17). Tu vero cum sis rex, et a nullo apprehendi formides, seditionem pavescis populi, ne Creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc stultitiam, et quod corde te dicis 89 credere, ore profer in plebe. Sic etenim et beatus Apostolus ait : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio*

[a] Hic omissis aliquot capitibus, nonnullis etiam detritis, cod. Bellov. textum resumit.

[b] In Bell. et Bec. deest *servus*.

[c] Aliquot scripti et ed., *recipere*.

[d] Sic mss. omnes præter Colb. qui habet *desecas*. Plerique editi cum Bec., *dissipas*.

[e] Sic mss. Bell. et Corb. ; at alii habent *hostem patriæ redire*, etc. Sed hic *hostis* nomine exercitus signatur, quem nostrates superioribus sæculis vernacule *l'host* appellare consueverant.

[f] Aliquot mss. et ed., *premunt*.

[g] Leges illæ etiam nunc ab institutore nomen habent, vulgo *les Gombettes*. Lex Gundebada in Caroli Magni Capitularibus, et apud Agobardum laudatur. Habentur in codice legum antiquarum, quem publici juris fecit Fridericus Lindenbrogius.

[h] In Collatione scilicet publica inter catholicos episcopos et Arianos, præsente rege et regni proceribus, Lugduni habita, quam infra in Appendice referemus. Vide et ejusdem S. Aviti epistolam 2 apud Sirmondum.

[i] Sic Corb., Bell., Cas. et Bec. ; at Regm. habet *debes exsequi*. Cæteri omittunt vocem *debes*.

[j] Hæc usque ad *sic et ipsos*, non habentur in Regm. et Bec., in quibus, cum frequentia sunt ejusmodi Scripturæ loca, ut plurimum omittuntur.

[k] Colb. cum plerisque editis, *Sic et ipsos sanctos ac dilectos suos beatos apostolos*.

[l] Vox *omnibus* deest in plerisque mss. et edit., sed habetur in vetustioribus.

fit ad salutem [a] (*Rom.* x, 10). Sic et Propheta ait : *Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te* (*Psalm.* xxxiv, 18). Et iterum : *Confitebor tibi in populis, Domine, psalmum dicam nomini tuo inter gentes* (*Psalm.* lvi, 10). Metuens enim populum, o rex, ignoras quia satius est, ut populus sequatur fidem tuam, quam tu infirmitati faveas populari ? Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum profliciscaris, tu præcedis catervas hostium, et illæ quo abieris subsequuntur. Unde melius est, ut te præcedente cognoscant veritatem, quam te pereunte permaneant in errore. Nam *Deus non irridetur* (*Gal.* vi, 7) : nec enim diligit illum, qui propter terrenum regnum eum non confitetur in sæculo. Ista ille ratione confusus, usque ad exitum vitæ suæ in hac insania perduravit, nec publice æqualitatem Trinitatis voluit confiteri. Magnæ enim facundiæ erat tunc temporis beatus Avitus : namque insurgente hæresi apud urbem Constantinopolitanam, tam illa quam Eutyches [b], quam illa quam Sabellius docuit, id est nihil divinitatis habuisse Dominum nostrum Jesum Christum, rogante Gundobado rege, ipse contra eos scripsit. Exstant exinde nunc apud nos epistolæ admirabiles, quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc Ecclesiam Dei ædificant [c]. Scripsit enim Homiliarum librum unum de mundi principio, et de diversis aliis conditionibus libros sex, versu compaginatos ; Epistolarum libros novem, inter quas supradictæ continentur epistolæ. Refert enim in quadam homilia, quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis dominicæ triumphum celebramus, a Mamerto ipsius Viennensis **90** urbis episcopo [d], cui et hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum urbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræ motu frequenter quatiebatur : sed et cervorum atque lupo-

A rum feritas portas ingressa, per totam, ut scripsit, urbem nihil metuens oberrabat. Cumque hæc per anni circulum gererentur, advenientibus Paschalis solemnitatis diebus, exspectabat misericordiam Dei plebs tota devote, ut vel hic magnæ solemnitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum Missarum celebrarentur solemnia, subito palatium regale intramuranеum divino igne succenditur, pavore omnibus perterritis, et ecclesiam egressis, credentibus ne aut hoc incendio urbs tota consumeretur, aut certe disrupta tellure dehisceret, sanctus sacerdos prostratus ante altare, cum gemitu et lacrymis Domini misericordiam imprecatur. Quid plura ? penetravit excelsa poli oratio pontificis inclyti, restinxitque domus incendium flumen

B profluentium lacrymarum. Cumque hæc agerentur, appropinquante Ascensione, ut jam diximus, majestatis dominicæ, indixit populis jejunium, instituit orandi modum, edendi seriem [e], erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoque exinde terroribus, per cunctas provincias dispersa facti fama, cunctos sacerdotes imitari commonuit, quod sacerdos fecit ex fide : quæ usque nunc in Christi nomine per omnes Ecclesias in compunctione cordis et contritione spiritus celebratur.

XXXV. Igitur Alaricus rex Gothorum, cum videret Chlodovechum regem gentes assidue debellare, legatos ad eum dirigit, dicens : Si frater [f] meus velit, insederat animo ut nos Deo propitio pariter videremus. **91** Quod Chlodovechus non respuens, ad

C eum venit. Conjunctique in insula Ligeris, quæ erat juxta vicum Ambaciensem [g] territorii urbis Turonicæ, simul locuti, comedentes pariter ac bibentes, promissa sibi amicitia pacifici discesserunt.

XXXVI. Multi jam tunc ex Gallиis habere Francos dominos summo desiderio cupiebant. Unde [h] factum

D

[a] Bellov., *in salutem*.

[b] Nonnulli, *Eutices*, aut *Euticis* ; plerique *Euthicus*. Bell. et Bec., *tam illam, quam Eutiches quamque Sabellius*. Legendum forte *Nestorius*, pro *Sabellius*. Nulla tamen in epistola 2 ad Gundebadum, quæ tota est de hac re. Nestorii fit mentio, licet ibi ejus errores, quos etiam quandoque Eutycheti tribuit, fuse refellat ; vide et epist. 3 et 28. Certe perseveravit in Gallicanæ Ecclesiæ Patribus illud fidei orthodoxæ studium, qui in concilio Aurelianensi v, anno 549, canone 1, Eutychetis et Nestorii prava dogmata cum exsecrationibus damnarunt et anathematizaverunt.

[c] Præter epistolas 88, aliquot S. Aviti opuscula edidit V. Cl. Jac. Sirmondus, et inter illa homiliam de Rogationibus hic laudatam, quam etiam in vet. mss. reperimus. Ejusdem vita habetur tom. I Bibliot. novæ Labbei. Illius vero festum celebratur die 5 Februarii, ad quem diem plura de eo habent Bollandiani.

[d] Idem testatur Sidonius lib. v, epist. 14, et lib. vii, epist. 1 ; Cæsarius Arelat., homilia 33, et alii passim auctores, qui subsecuti sunt. Vide et concil. Aurelian. I, can. 27, etc. Quoties autem et quo ritu fierent, vel quid his diebus in ecclesia legeretur, exponit Mabillonius noster libro II de Liturgia Gallicana, pag. 152, in notis ad num. 55 et seqq. duos Lectionarii Gallicani, qui toti sunt de Rogationibus. Mamerti festum colitur die 11 Maii. Vide infra lib. de Mirac. sancti Juliani, cap. 2.

[e] Frecherus legendum putat *legendi seriem*. Hic Gregorius notat tres religiosi jejunii conditiones, quibus fiat utile. Rogationes appellat ipse Avitus *festivitatem operosissimam*.

[f] Vetus est, sacris Scripturis, et vetustis auctoribus approbata, quæ etiam nunc perseverat, consuetudo, ut reges sese mutuo fratres dicant : quod jam viri eruditi non semel observarunt. Cujus rei exempla proferunt viri clariss. Stephanus Baluzius, et Gisb. Cuperus in notis ad cap. 8 Lactantii de Mortibus persec., et Mabillonius lib. II de Re diplomat., cap. 2, num. 15. Ego vero, ut de nostra solummodo gente loquar, laudabo ex lib. I Marculfi formulam nonam, quæ est *Indiculus ad alium regem cum legatio dirigitur* ; sic autem inscribitur : *Domino glorioso, atque præcellentissimo fratri, illi regi, in Dei nomine ille rex.*

[g] Chesn., *Ambaciacensem*. Oppidum istud etiam nunc celebre est, vulgo *Amboise*, dictum, ad confluentes Ligeris et Amatissæ, l'*Amasse*, situm. De hoc oppido sic loquitur Severus Sulpic. dial. 3 : *In vico Ambatiensi, id est castello illo veteri, quod nunc frequens habitatur a fratribus*, etc. Hæc ipsa creditur esse insula, quæ hodieque prope Ambaciam viridi arboribus consita, vulgo insula Sancti Joannis dicta.

[h] *Unde* et quæ sequuntur ad caput sequens desunt in Corb. et Bell. Quintianum non nisi post Chlodovei obitum e sua sede pulsum fuisse contendit Valesius lib. VI rerum Francic., quem, si lubet, consule.

fessor cum oleo benedicto contrectans, imposito signo crucis restituit sanum : ejusque obtentu monasterium permansit illæsum. Multasque et alias virtutes operatus est, quas si quis diligenter inquiret, librum Vitæ [a] illius legens, cuncta reperiet [b]. Interea Chlodovechus rex cum Alarico rege Gothorum in campo Vogladense [c], decimo ab urbe Pictava milliario convenit : et confligentibus his eminus, resistunt [d] cominus illi. Cumque secundum consuetudinem Gothi terga vertissent, ipse rex Chlodovechus victoriam, Domino adjuvante, obtinuit. Habebat autem in adjutorium suum filium Sigiberti Claudi, nomine Chlodericum. Hic Sigibertus [e] pugnans contra Alamannos apud Tulbiacense oppidum percussus in geniculo claudicabat. Porro rex, cum fugatis Gothis Alaricum regem interfecisset, duo ex adverso subito advenientes, cum contis utraque ei latera feriunt. Sed auxilio tam loricæ, quam velocis equi, ne periret exemptus est. Maximus ibi tunc Arvernorum populus, qui cum Apollinare [f] venerat, et primi [*Forte* plurimi] qui erant ex senatoribus corruerunt. De hac pugna Amalaricus filius Alarici in Hispaniam fugit, regnumque patris sagaciter occupavit [g]. Chlodove-

A chus 95 vero filium suum Theudericum [h] per Albigensem ac Ruthenam civitatem ad Arvernis dirigit. Qui ablens urbes illas, a finibus Gothorum usque Burgundionum terminum, patris sui ditionibus subjugavit. Regnavit autem Alaricus viginti duos annos. Chlodovechus vero apud Burdegalensem urbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici a Tolosa auferens, Ecolismam [i] venit. Cui Dominus tantam gratiam tribuit, ut in ejus contemplatione muri sponte corruerent. Tunc exclusis Gothis urbem suo dominio subjugavit. Patrata posthæc victoria, Turonis regressus est [j], multa sanctæ basilicæ beati Martini munera offerens.

B XXXVIII. Igitur Chlodovechus ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu accepit, et in basi ea beati Martini tunica blatea [k] indutus est et chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc ascenso equite [l] aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii basilicæ beati Martini et ecclesiam civitatis est, præsentibus populis manu propria spargens, voluntate benignissima erogavit, et ab ea die tanquam consul aut [m] Augustus est vocitatus. Egressus autem

[a] Vitam sancti Maxentii e 2 codd. mss. editam habes tom. I Actor. SS. Ordinis Benedictini, pag. 578, quam consule. Exstat etiam nunc monasterium istud cum oppido cognomini. Ordini nostro sub nostra S. Mauri Congregatione subjectum, a Calvinianis diruium, restauratumque paucis ab hinc annis : ubi abbas fuit S. Leodegarius martyr et episcopus Æduensis, qui et ibi post mortem diu jacuit.

[b] Hic in Corb. et Bellov. interseruntur hæc verba, *Anno quinto decimo Chlodovechi*, et quidem prima manu ; constare tamen vide ur pugnam hanc anno 26 Chlodovei, id est vulgaris æræ 507, commissam fuisse. Vide supra notas ad cap. 30.

[c] Aliquot mss. et editi, *Vocladense*. Vulgo dicitur *Vouillé*, quod oppidum est ad Clennum fluvium, tribus leucis ab urbe Pictavensi dissitum. Colb. habet *Dubiacense*.

[d] Alii mss., *consistunt*. Regm., *hii eminus*.

[e] Sigibertus Coloniæ Agrippinæ sedem habebat, a qua Tolbiacum, hodie *Zullich*, seu *Zulg*, quatuor circiter leucis distat, ubi celebre prælium inter Alamannos et Chlodoveum, quod Francorum conversioni occasionem præbuit, commissum est. Existimat tamen Henschenius bellum istud prope Argentoratum confectum fuisse, quod exinde Chlodoveus Rhemos accedens, Tullo transierit. Sed Chlodoveus devictis Alamannis eos est prosecutus, ita ut jam Rhemos properanti Tullo transire debuerit. V. Vales. lib. VI Rer. Franc.

[f] Hic erat sancti Apollinaris Sidonii filius, ante episcopatum ex matrimonio legitimo procreatus, de quo Gregorius in libro III, cap. 2, et lib. I de Gloria Mart., cap. 45, etc.

[g] Occiso Alarico Gezalicus ejus filius regni paterni partem occupavit, Theodoricus vero M. Ostrogothorum rex alteram rexit, post cujus mortem Amalaricus, aliis *Amalricus*, seu *Almaricus*, ex Theudichusa, seu Theodogotha ejusdem Theodorici filia, Alarici filius regnare cœpit. Auctor Anonymus Historiæ Cæsareæ a Constantio Chloro ad Theodoricum Italiæ regem, hæc habet de eodem Theodorico : *Postea accepit uxorem de Francis, nomine Augofladam. Nam uxorem habuit ante regnum, de qua susceperat filias : unam dedit, nomine Arevagni, Alarico regi Wisigotharum in Gallia, et aliam filiam suam Theodegotham Sigismundo filio Gundebadi regis.* Econtra Jornandes, cap. 58, et Historia Miscella : *Antequam de Audefloda (Lodoin Francorum regis filia) so olem haberet, naturales ex concubina, quas genuisset adhuc in Mesia, filias habuit, unam nomine Theudicodo, et aliam Ostrogotho, quas mox ut in Italiam venit, regibus vicinis in conjugio copulavit, id est unam Alarico Vesegotharum, et aliam Sigismundo Burgundionum.* Et Procopius, libro I Belli Gothici, Theodoricus *Alarico filiam suam virginem despondit Theudichusam.* Anonymus paulo post locum laudatum Amalabergam Hermenefridi Thoringorum regis uxorem, ejusdem Theodorici *germanam* appellat : tamen ex Procopio, Historia Miscella, immo et ipso Cassiodoro, lib. IV, epist. 1, Amalaberga fuit Theodorici ex Amalafrida sorore neptis.

[h] Sic scribitur in vetustioribus codd. ; alii habent *Theodericus*, seu *Theodoricus*.

[i] Alii scribunt *Encolismam*, *Ecolisinam*, seu *Engolismam*. Urbs est episcopalis, vulgo *Angoulême*, satis nota.

[j] Regm., *est ingressus*. Cæterum Chlodoveus cum bellum istud pararet, a sancto Remigio admonitus, a rebus sacris inviolabiliter abstinendum omnibus mandavit, quæ res ei conciliavit a Deo adversus hostes victoriam. S. Remigii epistola, et ea quam peracto bello ipse Chlodoveus ad episcopos de hac re scripsit, etiam nunc supersunt, quas in Appendice referemus, simul cum charta de conditione monasterii Micaensis, quam idem rex in *nomine sanctæ æqualis et consubstantialis Trinitatis* se concessisse testatur.

[k] Bec. et Mor. s., *tunica*, *baltheo*. Retinenda nostra lectio. Tunicæ enim blateæ nomine vestis purpurea indicatur, quæ maxime consulem et Augustum decebat. Blata seu blatta purpuram significari patet ex vetustis glossariis antiquisque auctoribus, quos videsis apud Savaronem in notis ad lib. IX, epist. 13, Sidonii, et alibi passim, Brouverum in Fortunati lib. II, carm. 5, Hugonem Menardum in sacramentarium S. Gregorii, etc. Hinc senatus *blattifer* dicitur Sidonio.

[l] Sic Corb., Bell. et alii scripti vetustiores, qui hic et alias fere semper equos hominibus ferendis destinatos *equites* appellant. Editi et aliquot scripti, *equo*.

[m] Editi, *consul et Augustus*. Contendit Cointius ad annum 508 Gregorium his verbis voluisse Chlodoveum in consortium imperatoriæ dignitatis ab Anastasio fuisse admissum, cum a Justiniani tempore

Hoc sibi suoque Farroni sufficere. Pro qua re Franci maxima indignatione tumebant. Unde factum est, ut datis aureis sibi [a] armillis, vel baltheis, Chlodovechus, sed to um assimilatum auro (erat enim æreum deauratum sub dolo factum), hæc dedit laudibus [b] ejus, ut super eum invitaretur [c]. Porro cum exercitum contra eum commovisset, et ille speculatores plerumque ad cognoscendum transmitteret, reversis nuntiis interrogat, quam valida hæc manus foret. Qui responderunt : Tibi tuoque Farroni maximum est supplementum. Veniens autem Chlodovechus, bellum contra eum instruit. At ille devictum cernens exercitum suum, fuga labi parat : sed ab exercitu comprehensus, ac ligatis post tergum manibus, in conspectu Chlodovechi una cum Richario [d] fratre suo perducitur. Cui ille : Cur, inquit, humiliasti genus nostrum, ut te vinciri permitteres? Melius enim tibi fuerat mori. Et elevatam securim capiti ejus defixit. Conversusque ad **99** fratrem ejus, ait : Si tu solatium [*Al.* auxilium] fratri tribuisses, alligatus utique non fuisset. Similiter et hunc securi percussum interfecit. Post quorum mortem, cognoscunt proditores eorum, aurum quod a rege acceperant esse adulterum. Quod cum regi dixissent, ille respondisse fertur : Merito, inquit, tale aurum accipit, qui dominum suum ad mortem propria voluntate deducit. Hoc illis quod viverent debere sufficere, ne male proditionem dominorum suorum luituri inter tormenta deficerent. Quod illi audientes, optabant gratiam adipisci : illud sibi asserentes sufficere si vivere mererentur. Fuerunt autem supradicti reges, propinqui hujus : quorum frater, Ilignomeris [e] nomine, apud Cenomannis civitatem, ex jussu Chlodovechi interfectus est. Quibus mortuis, omne regnum eorum et thesauros Chlodovechus accepit. Interfectisque et aliis multis regibus, vel parentibus suis primis, de quibus zelum habebat, ne ei regnum auferrent, regnum suum per totas Gallias dilatavit. Tamen congregatis suis, quadam vice [f] dixisse fertur de parentibus, **100** quos ipse perdiderat : Væ mihi, qui tanquam peregrinus inter extraneos remansi, et non habeo de parentibus, qui mihi, si venerit adversitas, possit aliquid adjuvare. Sed hoc non de morte horum condolens, sed dolo dicebat, si forte potuisset adhuc aliquem reperire, ut interficeret.

XLIII. His ita transactis, apud Parisios obiit; sepultusque in basilica sanctorum Apostolorum [g] quam cum Chrotechilde regina ipse construxerat. Migravit autem post Vocladense bellum anno quinto. Fueruntque omnes dies regni ejus, triginta anni. Ætas [h] tota, quadraginta quinque anni. A transitu ergo sancti Martini, usque ad transitum Chlodovechi regis, qui fuit undecimus annus episcopatus Licinii Turonici sacerdotis, supputantur anni centum duodecim. Chrotechildis autem regina, post mortem viri sui Turonis venit : ibique ad basilicam sancti Martini deserviens, cum summa pudicitia atque benignitate in hoc loco commorata est omnibus diebus vitæ suæ, raro Parisios visitans.

Explicit liber secundus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. De filiis Chlodovechi.
II. De episcopatu Dinifii, Apollinaris, atque Quintiani.
III. Quod Dani Gallias appetierunt.
IV. De Thoringorum regibus.
V. Quod Sigimundus filium suum interemit.
VI. De interitu Chlodomeris.
VII. De bello contra Thoringos, et eorum strage.
VIII. De interitu Hermenefridi.
IX. Quod Childebertus Arvernis abiit.
X. De interitu Amalrici.
XI. Quod Childebertus et Chlothacharius in Burgundias, Theudericus Arvernis abiit
XII. De excidio regionis Arvernæ.
XIII. De Lovolautro et Meroliacensi castro.
XIV. De interitu Munderici.
XV. De captivitate Attali.
XVI. De Sigivaldo.
XVII. De episcopis Turonicis.
XVIII. De interitu filiorum Chlodomeris.

[a] Sic Colb. et Chesn.; alii ed. et mss., *sive armillis*.

[b] Sic Chesn. et mss. omnes, præter Regin. qui habet *legatis*. Editi plerique, *proditoribus*. Retinenda vox *Laudibus*. Laudes seu fideles suos appellabant reges nostri vassallos suos, maxime nobiliores, qui nulli præterquam principi obnoxii erant; postea barones appellati fuerunt. Vide Bignonium in formulas Marculfi lib. I, cap. 40, qui jam antea, cap. 18, eosdem *Austrustiones* quoque fuisse nominatos observavat. Demum *Vassi* aut *Vassalli* dicti fuerunt. Vide Glossarium Cangii.

[c] Ed. omnes, *inimicarentur*.

[d] Cod. Regm., *Rachanario*.

[e] Alii cum Bell., *Reguomeris*, et paulo infra codices aliquot, *Cinomannis*. Editi 4, *Cenomannium*.

[f] Regm. addit *fidelibus suis*.

[g] Hæc modo sanctæ Genovefæ appellatur, quod ibi sepulta virgo sacratissima multis miraculis claruerit : estque abbatia celebris canonicorum Regularium ordinis S. Augustini, quos ex Victorina abbatia deductos ibi locavit Sugerius abbas S. Dionysii.

[h] Hæc verba, *ætas tota 45 anni*, desunt in codd. Corb. et Regm. Obiit Chlodoveus æræ vulgaris anno 511, qui nec annus 112 post obitum sancti Martini fuit, si verum sit hunc anno 397 ad superos abiisse; nec Licinii episcopi 11, cum Leo diaconus nomine Veri episcopi, qui Licinii decessor fuit, concilio Agathensi anno 506 subscripserit.

XIX. De sancto Gregorio Lingonensi, et situ Divionensis castri.
XX. Quod Theudebertus Wisigardem desponsavit.
XXI. Quod Theudebertus in Provinciam abiit.
XXII. Quod postea Deotheriam accepit.
XXIII. De interitu Sigivaldi, et fuga Givaldi.
XXIV. Quod Childebertus Theudebertum muneravit.
XXV. De bonitate Theudeberti.
XXVI. De interitu filiæ Deotheriæ.
XXVII. Quod Theudebertus Wisigardem accepit.
XXVIII. Quod Childebertus cum Theudeberto contra Chlothacharium abiit.
XXIX. Quod Childebertus et Chlothacharius in Hispanias abierunt.
XXX. De regibus Hispanorum.
XXXI. De filia Theodorici regis Italici.
XXXII. Quod Theudebertus in Italiam abiit.
XXXIII. De Asterio et Secundino.
XXXIV. De munere Theudeberti circa Viridunenses cives.
XXXV. De interitu Sirivaldi.
XXXVI. De obitu Theudeberti, et de interitu Parthenii.
XXXVII. De hyeme gravi.

LIBER TERTIUS.

Prologus.

103 Velim, si placet, parumper conferre, quæ A Christianis beatam confitentibus Trinitatem prospera successerint, et quæ hæreticis eamdem scindentibus fuerint in ruinam. Omittamus autem qualiter illam Abraham veneratur ad ilicem, Jacob prædicat in benedictione, Moyses cognoscit in sente, populus sequitur in nube, eamdemque pavescit in monte; vel qualiter eam Aaron portat in logio, aut David vaticinatur in psalmo, orans innovari se per Spiritum rectum, nec sibi auferri Spiritum sanctum, atque se confirmari per Spiritum principalem (*Psalm.* L, 12-14). Magnum et ego hic cerno mysterium, quod scilicet quem hæretici minorem asserunt, principalem vox prophetica nuntiavit. Sed his, ut diximus, omissis, ad nostra tempora revertamur. Arius enim, qui hujus iniquæ sectæ primus iniquusque inventor B fuit, interioribus in secessum depositis, infernalibus ignibus subditur: Hilarius vero beatus individuæ Trinitatis defensor, propter **104** hanc in exsilium deditus, et patriæ paradiso restauratur. Hanc Chlodovechus rex confessus, ipsos hæreticos adjutorio ejus oppressit, regnumque suum per totas Gallias dilatavit: Alaricus hanc denegans, a regno et populo, atque ab ipsa, quod majus est, vita mulctatur æterna. Dominus autem se vere credentibus, etsi insidiante inimico aliqua perdant, hic centuplicata restituit: hæretici vero, nec acquirunt [a], sed quod videntur habere, aufertur ab eis. Probavit hoc Godegiseli, Gundobadi, atque Godomari interitus, qui et patriam simul et animas perdiderunt [b]. Nos vero unum atque invisibilem, immensum, incomprehensibilem, inclytum, perennem atque perpetuum Dominum confitemur, unum in Trinitate propter personarum numerum, id est Patris et Filii et Spiritus sancti: confitemur et trinum in unitate, propter æqualitatem substantiæ, deitatis, omnipotentiæ, vel virtutis: qui est unus summus atque omnipotens Deus in sempiterna sæcula regnans.

105 I. Defuncto igitur Clodovecho rege, quatuor filii ejus, id est Theudericus, Chlodomeris, Childebertus, atque Chlothacharius [c] regnum ejus accipiunt, et inter se æqua lance dividunt. Habebat jam tunc Theudericus filium, nomine Theudebertum, elegantem atque utilem. Cumque magna virtute pollerent, et eis de exercitu robur copiosum inesset, Amalaricus filius Alarici, rex Hispaniæ, sororem eorum in matrimonium postulat: quod illi clementer indulgent, et eam ipsi in regionem Hispaniæ cum magnorum ornamentorum mole transmittunt [d].

II. Licinio [e] autem urbis Turonicæ defuncto episcopo, Dinifius cathedram pontificalem ascendit. Apud Arvernis vero post obitum beati Aprunculi [f], sanctus

[a] Corb. Bel., et Casin. habent, *nec acquirunt melius.*

[b] Gundobadus, ut observat Valesius, diu florentissimum regnum obtinuit, ipsumque, morte naturali excedens, filio suo Sigismundo reliquit.

[c] Sic veteres mss., quamvis aliquando varient; alii, *Hlotharius*, seu *Chlotarius*, quod idem est. Cæterum filii Chlodovei non æquales habuere regni paterni partes. Nam Theodorici portio longe major cæteris fuit. Æqua tamen dici potuit, quod cum in dilatandis regni paterni limitibus patris expeditionum fuisset comes, jam sibi aliquid acquisivisse censeri poterat.

[d] De hac vide inferius cap. 10.

[e] Deest hoc caput in Regio. Porro ipse Gregorius lib. x, c. 31, inter Licinium et Dinifium locat Theodorum et Proculum episcopos e Burgundia, qui e sede sua ejecti, jubente Chlotilde regina, Licinio defuncto subrogati fuerunt.

[f] Corb., *Abroncoli.* Bell., *Abruncuti.* Colb., *Patrunculi.* De hoc libro II, cap. 23 et 36. Eufrasius autem subscripsit concilio I Aurelian; ac ipsius nomine concilio Agathensi interfuit Paulinus presbyter. Colitur die 14 Januarii. De sancto Quintiano sæpius agit Gregorius. Vide Vitas Patrum, cap. 4.

tuum possidere desiderat, teque interfecto, id usque Italiam dilatare disponit, scilicet ut regnum quod avus ejus Theodoricus Italiæ tenuit, et iste possideat. Scit enim quod te vivente hæc non potest adimplere; et nisi tu cadas, ille non surget. His et hujuscemodi ille incitatus verbis, uxoris iniquæ consilio utens, iniquus exstitit parricida. Nam sopitum vino dormire post meridiem filium jubet: cui dormienti, orarium [a] sub collo positum, ac sub mento ligatum, trahentibus ad se invicem duobus pueris, suggillatus est [b]. Quo facto pater sero jam pœnitens, super cadaver exanime ruens, flere cœpit amarissime. Ad quem senex quidam sic dixisse fertur: Te, inquit, plange amodo, qui per consilium nequam factus es parricida sævissimus; nam hunc qui innocens jugulatus est, necessarium non est plangi. Nihilominus ille ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu et jejuniis durans, veniam precabatur. Psallentium [c] ibi assiduum instituens, Lugduno regressus est, ultione divina de vestigio eum prosequente. Hujus filiam [d] rex Theudericus accepit.

VI. Chrotechildis vero regina Chlodomerem, vel [e] reliquos filios suos alloquitur, dicens: Non me pœniteat, charissimi, vos dulciter enutrisse: indignamini, quæso, injuriam meam, et patris matrisque meæ mortem sagaci studio vindicate. Hæc illi audientes, Burgundias petunt, et contra **109** Sigimundum et fratrem ejus Godomarum dirigunt: de- A victoque exercitu eorum, Godomarus terga vertit. Sigimundus vero dum ad sanctos Agaunos [f] fugere nititur, a Chlodomere captus cum uxore et filiis captivus abducitur, atque infra terminum Aurelianensis urbis in custodia positus, detinetur. Discedentibusque his regibus, Godomarus resumptis viribus, Burgundiones colligit, regnumque recipit. Contra quem Chlodomeris iterum ire disponens, Sigimundum interficere destinavit: cui a beato Avito abbate Miciacense [g], magno tunc temporis sacerdote, dictum est: Si, inquit, despiciens Deum, emendaveris consilium tuum, ut hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum, et abiens victoriam obtinebis; si vero eos occideris, tu ipse in manus inimicorum traditus, simili sorte peribis: fietque tibi uxorique B et filiis tuis, quod feceris Sigimundo et conjugi ac liberis ejus. Sed ille auscultare despiciens consilium ejus, ait: Stultum enim consilium esse puto, ut inimicis domi relictis, contra reliquos eam; eisque a tergo, hoc a fronte surgente, inter duos hostium cuneos ruam. Satius enim et facilius victoria patrabitur, si unus ab alio separetur: quo interfecto, facile et alius morti poterit destinari. Statimque interfecto Sigimundo cum uxore et filiis, apud Columnam [h] Aurelianensis urbis vicum, in puteum jactari præcipiens, Burgundias petiit, vocans in solatium [i] Theudericum **110** regem. Ille autem injuriam soceri sui vindicare nolens [j], ire promisit. Cumque pariter apud Virontiam [k] locum urbis Viennensis conjuncti

[a] Editi, *lorum*, sed retinenda vox *orarium*, quæ licet varias sortiatur significationes, proprie tamen pro linteo quodam oblongo, in fasciæ modum efformato, etiam sumitur. Vide Cangii Glossarium, aut card. Bona de rebus Liturg. lib. I, cap. 24.

[b] Et hic editi, *suffocatus est*; quod vocabulum, etsi forte magis aptum rei significandæ, rarius tamen occurrit in sequioris ævi auctoribus. Occisus est ex Marii Chronico, *Simmacho et Boetio coss.*. id est anno 522.

[c] Reg. et Regm., *Psallentium ibi chorum assiduum*, quod etiam in Colb. secunda manu additum legitur. Melior tamen est aliorum mss.; et edit. lectio. Hoc autem loco jugem diu noctuque psalmodiam in Agaunensi Ecclesia institutam designari pluribus adversus Countium probat noster Mabillonius in præfat. secunda ad Sæc. IV Benedictinum.

[d] Hæc fuit Suavegotta, de qua Frodoardus lib. II Histor. Rhemensis. Vide infra notas ad caput 26 lib. IV.

[e] Sic Corb. et Bel.; alii *et*, quod perinde est. Iidem codd. habent, *indignate* pro *indignamini*.

[f] Sic omnes mss.; Chesn., *sanctos Agaunenses*; cæteri ed., *saltus Agaunos*. Refert Marius, *Maximo consule*, id est anno 523, Sigismundum per Burgundiones Francis traditum fuisse, ac in habitu monachali in Franciam perductum; anno autem sequenti Godomarum fratrem ipsi successisse, ac Chlodomerem fuisse interfectum. Confer vitam S. Sigismundi tomo I Maii Bollandiani.

[g] Ed. mendose, *Nutiacense*; mss. locum non exprimunt, sed habent, *Avito*, aliquot, *Adjuto*, *abbate magno*. Anonymus qui gesta regum Franc. scripsit sub Theoderico hæc habet, cap. 20: *Beatus autem Aritus, qui erat tunc vir sanctus, abbas in Aurelianensi civitate, deprecabatur Chlodomirum, ut non occideret eos*, etc. Est autem Miciacum abbatia celebris ordinis nostri, vulgo *Mici*, quæ etiam a suo conditore, decessore C scilicet Aviti, sancto Maximino, dicitur *Saint-Mesmin*, duabus circiter leucis ab Aurelianensi urbe dissita, quam hodie Fulienses occupant. S. Aviti festum celebratur die 17 Junii, quo ejus Vita apud Surium habetur.

[h] Cas. et Regm. cum Bad., *Colonia*. Hic Columellam, vulgo *Coloumelle*, aut certe vicum ei vicinum, vulgo *Coulmiers* dictum, designari putant. Utrique vico, uti observat Valesius in Notitia, vicinus est locus in veteribus chartis dictus *Puteus sancti Sigismundi*, vernaculo idiomate, *Saint-Sigismond*, aut contrahendo *Saint-Simond*. Sigismundus nempe non solum inter confessores colitur, sed etiam inter martyres locum obtinuit, pro illorum temporum more, quibus innocui, quacumque de causa interfecti, martyres appellabantur. Diem ejus festum etiam vetustiora Martyrologia kalendis Maii celebrant; ad quam diem ejus Vita a Bollandianis edita est. In ea filii ipsius, simul cum illo interfecti apud *Belsa*, Giscladus et Gundebaudus appellantur; quorum corpora triennio post eorum necem Venerandus Agaunæ D abbas, annuente Theodeberto rege, levata ad monasterium suum tranferri curavit. Vide lib. I de Gloria Mart., cap. 75. Sigismundi necem, *Maximo consule*, id est anno 523, contigisse scribit Marius in Chronico.

[i] Editi, *suppetias*, et sic passim.

[j] Sic Bel.; cæteri, *volens*, sed mendose. Nam Theodoricus Chlodomeri suppetias pollicens, nolebat vindicare soceri sui mortem. Sigismundi quippe filiam duxerat uxorem. Fredegarius tamen epitom. cap. 56 legisse videtur *volens*, cum ait Chlodomerem a Theoderico fuisse deceptum, quasi ille copias quidem miserit, sed quæ inter præhandum sese Burgundionibus adjunxerint.

[k] Sic Corb. et Bell., quem locum Labbeus *Voiron* in Delfinatu interpretatur. Bec., *Visorontiom*; cæteri autem mss. et editi habent *Visorontiam*, quem Valesius in Notitia et Countius putant esse *Veseronce*.

fulssent, cum Godomaro confligunt. Cumque Godomarus cum exercitu terga vertisset, et Chlodomeris insequeretur, ac de suis non modico spatio elongatus esset, assimilantes illi signum ejus, dant ad eum voces, dicentes : Huc huc convertere, tui enim sumus. At ille credens, abiit, irruitque in medium inimicorum suorum, cujus amputatum caput, et conto defixum, elevant in sublime; quod Franci cernentes, atque cognoscentes Chlodomerem interfectum, reparatis viribus Godomarum fugant, Burgundiones opprimunt, patriamque in suam redigunt potestatem. Nec mora Chlothacharius uxorem germani sui, Guntheucam nomine, sibi in matrimonium sociavit; filios quoque ejus Chrotechildis regina, exactis diebus luctus, secum recepit ac tenuit : quorum unus Theodoualdus [a], alter Guntharius, tertius Chlodoualdus vocabatur. Godomarus iterum regnum recepit.

VII. Post Theudericus non immemor perjurii Hermenefridi regis Thoringorum, Chlothacharium fratrem suum in solatium suum evocat, et adversum eum ire disponit, promittens regi Chlothachario partem prædæ, si eis munus victoriæ divinitus conferretur. Convocatis igitur Francis, dicit ad eos : Indignamini, quæso, tam **111** meam injuriam, quam interitum parentum vestrorum [b], ac recolite Thoringos quondam super parentes nostros violenter advenisse, ac multa illis intulisse mala, qui datis obsidibus, pacem cum his inire voluerunt [c] : sed illi obsides ipsos diversis mortibus peremerunt, et irruentes super parentes nostros, omnem substantiam abstulerunt, pueros per nervum femoris ad arbores appendentes, puellas amplius ducentas crudeli nece interfecerunt : ita ut ligatis brachiis super equorum cervicibus, ipsique acerrimo moti stimulo per diversa petentes, diversas in partes feminas diviserunt. Aliis vero super orbitas [d] viarum extensis, sudibusque in terram confixis, plaustra desuper onerata transire fecerunt, confractisque ossibus, canibus avibusque eas in cibaria dederunt. Nunc autem Hermenefridus quod mihi pollicitus est fefellit, et omnino hæc adimplere dissimulat. Ecce verbum directum habemus [e] : eamus cum Dei adjutorio contra eos. Quod illi audientes, et de tanto scelere indignantes, uno animo eademque sententia, Thoringiam petiverunt. Theudericus autem Chlothacharium fratrem suum, et Theudebertum filium in solatium assumens, cum exercitu abiit. Thoringi vero venientibus Francis dolos præparant. In campo enim, in quo certamen agi debebat, fossas effodiant : quarum ora, operta denso cespite, planum assimulant campum. In has ergo foveas cum pugnare coepissent, multi Francorum equites corruerunt, et fuit eis valde impedimentum : sed post cognitum hunc dolum observare cœperunt. Denique cum se Thoringi cædi vehementer viderent, fugato [f] Hermenefrido rege ipsorum, terga vertunt, et ad Onestrudem [g] fluvium usque perveniunt. Ibique tanta cædes ex Thoringis facta est, ut alveus fluminis cadaverum congerie repleretur, et Franci, tanquam per pontem aliquem, super eos in littus ulterius transirent. Patrata ergo victoria regionem illam capessunt, **112** in suam redigunt potestatem. Chlothacharius vero rediens, Radegundem filiam Bertharii regis [h] secum captivam abduxit, sibique eam in matrimonium sociavit. Cujus fratrem postea injuste per homines iniquos occidit. Illa quoque ad Deum conversa, mutata veste monasterium sibi infra Pictavensem urbem construxit, quæ orationibus, jejuniis, vigiliis atque eleemosynis prædita in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur. Cum autem adhuc supradicti reges in Thoringia essent, Theudericus Clothacharium fratrem suum occidere voluit. Et præparatis occulte cum armis viris, eum ad se vocat, quasi secretius cum eo aliquid tractaturus, expansoque in parte domus illius tentorio, de uno pariete in alterum, armatos post eum stare jubet. Cumque tentorium illud esset brevius, pedes armatorum apparuere detecti. Quod cognoscens Chlothacharius, cum suis armatus ingressus est domum. Theudericus vero intelligens hunc hæc cognovisse, fabulam fingit, et alia ex aliis loquitur. Denique nesciens qualiter dolum suum deliniret, discum ei magnum argenteum pro gratia dedit. Clothacharius vero valedicens, et pro munere gratias agens, ad metatum regressus est. Theudericus vero queritur ad suos, nulla existanti causa suum perdidisse catinum : et ad filium suum Theudebertum ait : Vade ad patruum [i] tuum, et roga ut munus quod ei dedi, tibi sua voluntate concedat. Qui abiens, quod petiit impetravit. In talibus enim dolis Theudericus multum callidus erat.

Qui locus ad Rhodanum situs est inter Viennam et Belicam urbes.

[a] Alii *Theotbaldus*. Fallitur itaque Agathias, qui lib. I Chlodomerem absque liberis periisse, et Francos ipso occiso, animo abjecto a Burgundionibus legem accepisse scribit. Obiit Chlodomeris Justino II et Opilione coss., id est an. 524, ex Marii Chronico.

[b] Cod. Regm., *meorum*. Vide supra cap. 4.

[c] Idem cod. Regin., *noluerunt*.

[d] Orbitas vetera glossaria ipsasmet vias publicas appellant. Orbita quippe est sulcus quem currurum rotæ seu orbes in viis efformant. Gallice dicimus *des ornières*.

[e] Hic loquendi modus passim apud Gregorium occurrit ad exprimendum aliquid jure et cum ratione suscipi posse. Hodieque Gallice dicimus, *avoir droit d'entreprendre une chose*. *Vide* lib. IV, cap. 14.

[f] Addunt editi, *præ timore*.

[g] Cod. Colb., *Unstrondem*. Fluvius est Eichsfeldiæ, vulgo ab incolis *Unstrudt* dictus, ut observat Browerus in notis ad Fortunatum.

[h] Is erat frater Hermenefredi. Vide supra cap. 4. Excidium vero Thuringiæ describit, et Radegundis nomine deplorat Fortunatus in Supplementi carm. I, ubi etiam de ejusdem fratre injuste occiso. Idem Fortunatus librum primum vitæ S. Radegundis, alterum vero Baudonivia monialis scripsere, qui habentur in Actis SS. Ord. S. Benedicti Sæc. I, pag. 349. Monasterium vero ab ipsa conditum etiam nunc sub S. Crucis titulo illustre perseverat, Ordini Benedictino addictum. De his infra non semel, potissimum lib. IX.

[i] Editi, *patrem*.

VIII. Idem vero regressus ad propria, Hermenefridum ad se data fide securum venire præcepit, quem et honorificis ditavit muneribus. Factum est autem dum quadam die per murum civitatis Tulbiacensis confabularentur, a nescio quo impulsus de altitudine muri ad terram corruit, ibique spiritum exhalavit. Sed quis eum exinde dejecerit, ignoramus : multi tamen asserunt **113** Theuderici in hoc dolum manifestissime patuisse [a].

IX. Cum autem adhuc Theudericus in Thoringia esset, Arvernis sonuit eum interfectum fuisse. Arcadius quoque, unus ex senatoribus Arvernis, Childebertum invitat, ut regionem illam deberet accipere. Ille quoque nec moratus Arvernis vadit. Tantaque in illa die condensa fuit nebula, ut nihil super duabus jugeri partibus discerni posset. Dicere enim erat solitus rex : Velim, inquit, Arvernam [b] Lemanem, quæ tantæ jocunditatis gratia refulgere dicitur, oculis cernere. Sed non ei a Deo concessum est. Cumque portæ civitatis obseratæ essent, et unde ingrederetur pervium patulum non haberet, incisa Arcadius sera unius portæ, eum civitati intromisit. Dum hæc agerentur, nuntiatur Theudericum vivum de Thoringia fuisse regressum.

X. Quod certissime Childebertus cognoscens, ab Arvernis rediit, in Hispaniam [c] vero propter sororem suam Chrotechildem [d] dirigit. Hæc vero multas insidias ab Amalarico viro suo propter fidem catholicam patiebatur. Nam plerumque procedente illa ad sanctam ecclesiam, stercora et diversos fetores super eam projici imperabat. Ad extremum autem tanta eam crudelitate dicitur cæcidisse, ut infectum de proprio sanguine sudarium fratri transmitteret : unde ille maxime commotus, Hispanias appetiit. Amalaricus vero hæc audiens, naves ad fugiendum parat. Porro imminente Childeberto, cum Amalaricus [e] navem deberet ascendere, ei in mentem venit multitudinem se pretiosorum lapidum in suo thesauro reliquisse. Cumque ad eosdem petendos in civitatem regrederetur, ab exercitu a portu [f] exclusus est. Videns autem se non posse evadere, ad ecclesiam Christianorum [g] **114** confugere cœpit. Sed priusquam limina sancta contingeret, unus emissa manu lancea eum mortali ictu sauciavit, ibique decedens reddidit spiritum. Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam secum adducere cupiebat : quæ nescio quo casu in via mortua est, et postea Parisios allata, juxta patrem suum Chlodovechum sepulta est. Childebertus vero inter reliquos thesauros ministeria ecclesiarum pretiosissima detulit. Nam sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Evangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro, ac gemmis pretiosis ornata : sed non est passus ea confringi. Cuncta enim ecclesiis et basilicis sanctorum dispensavit, ac tradidit in ministerium [h].

XI. Posthæc Chlothacharius et Childebertus Burgundias petere destinant. Convocatusque Theudericus, in solatio [i] eorum ire noluit. Franci vero qui ad eum aspiciebant, dixerunt : Si cum fratribus tuis in Burgundiam ire dexpexeris, te relinquimus, et illos satius sequi præoptamus. At ille infideles sibi existimans : Ad Arvernos, ait, me sequimini, et ego vos inducam in patriam, ubi aurum et argentum accipiatis, quantum vestra potest desiderare cupiditas, de qua pecora, de qua mancipia, de qua vestimenta in abundantiam assumatis : tantum hos ne sequamini. Illis promissionibus hi illecti, suam voluntatem facere promittunt. Ille vero illuc transire disponit, promittens ite unum atque iterum exercitui cunctam regionis prædam cum hominibus in suas regiones transferri permittere. Chlothacharius vero et Childebertus in Burgundiam dirigunt, Augustodunumque obsidentes, cunctam fugato Godomaro Burgundiam occupaverunt [j].

XII. Theudericus vero cum **115** exercitu Arvernis veniens, totam regionem devastat ac proterit. Interea Arcadius sceleris illius auctor, cujus ignavia regio devastata est, Bituricas urbem petiit. Erat autem tunc temporis urbs illa in regno Childeberti regis. Placidina vero mater ejus, et Alchima [k] soror patris ejus, comprehensæ, apud Cadurcum urbem rebus ablatis exsilio condemnatæ sunt. Rex igitur Theudericus ad urbem Arvernam usque accedens, in vici illius suburbano [l] castra fixit. Beatus vero Quintianus his diebus erat episcopus. Interea exercitus cunctam circumit miseram regionem illam, cuncta delet, universa debellat. De quibus nonnulli ad basilicam sancti Juliani perveniunt, confringunt ostia, seras removent, resque pauperum, quæ ibidem fuerant aggregatæ, diripiunt, et multa in hoc

[a] Refert Procopius lib. I Hist. Gothicæ Francos occiso Hermenefrido Thuringiam sibi subjecisse.

[b] Sic Bec. Bell. vero et Bad., *unicam;* cæteri, *unquam*. Loquitur Gregorius de ea Arverniæ parte, quæ etiam nunc vocatur *la Limagne d'Auvergne*, ubi Clarusmons, provinciæ caput. De Arverniæ ubertate et jocunditate multa collegit ex variis auctoribus Savaro in notis ad epistolam 21 lib. IV Sidonii : quem si lubet consule.

[c] Hispaniæ nomine hic Septimaniam intelligi volunt, Amalaricumque non Barcinonæ, aut Toleti, ut aliquibus placet, sed Narbone fuisse occisum. Quæ enim Wisigothis parebant, etiam intra veteres Galliarum fines, tunc temporis Hispaniæ nomine frequenter designabantur, ut sexcentis exemplis probari posset. Lege Valesium lib. VII Rerum Franc.

[d] Alii *Chrotildem* aut *Crotigeldem*. Bec. et Regm., *Chlocchildem*. V. not. in cap. 23 lib. II.

[e] Corb. et Bellov., *Alaricus*, et in capitulorum indice, quamvis alias semper eum *Amalaricum* appellent.

[f] Colb. cum omnibus fere editis *a porta*.

[g] Nota catholicos appellari Christianos ad Arianorum discrimen.

[h] Sic Casin.; alii non habent *in ministerium*, sicut nec editi.

[i] Regm., *solatium*. Editi, *auxilium*.

[j] *Justiniano* IV *et Paulino coss.*, si Mario credimus, id est anno 534.

[k] Jam de his cap. 2 hujus libri. Hic in Reg. pro *Archima*, legitur *Archidima*. Cæterum non videntur apud Cadurcum comprehensæ, ut innuunt editi : sed in Arvernis comprehensæ Cadurcum in exsilium missæ fuerunt. Arcadius erat sancti Sidonii nepos, ejus scilicet filii Apollinaris filius. Vide supra cap. 9.

[l] Mss. aliquot, *suburbana*.

loco perpetrant mala. Verumtamen auctores scelerum a spiritu immundo correpti, infestis dentibus propriis se morsibus lacerant, clamantes atque dicentes : Cur nos, martyr sancte, sic crucias? sicut in libro Virtutum ejus conscripsimus [a].

XIII. Lovolautrum [b] autem castrum hostes expugnant, Proculumque presbyterum, qui quondam sancto Quintiano injuriam intulerat, ad altarium ecclesiæ miserabiliter interficiunt. Et credo ob illius causam, quod fuerit ipsum castrum in manibus traditum iniquorum : quod usque in illa die defensatum est. Nam cum illud hostes expugnare non possent, et ad propria jam redire disponerent, audientes hæc obsessi, jam læti atque securi decipiuntur, sicut ait Apostolus : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus* (*I Thess.* I, 5, 3). Denique per ipsius Proculi presbyteri servum [c], jam securi populi traduntur in manus hostium. Cumque **116** vastato castello ducerentur captivi, immanis pluvia quæ per triginta dies fuerat abnegata, descendit. Tunc obsessi Merolicensis [d] castri, ne captivi abducerentur, redemptione data liberantur : sed hæc ignavia eorum effecit, castrum enim propria natura munitum erat. Nam centenorum aut eo amplius pedum ab exciso vallatur lapide, non murorum [e] structione; in medio autem ingens stagnum aquæ, liquore gratissimum; ab alia vero parte fontes uberrimi, ita ut per portam [f] rivus diffluat aquæ vivæ. Sed in tam grandi spatio munitio ista distenditur, ut manentes infra murorum septa terram excolant, frugesque in abundantia colligant. Hujus munitionis tutamine elati, qui obsessi erant, egressi foras ut arrepta aliqua præda, iterum se infra castelli septa reconderent, ab hostibus comprehensi sunt. Erant autem quinquaginta [g] viri. Tunc ante ora parentum, vinctis post tergum manibus oblati, imminente jam gladio, acquieverunt obsessi, ne interficerentur, singulos triantes [h] dare in redemptionem suam. Theudericus autem ab Arverno discedens, Sigivaldum parentem suum, in ea quasi pro custodia dereliquit [i]. Erat autem ibi tunc temporis quidam Litigius ex monitoribus [j], qui magnas sancto Quintiano parabat insidias; et cum se sanctus episcopus pedibus ejus A prosterneret, nunquam ut se ei subderet movebatur, ita ut et quadam vice uxori quæ sanctus fecerat, pro ridiculo indicaret. Quæ melioris intelligentiæ modo commota, ait : Si ita es hodie pessumdatus, nunquam erigeris. Die autem tertia advenientes nuntii de præsentia regis, vinctum cum uxore ac liberis pariter abduxerunt. Qui abiens nunquam Arvernis regressus est.

117 XIV. Mundericus igitur, qui se parentem regium [k] asserebat, elatus superbia, ait : Quid mihi et Theuderico regi? Sic enim mihi solium regni debetur, ut illi. Egrediar, et colligam populum meum atque exigam sacramentum ab eis, ut sciat Theudericus quia rex sum ego, sicut et ille. Et egressus cœpit seducere populum, dicens : Princeps ego sum B sequimini me, et erit vobis bene. Sequebatur autem eum rustica multitudo, ut plerumque fragilitati humanæ convenit, dantes sacramentum fidelitatis, et honorantes eum ut regem. Quod cum Theudericus comperisset, mandatum mittit ad eum, dicens : Accede ad me, et si tibi aliqua de dominatione regni nostri portio debetur, accipe. Dolose enim hæc Theudericus dicebat, scilicet ut cum ad eum venisset, interficeretur. Ille vero noluit, dicens : Ite, renuntiate regi vestro, quia rex sum sicut et ille. Tunc rex commoveri jussit exercitum, quo oppressus vi puniretur. Quod ille cognoscens, et se non prævalens defensare, Victoriaci castri [l] muros expetens, cum rebus omnibus in eo se studuit communire, his secum quos seduxerat aggregatis. Igitur commoto C exercitu castrum vallat, ac per septem dies obsedit. Mundericus autem repugnabat cum suis, dicens : Stemus fortes, et usque ad mortem pariter dimicemus, et non subdamur inimicis. Cumque exercitus a circuitu in contra jacula transmitteret, nec aliquid prævaleret, nuntiaverunt hæc regi. At ille misit quemdam de suis, Aregisilum [m] nomine, dixitque ei : Vides, inquit, quod prævaleat hic perfidus in contumacia sua. Vade, et redde ei sacramentum, ut securus egrediatur. Cum autem egressus fuerit, interfice eum, et dele memoriam ejus a regno nostro. Qui abiens, fecit juxta quod ei præceptum fuerat. Dederat tamen prius signum populo, dicens : Cum ego

[a] Cap. scilicet 13, lib. II, de Mirac., qui est de sancto Juliano, de cujus basilica apud Brivatem urbem loquitur hic Gregorius.

[b] Cod. Reg., *Novolautrum*, cujus situs incertus est. Valesius in Notitia putat esse locum dictum *Volorre*, prope Tigernum, *Thiern*, oppidum apud Arvernos. Confer cum hoc capite vitam S. Quintiani in libro de Vitis Patrum, cap. 4.

[c] Cod. Corb., *stuprum;* Bell. mendose, *struum*.

[d] Hunc locum idem Valesius putat esse *Oliergue*, castrum haud procul a Tigerno.

Aliis tamen probabilius videtur hic designari locum *Chastel Merliac* dictum, qui duobus circiter milliariis a Mauriaco oppido, ob abbatiam ordinis Benedictini celebrem, dissitus est. Exstat in collis editissimi declivi, unde descensus est per prata in profundam vallem.

[e] Sic mss. vetustiores; alii cum edit., *sine murorum*.

[f] Corb., *per munitionem totam rivus;* at vocabulum *munitionem* alia manu, sed antiquissima, scriptum est.

[g] Edit. 2, *quingenti;* omnes tamen mss. habent *quinquaginta*, præter Corb. qui habet, *quinquaginti*.

[h] Editi hic et passim inferius *trientes* semper scribunt. Unde apud Gregorium *trientem* semper haberi observavit Franciscus Pithœus in tit. XXXVII legis Salicæ.

[i] Confer cum cap. 14 de Mirac. S. Juliani.

[j] S c Corb. et Bellov.; alii *minoribus*. Erant autem monitores, ut observat Valesius in Præfatione ad tom. II Rerum Francic., qui regis nomine Francis expeditionem denuntiabant, eosque ad bellum compellebant. Dicuntur in legibus Wisigothorum *compulsores;* quorum officium nostrates voce Germanica expresserunt quandoque, *in hostem bannire*

[k] Sic mss.; at editi habent *regum*.

[l] Hunc locum de Victoriaco apud Arvernos intellexit Aimoinus in lib. II; at licet verum sit in ea regione haud procul a Brivate Victoriacum castrum exstitisse, Gregorium tamen de Victoriaco in Campania, vulgo *Vitri*, in diœcesi Catalaunensi, hic loqui cum Valesio existimamus.

[m] Colb., *Archisilum*, et sic semper.

hæc et hæc locutus fuero, statim irruentes interficite eum. Ingressus autem Aregisilus ait Munderico : Quousque hic resides tanquam unus ex insipientibus? Nunquid poteris **118** diu regi resistere? Ecce ablato tibi cibo, cum te fames oppresserit, ultro egredieris, et traderis in manus inimicorum, et morieris quasi unus ex canibus. Audi potius consilium meum, et subde te regi, ut vivere possis, tu et filii tui. Tunc ille his mollitus sermonibus, ait : Si egredior, comprehensus a rege interficior et ego, et filii mei, et omnes amici qui mecum sunt congregati. Cui Aregisilus ait : Noli timere, sed si vis egredi, accipe sacramentum de hac culpa, et sta securus coram rege. Ne timeas, sed eris cum eo, sicut prius fuisti. Ad hæc Mundericus respondit : Utinam securus sim quod non interficiar. Tunc Aregisilus positis super altarium sanctum [a] manibus, juravit ei ut securus egrederetur. Dato igitur sacramento, egrediebatur Mundericus de porta castelli, tenens manum Aregisili. Populus autem spectabat [b] a longe aspiciens eum. Tunc pro signo ait Aregisilus : Quid aspicitis tam intente, o populi? Nunquid non vidistis prius [c] Mundericum? Et statim irruit populus in eum. At ille intelligens, ait : Evidentissime cognosco, quod feceris per hoc verbum signum populis ad me interficiendum. Verumtamen dico tibi, quia perjuriis me decepisti, te vivum ultra nullus aspiciet, et emissa lancea in scapulas ejus, perfodit eum, ceciditque et mortuus est. Evaginatoque deinceps Mundericus gladio cum suis, magnam stragem de populo illo fecit, et usquequo spiritum exhalavit, interficere quemcunque assequi potuisset, non destitit. Quo interfecto, res ejus fisco collatæ sunt.

XV. Theudericus vero et Childebertus fœdus inierunt, et dato sibi sacramento, ut neuter contra alterum moveretur, obsides ab invicem acceperunt, quo facilius firmarentur quæ fuerant dicta. Multi tunc filii senatorum in hac obsidione [d] dati sunt : sed orto iterum inter reges scandalo, ad servitium publicum sunt addicti. Et quicunque eos ad custodiendum accepit, servos sibi ex his fecit. Multi tamen ex eis per fugam elapsi, in patriam **119** redierunt, nonnulli in servitio sunt retenti : inter quos Attalus nepos beati Gregorii Lingonici episcopi, ad publicum servitium mancipatus est, custosque equorum destinatus. Erat enim infra Treverici termini territorium cuidam barbaro [e] serviens. Denique beatus Gregorius ad inquirendum eum misit pueros. Quo invento, obtulerunt homini munera, sed respuit ea, dicens : Hic de tali generatione decem auri libris redimi debet. Quibus redeuntibus, Leo quidam de coquina domini sui, ait : Utinam me permitteres, et forsitan ego poteram eum reducere ex captivitate. Gaviso autem domino, directus venit ad locum : voluitque puerum clam abstrahere, sed non potuit. Tunc locans secum hominem quemdam, ait : Veni mecum, et venumda me in domo barbari illius, sitque tibi lucrum pretium meum : tantum liberiorem aditum habeam faciendi id quod decrevi. Accepto vero sacramento, homo ille abiit, et vendito eo duodecim aureis discessit. Sciscitatus autem emptor a rudi famulo quid operis sciret, respondit : In omnibus quæ manducari debent [f] in mensis dominorum, valde scitus sum operari : nec metuo quod reperiri possit similis mei in hac scientia. Verum enim dico tibi, quia etiam si regi epulum cupias præparare, fercula regalia componere possum, nec quisquam me melius. Et ille : Ecce enim dies solis adest, sic enim barbaries vocitare diem dominicum consueta est, in hac die vicini atque parentes mei invitabuntur in domo mea. Rogo ut facias mihi prandium quod admirentur, et dicant, quia in domo regis melius non aspeximus. Et ille : Jubeat, inquit, dominus meus congregari pullorum gallinaceorum multitudinem, et faciam quæ præcipis. Præparatis ergo quæ dixerat puer, illuxit dominica dies, fecitque epulum magnum, deliciisque refertum. Epulantibus autem omnibus, et laudantibus prandium, parentes illius discesserunt. Dominus enim dedit gratiam puero huic, et accepit potestatem super omnia quæ habebat dominus suus in promptu. Diligebatque eum valde, et omnibus **120** qui cum eo erant ipse dispensabat cibaria et pulmenta. Post anni vero curriculum, cum jam securus esset dominus illius de eo, abiit in pratum, quod erat domui proximum, cum Attalo puero custode equorum : et decubans in terra cum eo a longe, aversis dorsis, ut non cognosceretur quod loquerentur simul, dicit puero : Tempus est enim, ut jam cogitare de patria debeamus. Ideoque moneo te, ut hac nocte cum equos ad claudendum adduxeris, sopore non deprimaris, sed cum primum te vocitavero adsis, et ambulemus. Vocaverat enim Barbarus ille multos parentum suorum ad epulum, inter quos erat et gener ejus, qui acceperat filiam illius. Media autem nocte a convivio surgentibus, et quieti datis, prosecutus est Leo generum domini sui cum potu, porrigensque ei bibere, in metatum ejus. Ait itaque ad eum homo : Dic tu, o creditor soceri mei, si valeas, quando voluntatem adhibebis, ut assumptis equitibus [*Al.* equis] ejus eas in patriam tuam? Hoc quasi joco delectans dixit. Similiter et ille joculariter veritatem respondens, ait : Hac nocte delibero, si Dei voluntas fuerit. Et ille : Utinam, inquit, custodiant me famuli mei, ne aliquid de rebus meis assumas. Et ridentes discesserunt. Dormientibus autem cunctis, vocavit Leo Attalum : stratisque equitibus interrogat [g] si haberet gladium. Respondit : Non est mihi, nisi tantum lancea parvula. At ille ingressus

[a] Aliquot mss. et editi, *altare sanctum.*
[b] Chesn. cum Bec., *exspectabat.*
[c] Reg., *An nunquid non vidistis antea.* Ed. aliquot cum Bec., *An nunquis vidistis prius.*
[d] Id est, obsides dati sunt.
[e] Id est *Franco.* Quemadmodum enim veteres incolæ dicebantur Romani, ita cæteri, ut jam observavimus, Barbari dicebantur : quod passim apud Gregorium occurrit
[f] Editi cum Bec., *mandi debent.*
[g] Edit., *Attalum ex stratu suo. Interrogat,* etc.

mansionem domini sui apprehendit scutum ejus ac frameam. Quo interrogante quis esset, aut quid sibi velit, respondit : Ego sum Leo servus tuus, et suscito Attalum ut surgat velocius, et deducat equos ad pastum : detinetur enim sopore quasi ebrius. Qui ait : Fac ut libet. Et hæc dicens obdormivit. Ille vero egressus foras, munivit puerum armis, invenitque januas atrii divinitus reseratas, quas in initio noctis cum cuneis malleo percussis observaverat pro custodia caballorum. Et gratias agens Domino, sumptis reliquis equitibus [equis] secum, discesserunt, unum etiam volucrum [a] cum vestimentis tollentes. Venientes autem ad Mosellam [b] fluvium, **121** cum transirent illum, et detinerentur a quibusdam, relictis equitibus [equis] et vestimentis, enatantes super parma positi amnem, in ulteriorem egressi sunt ripam. Et inter obscura noctis ingressi silvam, latuerunt. Tertia enim nox advenerat, quod nullum cibum gustantes iter terebant. Tunc nutu Dei reperta arbore plena pomis, quam vulgo prunum [c] vocant, comedunt; et parumper sustentati ingressi sunt iter Campaniæ : quibus pergentibus, audiunt pedibulum equitum currentium, dixeruntque : Prosternamur terræ, ne appareamus hominibus venientibus. Et ecce ex improviso stirps rubi magnus adfuit, post quem transeuntes, projecerunt se terræ cum gladiis evaginatis, scilicet ut si adverterentur, confestim se quasi ab improbis framea [d] defensarent : verumtamen cum venissent in locum illum coram stirpe spineo restiterunt; dixitque unus, dum equi urinam projicerent : Væ mihi, quia fugiunt hi detestabiles, nec reperiri possunt; verum dico per salutem meam, quia si invenirentur, unum patibulo condemnari, et alium gladiorum ictibus in frusta discerpi juberem. Erat enim barbarus ille qui hæc aiebat, dominus eorum, de Rhemensi urbe veniens, et hos inquirens : et reperisset utique in via, si nox obstaculum non præbuisset. Tunc motis equitibus [equis] discesserunt. Illi autem nocte ipsa attigerunt ad urbem, ingressique invenerunt hominem, quem sciscitati sunt ubinam esset domus Paulelli presbyteri. Indicavitque eis. Qui dum per plateam præterirent, signum ad Matutinas motum est, erat enim dies dominica, pulsantesque januam presbyteri, ingressi sunt. Expositque puer de domino suo. Cui ait presbyter : Vera est enim visio mea : nam videbam duas in hac nocte columbas advolare, et consedere in manu mea, ex quibus **122** una alba, alia autem nigra erat. Dixeruntque pueri presbytero : Indulgeat Dominus pro die sua sancta [e]. Nam nos rogamus, ut aliquid victus præbeas : quarta enim illucescit dies, quod nihil panis pulmentique gustavimus. Occultatis autem pueris, præbuit eis infusum cum vino panem, et abiit ad Matutinas. Secutusque est et barbarus, iterum inquirens pueros : sed illusus a presbytero regressus est. Presbyter enim amicitiam cum beato Gregorio antiquam habebat. Tunc resumptis pueri epulo viribus, per duos dies in domo presbyteri commorantes, abscesserunt; et sic usque ad sanctum Gregorium perlati sunt. Gavisus autem pontifex visis pueris, flevit super collum Attali [f] nepotis sui. Leonem autem a jugo servitutis absolvens cum omni generatione sua, dedit ei terram propriam, in qua cum uxore ac liberis liber vixit omnibus diebus vitæ suæ.

XVI. Sigivaldus [g] autem cum in Arverno habitaret, multa mala in ea faciebat. Nam et res diversorum pervadebat, et servi ejus non desistebant a furtis, homicidiis, ac superventis [h] diversisque sceleribus : nec ullus mutire ausus erat coram eis. Unde factum est, ut ipse villam Bulgiatensem, quam quondam benedictus Tetradius episcopus [i] basilicæ sancti Juliani reliquerat, temerario ausu pervaderet. Sed cum ingressus in domum illam fuisset, statim amens effectus lecto decubuit. Tunc mulier admonita per sacerdotem, elevatum in basternam, ut in aliam villam transtulit, sanum recepit. Et accedens, exposuit ei omnia quæ pertulerat. Quod ille audiens, vota beato Martyri vovens, ea quæ simplum abstulerat [j], duplicata restituit. Meminimus et hujus virtutis in libro Miraculorum sancti Juliani (*cap.* 14).

123 XVII. Igitur Diniſio [k] episcopo apud Turonos decedente, Ommatius tribus annis præfuit. Hic enim ex jussu Chlodomeris regis, cujus supra meminimus, ordinatus est. Illo quoque migrante, Leo so-

[a] Cod. Bellov., *voluclum*. Corb. vero, *voluclum vestimenti tollentes*.

[b] *Mosam* legendum esse vix dubitari potest, ut monet Valesius in Notitia Galliarum. Nam Rhemorum inter et Trevirorum urbes Mosa interfluit, quæ utramque diœcesim disterminat, et transmissa Mosa statim Campania occurrit : quæ omnia Mosellæ aptari non possunt. Immo quocumque loco Mosellam illi transmisissent, vix eis possibile fuisset hac ipsa die Rhemos advenire. Cum tamen mss. omnes et editi habeant Mosellam, Gregorii textum immutare non licuit, maxime cum certum videatur illos viam rectam secutos non fuisse. Non enim tres erant itineris dies a Treviris ad Mosam, cum hic fluvius non magis ab urbe Trevirensi quam a Rhemensi distet, scilicet decem et octo circiter leucis.

[c] Bell. et alii, *pruna*.

[d] Corb. et Bell. non habent, *framea*.

[e] Quia scilicet illis temporibus non licebat diebus dominicis ante Missam quidquam cibi aut potus sumere.

[f] Is, ut videtur, postea fuit comes Æduensis, cui Sidonius scripsit epistolam 18, lib. v.

[g] Qui supra cap. 13 a Theodorico rege pro urbis custodia relictus fuerat.

[h] Editi, *super numerum*.

[i] Hic fuit episcopus Bituricensis, ut ex Gregorio ipso discimus lib. II Mirac., cap. 14. Dicitur vero a Gregorio *benedictus* : qua voce non cognomen, sed epithetum honoris causa ipsi datum intelligi debet. Sic in lib. de Glor. Conf., cap., 86, *benedictus Agricolaus* ; apud Tertullian. lib. de Præscript., *benedictus Eleutherus*. Plura exempla si cupis, adi Sirmondum in epist. 9 lib. Apollinar. Sidonii.

[j] Ed. cum Bec., *quæ vi abstulerat*.

[k] Aliquot editi, *Dionysio*. Caterum hoc capite cum cap. ultimo libri II et fine libri X, ubi episcopos Turonenses Gregorius enumerat, collato, patet quam parum sibi ipsi constet, tum in assignando pontificatus episcoporum Turonensium tempore, tum in ordine quo sedem hanc obtinuerunt. Hoc tamen caput habetur in omnibus mss.

ptem mensibus ministravit. Hic fuit vir strenuus atque utilis in fabrica operis lignarii. Quo defuncto, Theodorus et Proculus episcopi, qui de partibus Burgundiæ advenerant, ordinante Chrotechilde regina, tribus annis Turonicam rexerunt Ecclesiam. Quibus defunctis, Francilio ex senatoribus substituitur. Anno igitur tertio episcopatus sui, cum dominici Natalis nox alma populis effulsisset, idem pontifex priusquam ad vigilias descenderet, jussit sibi poculum ministrari. Adveniens autem puer, sine mora porrexit. Quo hausto, mox spiritum fudit : unde indubitatum est veneno eum fuisse necatum. Quo decedente, Injuriosus unus e civibus, quintus decimus post beatum Martinum, cathedram pontificalem sortitus est.

XVIII. Dum autem Chrotechildis regina Parisios moraretur, videns Childebertus, quod mater sua filios Chlodomeris, quos supra memoravimus, unico affectu diligeret, invidia ductus, ac metuens ne favente regina admitterentur in regnum, misit clam ad fratrem suum Chlothacharium regem, dicens : Mater nostra filios fratris nostri secum retinet, et vult eis regnum dare [a]. Debes velociter adesse Parisios, et habito communi consilio pertractare oportet, quid de his fieri debeat : utrum incisa cæsarie ut reliqua plebs habeantur [b], an certe his interfectis, regnum germani nostri inter nosmetipsos æqualitate habita dividatur. De quibus ille verbis valde gavisus Parisios venit. Jactaverat enim Childebertus verbum in populo, ob hoc hos conjungi **124** reges, quasi parvulos illos elevaturos in regno. Conjuncti autem miserunt ad reginam, quæ tunc in ipsa urbe morabatur, dicentes : Dirige parvulos ad nos, ut sublimentur in regno. At illa gavisa, nesciens dolum illorum, dato pueris esu potuque, direxit eos dicens : Non me puto amisisse filium, si vos videam in ejus regno substitui. Qui abeuntes, apprehensi sunt statim, ac separati a pueris et nutritoribus suis, custodiebantur utrique, seorsum pueri, et seorsum hi parvuli. Tunc Childebertus atque Chlothacharius miserunt Arcadium, cujus supra meminimus (*Cap.* 9 *et* 12), ad reginam, cum forcipe atque evaginato gladio. Qui veniens ostendit reginæ utraque, dicens : Voluntatem tuam, o gloriosissima regina, filii tui domini nostri expetunt, quid de pueris agendum censeas, utrum incisis crinibus eos vivere jubeas, an utrumque jugulari. At illa exterrita nuntio, et nimium felle commota, præcipue cum gladium cerneret evaginatum ac forcipem, amaritudine præventa, ignorans in ipso dolore quid diceret, ait simpliciter : Satius enim mihi est, si ad regnum non eriguntur, mortuos eos videre quam tonsos. At ille parum admirans dolorem ejus, nec scrutans quid deinceps plenius pertractaret, venit celeriter nuntians ac dicens : Favente regina opus cœptum perficite : ipsa enim vult expleri consilium vestrum. Nec mora apprehensum Chlothacharius puerum seniorem brachio elisit in terram, defigensque cultrum [c] in axillam crudeliter interfecit. Quo vociferante, frater ejus ad pedes Childeberti prosternitur, apprehensisque ejus genibus, aiebat cum lacrymis : Succurre, piissime pater, ne et ego peream sicut frater meus. Tunc Childebertus lacrymis respersa facie, ait : **125** Rogo, dulcissime frater, ut ejus mihi vitam tua largitate concedas : et quæ jusseris pro ejus anima conferam, tantum ne interficiatur. At ille conviciis actum [d], ait : Aut ejice eum a te, aut certe pro eo morieris. Tu, inquit, es incestator [e] hujus causæ et tam velociter de fide resilis ? Hæc ille audiens, repulsum a se puerum projecit ad eum : ipse vero accipiens transfixum cultro in latere, sicut fratrem prius fecerat, jugulavit : deinde pueros cum nutritiis peremerunt. Quibus interfectis, Chlothacharius ascensis equitibus [*Al.* equis] abscessit, parvipendens de interfectione nepotum : sed et Childebertus in suburbana concessit. Regina vero compositis corpusculis feretro, cum magno psallentio, immensoque luctu usque ad basilicam sancti Petri [f] prosecuta, utrumque pariter tumulavit. Quorum unus decem annorum erat, alius vero septennis. Tertium vero Chlodoualdum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium [g] liberatus est. Is postposito regno terreno, ad Dominum transiit, et sibi manu propria capillos incidens, clericus factus est : bonisque operibus insistens, presbyter ab hoc mundo migravit [h]. Illi quoque regnum Chlodomeris inter se æqua lance diviserunt. Chrotechildis vero regina talem se tantamque exhibuit, ut

[a] Sic Corb. et Bell. Alii fere omnes cum editis, *vult eos regno donari.*

[b] De jure regalis capillitii agit Hotomannus, cap. II Franco-Galliæ. Præclarum est ea de re Agathiæ hominis Græci testimonium, libro I : *Solemne est Francorum regibus nunquam tonderi.... cæsaries tota decenter eis in humeros propendet, anterior coma e fronte discriminata in utrumque latus deflexa. Neque vero, quemadmodum Turcis et Barbaris, impexa iis et squalida sordidaque est coma, vel complicatione indecenter cirrata, sed smegmata varia ipsi sibi adhibent, diligenterque curant, idque velut insigne quoddam eximumque honoris prærogativa regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque eis prolixiorem comam alere facile permittitur.* Idem paribus laudat Francorum mores et urbanitatem. Parcior est in iis laudandis Procopius, quod sæpius imperatorum conatibus obstiterint. Morem nutriendi capillos a principibus regiæ stirpis receptum non semel inferius laudat Gregorius, ut lib. VI, cap. 24, lib VIII, cap. 10, etc. Vide Savaronis et Sirmondi notas in epist. Apollinaris Sidonii, lib. I, epist. 2.

[c] Corb., *defixumque cultrum*, pro *defixoque cultro*. Colb. autem, cum Reg., et editis aliquot, habet *ascellam* pro *axillam*. Regm., *sub ascella*. Reg. et Bec., *in ascella*.

[d] Sic Corb., Bell., Bec. et Colb. At cæteri habent, *at ille furore actus*.

[e] Sic iidem mss. cum Chesnio. Reg. habet *inscrutator*; Regm., *incentor*. Editi ut plurimum, *incœptator*.

[f] Hodie sanctæ Genovefæ, ut jam supra monuimus. Hoc scelus circa annum 526 patratum videtur, quod seriat, anno scilicet 532 aut sequenti, admissum fuisse Valesius contendit.

[g] Viros fortes, quorum ope Chlodoaldus mortem evasit, eos esse, qui postea vulgo *barones* appellati sunt, censet Valesius lib. VII Rerum Franc.

[h] Obiit circa annum 560, die 7 Septembris, quo ejus festivitas celebratur. Condidit monasterium in

ab omnibus honoraretur : assidua in eleemosynis, pernox in vigiliis; in castitate atque omni honestate puram se semper exhibuit; prædia ecclesiis, monasteriis, vel quibuscunque locis sanctis necessaria providit, larga ac prona voluntate distribuit, ut putaretur eo tempore non regina, sed propria Dei ancilla [a] ipsi sedulo deservire. **126** Quam non regnum filiorum, non ambitio sæculi, nec facultas extulit ad ruinam, sed humilitas evexit ad gratiam.

XIX. Erat enim tunc et beatus Gregorius apud urbem Lingonicam, magnus Dei sacerdos, signis et virtutibus clarus [b]. Sed quia hujus pontificis meminimus, gratum arbitratus sum, ut situm loci Divionensis, in quo maxime erat assiduus, huic inseram lectioni. Est autem castrum firmissimis muris, in media planitie et satis jocunda compositum, terras valde fertiles habens atque fecundas [c], ita ut arvis semel scissis vomere, semina jaciantur, et magna fructuum opulentia subsequatur. A Meridie habet Oscaram fluvium, piscibus valde prædivitem; ab Aquilone vero alius fluviolus [d] venit, qui per portam ingrediens ac sub pontem decurrens, per aliam rursus portam egreditur, totum munitionis locum placida unda circumfluens : ante portam autem molendinas mira velocitate diverit. Quatuor portæ a quatuor plagis mundi sunt positæ : totumque ædificium triginta tres turres exornant : murus vero illius de quadris lapidibus usque in viginti pedes, desuper a minuto lapide ædificatus habetur, habens in altum pedes triginta, in latum pedes quindecim : quæ cur civitas dicta non sit, ignoro [e]. Habet enim in vico *Novientum* dicto, tribus milliaribus infra Parisios ad Sequanam, qui vulgo hodie dicitur *Saint-Claud*, ubi ecclesia collegiata, destructo jam pridem monasterio, nunc visitur, in qua ejus sacrum corpus asservatur. Vitam ejus ex ms. cod. S. Germani a Pratis habes in Actis SS. Ord. Benedictini sæculo I, ubi *habitum sacræ religionis* suscepisse a sancto Severino, qui alius est ab Agaunensi abbate, memoratur, num. 8. Joannes abbas de sancto Flodoaldo subscripsit conventui Attiniacensi sub Pippino rege anno 765; quem huic monasterio præfuisse non dubitamus. Veteres enim *ch* in litteram *f* nonnunquam mutaverunt.

[a] Id est sanctimonialis. Vide infra lib. IV, cap. 1.

[b] Ejus vitam scripsit noster Gregorius, quam habes infra inter Vitas Patrum, cap. 7.

[c] Sic Bel. et Regm.; at cæteri mss. et editi, *terra valde fertili atque fecunda*.

[d] Hic *Susio* vocatur, qui ex valle cognomine tribus milliaribus supra Divionem exoritur. De Oscara supra lib. II, cap. 32.

[e] Nec hodie civitatis jure gaudet Divio, id est episcopali cathedra non nobilitatur; licet fuerit Burgundionum ducum sedes, totusque provinciæ caput, supremique senatus sedes etiam nunc existat.

[f] Sic habet Corb. In Bellov. et Colb. legitur *Scalononum*; Regm. *Calonum*; Bec. et cæteri cum editis, *Scalonum*. Corbeiensis lectionem præstulimus : nam sensus est vina ita generosa nasci Divione, ut Cabillonensibus vinis non indigeant ipsius cives. *Scalonum* tamen pro Ascalonum interpretatur Savaro, id est vinum ex urbe Palæstinæ Ascalona advectum : Ascalona quippe vicina erat Gazæ, unde vina Gazitina, de quibus infra lib. VII, cap. 29. Claudius Robertus ad calcem Galliæ Christianæ, anno 1626 editæ, plura de Divione habet, ibique col. 59 legendum putat hic apud Gregorium *Chalybonium*. Nam *Chalibonium*, uti

A circuitu pretiosos fontes : a parte autem Occidentis, montes sunt uberrimi, vineisque repleti, quia tam nobile incolis Falernum porrigunt, ut respuant Cabillonum [f] : nam veteres ferunt ab Aureliano hoc imperatore fuisse ædificatum.

XX. Theudericus autem filio **127** suo Theudeberto Uvisigardem cujusdam regis [g] filiam desponsaverat.

XXI. Gothi vero cum post Chlodovechi mortem multa de his quæ ille acquisierat [h], pervasissent, Theudericus Theudebertum, Chlothacharius vero Guntharium seniorem filium suum ad hæc requirenda transmittunt. Sed Guntharius usque Ruthenos accedens, nescio qua faciente causa, regressus est; Theudebertus vero usque ad Biterrensem civitatem B sibiens, Deas [i] castrum obtinuit, atque hinc prædam diripuit. Deinde ad aliud castrum, nomine Caprariam [j], legatos mittit, dicens, nisi se illi subdant, omnem locum illum incendio concremandum, eosque qui ibidem resident captivandos.

XXII. Erat autem ibidem tunc matrona, Deuteria [k] nomine, utilis valde atque sapiens, cujus vir apud Biterris [l] urbem concesserat. Quæ misit nuntios ad regem, dicens : Nullus tibi, domine piissime, resistere potest. Cognovimus dominum nostrum : veni, et quod fuerit beneplacitum in oculis tuis facito. Theudebertus autem ad castrum veniens, cum pace ingressus est; subditumque sibi cernens populum, nihil inibi male gessit. Deuteria vero ad occursum ejus venit; at ille, speciosam eam cernens, amore C ejus capitur, suoque eam copulavit stratui.

refert, *vinum, ut quo solo Persarum reges uterentur, sicut aqua soleus Coaspis, commendatur a Syriæ urbe Chalibone*.

[g] Scilicet Wacconis Langobardorum regis, ut refert Paulus Diac. lib. I de Gestis Langob., cap. 21.

[h] Theodoricus Italiæ rex audita Chlodovei victoria apud Vogladum reportata, Ibbam seu Ebbanem ducem cum copiis in Gallias misit, qui Francis Wisigothorum regnum invadentibus resisterent. Quæ causa fuit, ut Franci soluta Arelatensi obsidione fugati, nihil præter Aquitaniam acquisierint. Theodoricus vero, dimissa Wisigothis regni parte, regiones ultra Rhodanum sitas, quas Odoacer Eurico Alarici patri dimiserat, occupavit. Bellum exinde fere continuum fuit inter Chlodoveum et Theodoricum ac eorum successores. Qua tandem occasione ea Galliæ pars Francorum imperio subjecta fuerit, dicetur in notis ad cap. 31.

[i] Hunc locum Blondellus et alii putant *esse Montadié*. Mavult Valesius hac voce designari *Dion*, in Septimania. D

[j] Capraria etiam nunc subsistit, vulgo *Cabriere*, æquali fere intervallo a Leuteva, Agatha et Biterris distans, sed ad Biterrensem dioecesim attinens, ut observat Valesius.

[k] Mss. nonnulli, et quidem vetustiores, *Deoteria*; Valesius tamen legendum censet *Deuteria*; indeque conjicit hanc mulierem genere Gallam, seu, ut tunc loquebantur, Romanam fuisse. Inscitiæ vero Fredegarium arguit, quod scripserit *Deoteriam*, seu *Teoteriam*. Sed tunc scriptores ita promiscue litteras *u* et *o*, sicut et *d* et *t*, adhibebant, ut vix quidquam certi ex harum litterarum mutationibus statui possit.

[l] Sic mss. omnes cum Chesn.; plerique ed., *Biterna*.

ullius venti in illo loco sensere. Illi quoque mittentes nuntios ad eum, pacem et concordiam petierunt: qua data, ad propria sunt regressi. Quod nullus ambigat hanc per obtentum reginæ beati Martini fuisse virtutem.

XXIX. Posthæc Childebertus rex in Hispaniam abiit; quam ingressus cum Chlothachario, Cæsaraugustanam civitatem cum exercitu vallant atque obsident. At illi in tanta humilitate ad Deum conversi sunt, ut induti ciliciis, abstinentes a cibis et poculis, cum tunica beati Vincentii martyris muros civitatis psallendo circuirent: mulieres quoque amictæ nigris palliis, dissoluta cæsarie, superposito cinere, ut eas putares virorum funeribus deservire, plangendo sequebantur. Et ita totam spem suam locus ille ad Domini misericordiam retulit [a], ut diceretur ibidem Ninivitarum jejunium celebrari: nec æstimaretur aliud posse fieri, **131** nisi eorum precibus divina misericordia inflecteretur. Hi autem qui obsidebant, nescientes quid obsessi agerent, cum viderent sic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficii. Tunc apprehensum unum de civitate rusticum, ipsi interrogant, quid hoc esset quod agerent. Qui ait: Tunicam beati Vincentii deportant, et cum ipsa, ut eis Dominus misereatur, exorant. Quod illi timentes, se ab ea civitate removerunt: tamen acquisita maxima Hispaniæ parte, cum magnis hi spoliis in Gallias redierunt [b].

XXX. Post Amalaricum vero, Theoda rex [*Al.* Theuda] ordinatus est in Hispaniis. Quo interfecto, Theudegisilum levaverunt regem. Is dum ad cœnam cum amicis suis epularetur, et esset valde lætus, cum subito, exstinctis in recubitu luminaribus [c], ab inimicis gladio percussus interiit: post quem Agila regnum accepit. Sumpserant enim Gothi hanc detestabilem consuetudinem, ut si quis eis de regibus non placuisset, gladio eum appeterent, et qui libuisset animo, hunc sibi statuerent regem.

XXXI. Et quia Theodoricus rex Italiæ [d] Chlodovechi regis sororem in matrimonio habuit, mortuus parvulam filiam cum uxore reliquit. Hæc autem cum adulta facta esset, per levitatem animi sui relicto matris consilio, quæ ei regis filium providebat, servum suum, Traguilanem [e] nomine, accepit, et cum eo ad civitatem, qua defensari possit, aufugit. Cumque **132** mater ejus contra eam valde frenderet, peteretque ab ea ne humiliaret diutius nobile genus, sed dimisso servo similem sibi de genere regio, quem mater providerat, deberet accipere, nullatenus voluit acquiescere. Tunc mater ejus contra eam frendens, exercitum commovit. At illi venientes super eos, Traguilanem interfecerunt gladio, ipsam quoque cædentes in domum matris reduxerunt. Erant autem sub Ariana secta viventes. Et quia consuetudo eorum est, ut ad altarium venientes, de alio calice reges communicent, et de alio [f] populus minor, venenum in calice illo posuit de quo mater communicatura erat. Quo illa hausto, protinus mortua est; non enim dubium est tale maleficium esse de parte diaboli. Quid contra hæc miseri hæretici respondebunt, ut in Sancta [g] eorum locum habeat inimicus? Nos vero Trinitatem in una æqualitate pariter et omnipotentia confitentes, etiam si mortiferum bibamus, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, veri atque incorruptibilis Dei, nihil nos nocebit. Indignantes ergo Itali contra hanc mulierem, Theodadum regem Tusciæ invitantes, super se regem statuunt. Hic vero cum delicisset quæ meretrix ista commiserat, qualiter propter servum, quem acceperat, in matrem exstiterat parricida, succenso vehementer balneo, eam in eodem cum una puella

[a] Cod. Bell. et Regm. cum editis plerisque, *ad Dominum misericordiæ contulit*. Boch. s., *Dominum misericordem*.

[b] Anonymus, qui sub Theodorico rege scripsit Gesta Francorum, refert Childebertum urbis episcopum accersivisse, ab eoque aliquid ex B. Vincentii reliquiis postulasse. *Qui*, inquit, *dedit ei stolam ejus. Tunc acquisita*, etc. *Childebertus vero Parisios veniens, ecclesiam in honore B. Vincentii martyris ædificavit.* Hæc fuit occasio celeberrimæ basilicæ exædificandæ, quæ, etiam S. Crucis nomine insignita apud Fortunatum in lib. de Vita S. Germani, postea regum nostrorum, stirpisque regiæ principum conditorium fuit, ut passim Gregorius memorat. Nunc sub S. Germani a Pratis nomine nota est, de qua non semel inferius agendum. Porro Victor Tunnonensis in expeditionis hujus narratione non dissentit a Gregorio: at qui postea subsecuti sunt Hispani auctores, magnam eladem ea occasione Francis a Theodisclo duce illatam fuisse scribunt. Vide Cointium ad an. 542.

[c] Sic Bell. et Corb.; cæteri cum ed., *cereis subito exstinctis in recubitu ab*, etc. Hanc pessimam occidendorum regum licentiam exstirpare conati sunt Hispaniarum episcopi variis in conciliis, uti observavit Cointius ad an. 584.

[d] Theodoricus, cognomento Magnus, Ostrogothorum rex, obiit *Olybrio cons.* ex Mario, id est an. 526. Ex Anaflede Chlodovei sorore, non filia, ut quidam volunt, suscepit Amalasunthain, apud ejus ævi scriptores celebrem, quæ nupsit Eutharico, viro principi ex nobili Amalorum stirpe. Hæc autem post patris simul et viri obitum, Athanagildi filii sui, qui nondum administrando regno par erat, tutelam suscepit, eoque defuncto, ad Theodatum seu Theodahadum, qui ex stirpe regia erat, sceptrum transferri curavit. Sed ille beneficii accepti immemor, Amalasunthain in insulam laci Volsiniensis exsulare coegit, ac paulo postea strangulari jussit. Cujus mortis ulciscendæ specie Justinianus bellum in Gothos movit, quod Procopius et alii auctores fusius describunt, et tandem Gothis fatale fuit. Ex his patet quantum a vero aberraverit Gregorius in hoc capite, quod tamen in omnibus mss. et editis, et quidem integrum habetur.

[e] Colb. et aliquot ed., *Trauvillanem*. Bell., *Traquillanem*. Regm., *Straguilonem*. Vide Fredegar. cap. 44.

[f] Mos adhuc sæculo VIII in Romana Ecclesia vigebat, ut ex unico calice omnibus porrigeretur communio, ut colligere licet ex epistola 9 Gregorii II ad sanctum Bonifacium Moguntinum, ubi pontifex scribit congruum non esse *duos vel tres calices in altario poni cum Missarum solemnia celebrantur.*

[g] Sic omnes mss. præter Bell. qui prima manu habet *Scām*, et alia manu *sectam*: quam vocem habet edit. 1. Sed retinenda est vox *Sancta*, quo nomine intelligitur sacra Eucharistia et quidem hic sub unica specie. Lege Mabillonii Commentarium prævium in Ordinem Romanum tomo II Musei Italici.

includi præcepit. Quæ nec mora, inter arduos vapores ingressa, in pavimento 133 corruens, mortua atque consumpta est. Quod cognoscentes hi reges Childebertus et Chlothacharius consobrini ejus, nec non et Theudebertus, quod scilicet tam turpi fuerit interfecta supplicio, ad Theodadum legationem dirigunt, exprobrantes de morte ejus, atque dicentes: Si hæc quæ egisti nobiscum non composueris, regnum tuum auferemus, et simili pœna te damnabimus. Tunc ille timens, quinquagena eis millia aureorum transmisit [a]. Childebertus autem, ut erat semper contra Chlothacharium regem invidus atque versutus, cum Theudeberto nepote suo conjunctus, diviso inter se hoc auro, nihil exinde dare regi Chlothachario voluerunt. At ille super thesauros Chlodomeris aggressus, multum illis amplius quam hi fraudaverant, abstulit.

XXXII. Theudebertus vero in Italiam abiit [b], et exinde multum acquisivit. Sed quia loca illa, ut fertur, morbida sunt, exercitus ejus in diversis febribus corruens, vexabatur. Multi enim ex his in illis locis mortui sunt. Quod videns Theudebertus, ex ea reversus est, multa secum spolia ipse, vel sui deferentes; dicitur tamen tunc temporis usque Ticinum accessisse civitatem, in qua Buccellinum [c] rursum direxit. Qui minore illa Italia [d] capta, atque in ditionem regis antedicti redacta, majorem petiit: in qua contra Bellisarium [e] multis vicibus pugnans, victoriam obtinuit. Cumque imperator vidisset, quod Bellisarius crebrius vinceretur, amoto eo, Narsetem in ejus locum statuit. Bellisarium vero comitem stabuli, quasi pro humilitate, quod prius fuerat, posuit. Buccellinus vero contra Narsetem magna certamina 134 gessit; capta omni Italia, usque in mare terminum dilatavit; thesauros vero magnos ad Theudebertum de Italia direxit. Quod cum Narses imperatori posuisset in notitiam, imperator conductis pretio gentibus, Narseti solatium mittit, confligensque postea victus abscessit. Deinceps vero Buccellinus Siciliam occupavit, de qua etiam tributa exigens, regi transmisit. Magna enim ei felicitas in his conditionibus fuit.

XXXIII. Asteriolus [f] tunc et Secundinus magni cum rege habebantur. Erat autem uterque sapiens, et rhetoricis imbutus litteris. Sed Secundinus plerumque legationem imperatori a rege missus intulit, et ob hoc jactantiam sumpserat, ac nonnulla contra rationem exercebat. Qua de causa factum est, ut inter illum atque Asteriolum lis sæva consurgeret: quæ usque ad hoc profecit, ut oblitis verborum objectionibus propriis se manibus lacerarent [g]. Cumque hæc per regem pacificata fuissent, et Secundinus adhuc de sua cæde tumeret [h], nata est inter eos rursum intentio [*Al.* contentio]. Et rex suscipiens Secundini causam, Asteriolum in ejus potestatem dedidit. Qui valde humiliatus est, et ab honore depositus: sed per Uvisigardem reginam iterum est restitutus. Mortua autem illa, consurgens iterum Secundinus, eum interfecit. Nam hic moriens filium dereliquit, qui cum crevisset, et esset adultus, cœpit patris sui velle injuriam vindicare. Tunc Secundinus timore perterritus, dum de villa in villam ante eum fugeret, cum se jam videret eo imminente non posse evadere, ne in manus inimici corrueret, 135 veneno se, ut dicitur, interfecit.

XXXIV. Desideratus autem Viridunensis episcopus [i], cui Theudericus rex multas irrogavit injurias, cum post multa exilia, et damna atque ærumnas, ad libertatem propriam jam Domino jubente rediisset, et episcopatu, ut diximus, apud Viridunensem urbem potiretur, videns habitatores ejus valde pauperes atque destitutos, dolebat super eis; et cum ipse per Theudericum de rebus suis remansisset extraneus, nec haberet de proprio qualiter eos consolaretur, bonitatem et clementiam circa omnes Theudeberti regis cernens, misit ad eum legationem, dicens: Fama bonitatis tuæ in universam terram vulgatur, cum tanta sit tua largitas, ut etiam non petentibus opem præstes. Rogo, si pietas tua habet aliquid de pecunia, nobis commodes, qua cives nos-

[a] Non ea occasione, quæ fabulosa est, uti diximus, pecunias Francorum regibus dedit Theodatus: sed ingentem tamen eis summam pollicitus fuerat cum Provincia ac aliis regionibus, quas Ostrogothi in Galliis possidebant, ut eorum opem adversus Justinianum imploraret. Sed re adhuc infecta Vitiges Theodato substitutus, non solum pecunias ac regiones pollicitas Francis tradidit; sed etiam Alamannos, qui post Tolbiacense prælium in Italiam profugi sedes a Theodorico acceperant, eorum dominio subjecit, ut scribit Agathias.

[b] Sic et Marius ad an. 539, quo scilicet Apio erat consul. Plura de hoc bello Procopius, qui Francos violatæ fidei accusat, quod post susceptas a Justiniano legationes ac munera, sese tamen Gothis conjunxissent; aut potius Gothis ac Romanis inter sese certantibus, ipsi utrisque infesti Italiæ partem maximam diripuissent ac invasissent.

[c] Reg. et omnes ferme editi, *Buccilenum*. Hunc *Buzilinum* Procopius et Agathias appellant. Is erat natione Alemannus: cumque in ejus exercitu Franci simul permisti essent cum Alemannis, quorum plerique nondum Christiani, aut certe variis superstitionibus adhuc dediti erant, Procopius contra Francorum mores passim scribit. At multo æquior est Agathias lib. I, qui ait: *Non enim feri sunt Franci, ut multi barbarorum*, etc. *Christiani enim sunt rectissimarum sententiarum*, etc.

[d] Minorem Italiam appellat Gregorius Liguriam ac Venetiam, ut observat Valesius lib. VIII Rerum Francicarum.

[e] Sic editi et cod. Regm. semel. Sed alii mss., etiam vetustissimi, semper habent *Belsarium*. Hic autem famosus ille Belisarius designatur, de quo, sicut et de Narsete eunucho, plura dicere supervacaneum esset.

[f] Reg., *Etteriolus* semel, tum *Atteriolus*. Secundinus vero is esse videtur, quem ob spectam Joannis Reomaensis abbatis epistolam divinitus fuisse punitum memorat Jonas in Vita ejusdem sancti lib. II, cap. 1, ubi dicitur *Secundinus patricius*.

[g] Sic Corb. et Bellov. Alii cum editis, *verberarent*.

[h] Sic iidem codd. cum Bec., Reg. et Regm. Colb., *tumuerat*. Editi, *timeret*.

[i] S. Vitono successit, subscripsitque concilio Arvernensi anno 535, et Aurelianensi V, an. 549; obiit an. 550. *Sanctus* dicitur a Wasseburgio.

tros relevare valeamus. Cumque hi negotium exercentes, responsum [a] in civitate nostra, sicut reliquæ habent, præstiterint, pecuniam tuam cum usuris legitimis reddemus. Tunc ille pietate commotus, septem ei millia aureorum præstitit. Quæ ille accipiens, per cives suos erogavit. At illi negotia exercentes, divites per hoc effecti sunt, et usque hodie magni habentur. Cumque antedictus episcopus debitam pecuniam obtulisset regi, respondit rex : Non habeo necessarium hoc recipere ; illud mihi sufficit, si dispensatione tua pauperes qui opprimebantur inopia, per tuam suggestionem, vel per meam largitatem sunt relevati. Et nihil exigens, antedictos cives divites fecit.

XXXV. Defuncto autem apud urbem supradictam memorato antistite, Agiricus quidam e civibus in cathedram ejus subrogatur. Siagrius [b] autem filius ejus reminiscens injurias patris, qualiter a Sirivaldo ad regem Theudericum incusatus, non solum spoliatus, verum etiam supplicii affectus fuisset, oppressum cum armata manu Sirivaldum taliter interfecit. Tunc mane facto, cum nebula esset condensa, **136** et vix adhuc disrumpentibus tenebris aliquid quis posset discernere, venit ad villam ejus in Divionensi territorio, cui nomen est Floriacum [c] : egressoque domum uno amicorum, putantes ipsum Sirivaldum esse, interfecerunt eum ; et revertentibus [d], quasi victoriam obtinuissent de inimico, indicat eis unus ex familia, non eos dominum interfecisse, sed subditum. At illi regressi, requirentes eum, cellulam, in qua dormire solitus erat, repertam aggrediuntur. Ad cujus ostium diutissime pugnantes, nihil ei poterant prævalere. Dehinc cruto ab uno latere pariete ingredientes, gladio eum interfecerunt. Post mortem enim Theuderici hic interfectus est.

XXXVI. His denique gestis Theudebertus rex ægrotare cœpit. Ad quem medici multa studia impenderunt : sed nihil valuit, quia eum jam Dominus vocari jubebat. Ergo cum diutissime ægrotasset, ab ipsa infirmitate deficiens, reddidit spiritum. Franci vero cum Parthenium in odio magno haberent, pro eo quod eis tributa antedicti regis tempore inflixisset, eum persequi cœperunt. Ille vero in periculo positum se cernens, confugium ab urbe facit, et a duobus episcopis suppliciter exorat, ut eum ad urbem Trevericam deducentes, populi sævientis seditionem sua prædicatione comprimerent. Quibus euntibus, nocte dum in stratu suo decumberet, subito per somnium vocem magnam emittit, dicens : Heu, heu ! Succurrite qui adestis, et auxilium ferte pereunti ! A quo clamore expergefacti qui aderant, interrogant quid hoc esset. Respondit ille : Ausanius amicus meus cum Papianilla [e] conjuge, quos olim interfeci, ad judicium me arcessebant, dicentes : Veni ad respondendum, quia causaturus es nobiscum coram Domino. Zelo enim ductus ante annos aliquot conjugem innocentem, amicumque peremerat. Igitur accedentibus episcopis ad antedictam urbem ; cum strepentis populi seditionem ferre non possent **137** eum in ecclesia abdere voluerunt, scilicet ponentes eum in arca, et desuper sternentes vestimenta, quæ erant ad usum ecclesiæ. Populus autem ingressus, perscrutatusque universos angulos ecclesiæ, cum nihil reperisset, frendens egrediebatur. Tunc unus ex suspicione locutus, ait : En arca, in qua non est inquisitus adversarius noster. Dicentibus vero custodibus, nihil in ea aliud nisi ornamenta ecclesiæ contineri, illi clavem postulant, aientes : Nisi reseraveritis velocius, ipsi eam sponte confringimus. Deniquè reserata arca, amotis linteaminibus, inventum extrahunt, plaudentes atque dicentes : Tradidit Deus inimicum nostrum in manus nostras. Tunc cædentes eum pugnis, sputisque perurgentes [f], vinctis post tergum manibus ad columnam lapidibus obruerunt. Fuit autem in cibis **138** valde vorax : sed quæ sumebat, quo celerius ad manducandum commoveretur, sumpto aloe velociter digerebat, sed et strepitus ventris absque ulla auditorum reverentia in publico emittebat. Hoc ergo exitu consummatus interiit.

XXXVII. Gravem eo anno, et solito asperiorem hyemem fecit [g], ita ut torrentes concatenati gelu, pervium populis iter, tanquam reliqua humus, præberent. Aves quoque rigore affectæ vel fame, absque ullo hominum dolo, cum magnæ essent nives, manu capiebantur. A transitu igitur Chlodovechi usque in transitum Theudeberti, computantur anni triginta septem [h]. Mortuo ergo Theudeberto, quarto decimo regni sui anno, regnavit Theodobaldus [i] filius ejus pro eo.

[a] Sic mss. Ed. vero, *sponsionem*.

[b] Reg., Colb. et Bad., *Siacrius*. Et infra pro *Sirivaldo* aliquot editi et mss., *Siriwaldo*. Siagrius autem filius fuit Desiderati, qui injurias, de quibus cap. præcedenti, quas pater sub Theodorico pertulerat, ultus est. De Agerico plura inferius.

[c] Vicus ad Oscaram fluvium in diœcesi Lingonensi, vulgo *Florey*. Pertinet ad monasterium Cabillonense sancti Marcelli.

[d] Regm., *exsultantibus eis*.

[e] Colb., *Papia illius conjuge*, sed mendose ; nam patet ex sequentibus Papianillam Parthenii ipsius uxorem fuisse, quam zelotypia laborans occiderat.

[f] Sic mss. ; at plerique editi, *perungentes*.

[g] Phrasis est Gallica, quam habent mss. omnes, præter Bec. qui cum ed. habet, *Gravis . . . asperior hiems fuit*.

[h] Col., *triginta sex*.

[i] Sic Bec. ; alii *Theodovaldus*. Vide supra cap. 27.

139-140 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

I. De obitu Chrotechildis reginæ.
II. Quod Chlothacharius rex tertiam partem fructuum ecclesiis auferre voluit.
III. De uxoribus et filiis ejus.
IV. De Britannorum comitibus.
V. De sancto Gallo episcopo.
VI. De Catone presbytero.
VII. De episcopatu Cautini.
VIII. De Hispanorum regibus.
IX. De obitu Theodobaldi regis.
X. De rebellione Saxonum.
XI. Quod Catonem ex jussu regis ad episcopatum Turonici petierint.
XII. De Anastasio presbytero.
XIII. De levitate et malitia Chramni; et de Cautino ac Firmino.
XIV. Quod Chlothacharius contra Saxones ivit altera vice.
XV. De episcopatu sancti Eufronii.
XVI. De Chramno et satellitibus ejus, et malis quæ gessit; vel qualiter Divionem adi...
XVII. Quod Chramnus ad Childebertum transiit.
XVIII. De Austrapio duce.
XIX. De obitu sancti Medardi episcopi, et ejus sepultura.
XX. De obitu Childeberti, et interitu Chramni.
XXI. De obitu Chlothacharii regis.
XXII. Divisio regni inter filios ejus.
XXIII. Quod Sigibertus contra Chunos abiit: et Chilpericus civitates ejus pervasit.
XXIV. De patriciatu Celsi.
XXV. De uxoribus Guntchramni.
XXVI. De uxoribus Chariberti.
XXVII. Quod Sigibertus Brunichildem accepit.
XXVIII. De uxoribus Chilperici.
XXIX. De secundo Sigiberti contra Chunos bello.
XXX. Quod Arverni ad capiendam Arelatensem urbem jussu Sigiberti regis abierunt.
XXXI. De Taureduno castro, et aliis signis.
XXXII [Novum *]. *De Juliano monacho.*
XXXIII [Novum *]. *De Sunniulfo abbate.*
XXXIV [Novum *]. *De Burdigalensi monacho.*
XXXV [Novum *]. *De episcopatu Aviti Arverni.*
XXXVI [Novum *]. *De sancto Nicetio Lugdunensi.*
XXXVII [Novum *]. *De sancto Friardo recluso.*
XXXVIII [Al. XXXII]. *De regibus Hispanorum.*
XXXIX [Al. XXXIII]. *De imperio Justini.*
XL [Al. XXXIV]. *De interitu Palladii Arverni.*
XLI [Al. XXXV]. *Quod Alboinus cum Langobardis Italiam occuparit.*
XLII [Al. XXXVI]. *De Eunii cognomento Mummoli origine.*
XLIII [Al. XXXVII]. *De bellis Mummoli cum Langobardis.*
XLIV [Al. XXXVIII]. *De Archidiacono Massiliensi.*
XLV [Al. XXXIX]. *De Langobardis et Mummolo.*
XLVI [Al. XL]. *Quod Mummolus Turonis venit.*
XLVII [Al. XLI]. *De interitu Andarchii.*
XLVIII [Al. XLII]. *Quod Theodobertus civitates pervasit.*
XLIX [Al. XLIII]. *De Latta monasterio.*
L [Al. XLIV]. *De Sigiberti reliquis gestis; et quod Parisius venit.*
LI [Al. XLV]. *Quod Chilpericus cum Guntchramno fœdus iniit; et de obitu Theodoberti filii ejus.*
LII [Al. XLVI]. *De obitu Sigiberti regis.*

LIBER QUARTUS.

141 I. Igitur Chrotechildis regina plena dierum, bonisque operibus prædita, apud urbem Turonicam obiit, tempore Injuriosi episcopi: quæ Parisios cum magno psallentio [a] deportata, in sacrario basilicæ S. Petri, ad latus Chlodovechi regis sepulta est a filiis suis, Childeberto atque Chlothachario regibus. Nam A basilicam illam ipsa construxerat [b], in qua et Genovefa beatissima est sepulta.

II. Denique Chlothacharius rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissolverent. Quod, licet inviti, cum omnes episcopi consensissent atque subscripsissent, viriliter hoc gnanda sit.

[a] Sic mss. omnes præter Regm. qui habet, *psallentium chori*, et Rec. cum ed., *psallentium præconio*. S. Chrotildis festum celebratur die 3 Junii. Ejus vita edita est ex ms. cod. S. Germani a Pratis in Actis SS. Ord. Benedictini sæculo II ad annum 545, quo quidem circiter anno obiisse dicenda est juxta Cointii calculum, si quidem Injuriosi mors anno 546 consi-

[b] Basilicam sancti Petri, *ubi religio monastici ordinis vigeret Parisios*, ab eadem exstructam fuisse legitur in Vita sanctæ Balthildis. Bell., *S. Genovefa*. Sic veteres scribebant. Vide Liturgiam Gallican. Mabill. lib. II, § 16.

beatus Injuriosus respuens subscribere dedignatus est, dicens : Si voluoris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet : quia iniquum est, ut pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua **142** horrea repleantur. Et iratus contra regem, nec valedicens abscessit. Tunc commotus rex, timens etiam virtutem beati Martini, misit post eum cum muneribus, veniam precans, et hoc quod fecerat damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem beati Martini antistitis exoraret.

III. Chlothacharius denique ipse rex de diversis mulieribus septem filios habuit, id est de Ingunde, Guntharium, Childericum, Charibertum, Guntchramnum, Sigibertum, et Chlotsindam filiam; de Aregunde vero sorore Ingundis, Chilpericum; de Chunsena habuit Chramnum. Quæ autem causa fuerit, ut uxoris suæ sororem acciperet, dicamus. Cum jam Ingundem in conjugio accepisset, et eam unico amore diligeret, suggestionem ab ea accepit, dicente : Fecit dominus meus de ancilla sua quod libuit, et suo me strato ascivit : nunc ad complendam mercedem, quid famula tua suggerat, **143** audiat dominus meus rex. Precor ut sorori meæ, servæ vestræ, utilem atque habentem [a] virum ordinare dignemini, unde non humilier, sed potius exaltata servire fidelius possim. Quod ille audiens, cum esset nimium luxuriosus, in amorem Aregundis incenditur, et ad villam in qua ipsa residebat dirigit [*It.* vadit], eamque sibi in matrimonio sociavit. Qua accepta, ad Ingundem rediens, ait : Tractavi mercedem illam implere, quam me tua dulcedo expetiit. Et requirens virum divitem atque sapientem, quem tuæ sorori deberem adjungere, nihil melius quam meipsum inveni. Itaque noveris, quia eam conjugem accepi, quod tibi displicere non credo. At illa : Quod bonum, inquit, videtur in oculis domini mei faciat : tantum ancilla tua cum gratia regis vivat. Guntharius vero, Chramnus atque Childericus, vivente patre mortui sunt. Exitum vero Chramni in posterum scribemus. Alboinus [b] quoque rex Langobardorum Chlotsindam filiam regis accepit. Obiit autem Injuriosus episcopus urbis Turonicæ decimo et septimo episcopatus sui anno : cui Baudinus, ex domestico Chlothacharii regis, successit, decimus sextus post exitum beati Martini.

IV. Chanao quoque Britannorum comes tres fratres suos interfecit. Volens autem adhuc Macliavum interficere, comprehensum atque catenis oneratum in carcere retinebat, qui per Felicem Namneticum episcopum a morte liberatus est. Posthæc juravit fratri suo, ut ei fidelis esset; sed nescio quo casu sacramentum irrumpere voluit : quod Chanao sentiens, iterum eum persequebatur. At ille, cum se evadere non posse videret, post alium comitem regionis illius fugit, nomine **144** Chonomorem [c]. Is cum sentiret persecutores ejus appropinquare, sub terra eum in loculo abscondit, componens desuper et more tumulum, parvumque ei spiraculum reservans, unde halitum resumere posset. Advenientibus autem persecutoribus ejus dixerunt : Ecce hic Macliavus mortuus atque sepultus jacet. Quod illi audientes, atque gaudentes, et super tumulum illum bibentes, renuntiaverunt fratri eum mortuum esse. Quod ille audiens, regnum ejus integrum accepit : nam semper Britanni sub Francorum potestate post obitum regis Chlodovechi fuerunt, et comites, non reges [d] appellati sunt. Macliavus autem de sub terra consurgens, Venetiam urbem expetiit, ibique tonsuratus, et episcopus ordinatus est. Mortuo autem Chanaone, hic apostatavit, et demissis capillis, uxorem quam post clericatum reliquerat, cum regno fratris simul accepit : sed ab episcopis excommunicatus est, cui qualis fuerit interitus, sequenter scribemus (*lib.* v, *cap.* 16). Obiit autem Baudinus episcopus anno sexto episcopatus sui : in cujus locum Guntharius abbas subrogatur, decimus septimus post transitum sancti Martini.

V. Denique [e] cum beatus Quintianus, sicut supra diximus, ab hoc mundo migrasset, sanctus Gallus in ejus cathedram, rege opitulante, subrogatus est. Hujus tempore cum lues illa, quam inguinariam [f] vocant, per diversas regiones desæviret, et maxime tunc Arelatensem provinciam depopularetur, sanctus Gallus non tantum pro se, quantum pro populo suo trepidus erat. Cumque diu noctuque Dominum deprecaretur, ut vivens plebem suam vastari non cerneret, per visum noctis apparuit ei angelus Domini,

[a] Id est divitem. Reg. et editi 2, *habilem*.

[b] Corb., *Albuenus*, Bell., *Alboenus*. De hoc fusius Paulus lib. I et II de gestis Langobardorum. Ad Chlotsindam vero scripsit beatus Nicetius Trevirensis episcopus, cujus epistolam in Appendice proferemus.

[c] Regn., *Clonomorem*. De hoc agit auctor Vitæ S. Gildæ, quæ habetur apud Surium, et Bollandum die 19 Januarii, et in Sæculo I Benedictino.

[d] Pluribus disserit Valesius lib. VI Rerum Francic., pag. 281 et seqq., utrum Britanni sub propriis regibus fuerint, et quo tempore? Eos in Aremoricam, seu Longdunensem tertiam, sub Placidi Valentiniani imp. principatu ex majori Britannia transiisse refert, qui domitis incolis regioni suas leges et nomen imposuerunt; an vero hæc regio Francorum regibus paruerit ambigi posse censet, cum eam constet sub propriis principibus semper exstitisse, quos aliquando comites, aliquando duces, immo et nonnunquam reges varii auctores appellarunt. Deinde *regni* nomine Brittonum regionem scriptores passim, et ipse etiam Gregorius hic, et alias non semel, designaverunt. Et quidem Brittonum principes sæpius adversus Francos bellum gessere, suis legibus semper usi sunt, sub hereditariis suis principibus viventes, cum in aliis regionibus comites aut duces nostrorum regum nutu frequenter mutarentur. Hæc pro tuenda apud Brittones regia dignitate; quibus alii opponunt Gregorii locum, quem illustramus, aliorumque veterum scriptorum auctoritatem, qui diserte asserunt Brittones Francorum regibus paruisse; quibus aliisque, quæ fusius exponit Valesius, antiquorum auctorum locis expensis, concludit Brittones, etsi sæpius armis domitos, nunquam tamen aut Merovingicæ familiæ, aut Carolovingicæ Francorum regibus certa imperii confessione paruisse.

[e] Deest hoc caput in Corb., Bell., Colb. et Reg. S. Galli Vita habetur inter Vitas Patrum, cap. 6.

[f] Sic dicebatur, quod nascente in inguine, vel in axilla ulcere, in modum serpentis interficeret.

qui tam cæsariem, quam vestem 145 in similitudine nivis candidam efferebat; et ait ad eum : Bene enim facis, o sacerdos, quod sic Dominum pro populo tuo supplicas : exaudita est enim oratio tua ; et ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullusque te vivente in regione ista ab hac strage loperiet. Nunc autem ne timeas : post octo vero annos time. Unde manifestum fuit, transactis his annis, eum a sæculo discessurum. Expergefactus autem, et Deo gratias pro hac consolatione agens, quod eum per cœlestem nuntium confortare dignatus est, Rogationes illas instituit, ut media Quadragesima psallendo, ad basilicam beati Juliani martyris itinere pedestri venirent. Sunt autem in hoc itinere quasi stadia trecenta sexaginta [a]. Tunc etiam in subita contemplatione parietes vel domorum vel ecclesiarum signari videbantur. Unde a rusticis hæc scriptio Thau vocitabatur. Cum autem regiones alias, ut diximus, lues illa consumeret, ad civitatem Arvernam, quæ Galli intercedente oratione, non attigit. Unde ego [b] non parvam censeo gratiam, qui hoc meruit, ut pastor positus oves suas devorari defendente Domino non videret. Cum autem ab hoc mundo migrasset, et ablatus in ecclesiam deportatus fuisset, Cato presbyter continuo a clericis de episcopatu laudes accepit, et omnem rem ecclesiæ, tanquam si jam esset episcopus, in suam redegit potestatem : ordinatores [c] removet, ministros respuit, cuncta per se ordinat.

VI. Episcopi [d] tamen qui advenerant ad sanctum Gallum sepeliendum, postquam eum sepelierant, dixerunt Catoni presbytero : Videmus quia te elegit pars maxima populorum : veni, consenti nobis, et benedicentes consecremus te ad episcopatum. Rex vero parvulus est, et si qua tibi ascribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum proceribus et primis regni Theodobaldi regis agemus, ne tibi ulla excitetur injuria ; nos quoque (intantum fideliter crede, ut spondeamus pro te) omnia, etiam si damni aliquid supervenerit, de nostris 146 propriis facultatibus id reddituros. At ille cothurno vanæ conflatus gloriæ, ait : Nostis enim fama currente, me ab initio ætatis meæ semper religiose vixisse, vacasse jejuniis, eleemosynis delectatum fuisse, continuatas sæpius exercuisse vigilias, psallentio vero fugi crebra perstitisse statione nocturna. Nec me Dominus Deus meus patitur hac ordinatione privari, cui tantum famulatum exhibui ; nam et ipsos clericatus gradus canonica sum semper institutione sortitus. Lector decem annis fui, in subdiaconatus officio quinque annis ministravi, diaconatui vero quindecim annis mancipatus fui, presbyterii autem jam honore viginti annis potior. Quid enim mihi nunc restat, nisi ut episcopatum, quem fidelis servitus promeretur, accipiam ? Vos igitur revertimini ad civitates vestras, et si quid utilitati vestræ competit, exercete ; nam ego canonice assumpturus sum hunc honorem. Hæc audientes episcopi, et in eum vanam gloriam exsecrantes, discesserunt.

VII. Igitur [e] cum consensu clericorum ad episcopatum electus, cum adhuc non ordinatus cunctis ipse præesset, Cautino archidiacono diversas minas intendere cœpit, dicens : Ego te removebo, ego te humiliabo, ego tibi multas neces impendi præcipiam. Cui ille : Gratiam, inquit, tuam, domine piissime, habere desidero, quam si mereor, unum tibi beneficium præstabo. Sine ullo enim labore tuo, et absque ullo dolo, ego ad regem pergam, et episcopatum tibi obtinebo, nihil petens, nisi ut promerear gratiam tuam. At ille suspicans eum sibi velle illudere, hæc valde despexit. Hic vero cum se cerneret humiliari, atque calumniæ subjici, languore simulato, et per noctem civitatem egrediens, Theodobaldum regem petiit, annuntians transitum sancti Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, convocatis sacerdotibus apud Mettensem civitatem, Cautinus archidiaconus episcopus ordinatur. Cum autem venissent nuntii Catonis presbyteri, hic jam episcopus erat. Tunc ex jussu regis 147 traditis ei clericis, et omnibus quæ hi de rebus ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque qui cum eo pergere deberent episcopis et camerariis, Arvernos eum direxerunt. Qui a clericis et civibus libenter exceptus, episcopus Arvernis est datus. Grandes postea inter ipsum et Catonem presbyterum inimicitiæ ortæ sunt : quia nullus unquam potuit flectere Catonem, ut episcopo suo subditus esset. Nam et divisio clericorum facta est, et alii Cautino episcopo erant subditi, alii Catoni presbytero : quod eis fuit maximum detrimentum. Cautinus autem episcopus videns eum nulla ratione posse flecti, ut sibi esset subditus, tam ei quam amicis ejus, vel quicunque ei consentiebant, omnes res ecclesiæ abstulit, reliquitque eos inanes ac vacuos. Quicunque tamen ex ipsis ad eum convertebantur, iterum quod perdiderant, recipiebant.

VIII. Regnante vero Agilane apud Hispaniam, cum populum gravissimo dominationis suæ jugo attereret, exercitus imperatoris Hispanias est ingressus, et civitates aliquas pervasit. Interfecto autem Agilane, Athanagildus [f] regnum accepit. Qui multa bella contra ipsum exercitum postea egit, et eos plerumque devicit ; civitatesque, quas male pervaserant, ex parte auferens de potestate eorum.

IX. Theodobaldus vero cum jam adultus esset, fuerit.

[a] Duodecim circiter leucis dissita est Brivate a Claromontana urbe.

[b] Sic Regm. cum Bad. ; cæteri, *unde hæc non*.

[c] Ordinatorum officium vel ex hoc loco licet intelligere. Bertefridus episc. Ambianensis in Privilegio Corbeiensi vetat, ne quis episcopus ex suis successoribus, aut archidiaconus, seu quislibet ordinator ecclesiæ Ambianensis, ad præfatum monasterium accedere, aut... præsumat nisi ab abbate rogatus

[d] Deest hoc caput in Bell., Corb., Colb. et Reg.

[e] Et hoc caput deest in mss. 4 supradictis.

[f] Regm. cum Bad., *Athanagel dux*, mendose. Is Agilanem, adjuvante Liberio patricio, quem Justinianus in Hispaniam miserat, devicit ; sed postea in pellendis Græcis, qui urbes aliquot occuparant, multum desudavit.

Uvaldetradam [a] duxit uxorem. Hanc Theodobaldum ferunt malli fuisse ingenii, ita ut iratus cuidam, quem suspectum de rebus suis habebat, fabulam fingeret, dicens : Serpens ampullam vino plenam reperit, per cujus os ingressus, quod intus habebatur avidus hausit : a quo inflatus 148 vino, exire per aditum quo ingressus fuerat, non valebat. Veniens vero vini dominus, cum ille exire niteretur, nec posset, ait ad serpentem : Evome prius quod ingluttisti, et tunc poteris abscedere liber. Quæ fabula magnum ei timorem atque odium præparavit. Sub eo enim et Buccellinus, cum totam Italiam in Francorum regnum redegisset, a Narsete interfectus est, [b] Italia ad partem imperatoris capta, nec fuit qui eam ultra reciperet. Sub hujus tempore uvas in arbore, quam sambucum [c] vocamus, absque vitis conjunctione natas vidimus; et flores ipsarum arborum, quæ nigra, ut nostis, grana proferre solitæ sunt, racemorum grana dederunt. Tunc et in circulum lunæ stella [d] quinta ex adverso veniens introisse visa est. Credo hæc signa mortem ipsius regis annuntiasse. Ipse vero valde infirmatus, a cinctura deorsum se volutare non poterat [e]. Qui paulatim decidens, septimo regni sui anno mortuus est, regnumque ejus Chlothacharius rex accepit, copulans Vuldetradam uxorem ejus strato suo. Sed increpitus a sacerdotibus, reliquit eam, dans ei Garivaldum ducem, dirigensque [f] Arvernis Chramnum filium suum.

X. Eo [g] anno rebellantibus Saxonibus, Chlothacharius rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem delevit, pervagans tojam Thoringiam ac devastans, pro eo quod Saxonibus solatium præbuissent [h].

XI. Decedente [i] vero apud urbem Turonicam Gunthario episcopo, per emissionem, ut ferunt, Cautini episcopi, Cato presbyter ad gubernandam Turonicæ urbis Ecclesiam petebatur. 149 Unde factum est, ut conjuncti clerici, cum Leubaste martyrario [j] et abbate, cum magno apparatu Arvernum properarent. Cumque Catoni regis voluntatem patefecissent, suspendit eos a responso paucis diebus. Hi vero regredi cupientes, dicunt : Pande nobis voluntatem tuam, ut sciamus quid debeamus sequi; alioquin revertimur ad propria. Non enim nostra te voluntate expetivimus, sed regis præceptione. At ille, ut erat vanæ gloriæ cupidus, adunata pauperum caterva, clamorem dari præcepit his verbis : Cur nos deseris, bone pater, filios, quos nunc usque educasti? Quis nos cibo potuque reficiet, si tu abieris? regamps ne nos relinquas, quos alere consuesti. Tunc ille conversus ad clerum Turonicum, ait : Videtis nunc, fratres charissimi, qualiter hæc multitudo pauperum me diligit; non possum eos relinquere et ire vobiscum. Istud hi responsum accipientes, regressi sunt Turonis. Cato autem amicitias cum Chramno nexuerat, promissionem ab eo accipiens, ut si contigerit in articulo temporis illius regem mori Chlothacharium, statim ejecto Cautino ab episcopatu, iste præponeretur Ecclesiæ. Sed qui cathedram beati Martini contemptui habuit, quam voluit non accepit : impletumque est in eo quod David cecinit, dicens : *Noluit benedictionem, et prolongabitur ab eo* (*Psal.* cvm, 18). Erat enim vanitatis cothurno elatus, nullum sibi putans in sanctitate haberi præstantiorem. Nam quadam vice conducta pecunia mulierem clamare fecit in ecclesia, quasi per energiam, et se sanctum magnum, Deoque charum confiteri; Cautinum autem episcopum omnibus sceleribus criminosum, indignumque qui sacerdotium debuisset adipisci.

XII. Denique [k] Cautinus assumpto episcopatu, talem se reddidit, ut ab omnibus exsecraretur, vino ultra modum deditus : nam plerumque in tantum infundebatur potu, ut de convivio 150 vix a quatuor portaretur. Unde factum est, ut epilepticus fieret in sequenti : quod sæpius populis manifestatum fuit. Erat enim et avaritiæ intantum incumbens, ut cujuscunque possessionis fines ejus termino adhæsissent, interitum sibi putaret, si ab eisdem aliquid non mi-

[a] Sic Corb., Bell., Bec. et Reg.; alii *Waldetrudam*, aut *Uldotradam*. Hæc fuit Wachonis Langobardorum regis altera filia, Wisegardis Theodeberti uxoris soror, de quibus Paulus lib. 1, cap. 21.

[b] De expeditionibus Buccelini in Italiam, præter alios auctores, legendi potissimum Procopius et Agathias, qui fuse de bellis inter Justinianum et Gothos in Italia motis, quibus sese Franci sæpius intermiscuere, scripserunt. Iidem de legationibus hinc et inde missis ea de causa. Buccelinum anno 554 fuisse interemptum censet Valesius, Hamingum vero, alterum Francici exercitus ducem, anno sequenti, cum jam Leutharius Buccelini frater præda onustus in patriam reverti festinans, inter Tridentum ac Veronam fuisset defunctus. Quas quidem Francorum clades appendix ad Marcellinum comitem, Marius in Chronico, Paulus diaconus, aliique auctores, sed variis annis, commemorant. Porro licet ea occasione Franci ea quæ in Italia possidebant penitus amiserint, nec tunc temporis quisquam missus fuerit ad ea recuperanda; certum est tamen Chlotarium postea aliquid in Italia possedisse, ut ipse Sigibertus filius ejus testatur infra lib. IX, cap. 20, et Langobardi in Italia commanentes tributa Francorum regibus pendebant, ex lib. X, cap. 3.

[c] Mor. s., *saucum*.

[d] Sic Corb. et Regm.; cæteri fere, *lunæ quintæ stella*; alii, *stellam*.

[e] Regm., *diu non potcrat stare*. Bec. et Bell., *se judicare*.

[f] Regm., *dirigens Arvernis ad filium suum Chramnum*.

[g] Hoc caput deest in Reg. et Colb.

[h] Aliquot, *suppetias præstitisscnt*. Et pro *totam Thoringiam*, habent, *Tornacum*, *Thoringiam*. Marius Thuringiæ devastationem ob præstita Saxonibus auxilia post alteram Chlotarii expeditionem contigisse refert an. 15 P. C. Basilii, id est 556, priorem anno præcedenti, quo Theodebaldus obiit, consignat.

[i] Hoc caput non habent Corb. et Bell.

[j] Concilium Aurelian. II anno 533, can. 15, statuit, *ut abbates, martyrarii*, etc., *apostolia*, id est litteras dimissorias, *dare non præsumant*. Martyrarii dicebantur, quod martyrum oratoriis præessent. Ex formula Andegavensi, num. 48, tomo IV Analect. Mabillon., colligitur martyrarium matriculæ seu mosocomio pauperum præfuisse.

[k] Hoc caput deest in Corb., Bell., Reg. et Colb.

nuisset : et a majoribus quidem cum rixa et scandalo auferebat, a minoribus autem violenter diripiebat. Quibus et a quibus, ut Sollius [a] noster ait, « nec dabat pretia contemnens, nec accipiebat instrumenta desperans. » Erat enim tunc temporis Anastasius presbyter, ingenuus genere, qui per chartas gloriosæ memoriæ Chrotechildis reginæ proprietatem aliquam possidebat : quem plerumque conventum episcopus rogabat humiliter ac suppliciter, ut ei chartas supradictæ reginæ daret, sibique possessionem hanc subderet. Sed ille cum voluntatem sacerdotis sui implere differret, eumque episcopus nunc blanditiis provocaret, nunc minis terreret, ad ultimum invitum urbi exhiberi præcepit, ibique impudenter teneri; et, nisi instrumenta daret, injuriis affici et fame necari jussit. Sed ille virili repugnans spiritu, nunquam præbuit instrumenta, dicens : Satius sibi esse ad tempus inedia tabescere, quam sobolem in posterum miseram derelinqui. Tunc ex jussu episcopi traditur custodibus, ut nisi has chartulas proderet, fame necaretur. Erat enim ad basilicam sancti Cassii [b] martyris crypta antiquissima abditissimaque, ubi erat sepulcrum magnum ex marmore Pario, in quo grandævi cujusdam hominis corpus positum videbatur. In hoc sepulcro super sepultum vivens presbyter sepelitur, operiturque lapide, quo prius sarcophagum fuit obtectum, datis ante ostium custodibus. Sed custodes fidi quod lapide premeretur, cum esset hyems, accenso igne, vino sopiti calido obdormiunt. At presbyter, tanquam novus Jonas, velut de 151 ventre inferi, ita de conclusione tumuli Domini misericordiam flagitabat. Et quia spatiosum erat, ut diximus, sarcophagum, etsi se integrum vertere non poterat, manus tamen in parte qua voluisset libere extendebat. Manabat enim ex ossibus mortui, ut ipse referre erat solitus, fetor lethalis, qui non solum externa, verum etiam interna viscerum quatiebat. Cumque pallio aditus narium obseraret, quandiu flatum continere poterat, nihil pessimum sentiebat : ubi autem se quasi suffocari putabat, remoto paululum ab ore pallio, non modo per os aut per nares, verum etiam per ipsas, ut ita dicam, aures, odorem pestiferum hauriebat. Quid plura? Quando divinitati, ut credo, condoluit, manum dexteram ad spondam sarcophagi tendit, reperitque vectem, quo decedente operiorio, inter ipsum ac labium sepulcri remanserat. Quem paulatim commovens, sensit cooperante Dei adjutorio, lapidem amoveri. Verum ubi ita remotus fuit, ut presbyter caput foras educeret, majorem quo totus egrederetur aditum liberius patefecit. Interea operientibus nocturnis tenebris diem, nec adhuc usquequaque diffusis, aliud cryptæ ostium petit : erat enim seris fortissimis clavisque firmissimis obseratum; verumtamen non erat ita levigatum, ut inter tabulas aspicere homo non posset. Ad hos aditus presbyter caput reclinat, advertitque hominem viam prætereuntem. Hunc, licet voce tenui, vocat. Exaudit ille, nec mora, securem manu tenens, sudes ligneas, quibus seræ continebantur, incidit, aditumque presbytero patefecit. At ille de nocte consurgens, ad domum pergit, satis virum obsecrans, ne de eo cuiquam aliud enarraret. Domum igitur suam ingressus, inquisitis chartis, quas ei memorata regina tradiderat, ad Chlothacharium regem defert, indicans qualiter 152 ab episcopo suo vivens sepulturæ fuerat mancipatus. Stupescentibus autem omnibus, et dicentibus, nunquam vel Neronem, vel Herodem tale facinus perpetrasse, ut homo vivens sepulcro reconderetur, advenit ad Chlothacharium regem Cautinus episcopus : sed accusante presbytero, victus confususque discessit. Presbyter autem acceptis a rege præceptionibus, res suas ut libuit defensavit possiditque, ac suis posteris dereliquit. In Cautino autem nihil sancti, nihil pensi fuit : de omnibus enim scripturis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, adplene immunis fuit. Judæis valde charus ac subditus erat, non pro salute, ut pastoris cura debet esse sollicita, sed pro comparandis speciebus, quas cum hic blandiretur, et illi se adulatores manifestissime declararent, majori quam constabant pretio venumdabant [c].

XIII. Chramnus [d] vero his diebus apud Arvernum residebat. Multæ enim causæ tunc per eum irrationabiliter gerebantur; et ob hoc acceleratus est [e] de mundo : multum enim maledicebatur a populo. Nullum autem bominem diligebat, a quo consilium bonum utileque posset accipere; nisi collectis vilibus personis ætate juvenili fluctuantibus, eosdem tantummodo diligebat [f], eorumque consilium audiens, ita ut filias senatorum datis præceptionibus, eisdem videntibus trahi [g] juberet. Firminum a comitatu urbis graviter injuriatum abegit, et Salustium Evodii [*Al*, Euvodi] filium subrogavit. Sed Firminus cum socru sua ecclesiam petiit. Erant autem Quadragesimæ dies : et Cautinus episcopus in Brivatensem diœcesim [h] psallendo adire disposuerat, juxta institutio-

[a] Bad., *Solinus;* sed nostra lectio melior. Hic quippe Apollinaris Sidonius designatur, qui et dicebatur *Caius Sollius*. Locus autem a Gregorio laudatus habetur in epistola 1, lib. II, quæ est ad Hecdicium, ubi loquitur de Serenati vitiis, qui res aliorum invadebat nullo dato pretio, quod eos contemneret; nec accipiebat instrumenta, id est litteras seu tabulas venditionis.

[b] De hac lib. I de ecclesiis Claromont. Exstat hodie, ut monet Savaro, parochiali titulo insignita. Vide supra lib. I, ad cap. 34. De S. Cassio et sociis agunt Bollandiani ad diem 15 Febr. quo eorum festum celebratur.

[c] Chesn. et Frch., *venumdabat.*

[d] Hoc caput deest in reg. et Colb. Confer illud cum cap. 60 libri I de Gloria Mart.

[e] Sic mss. Editi vero, *celerius ablatus est.*

[f] Sic iidem mss. At editi habent, *collectas viles personas ætate juvenili fluctuantes fovebat et diligebat.*

[g] Sic Corb.; alii mss., *vi detrahi juberet.* Ed., *datis prædationibus, seu, dans prædonibus, eisdem ut detrahi*, etc. Firminus hic laudatus, erat e nobili Firminorum familia, qui præfecti prætorio et patricii fuerunt, uti ex novellis Valentiniani et Marciani liquet. Eos autem ex Arvernis oriundos fuisse putat Savaro in notis ad epist. 2 Sidonii, lib. IX, quæ est ad Firminum.

[h] *Diœcesim* hic pro urbe designat; nam Brivate, ubi

nem sancti Galli, sicut supra scripsimus. Egressus est igitur episcopus ab urbe cum magno fletu, metuens ne aliquid in itinere adversi **153** perferret : intendebat enim et ipsi rex [a] Chramnus minas. Qui dum iter ageret, misit rex Imnacharium et Scaptharium primos de latere suo [b], dicens : Ite et vi abstrahite Firminum, Cæsariamque socrum ejus de ecclesia. Discedente [c] vero episcopo cum psallentio, sicut supra memoravimus, hi qui missi fuerant a Chramno, ingrediuntur ecclesiam, ac Firminum Cæsariamque variis collocutionum dolis mulcere tentant. Verum ubi diutissime alia ex aliis deambulantes per ecclesiam colloquuntur, et in hoc qui confugerant intenderent ex animo quæ dicebantur, ad regias [d] ædis sacræ, quæ tunc reseratæ fuerant, appropinquant. Tunc Imnacharius Firminum, Scaptharius [e] Cæsariam apprehensos inter brachia ab ecclesia ejiciunt, paratis pueris qui susciperent : quos statim in exsilium direxerunt. Sed die altera depressis somno custodibus, ipsi se liberos sentientes, ad beati Juliani basilicam confugiunt, et sic ab exsilio liberantur : res tamen eorum fisco collatæ sunt. Cautinus autem episcopus, cum suspectus esset quod et ipse injuriaretur, ac memoratum iter terens equum haberet stratum, vidit post tergum homines venientes cum caballis, qui ad occursum ejus veniebant, et ait : Væ mihi, quia hi sunt quos Chramnus direxit ad me comprehendendum. Et ascenso equite [*Al.* equo], relicto psallentio, solus usque in porticum basilicæ sancti Juliani, ambobus urgens calcaneis corripedem, pene exanimis percurrit. Sed nos hæc narrantes, Sallustii sententiam, quam in detractores historiographorum protulit, memoramus ; ait enim [f] : « Arduum videtur res gestas scribere : primum, quod facta dictis exæquanda sunt ; deinde quia plerique delicta, quæ reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant. » Sed cœpta sequamur.

XIV. Igitur Chlothacharius post mortem Theodobaldi cum regnum **154** Franciæ [g] suscepisset, atque illud circumiret, audivit a suis iterata insania effervescere Saxones, sibique esse rebelles ; et quod tributa, quæ annis singulis consueverant ministrare, contemnerent reddere. His incitatus verbis, ad eos dirigit. Cumque jam prope terminum illorum esset, Saxones legatos ad eum mittunt, dicentes : Non enim sumus contemptores tui, et ea quæ fratribus [h] ac nepotibus tuis reddere consuevimus, non negamus, et majora adhuc, si quæsieris, reddemus. Unum tantum exposcimus, ut sit pax, ne tuus exercitus et noster populus collidatur. Hæc audiens Chlothacharius rex, ait suis : Bene loquuntur hi homines : non incedamus super eos, ne forte peccemus in Deum. At illi dixerunt : Scimus enim eos mendaces, nec omnino quod promiserint impleturos. Eamus super eos. Rursum Saxones obtulerunt medietatem facultatis suæ, pacem petentes. Et Chlothacharius rex ait suis : Desistite, quæso, ab his hominibus, ne super nos Dei ira concitetur. Quod illi non acquieverunt. Rursum Saxones obtulerunt vestimenta, pecora, vel omne corpus facultatis suæ, dicentes : Hæc omnia tollite cum medietate terræ nostræ : tantum uxores et parvulos nostros relinquite liberos, et bellum inter nos non committatur. Franci autem nec hoc acquiescere voluerunt. Quibus ait Chlothacharius rex : Desistite, quæso, desistite ab hac intentione. Verbum enim directum non habemus ; nolite ad bellum ire, in quo disperdamini. Tamen si eo ire [i] volueritis spontanea voluntate, ego non sequar. Tunc illi ira commoti contra Chlothacharium regem, super eum irruunt, et scindentes tentorium ejus, ipsum quoque conviciis exasperantes, ac vi detrahentes, interficere voluerunt, si cum illis abire differret. Hæc videns Chlothacharius, invitus fuit cum eis. At illi inito certamine, maxima ab adversariis internecione **155** cæduntur : tantaque ab utroque exercitu multitudo cecidit, ut nec æstimari, nec numerari penitus possit. Tunc Chlothacharius valde confusus pacem petiit, dicens se non sua voluntate super eos venisse. Qua obtenta, ad propria rediit.

XV. Turonici [j] autem audientes regressum fuisse regem de cæde Saxonum, facto consensu [k] in Eufronium presbyterum, ad eum pergunt, dataque suggestione, respondit rex : Præceperam enim, ut Cato presbyter illic ordinaretur : et cur est spreta jussio

celebris ecclesia S. Juliani, ex diœcesi erat Arvernensi. Cæterum hac voce aliquando provincia metropolitani jurisdictioni subjecta designatur, aliquando vero plures provinciæ patriarchæ, primati, sive exarcho parentes. Quod et in civili reipublicæ administratione locum habuit ; hinc diœcesis Orientis, etc., quandoque vicum aut pagum designat, ut hic, et infra lib. VII, cap. 38 ; nunc vulgo pro episcopi jurisdictione, quam medii ævi scriptores frequenter parœciam appellabant, sumitur. Vide Cangii Glossar. et Sirmond. in epist. 16 Sidonii lib. IX. Porro Litaniæ institutio, de quâ hic Gregorius, habetur supra cap. 5, quod tamen deest in 4 mss.

[a] Observa hic Chramnum *regem* appellari, quod fuerit regis filius. Alia ejusmodi exempla passim reperies apud Gregorium.

[b] Directos *de latere* regis habemus quoque in formula ultima lib. I apud Marculfum. Quod nomen legati pontificii e Romana curia in provincias missi retinent.

[c] Aliquot mss. et ed., *descendente*.

[d] Id est portas. Corb., *ad reias*. Regiæ etiam erant valvæ seu cancelli quibus presbyterium claudebatur. Vide Mabillonii Commentarium in Ordinem Roman. num. 20, et ipsos Ordines Rom. tom. II Musei Italici.

[e] In Bec. semel prior *Imnacrius*, semper vero alter *Captarius* dicuntur.

[f] Initio libri de Bello Catilinario.

[g] Nota Theodebaldi portionem hic *regnum Franciæ* appellari. Vide Cointium ad an. 558, ubi tuse disserit de *Franciæ* nomine ; probatque cujuslibet partis Franciæ regui reges, dictos fuisse reges Francorum. De qua re multa ibi congerit.

[h] Valesius legendum putat *fratri*, quod soli Theoderico ac filio ejus Theodeberto et nepoti Theodebaldo, qui Chlotarii nepotes hic dicuntur, Saxones tributa persolvisse dici possunt.

[i] Bec., Colb. et Reg. cum editis aliquot, *si abire*. Et infra pro *fuit cum eis*, iidem habent *abiit cum eis*.

[j] Deest hoc caput in Bellov. et Corb.

[k] Consensus erat instrumentum publicum, quo de

veniet [a]. Cum dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus illis superveniet interitus, 158 sicut dolores parturientis, et non effugient [b] (I Thess. v, 2, 3). Dominus autem per Evangelium ait : Qui non audit verba mea, assimilabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam : descendit pluvia, advenerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et facta est ruina ejus magna (Matth. VII, 27). Chramnus vero ad basilicas [c] ab antedicto sacerdote susceptus est, ibique comedens panem, ad Childebertum pertendit. Infra tamen muros Divionenses non est permissus intrare. Fortiter tunc rex Chlothacharius contra Saxones decertabat. Saxones enim, ut audierunt [d], per Childebertum commoti, atque indignantes contra Francos superiori anno, exeuntesque de regione sua in Franciam venerunt, et usque ad Divitiam [e] civitatem prædas egerunt, nimiumque grave [*Al.* grande] scelus perpetrati sunt.

XVII. Tunc Chramnus jam accepta Uviliacharii [f] filia, Parisios accedens, secum Childebertum regem constringit in fide atque charitate, jurans se patri esse certissimum inimicum. Childebertus autem rex, dum Chlothacharius contra Saxones decertaret, in Campaniam Rhemensem accedit, et usque Rhemis civitatem properans, cuncta prædis atque incendio devastavit. Audierat enim fratrem suum a Saxonibus fuisse peremptum, et regno suo cuncta subjici estimans, quæ adire potuit universa pervasit.

XVIII. Tunc et Austrapius dux Chramnum metuens, in basilicam sancti Martini confugit ; cui tali in tribulatione posito non defuit divinum auxilium. Nam cum Chramnus ita eum constringi jussisset, ut nullus illi 159 alimenta præbere præsumeret, et ita arctius custodiretur, ut nec aquam quidem ei haurire liceret, quo facilius compulsus inedia, ipse sponte sua de basilica sancta periturus exiret : accedens quidam vasculum illi cum aqua semivivo detulit ad potandum. Quo accepto, velociter judex loci advolavit, ereptumque de manu ejus, terræ diffudit. Quod velox Dei ultio, et beati antistitis virtus est subsecuta. Ea namque die judex, qui ista gesserat, correptus a febre, nocte media exspiravit ; nec pervenit in crastinum ad illam horam, qua in basilica sancti poculum de manu excusserat fugitivi. Post illud miraculum, omnes ei opulentissime quæ erant necessaria detulerunt. Redeunte autem in regnum suum rege Chlothachario, magnus cum eo est habitus. Tempore vero ejus, ad clericatum accedens apud Sellense castrum [g], quod in Pictava habetur diœcesi, ordinatur : futurum ut decedente Pientio antistite, qui tunc Pictavam regebat Ecclesiam, ipse succederet. Sed rex Charibertus in aliud vertit sententiam. Denique cum Pientius episcopus [h] ab hac luce migrasset, apud Parisios civitatem Pascentius, qui tunc abbas erat basilicæ sancti Hilarii, ei succedit, ex jussu regis Chariberti, clamante Austrapio sibi hunc redhiberi [i] locum : sed parum ei jactati profuere sermones. Ipse quoque regressus ad castrum suum, mota super se Theifalorum [j] seditione, quos sæpe gravaverat, lancea sauciatus 160 crudeliter vitam finivit. Diœceses vero suas Ecclesia Pictava recepit.

XIX. Tempore [k] quoque Chlothacharii regis, sanctus Dei Medardus episcopus, consummato boni operis cursu, et plenus dierum, sanctitate præcipuus, diem obiit. Quem Chlothacharius rex cum summo honore apud Suessionas civitatem sepelivit, et basilicam super eum fabricare cœpit ; quam postea Sigibertus filius ejus explevit, atque composuit. Ad cujus beatum sepulcrum vidimus vinetorum compe-

[a] Sic Corb. et Bell.; alii cum editis, *nocte, ita veniet*. Regm. infra, *tunc repentinus veniet interitus*.

[b] Hic desinit codex Regius, quamvis initio hujus libri index omnium ipsius capitum habeatur, et non sit lacerus. Tum proxime subjungitur Reginonis Chronicon eadem omnino manu, qua Gregorii libri, conscriptum.

[c] Colb. et Regm. *basilicam*, forte sancti Benigni aut S. Joanni, quæ nunc intra muros urbis conclusæ sunt. Ex hoc loco patet tunc in Gallia tres lectiones in Missa legi solitas fuisse, quarum prior erat veteris Testamenti, secunda ex Apostolo, tertia ex Evangelio. Vide Liturgiam Gallicanam Mabillonii.

[d] Sic Corb. et Bell.; alii plerique, *ut asserunt*.

[e] Sic Corb. et Bell.; vulgo dicitur esse *Deutz* prope Coloniam Agrippinam. Sed mirum est hunc locum civitatem appellari, qui hodie Tuitium dicitur, celebris ob abbatiam, cui præfuit Rupertus abbas. *Divitiensium* meminit Ammianus Marcellinus lib. XXVI et XXVII. Hic Gregorius, sicut et supra passim, appellat regionem Transrhenanam simpliciter *Franciam*. Colb. habet *Mustiam*. Editi ut plurimum, *Nutiam*.

[f] Alii cum Colb., *Wilichiarii*. is erat dux Aquitaniæ ; filia ejus, quæ Chramno nupsit, Chalda appellatur in libro de Gestis Francorum.

[g] Etiam nunc sub prisco nomine notum, vulgo *Selle* aut *Celle*, ubi abbatia canonicorum regularium.

[h] Si Pientius, ut observat Beslius, apud Metulum, vulgo *Melle*, in sua diœcesi obiit, hæc Gregorii verba *apud Parisios*, ad Pascentium, non vero ad Pientium sunt referenda. Porro Pientio et Austrapio hic memoratis cura exstruendi monasterii sanctæ Radegundis fuerat commissa, ipsa Baudonivia attestante. Pascentio Fortunatus Vitam S. Hilarii a se scriptam nuncupavit. Pientii vero, vulgo *S. Pien*, festum celebratur die 13 Martii.

[i] Regm., *reddi debere*. Bec., *redeberi*.

[j] Teifali seu Taifali, una ex his gentibus barbaris, quæ sæculo quinto ineunte Gallias inundarunt. Horum aliquot sedes fixere apud Pictones, ac nomen dedere vico *Teifalia* dicto, qui etiam nunc superest sub nomine Tifaugiæ, vulgo *Tifauge*, inter Clicchinum et Moritaniam, positus ad fluvium Separim. Fuere et Taifali gentiles, quorum una cum Sarmatis apud Pictones præsidium fuit, ex Notitia provinciarum imperii Romani. Adi Vales. lib. VIII Rerum Francic., aut in Notitia Galliarum ea de re disceptem.

[k] Desit hoc caput in Corb. et Bell.; habetur in cæteris, et indicatur inter capita libri IV in cod. Regio. De S. Medardo agitur item in lib. de Glor. Conf. cap. 95. Obitum ejus consignat Comitius an. 545; Valesius an. 560. Etiam nunc prope Suessionas exstat basilica cum insigni monasterio ord. Benedictini sub sancti Mauri congregatione, ubi sepulcrum B. Medardi visitur in crypta subterranea. Fortunatus præter ejus vitam, scripsit de eodem carm. 17 Libri II, ubi de basilica a Sigiberto perfecta agit.

des atque catenas disruptas confractasque jacere, quas usque hodie in testimonium virtutis ejus, ad ipsum beati sepulcrum reservantur. Sed ad superiora redeamus.

XX. Childebertus igitur rex ægrotare cœpit, et cum diutissime apud Parisios lectulo decubasset, obiit; et ad basilicam beati Vincentii [a], quam ipse construxerat, est sepultus. Cujus regnum et thesauros Chlothacharius rex accepit : Ultrogotthan [b] vero et filias ejus duas in exsilium posuit. Chramnus autem patri repræsentatur, sed postea infidelis exstitit. Cumque se cerneret evadere non posse, Britanniam petiit : ibique cum Chonobro [c] Britannorum comite, ipse et uxor ejus, ac filiæ latuerunt. Wiliacharius autem socer ejus [d] ad basilicam sancti Martini confugit. Tunc sancta basilica a peccatis populi ac ludibriis, quæ in ea fiebant, per Wiliacharium conjugemque ejus succensa est, quod non 161 sine gravi suspirio memoramus. Sed et civitas Turonica ante annum jam igni consumpta fuerat, et totæ ecclesiæ in eadem constructiæ, desertæ relictæ sunt. Protinus beati Martini basilica, ordinante Chlothachario rege, stanno cooperta est, et in illa, ut prius fuerat, elegantia, reparata. Tunc duæ acies locustarum apparuerunt, quæ per Arvernum atque Lemovicinum [e] transeuntes, ut ferunt, Romaniacum campum venerunt, in quo, prælio magno inter se acto, maxime sunt collisæ. Chlothacharius autem rex, contra Chramnum frendens, cum exercitu adversus eum in Britanniam dirigit. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Cumque in uno campo conglobatus uterque resideret exercitus, et Chramnus cum Britannis contra patrem aciem instruxisset, incumbente nocte a bello cessatum est. Ea quoque nocte Chonober comes Britannorum dicit ad Chramnum : Injustum censeo te contra patrem tuum debere egredi. Permitte me hac nocte, ut irruam super eum, ipsumque cum toto exercitu prosternam. Quod Chramnus, ut credo, virtute Dei præventus, fieri non permisit. Mane autem facto, uterque commoto exercitu ad bellum contra se properant. Ibatque Chlothacharius rex tanquam novus David contra Absalonem filium pugnaturus, plangens atque dicens : Respice, Domine, de cœlo, et judica causam meam, quia injuste a filio injurias patior. Respice, et judica juste; illudque impone judicium, quod quondam inter Absalonem et patrem ejus David posuisti. Confligentibus igitur pariter, Britannorum comes terga vertit, ibique et cecidit. Denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens : sed dum uxorem et filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cum Chlothachario regi nuntiatum fuisset, jussit eum cum uxore et filiabus 162 igni consumi : inclusique in tugurio cujusdam pauperculi [f], Chramnus super scamnum extensus orario suggillatus est; et sic postea super eos incensa casula, cum uxore et filiabus interiit.

XXI. Rex vero Chlothacharius anno quinquagesimo primo regni sui, cum multis muneribus limina beati Martini expetiit [g], et adveniens Turonis ad sepulcrum antedicti antistitis, cunctas actiones quas fortasse negligenter egerat replicans, et orans cum grandi gemitu, ut pro suis culpis beatus confessor Domini misericordiam exoraret, et ea quæ irrationabiliter commiserat, suo obtentu dilueret. Exin regressus, quinquagesimo primo regni sui anno, dum in Cotia silva [h] venationem exerceret, a febre corripitur, et exinde Compendium villam rediit : in qua cum graviter vexaretur a febre, aiebat : Vua ! Quid putatis, qualis est ille Rex cœlestis, qui sic tam magnos reges interficit ! In hoc enim tædio positus, spiritum exhalavit. Quem quatuor filii sui cum magno honore Suessionas deferentes, in basilica beati Medardi sepelierunt. Obiit autem post unum decurretis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus.

XXII. Chilpericus vero post patris funera, thesauros qui in villa Brinnaco [i] erant congregati, as-

[a] Hæc est basilica S. Germani a Pratis dicta, de qua supra ad cap. 29 lib. III, ubi in medio chori visitur etiam nunc Childeberti regis sepulcrum, tametsi non tantæ antiquitatis. Ejus depositio in autographo Usuardi Martyrologio die 23 Decembris consignatur, quo die singulis annis ejus anniversarium cum solemni pompa etiam nunc celebramus.

[b] Non facile reperias, inquit Valesius, lib. VIII Rerum Francic., cujus pietas et de summis Ecclesiæ rebus sollicitudo multis et magnis experimentis testatior fuit, quam Childeberti. » Id probant loca sacra, quæ exstruxit, dotavit, protexit; concilia, quæ eo curante frequenter celebrata sunt, pontificum Romanorum, aliorumque episcoporum epistolæ, omnium ferme ejus ævi auctorum testimonia. Ob suam in cultum divinum pietatem, *rex atque sacerdos* a Fortunato appellatur, q i et cum passim, tum in Vita sancti Germani, tum in carminibus plurimum laudat. Vide Vales. libro laudato, et alios auctores passim. Ejus Constitutionem adversus paganorum reliquias dabimus in Appendice.

[c] Uxorem scilicet Childeberti regis, ac duas filias ejus, Chrotbergam et Chrotesindam.

[d] Alii, *Covnobro;* Bell., *Chonoo*, et sic infra. Corb. *Chonoo*. Et sic in isto capite legitur bis, tam pro *Chonober*, quam pro *Chonobro*. Sed et supra in cap. 4 ejusdem libri IV, col. 144, lin. 20, pro *Chanaco* legitur in eodem Corb., *Chonoone*, quanquam idem alias dicitur *Chanao*.

[e] Corb. et Bell., *Williacharius autem sacerdos id.* Corb. et aliquot editi, *Willicharius*, ut supra.

[f] Bell., *Lemojecinum... Romanicum campum.*

[g] Alii, *inclusitque... pauperculæ*. Marius ad annum 560 refert eum *cum uxore et filiis* crematum fuisse.

[h] Itineris comes fuit beatus Germanus Parisiorum episcopus, qui ea occasione Pictavos perrexit, Radegundi pro rege veniam petiturus, ut narrat Baudoni via in Vita S. Radegundis. Tunc procul dubio Agnetem abbatissam benedixit, ut dicitur infra lib. IX, cap. 42.

[i] Etiam nunc nomen retinet, *la forêt de Cuise*, Compendio proxima. Cointius pluribus probat Chlotarium anno 50 regni sui obiisse, Valesius aliquot diebus annum excessisse probabile existimat : quo pacto legendum esset saltem hujus capitis initio *anno* 50. Henschenius censet hic scribendum 52. Chlotarius obiit ex Mario *anno* 20 post Consulatum Basilii, id est an. 561, Ind. IX.

[j] Alii, *Brannaco*, vulgo *Braine*, oppidum tribus circiter leucis ab Augusta Suessionum distans versus Rhemos, ubi insignis abbatia Ordinis Præmonstratensis S. Evodio dicata.

cepit, et ad Francos utiliores petiit, ipsosque muneribus mollitos sibi subdidit. Et mox Parisios ingreditur, sedemque Childeberti regis occupat, sed non diu hoc ei licuit possidere; nam conjuncti fratres ejus eum exinde repulere, et sic inter se hi quatuor, id est Charibertus, Guntchramnus, Chilpericus, atque Sigibertus, divisionem legitimam faciunt. Deditque sors [a] Chariberto regnum Childeberti, sedemque habere Parisios; Guntchramno vero regnum Chlodomeris, ac tenere sedem Aurelianensem [b]; Chilperico vero regnum Chlothacharii patris ejus, cathedramque **163** Suessionas habere; Sigiberto quoque regnum Theuderici, sedemque habere Rhemensem [c].

XXIII. Nam post mortem Chlothacharii regis Chuni [*Al.* Hunni] Gallias appetunt, contra quos Sigibertus exercitum dirigit, et gesto contra eos bello, vicit atque fugavit : sed postea rex eorum amicitias cum eodem per legatos meruit. Dum autem cum eis turbatus esset Sigibertus, Chilpericus frater ejus Rhemis pervadit, et alias civitates, quæ ad eum pertinebant, abstulit. Ex hoc enim inter eos, quod pejus est, bellum civile surrexit. Rediens autem Sigibertus victor a Chunis, Suessionas civitatem occupat, ibique inventum Theodobertum, Chilperici regis filium, apprehendit, et in exsilium transmittit. Accedens autem contra Chilpericum, bellum commovit : quo victo atque fugato, civitates suas in suam dominationem restituit. Theodobertum vero filium illius, apud Ponticonem villam [d] custodiri jussit per annum integrum, quem postea, ut erat clemens, muneribus ditatum patri reddidit sanum, dato tamen sibi sacramento, ne unquam contra eum agere deberet : quod postea peccatis facientibus est irruptum.

XXIV. Cum autem Guntchramnus rex regni partem, sicut fratres sui, obtinuisset, amoto Agrœcula [e] patricio, Celsum patriciatus honore donavit, virum procerum statu [f], in scapulis **164** validum, lacertis robustum, in verbis tumidum, in responsis opportunum, juris lectione peritum : cui tanta deinceps habendi cupiditas exstitit, ut sæpius ecclesiarum res auferens, suis ditionibus subjugarit. Nam cum audisset quadam vice Isaiæ prophetæ lectionem in ecclesia legi, in qua ait : *Væ his qui jungunt domum ad domum, et agrum ad agrum copulant usque ad terminum loci* (*Isai.* v, 8), exclamasse fertur : Incongrue hoc Væ mihi et filiis meis. Sed reliquit filium, qui absque liberis functus, maximam partem facultatis ecclesiis, quas pater exspoliaverat, dereliquit.

XXV. Guntchramnus autem rex bonos, prime Veneranda[m], cujusdam suorum ancillam, pro concubina thoro subjunxit, de qua Gundobadum filium suscepit. Postea vero Marcatrudem [g], filiam Magnarii, in matrimonium accepit. Gundobadum [h] vero filium suum Aurelianis transmisit. Æmula autem Marcatrudis post habitum filium, in hujus mortem grassatur [i], et transmissum, ut aiunt, venenum in potum, occidit [j]. Quo mortuo, ipsa judicio Dei filium suum quem habebat perdidit, et odium regis incurrit, dimissaque ab eodem, non multo post tempore mortua est. Post quam rex Austrechildem [k], cognomento Bobilam, accepit, de qua iterum duos filios habuit, quorum senior Chlotharius, junior Chlodomeris dicebatur.

[a] *Sors* dicitur, quod sorte regni partes dividerentur, ut observat Valesius initio lib. VII Rerum Franc. Nonnulli tamen volunt hanc divisionem patre adhuc vivente fuisse factam.

[b] Guntramnum nunquam Aurelianis sedisse contendit Valesius.

[c] Sic omnes mss. et editi, excepto unico Chesnio, qui habet *Mettensem*. Verum quidem est in cod. Colb., qui olim fuit monasterii S. Arnulfi Mettensis, hodie legi *Mettensem;* sed id ab aliquo nebulone factum est, qui detrito priori vocabulo, istud substituit. Deinde certum est Sigibertum apud Rhemos habuisse regiam, quam urbem Chlodoveus Theodorico filio suo natu maximo *regni caput* attribuerat; et Theodebertus Theodorici filius cum Cabillone in morbum incurrisset, Rhemos revertens in itinere defunctus est, ut testatur Fortunatus in Vita sancti Germani. Hinc vetus auctor qui S. Quinidii Vasionensis episcopi gesta scripsit, ut eum, qui sub Chlodorei filiis et nepotibus vixit, ubique celebrem fuisse ostenderet : *Fama ipsius*, inquit, *Romam non latuit, Regna Gallorum, Rhemis denique cum suis Germanicis populis ... non texerunt.* Germanos Rhemis attribui, quod illi regibus Austrasiæ, cujus regni urbs Rhemorum erat caput, subjecti essent. His consentiunt vetus auctor, qui Gesta Francorum sub prima regum nostrorum stirpe conscripsit, Rorico, aliique plerque, qui Rhemos sedem regiam fuisse testantur. Baronium, Petavium, Cointium aliosque recentiores prætermitto. Scaliger, Had. Valesius et alii, *Rhemos aut*, sive *et Metlas*, regni sedem fuisse scribunt, regesque Mettensium et Rhemorum appellant; et quidem nemo inficiari potest, plerosque ex postremis Austrasiæ regibus apud Mettas potissimum consedisse.

[d] Villa regia ad Saltum fluvium in pago Pertensi, haud procul a Victoriaco Incenso in Campania, quam Papirius Massonus male cum Ponte-Icaunæ prope Senonas confudit. Vide lib. IV de Re diplomatica ubi de Palatiis, num. 118.

[e] Sic Bell. et Bec. cum edit.; at Corb., Regm. et Colb., *Agricola*. De Celso non semel inferius. Obiit ex Marii Chronico anno Cons. Justini junioris, id est an. 570. Silviæ ipsius matris epitaphium refert Chesnius tomo I, pag. 517. Patricii autem dignitas in Guntramni regno a Burgundionum regibus derivabat, qui cum eam ab imperatoribus accepissent, eoque nomine vocitari sæpius delectarentur, iis etiam exstinctis, qui postea sub regibus nostris illis provinciis præfecti sunt, Patricii nomen ut plurimum tulere. Vide Valesium lib. VI Rerum Francic., et Bignonium in lib. I Marculfi Formul., num. 35.

[f] Status pro statura etiam apud auctores non infimos, sacros et profanos, occurrit. Vide Glossar Cang. et notam 275 in nov. edit. sancti Paulini.

[g] Colb., *Mercatrudem*. De Magnario, seu Magnachario infra lib. V, cap. 17.

[h] Sic Bell. et Bec.; Regm., *Gundebaudum*. Colb., *Gundebadum;* alii, *Gundebaldum*.

[i] Quæ sequuntur usque ad hæc verba capitis sequentis, *Exactis a Leontio episcopo*, desunt in Bec., Colb., Regm. et Bad. Quæ autem hic habentur nemo dixerit interpolata, cum his omissis textus sit evidenter omnino mancus et interruptus.

[j] Sic Corb. pro *transmisso.... veneno*. Bell. cum ed., *in potum ei dari curavit*.

[k] Sic Corb. Alii, *Austrigildem*. Apud Chesn. al. codex, *cognomento Bobilanam*. Bell., *Bobillam*.

165 XXVI. Porro Charibertus [a] rex Ingobergam accepit uxorem, de qua filiam habuit, quæ postea in Cantiam [b], virum accipiens, est deducta. Habebat tunc temporis Ingoberga in servitium suum duas puellas pauperis cujusdam filias, quarum prima vocabatur Marcovefa [c], religiosam vestem habens; alia vero Merofledis : in quarum amore rex valde detinebatur; erant enim, ut diximus [d], artificis lanarii filiæ. Æmula ex hoc Ingoberga, quod a rege diligerentur, patrem earum secretius operari fecit, futurum ut dum hæc rex cerneret, odio filias ejus haberet : quo operante vocavit regem. Ille autem sperans aliquid novi videre, aspicit hunc eminus lanas [e] regias componentem : quod videns, commotus in ira, reliquit Ingobergam, et Merofledem accepit. Habuit et aliam puellam opilionis, id est pastoris ovium [f], filiam, nomine Theudechildem, de qua et fertur filium habuisse, qui ut processit ex alvo, protinus delatus est ad sepulcrum. Hujus regis tempore apud urbem Sanctonicam Leontius [g], congregatis provinciæ suæ episcopis, Emerium ab episcopatu depulit, asserens non canonice eum fuisse hoc honore donatum. Decretum enim regis Chlothacharii habuerat, ut absque metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens. Quo ejecto consensum [h] fecere in Heraclium, tunc Burdegalensis urbis presbyterum, quod regi Chariberto subscriptum propriis manibus, per Nuncupatum presbyterum transmiserunt. Qui veniens Turonis, rem gestam beato Eufronio pandit, deprecans ut hoc consensum subscribere dignaretur, quod vir Dei manifeste respuit. **166** Igitur post- A quam presbyter Parisiacæ urbis portas ingressus regis præsentiam adiit, hæc effatus est : Salve, rex gloriose. Sedes enim apostolica eminentiæ tuæ salutem mittit uberrimam. Cui ille : Nunquid, ait, Romanam [i] adisti urbem, ut papæ illius nobis salutem deferas? Pater, inquit presbyter, tuus Leontius cum provincialibus suis salutem tibi mittit, indicans Æmulum, sic enim vocitare consueverant Emerium in infantia sua, ejectum ab episcopatu, pro eo quod prætermissa canonum sanctione, urbis Sanctonicæ episcopatum ambivit. Ideoque consensum ad te direxerunt, ut alius in loco ejus substituatur : quo fiat, ut dum transgressores canonum regulariter arguuntur, regni vestri potentia ævis prolixioribus propagetur. Hæc eo dicente, frendens rex eum a suis conspectiB bus extrahi jussit, et plaustro spinis oppleto imponi desuper, et in exilium protrudi præcepit, dicens : Putasne quod non est super quisquam de filiis Chlothacharii regis, qui patris facta custodiat, quod hi episcopum, quem ejus voluntas elegit, absque nostro judicio projecerunt? Et statim directis viris religiosis, episcopum in loco restituit, dirigens etiam quosdam de camerariis suis, qui exactis a Leontio episcopo mille aureis, reliquos juxta possibilitatem condemnarent episcopos : et sic principis [j] est ultus injuriam. Posthæc Marcovefam, Merofledis [k] scilicet sororem, conjugio copulavit. Pro qua causa a sancto Germano episcopo excommunicatus uterque est. Sed cum eam rex relinquere nollet, percussa judicio Dei obiit. Nec multo post et **167** ipse rex post eam deC cessit Charibertus [l] : cujus post obitum Theudechil-

[a] Corb. mendose, *Sigibertus*; alii, *Haribertus*.

[b] Hæc est Aldeberga, sive Bertha, quæ Ethelberto Cantiæ regi in Anglia nupta, mariti sui totiusque gentis conversioni plurimum allaboravit cum S. Augustino, aliisque monachis a Gregorio Magno missis. Letaldum episc., ut putant, Silvanectensem, secum habebat, cujus memoria celebratur die 24 Febr. Pro *Cantia*, cod. Bell. et alii, quibus usi sunt qui editiones plerasque Chesnio anteriores curarunt, habent *Gantia*, cui vocabulo particulam *in* præcedentem jungentes, nomen fecerunt *Ingantia*, quasi hæc regina sic fuisset appellata. Vide Bedam lib. II, cap. 25, Guillelm. Malmesbur., etc., et confer cap. 26, lib. IX, infra.

[c] Cod. Bell., *Marocovefa*.

[d] Sic omnes mss. et editi, præter Chesn. qui habet, *ut dicebatur*.

[e] Sic Corb. et Bell. Editi plerique, *Lascias*.

[f] Hæc verba, *id est pastoris ovium*, desiderantur in editis; sunt autem in codd. Corb., Bellovac. et Palatino. Hæc vero in Bell. dicitur *Teudegildis*. Regm., *Teotigildis*. Ed., *Theudegildis*, seu *Teodegildis*.

[g] Is fuit Burdegalensis episcopus, de quo Fortunatus lib. IV, carm. 10, et alias passim; distinguendus ab alio ejusdem nominis episcopo Arelatensi, paulo antiquiore, de quo idem Fortunatus lib. IV, carm. 9. Leontium simul et Emerium laudat idem auctor lib. I, carm. 12. Variis conciliis interfuit. Leontii festum celebrant Burdigalenses die 17 kalend. Decembris.

[h] De consensu vide supra cap. 15.

[i] Sic. Bell.; cæteri cum ed., *Turonicam*. Licet enim aliæ quoque sedes episcopales tunc *apostolicæ*, ut vel ex hoc loco patet, et episcopi omnes apostolici, ut omnes sciunt, dicerentur; id tamen cum absolute et absque adjuncto sedis aut episcopi nomine D dicebatur, intelligebatur potissimum de Romana sede, ejusque pontifice. Idem dicendum de papæ nomine, quod ante Gregorii VII tempus omnibus episcopis commune erat. Videsis Cointium ad annum 562 ea de re disserentem. Infra, pro *pater... tuus*, ed. cum Bec., *patris.. tui*.

[j] Sic mss. Editi vero habent *patris*. Corb. et Regm., *principis est ulta injuria*.

[k] Aliquot mss. et ed. mendose, *Marcovei Famers fledis*.

[l] Chariberti vitia passim commemorat Gregorius ejus vero laudes fusius prosequitur Fortunatus libro VI, carm. 4, quod ideo ejus regni initio videtur scriptum. Sequens vero est de Theodechilde, sed alia a Chariberti uxore, sicut et ejusdem Fortunati carmen 25 libri IV, quam Theodorici uxorem et Theodeberti matrem fuisse suspicatur Brouverus. Sed quæ ibi Fortunatus scribit, uxori Theodorici attribui non posse probat Valesius lib. VII Rerum Francic., unde existimat eam potius esse ejusdem Theodorici filiam, et Theodeberti sororem, hanc scilicet ipsam, quæ, teste Procopio lib. IV Belli Gothici, quamquam ejus nomen reticeat, postquam Hermegisclo, tum Rodigeri Warnorum regibus nupserat, tandem in Galliam reverti coacta fuit. De eadem, uti Valesio videtur, agit Gregorius in libro de Gloria Conf., quam etiam eamdem esse conjicit cum Theodechilde, quæ monasterium S. Petri Vivi prope Senonas extruxisse dicitur. Denique *Suavegotham reginam Theudechildis reginæ* matrem laudat Frodoardus lib. II Hist. Rhemensis, quæ partem Virsiaci villæ, ubi tunc anachoretæ degebant, ecclesiæ Rhemensi dedit, easque Theodorici uxorem et filiam fuisse etiam Marlotus lib. II Metrop. Rhemensis, cap. 20, cum Valesio censet. Cointius tamen ad annum 564 contendit Theodechildem, quam Procopius regi Warnorum nupsisse tradit, fuisse Chlo-

dis una reginarum ejus, nuntios ad Guntchramnum regem dirigit, se ultro offerens matrimonio ejus. Quibus rex hoc reddidit in responsis : Accedere ad me ei non pigeat cum thesauris suis : ego enim accipiam eam, faciamque magnam in populis, ut scilicet majore mecum honore quam cum germano meo, qui nuper defunctus est, potiatur. At illa gavisa, collectis omnibus, ad eum profecta est. Quod cernens rex ait : Rectius est enim, ut hi thesauri penes me habeantur, quam post [*Ed.* apud] hanc, quæ indigne germani mei thorum adivit. Tunc ablatis multis, paucis relictis, Arelatensi eam monasterio destinavit. Hæc vero ægre acquiescens jejuniis ac vigiliis affici per occultos nuntios Gotthum quemdam advocat [*Al.* adivit], promittens quod si se in Hispanias deductam conjugio copularet, cum thesauris suis de monasterio egrediens, libenti eum animo sequeretur. Quod ille, nihil dubitans, repromisit. Cumque hæc collectis rebus, factisque voluclis [*Al.* volucris], a cœnobio pararet egredi, anticipavit voluntatem ejus industria abbatissæ [a] : deprehensaque fraude, eam graviter cæsam custodiæ mancipare præcepit, in qua usque ad exitum vitæ præsentis, non mediocribus attrita passionibus, perduravit.

XXVII. Porro Sigibertus rex, cum videret quod fratres ejus indignas sibimet uxores acciperent, et per vilitatem suam etiam ancillas in matrimonium sociarent, legationem in Hispaniam mittit, et cum multis muneribus Brunichildem Athanagildi regis filiam petiit. Erat enim puella elegans opere, **168** venusta aspectu, honesta moribus atque decora, prudens consilio, et blanda colloquio. Quam pater ejus non denegans, cum magnis thesauris antedicto regi transmisit. Ille vero congregatis senioribus secum, præparatis epulis, cum immensa lætitia atque jocunditate eam accepit uxorem. Et quia Arianæ legi subjecta erat, per prædicationem sacerdotum, atque ipsius regis commonitionem [b] conversa, beatam in unitate confessa Trinitatem credidit, atque chrismata est, quæ in nomine Christi catholica perseverat [c].

XXVIII. Quod videns Chilpericus rex, cum jam plures haberet uxores, sororem ejus Galsuintham [d] expetiit, promittens per legatos se alias relicturum : tantum condignam sibi, regisque prolem mereretur accipere. Pater vero ejus has promissiones accipiens, filiam suam, sicut anteriorem, similiter ipsi cum magnis opibus destinavit. Nam Galsuintha ætate senior quam Brunichildis erat. Quæ cum ad Chilpericum regem venisset, cum grandi honore suscepta, ejusque est sociata conjugio : a quo etiam magno amore diligebatur. Detulerat enim secum magnos thesauros. Sed per amorem Fredegundis, quam prius habuerat, ortum est inter eos grande scandalum. Jam enim in lege catholica conversa fuerat, et chrismata [e]. Cumque se regi quereretur assidue injurias perferre, diceretque nullam se dignitatem cum eodem habere, petiit ut relictis thesauris, quos secum detulerat, liberam redire permitteret ad patriam. Quod ille per ingenia dissimulans, verbis eam lenibus demulsit. Ad extremum eam suggillari **169** jussit a puero, mortuamque reperit in strato. Post cujus obitum Deus virtutem magnam ostendit. Lychnus enim ille, qui fune suspensus coram sepulcro ejus ardebat, nullo tangente, fune disrupto in pavimentum corruit : et fugiente ante eum duritia pavimenti, tanquam in aliquod molle elementum descendit, atque medius est suffossus, nec omnino contritus : quod non sine grandi [f] miraculo videntibus fuit. Rex autem cum eam mortuam deflesset, post paucos dies Fredegundem recepit in matrimonio. Post quod factum, reputantes ejus [*Bell.* ei] fratres, quod sua emissione antedicta regina fuerit interfecta, eum de regno dejiciunt. Habebat autem tunc Chilpericus tres filias de Audovera priore regina sua : id est Theodobertum, cujus supra memini mus (*Cap.* 23), Merovechum atque Chlodovechum. Sed ad cœpta redeamus.

XXIX. Chuni [g] vero iterum in Gallias venire conabantur, adversus quos Sigibertus cum exercitu dirigit, habens secum magnam multitudinem virorum fortium. Cumque confligere deberent, isti magicis artibus instructi, diversas eis fantasias ostendunt, et eos valde superant. Fugiente autem exercitu Sigiberti, ipse inclusus a Chunis retinebatur, nisi postea, ut erat elegans et versutus, quos non potuit superare virtute prælii, superavit arte donandi. Nam datis muneribus fœdus cum rege iniit [h], ut omnibus diebus vitæ suæ nulla inter se prælia commoverent : idque ei magis ad laudem, quam ad aliquod pertinere opprobrium justa ratione pensatur. Sed et rex Chunorum multa munera regi Sigiberto dedit. Vocabatur autem Gaganus [i] ; omnes enim reges gentis illius hoc appellantur nomine.

dovei ex priori uxore filiam, sororem Theodorici et Theodeberti amitam. De Chariberti obitu vide lib. de Gloria Confess., cap. 19.

[a] Hæc erat Liliola, tertia loci abbatissa, quam præcesserant duæ Cæsariæ.

[b] Sic Colb. Editi habent *commotionem*. Bad., *communionem*.

[c] Sic Corb., Bec. et Bell., et recte quidem ; nam sexiliente Gregorio adhuc in vivis erat, quæ anno 614 discerpta fuit. Editi *perseveravit ;* Colb., *permansit*. Sigiberti et Brunechildis nuptias celebravit Fortunatus libro VI, carm. 2.

[d] Corb., Bell. et Freh. : al., *Galsuendam*, et infra, *nam Galsuenda ætate seniore a Brunechilde erat*.

[e] De ejus nuptiis, conversione et morte cecinit Fortunatus carm. 7 libr. VI.

[f] Alii cum edit., *magno*.

[g] Vide supra cap. 23, et Paulum Diac. lib. II de Gestis Langob., cap. 10, ubi *Chuni, qui et Avares* dicuntur. Valesius libro IX Rerum Francic. fusius agit de Chunis Avaribus, quem consule.

[h] Cod. Regni., *fœdus iniit*.

[i] Sic Corb. et Bec. cum editis aliquot ; Regn., *Garganus* ; alii, *Chaganus* aut *Caganus*. Mos hic Hunnis peculiaris non fuit, ut omnes suæ gentis reges idem nomen ferrent. Sic olim Ægyptii reges primo Pharaones, tum Ptolemæi vocati sunt, Persæ Arsacidæ, Athenienses Cecropidæ, Æthiopes Candaces, Langobardi Flavii, etc., ut Cæsares et Augustos prætermittam. Sic hodie Presbyter Joannes dicitur rex Æthiopum, etc.

drem[a] de lychnis lucentibus, avis alia fecit. Jam vero advenionte ipsa clade, tanta strages de populo illo facta est per totam regionem illam, ut nec numerari possit quantæ ibidem ceciderint legiones. Nam cum jam sarcofagi aut tabulæ defecissent, decem aut eo amplius in una humi fossa sepeliebantur. Numerata sunt autem quadam Dominica in una beati Petri basilica [b] trecenta defunctorum corpora : erat enim et ipsa mors subita. Nam nascente in inguine aut in ascella vulnere in modum serpentis, ita inficiebantur homines illi [c] **173** a veneno, ut die altera aut tertia spiritum exhalarent. Sed et sensum vis illa veneni auferebat ab homine. Tunc et Cato presbyter mortuus est [d]. Nam cum de hac lue multi fugissent, ille tamen populum sepeliens, et Missas dicens viritim [e], nunquam ab eo loco discessit. Hic autem presbyter multæ humanitatis, et satis dilector pauperum fuit : et credo hæc causa ei, si quid superbiæ habuit, medicamentum fuit. Cautiusque autem episcopus, cum diversa loca, hanc cladem timens, circumisset, ad civitatem regressus est, et hanc incurrens, parasceve Passionis dominicæ obiit. Nam ipsa hora et Tetradius consobrinus ejus mortuus est. Tunc et Lugdunum, Bituriæ, Cavillonum [f] atque Divionum ab hac infirmitate valde depopulata sunt.

[g] XXXII. Erat tunc temporis apud Randanense monasterium civitatis Arvernicæ presbyter præclarus virtutis, Julianus nomine, vir magnæ abstinentiæ, qui neque vinum neque ullum pulmentum utebatur, cilicium omni tempore sub tunicam habens, in vigiliis primus, in oratione assiduus : cui inergumenos curare, cæcos illuminare, vel reliquas infirmitates depellere per invocationem dominici nominis, et signaculum sanctæ crucis facile erat. Idem cum stando pedes ab humore haberet infectos, et ei diceretur, cur contra possibilitatem corporis semper staret, dicere cum joco spirituali erat solitus : Faciunt opus meum, dum et vita comes est, nec me eorum sustentatio Domino jubente relinquit. Nam vidimus eum quadam vice in basilica beati Juliani martyris inergumenum verbo tantum curasse : quartanariis et aliis febribus sæpe per orationem remedia conferebat. Qui sub hoc tempore luis, dierum atque virtutum plenus ex hoc mundo est assumptus in requie.

174 [g] XXXIII. Transiit tunc et abbas monasterii ipsius, cui Sunniulfus [h] successit, vir totius simplicitatis et charitatis. Nam plerumque hospitum pedes ipse abluebat, manibusque ipse tergebat; unum tantum, quod gregem commissum non timore, sed supplicatione regebat. Ipse quoque referre erat solitus, ductum se per visum ad quoddam flumen igneum, in quo ab una parte littoris concurrentes populi ceu apes ad alvearia mergebantur : et erant alii usque ad cingulum, alii vero usque ad ascellas, nonnulli usque mentum, clamantes cum fletu se vehementer aduri. Erat enim et fons super fluvium positus ita angustus, ut vix unius vestigii latitudinem recipere posset. Apparebat autem et in alia parte littoris domus magna extrinsecus dealbata. Tunc iis qui cum eo erant, quid sibi hæc velint interrogat. At illi dixerunt : De hoc enim ponte præcipitabitur, qui ad distringendum commissum gregem fuerit repertus ignavus; qui vero strenuus fuerit, sine periculo transit, et inducitur lætus in domum quam conspicis ultra. Hæc audiens a somno excutitur, multo deinceps monachis severior apparens.

[g] XXXIV. Quid etiam apud quoddam monasterium eo tempore actum sit, pandam : nomen autem monachi [i], quia superest, nominari nolo, ne cum hæc scripta ad eum pervenerint, vanam incurrens gloriam reviliscat. Quidam juvenis ad monasterium veniens, abbati se commendavit, ut in Dei servitio degeret : cui ille cum multa objiceret, dicens durum esse servitium illius loci, nec omnino tanta possit implere quanta ei injungebantur, se omnia impleturum in nomine Domini pollicetur; sicque collectus est ab abbate. Factum est autem post paucos dies, dum in humilitate atque sanctitate se in omnibus exhiberet, et expellentes monachi **175** de horreo annonas, quasi eores tres, ad solem siccare ponerent, quas huic custodire præcipiunt. Cum autem reficientibus aliis, hic ad custodiam resideret annonæ, subito ne-

Audoeno edita, cap. 47, ubi vocabuli hujus significatio exponitur tomo V Spicileg. De vetis autem ecclesiarum vide cardinal. Bona lib. 1 de Rebus Liturgic., cap. 25, et Mabillon. lib. 1 de Liturgia Gallic., cap. 8.

[a] De hac libellus de ecclesiis Claromont. cap. 34. Anno 1149, a Willelmo comite et Delphino Alverniæ restaurata, tradita fuit Præmonstratensibus, uti observat Savaro.

[b] Complures olim fuere apud Clarummontem basilicæ S. Petro dicatæ. Hic locus de parochiali intelligendus est, de qua laudatus liber cap. 6.

[c] Sic Bell.; at Corb. et Bec. cum plerisq. edit., *ita inficiebatur homo ille*. Alii, *interficiebatur*. De hac clade Marius in Chronico ad an. 571. V. lib. de Mirac. S. Juliani., cap. 43.

[d] De hoc presbytero vide supra cap. 6 et seqq.

[e] Bell., Corb. et aliquot editi, *virititer*, quod idem hic sonat.

[f] Sic mss. cum Chesn.; plerique ed., *Cavallonum*. Bad., *Cabilo*, quæ revera civitas hic designatur, non Cabellio Provinciæ, vulgo *Cavaillon*.

[g] Hoc caput et quinque sequentia desunt in editis et in mss., quamvis in capitum indice in mss. Beccensi et Regiomontensi et in editione per Jodocum Badium procurata indicentur. In vet. editis et scriptis post cap. 41 aut 42, habetur cap. 47. Hæc autem habemus ex ms. cod. sacri monasterii Casinensis, ab annis 700 exarato. Et quidem stylus et modi loquendi, casuum mutationes, sicut et ea quæ complectuntur, Gregorii nostri genium sapiunt; Vitam sancti Nicetii a se ipso scriptam laudat cap. 36. Randanense monasterium dirutum est; at vicus, vulgo *Randan*, nomen retinet, paulo infra Dorae et Elaveris confluxum situs apud Arvernos.

[h] Bad. in titulo, *De Symmulpho abbate*. Regm. et Bec., *de Summulfo abbate*. Ejusmodi visiones habentur in Actis SS. Perpetuæ et Felicitatis.

[i] In capitulorum indice in mss. et in Bad. legitur *de Burdegalensi monacho*. Simile factum exstat in Dialogo 1 Sulpicii Severi, cap. 5, ubi abbas virgis cædi jussit puerum, qui aspidem in pallio tulerat illæsus; ut disceret *Deo in humilitate servire, non in signis et virtutibus gloriari, quia melior esset infirmitatis conscientia, virtutum vanitate*.

bilatum est cœlum, et ecce imber validus cum rumore venti festinus ad annonæ congeriem appropinquabat : quod cernens monachus, quid agere, quid facere nesciebat. Tractans autem quod si cæteros vocaret, præ multitudine hoc recondere in horrea non valerent, cuncta postposita, ad orationem convertitur, Dominum deprecans, ne super triticum illud imbris illius gutta descenderet. Quod cum se terræ dejiciens exoraret, divisa est nubes, et circa annonam pluvia valde diffusa est, nullum granum tritici, si dici fas est, humectans. Cumque reliqui monachi cum abbate hæc consentientes, velociter ut annonam colligerent advenissent, cernunt hoc miraculum, requirentesque custodem, inveniuntque [*Leg.* inveniunt] haud procul arenæ dejectum orantem. Quod videns abbas, se post eum prosternit, et pertranseunte pluvia, consummata oratione vocat ut surgeret. Quem apprehensum verberibus agi præcepit, dicens : Oportet enim te, fili, in timore et servitio Dei humiliter crescere, non prodigiis atque virtutibus gloriari. Reclusumque in cellulam septem dies, eum sicut culpabilem jejunare præcepit, quo ab eo vanam gloriam, ne ei aliquod impedimentum generaret, averteret. Nunc autem idem monachus, ut a fidelibus viris cognovimus, in tanta abstinentia est devotus, ut diebus Quadragesimæ nullum alimentum panis accipiat, nisi tantum die tertia plenum calice thisinæ hauriat : quem Dominus orantibus usque vitæ consummationem, ut sibi placeat, custodire dignetur.

* XXXV [a]. Defuncto igitur, ut diximus [b], apud Arvernum Cautino episcopo, plerique intendebant propter episcopatum, offerentes multa, plurima **176** promittentes. Nam Eufrasius presbyter, filius quondam senatoris Ennodi [c], susceptas a Judæis species magnas, regi per cognatum suum Beregesilum misit, ut scilicet quod meritis obtinere non poterat, præmiis obtineret. Erat quidem elegans in conversatione, sed non erat castus in opere ; et plerumque inebriabat barbaros, sed raro reficiebat egenos ; et, credo, hæc causa obstitit, ut non obtineret, quia non per Deum sed per homines adipisci voluit hos honores. Sed nec illud potuit immutari, quod Dominus per os sancti Quintiani locutus est [d] : Quia non surgit de stirpe Hortinzi, qui regat Ecclesiam Dei. Congregatis igitur Avitus archidiaconus clericis in ecclesia Arverna, multa [*l.* nulla] quidem promisit, sed tamen accepto consensu [e] ad regem petiit, voluitque ei tunc Firminus, qui in hac civitate comes positus fuerat, impedire : sed ipse non abiit. Amici autem ejus, qui in hac causa directi fuerant, rogabant regem, ut saltem una dominica [f] præteriret, ut hic non benediceretur : quod si propalaretur, mille aureos regi darent ; sed rex his non annuit. Factum est ergo ut congregatis in unum civibus Arvernis, beatus Avitus, qui tunc temporis, ut diximus, erat archidiaconus, a clero et populo electus cathedram pontificatus acciperet, quem rex in tanto honore dilexit, ut parumper rigorem canonicum præteriens [g], in sua eum præsentia benedici juberet, dicens : Merear de manu ejus eulogia accipere. Hæc enim in gratia fecit, ut apud Mettensem urbem benediceretur. Idem accepto episcopatu magnum se hominibus præbuit, justitiam populis tribuens, pauperibus opem, viduis solatium, pupillisque maximum adjumentum. Jam si peregrinus ad eum advenerit, ita diligitur, ut in eodem se habere et patrem recognoscat et patriam, qui cum magnis virtutibus floreat, et omnia quæ Deo sunt placita **177** ex toto corde custodiat, iniquam in omnibus exstirpans luxuriam, justam Dei inserit castitatem.

* XXXVI. Decedente vero apud Parisios post synodum illam, quæ Saffaracum expulit [h], Sacerdote

[a] Caput istud et alia hic a nobis nunc primum edita tanquam sincerum Gregorii fetum laudavit antiquus Vitæ sancti Aviti Arvernorum episcopi scriptor, qui suam narrationem ab isto capite inchoavit, et nonnulla subjunxit ex capite sequenti. Lectiones varias referre sufficiat. Sic vero incipit : *Arverna igitur civitate secundum sæculi dignitatem beatus Avitus, non infimis nobilium natalibus ortus est, qui tempore pueritiæ suæ usque ad archidiaconi arcem Deo disponente perductus est. Defuncto itaque Cautino episcopo plerique intendebant in episcopatum..... Ennodii suscepit species... multa quidem bona secundum Deum Ecclesiæ promisit ; tamen..... sed si præstolaretur..... eulogias accipere. Hæc enim gratia..... adveniat..... castitatem. Eodem tempore apud Lugdunum, Galliarum civitatem, sanctus Nicetius electus est, et consecratus in episcopum fuit. Huc usque Gregorius Turonensis.* Hæc ille auctor, qui ante annos sexcentos scripsit, ut conjicere licet ex codicis vetustate, unde primum descripta sunt. Avitus porro sæpius a Gregorio laudatus, ecclesiam apud Thigernum construxit ex cap. 67 libri I de Gloria Mart., reparavit ecclesiam S. Antoliani ex cap. 65. Obiit anno 594, die 20 Septembris, quo ejus festum recolitur. Sepultus est in ecclesia S. Mariæ de Portu a se constructa, quam *principalem* licet appellatam, a cathedrali tamen distinguendam esse contendunt viri eruditi. Vide Savaronis notas in lib. de ecclesiis Claromont., cap. 2.

[b] Scilicet supra cap. 31 hujus libri.

[c] Savaro legit *Euvodi*. Sic pro *Evodii* scriptum hoc nomen passim in veteribus codd. occurrit.

[d] In libro de Vitis Patrum, cap. 4, ubi plura de Hortensio.

[e] Sic instrumentum electionis, cap. 26, non semel Gregorius appellat. De sancto Avito sæpius agit Gregorius infra, et in libris Miraculorum. Vide et Fortunatum lib. III, carm. 24 et duobus seqq. Ejusdem laudes a Gregorio invitatus cecinit carm. 4, lib. V, præmissa ad ipsum Gregorium epistola. Cæterum Savaro de Originibus Claromontensibus, pag. 137 et seqq. laudat hoc libri IV Historiæ Gregorii caput, ejusque epitomen scripsit, unde patet ea capita quæ hic primum damus ex cod. Casinensi, in aliis quoque codicibus exstitisse, quorum unus saltem Savaroni fuerit notus.

[f] Dominicis solummodo diebus fiebant episcoporum consecrationes. Vide concil. Carthag. III, can. 39.

[g] Quod ordinationes a metropolitano in propria provincia fieri conveniret secundum canonum præscripta. Sic et ipse Gregorius Rhemis ab Ægidio consecratus est.

[h] Saffaracus episcopus Parisiensis exauctoratus est in synodo Parisiensi II, quam anno 555 Sirmondus, an. 551 Cointius consignant.

Lugdunensi episcopo, sanctus Nicetius ab ipso, sicut in libro Vitæ ejus scripsimus [a], electus suscepit episcopatum, vir totius sanctitatis egregius, castæ conversationis. Charitatem vero, quam Apostolus (*Rom.* XII, 17) cum omnibus, si possibile esset, observare præcepit, hic possibiliter ita in cunctis exercuit, ut in ejus pectore ipse Dominus, qui est vera charitas, cerneretur. Nam etsi commotus contra aliquem pro negligentia fuit, ita protinus emendatum recepit, tanquam si non fuisset offensus. Erat enim castigator delinquentium, pœnitentiumque remissor, eleemosynarius atque strenuus in labore : ecclesias erigere, domos componere, serere agros, vineas pastinare diligentissime studebat. Sed non eum hæ res ab oratione turbabant. Hic viginti duobus annis sacerdotio ministrato migravit ad Dominum, qui nunc magna miracula ad suum tumulum exorantibus præstat. Nam de oleo cicindeli, qui ad ipsum sepulcrum quotidie accenditur, cæcorum oculis lumen reddidit, dæmones de obsessis corporibus fugat, contractis membris restituit sanitatem, et omnibus infirmis magnum in hoc tempore habetur præsidium. Igitur Priscus episcopus, qui ei successerat, cum conjuge sua Susanna cœpit persequi ac interficere multos de his, quos vir Dei familiares habuerat, non culpa aliqua victos, non in crimine comprobatos, non furto deprehensos, tantum inflammante malitia invidus, cur ei fideles fuissent. Declamabat multa blasphemia ipse cum conjuge de sancto Dei, et cum diu multoque tempore observatum fuisset ab anterioribus pontificibus, ut mulier domum non ingrederetur ecclesiæ, hæc cum puellis etiam in cellula, in qua viri beati quieverant, introibat. Sed pro his commota tandem divina majestas ulta est in familia Prisci episcopi. Nam conjux ejus dæmone arrepta, dimissis crinibus per totam urbem insana vexabatur, et sanctum **178** Dei, quem sana negaverat, amicum Christi confessa, ut sibi parceret declamabat. Episcopus ille a typo quartanæ correptus tremorem incurrit. Nam cum typus ille recessisset, hic semper tremens habebatur ac stupidus. Filius quoque, omnisque familia decolor esse videbatur ac stupida : ut nulli sit dubium, eos a sancti viri virtute percussos. Semper enim Priscus episcopus, ejusque familia, contra sanctum Dei nefariis vocibus oblatrabant, ipsumque sibi amicum esse dicentes, quicumque de eo improperia evomuisset. Jusserat enim in primordio episcopatus sui ædificium domus ecclesiasticæ exaltari ; et diaconus quem sæpe propter facinus adulterii sanctus Dei, dum esset in corpore, non solum a communione removerat, sed etiam sæpius cædi præceperat, et nunquam ei ad emendationem ducere potuit, hic ascendens super tectum domus illius, cum detegere cœpisset, ait : Gratias tibi ago, Jesu Christe, quod post mortem iniquissimi Niceti super hunc tectum calcare promerui. Adhuc verba in ore pendebant, et statim subductus a pedibus ejus robur in quo stabat, cecidit ad terram, crepuitque et mortuus est. Cum autem episcopus vel conjux ejus multa contra rationem agerent, apparuit cuidam sanctus per somnium, dicens : Vade, et dic Prisco ut emendetur ab operibus malis, et fiant opera ejus bona. Martino quoque presbytero dices : Quia consentis his operibus, castigandus eris ; et si emendare perversitatem tuam nolueris, morieris. At ille evigilans, locutus est diacono cuidam, dicens : Vade, quæso, eo quod sis amicus in domo episcopi, et hæc loquere sive episcopo, sive Martino presbytero. Promisit se diaconus elocuturum, sed retractatus noluit ea fari. Nocte autem cum se sopori dedisset, apparuit ei sanctus, dicens : Cur non dixisti quæ tibi abbas locutus est ? et clausis pugnis cœpit guttur ejus cædere. Mane autem facto, inflatis faucibus cum magno dolore, accessit ad viros, et omnia quæ audierat intimavit. At illi parvipendentes ea quæ audierant, phantasiam somniorum esse dixerunt. Martinus vero presbyter statim in febre et ægrotans convaluit ; sed cum **179** semper [b] adoratorio episcopo loqueretur, et consentiret et in malis actibus ac blasphemiis quæ in sanctum evomebant, iterum in febre redactus spiritum exhalavit.

[c] XXXVII. Sanctus vero Friardus hoc nihilominus tempore, quo sanctus Nicetius obiit plenus dierum, sanctitate egregius, actione sublimis, vita nobilis ; de cujus miraculis quædam in libro, quem de Vita ejus scripsimus [c] memoravimus. In cujus transitu adveniente Felice episcopo, cellula tota contremuit, unde non ambigo aliquid ibidem fuisse angelicum, quod sic locus ille ipso transeunte tremuerit, quem episcopus abluens, atque dignis vestimentis involvens, sepulturæ mandavit.

XXXVIII [*Al.* XXXII]. Ergo, ut ad historiam recurramus [d], mortuo apud Hispaniam Athanagildo rege, Leuva cum Leuvieldo fratre regnum accepit. Defuncto igitur Leuvane, Leuvieldus frater ejus totum regnum occupavit. Qui uxore mortua, Gunth-

[a] In libro de Vitis Patrum, cap. 8, quod cum isto loco confer.

[b] Sic forte legendum, *in febrem incidit, et ægrotans convaluit : sed cum semper adulatoria... consentiret ei in*, etc.

[c] In libro de Vitis Patrum, cap. 10.

[d] Capitum numero ob addita ex cod. Cassin. accreto, Chesnianos numeros e regione ad marginem usque ad libri finem apponemus, ob citationum commoda. Cæterum omnes mss. præter Bec. habent, *Ergo ut ad historiam recurramus*, aut, *redeamus*. Editi vero ut plurimum, *Eo autem tempore mortuo*. Et infra Corb., *Athanielido... Leuvelido*. Editi aliquot, *Athanoldo*. Leuvigildi sincerum nomen, ei regni tempus discimus ex antiqua inscriptione sepulcro cujusdam Gothi apposita, quæ hodieque in ecclesia vici *Trullas* dicti, duabus leucis a Narbonensi urbe dissiti, visitur. Quo in loco antiqua ædificiorum rudera, et aquæ-

suentham [a] reginæ Brunichildis matrem accepit, duos filios de prima uxore habens, quorum [b] unus Sigiberti, alius Chilperici filiam desponsavit. Ille quoque inter eos regnum æqualiter divisit, interficiens omnes illos qui reges interimere consueverant, non relinquens ex eis mingentem ad parietem.

XXXIX [*Al.* XXXIII]. Defuncto [c] igitur apud urbem Constantinopolitanam Justiniano imperatore, Justinus ambivit imperium, vir nimiæ avaritiæ deditus, contemptor pauperum, senatorum exspoliator : cui tanta fuit cupiditas, ut arcas juberet fieri ferreas, in quas numismatis aurei talenta [d] congereret ; quem etiam ferunt in hæresim Pelagianam dilapsum. Nam non post multum tempus exsensus [e] effectus, Tiberium Cæsarem sibi ascivit ad defensandas **180** provincias suas, hominem justum, eleemosynarium, æquum, discernentem, obtinentemque victorias : et, quod omnibus supereminet bonis, etiam verissimum Christianum. Denique Sigibertus rex legatos ad Justinum [f] imperatorem misit, pacem petens, id est

ductus primorum temporum reliquiæ supersunt. Inscriptionem vero huc integram proferimus :



A Uvarinarium Francum, et Firminum Arvernum. Qui euntes evectu navali. Constantinopolitanam sunt urbem ingressi, locutique cum imperatore, quæ petierunt obtinuerunt. Ad sequentem tamen annum [g] in Galliam sunt regressi. Posthæc autem Antiochia Ægypti, et Appamia Syriæ, maximæ civitates, a Persis captæ sunt, et populus captivus abductus. Basilica tunc sancti Juliani Antiochensis martyris gravi incendio concremata est. Ad Justinum autem [h] imperatorem Persæ-Armeni cum magno serici intexti pondere venerunt, petentes amicitias ejus, atque narrantes se imperatori Persarum esse infensos. Venerant enim ad eos legati ejus, dicentes : Sollicitudo imperialis sciscitatur, si fœdus initum cum eo custodiatis intactum. Respondentibus illis, omnia ab his pollicita illibata servari, dixerunt legati : In hoc apparebit vos ejus amicitias custodire, si ignem, ut ille B veneratur, et vos veneremini. Respondente populo nequaquam se hæc facturum, ai tepiscopus qui coram erat : Quæ est in igne deitas, ut venerari queat ? quem Deus ad usus hominum procreavit, qui fomentis accenditur, aqua restinguitur, adhibitus urit, neglectus [i] tepescit. Hæc et his similia episcopo prosequente, legati furore succensi, actum conviciis fustibus cædunt. Cernens autem populus sacerdotem suum sanguine cruentatum, super legatos irruunt, manus injiciunt, interimuntque : et, sicut diximus, hujus imperatoris amicitias petierunt.

XL [*Al.* XXXIV]. Palladius autem Brittiani [j] **181** quondam comitis ac Cæsariæ filius, comitatum in urbe Gaballitana [k], Sigiberto rege impertiente, promeruit, sed orta intentio [l] inter ipsum et Partheuium episcopum, valde populum collidebat. Nam plerumque conviciis, ac diversis opprobriis, ac criminibus C obruebat episcopum, pervadens res ecclesiæ, spoliansque homines ejus. Unde factum est ut, hac intentione crescente, cum ad præsentiam jam dicti principis properassent, et diversa sibi invicem objectarent, mollem episcopum, effeminatum Palladius vocitaret : Ubi sunt mariti tui, cum quibus stuprose

[a] Editi cum Bec., *Gunsventham* ; al., *Grandiswintham*.

[b] Hermenegildus Ingundem duxit uxorem, Reccaredus vero Rigunthem Chilperici filiam desponsavit, sed nunquam duxit, ut dicetur inferius.

[c] Hoc caput in Corb., Bellov. et Colb. habetur post caput sequens. Editorum tamen ordinem retinuimus.

[d] Sic Edit. ; Colb. et Corb., *numismata auri*.

[e] Sic Corb., Bec. et Bell. ; quæ vox familiaris est Gregorio. Editi et Paul. Diac. l. III, cap. 11, habent *amens*.

D [f] Sic Corb. et Bell. Editi vero cum Colb. et Bec., *ad Justinianum*.

[g] Corb. et Bell., *In alium annum*.

[h] Sic Colb. ; at Corb., *Persiani*. Bec., *ad Justinianum... Persesiri Armeni*. Cæteri ed., *ad Justinianum autem imp... cum magno auri pondere*. Persarmenios memorat Procopius lib. IV de bello Gotthico. Armeniam majorem appellatam fuisse Persarmeniam dicit Valesius, quo l Persis esset subjecta.

[i] Alii, *at ubi erit neglectus*.

[j] Cod. Bellov., *Britani* ; alii *Britanni*. Editi veteres *Brictiam*. Porro caput istud deest in Bec. et Bad., licet ibidem in capitum indiculo memoretur.

[k] Editi plerique mendose, *Gallicana* ; Colb., *Callitana* ; sed hic Gabalis urbs indicatur, hodie vicus *Javouls*, sede episcopali apud Mimatem stabilita.

[l] Sic mss. et infra, pro *contentione*, quod habent editi.

ac turpiter vivis ? Sed hæc in sacerdotem verba prolata, divina confestim ultio subsequens abolevit. Nam anno sequenti semotus a comitatu Palladius Arvernum regressus est : Romanus vero comitatum ambivit. Factum est autem, ut quadam die in urbe Arverna uterque conjungeretur, et altercantibus inter se pro hac actione comitatus, audivit Palladius se a Sigiberto rege debere interfici : sed falsa hæc et maxime a Romano emissa deprehensa sunt. Tunc ille timore perterritus, ita in angustiam gravem redactus est, ut minaretur se propria dextera perimere ; cumque a matre vel a cognato suo Firmino intente attenderetur, ne perficeret quod mente amara conceperat, per intervalla horarum elapsus a matris aspectu, ingressusque cubiculum, accepto spatio solitudinis, evaginato gladio, cornuaque ensis pedibus calcans, acumen ad pectus erexit, impressusque desuper, gladius ab una ingressus mamilla in spatulam dorsi regressus est : erectusque iterum, similiter altera mamilla perfossus cecidit, et mortuus est : quod non sine diaboli opere perfectum scelus mirati sumus. Nam prima **182** eum plaga interficere potuit, si non diabolus sustentaculum præbuisset, quo hæc nefanda perageret. Currit mater exanimis, et supra filii corpusculum orbata collabitur, atque omnis familia voces planctus emittit. Verumtamen ad monasterium Chrononensem [a] delatus sepulturæ mandatur, sed non juxta Christianorum cadavera positus, sed nec Missarum solemnia meruit [b]. Quod non ob aliam causam nisi ob injuriam episcopi, hæc ei evenisse probatur.

XLI [*Al.* XXXV]. Alboinus vero Langobardorum rex, qui Chlothosindam regis Chlothacharii filiam habebat, relicta regione sua, Italiam cum omni illa Langobardorum [c] gente petiit. Nam commoto exercitu, cum uxoribus et liberis abiere, illuc commanere deliberantes. Quam regionem ingressi, maxime per septem annos pervagantes, spoliatis ecclesiis, sacerdotibus interfectis, in suam redigunt potestatem. Mortua autem Chlothosinda uxore Alboini, aliam duxit conjugem, cujus patrem ante paucum tempus interfecerat. Qua de causa mulier in odio semper virum habens, locum opperiebatur, in quo posset injurias patris ulcisci. Unde factum est ut unum ex famulis concupiscens, virum veneno necaret [d] : quo defuncto, cum famulo abiit ; sed apprehensi, pariter interfecti sunt. Langobardi deinceps alium super se regem statuunt.

XLII [*Al.* XXXVI]. Eunius quoque, cognomento Mummolus, a rege Guntchramno patriciatum promeruit : de cujus militiæ origine, altius quædam repetenda putavi. Hic etenim Peonio [e] patre ortus, Antissiodorensis urbis incola fuit. Peonius vero hujus municipii comitatum regebat. Cumque ad renovandam actionem [f], munera regi per filium **183** transmisit, ille datis rebus paternis, comitatum patris ambivit, supplantavitque genitorem, quem sublevare debuerat. Ex hoc vero gradatim proficiens, ad majus culmen evectus est. Igitur prorumpentibus Langobardis in Gallias, Amatus patricius, qui nuper Celsi successor exstiterat, contra eos abiit, commissoque bello terga vertit, ceciditque [g] ibi. Tantamque tunc stragem Langobardi feruntur fecisse de Burgundionibus, ut non possit colligi numerus occisorum : oneratique præda discesserunt ite rum in Italiam. Quibus discedentibus, Eunius, qui et Mummolus, arcessitus a rege, patriciatus culmen meruit. Irruentibus iterum Langobardis in Gallias et usque Mutias-Calmes [h] accedentibus, quod adjacet civitati Ebredonensi, Mummolus exercitum movet, et cum Burgundionibus illuc proficiscitur. Circumdatisque Langobardis cum exercitu, factis etiam concidibus, per devia silvarum irruit super eos : multos inerfecit, nonnullos cepit, et regi direxit. Quos ille per loca dispersos custodire præcepit, paucis quodam modo per fugam elapsis, qui patriæ nuntiarent.

XLIII [*Al.* XXXVII]. Fueruntque in hoc prælio Salonius [i] et Sagittarius fratres atque episcopi, qui non cruce cœlesti muniti, sed galea aut lorica sæculari armati, multos manibus propriis, quod pejus est, interfecisse referuntur. Hæc prima Mummoli in certamine victoria fuit. Posthæc Saxones, qui cum Langobardis in Italiam venerant, iterum prorumpunt in Gallias, et infra territorium Regense, id est apud Stablonem villam castra ponunt, discurrentes per

[a] Sic appellatur in Bellov. et Corb. In Colb. et apud Chesn., *Chronensium* ; plerique alii editi, *Dironensium*. Huc S. Gallus, postea Arvern. episc. secessit, ut in ejus Vita dicitur, inter Vitas Patrum, cap. 6. Hodie vulgo *Cornon*, seu *Cournon* appellatur, ubi Collegium canonicorum sub S. Martini titulo.

[b] Observa hic missas pro defunctis olim dici solitas, si id ipsis utile fore speraretur. Vide Mabillonium lib. II Liturgiæ Gallic., num. 70.

[c] Editi complures, *cum qualuor millium Langobardorum*. Marius in Chronico Alboini in Italiam migrationem revocat ad an. 569; ejus vero necem ad 572.

[d] Hæc erat Rosemunda, Cunimundi Gepidarum regis filia, quæ primo Alboinum maritum necari procuravit, tum Helmigisum adulterum veneno interficere conata, reliquum veneni ab ipso jam media parte ebibitum libere coacta, simul periere. Vide Pauli Historiam Langobardorum, lib. I, c. 27, et lib. II, cap. 28 et 29.

[e] Editi aliquot. *Pœnio*. Colb., *Pionio*.

[f] Id est ut comitiva sibi prorogaretur. Solebant enim tunc reges nostri judices seu præfectos, qui comites dicebantur, civitatibus seu oppidis in certum tempus præponere : quibus munera præstantibus, si de iis nemo querebatur, facile in idem temporis spatium magistratus concedebatur. Hæc etiam erat quandoque ad superiores dignitates pertingendi via, ut Mummolo contigit. *Actionis* autem nomine sæpius officium signatur. V. Bignon. in lib. I Marculfi, form. 11.

[g] Editi plerique, *Armatus Pericius, qui nuper Celsi successor. Concurruntque ibi*. Sed apud Paulum Diaconum lib. III, cap. 3, dicitur quoque *Amatus Patricius*.

[h] Sic Bellov. At Corb., *Musticascalmes* ; Bec., *Mutias-calmes*. Editi nonnulli, *Musciascâlmes*. Nostram lectionem habet Paulus lib. III Histor. Langob., c. 4, ubi et hanc Langobardorum incursionem describit.

[i] Editi aliquot, *Salvinus*, quod sic legerent pro *Salunius*, ut in Colb. Salonius Ebredunensis, Sagittarius Vapincensis episcopi fuere.

[j] S.c veteres mss. ; Chesn., *Staplonem*. Hic locus hodie dicitur vulgo *Stoblon*, vel *Establon*, in dioecesi Regiensi, *de Riez*, in Provincia.

villas urbium vicinarum, diripientes prædas, captivos abducentes, vel etiam cuncta vastantes. Quod cum Mummolus comperisset, exercitum movet, irruensque super eos, multa ex his millia interfecit, et usque **184** ad vesperam cædere non destitit, donec nox finem faceret. Ignaros enim repererat homines, et nihil de his quæ accesserant autumantes. Mane autem facto statuunt Saxones exercitum, præparantes se ad bellum. Sed intercurrentibus nuntiis pacem fecerunt, datisque muneribus Mummolo, relicta universa regionis præda cum captivis, discesserunt [a] : jurantes prius quod ad subjectionem regum, solatiumque [*It.* auxilium] Francorum redire deberent in Gallias. Igitur regressi Saxones in Italiam, assumptis secum uxoribus et parvulis, vel omni supellectile facultatis, redire in Gallias destinantes, scilicet ut a Sigiberto rege collecti, in loco unde egressi fuerant, stabilirentur. Feceruntque ex se duos, ut aiunt, cuneos : et unus quidem per Niceam urbem, alius vero per Ebredunensem venit, illam revera tenentes viam, quam anno superiore tenuerant : conjunctique sunt in Avennico [b] territorio. Erat enim tunc tempus messium, et locus ille maxime fructus terræ sub divo [*Ed.* dio] habebat, nec quidquam ex his domi incolæ recondiderant. Denique accedentes in areas, segetes inter se dividunt ; colligentesque ac triturantes, frumenta comedebant, nihil ex his, eis qui laboraverant, relinquentes. Verum postquam expensis fructibus ad littus Rhodani amnis accesserunt, ut transacto torrente, regno se regis Sigiberti conferrent, occurrit eis Mummolus, dicens : Non transibitis torrentem hunc. Ecce regiones domini mei regis depopulastis, collegistis segetes, pecora devastastis [c], tradidistis domus incendiis, oliveta ac vineta succidistis. Non ascendetis, nisi satisfaciatis prius his quos exiguos reliquistis. Alioquin non effugietis manus meas, nisi ponam gladium super vos, et uxores et parvulos vestros, et ulciscar injuriam domini mei Guntchramni regis. Tunc illi timentes valde, **185** dantes multa numismatis [d] aurei millia pro redemptione sua transire permissi sunt : et sic Arvernis pervenerunt. Erat tunc vernum tempus, proferebant ibi regulas [e] æris incisas pro auro, quas quisque videns, non dubitabat aliud, nisi quod aurum probatum atque examinatum esset. Sic enim coloratum ingenio nescio quo fuit : unde nonnulli hoc dolo seducti, aurum dantes et æs accipientes, pauperes facti sunt. Illi vero ad Sigibertum regem transeuntes, in locum unde prius egressi fuerant, stabiliti sunt.

XLIV [*Al.* XXXVIII]. In [f] regno autem Sigiberti regis, remoto ab honore Jovino rectore Provinciæ, Albinus in loco ejus subrogatur. Magnam inter eos inimicitiam hæc causa gessit. Igitur advenientibus ad cataplum Massiliensium navibus transmarinis [g], Vigilii archidiaconi homines septuaginta vasa, quæ vulgo orcas [h] vocant, olei liquaminisque furati sunt, nesciente domino. Negotiator autem cum cognovisset sibi rem furto ablatam fuisse, inquirere diligenter cœpit, quo furtum in loco fuisset reconditum. Hæc inquirens, audiit a quodam, quod homines Vigilii archidiaconi perpetrassent. Perveniunt hæc ad archidiaconem, qui inquirens et inveniens, nequaquam publicare, sed excusare suos cœpit, dicens : Nunquam de domo mea egressus est, qui tale auderet admittere. Taliter, inquam, excusante archidiacono, negotiator ad Albinum pergit : causam exserit, et archidiaconem in crimine fraudis hujus mistum accusat. Die autem sancto Natalis dominici, episcopo in ecclesia adveniente, archidiaconus indutus alba adest, episcopum, **186** ut mos est [i], invitans ad altare debere procedere, ac solemnitatem diei sancti opportuno debere tempore celebrare. Nec mora, Albinus de sede exsiliens, apprehensum archidiaconem detrahit, pugnis calcibusque cædit, et custodia carcerali coarctat [j]. Pro quo nunquam obtinere potuerunt, nec episcopus, nec cives, nec ullus major natu, nec ipsa vox totius populi acclamantis, ut datis fidejussoribus, diem sanctum archidiacono liceat cum reliquis celebrare, atque accusatio ejus in posterum debere audiri : sed nec ob ipsa sacrosancta solemnia metum habuit, ut ministrum dominici altaris tali in die non auderet arripere. Quid plura? Quatuor millibus solidorum archidiaconem condemnavit : qui in præsentia regis Sigiberti veniens, quadrupla satisfactione, insequente Jovino, composuit.

XLV [*Al.* XXXIX]. Posthæc tres Langobardorum duces [k], id est Amo, Zaban, ac Rhodanus, Gallias irrupere. Et Amo quidem Ebredunensem carpens viam usque Machovillam [l] Avennici territorii, quam Mummolus munere meruerat regio, accessit : ibique

[a] Editi ita comma apponunt, ut Saxones cum captivis discessisse videantur; at ex Paulo Diacono lib. III, cap. 5, patet hæc voces *cum captivis* esse præcedentibus conjungendas, cum ipse habeat, *relictis captivis et universa præda in Italiam revertuntur*. Vide et ejusdem Pauli cap. 6 et 8.

[b] Sic mss. Editi vero cum Bec. habent *Arvernico*. At præferenda mss. lectio; nam infra a Mummolo intercepti sunt in Rhodani transitu : quod fieri non potuisset, si jam in Arvernico territorio fuissent, longe a Rhodani ripis posito. Designatur itaque hoc in loco Avenionense territorium. Nobis favet Fredegarius, c. 68.

[c] Plerique editi addunt *trucidastis*.

[d] Cod. Corb., *numismata*.

[e] Alii habent, *tegulas*.

[f] Hoc caput deest in Corb. et Bellov.

[g] In plerisque editis, *Advenientibus transmarinis*. Cætera omissa sunt. Hæc porro apud Massiliam contigisse patet ex capitis titulo, quod de archidiacono Massiliensi inscribitur. *Cataplus* autem pro portu frequenti sumitur apud Sidonium. Vide Amaltheon Josephi Laurentii.

[h] Colb., *arcas*; sed retinenda nostra lectio. Orca quippe vasis est species usitata.

[i] Mos erat ut episcopo celebraturo ad ecclesiam accedenti archidiaconus cum reliquo clero in albis, thuribulis fumigantibus occurreret. Vide Paulum Emeritensem, etc., apud Mabillon. lib. I de Liturgia Gallic., cap. 7.

[j] Plerique editi, *archidiaconum coarctat*, cæteris omissis.

[k] Ex iis erant ducibus, qui post Clebi regis necem, anno 574, Langobardis præfuerunt.

[l] Sic duo mss. veteres Corb. et Bellov.; cæteri cum editis *Machao-villam*, præter Colb. in quo vox *villam* desideratur. Paulus Diac. l. III, c. 8, habet sicut veteres mss., *Machovillam*.

fixit tentoria. Zaban vero per Diensem [a] descendens urbem, usque Valentiam venit, ibique castra posuit. Rhodanus autem Gratianopolitanam urbem aggressus est, ibique papiliones extendit. Et Amo quoque Arelatensem debellavit provinciam, cum urbibus quæ circumsitæ sunt. Et usque ipsum Lapideum campum [b], qui adjacet urbi Massiliensi accedens [c], tam de pecoribus, quam de hominibus denudavit : Aquensibus autem obsidionem paravit, de quibus viginti duabus libris argenti acceptis **187** abscessit. Sicque et Rhodanus ac Zaban in locis quibus accesserant, fecerunt. Quæ cum Mummolo perlata fuissent, exercitum movit, et Rhodano, qui Gratianopolitanam urbem debellabat, occurrit. Sed cum Iseram [d] fluvium exercitus laboriose transiret, nutu Dei animal amnem ingreditur, vadum ostendit : et sic populus in ulteriorem ripam egreditur. Quod videntes Langobardi, nec morati, evaginatis gladiis hos appetunt, commissoque bello, in tantum cæsi sunt, ut Rhodanus sauciatus lancea ad montium excelsa confugeret. Exinde cum quingentis viris qui ei remanserant, per devia silvarum prorumpens, ad Zabanem pervenit, qui tunc urbem Valentiam obsidebat : narravitque ei omnia quæ acta fuerant. Tunc datis pariter cunctis in prædam, ad Ebredunensem urbem regressi sunt : ibique eis cum innumero exercitu Mummolus in faciem venit, commissoque prælio, Langobardorum phalangæ usque ad internecionem cæsæ, cum paucis duces in Italiam sunt regressi. Cumque usque Sigusium [e] urbem perlati fuissent, et eos incolæ loci dure susciperent, præsertim cum Sisinnius magister militum a parte imperatoris in hac urbe resideret : simulatus Mummoli puer in conspectu Zabanis, Sisinnio litteras protulit, salutemque ex nomine Mummoli dedit, dicens : En ipsum in proximo. Quod audiens Zaban, cursu veloci ab urbe ipsa digressus præteriit. His auditis Amo, collecta omni præda in itinere, proficiscitur : sed resistentibus nivibus, relicta præda, vix cum paucis erumpere potuit. Exterriti enim erant virtute Mummoli.

XLVI [*Al.* XL]. Multa enim Mummolus bella gessit, in quibus victor exstitit. Nam post mortem Chariberti, cum Chilpericus Turonis ac Pictavis pervasisset, quæ Sigiberto regi per pactum in partem venerant, conjunctus rex **188** ipse cum Guntchramno fratre suo, Mummolum eligunt, qui has urbes ad eorum [*Al.* verum] dominum revocare deberet. Qui Turonis veniens, fugato exinde Chlodovecho Chilperici filio, exactis a populo ad partem regis Sigiberti sacramentis, Pictavos accessit. Sed Basilius ac Sigharius [f] Pictavi cives, collecta multitudine, resistere voluerunt : quos de diversis partibus circumdatos oppressit, obruit, interemit; et sic Pictavos accedens, sacramenta exegit. Hæc interim de Mummolo dictu sufficiant [g] : reliqua in posterum sunt dirigenda.

XLVII [*Al.* XLI]. De Andarchii [h] vero interitu locuturus, prius genus ordiri placet, et patriam. Hic igitur, ut asserunt [i], Felicis senatoris servus fuit, qui ad obsequium domini deputatus, ad studia litterarum cum eo positus, bene institutus emicuit. Nam de operibus Virgilii, legis Theodosianæ libris, arteque calculi adplene eruditus est. Hac igitur scientia tumens, despicere dominos cœpit : et se patrocinio Lupi ducis [j], cum ad urbem Massiliensem ex jussu regis Sigiberti accederet, commendavit. De qua regressus, hunc secum abire [k] præcepit, insinuavitque eum diligenter Sigiberto regi, atque ad serviendum tradidit : quem ille per loca diversa dirigens, locum præbuit militandi. Ex hoc quasi Honoratus [l] habitus, Arvernum venit : ibique cum Urso cive urbis ejus amicitias illigat. Interim, ut erat acris ingenii, filiam ejus desponsare desiderans, loricam, ut ferunt, in libellari quo chartæ abdi solitæ sunt, recondit, dicens mulieri, conjugi utique Ursi : quia multitudinem aureorum meorum amplius quam sexdecim millia in hoc libellari reconditam tibi commendo, quod tuum esse poterit, si mihi filiam tuam præstiteris desponsari. Sed

.... Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames ? (*Virg. Æneid. lib.* III.)

189 Promisit mulier hæc simpliciter credens,

[a] Alii editi, *Deensem*, quod perinde est. Est namque Dia seu Dea Vocontiorum civitas episcopalis, etiam nunc celebris. Tamen Bell. habet *Verdunensem*, et Corb. *Virdunensem*, quanquam prima manu scriptum fuisset *Vinsunensem*. Sed correctio ejusdem est ævi ac codex ms. Et quidem Freherus in margine monet, in ms. scilicet Palatino, haberi *Virdunensem*. Unde Valesius existimat duo hanc urbem nomina habuisse, Latinum unum, Deam scilicet, alterum Gallicum, quod est *Virdunum*. Idem auctor alio in loco observat in Provincia fluvium esse, nomine Verdunum, vulgo *Verdon*, ex quo forte locus aliquis hic designatus nomen habuerit. Paulus Diac., qui lib. III has omnes Langobardorum et Saxonum expeditiones narrat iisdem ferme verbis ac Gregorius, cap. 8, ubi de hac ipsa irruptione loquitur, habet *Diensem*.

[b] Vulgo, *la Crau*, ut Cointius monet.

[c] Bell., *accipiens tam*.

[d] Sic Corb. et Bellov.; alii, *Eseram* aut *Isaram*, vel cum aspiratione *Heseram*, *Hiseram* : quæ variæ lectiones in aliis quoque scriptoribus occurrunt, sed eumdem fluvium designant, vulgo l'*Isère*, qui in Sabaudia ortus, Rhodano paulo supra Valentiam miscetur.

[e] Alii, *Stosium* ; hodieque nomen Segusii retinet, vulgo *Suze*, ad Duriam amnem.

[f] Ed. al., *Siagrius*. Regm., *Pasilius ac Siagrius*. Fortunati carmen 18 libri IV, epitaphium est Basilii cujusdam illustris viri Pictaviensis, qui forte idem est de quo hic loquitur Gregorius.

[g] *Reliqua*, etc., ad finem capitis desunt in omnibus fere mss.

[h] Corb. et Bell., *Andarici*, sed eum infra *Andarchium* appellant. Colb., *Anparchi*.

[i] Colb. cum plerisque editis, *Facilis*.

[j] Is fuit Campaniæ Rhemensis dux, de quo Gregorius infra non semel. Ejus laudes prosequitur Fortunatus lib. VII, carm. 7, 8 et 9.

[k] Bell., *habere*.

[l] Id est, quasi unus ex iis qui res civiles et publicas nomine principis gerebant, quibus Honorati titulus concedebatur. De hoc titulo plura habes apud Vales. in notis ad Ammian. Marcell., et Cangium in Glossario.

absente viro, huic desponsari puellam. At ille regressus ad regem, præceptionem ad judicem loci exhibuit, ut puellam hanc suo matrimonio sociaret, dicens: Quia dedi arrham in desponsatione ejus. Negavit autem vir ille, dicens: Quia neque te novi unde sis, neque aliquid de rebus tuis habeo. Quia intentione pullulante, ac vehementius increscente, Andarchius expetiit Ursum regis præsentia arcessiri. Cumque venisset apud villam Brennacum [a], requirit hominem alium, Ursum nomine, quem ad altarium clam adductum jurare fecit, ac dicere: Per hunc locum sanctum et reliquias martyrum beatorum, quia si filiam meam tibi in matrimonio non tradidero, sexdecim millia solidorum tibi satisfacere non morabor. Stabant enim testes in sacrario, auscultantes occulte verba loquentis, sed personam quæ loqueretur penitus non videntes. Tunc Andarchius demulsit verbis lenibus Ursum, fecitque eum sine regis præsentia reverti ad patriam. Factoque ex hoc juramento, breve sacramentorum regi illo protulit discedente, dicens [b]: Hæc et hæc mihi Ursus scripsit; et ideo gloriæ vestræ præceptionem deposco, ut filiam suam mihi tradat in matrimonio. Alioquin mihi liceat res ejus possidere, donec sexdecim millibus solidorum acceptis, me ab hac causa removeam. Tunc adeptis præceptionibus, Arvernum rediit: ostendit judici jussionem regis. Ursus autem se in Vellavum [c] territorium contulit. Cumque res ejus huic consignarentur, et hic in Vellavum accessit. Ingressusque unam Ursi domum, cœnam sibi præcepit præparari, atque aquas quibus ablueretur calefieri jubet. Sed cum servi domus minime rudi domino parerent, alios fustibus, alios virgis cædit, nonnullis capita percutiens sanguinem elicuit. Turbata ergo familia, præparatur **190** cœna, abluitur hic aquis calidis, inebriatur vino, et se collocat super stratum. Erant autem cum eo septem pueri tantum. Cumque non minus somno quam vino sepulti altius obdormissent, Ursus congregata familia, ostia domus, quæ erat ex ligneis fabricata tabulis, claudit: acceptisque clavibus, metas [d] annonæ quæ aderant, elidit; ac circa domum et supra domum aggregatis his acervis annonæ, quæ tunc in manipulis erat, ita ut operta ex his domus cerneretur omnino. Tunc immisso per partes diversas igne, cum jam super hos infelices materia ædificii exusta dirueret, excitantur, emittunt voces [e]: sed non fuit qui exaudiret, donec tota domo adusta ipsos pariter ignis absorberet. Ursus vero metuens, basilicam sancti Juliani expetiit, datisque regis muneribus, res suas in solidum recepit.

XLVIII [*Al.* XLII]. Chlodovechus vero Chilperici filius, de Turonico ejectus, Burdegalam abiit. Denique cum apud Burdegalensem civitatem nullo prorsus inquietante resideret, Sigulfus quidam a parte Sigiberti se super eum objecit: quem fugientem cum tubis et buccinis, quasi labentem cervum fugans, insequebatur, qui vix ad patrem regrediendi liberum habuit aditum. Tamen per Andegavis regressus, ad eum rediit. Cum autem intentio inter Guntchramnum [f] et Sigibertum reges verteretur, Guntchramnus rex apud Parisios omnes episcopos regni sui congregat, ut inter utrosque quid veritas haberet, ediceret. Sed ut bellum civile in majore pernicitate cresceret, eos audire peccatis facientibus distulerunt. Chilpericus autem rex in ira commotus, per Theodobertum filium suum seniorem, qui a Sigiberto aliquando apprehensus sacramentum dederat [g] ut ei fidelis esset, civitates ejus pervadit, id est Turonis et Pictavis, et reliquas citra Ligerim sitas. Qui Pictavis veniens, contra Gundobaldum [h] **191** ducem pugnavit. Terga autem vertente exercitu partis Gundobaldi, magnam ibi stragem de populo illo fecit; sed et de Turonica regione maximam partem [i] incendit, et nisi ad tempus manus dedissent, totam continuo debellasset. Commoto autem exercitu, Lemovicinum, Cadurcinum, vel reliquas illorum provincias [j] pervadit, vastat, evertit; ecclesias incendit, ministeria detrahit, clericos interficit, monasteria virorum dejicit, puellarum deludit [k], et cuncta devastat: fuitque illo in tempore pejor in ecclesiis gemitus, quam tempore persecutionis Diocletiani.

XLIX [*Al.* XLIII]. Et [l] adhuc obstupescimus et admiramur, cur tantæ super eos plagæ irruerant: sed recurramus ad illud quod parentes eorum egerunt, et isti perpetrant. Illi post prædicationem sacerdotum, de fanis ad ecclesias sunt conversi; isti quotidie de ecclesiis prædas detrahunt. Illi sacerdotes Domini ex toto corde venerati sunt, et audierunt; isti non solum non audiunt, sed etiam persequuntur. Illi monasteria et ecclesias ditaverunt; isti eas diruunt ac subver-

[a] Colb., *Brinna*.

[b] Sic Colb., Bec. et Regm. At Chesn., *illi protulit*; alii editi, *illo protulit discedenti*. Bellov. brevius, *illo protulit, dicens*.

[c] Editi plerique cum Bec. et Colb., *Villavum*. Regm. et Bad., *Villanum*; sic et infra. At Vellavum designari certum est, hodieque vulgo *le Velay*. Vide notas ad cap. 25, lib. x.

[d] Metæ vocabulum pro frugum acervo usurpari multis exemplis probat Alteserra in hunc locum. V. Hincmarum in Vita S. Remigii.

[e] Alii, *excitantur ad emissas voces*.

[f] Censet Valesius, et post eum Cointius, legendum esse *Chilpericum*. Nam Gregorius ibi et capitibus sequentibus de bello inter Chilpericum et Sigibertum moto loquitur: ad quos in pacem revocandos Guntramnus episcopos suæ *ditionis* Parisios convenire procuravit. Religio tamen fuit id mutare, cum *Guntchramnum* omnes editi simul et mss. habeant. Hic synodum Paris. IV laudari censet Cointius, quæ anno 573 habita fuit.

[g] Supra cap. 23. Cæterum plerique editi cum aliquot mss. habent *quondam apprehensus*, etc.

[h] Bel. et Corb., *Gundoaldum*; Regm., *Gundobaudum*; Al. *Guntwaldum*.

[i] Alii, *Turonicam regionem maxima ex parte*. Quæ sequuntur sic refert Regm., *Et nisi se ad tempus dedissent... devastasset*.

[j] Corb. et Bell., *illarum propinquas*. Bad., *reliquas provincias*. Regm., *reliquas illarum partium civitates*. Bec., *illarum urbium provincias*.

[k] Sic mss., at editi plerique, *puellas*: Freh., al. *puellam*, et infra cum Bec., *persecutoris*.

[l] Hoc caput deest in Bell. et Corb.

tunt. Quid de Latta [a] monasterio referam, in quo beati Martini habentur reliquiæ? Cum ad eum unus cuneus hostium adventaret, et fluvium, qui propinquus est, transire disponeret ut monasterium exspoliaret, clamaverunt monachi, dicentes: Nolite, o barbari, nolite huc transire: beati enim Martini istud est monasterium. Hæc audientes, eorum multi compuncti a Dei timore regressi sunt. Viginti tamen ex ipsis, qui non metuebant Deum, neque beatum confessorem honorabant, ascendentes navem illuc transgrediuntur, et inimico stimulante, monachos cædunt, monasterium evertunt, resque diripiunt, de quibus **192** facientes sarcinas, navi imponunt. Ingressique fluvium, protinus vibrante carina huc illucque feruntur. Cumque amisso solatio remorum, hastilibus lancearum in fundum alvei defixis remeare conarentur, navis sub pedibus eorum dehiscit, et uniuscujusque ferrum, quod contra se tenebat, pectori defigitur, transverberatique cuncti a propriis jaculis interimuntur. Unus tantum ex ipsis, qui eos increpabat, ne ista committerent, remansit illæsus. Quod si hoc quis fortuitu evenisse judicat, cernat unum insontem plurimis evasisse de noxiis. Quibus interfectis, monachi ipsos et res suas ex alveo detrahentes, illos sepelientes, res suas domui restituunt.

L [*Al.* XLIV]. Dum hæc agerentur, Sigibertus rex gentes illas [b], quæ ultra Rhenum habentur, commovet, et bellum civile ordiens, contra fratrem suum Chilpericum ire destinat. Quod audiens Chilpericus, ad fratrem summ Guntchramnum legatos mittit. Qui conjuncti pariter fœdus ineunt, ut nullus fratrem suum perire sineret. Sed cum Sigibertus gentes illas adducens venisset, et Chilpericus de alia parte cum suo exercitu resideret, nec haberet rex Sigibertus super fratrem suum iturus, ubi Sequanam [c] fluvium transmearet, fratri suo Guntchramno mandatum mittit, dicens: Nisi ne permiseris per tuam sortem hunc fluvium transire, cum omni exercitu meo super te pergam. Quod ille timens, fœdus cum eodem iniit, eumque transire permisit. Denique sentiens Chilpericus, quod Guntchramnus, scilicet relicto eo ad Sigibertum transisset, castra movit, et usque Avallocium [d] Carnotensem vicum abiit. Quem Sigibertus insecutus, campum sibi præparari petiit [e]. Ille vero timens, ne colliso **193** utroque exercitu, etiam regnum eorum corrueret, pacem petiit, civitatesque ejus, quas Theodobertus male pervaserat, reddidit; deprecans, ut nullo casu culparentur earum habitatores, quos ille injuste igni ferroque opprimens acquisierat. Vicos quoque, qui circa Parisios erant, maxime tunc flamma consumpsit; et tam domus quam res reliquæ ab hoste direptæ sunt, ut etiam et captivi ducerentur. Obtestabatur enim rex, ne hæc fierent: sed furorem gentium, quæ de ulteriore Rheni amnis parte venerant, superare non poterat; sed omnia patienter ferebat, donec redire posset ad patriam. Tunc ex gentilibus illis contra eum quidam murmuraverunt, cur se a certamine subtraxisset. Sed ille, ut erat intrepidus, ascenso equo, ad eos dirigit, eosque verbis lenibus demulsit, multos ex eis postea lapidibus obrui præcipiens. Sed nec hoc sine beati Martini fuisse virtute ambigitur, ut hi sine bello pacificarentur. Nam in ipsa die qua hi pacem fecerunt, tres paralytici ad beati basilicam sunt directi [f], quod in sequentibus libris, Domino juvante, disserimus.

LI [*Al.* XLV]. Dolorem enim ingerit animo ista civilia bella referre. Nam post annum iterum Chilpericus ad Guntchramnum fratrem suum legatos mittit, dicens: Veniat frater mecum [*Al.* meus], et videamus nos, et pacificati persequamur Sigibertum inimicum nostrum. Quod cum fuisset factum, seque vidissent, ac muneribus honorassent, commoto Chilpericus exercitu usque Rhemis accessit, cuncta incendens atque debellans. Quod audiens Sigibertus, iterum convocatis gentibus illis, quarum supra memoriam fecimus, Parisios venit, et contra fratrem suum ire disponit, mittens nuntios Dunensibus et Turonicis, ut contra Theodobertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, rex Godegiselum et Guntchramnum **194** duces in capite dirigit. Qui commoventes exercitum, adversus eum pergunt. At ille derelictus a suis, cum paucis remansit: sed tamen ad bellum exire non dubitat. Ineuntes autem prælium, Theodobertus evictus in campo prosternitur, et ab hostibus exanime corpus, quod dici dolor est, spoliatur. Tunc ab Arnulfo [g] quodam collectus, abluitusque, ac dignis vestibus est indutus, et ad Eco-

[a] Colb., *Lata*. Bec., *de Lettat*. Erat fortasse monasterium hic memoratum in vico, qui etiam nunc *Sivan la Late* seu *la Latte* appellatur, haud procul a Severiaco, *Sivré*, Bellismo et Noviliaco, *Neuilli*, sito.

[b] Chol., *Sigibertus tres gentes*, etc.

[c] Sic mss. omnes. præter Colb. et Chesn. qui habent *Segonam*, quasi hic Sagona sive Arar, vulgo *la Saône*, designaretur. Editi vet. habent quoque *Sequanam*. Et quidem ex Gregorii lib. II de Mirac. S. Martini, cap. 7, patet hic legendum esse *Sequanam*. De hac re vide etiam lib. I de Gloria martyr., cap. 72.

[d] Hic vicus est ad flumen Lidericum, qui postea Allocium seu Alogium, vulgo *Alluye*, dictus est. In plerisque mss. et editis scribitur *Alocium*. Bec., *ad Valocium*.

[e] Tunc temporis scripsit ad Brunechildem Sigiberti uxorem beatus Germanus Parisiorum antistes, ut excidium, quod toti regioni imminebat, averteret. Superest hæc epistola tanto pontifice ad pacem principes Christianos adhortante digna, quam in Appendice referemus.

[f] Horum trium paralyticorum curationem refert Gregor. lib. II Mirac. S. Martini, cap. 5, 6 et 7.

[g] Colb. et Bec. cum Chesn., *Aunulfo*. De more abluendorum defunctorum apud gentiles et Christianos plura habet V. Cl. Ant. Dadinus Alteserra in cap. 5 lib. II Hist. Gregorii nostri, ubi ex Aimoino in Vita S. Abbonis, cap. 20, observat interemptorum corpora illota sepeliri solita fuisse. Abbo quippe *cum ipsis quibus indutus erat vestimentis, uti mos est sepeliri interemptos, illotus etiam lapideo tumulatus sarcofago* fuit. Forte Theodebertus lotus fuit ac aliis vestibus indutus ob regiam dignitatem, vel quod nondum mos ille inolevisset. Reges autem, episcopos et abbates, *dignis*, id est, ut puto, suæ dignitati competentibus indutos vestibus, sepeliri solitos fuisse probant complures Gregorii loci.

ısem [a] civitatem sepultus, Chilpericus vero
ıcens quod iterum se Guntchramnus cum Si-
› pacificasset, se infra Tornacenses muros cum
et filiis suis communivit.

[*Al.* XLVI]. In eo anno fulgor per cœlum dis-
se visus est [b], sicut quondam ante mortem
ıacharii factum vidimus. Sigibertus vero ob-
civitatibus illis, quæ citra Parisios sunt positæ,
Rothomagensem urbem accessit, volens
n urbes hostibus cedere. Quod ne faceret, a
rohibitus est. Regressus inde, Parisios est in-
s : ibique ad eum Brunichildis cum filiis venit.
Franci, qui quandam ad Childebertum aspexe-
eniorem, ad Sigibertum legationem mittunt,
os veniens, derelicto Chilperico, super se ip-
egem stabilirent. Ille vero hæc audiens, misit
atrem suum in supra memorata civitate [c] obsi-
, ipse illuc properare deliberans. Cui sanctus
ınus episcopus dixit : Si abieris, et fratrem
interficere nolueris, vivus et victor redibis : sin
aliud cogitaveris, morieris. Sic enim Dominus
lomonem dixit : *Foveam quam fratri tuo para-
eam corrues* (*Prov.* XXVI, 27). Quod ille, pec-
facientibus, audire neglexit. Veniente autem
villam, cui nomen est Victoriacum [d], collec-
ad eum omnis exercitus, impositumque super
sibi regem statuunt. Tunc duo pueri cum
validis, quos vulgo scramasaxos [e] **195** vo-
nfectis veneno, maleficati a Fredegunde re-
ım aliam causam se gerere [f] simularent, utra-
i latera feriunt. At ille vociferans, atque
ns, non post multo spatio emisit spiritum: ibique
ıregisilus cubicularius ejus corruit; ibi et Si-
ni quondam ex Gotthiâ venerat, multum la-
› est, et postea ab Chilperico rege comprehen-
ıcensis cum cauteriis candentibus omnibus
ris, ac membratim separatus [g], crudeliter vi-
ıivit. Fuit autem Charegisilus ille tam levis
quam gravis cupiditate ; de minimis consur-

A gens, magnus per adulationes cum rege effectus est; competitor rerum alienarum, testamentorumque effractor ; cui talis fuit vitæ exitus, ut non mereretur voluntatem propriam morte imminente complere, qui aliorum voluntates sæpe destruxerat. Chilpericus autem in ancipiti casu defixus, in dubium habebat, an evaderet, an periret, donec ad eum missi veniunt de fratris obitu nuntiantes. Tunc egressus a Tornaco cum uxore et filiis, eum vestitum apud Lambros [h] vicum sepelivit. Unde postea Suessionas in basilica sancti Medardi, quam ipse ædificaverat, translatus, secus Chlothacharium patrem suum sepultus est. Obiit autem quarto decimo regni sui anno, ætate quadragenaria. **196** A transitu ergo Theudeberti senioris usque ad exitum Sigiberti, supputantur anni viginti novem [i]. Inter exitum vero Sigiberti et nepotis sui Theodoberti, fuere dies decem et octo. Mortuo autem Sigiberto, regnavit Childebertus filius ejus pro eo.

A principio usque ad diluvium, anni bis mille ducenti quadraginta duo. A diluvio autem usque ad Abraham, anni nonagenti quadraginta duo. Ab Abraham vero usque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, anni quadringenti sexaginta duo [j]. Ab egressu filiorum Israel ex Ægypto usque ad ædificationem templi Salomonis, anni quadringenti octoginta. Ab ædificatione ergo templi usque ad desolationem ejus, et transmigrationem in Babyloniam, anni trecenti nonaginta [k]. A transmigratione igitur usque ad passionem Domini, anni sexcenti sexaginta octo [l]. A passione Domini usque ad transitum sancti Martini, anni quadringenti et duodecim. A transitu sancti Martini usque ad transitum Chlodovechi regis, anni centum duodecim. A transitu Chlodovechi regis usque ad transitum Theudeberti, anni triginta septem [m]. A transitu Theudeberti usque ad exitum Sigiberti, anni viginti novem. Qui sunt simul anni quinquies mille septingenti septuaginta quatuor [n].

b., Bell. et Freh., *Colosinensem*. Colb., *Eco-*
m. Bec. et Mor. 5., *Ecolinensem*.
Corb.; alii cum editis, *fulgur.... visum est*.
nacensi scilicet, ex cap. præcedenti.
us est, ut monet Miræus, inter Duacum et
tas ad Scarpam fluvium, vulgo *Vitry* hodie-
ctus, quem Hariulfus in Chronico Centulensi
publicam in suburbano Atrebatensis urbis si-
pellat.
b., *scrumasaxos*. Regm., *scramaxos*. Colb.,
saxos. Vox est barbara quæ significat cultel-
ıeficos, seu gladiolos breves, a Saxonico *sax*
ks. Adi Vossium de Vit. Latin. sermon. l. II,

l., Mor. 5., etc., *suggerere*. Sigiberti necem
› consignat Marius, quam tamen anno præ-
contigisse volunt viri eruditi.

g Corb., *separatis*.
h Vicus est ad Scarpam fluvium inter Camaracum et Atrebatas situs. Cognatus in Historia Tornacensi hunc prope Duacum, qua iter est Atrebatum, locat. De hac Chilperici sortis mutatione Fortunatus lib. IX, carm. 1.
i Corb. et Colb. cum Bad., 28.
j Colb. 452. Bec., 442.
k Sic Cod. Bell. et Corb., quem numerum ita scribunt CCCLXL. Regm., Bec. et Bad. habent 340. Colb. et Chesn., 361. Alii editi, 360.
l Colb., Chesn. et Bad., 648. Nullus est numerus in cod. Regm.
m Cod. Colb., 34.
n Sic mss. cum Bad., qui computus congruit singulis articulis, ut habentur in nostro textu. Cæteri tamen editi habent *quadraginta quatuor*.

197-198 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUINTI.

hildeberti junioris regno, et de matre ejus.
d Merovechus Brunichildem accepit uxorem.
tum contra Chilpericum, et de malitia Rauchingi.
d Roccolenus Turonis venit.
V. De episcopis Lingonicis, et Namnetico.
VI. De Leonaste archidiacono Biturigo.
VII. De Senoch reclauso.
VIII. De sancto Germano Parisiorum episcopo.

IX. De Caluppane reclauso.
X. De Patrocio reclauso.
XI. De Judæis conversis per Avitum episcopum.
XII. De Brachione abbate.
XIII. Quod Mummolus Lemovicas vastavit.
XIV. Quod Merovechus tonsoratus ad basilicam sancti Martini confugit.
XV. Bellum inter Saxones et Suevos.
XVI. De interitu Macliavi.
XVII. Quod Guntchramnus rex filios Magnacharii interfecit, suosque perdidit ; et de dubietate Paschæ.
XVIII. De ecclesia Cainonensi ; et quod Guntchramnus rex cum Childeberto conjunctus est.
XIX. De Prætextato episcopo, et interitu Merovechi.
XX. De eleemosynis Tiberii.
XXI. De Salonio et Sagittario episcopis.
XXII. De Winnoco Brittone.
XXIII. De obitu Samsonis filii Chilperici.
XXIV. De prodigiis ostensis.
XXV. Quod Guntchramnus Boso filias suas de basilica sancti Martini abstulit, et Chilpericus Pictavis invasit.
XXVI. De interitu Daconis et Dracoleni (Cod. Corb., *Dacoleni et Dratgleni ducis*).
XXVII. Quod exercitus in Britannias abiit.
XXVIII. De ejectione Salonii et Sagittarii.
XXIX. De descriptionibus a Chilperico impositis.
XXX. De vastatione Britannorum.
XXXI. De imperio Tiberii.
XXXII. De insidiis Britannorum.
XXXIII. De Basilica sancti Dionysii injuri mulierem.
XXXIV. De prodigiis.
XXXV. De dysenteriæ morbo et filiis Chilperici n
XXXVI. De Austrechilde regina.
XXXVII. De Heraclio episcopo, et Nantino comite
XXXVIII. De Martino Galliciensi episcopo.
XXXIX. De persecutione Christianorum in Hispa
XL. De interitu Chlodovechi.
XLI. De Elafio et Eunio episcopis.
XLII. De legatis Galliciensibus, ac prodigiis.
XLIII. De Maurilione Cadurcorum episcopo.
XLIV. De altercatione cum hæretico.
XLV. De his quæ Chilpericus scripsit.
XLVI. De obitu Agræculæ episcopi.
XLVII. De obitu Dalmatii episcopi.
XLVIII. De comitatu Eunomii.
XLIX. De malitia Leudastis.
L. De insidiis quas nobis fecit, et qualiter ipse i tus est.
LI. Quæ beatus Salvius de Chilperico prædixit.

LIBER QUINTUS.

Prologus.

199 Tædet me bellorum civilium diversitates quæ Francorum gentem et regnum valde proterunt, memore : in quo, quod pejus est, tempus illud, quod Dominus de dolorum prædixit initio, jam videmus. Consurgit *pater in filium, filius in patrem, frater in fratrem, proximus in propinquum* (*Matth.* x, 21). Debebant enim eos exempla anteriorum regum terrere, qui ut divisi, statim ab inimicis sunt interempti. Quoties et ipsa Urbs urbium, et totius mundi caput, iniens bella civilia, ruit! quo cessante, rursum quasi ex humo surrexit. Utinam et vos, o reges, in his prœliis, in quibus parentes vestri desudaverunt, exerceremini, ut gentes vestra pace conterritæ, vestris viribus premerentur! Recordamini quid caput victoriarum vestrarum Chlodovechus fecerit, qui adversos [a] reges interfecit, noxias gentes elisit, patrias gentes subjugavit : quarum regnum vobis **200** integrum illæsumque reliquit. Et cum hoc faceret, neque aurum [b], neque argentum, sicut nunc est in thesauris vestris, habebat. Quid agitis? quid quæritis? quid non abundatis? In domibus deliciæ [c] supercrescunt ; in promptuariis vinum, triticum, oleumque redundat ; in thesauris aurum atque argentum coacervatur. Unum vobis deest, quod pacem non habentes, Dei gratia indigetis. Cur unus tollit alteri suum? cur alter [d] concupiscit alienum? Cavete illud, quæso, Apostoli : *Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini* (*Gal.* v, 15).

A Scrutamini diligenter veterum scripta, et v quid civilia bella parturiant. Requirite quid thaginiensibus scribat Orosius * : qui cum p tingentos annos subversam dicat civitatem e nem eorum, addidit : « Quæ res eam tandiu s concordia. Quæ res eam post tanta destru pora? discordia. » Cavete discordiam, cave civilia, quæ vos populumque **201** vestrum gnant. Quid aliud sperandum erit, nisi cum tus vester ceciderit, vos sine solatio relicti, a gentibus adversis oppressi protinus corru te, o rex, bellum civile delectat, illud quod lus (*Gal.* v, 17) in hominem agi meminit, ut spiritus concupiscat adversus carnem, virtutibus cedant, et tu liber capiti tuo, id e

B sto, servias, qui quondam radici malorum compeditus.

I. Igitur interempto Sigiberto rege apud V cum villam, Brunichildis regina cum filiis residebat. Quod factum cum ad eam perlatum et conturbata dolore ac luctu, quid ageret ig Gundobaldus [f] dux apprehensum Childebertu ejus parvulum furtim abstulit, ereptumque a nenti morte, collectisque gentibus super qu ejus regnum tenuerat, regem instituit, vix lus tis unojam peracto : qui die dominici Natalis cœpit. Anno igitur primo regni ejus, Chilperi Parisios venit, apprehensamque Brunichilde

[a] Alii, *diversos.*
[b] Hinc patet Chlodoveum filiosque ejus non multum argenti coacervasse. Unde supra lib. III, cap. 7, Theodoricus adeo ægre ferebat disci argentei privationem.
[c] Corb. et Bell., *In domibus militiæ.*
[d] Alii, *alteri suum, cum alter concupiscit alie*
* Liber quartus, potissimum a cap. 6, pen est de Carthaginiensibus.
[f] Sic editi cum Regm. ; mss. plerique, *G dus.* Corb. *Gundovaldus rex.*

gensem civitatem in exsilium trusit, thesau- A autem, qui a sorte Sigiberti se ad Chilpericum trans-
jus quos Parisios detulerat, abstulit : filias tulerat, et multis ab eo muneribus locupletatus est,
Meldis [a] urbe teneri præcepit. Tunc Roc- caput belli istius fuit ; sed in campo victus, primus
cum Cenomannicis Turonis venit, et præ- fuga dilabitur : villas vero quas ei rex a fisco **203**
et multa scelera fecit : quod in sequenti qua- in territorio Suessionico indulserat, abstulit, et basili-
irtute beati Martini pro tantis malis quæ cæ contulit beati Medardi. Ipse quoque Godinus non
ercussus interiit, memorabimus [c].
Ipericus vero filium suum Merovechum cum post multum tempus repentina morte præventus,
Pictavis dirigit. At ille relicta ordinatione interiit. Cujus conjugem Rauchingus [i] accepit, vir
Turonis venit, ibique et dies sanctos Paschæ omni vanitate repletus, superbia tumidus, elatione
Multum enim regionem illam exercitus ejus protervus ; qui se ita cum subjectis agebat, ut non
Ipse vero simulans ad matrem suam ire velle, cognosceret in se aliquid humanitatis habere, sed
igum petiit, et ibi Brunichildi reginæ con- ultra modum humanæ malitiæ atque stultitiæ [j] in
, eamque sibi in matrimonio sociavit. Hæc suos desæviens, nefanda mala gerebat. Nam si ante
diens Chilpericus, quod scilicet contra fas eum, ut assolet [k], convivio urentem puer cereum te-
e canonicam uxorem patrui accepisset, valde B nuisset, nudari ejus tibias faciebat, atque tandiu in
dicto citius ad supra memoratum oppidum his cereum comprimi, donec lumine privaretur : ite-
At illi cum hæc cognovissent, quod eosdem rum cum illuminatus fuisset, similiter faciebat, usque-
decerneret, ad basilicam sancti Martini, dum totæ tibiæ famuli tenentis exurerentur. Quod
er muros civitatis ligneis tabulis fabricata est, si vocem emittere, aut se de loco illo alia in parte
im faciunt. Rex vero adveniens, cum in mul- movere conatus fuisset, nudus illico gladius immine-
iis eos exinde auferre niteretur, et illi dolose bat ; fiebatque ut hoc flente, iste magna lætitia ex-
tantes facere, non crederent, juravit eis di- sultaret. Aiebant enim quidam, eo tempore duos de
i, inquit, voluntas Dei fuerit [d], ipse hos sepa- famulis ejus, ut sæpe contingit, mutuo se amore di-
i conaretur. Hæc illi sacramenta audientes [e], lexisse, virum scilicet et puellam. Cumque hæc di-
ica egressi sunt, exosculatisque et dignanter lectio per duorum annorum aut eo amplius spatia
, epulavit cum eis. Post dies vero paucos, traheretur, conjuncti pariter ecclesiam petierunt.
to secum rex Merovecho, Suessionas [f] rediit. Quod cum Rauchingus comperisset, accedit ad sacer-
um autem ibidem commorarentur, collecti dotem loci ; rogat sibi protinus reddi suos famulos
e Campania, Suessionas urbem aggrediuntur, excusatos. Tunc sacerdos ait ad eum : Nosti enim
ne ex ea Fredegunde regina, atque Chlodo- C quæ veneratio debeat impendi ecclesiis Dei. Non enim
lio Chilperici, volebant sibi subdere civitatem. poteris eos accipere, nisi ut fidem facias de perma-
it Chilpericus rex comperit [g], cum exercitu nente eorum conjunctione ; similiter et ut de omni
rexit, mittens nuntios ne sibi injuriam face- pœna corporali liberi maneant, repromittas [l]. At ille,
excidium de utroque eveniret exercitu. Illi cum diu ambiguus cogitatione siluisset, tandem con-
hæc negligentes, præparantur ad bellum : versus ad sacerdotem, posuit manus suas super altari
soque prælio invaluit pars Chilperici, atque cum juramento, dicens : Quia nunquam erunt a me
partem sibi adversam, multos ex ea strenuos separandi, sed potius ego faciam, ut in hac conjun-
utiles viros prosternens, fugatisque reliquis ctione permaneant : quia quanquam mihi molestum
nas ingreditur. Quæ postquam acta sunt, rex fuerit, quod absque mei consilii conniventia [m] talia
conjugationem Brunichildis, suspectum ha- **204** sint gesta, illud tamen libens amplector, quod
epit Merovechum filium suum, dicens, hoc nec hic ancillam alterius, neque hæc extranei ser-
n ejus nequitia surrexisse : spoliatumque ab vum acceperit. Credidit sacerdos ille simpliciter
datis custodibus libere [h] custodiri præcepit, promissioni hominis callidi, reddiditque homines ex-
s quid de eo in posterum ordinaret. Godinus cusatos. Quibus ille acceptis, et gratias agens, abs-
cessit ad domum suam, et statim jussit elidi arbo-

D

Regm. et Bad. ; Bec., *Meledum*. Alii tres *Meledus*. Editi plerique, *Meledis*, vulgo *Meaux*.
, *Ruccolenus*. Regm., *Rotolenus*. Bec., *Ruc-*
, et infra, cap. 4, *Ruccolinus*, seu *Rutulenus*.
a cap. 4, et in lib. II de Miraculis sancti Mar-
. 27.
ique editi cum Bec., *foret*. Bad., *foret, ipse*
rare non conarer.
, *accipientes*. Et infra Colb., *epulatus est cum*
, *Sessiones*, et inferius. Regm. vero et Bec.,
is.
et Valesius hic sibi ipsi contrarium esse Gre-
, qui Chilpericum Suessionibus commorantem
et tamen de eo sic loquitur, quasi ibi non ad-
i illustres honestorum semper hominum cu-
stodiæ committebantur, ut notat Hieronymus in lib. II advers. Vigilantium. Vide lib. I de Gloria Mart., cap. 45. *Delicatam custodiam* appellat Pontius in Vita sancti Cypriani, num. 15.

[i] Alii, *Rauchinchus*.

[j] Corb. et Bell., *ultra modum atque stultitiam*.

[k] Sic in libro II Dialog. S. Gregorii, cap. 20, monachus quidam S. P. Benedicto ad mensam sedenti lucernam tenebat.

[l] Exstat ea de re formula apud Bignonium, inter veteres incerti auctoris num. 22. Vide et ejusdem viri cl. notas.

[m] Colb. cum aliquot editis, *convenientia*. Bec., *conhibentia*.

rem, truncatamque columnam ejus per capita cuneo scissam [a] præcepit excavari, effossaque in altitudine trium aut quatuor pedum humo, deponi vas jubet in foveam. Ibique puellam ut mortuam componens, puerum desuper jactari præcepit : positoque opertorio, fossam humo replevit, sepelivitque eos viventes, dicens : Quia non frustravi juramentum meum, ut non separarentur hi in sempiternum. Quæ cum sacerdoti nuntiata fuissent, illuc cucurrit velociter, et increpans hominem, vix obtinuit ut detegerentur. Verumtamen puerum vivum extraxit, puellam vero reperit suffocatam. In talibus enim operibus valde nequissimus erat, nullam aliam habens potius [b] utilitatem, nisi in cachinnis ac dolis, omnibusque perversis rebus. Unde non immerito taliter excessit a vita, qui talia gessit cum frueretur hac vita, quod in posterum digesturi sumus (*lib.* IX, *cap.* 9). Siggo quoque referendarius [c], qui annulum regis Sigiberti tenuerat et ab Chilperico rege provocatus erat, ut servitium quod tempore fratris sui habuerat, obtineret, ad Childebertum regem Sigiberti filium relicto Chilperico transivit, resque ejus quas in Suessionico habuerat, Ansoaldus [d] obtinuit. Multi autem et alii de his qui se de regno Sigiberti ad Chilpericum tradiderant, recesserunt. Uxor quoque Siggonis non post multo temporis spatio [e] obiit : sed ille aliam rursus accepit.

IV. His diebus Roccolenus, ab Chilperico missus, Turonis advenit cum magna jactantia, et ultra Ligerim castra ponens, nuntios ad nos direxit, ut scilicet Guntchramnum, qui **205** tunc de morte Theodoberti impetebatur, a basilica sancta deberemus extrahere. Quod si non faceremus, et civitatem, et omnia suburbana ejus juberet incendio concremari. Quo audito mittimus ad eum legationem, dicentes : Hæc ab antiquo facta non fuisse, quæ hic fieri deposcebat; sed nec modo permitti posse, ut basilica sancta violaretur. Quod si fieret, nec sibi fore prosperum, nec regi qui hæc jussa mandasset; metueretque magis sanctitatem antistitis, cujus virtus hesterna die paralyticam [f] direxisset. Nihil ex his ille formidans, cum in domo ecclesiæ ultra Ligerim resideret, domum ipsam, quæ clavis affixa erat, disfixit [g]. Ipsos quoque clavos Cenomannici, qui tunc cum eod venerant, impletis follibus [h] portant, annonas tunt, et cuncta devastant. Sed dum hæc Rocc agit, a Deo percutitur, morboque regio croc fectus, mandata aspera remittit, dicens : Nisi projeceritis Guntchramnum ducem de basili cuncta virentia quæ sunt circa urbem atteran dignus fiat aratro locus ille. Interim advenit di ctus Epiphaniæ, et hic magis ac magis torqu pit. Tunc accepto a suis consilio, amne transa civitatem accedit. Denique cum psallentes de sia [i] egressi ad sanctam basilicam properaren post crucem præcedentibus signis, equo superp ferebatur. Verum ubi basilicam sanctam i mox furor minantis intepuit [k] : regressusque clesia, nihil cibi ea die accipere potuit. Exind valde anhelus esset, Pictavis abiit. Erant eni sanctæ Quadragesimæ, in qua fetus cuniculoru comedit. Dispositis vero actionibus, quibus in dis Martiis cives Pictavos vel affligeret, vel dam **206** pridie animam reddidit : et sic superb morque quievit.

V. Eo [l] tempore Felix Namneticæ urbis epis litteras mihi scripsit plenas opprobriis, a etiam fratrem meum ob hoc interfectum, e ipse cupidus episcopatus, episcopum interf Sed ut hæc scriberet, villam ecclesiæ conc Quam cum dare nollem, evomuit in me, ut di nus furore, opprobria mille. Cui aliquando e pondi : « Memento dicti prophetici : *Væ his q gunt domum ad domum, et agrum ad agrum co Nunquid soli inhabitabunt terram* (*Isai.* V, 8)? habuisset Massilia sacerdotem ! nunquam naves aut reliquas species detulissent, nisi tantum cha quo majorem opportunitatem scribendi ad infamandos haberes. Sed paupertas chartæ imponit verbositati. » Immensæ enim erat cup atque jactantiæ. Sed ego ista postponens, n milis appaream, illud explicabo qualiter ge meus [m] ab hac luce migraverit, et quam vel percussorem ejus Dominus præstiterit ultionem senescente beato Tetrico ecclesiæ Lingonicæ

[a] Corb., *Ejus per capita cuneos.* Chesn., *ejus pro capita cuneo.* Bec., *columpiam... effossamque,* etc.

[b] Regm., *nullam prorsus aliam habens.* At in Corb. et Bell. desunt hæc, *valde nequissimus,* etc., usque ad *perversis rebus.*

[c] Referendarius tunc dicebatur, qui hodie cancellarius. De ejus officio et prærogativis vide Mabillon, de Re Diplomat. lib. II, cap. 11, et Bignonium in formulam 25 lib. I Marculfi. Infra *provocatus,* id est promotus.

[d] Sic mss.; at plerique editi, *Ansovaldus.* Bec., *Ansolvaldus.*

[e] Regm., *non post multum temporis spatium.*

[f] Colb. cum Chesn., *paralytica membra*; sed mulier paralytica dicitur in lib. II de Miraculis S. Martini, cap. 27, ubi hæc eadem historia narratur.

[g] Sic Corb.; alii, *dissecat.*

[h] Folles sunt sacculi scortei, seu ex corio facti. V. Juvenal, sat. 13.

[i] Sic Corb., Bell. et Bec.; alii cum Chesn., *devastabo.*

[j] Ex institutione Perpetui infra lib. X, c Epiphaniæ vigiliæ agebantur in ecclesia, id e thedrali : exinde autem, uti ex præsenti loc mus, processio fiebat ad basilicam sancti Ma ea primo signa seu vexilla defer bantur, ta quandoque etiam sacræ reliquiæ, etc., quod e Gregorii locis patet; qui mos hodieque in catholica in processionibus perseverat.

[k] Colb., *increpuit.* Bell. et Corb., *intrepuit.*

[l] Deest hoc caput in Corb., Bell. et Colb. tur autem in Casin., Bec., Regm., etc. D passim agit Gregorius; sicut et Fortunatus, laudes pluribus celebravit, potissimum lib. 3, 4 et seqq. subscripsit conc. Turon. II, et Paris. IV, an. 573.

[m] Ex Ægypto scilicet allatam. V. notas in cap. 6.

[n] Petrus vocabatur, diaconus ut ex seqq De quo vide lib. II de Gloria Mart., cap. 24.

m Lampadium diaconum, quem creditorem A
lejecisset, et frater meus, dum pauperibus,
male spoliaverat, opitulari cupiens, consen-
ejus humiliationem, odium ex hoc incurrit.
beatus Tetricus a sanguine sauciatur [a]: cui
la medicorum fomenta valerent, conturbati
t a pastore ut pote destituti, Mondericum [b] ex-
qui a rege indultus, ac tonsuratus, epi-
rdinatur, sub ea quidem specie, ut dum bea-
icus viveret, hic Ternodorense castrum [c] ut
sbyter regeret, atque in eo commoraretur:
e **207** vero decessore, iste succederet. In
ro dum habitaret, iram regis incurrit. Asse-
enim contra eum, quod ipse Sigiberto regi,
s fratrem suum Guntchramnum venienti,
i et munera præbuisset. Igitur extractus a B
n exsilium super ripam Rhodani in turri qua-
ta atque detecta retruditur: in qua per duos
os cum grandi cruciatu commoratur. Obti-
ato Nicetio episcopo, Lugdunum regreditur,
tque cum eo per duos menses. Sed cum ob-
on posset a rege, ut in locum unde dejectus
estitueretur, nocte per fugam lapsus ad Si-
n regem [d] transiit, et apud Arisitensem [e] vi-
scopus instituitur, habens sub se plus minus
s [f] quindecim, quas primum Gotthi quidam
nt, nunc vero Dalmatius [g] Ruthenensis epi-
vindicabat. Quo abeunte iterum Lingonici
um propinquum, vel [*I.* et] nostrum, vel beati
episcopum [h] expetunt. Sed tamen ut eum
t, fratris mei hoc instinctu fecerunt. Interea C
nte beato Tetrico, hic tonso capite presbyter
ir, accepta omni potestate de rebus ecclesiæ:
) ut benedictionem episcopalem Lugduni ac-
ter parat. Quæ dum aguntur, ipse quia jam
epticus erat, ab hoc morbo correptus, aspe-
ra sensum factus, et per dies duos assidue
ngitum, tertia die spiritum exhalavit. Quibus
, Lampadius, ut superius diximus, ab honore
ate privatus, in odium [*Ed.* odio] Petri dia-

coni cum filio Silvestri conjungitur, machinans atque confirmans patrem suum ab ipso fuisse maleficiis interfectum. At ille ætate juvenis, sensu levis, contra eum **208** commovetur, ipsum impetens publice parricidam. Porro ille hæc audiens, facto placito in præsentia sancti Nicetii episcopi, avunculi matris meæ, Lugdunum dirigitur; et ibi Siagrio episcopo [i] coram astante, et aliis sacerdotibus multis, cum sæcularium principibus, se sacramento exuit, nunquam se in mortem Silvestri mistum fuisse. Post duos vero annos instigatus iterum a Lampadio filius Silvestri, assecutus in via Petrum diaconum, lancea sauciatum interfecit. Quod cum factum fuisset, de eo loco elevatus, et ad Divionense delatus castrum, secus sanctum Gregorium proavum nostrum sepelitur. Iste vero homicida fugam iniens, ad Chilpericum regem transiit, facultatibus suis fisco [k] regis Guntchramni dimissis. Cumque per diversa vagaretur pro commisso scelere, nec ei esset locus firmus ad commorandum; tandem, ut credo, contra eum sanguine insonte ad divinam potentiam proclamante, in quodam loco dum iter ageret, innocentem hominem evaginato gladio [l] interemit. Cujus parentes condolentes propinqui exitum, commota seditione, extractis gladiis, eum in frusta concidunt, membratimque dispergunt. Talem justo judicio Dei [m] exitum miser accepit, ut qui propinquum innocentem interemerat, ipse nocens diutius non maneret: nam tertio hæc ei evenerunt anno. Denique post transitum Silvestri, Lingonici iterum episcopum flagitantes, Pappolum, qui quondam archidiaconus Augustodunensis fuerat, accipiunt: qui multa, ut asserunt multi, egit iniqua, quæ a nobis prætermittuntur, ne detractores fratrum esse videamur: tamen qualem is habuerit exitum, non omittam. Anno octavo **209** episcopatus sui, dum diœceses ac villas Ecclesiæ circumiret [n], quadam nocte dormienti apparuit illi beatus Tetricus vultu minaci; cui ita dicit: Quid tu, inquit, hic, Pappole? Ut quid sedem meam polluis? ut quid ecclesiam pervadis? ut quid oves mihi creditas sic di-

st apoplexi, quæ ex sanguinis effusione ori-
reptus est.

, ut notant Bollandiani ad 18 Martii, Munde-
eu, ut alii scribunt, Modericus, Ansberti fa-
ni senatoris filius, S. Arnulfi episc. Mettensis
ui clarus miraculis obiisse dicitur.

odorum oppidum, vulgo *Tonnerre*, comita-D
itate illustre. Haud dubium quin ejusmodi
m episcopi, qui archipresbyterorum vicibus
ntur, apud plerosque auctores chorepiscopi
appellati.

Casin.; alii, *ad Sigiberti regnum*. Nondum Si-
s erat occisus, cum hæc contigere.

m., *Aritensem*, sed mendose. Nam aliquot
risitenses episcopos ex variis auctoribus re-
Valesius in Notitia Galliarum. Haud diu tamen
la sedes. Incertum porro est quis fuerit locus
sem ex hoc Gregorii loco intra Ruthenicæ
os fines contineri disclmus. Est namque vi-
tat dictus, qui Latine *Arisitum* dici potuisset.
m vicus montanus nomine *Aire*. Plerique ta-
tistimant *Arisitensis* nomine designari pagum
ritorium, longum circiter sex leucas, quod
unc appellatur *l'Arsat*.

[a] Id est parochias, qui loquendi modus aliis etiam auctoribus familiaris fuit, ut observat Savaro in epist. 16 libri IX Apollinaris Sidonii. Hæ autem parochiæ cum Septimania fuerant sub dominio Wisigotthorum, qui ibi instituerant episcopum.

[c] Regm., *sanctus Martinus episcopus*. Bad., *Matius episcopus*. Cæterum pro *Nunc vero*, legendum esset *tunc vero*, aut certe *vindicat*, pro *vindicabat*. Valesius in Notitia sua legit *tum*.

[h] Regm., *Tetrici episcopi*. De quo supra ad cap. 16 lib. IV.

[i] Is est episcopus Augustodunensis apud S. Gregorium celebris, qui sedi suæ pallii honorem, et sedendi primo loco prærogativam obtinuit ab eodem S. pontifice.

[j] In basilica S. Joannis, hodie parochiæ titulo insignita.

[k] Regm., *suis, quæ erant ex fisco regio dimissis*.

[l] Idem codex, *hominem forte gladio interemit*.

[m] Editi, *juxta judicium Dei*.

[n] Visitandæ diœcesis *solemnem consuetudinem, ut episcopis mos est*, appellat Severus Sulpicius epist. 1 ad Euseb. De hac passim Gregorius et alii auctores antiqui.

spergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longius a regione. Et hæc dicens, virgam quam habebat in manu, pectori ejus cum ictu valido impulit. In quo ille evigilans, dum cogitat quid hoc esset, fixa [a] in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur. In hoc igitur angore manens, abhorret cibum potumque, et mortem jam sibi proximam præstolatur. Quid plura? Tertia die cum sanguinem ore projiceret, exspiravit; exinde elatus Lingonas, est sepultus. In cujus locum Mummolus abbas [b], quem Bonum cognomento vocant, episcopus substituitur: quem multi magnis laudibus prosequuntur: dicentes eum esse castum, sobrium, moderatum, ac in omni bonitate promptissimum, amantem justitiam, charitatem omni intentione diligentem. Qui accepto episcopatu, cognoscens quod Lampadius multum de rebus fraudasset ecclesiæ, ac de spoliis pauperum agros, vineasque, vel mancipia congregasset, eum ab omni re nudatum a præsentia sua jussit abigi. Qui nunc in maxima paupertate degens, manibus propriis victum quærit. Hæc de his sufficiant.

VI. Anno vero [c] quo supra, id est quo mortuo Sigiberto Childebertus filius ejus regnare cœpit, multæ virtutes ad sepulcrum beati Martini apparuerunt, quas in illis libellis scripsi, quos de ipsius miraculis componere tentavi. Et licet sermone rustico, tamen celare passus non sum, quæ aut ipse vidi, aut a fidelibus relata cognovi. Hic tantum quid negligentibus evenerit, qui post virtutem cœlestem terrena medicamenta quæsierunt, exsolvam: quia sicut per gratiam **210** sanitatum, ita et per castigationem stultorum virtus ejus ostenditur. Leonastes Biturigus [d] archidiaconus, decidentibus cataractis, lumine caruit oculorum. Qui cum per multos medicos ambulans, nihil omnino visionis recipere posset, accessit ad basilicam beati Martini: ubi per duos aut tres menses consistens, et jejunans assidue, lumen ut reciperet flagitabat. Adveniente autem festivitate, clarificatis oculis cernere cœpit; regressus quoque domum, vocato quodam Judæo, ventosas quarum beneficio oculis lumen augeret, humeris superponit. Decidente quoque sanguine, rursus in recidivam cæcitatem redigitur. Quod cum factum fuisset, rursum ad templum sanctum regressus est. Ibique iterum longo spatio commoratus, lumen recipere non meruit. Quod ei ob peccatum non præstitum reor, juxta illud dominicum oraculum: *Qui habet, dabitur ei, et abundabit: et qui non habet, ipsum quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XIII, 12). Et illud: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius eveniat* (*Joan.* V, 14). Nam perstitisset hic in sanitate, si dæmon non induxisset super divinam virtutem. Unde enim admonet et arguit Apostolus, dicens: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis cum tenebris* [e]*? Quæ autem communicatio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos estis enim templum Dei vivi. Propterea exite de medio eorum, et separamini ab his, ait Dominus* [f] (*II Cor.* VI, 14). Ideo doceat unumquemque Christianum hæc cura, ut quando cœlestem accipere meruerit medicinam, terrena non requirat studia.

VII. Sed [g] et illud commemorare libet, qui quales viri hoc anno a Domino sunt vocati. Nam magnum eum et Deo [h] acceptabilem ego censeo, qui talis de nostra terra suo paradiso collocatur. Nam benedictus Senoch presbyter, qui apud Turonos **211** morabatur, sic migravit a sæculo. Fuit autem genere Theifalus, et in Turonico clericus factus, cellulam quam ipse inter parietes antiquos construxerat, se removit: collectisque monachis, oratorium, quod multo tempore dirutum fuerat, renovavit. Idem super infirmos multas virtutes fecit, ut in libro Vitæ ejus scripsimus [i].

VIII. Eo anno [j] et beatus Germanus Parisiorum episcopus transiit: in cujus exsequiis, multis virtutibus quas in corpore gesserat, hoc miraculum firmationem fecit. Nam carcerariis acclamantibus, corpus in platea aggravatum est, solutisque eo rursum sine labore levatur: ipsi quoque qui vinculis fuerant, in obsequium funeris usque ad basilicam qua sepultus est, liberi pervenerunt. Ad sepulcrum autem ejus multas virtutes, Domino tribuente, videntes experiuntur: ita ut quisque, si justa petierit, velociter exoptata reportet. Si quis tamen sanctæ virtutes illius, quas in corpore fecit, sollicite inquirere, librum Vitæ illius, qui a Fortunato presbytero compositus est, legens cuncta reperiet [k].

IX. Eodem [m] quoque anno et Caluppa recessit, obiit. Hic autem ab infantia sua semper religiosus fuit, et apud monasterium Melitense [n] tertium verni conversus, in magna se humilitate fideliter præbuit, sicut in libro Vitæ [o] ejus scripsimus.

[a] Sic Regm. Editi vero cum Bec., *ficta*, qua voce utitur item Gregorius lib. III de Mirac. S. Martini, cap. 10. Est autem ficta, ut putat Alteserra, dolor subitaneus, quasi clavus infixus, sicut medici πλευρῖτιν, telum appellant. Nostra lectio rem magis exprimit.

[b] Is fuit abbas S. Joannis Reomaensis in agro Tornodorensi, qui sancto Silvestro successerat; ipsi vero substitutus est Leopardinus. Mummolus jam episcopus subscripsit concil. Matisc. I et II.

[c] Hoc caput deest in Corb. et Bellov.

[d] Bec. et Colb., *Leonastis*. Regm., *Leonastis Bituricensis*. Freh., *Leuvastis*. Editi præter Chesn., *Leonastes Biturigis*.

[e] Regm., *Luci ad tenebras... ad Belial*.

[f] Idem, *dicit Dominus*.

[g] Hoc caput deest in Corb., Bellov. et Colb.

[h] Regm., *et ideo*. Et infra alii, *qui tales... cavit*.

[i] Inter Vitas Patrum cap. 15. De Teifalorum vide supra lib. IV, cap. 19.

[j] Corb. et Bellov., *Eo tempore beatus*.

[k] Id est basilicam S. Crucis et S. Vincentii, compluribus sæculis sancti confessoris nomine designatur. Obiit die 28 Maii quo celebratur festivitas.

[l] Exstat apud Surium et Bollandum 28 Maii, sæculo I Actorum SS. Ord. Benedictini.

[m] Deest hoc caput in Corb., Bellov. et Colb.

[n] Regm. et Bad., *Meletense*.

[o] Est inter Vitas Patrum, cap. 11.

Fuit [a] autem in Biturico termino reclausus e Patroclus, presbyterii honore præditus, sanctitatis ac religionis vir, magnæ abstinenii plerumque ab inedia diversis incommodis itur. Vinum, siceram, vel omne quod inepotest, non bibebat præter aquam parumper linitam: sed nec pulmento aliquo utebatur. victus erat panis in aquam infusus, atque sale espersus: hujus oculi nunquam caligaverat autem in oratione assiduus, quam si pr prætermisisset, aut legebat aliquid, aut scri- Frigoriticis [b], pustulis laborantibus, vel reliorbis, sæpe per orationem remedia conferd et alia signa multa fec.t. quæ per ordinem i est enarrare. Cilicium semper puro adhibepori. Qui octogenaria ætate abscedens a sæ- B igravit ad Christum. Scripsimus et de hujus ellum [c].

Et quia semper Deus noster sacerdotes suos are dignatur, quid Arverno de Judæis hoc ontigerit, pandam. Cum eosdem plerumque Avitus [d] episcopus commoneret, ut relicto ie legis Mosaicæ, spiritualiter lecta intelligeChristum Filium viventis Dei, prophetica et auctoritate profitissum, corde purissimo in itteris contemplarentur; manebat in pectorium, jam non dicam, velamen illud, quo faysi obumbrabatur, sed paries, sacerdote quoinde, ut conversi ad Dominum, velamen ab ræ rumperetur [e], quidam ex his ad sanctum ut baptizaretur expetiit, renatusque Deo per C i sacramentum, cum albatis reliquis in albis procedit. Ingredientibus autem populis poritatis, unus Judæorum super caput conversi oleum fetidum, diabolo instigante, diffudit. im cunctus abhorrens populus voluisset eum lapidibus, pontifex ut fieret non permisit. Die eato, quo Dominus ad cœlos post redemptum m ascendit gloriosus, cum sacerdos de ecclesilicam [f] psallendo procederet, irruit super Asynagogam Judæorum multitudo tota sequentium, destructamque a fundamentis, campi **213** planitiei assimilat [h]. Alia autem die sacerdos eis legatos mittit, dicens: Vi ego vos confiteri Dei Filium non impello, sed tamen prædico, et salem scientiæ [i] vestris pectoribus trado. Pastor sum enim dominicis ovibus superpositus, et de vobis ille verus Pastor, qui pro nobis passus est, dixit habere se alias oves quæ non sunt ex ovili suo, quas eum *oporteat adducere, ut fiat unus grex et unus pastor* (*Joan.* x, 16). Ideoque si vultis credere ut ego, estote unus grex, custode me posito; sin vero aliud, abscedite a loco. Illi autem diu æstuantes atque dubitantes, tertia die, ut credo, obtentu pontificis, conjuncti in unum ad eum mandata remittunt, dicentes: Credimus Jesum Filium Dei vivi, nobis prophetárum vocibus repromissum; et [j] ideo petimus ut abluamur baptismo, ne in hoc delicto permaneamus. Gavisus autem nuntio pontifex, nocte sancta Pentecostes, vigiliis celebratis, ad baptisterium foras muraneum egressus est: ibique omnis multitudo coram eo prostrata, baptismum flagitavit. At ille præ gaudio lacrymans, cunctos aqua abluens, chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregavit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota civitas de grege candido: nec minus fuit urbi gaudium, quam quondam Spiritu sancto descendente super apostolos, Jerusalem videre promeruit. Fuerunt autem qui baptizati sunt, amplius quingenti. Hi vero qui baptismum percipere [k] noluerunt, discedentes ab illa urbe, Massiliæ redditi sunt.

XII. Transiit [l] posthæc et Brachio abbas cellulæ Manatensis. Fuit autem genere Thoringus, in servitium Sigivaldi quondam ducis venationem exercens, sicut alibi scripsimus [m].

214 XIII. Ergo ut ad propositum revertamur, Chilpericus rex Chlodovechum filium suum Turonis transmisit. Qui congregato exercitu, in terminum [n] Turonicum, et Andegavum usque Santonas transiit, eamque pervasit. Mummolus [o] vero patricius Guntchramni regis, cum magno exercitu usque Lemovi-

t et hoc caput in iisdem 3 mss.
eriticos passim memorat Gregorius, id est borantes, quod accessio febris a frigore inci- stulas ut plurimum habent editi, *pusulas* vero Pustulæ tamen proprie sunt tumores seu ve- a cute; pusulæ vero morbi genus, vulgo sa- , aut ignis S. Antonii, dictum.
: Vitas Patrum, cap. 9.
n., *Adjutus*. Eum laudat Fortunatus lib. III, 14. Vide supra lib. IV, cap. 35. Hanc Judæo- Avito episcopo procuratam conversionem descripsit Fortunatus lib. V carm. 4, adipso Gregorio nostro, cui carmen cum præpistola nuncupatum est. Sic autem gratiam omini commendans incipit:

merabilibus famulis, operator opi me,
decet, ut semper laus tua, Christe, sonet,
ans animum, votum effectumque ministrans,
sine quo nullum prævalet esse bonum.

orb. et Bell., qui locus sic expressus de intelligitur. Cæteri tamen editi et scripti *gali*; et sic idem locus legem et prophetas et.

[f] In die Parasceves, qua publice in Ecclesia pro Judæis oratur, ut velamen ab eorum oculis tollatur. Vide Mabillonii notam in Missale Gothic., num. 29 Liturgiæ Gallic., lib. III.

[g] Vigiliæ apud Turonos ex Perpetui institutione eo die fiebant in basilica sancti Martini.

[h] Sic Corb. Alii, *destruensque... locus assimilatur*. Regm., *destructamque redegit in campi planitiem*.

[i] Cod. Regm., *justitiæ solem*.

[j] Hæc verba, *et ideo*, usque ad *permaneamus*, desunt in Corb. et Bellov.

[k] In Corb. et Bell. deest *percipere*. Et infra, pro *redditi sunt*, Colb. habet *redierunt*. Porro Judæi postea etiam Massiliæ ad baptismum suscipiendum adacti fuisse videntur, ex S. Gregorii M. epist. 45 lib. I, Virgilio Arelat. et Theodoro Massiliensi episcopis inscripta.

[l] Deest hoc caput in Corb., Bell. et Colb.

[m] In cap. 12 libri de Vitis Patrum. In Regm. dicitur *Braco*. Menatense monasterium etiam nunc exstat in diœcesi Claromontensi Ord. S. Benedicti.

[n] Sic Corb. et Bell. Cæteri autem, *inter terminum*.

[o] In capitum indiculo cod. Colb. dicitur *Momolenus*.

cinum transiit, et contra Desiderium ducem Chilperici regis bellum gessit. In quo prælio cecidere de exercitu ejus quinque millia; de [a] Desiderii vero viginti quatuor millia. Ipse quoque Desiderius fugiens vix evasit. Mummolus vero patricius per Arvernum rediit, eamque [*Al.* eaque] per loca exercitus ejus devastavit, et sic in Burgundiam peraccessit.

XIV. Posthæc Merovechus cum in custodia a patre retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, presbyter ordinatur, et ad monasterium Cenomanticum, quod vocatur Aninsula [b], dirigitur, ut ibi sacerdotali erudiretur regula. Hæc audiens Guntchramnus Boso, qui tunc in basilica sancti Martini, ut diximus, residebat, misit Riculfum [*Al.* Rigulfum] subdiaconum, ut ei consilium occulte præberet expetendi basilicam sancti Martini. Qui cum abiisset, ab alia parte Gailenus [c] puer ejus advenit. Cumque parvum solatium qui eum ducebant haberent, ab ipso Gaileno in itinere excussus est, opertoque capite, indutusque veste sæculari, beati Martini templum expetiit. Nobis autem Missas celebrantibus, in sanctam basilicam, aperta reperiens ostia, ingressus est. Post Missas autem petiit, ut ei eulogias [d] dare deberemus. Erat autem tunc nobiscum Ragnemodus Parisiacæ sedis episcopus, qui sancto Germano successerat. Quod cum refutaremus, **215** ipse clamare cœpit et dicere, quod non recte eum a communione sine fratrum conniventia suspenderemus. Illo autem hæc dicente, cum consensu fratris qui præsens erat, contestata causa canonica [e], eulogias a nobis accepit. Veritus autem sum, ne dum unum a communione suspendebam, in multos existerem homicida. Minabatur enim aliquos de populo nostro interficere, si communionem nostram non meruisset. Multas tamen pro hac causa Turonica regio sustinuit clades. His diebus Nicetius vir neptis meæ, propriam habens causam, ad Chilpericum regem abiit cum diacono nostro, qui regi fugam Merovechi narraret. Quibus visis, Fredegundis regina ait: Exploratores sunt, et ad sciscitandum quid agat rex advenerunt, ut sciant quid Merovecho renuntient. Et statim exspoliatos in exsilium retrudi præcepit, de quo mense septimo expleto relaxati sunt. Igitur Chilpericus nuntios ad nos direxit, dicens: Ejicite apostatam illum de basilica: sin autem aliud, totam regionem illam igni succendam. Cumque nos rescripsissemus, impossibile esse quod temporibus hæreticorum non fuerat, Christianorum nunc tem fieri, ipse exercitum commovet, et illuc diri

Anno autem secundo Childeberti regis, eu ret Merovechus patrem suum in hac delil intentum, assumpto secum Guntchramno Brunichildem pergere cogitat, dicens: propter meam personam basilica domni Mar lentiam perferat, aut [*Al.* et] regio ejus per ptivitati subdatur. Et ingressus basilicam, gilias ageret, res quas secum habebat, ad se beati Martini exhibuit, orans ut sibi sanctus reret, atque ei concederet gratiam suam, ut accipere posset. Leudastes tunc comes cum ei in amore Fredegundis insidias tenderet, a mum pueros ejus, qui in pago egressi **216** circumventos dolis gladio trucidavit, ipsumqu mere cupiens, si reperire loco opportuno p Sed ille consilio usus Guntchramni, et se ul siderans, redeunte Marileifo [f] archiatro de p regis, comprehendi præcepit: cæsumque gra ablato auro argentoque ejus, et reliquis rel secum exhibebat, nudum reliquit. Et inte utique, si non inter manus cædentium elapsu siam expetisset: quem nos postea indutum v tis, obtenta vita Pictavum remisimus. Mei vero de patre atque noverca multa crimina l tur: quæ cum ex parte vera essent, credo a non fuisse Deo, ut hæc per filium vulgarent in sequentibus cognovi. Quadam enim die a vium ejus ascitus [g], dum pariter sederemus citer petiit aliqua ad instructionem animæ l vero reserato Salomonis libro, versiculum mus occurrit arripui, qui hæc continebat: *qui adversus aspexerit* [h] *patrem, effodiant ei de convallibus* (*Prov.* III, 17). Illo quoque n ligente, consideravi hunc versiculum a Dom paratum. Tunc direxit Guntchramnus [i] pue mulierem quamdam, sibi jam cognitam a Chariberti regis, habentem spiritum pythoi quæ erant eventura narraret. Asserebat ipsam sibi ante hoc tempus, non solum ani et diem et horam, in qua rex Charibertus o nuntiasse. Quæ hæc ei per pueros mandata Futurum est enim ut rex Chilpericus hoc ar ciat, et Merovechus rex exclusis fratribu capiat regnum. Tu vero ducatum totius r annis quinque tenebis. Sexto vero anno in t

[a] Hæc verba, *de Desiderii vero viginti quatuor millia*, desunt in Bellov.

[b] Colb. in *Cenoniacum, qui vocatur Annisola.* Adhuc subsistit a conditoris et primi abbatis sancti Carilefi nomine, vulgo *Saint-Calais* dictum, sub ordine S. Benedicti et Congregatione S. Mauri. Observa hic Me. oveum in monasterio versatum fuisse ut clericalibus muniis erudiretur, et vestem clericalem a sæculari fuisse dissimilem. Et quidem Gregorius Magnus jussit epist. 10 lib. v, ut pueri Angli in Galliæ monasteriis in fide erudirentur.

[c] Sic Corb., Bell. et Regm.; cæteri *Gaulenus.*

[d] Nota est eulogiarum acceptio pro quolibet munusculo, maxime a viris piis misso, cum alias in re sacra panem benedictum significet. Hincmarus in Capitulis anni 852, num. 7: *Ut de oblatis q runtur a populo, et consecrationi supersunt, vel bus*, etc., *post Missarum solemnia, qui com non fuerunt parati, omni die dominico et die exinde accipiant*, etc.

[e] Regm., *contestatus causam canonicam.*

[f] Alii. *Marelei*[illegible]Regm., *Marilefo.*

[g] Colb., *accessi.*

[h] Corb., *exasperat.* Colb., *qui aversus dispen*

[i] Sic Corb., Bell., Colb. et Becc. cum B *Guntchramnum*, quæ unius litterulæ mutatio d puerum a Guntramno, non a Meroveo Gunt ad pythonissam consulendam missum fuisse.

[j] Sic Corb., Bell. et Colb.; cæteri cum *Merovechus inclusis fratribus.* Vox *rex* est in s

tatum [a], quæ super Ligeris alveum sita est in dextra ejus parte, favente populo, episcopatus gratiam adipisceris, ac senex et plenus dierum ab hoc mundo migrabis. Cumque hæc pueri redeuntes domino nuntiassent, statim ille vanitate elatus, tanquam **217** si jam in cathedra Turonicæ ecclesiæ resideret, ad me hæc detulit verba. Cujus ego irridens stultitiam, dixi: A Deo hæc poscenda sunt: nam credi non debent quæ diabolus repromittit. *Ille* [b] *autem ab initio mendax est, et in veritate nunquam stetit* (*Joan.* VIII, 44). Illo quoque cum confusione discedente, valde irridebam hominem, qui talia credi putabat. Denique quadam nocte vigiliis in basilica sancti antistitis celebratis, dum lectulo decubans obdormissem, vidi angelum per aera volantem. Cumque super sanctam basilicam præteriret, voce magna ait: Heu heu! percussit Deus Chilpericum, et omnes filios ejus; nec superabit de his qui processerunt ex lumbis ejus, qui regat regnum illius in æternum. Erant ei eo tempore de diversis uxoribus filii quatuor, exceptis filiabus. Cum autem hæc in posterum impleta fuissent, tunc ad liquidum cognovi falsa esse quæ promiserant harioli. Igitur commorantibus bis apud basilicam sancti Martini, misit ad Guntchramnum Bosonem Fredegundis regina, quæque ei jam pro morte Theodoberti patrocinabatur occulte, dicens: Si Merovechum ejicere potueris de basilica ut interficiatur, magnum de me munus accipies. At ille præsto putans esse interfectores, ait ad Merovechum: Ut quid hic quasi segnes et timidi residemus, et ut hebetes circa basilicam hanc occulimur? Veniant enim equi nostri, et acceptis accipitribus, cum canibus exerceamur venatione, spectaculisque patulis jocundemur. Hoc enim agebat [c] callide, ut eum a sancta basilica separaret. Guntchramnus vero alias sane bonus. Nam ad perjuria nimium præparatus erat, verumtamen nulli amicorum sacramentum dedit, quod non protinus omisisset. Egressi itaque, ut diximus, de basilica, ad Jocundiacensem domum [d] civitati proximam progressi sunt: sed **218** a nemine Merovechus nocitus est [e]. Et quia impetebatur tunc Guntchramnus de interitu, ut diximus, Theodoberti, misit Chilpericus rex nuntios et epistolam scriptam ad sepulcrum sancti Martini, quæ habebat insertum, A ut ei beatus Martinus rescriberet, utrum liceret extrahi Guntchramnum de basilica ejus, an non. Sed Baudegilus [f] diaconus, qui hanc epistolam exhibuit, chartam puram cum eadem quam detulerat, ad sanctum tumulum misit. Cumque per triduum exspectasset, et nihil rescripti reciperet [g], redivit ad Chilpericum. Ille vero misit alios, qui a Guntchramno sacramenta exigerent, ut sine ejus scientia [h] basilicam non relinqueret. Qui ambienter jurans pallam altaris fidejussorem dedit [i], nunquam se exinde sine jussione regia egressurum. Merovechus vero non credens pythonissæ, tres libros super sancti sepulcrum posuit, id est Psalterii, Regum, Evangeliorum: et vigilans tota nocte, petiit ut sibi beatus confessor quid eveniret ostenderet, et utrum possit regnum B accipere, an non, ut Domino indicante cognosceret [j]. Posthæc continuato triduo in jejuniis, vigiliis, atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, revolvit librum, qui erat Regum: versus autem primus paginæ quam reseravit, hic erat: *Pro eo quod dereliquistis Dominum Deum vestrum, et ambulastis post deos alienos, nec feciatis rectum ante conspectum ejus: ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum* (*III Reg.* IX, 9). Psalterii autem versus hic est inventus: *Verumtamen propter dolositatem posuisti eis mala: dejecisti eos, dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt: perierunt propter iniquitates suas* (*Psalm.* LXXII, 18. 19). In Evangeliis autem hoc est repertum: *Scitis quia post biduum Pascha* C *fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur* (*Matth.* XXVI, 2). In his responsionibus ille confusus, flens diutissime **219** ad sepulcrum beati antistitis, assumto secum Guntchramno duce, cum quingentis aut eo amplius viris discessit. Egressus autem basilicam sanctam, cum iter ageret per Antissiodorense territorium, ab Erpone [k] duce Guntchramni regis comprehensus est. Cumque ab eo detineretur, casu nescio quo dilapsus, basilicam sancti Germani [l] ingressus est. Audiens hæc Guntchramnus rex, in ira commotus Erponem septingentis [m] aureis damnat, et ab honore removet, dicens: Retinuisti, ut ait frater meus, inimicum suum. Quod si hoc facere cogitabas, ad me eum debuisti prius adducere; sin autem aliud,

[a] Id de Turonensi episcopatu intellexit Valesius; at Turonensis urbs ad lævam Ligeris sita est. Ad dexteram Ligeris sunt Nivernum, Aurelia, Namnetæ; de postrema hac id potius intelligendum Cointius censet, nec repugnat Gregorii textus.

[b] Quæ sequuntur usque ad *stetit*, desunt in Corb. et Bell.

[c] Editi cum Bec., *aiebat*.

[d] Locus est ad Carum fluvium contra Turonos, vulgo *Jouay*, dictus.

[e] Sic Corb. et Bec.; alii *nocitus est*. Casin., *notus est*.

[f] Sic Corb. et Bell.; at Regm. et Bad., *Baudigisilus*. Colb., *Baidegisilus*. Bec., *Baudegisilus*. Editi aliquot, *Baudinus*.

[g] Corb. et Bell., *rescribere cœperit*.

[h] Regm., *consensu*.

[i] Eam scilicet tangendo.

[j] Hæc consuetudo, potissimum ubi agebatur de rebus sæcularibus, valde S. Augustino displicebat, D ex epist. 55, alias 119. *Sortes sanctorum*, et alias ejusmodi divinationes damnarunt Concilia Gallic. Agath., can. 42, Aurel. I, can. 30, etc.; quæ tandem penitus abrogatæ sunt in tertio Capitulari an. 789, ubi cap. 4 legitur: *Ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortire præsumat, nec divinationes aliquas observare*. Quo autem ritu fieret id per sacros libros sortilegium, disce ex V. Cl. Stephani Baluzii notis in eumdem locum. Vide supra not. in lib. II, cap. 37. Mos ille etiam apud gentiles invaluerat. Sic Hadrianus apud Spartianum ex fortuito versu, qui primus in Virgilio occurrisset, futurum augurabatur.

[k] Regm., *Herpone*; Bec., *Herbonem*.

[l] Juxta urbem Antissiodorum, ubi etiam nunc subsistit, sed in urbe, cum perceleberi monasterio Ordinis Benedictini, sub sancti Mauri Congregatione.

[m] Corb., *septuaginta*.

nec tangere debueras quem tenere dissimulabas. Exercitus autem Chilperici regis usque Turonis accedens, regionem illam in prædas mittit, succendit, atque devastat: nec rebus sancti Martini pepercit, sed quod manu tetigit, sine ullo Dei intuitu, aut timore diripuit. Merovechus prope duos menses ad antedictam basilicam residens, fugam iniit, et ad Brunichildem reginam usque pervenit: sed ab Austrasiis non est collectus. Pater vero ejus exercitum contra Campanenses commovit, putans eum ibidem occultari: sed nihil nocuit, nec eum potuit reperire.

XV. Et quia tempore illo, quo Alboinus in Italiam ingressus est, Chlothacharius et Sigibertus Suavos et alias gentes in loco illo posuerunt [a]; hi qui tempore Sigiberti regressi sunt, id est qui cum Alboino fuerant, contra hos consurgunt, volentes eos a regione illa extrudere ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem terræ, dicentes: Simul vivere sine collisione possumus. Sed illi contra eos irati, eo quod ipsi hoc antea tenuissent, nullatenus pacificare voluerunt. Dehinc **220** obtulerunt eis iterum isti medietatem: posthæc duas partes, sibi tertiam relinquentes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra omnia pecora, tantum ut a bello cessarent. Sed nec hoc illi acquiescentes, certamen expetunt. Et inter se ante certamen, qualiter uxores Suavorum dividerent, et qui quam post eorum exitum acciperet, tractant, putantes eos jam quasi interfectos habere. Sed Domini miseratio, quæ justitiam facit, in aliam partem voluntatem eorum retorsit. Nam confligentibus illis: erant autem viginti sex millia Saxonum, ex quibus viginti millia ceciderunt; Suavorum quoque sex millia quadringenti, et octoginta [b] tantum prostrati sunt: reliqui vero victoriam obtinuerunt. Illi quoque qui ex Saxonibus remanserant, detestati sunt, nullum se eorum barbam, neque capillos incisurum, nisi prius se de adversariis ulciscerentur. Quibus iterum decertantibus, in majore excidio corruerunt, et sic a bello cessatum est [c].

XVI. In Britanniis hæc acta sunt. Macliavus quondam et Bodicus Britannorum comites [d], sacramentum inter se dederant, ut qui ex eis superviveret, filios partis alterius tanquam proprios defensaret. Mortuus autem Bodicus reliquit filium, Theodericum nomine. Quo, Macliavus oblitus sacramenti, expulso a patria, regnum patris ejus accepit. Hic vero multo tempore profugus vagusque fuit: cui tandem misertus Deus [e] collectis secum a Britannia viris, se super Macliavum objecit, eumque cum filio ejus Jacob gladio interemit, partemque regni, quam quondam pater ejus tenuerat, in sua potestate restituit; partem vero aliam Warochus [f] Macliavi filius vindicavit sibi.

XVII. Guntchramnus vero rex duos Magnacharii [g] quondam filios **221** gladio interemit, pro eo quod in Austrechildem [h] reginam, ejusque soboles multa detestabilia atque exsecranda proferrent; facultatesque eorum fisco suo redegit. Ipse quoque duos filios suos subito morbo oppressos perdidit [i], de quorum funere valde contristatus est, eo quod orbatus absque liberis remansisset. Eo anno dubietas Paschæ fuit. In Galliis vero nos cum multis civitatibus quarto decimo Kalendas Maias [j] sanctum Pascha celebravimus. Alii vero cum Hispanis, duodecimo Kalendas Aprilis solemnitatem hanc tenuerunt: tamen ut ferunt, fontes illi, qui in Hispaniis nutu Dei complentur [k], in nostro Pascha repleti sunt.

XVIII. Cainone vero [l] Turonico vico, dum ipso glorioso Resurrectionis Dominicæ die Missæ celebrarentur, ecclesia contremuit, populusque conterritus a pavore, unam vocem dedit, dicens quod ecclesia caderet: cunctique ab ea, etiam pereffractis ostiis per fugam lapsi sunt. Magna posthæc lues populum devastavit. Posthæc Guntchramnus rex ad Childebertum nepotem suum legatos mittit, pacem petens, ac deprecans eum videre. Tunc ille cum proceribus suis ad eum venit: qui ad pontem, quem Petreum [m] vocitant, conjuncti sunt, consalutantes atque invicem osculantes se. Guntchramnus rex ait: Evenit impul-

[a] Confer caput hoc cum 43, libri IV. Cæterum, ut monent Valesius et Cointius, Sigibertus solus Suevis locum inhabitandi dederat, nam tunc jam defunctus erat Chlotarius. Emendandus quoque Paulus Diaconus, qui Gregorium incaute secutus, in hunc errorem impegit.

[b] Sic Corb. et Bellov.; Colb. idem etiam habebat; sed postea addita sunt post *millia*, hæc verba *ex quibus*, ut conficeretur *sex millia, ex quibus quadringenti et octoginta*, etc.; quam lectionem Bec. et editi habent, quibus favet Paul. Diac. lib. III, cap 7.

[c] Witichindus monachus Corbeiensis in Saxonia, qui sub Ottone M. floruit, observat Suavos Transalbenses regionem quam incolebant occupavisse Saxonibus in Italiam migrantibus; ideoque sua adhuc ætate eosdem aliis quam Saxones legibus usos esse, quamvis in Saxonia sedes haberent.

[d] Regm., *duces, comitesque*. Macliavus ordinatus fuerat episcopus Venetensis, supra lib. IV, cap. 4, et licet apostata, nunquam tamen passus est se vivente alium ordinari.

[e] Editi, *qui tandem miserante Deo*.

[f] Bell., *Varrocus*.

[g] Colb., *Magnani*. Colb. et aliquot editi, *Maginharii*. Guntramnus Marcatrudem Magnacharii ducis filiam duxerat, qua ob Gundobadum privignum, quem Guntramnus ex veneranda habuerat, veneno sublatum dimissa, Austrigildem ejus ancillam duxit. Quod Guntio et Wiolicus Magnacharii filii ferre non valebant, idque tandem exitii causa eis fuit. Magnacharii mortem anno 566 consignat Marius Aventicensis.

[h] Alii, *Austrigildem*.

[i] Chlodomerem scilicet et Chlotarium, quorum epitaphia refert Chesnius tomo I Histor. Franc., pag. 512. Eosdem *Regios ac egregios adolescentes* vocat Marius ad an. 577.

[j] Colb., *Martias*, sed mendose.

[k] De his fontibus vide Cointium ad annum 497, num. 3. Dubietas hæc orta ex eo quod Franci Victorii laterculum sequebantur, ut in concilio Aurelian. IV, can. 1, an. 541, statutum fuerat; Hispani vero antiquum Latinorum canonem. Adi Cointium ad annum 339, num. 15.

[l] Castrum est ad Vingennam positum, quod vulgo *Chinon* appellatur, unde recentiores *Chinonium* corrupte efformarunt.

[m] Complures sunt hujus nominis vici in Galliis, vulgo *Pierre-Pont* dicti, qui autem hic memoratur,

su peccatorum meorum, ut absque liberis [a] remanerem : et ideo peto, ut hic nepos meus mihi sit filius. Et imponens eum super cathedram suam, cunctum ei regnum tradidit, dicens : Una nos parma protegat, unaque hasta defendat. Quod si filios habuero, te nihilominus tanquam unum ex his reputabo, ut illa cum eis, tecumque permaneat charitas, **222** quam tibi hodie ego polliceor, teste Deo. Proceres vero Childeberti similiter pro eodem polliciti sunt. Et manducantes simul atque bibentes, dignisque se muneribus honorantes, pacifici discesserunt. Tunc ad Chilpericum regem legationem mittentes, ut redderet quod de eorum regno minuerat : quod si differret, campum præpararet ad bellum. Quod ille despiciens, apud Suessionas atque Parisios circos ædificare præcepit, eosque populis spectaculum præbens [b].

XIX. His ita gestis, audiens Chilpericus, quod Prætextatus Rothomagensis episcopus contra utilitatem suam populis munera daret, eum ad se arcessiri præcepit. Quo discusso [c], reperit cum eodem res Brunichildis reginæ commendatas : ipsisque ablatis, cum in exsilio usque ad sacerdotalem audientiam retineri præcepit. Conjuncto autem Concilio, exhibitus est. Erant autem episcopi [d] qui advenerant apud Parisios, in basilica sancti Petri apostoli. Cui rex ait : Quid tibi visum est, o episcope, ut inimicum meum Merovechum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est patrui sui uxore, conjugeres? An ignarus eras, quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent? Etiam non hic solum excessisse probaris, sed etiam cum illo egisti, datis muneribus, ut ego interficerer. Hostem autem filium patri fecisti, seduxisti pecunia plebem, ut nullus mecum fidem habitam custodiret; voluistique regnum meum in manum alterius tradere. Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque ostia basilicæ rumpere, quasi ut extractum sacerdotem lapidibus urgeret : sed rex prohibuit fieri. Cumque Prætextatus episcopus ea quæ rex dixerat, facta negaret, **223** advenerunt falsi testes, qui ostendebant species aliquas, dicentes : Hæc et hæc nobis dedisti, ut Merovecho fidem promittere deberemus. Ad hæc ille dicebat : Verum enim dicitis, vos a me sæpius muneratos, sed non hæc causa exstitit, ut rex ejiceretur a regno. Nam et cum vos mihi et equos optimos, et res alias præberetis, nunquid poteram aliud facere, nisi et ego vos simili sorte remunerarem. Recedente vero rege ad metatum [e] suum, nos collecti in unum sedebamus in secretario basilicæ beati Petri. Confabulantibusque nobis, subito advenit Actius archidiaconus Parisiacæ Ecclesiæ, salutatisque nobis, ait : Audite me, o sacerdotes Domini, qui in unum collecti estis. Aut enim hoc tempore exaltabitis nomen vestrum, et bonæ famæ gratia refulgebitis; aut certe nullus vos amodo pro Dei sacerdotibus est habiturus, si personas vestras sagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis. Hæc eo dicente, nullus sacerdotum ei quidquam respondit; timebant enim reginæ furorem, cujus instinctu hæc agebantur. Quibus intentis, et ora digito comprimentibus, ego aio : Attenti estote, quæso, sermonibus meis, o sanctissimi sacerdotes Dei, et præsertim vos, qui familiariores esse regi videmini : adhibete ei consilium sanctum atque sacerdotale, ne exardescens in ministrum Dei, pereat ab ira ejus, et regnum perdat, et gloriam. Hæc me dicente, silebant omnes. Illis vero silentibus adjeci : Mementote, domini mei sacerdotes, verbi prophetici quod ait : *Si viderit speculator iniquitatem hominis, et non dixerit, reus erit animæ pereuntis* (*Ezech.* XXXIII, 6). Ergo nolite silere, sed prædicate, et ponite ante oculos regis peccata ejus, ne forte ei aliquid mali contingat, et vos rei sitis pro anima ejus. An ignoratis quid novo gestum fuerit tempore? quomodo apprehensum Sigimundum Chlodomeris retrusit in carcerem? dixitque ei Avitus [f] Dei sacerdos : Ne injicias manum in eum, et cum Burgundiam petieris, **224** victoriam obtinebis. Ille vero abnuens quæ ei a sacerdote dicta fuerant, abiit, ipsumque cum uxore et filiis interemit; petiitque Burgundiam, ibique oppressus ab exercitu, interemptus est. Quid Maximus imperator? Nonne cum beatum Martinum [g] compulisset communicare cuidam homicidæ episcopo, et ille, quo facilius addictos morti liberaret, regi impio consensisset, prosequente Regis æterni judicio, ab imperio depulsus Maximus, morte pessima condemnatus est? Hæc me dicente, non respondit ullus quidquam, sed erant omnes intenti et stupentes. Duo tamen adulatores ex ipsis, quod de episcopis dici dolendum est, nuntiaverunt regi dicentes, quia nullum majorem inimicum in suis causis quam me haberet. Illico unus ex aulicis cursu rapido ad me repræsentandum dirigitur. Cumque venissem, stabat rex juxta tabernaculum ex ramis

dicitur *Pont-Pierre*, situs in silva Vosago ad Motam fluvium, inter Motam et Novum-castellum, vix hodie notus.

[a] Habebat filias duas Guntramnus, Chlodobergem nempe et Chlotildem; sed id pro nihilo ducebat, quod regno capessendo inhabiles essent juxta legem Salicam, quæ semper in omnibus regni divisionibus locum habuerat, et exinde habuit. Nunquam enim, ex quo Francorum imperium subsistit, mulieres ad succedendum in regia dignitate admissæ fuerunt.

[b] Regm., *eosque spectandos populis præbuit*. Bad., *in eis populo spectaculum præbiturus*. Porro hic detrita est scriptura cod. Bellov., usque ad hæc verba sequentis capitis, *et ora digito*, etc.

[c] Corb., Bec., etc., *quem discussum*, casuum mutatione, quam sibi familiarem fuisse fatetur non semel Gregorius.

[d] Erant numero 45, ex libro VII infra, cap. 16.

[e] Veteres metatum pro solo hospitum vel militum hospitio adhibebant : sequioris ævi scriptores pro quolibet domicilio.

[f] Regm., ut semper alias, *Adjutus*. Vide supra lib. III. cap. 6. Porro hic *sacerdotis* nomine episcopum non intelligit Gregorius, ut sæpe alias. Nam sanctus Avitus erat solummodo abbas Miciacensis.

[g] Corb., Bell. et Colb. habent *Germanum*. Vulgatam tamen cæterorum lectionem retinuimus; quod hoc ipsum sancto Martino contigisse referat Sulpicius Severus in Dialogo 3, ubi sanctus Martinus Felicis ordinationi interfuisse narratur.

factum, et ad dexteram ejus Bertchramnus episcopus, ad lævam vero Ragnemodus [a] stabat : et erat ante eos scamnum [b] pane desuper plenum cum diversis ferculis. Visoque me rex ait : O episcope, justitiam cunctis largiri debes, et ecce ego justitiam a te non accipio ; sed, ut video, consentis iniquitati, et impletur in te proverbium illud, quod corvus oculum corvi non eruit. Ad hæc ego : Si quis de nobis, o rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest : si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris audis ; si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse Justitiam? Ad hæc ille, ut erat ab adulatoribus contra me accensus, ait : Cum omnibus enim inveni justitiam, et tecum invenire non possum. Sed scio quid faciam, ut noteris in populis, et injustum te esse omnibus perpatescat. Convocabo enim populum Turonicum, et dicam eis : Vociferamini contra Gregorium, quod sit injustus, et nulli hominum justitiam præstet. Illis quoque hæc clamantibus respondebo, **225** Ego qui rex sum, justitiam cum eodem invenire non possum, et vos qui minores estis invenietis? Ad hæc ego : Quod sim injustus, tu nescis. Scit enim ille conscientiam meam, cui occulta cordis sunt manifesta. Quod vero falso clamore populus te insultante vociferatur, nihil est, quia sciunt omnes a te hæc emissa. Ideoque non ego, sed potius tu in acclamatione notaberis. Sed quid plura? Habes legem et Canones. Hæc te diligenter rimari oportet : et tunc quæ præceperint, si non observaveris [c], noveris tibi Dei judicium imminere. At ille quasi me demulcens, quod dolose faciens putabat me non intelligere, conversus ad juscellum quod coram erat positum, ait : Propter te hæc juscella paravi, in quibus nihil aliud præter volatilia, et parumper ciceris continetur. Ad hæc ego, cognoscens adulationes ejus, dixi : Noster cibus esse debet facere voluntatem Dei, et non his deliciis delectari, ut ea quæ præcepit, nullo casu prætermittamus. Tu vero qui alios de justitia culpas, pollicere prius quod legem et Canones non omittas : et tunc credimus quod justitiam prosequaris. Ille vero porrecta dextera, juravit per omnipotentem Deum, quod ea quæ lex et Canones edocebant, nullo prætermitteret pacto. Posthæc accepto pane, hausto etiam vino discessi [d]. Ea vero nocte, decantatis nocturnalibus hymnis, ostium mansionis nostræ gravibus audio cogi verberibus : missoque puero, nuntios Fredegundis reginæ astare cognosco. Quibus introductis, salutationem reginæ suscipio. Deinde precantur pueri, ut in ejus causis contrarius non existam, simulque ducentas argenti promittunt libras [e], si Prætextatus me impugnante opprimeretur. Dicebant enim : Jam omnium episcoporum promissionem habemus : tantum tu adversus non incedas. Quibus ego respondi : Si mihi mille libras auri argentique donetis, nunquid aliud facere possum, nisi quod Dominus agere præcipit? Unum tantum polliceor, quod ea quæ cæteri secundum Canonum statuta consenserint, sequar. At illi non **226** intelligentes quæ dicebam, gratias agentes discesserunt. Mane autem facto, aliqui de episcopis ad me venerunt, simile mandatum ferentes : quibus ego similia respondi.

Convenientibus autem nobis in basilica sancti Petri, mane rex adfuit, dixitque : Episcopus enim in furtis deprehensus, ab episcopali officio ut avellatur Canonum auctoritas sanxit. Nobis quoque respondentibus : Quis ille sacerdos esset, cui furti crimen irrogaretur? respondit rex : Vidistis enim species, quas nobis furto abstulit. Ostenderat enim nobis ante diem tertiam rex duo volucla [f], speciebus et diversis ornamentis referta : quæ appretiabantur amplius quam tria millia solidorum. Sed et sacculum cum numismatis [g] auri pondere tenentem quasi millia duo. Hæc enim dicebat rex, sibi ab episcopo fuisse furata. Qui respondit : Recolere vos credo, discedente a Rothomagensi urbe Brunichilde regina, quod venerim ad vos, dixique vobis, quia res ejus, id est quinque sarcinas, commendatas haberem : et frequentius advenire pueros ejus ad me, ut ea redderem, et nolui sine consilio vestro. Tu autem dixisti mihi, o rex : Ejice hæc a te, et revertantur ad mulierem res suæ, ne inimicitia inter me et Childebertum nepotem meum pro his rebus debeat pullulare. Reversus ergo ego ad urbem, unum volucrum tradidi pueris : non enim valebant amplius ferre. Reversi iterum requirebant alia : iterum consului [h] magnificentiam vestram. Tu autem præcepisti, dicens : Ejice, ejice hæc a te, o sacerdos, ne faciat scandalum hæc causa. Iterum tradidi eis duo ex his : duo autem alia remanserunt mecum. Tu autem, quid nunc calumniaris, et me furti arguis, cum hæc causa non ad furtum, sed ad custodiam debeat deputari? Ad hæc rex : Si hoc depositum penes te habebatur ad custodiendum, cur solvisti unum ex his, et limbum aureis contextum filis in partes dissecasti, et dedisti per viros, qui me a regno dejicerent? Prætextatus episcopus respondit : Jam dixi tibi superius, quia munera eorum **227** acceperam, ideoque cum non haberem de præsenti quod darem, hinc præsumpsi, et eis vicissitudinem munerum tribui. Proprium mihi esse videbatur, quod filio meo Merovecho erat, quem de lavacro regenerationis excepi. Videns autem rex Chilpericus, quod eum his calumniis su-

[a] Bertrammus erat episcopus Burdegalensis, Ragnemodus vero Parisiensis ; uterque a Fortunato passim laudatus, de quibus sæpius infra.

[b] Id est mensa humilis, Gallice dicitur *un banc*, ex quo derivavit vox *banquet*, ad designandum convivium.

[c] Regm., *observare volueris.*

[d] Regm., *discessi.*

[e] Cod. Regm., *marchas.*

[f] Sic Corb., Bell. et Colb., quam vocem alias pro *involucris* in his mss. positam jam animadvertimus. Sic et pro *speciebus*, habent *species*, mutato casu.

[g] Colb., *numismate.* Sed Gregorius ponit hic, sicut et jam alias, *numismatis*, pro *numismatibus.*

[h] Alii mss. et editi, *consiliatus sum.*

perare nequiret, attonitus valde, a [*Al.* ac] conscientia confusus, discessit a nobis; vocavitque quosdam de adulatoribus suis, et ait : Victum me verbis episcopi fateor, et vera esse quæ dicit scio. Quid nunc faciam, ut reginæ de eo voluntas adimpleatur? Et ait : Ite, et accedentes ad eum dicite, quasi consilium ex vobismetipsis dantes : Nosti quod sit rex Chilpericus pius atque compunctus, et citò flectatur ad misericordiam : humiliare sub eo, et dicito ab eo objecta a te perpetrata fuisse. Tunc nos prostrati omnes coram pedibus ejus, dari tibi veniam impetramus. Illis seductus Prætextatus episcopus, pollicitus est se ita facturum. Mane autem facto, convenimus ad consuetum locum : adveniensque et rex, ait ad episcopum : Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur sacramenta postulasti, ut fidem Merovecho servarent? Respondit episcopus : Petii, fateor, amicitias eorum haberi cum eo : et non solum hominem, sed, si fas fuisset, angelum de cœlo evocassem, qui esset adjutor ejus. Filius enim mihi erat, ut sæpe dixi, spiritalis ex lavacro. Cumque hæc altercatio altius tolleretur, Prætextatus episcopus prostratus solo, ait : Peccavi in cœlum et coram te, o rex misericordissime, ego sum homicida nefandus : ego te interficere volui, et filium tuum in solio tuo erigere. Hæc eo dicente, prosternitur rex coram pedibus sacerdotum, dicens : Audite, o plissimi sacerdotes, reum crimen exsecrabile confitentem. Cumque nos flentes regem elevassemus a solo, jussit eum basilicam egredi. Ipse vero ad metatum discessit, transmittens librum Canonum, in **228** quo erat quaternio novus annexus, habens canones quasi apostolicos [a], continentes hæc : « Episcopus in homicidio, adulterio, et perjurio deprehensus, a sacerdotio divellatur. » His ita lectis, cum Prætextatus staret stupens, Bertchramnus episcopus ait : Audi, o frater et coepiscope, quia regis gratiam non habes, idcoque nec nostra charitate uti poteris, prinsquam regis indulgentiam merearis. His ita gestis, petiit rex, ut aut tunica ejus scinderetur, aut centesimus octavus psalmus, qui maledictiones Ischariothicas continet [b], super caput ejus recitaretur; aut certe judicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego restiti, juxta promissum regis, ut nihil extra Canones geretur. Tunc Prætextatus a nostris raptus oculis, in custodiam positus est. De qua fugere tentans [*Al.* cum fugeret] nocte, gravissime cæsus, in insulam maris, quod adjacet civitati Constantinæ [c], in exsilium est detrusus.

Posthæc sonuit, quod Merovechus iterum basilicam S. Martini conaretur expetere. Chilpericus vero custodiri basilicam jubet, et omnes claudi aditus. Custodes autem unum ostium, per quod pauci clerici ad officium ingrederentur, relinquentes, reliqua ostia clausa tenebant : quod non sine tædio populis fuit. Cum autem apud Parisios moraremur, signa in cœlo apparuerunt, id est viginti radii a parte Aquilonis, qui ab Oriente surgentes ad Occidentem properabant : ex quibus unus prolixior et aliis supereminens, ut est in sublime elatus, mox defecit; et sic reliqui qui secuti fuerant, evanuerunt. Credo interitum Merovechi pronuntiasse. Merovechus vero dum in Rhemensi Campania latitaret, nec palam se Austrasiis crederet, a Tarabannensibus [d] circumventus est, dicentibus, quod relicto patre ejus Chilperico, ei se subjugarent, si ad eos accederet. Qui velociter assumtis secum viris fortissimis, **229** ad eos venit. Illi præparatos detegentes dolos, in villam eum quamdam concludunt, et circumseptum cum armatis nuntios patri dirigunt. Quod ille audiens, illuc properare destinat. Sed hic cum in hospitiolo quodam retineretur, timens ne ad vindictam inimicorum multas lueret pœnas, vocato ad se Gaileno familiari suo, ait : Una nobis usque nunc et anima et consilium fuit : rogo ne patiaris me manibus inimicorum tradi; sed accepto gladio irruas in me : quod ille nec dubitans, cum cultro confodit. Adveniente autem rege, mortuus est repertus [e]. Exstiterunt tunc qui assererent verba Merovechi, quæ superius diximus, a regina fuisse conficta; Merovechum vero ejus fuisse jussu clam interemptum. Gailenum vero apprehensum, abscissis manibus et pedibus, auribus, et narium summitatibus, et aliis multis cruciatibus

[a] Ii sunt, qui etiam nunc vulgo canones apostolici appellantur, quorum auctoritas in ecclesia Gallicana nulla tunc erat. De his Hincmarus loquitur opusc. 24. Qui autem hic laudatur, num. 21 est; sed non sincere a Prætextati adversariis relatus est. Nihil quippe in eo habetur de homicidio, pro qua voce legitur in ipso canone *furto*. De canonum Collectione, quam hic Gregorius laudat, et de canonibus apostolicis vide Cointium ad annum 577 de iis fusius disserentem. Ex hoc autem loco V. Cl. Paschasius Quesnelius, in dissertatione VI ad opera S. Leonis papæ, probat Dionysii Exigui collectionem nondum tunc temporis in Galliis fuisse receptam. Dionysius quippe cæteris canones apostolicos præmittit, quos in codice Gallicano tunc non exstitisse indicant verba Gregorii reprehendentis Regem, quod novum quaternionem *canones quasi Apostolicos* continentem inseruisset. Et quidem habemus præ manibus vetustissimum codicem canonum Ecclesiæ Gallicanæ, ex Ms. Corbeiensi tempore Vigilii papæ conscripto, in quo et isti canones desiderantur, et cæterorum Canonum Græcorum versio alia est ab ea quam Dionysius Exiguus exornavit. Lege viri eruditi dissertationem supra laudatam de antiquo Ecclesiæ Gallicanæ codice.

[b] Quod psalmi hujus verba, *Et episcopatum ejus accipiat alter*, contra Judam Ischariotem laudaverit Petrus Actuum III, ut ostenderet ipsum ab apostolatu decidisse.

[c] Urbs est episcopalis Normanniæ, vulgo *Coutances*, nemini ignota, a qua haud procul dissita est Cæsarea insula, vulgo *Jersey*, olim ad Normanniam spectans, sed quæ nunc est Sutbamptoniæ Angliæ provinciæ; sola, cum Garnseia sibi vicina, Anglis superest ex avita Normanniæ hæreditate.

[d] Tarvenna Morinorum urbs sæculo proxime elapso diruta, cujus sedes episcopalis in tres episcopatus divisa fuit, Bononiensem, Audomaropolitanum et Iprensem.

[e] Mortem ejus refert Marius ad an. 578. Ejus corpus Parisios postea delatum est, ut habetur infra lib. VIII, cap. 10.

affectum, infeliciter necaverunt. Grindionem quoque, intextum rotæ, in sublime sustulerunt; Gucilionem [a], qui quondam comes palatii Sigiberti regis fuerat, abscisso capite interfecerunt. Sed et alios multos qui cum eodem venerant, crudeli nece diversis mortibus affecerunt. Loquebantur etiam tunc homines, in hac circumventione Egidium [b] episcopum et Guntchramnum Bosonem fuisse maximum caput, eo quod Guntchramnus Fredegundis reginæ occultis amicitiis potiretur pro interfectione Theodoberti; Egidius vero, quod ei jam longo tempore esset carus.

XX. Cum autem Justinus imperator [c], amisso sensu, amens effectus esset, et per solam Sophiam augustam ejus imperium regeretur, populi, ut in superiore libro jam diximus (*Lib.* IV, *cap.* 33), Tiberium Cæsarem elegerunt, utilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopumque optimum defensorem. Qui cum multa de thesauris quos **230** Justinus aggregavit, pauperibus erogaret, et Augusta illa eum frequentius increparet, quod rempublicam redegisset in paupertatem, diceretque : Quod ego multis annis aggregavi, tu infra paucum tempus prodige dispergis, aiebat ille : Non deerit fisco nostro, tantum pauperes eleemosynam accipiant, aut captivi redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit; et ubi fures non effodiunt, nec furantur* (*Matth.* VI, 20). Ergo de hoc quod Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, ut Dominus nobis augere dignetur in sæculo. Et quia, ut diximus, magnus et verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis ac magis ei Dominus subministrat. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua crux Dominica erat sculpta, et ait : Cruce tua, Domine, frontem nostram munimus et pectora, et ecce crucem sub pedibus conculcamus [d]. Et dicto citius jussit eam auferri, defossaque tabula atque erecta, inveniunt subter et aliam hoc signum habentem. Nuntiantesque, jussit et illam auferre. Qua amota, reperiunt et tertiam : jussuque ejus et hæc auferitur. Qua ablata, inveniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius, ut consueverat, subministrat : nec ei Dominus aliquid deficere fecit [e] pro bona voluntate sua. Quid ei in posterum Dominus transmiserit, non omittam. Narses ille dux Italiæ [f], cum in quadam civitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis thesauris egressus [g], ad supra memoratam urbem advenit : ibique in domo sua occulte cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri **231** argentique reposuit : ibique interfectis consciis, uni tantummodo seni per juramentum condita commendavit. Defunctoque Narsete hæc sub terra latebant. Cumque supradictus senex hujus eleemosynas assidue cerneret, pergit ad eum, dicens : Si, inquit, mihi aliquid prodest, magnam rem tibi, Cæsar, edicam. Cui ille : Dic, ait, quod volueris. Proderit enim tibi, si quiddam nobis profuturum esse narraveris. Thesaurum, inquit, Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Cæsar Tiberius gavisus, mittit usque ad locum pueros suos : præcedente vero sene, hi sequuntur attoniti. Pervenientesque ad cisternam, deopertamque ingrediuntur, in qua tantum aurum argentumque reperiunt, ut per multos dies vix evacuaretur a deportantibus. Et ex hoc ille amplius hilari erogatione dispensavit egenis.

XXI. Igitur [h] contra Salonium Sagittariumque episcopos tumultus exoritur. Hi enim a Sancto Nicetio Lugdunensi episcopo educati, diaconatus officium sunt sortiti : hujusque tempore Salonius Ebredunensis [i] urbis, Sagittariusque Vapigensis Ecclesiæ sacerdotes statuuntur. Sed assumto episcopatu, in proprium relati arbitrium, cœperunt in pervasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diversisque in sceleribus, insano furore grassari; ita ut quodam tempore, celebrante Victore Tricastinorum [j] episcopo solemnitatem natalitii sui, emissa cohorte, cum gladiis et sagittis irruerent super eum. Venientesque sciderunt

[a] Corb., *Guciolonem;* Bell., *Ciucilonem, qui quondam palatii Sigiberti.* Comes palatii præpositus erat regiæ, juri dicundo præerat, ac res majoris momenti referebat ad principem; et ut archicapellanus de ecclesiasticis rebus, quæ ad palatium deferebantur, sic iste de sæcularibus judicabat. Vide Bignonii notas in lib. I Marculfi, formula 25.

[b] Egidius seu Ægidius, episc. Rhemensis, ob sua tam bona quam mala facinora notissimus. Ejus laudes prosequitur Fortunatus lib. III, carm. 18. Plura de eo Frodoardus lib. II Hist. Rhemensis, et passim noster Gregorius.

[c] Vide cap. 31 inferius. Hæc autem omnia exscripsit Paulus Diac. lib. III de Gestis Langob., cap. 11 et 12.

[d] Theodosius et Valentinianus vetuerant ne signum crucis insculperetur in solo, vel lapide, vel marmore humi posito. L. unic., Cod. *Neminem lic. sign.* Vide et can. 6 Conc. Trullani.

[e] Sic. Corb. et Bell.; Bec., *faciet;* alii, *permittebat.*

[f] Eunuchus famosissimus Belisario substitutus, qui Ostrogothos in Italia penitus delevit, sed ab Augusta male habitus Langobardos in eamdem regionem advocavit; quod tamen gratis fictum existimat Valesius, lib. IX rer. Francic.

[g] Sic veteres mss. et edit. Chesn. vero, *ingressus.* Colb., *regressus.*

[h] Hoc caput deest in Corb., Bell. et Colb. Exstat in Casin. et aliis. Confer. cap. 28 infra. Refert autem in hoc Gregorius, quæ saltem a decennio his duobus episcopis, Sagittario scilicet et Salonio, contigerant.

[i] Ebrodunum, *Embrun*, et Vapingum seu Vapincum, *gap*, civitates in Delphinatu parum a sese invicem dissitæ, diversæ tamen provinciæ ecclesiasticæ. Prior nempe metropolis est Alpium Maritimarum, altera vero sub Narbonensi II archiepiscopo Aquensi paret.

[j] Editi plerique cum Regm. et Bec., *Tricassinorum.* Retinenda tamen nostra lectio. Nam Tricassina urbs est in Campania, vulgo *Troyes.* At hic designatur urbs Tricastinorum in Delphinatu, vulgo *Saint-Paul de Trois-Châteaux.* Et quidem Eusebius presbyter, Victoris hic memorati nomine, Concilio Lugdun. II interfuit, et ipsemet Concilio Matisconensi I subscripsit. Natalitii autem sui solemnitas quam celebrabat, erat anniversaria consecrationis suæ dies in episcopum. Et quidem hodieque in Pontificali Romano inter festa solemniora computatur consecrationis episcoporum dies, qui mos est antiquus, ut patet ex vet. sacramentariis.

vestimenta ejus, ministros cæciderunt, vasa et omnem apparatum [a] prandii auferentes, relinquentes episcopum in grandi contumelia. Quod cum rex Guntchramnus **232** comperisset, congregari synodum apud urbem Lugdunensem jussit. Conjunctique episcopi cum patriarcha [b] Nicetio beato, discussis causis, invenerunt eos de his sceleribus, quibus accusabantur, valde convictos; præceperuntque ut qui talia commiserant, episcopatus honore privarentur. At illi cum adhuc propitium sibi regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se injuste remotos : sibique tribui licentiam, ut ad papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram papa Joanne [c], exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos [d]. Ille vero epistolas ad regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet. Quod rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, implevit. Sed nulla, quod pejus est, fuit emendatio subsecuta : tamen Victoris episcopi pacem petierunt, traditis hominibus, quos in seditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti Dominici, non debere reddi inimicis mala pro malis (*Rom.* XII, 17), nihil his mali faciens, liberos abire permisit. Unde in posterum a communione suspensus est, pro eo quod publice accusans, clam inimicis pepercisset, absque consilio fratrum, quos accusaverat. Sed per favorem regis iterum in communionem revocatus est. Illi vero in majoribus sceleribus quotidie miscebantur : et in præliis illis, sicut jam supra meminimus (*Lib.* IV, *cap.* 37), quæ Mummolus cum Langobardis gessit, tanquam unus ex laicis, accincti arma, plurimos propriis manibus interfecerunt. In cives vero suos nonnullos commoti felle, verberantes fustibus usque ad effusionem sanguinis, sæviebant. Unde factum est, ut clamor **233** populi ad regem denuo procederet; eosdemque rex arcessiri præcepit. Quibus advenientibus, noluit suis obtutibus præsentari : scilicet ut prius habita audientia, si idonei [e] inveniretur, sic regis præsentiam mererentur. Sed Sagittarius felle commotus, hanc rationem dure suscipiens, ut erat levis ac vanus, et in sermonibus irrationabilibus profluus, declamare plurima de rege cœpit, ac dicere, quod filii ejus regnum capere non possent, eo quod mater eorum ex familia [f] Magnacharii quondam ascita, regis torum adiisset : ignorans quod præternissis nunc generibus feminarum, regis vocitantur liberi, qui de regibus fuerint procreati. His auditis rex commotus valde, tam equos quam pueros, vel quæcunque habere potuerant, abstulit; ipsosque in monasteriis a se longiori accessu dimotis, in quibus pœnitentiam agerent, includi præcepit, non amplius quam singulos eis clericos relinquens : judices locorum terribiliter commonens, ut ipsos cum armatis custodire debeant, ne cui ad eos visitandos ullus pateat aditus. Superstites enim erant his diebus filii regis, ex quibus senior ægrotare cœpit. Accedentes autem ad regem familiares ejus, dixerunt : Si propitius audire dignaretur rex verba servorum suorum, loquerentur in auribus tuis. Qui ait : Loquimini quæ libet. Dixeruntque : Ne forte innocentes hi episcopi exsilio condemnati fuissent, et peccatum regis augeatur in aliquo, et ideo filius domini nostri pereat. Qui ait : Ite quantocius, et laxate eos, deprecantes ut orent pro parvulis nostris. Quibus abeuntibus, dimissi sunt. Egressi igitur de monasteriis, conjuncti sunt pariter, et se osculantes, eo quod olim a se visi non fuerant, ad civitates suas regressi sunt : et in tantum compuncti sunt, ut viderentur nunquam a psallentio cessare, **234** celebrare jejunia, eleemosynas exercere, librum Davidici carminis explere per diem, noctesque in hymnis ac lectionibus meditando deducere. Sed non diu hæc sanctitas illibata permansit, conversique sunt iterum retrorsum : et ita plerumque noctes epulando atque bibendo ducebant, ut clericis matutinas in ecclesia celebrantibus, hi pocula poscerent, et vina libarent. Nulla prorsus de Deo erat mentio, nullus omnino cursus [g] memoriæ habebatur. Redeunte [h] aurora, surgentes a cœna, mollibus se indumentis operientes, somno vinoque sepulti, usque ad horam diei tertiam dormiebant. Sed nec mulieres deerant cum quibus polluerentur. Exsurgentes igitur, abluti balneis ad convivium discumbebant; de quo vespere surgentes, cœnæ inhiabant usque ad illud lucis tempus, quod superius diximus. Sic faciebant singulis diebus, donec ira Dei irruit super eos, quod in posterum memoraturi sumus (*Lib.* VII, *cap.* 39).

XXII. Tunc Vuinnochus [i] Britto in summa abstinentia a Britanniis venit Turonis, Hierosolymam accedere cupiens, nullum aliud vestimentum nisi de pellibus ovium lana privatis habens : quem nos quo facilius teneremus, quia nobis religiosus valde vide-

[a] Regm. non habet *prandii*.

[b] Patriarchæ titulum hic Nicetio datum objicit Cointius, ut probet ea quæ hic de Sagittario et Salonio referuntur, ab aliquo interpolatore Gregorii Historiæ addita fuisse. Sed idem titulus Prisco Nicetii successori datur in Concilio Matiscon. II. Sulpicius epist. Bituric. dicitur patriarcha in epist. Desiderii Cadurcensis. Chesn. tom. I, pag. 880, nec alteri usquam metropolitano concessus legitur in aliis illorum temporum Galliæ synodis. Concilium autem Lugdunense, de quo hic agitur, in vulgo dicitur, habitum anno 567.

[c] Joannes III, cognomento Catellinus, ad quem parvisse regis, ut observat Gregorius, accesserant.

[d] Regm., *remotos a suis honoribus*.

[e] Id est, absque crimine, ut passim loquitur Gregorius; inde in Capitularibus *se idoneare*. Vide Alteserræ notas.

[f] Id est, quæ fuerat ancilla in domo Magnacharii. Vide supra not. in cap. 17.

[g] Sic vocabantur horæ canonicæ. Hodie diceremus : Nulla eis erat cura recitandi Breviarii. Quam vero religiosi essent istis temporibus clerici, etiam episcopi, in hoc persolvendo penso, ex compluribus aliis Gregorii locis patet. Vide Mabillonii disquisitionem de cursu Gallicano, parag. 6.

[h] Sic Cod. Casin.; at Regm., *relucente*. Editi, *renidente*.

[i] Colb., *Wanochus*. Bad., *Munochus*. De ejus morte lib. VIII, cap. 3.

batur, presbyterii gratia honoravimus [a]. Ingitrudis autem religiosam consuetudinem habebat, aquam de sepulcro sancti Martini colligere : qua aqua deficiente, rogat vas cum vino ad beati tumulum deportari. Transacta autem nocte, id exinde hoc presbytero præsente assumi mandavit, et ad se delato, ait presbytero : Auser hinc vinum, et unam tantum guttam de aqua benedicta, unde parum superest, effunde [b]. Quod cum fecisset, mirum dictu, vasculum quod semiplenum erat, ad unius guttæ descensum impletum est. Idem bis aut ter ita vacuatum, per unam tantum guttam est impletum : **235** quod non ambigitur et in hoc beati Martini fuisse virtutem.

XXIII. His ita gestis, Samson filius Chilperici regis junior, a dysenteria et febre comprehensus, e rebus humanis excessit. Hic vero, cum Chilpericus rex Tornaci a fratre obsideretur (*Lib.* IV, *cap.* 52), natus est : quem mater ob metum mortis a se abjecit, et perdere voluit. Sed cum non potuisset, objurgata a rege, eum baptizari præcepit. Qui baptizatus, et ab ipso episcopo [c] susceptus, lustro uno nec perfecto defunctus est. Nam et mater ejus Fredegundis in his diebus graviter ægrotavit, sed convaluit.

XXIV. Posthæc in nocte, quæ erat tertio Idus Novembris, apparuit nobis beati Martini vigilias celebrantibus magnum prodigium ; nam in medio lunæ stella fulgens visa est elucere, et super ac subter lunam aliæ stellæ propinquæ apparuerunt. Sed et circulus ille, qui pluviam plerumque significat, circa eam apparuit. Sed quæ hæc figuraverint, ignoramus. Nam et lunam hoc anno sæpe in nigredinem versam vidimus, et ante Natalem Domini gravia fuere tonitrua. Sed et splendores illi circa solem, sicut jam ante cladem Arvernam fuisse commemoravimus (*Lib.* IV, *cap.* 31), quos rustici soles vocant, apparuerunt [d] ; et mare ultra modum egressum asserunt, et multa alia signa apparuerunt.

XXV. Guntchramnus Boso Turonis cum paucis armatis veniens, filias suas, quas in basilica sancta reliquerat, vi abstulit, et eas usque Pictavis civitatem, quæ erat Childeberti regis, perduxit. Chilpericus quoque rex Pictavum pervasit, atque nepotis sui homines ab ejus sunt hominibus effugati. Ennodium ex comitatu ad regis præsentiam perduxerunt. Quo exsilio damnato, facultates ejus fisco subdiderunt. Sed post annum, et patriæ et facultatibus redditus est (*Lib.* VIII, *cap.* 26). Guntchramnus Boso relictis filiabus suis in basilica beati Hilarii ad Childebertum regem transiit.

XXVI. Anno quoque tertio **236** Childeberti regis, qui erat Chilperici et Guntchramni septimus decimus annus, cum Dacco [e] Dagarici quondam filius, relicto rege Chilperico, huc illucque vagaretur, a Dracoleno [f] duce, qui dicebatur Industrius, fraudulenter apprehensus est : quem vinctum ad Chilpericum regem Brannacum deduxit, dato ei sacramento, quod vitam illius cum rege [g] obtineret. Sed oblitus sacramenti, egit cum principe, nefarias res asserens, ut moreretur. Ille quoque cum vinctus detineretur, et cerneret se penitus non evasurum, a presbytero, rege nesciente, pœnitentiam petiit [h]. Qua accepta, interfectus est. Cum autem idem Dracolenus velociter reverteretur in patriam, his diebus Guntchramnus Boso filias suas a Pictavo auferre conabatur. Quod audiens Dracolenus, se super eum objecit ; sed illi, sicut erant parati, resistentes, se defensare nitebantur. Guntchramnus vero misit unum de amicis suis ad eum, dicens : Vade et dic ei : Scis enim quod fœdus inter nos initum habemus, rogo ut te de meis removeas insidiis. Quantum vis de rebus tollere non prohibeo ; tantum mihi, etsi nudo, liceat cum filiabus meis accedere quo voluero. At ille, ut erat vanus ac levis : Ecce, inquit, funiculum, in quo alii culpabiles ligati ad regem, me ducente, directi sunt : in quo et hic hodie ligandus, illuc deducetur vinctus. Et hæc cum dixisset, calcaneorum ictibus urgens equum, ad illum veloci cursu dirigit ; et casso cum verberans ictu, hastili diviso, ensis ad terram ruit. Guntchramnus vero cum super se mortem cerneret imminere, invocato nomine Domini, et virtute magna beati Martini, elevatoque conto, Dracolenum arctat in faucibus, suspensumque de equo sursum [i], unus de amicis suis eum lancea latere verberatum finivit, fugatisque sociis, ipsoque spoliato, Guntchramnus cum filiabus liber abscessit. Posthæc Severus socer ejus a filiis apud regem graviter accusatur. Hæc ille audiens, cum magnis muneribus ad regem petit **237** qui in via apprehensus et exspoliatus, atque in exsilium deductus, morte pessima vitam finivit. Sed et duo filii ejus, Bursolenus et Dodo, ob crimen majes-

[a] Colb. et Regm., *oneravimus*. *Ingitrudis* vero in editis plerisque dicitur *Ingetrudis*. Regm., *Ingiltrudis autem religiosam consuetudinem*, etc. De Ingiltrude infra lib. IX, cap. 33, et lib. X, c. 12.

[b] Regm., *inde parum supereffunde*. Cæterum ex hoc similibusque miraculis consuetudinem manasse putat Coinius sancti Martini nomen super vinum invocandi, illudque postea a convivis potandi in mutuæ charitatis symbolum, quem morem postea pravus usus corrupit. At crediderim potius fideles olim in festo S. Martini, sicut et in aliis celebrioribus, parare convivia consuevisse ; idque, etsi in aliis festivitatibus abrogatum, in hac una perseverasse ob sancti viri celebritatem. Hic autem de ista consuetudine non agit Gregorius, sed de aqua illa, qua beati viri sepulcrum ablui solebat, ex qua ægri potati sæpius curabantur.

[c] Is fuisse videtur Chrasmarus Tornacensium simul et Noviomagensium seu Viromandensium episcopus. Hic desinit codex Bellovacensis, cætera sunt avulsa.

[d] Hic desinit caput in Corb.

[e] Corb., *Dacolenus* ; Colb., *Taceo Tagarici* ; Bad. *Dargo Godarici* ; Regm., *Dago Gadarici* ; Bec., *Dacco Gadarici*.

[f] Corb., *Dragoleno*, qui in indiculo capitum dicitur *Dratglenus*.

[g] Alii, *apud regem*.

[h] Nota hominem in periculo positum clam a presbytero pœnitentiam petiisse, quod ea ante Carolum VI in Francia reis ante mortem denegaretur. Vide Mabillon. Præf. in Sæc. III Benedictin., p. 1, n. 24.

[i] Regm., *equo*, *rursum*.

tatis læsæ judicio mortis suscepto, unus ab exercitu A vi oppressus est; alius in fuga apprehensus, truncatis manibus et pedibus interiit; resque omnes tam eorum, quam patris, fisco collatæ sunt. Erant enim eis magni thesauri.

XXVII. Debine Turonici, Pictavi, Baiocassini, Cenomannici, Andegavi, cum aliis multis in Britanniam ex jussu Chilperici regis abierunt: et contra Waroc'hum [a], filium quondam Macliavi, ad Vicinoniam [b] fluvium resident. Sed ille dolose per noctem super Saxones Baiocassinos [c] ruens, maximam exinde partem interfecit. Post die autem tertia, cum ducibus regis Chilperici pacem faciens, et filium suum in obsidatum donans, sacramento se constrinxit, quod fidelis regi Chilperico esse deberet. Venetos quoque civitatem refudit, sub ea conditione, ut si mereretur B eam per jussionem regis regere, tributa vel omnia, quæ exinde debebantur, annis singulis nullo admonente dissolveret. Quod cum factum fuisset, exercitus ab eo loco remotus est. Posthæc Chilpericus rex de pauperibus et junioribus [d] ecclesiæ vel basilicæ bannos jussit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent. Non enim erat consuetudo, ut hi ullam exsolverent publicam functionem. Posthæc Waroc'hus obliviscens promissionis suæ, volens irrumpere quod fecerat, Eunium episcopum Veneticæ urbis ad Chilpericum regem dirigit. At ille ira commotus, **238** objurgatum eum exsilio damnari præcepit.

XXVIII. Anno quoque quarto Childeberti, qui fuit decimus octavus Guntchramni et Chiperici regum, C apud Cavillonum civitatem synodus facta est, ex jussu principis Guntchramni; discussisque diversis causis, contra Salonium et Sagittarium episcopos iteratur illa antiqua calamitas [e]. Objiciuntur eis crimina: et non solum de adulteriis, verum etiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes episcopi, illud est additum [f], quod essent rei majestatis, et patriæ proditores. Qua de causa ab episcopatu discincti [*Al.* dejecti], in basilicam beati Marcelli sub custodia detruduntur. Ex qua per fugam lapsi, discesserunt per diversa vagantes, donec in civitatibus eorum alii subrogati sunt [g].

XXIX. Chilpericus vero rex descriptiones novas et graves in omni regno suo fieri jussit. Qua de causa multi relinquentes civitates illas [*Al.* suas], vel possessiones proprias, alia regna petierunt, satius ducentes alibi peregrinari, quam tali periculo subjacere. Statutum enim fuerat, ut possessor de propria terra unum amphoram vini per aripennem [h] redderet. Sed et aliæ functiones infligebantur multæ, tam de reliquis terris, quam de mancipiis: quod impleri non poterat. Lemovicinus quoque populus cum se cerneret tali fasce gravari, congregatus in calendis Martiis, Marcum referendarium, qui hæc agere jussus fuerat, interficere voluit: et fecisset utique, nisi eum episcopus Ferreolus [i] ab imminenti discrimine liberasset. Arreptis quoque libris descriptionum, **239** incendio multitudo conjuncta concremavit: unde multum molestus rex, dirigens de latere suo personas, immensis damnis populum afflixit, supplicisque conterruit [j], morte mulctavit. Ferunt etiam tunc abbates atque presbyteros ad stipites extensos diversis subjacuisse tormentis, calumniantibus regalibus missis, quod in seditione populi ad incendendos libros satellites [*I.* adjutores] adfuissent, acerbiora quoque deinceps infligentes tributa.

XXX. Britanni quoque graviter regionem Rhedonicam vastaverunt, incendio, præda, captivitate, qui usque Cornutium vicum [k] debellando progressi sunt. Eunius [*Al.* Eonius] vero episcopus de exsilio reductus, Andegavo ad pascendum delegatur, nec ad civitatem suam Veneticam redire permittitur. Bippolenus [l] vero dux contra Britannos dirigitur, et loca

[a] Colb., *Voracium*, et infra, *Varadium*.

[b] Cervicem Britanniæ peninsulæ secat, atque inter Venetos et Namnetem urbes in Oceanum Britannicum immergitur. Vulgari idiomate dicitur *la Vilaine*.

[c] Cod. Regm., *Saxones atque Bajocassinos*. Ast alia lectio potior. Hic quippe designantur Saxones e Germania oriundi, qui inclinatis imperii Romani viribus in Britanniam majorem et in Gallias irrupere, atque ex iis nonnulli in tractu Aremorico, ac fluibus Bajocassium et Namnetensium considentes, cum veteribus incolis permisti, nomen etiam utrique genti commune habuerunt. Hinc Fortunatus lib. III, carm. 8, laudat Felicem episc. Namneticum ob *Saxones* ab eo sub jugo Christi mansuefactos. Eorum regionem Carolus Calvus in legibus apud Silvacum appellat *Linguam Saxonicam*.

[d] Juniores hic sunt ecclesiæ servitores, ut vult Cointius, ad annum 586; alias sic appellantur Clerici subdiaconis inferiores. Vide Concil. Masticon. I, can. 8, et Bignonii Notas in Marculfi formulam 3 lib. I. Bannum autem hic usurpat pro multa indicta iis qui ad bannum, id est ad placitum, militiam seu delectum non accesserant.

[e] Jam quippe accusati fuerant et condemnati in concilio Lugdun. II, ut dictum est supra cap. 20, sed Joannis papæ decreto restituti, Concilio Parisiensi IV, anno 573, cum aliis episcopis interfuerant. Cæterum ex hoc capite, quod omnes mss. exhibent, certum est etiam caput 20 hujus libri, licet in aliquot codd. desideretur, verum esse Gregorii fetum. De eorumdem dejectione agit Marius ad hunc ipsum annum.

[f] Colb., *attitulatum*.

[g] Aridius scilicet Sagittario Vapincensi, et Emeritus Salonio Ebredunensi. Uterque interfuit concilio Matisc. II, anno 585, et Aridius Valentino II, an. 584. Eidem scripsit tres epistolas S. Gregorius M. in quibus *Aregius* dicitur, sicut et in ejus Vita ab auctore coætaneo scripta, apud Labbeum tomo I Biblioth. novæ. Ipsius festum in propria ecclesia celebratur die I Maii.

[h] Aripennem appellabant veteres Galli, ut monet Valesius, semijugerem continentem 120 pedes.

[i] De hoc infra lib. VII, cap. 10.

[j] Regm. et Bec., *contrivit*. Hanc esse primam Missorum regiorum mentionem apud nostros Historicos observat Valesius libro X Rerum Francic. Postmodum sub Missorum dominicorum nomine celebres fuerunt.

[k] Hunc locum Cointius appellat *Cornux*. Valesius vero ait vulgo putari esse *Saint-Aubin le Cormier*. Cod. Regm., *Tornuntium*.

[l] Cod. Regm. cum aliquot editis, *Bypolenus*; alii *Dipolenus*, *Beppolenus*.

aliqua Britanniæ ferro incendioque opprimit : quæ res majorem insaniam excitavit.

XXXI. Dum hæc agerentur in Galliis [a], Justinus impleto imperii octavo decimo anno, amentiam quam incurrerat, cum vita finivit. Quo sepulto, Tiberius Cæsar arripuit jam olim aggressum imperium [b]. Sed cum eum secundum consuetudinem loci ad spectaculum circi præstolaretur populus processurum, parare ei cogitans pro parte Justiniani insidias, qui tunc nepos Justini habebatur, ille per loca sancta processit. Completaque oratione, vocato ad se urbis papa, cum consulibus ac præfectis palatium est ingressus. Dehinc indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impositus, cum immensis laudibus [c] imperium confirmavit. Factionarii quoque opperientes ad circum, cum cognovissent quæ acta fuerant, pudore confusi sine effectu regressi sunt, nihil homini qui in Deo spem 240 posuerat adversari valentes [d]. Transactis igitur paucis diebus, adveniens Justinianus, pedibus se projecit imperatoris, quindecim ei centenaria auri deferens ob meritum gratiæ. Quem ille secundum patientiæ suæ ritum colligens, in palatium jussit assistere. Sophia vero Augusta immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei tentavit intendere. Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperialem triginta diebus ad vindemiam jocundaretur [e], vocato clam Justiniano, Sophia voluit eum erigere in imperium. Quo comperto, Tiberius cursu veloci ad Constantinopolitanam civitatem regreditur, apprehensamque Augustam, ab omnibus thesauris spoliavit, solum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisque pueris ejus ab ea, alios posuit de fidelibus suis, mandans prorsus ut nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Justinianum vero objurgatum tanto in posterum amore dilexit, ut filio ejus filiam suam promitteret, rursumque filio suo filiam ejus expeteret : sed non est res sortita effectum. Exercitus ejus Persas debellavit, victorque regressus, tantam molem prædæ detulit, ut crederetur cupiditati humanæ posse sufficere. Viginti elephanti capti ad imperatorem deducti sunt [f].

XXXII. Britanni eo anno valde infesti circa urbem fuere Namneticam [g] atque Rhedonicam : qui immensam auferentes prædam, agros pervaduat, vineas a fructibus vacuant, et captivos abducunt. Ad quos cum Felix episcopus legationem misisset, emendare promittentes, nihil de promissis implere voluerunt

XXXIII. Apud [h] autem Parisios mulier quædam ruit in crimen, asserentibus 241 multis, quasi quod relicto viro cum alio misceretur. Igitur parentes illius accesserunt ad patrem, dicentes : Aut idoneam redde filiam tuam, aut certe moriatur, ne stuprum hoc generi nostro notam infligat. Novi, inquit pater, ego filiam meam bene idoneam, nec est verum verbum hoc, quod mali homines proloquuntur. Tamen ne crimen consurgat ulterius, innocentem eam faciam sacramento. Et illi : Si, inquiunt, est innoxia, super tumulum hoc beati Dionysii martyris sacramentis affirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito ad basilicam martyris sancti conveniunt, elevatisque pater manibus super altarium, juravit filiam non esse culpabilem. Econtrario vero perjurasse eum alii a parte [i] viri pronuntiant. His ergo altercantibus, evaginatis gladiis in se invicem prorumpunt, atque ante ipsum altarium se trucidant. Erant autem majores natu et primi apud Chilpericum regem. Sauciantur multi gladiis, respergitur sancta humano cruore basilica, ostia jaculis fodiuntur et ensibus, atque usque ad ipsum sepulcrum tela iniqua desæviunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit [j], donec ista omnia ad regis notitiam pervenirent. Hi vero properantes ad præsentiam principis, non recipiuntur in gratiam; sed ad episcopum loci illius remitti eos jussum est, ut si de hoc facinore culpabiles invenirentur, non convenienter sociarentur [k] communioni. Tunc ab episcopo Ragnemodo [l], qui Parisiacæ Ecclesiæ præerat, componentes qui [*Al.* quæ] male gesserant, in communionem ecclesiasticam sunt recepti. Mulier vero non post multis diebus cum ad judicium vocaretur, laqueo vitam finivit.

XXXIV. Anno quinto Childeberti regis Arvernorum regionem diluvia magna presserunt, ita ut per dies duodecim non cessaret a pluvia : tantaque inundatione Limane [m] est infusum, ut multos ne sementem jacerent prohiberet. Flumina quoque Liger 242 Flavarisque, quem Elacrem [n] vocitant, vel reliqui torrentes percurrentes in eum, ita intumuerunt, ut

[a] Nulla hic est capitum distinctio in Colb., ubi, *excitavit, qui cum reverterentur in Galliis*, etc.

[b] Reipsa Gregorius supra cap. 20 refert Justinum in Cæsarem assumptum fuisse an. 577. Vide Chronicon Joannis de Biclaro. Gregorium exscripsit Paul. Diac. l. III, cap. 12. Marius scribit an. 579 Justino defuncto Tiberium successisse. Alii denique volunt Tiberium, mense Septembri anno 578, Augustum renuntiatum fuisse a Justino, qui, ut aiunt, mense sequenti exstinctus est, anno 12 imperii fere expleto.

[c] Id est acclamationibus, quæ regibus fieri solent.

[d] Corb., *nihilominus qui in Deum spem posuerat adversarios non metuit.*

[e] Feriæ Vindemiales celebres sunt apud veteres scriptores, sacros et profanos. Ab impp. observatas fuisse tradunt Capitolinus in Antonino, Lamprid. in Heliogabalo, etc.

[f] Hæc vivente adhuc Justino contigisse scribunt Joannes Biclar. in Chronico, et Evagr. lib. v Hist.

[g] Colb., *Veneticam.* Nostra tamen lectio melior censeri debet, tum ob mss. et editos, tum quia Felix episcopus erat Namnetensis.

[h] Deest hoc caput in Corb. et Colb.

[i] Regm., *aperte.*

[j] Ecclesia interdicta ob sanguinis effusionem. Vide Audoenum lib. II de Vita S. Eligii, cap. 20.

[k] Sic Regm.; at alii, *non invenirentur, sociarentur.*

[l] Al., *Reginmodo*; Bad., *Raimundo*; aliquot, *Regnamodo.*

[m] Sic jam supra lib. III, cap. 9, appellavit eam Arverniæ partem, quam *Limanium* etiam nunc appellamus; a limo ob fœcunditatem sic dictam putat Alteserra. De ea Sidonius lib. III, epist. I, *cujus meriti sit, vel Gotthis credite, qui etiam Septimaniam suam fastidiunt, modo invidiosi hujus anguli etiam desolata proprietate potiantur.*

[n] Sic mss. et editi, præter Colb. qui habet *Ilacrem*, et Chesn., *Elaurem.* Codd. laudat Alteserra, ubi.

terminos, quos nunquam excesserant, præterirent. Quæ grande de pecoribus excidium, de culturis detrimentum, de ædificiis fecere naufragium. Pari modo Rhodanus cum Arari conjunctus, ripas excedens, grave damnum populis intulit, muros Lugdunensis civitatis aliqua ex parte subvertit. Quiescentibus vero pluviis, arbores denuo floruerunt : erat enim mensis September [a]. In Turonico vero eo anno mane priusquam dies illucesceret, fulgor per cœlum cucurrisse visus est, et ad Orientis plagam decidisse. Sed et sonitus, tanquam diruentis arboris, per totam terram illam auditus est : quod ideo non est de arbore æstimandum, quia in quinquaginta aut amplius milliaria est auditum. Ipso anno graviter urbs Burdegalensis a terræmotu concussa est, mœniaque civitatis in discrimine eversionis exstiterunt; atque ita omnis populus meta mortis exterritus est, ut si non fugeret, putaret se cum urbe dehiscere. Unde et multi ad civitates alias transierunt. Qui tremor [*Al.* timor] ad vicinas civitates porrectus est, et usque Hispaniam attigit, sed non tam valide. Tamen de Pyrenæis montibus immensi lapides sunt commoti, qui pecora hominesque prostraverunt. Nam et vicos Burdegalenses incendium divinitus ortum exussit, ita ut subito comprehensi igne, tam domus quam areæ cum annonis incendio cremarentur; nullum penitus incitamentum habens ignis alieni, nisi forsitan jussione divina. Nam et Aurelianensis civitas gravi incendio conflagravit, in tantum ut ditioribus nihil penitus remaneret : et si aliquis ab igne quidquam eripuit, ab insistentibus furibus est direptum. Apud terminum Carnotenum verus [b] de effracto pane sanguis effluxit. Graviter tunc et Biturica civitas a grandine verberata est.

XXXV. Sed hæc prodigia gravissima **243** lues est subsecuta. Nam discordantibus regibus, et iterum bellum civile parantibus, dysentericus morbus pene Gallias totas præoccupavit. Erat enim his qui patiebantur valida cum vomitu febris, renumque nimius dolor, caput grave vel cervix. Ea vero quæ ex ore [c] projiciebantur, colore croceo, aut certe viridia erant; a multis autem asserebatur venenum occultum esse. Rusticiores vero corales hoc pusulas [d] nominabant : quod non est incredibile, quia missæ in scapulis sive cruribus ventosæ, procedentibus erumpentibusque vesicis, decursa sanie multi liberabantur; sed et herbæ, quæ venenis medentur, potui sumptæ, plerisque præsidia contulerunt. Et quidem primum hæc infirmitas a mense Augusto initiata, parvulos adolescentes arripuit, lethoque subegit.

Perdidimus dulces et charos nobis infantulos, quos aut gremiis fovimus, aut ulnis bajulavimus, aut propria manu ministratis cibis ipsos studio sagaciore nutrivimus; sed abstersis lacrymis cum beato Job, diximus : *Dominus dedit, Dominus abstulit : quomodo Domino placuit, ita factum est. Sit nomen ejus benedictum in sæcula* (*Job.* I, 21). Igitur in his diebus Chilpericus rex graviter ægrotavit : quo convalescente, filius ejus junior, necdum ex aqua et Spiritu sancto renatus, ægrotare cœpit. Quem in extremis videntes, baptismo abluerunt. Quo parumper melius agente, frater ejus senior, nomine Chlodobertus, ab hoc morbo corripitur, ipsumque in discrimine mortis Fredegundis mater cernens, sero pœnitens, ait ad regem : Diu nos male agentes pietas divina sustentat; nam sæpe nos febribus et aliis malis corripuit, et emendatio non successit. Ecce jam perdimus filios; ecce jam eos lacrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt; nec spes remanet cui aliquid congregemus. Thesaurizamus, nescientes cui congregemus ea. Ecce thesauri remanent a possessore vacui, rapinis ac maledictionibus pleni. Nunquid non exundabant **244** promptuaria vino? nunquid non horrea replebantur frumento? nunquid non erant thesauri referti ære, argento, lapidibus pretiosis, monilibus, vel reliquis imperialibus ornamentis? Ecce quod pulchrius habebamus, perdimus. Nunc, si placet, veni [*Al.* venite], et incendamus omnes descriptiones iniquas; sufficiatque fisco nostro, quod suffecit patri regique Chlothachario. Hæc effata regina, pugnis verberans pectus, jussit libros exhiberi, qui de civitatibus suis per Marcum venerant; projectisque in ignem, iterum ad regem conversa : Quid tu, inquit, moraris? Fac quod vides a me fieri, ut et si dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam evadamus. Tunc rex compunctus corde tradidit omnes libros descriptionum igni, conflagratisque illis, misit qui futuras prohiberent descriptiones. Posthæc infantulus junior dum nimio labore tabescit, exstinguitur; quem cum maximo mœrore deducentes a villa Brennaco Parisios, ad basilicam sancti Dionysii sepelire mandaverunt [e]. Chlodobertum vero componentes in feretro, Suessionas ad basilicam sancti Medardi duxerunt, projicientesque eum ad sanctum sepulcrum, voverunt vota pro eo; sed media nocte, anhelus jam et tenuis, spiritum exhalavit : quem in basilica sanctorum Crispini atque Crispiniani [f] martyrum sepelierunt. Magnus quoque hic [g] planctus omni populo fuit; nam viri lugentes, mulieresque lugubribus ve-

Elaverque, quem Melacrem. Is est Elaver fluvius, vulgo *l'Allier*, qui ortus in Cebennis, et lustratis Arvernis, infra Nivernum urbem in Ligerim labitur.

[a] Mense Octobri hæc contigisse scribit Marius ad an. 580.

[b] Corb., *urbis de.*

[c] In Corb. deest *ex ore.*

[d] Colb., *Coriales hoc pustulas.* Bad., *Corales, hoc est, pustulas.* Erant, ni fallor, pustulæ in corde ortæ, et ideo corales dictæ; vel quod sputa essent purpurei coloris, coralio similis.

[e] Hic a Fortunato appellatur Dagobertus, cujus, et Chlodoberti fratris epitaphia scripsit lib. IX, carm. 4 et 5. Obiere post synodum Brennacensem, ut ex cap. ultimo hujus libri patet.

[f] Est nunc monasterium ordinis S. Benedicti sub S. Mauri congregatione, cum Basilica insigni, cujus navim Calvinistæ sæculo superiori everterunt. Nonnulli existimant ibi olim exstitisse sedem episcopalem.

[g] Sic Colb. et Chesn.; plerique editi, *Magnus namque huc.*

stimentis indutæ, ut solet in conjugum exsequiis fieri, ita hoc funus sunt prosecutæ. Multa postea Chilpericus rex ecclesiis, sive basilicis, vel pauperibus est largitus.

XXXVI. His diebus Austrechildis, Guntchramni principis regina, ab hoc morbo consumpta est : sed priusquam nequam spiritum exhalaret, cernens quod evadere non posset, alta trahens suspiria, voluit leti sui habere participes, agens ut in exsequiis ejus aliorum funera plangerentur. Fertur enim Herodiano [a] more regem petiisse, dicens : Adhuc spes vivendi fuerat, 245 si non inter iniquorum medicorum manus interissem ; nam potiones ab illis acceptæ, mihi vi abstulerunt vitam, et fecerunt me hanc lucem velociter perdere : et ideo, ne inulta mors mea præteream, quæso, et cum sacramenti interpositione conjuro, ut, cum ab hac luce discessero, statim ipsi gladio trucidentur, ut sicut ego amplius vivere non queo, ita nec illi post meum obitum glorientur, sed sit unus dolor nostris pariter ac eorum amicis. Hæc effata infelicem animam tradidit. Rex vero peracto ex more exsequio [b], oppressus iniquæ conjugis juramento, implevit præceptum iniquitatis ; nam duos medicos [c], qui ei studium adhibuerant, gladio feriri præcepit : quod non sine peccato factum fuisse multorum censet [d] prudentia.

XXXVII. Hac [e] itaque ægritudine et Nantinus Ecolismensis comes exinanitus interiit; sed quæ contra sacerdotes vel ecclesias Dei egerit, altius repetenda sunt. Denique Maracharius avunculus ejus, diu in ipsa urbe usus est comitatu. Quo officio expleto, Ecclesiæ sociatur, clericusque factus, ordinatur episcopus. Qui multum vigilanter vel ecclesias, vel ecclesiæ domos et erigens, et componens, septimo sacerdotii anno, injecto ab inimicis in caput pisces veneno, simpliciter accipiens crudeliter enecatur. Sed non diu inultam ejus mortem pertulit divina clementia; nam Frontonius [f], cujus consilio hoc scelus est perpetratum, assumpto confestim episcopatu, uno in eo degens anno, præcurrente judicio Dei, interiit. Cujus post obitum Heraclius [g] Burdegalensis presbyter, qui quondam legatus Childeberti senioris fuerat, episcopus ordinatur. Nantinus vero ob requirendam avunculi sui mortem, comitatum in ipsa urbe expetiit. Quo accepto, multas episcopo injurias irrogavit. Aiebat enim episcopo : Homicidas illos, qui avunculum meum interfecerunt, 246 tecum retines; sed et presbyteros huic noxæ admistos, ad convivium recipis. Deinde inimicitia increscente, paulatim cœpit villas ecclesiæ, quas Maracharius testamento scripto reliquerat, violenter invadere, asserens non debere ecclesiam ejus facultatem adipisci, a cujus clericis testator fuerat interfectus. Post ista vero, jam aliquibus ex laicis interfectis, addidit ut apprehensum presbyterum alligaret, ac conto perfoderet. Cui adhuc viventi, retortis post tergum manibus, appenso ad stipitem, elicere quærebant si in hac causa fuisset admistus. Quod cum ille negaret, profluente cruore de vulnere, reddidit spiritum. Qua de causa commotus episcopus, jussit eum ab ecclesiæ foribus prohiberi. Convenientibus autem apud civitatem Santonas sacerdotibus [h], deprecabatur Nantinus ut pacem episcopi mereretur, promittens se omnes Ecclesiæ res, quas sine ratione abstulerat, redditurum, atque humilem exhibere se sacerdoti. At ille fratrum jussioni obaudire procurans, cuncta quæ petebantur indulsit; causam tamen presbyteri omnipotenti Deo commendans, comitem in charitate recepit. Qui post ista regressus urbem, domos illas quas male pervaserat, spoliat, elidit, ac disjicit, dicens : Et si hoc ab ecclesia recipitur, vel desertum inveniatur, qua de causa iterum motus episcopus, eum a communione suspendit. Quæ dum aguntur, impleto beatus pontifex vitæ cursu, migravit ad Dominum. Nantinus quoque ab aliquibus episcopis, intercedentibus præmiis atque adulationibus, communicatur. Post paucos vero menses a supradicto morbo corripitur, qui nimia exustus febre, clamavit, dicens : Heu, heu ! ab Heraclio antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor me injuste injurias intulisse pontifici ; mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Hæc cum maxima in febre 247 clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens vestigia, hoc ei ad ultionem beati antistitis evenisse. Nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, ut putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Ergo [i] omnes hæc obstupescant, admirentur, et metuant ne inferant injurias sacerdotibus : quia ultor est Dominus servorum suorum sperantium in se.

XXXVIII. Hoc [j] tempore et beatus Martinus Gal-

[a] Herodes Ascalonita, morti proximus, petierat ut statim post ipsius mortem nobilissimi Judæorum occiderentur. Vide Josephi lib. I de Bell. Judaico, cap. 21.

[b] Sic Corb. ; alii *justitio*, præter Casin. qui habet, *funeris officio*. Austrigildis epitaphium profert Chesnius tomo I scriptorum Histor. Franc., pag. 517; vixit annos 32.

[c] Hos Nicolaum et Donatum appellat Marius in Chronico, ubi Austregildem obiisse ait anno 581, mense Septembri.

[d] Regm., *quod non sine præcepto... novit prudentia.*

[e] Hoc caput deest in Corb. et Colb. ; sic habet Regm., *Hac itaque pestilentia*, etc. In Bec., Nantinus dicitur comes *Ecolinensis*. Varie quippe scribitur hujus urbis nomen *Ecolesina*, *Egolisma*, hodie *Incalisma* : quod semel et iterum notasse satis sit. Maracharius interfuit dedicationi ecclesiæ Namneticæ per Felicem episcopum, ut refert Fortunatus lib. III, carm. 4.

[f] Bec., *Frontimius.*

[g] In Regm., hic dicitur *Eradius*, infra *Eraclius*. Sic et comes dicitur aliquando *Nautinus*, alias ut editi, *Nantinus.*

[h] Hanc Synodum an. 579 consignat Sirmondus tom. I Concil. Galliæ.

[i] Hæc ad finem capitis desunt in cod. Regm.

[j] Hoc caput deest in Corb. et Colb. Porro Regm. habet *Calleciensis*. Et quidem veteres scribebant *Callæcia* pro Gallicia.

liciensis episcopus obiit, magnum populo illi faciente planctum [a]. Nam hic Pannoniæ ortus fuit, et exinde ad visitanda loca sancta in Orientem properans, in tantum se literis imbuit, ut nulli secundus suis temporibus haberetur. Exinde Galliciam venit, ubi, cum beati Martini reliquiæ portarentur, episcopus ordinatur : in quo sacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutibus migravit ad Dominum [b]. Versiculos qui super ostium sunt a parte meridiana in basilica sancti Martini, ipse composuit.

XXXIX. Magna eo anno in Hispaniis Christianis persecutio fuit, multique exsiliis dati, facultatibus privati, fame decocti, carcere mancipati, verberibus affecti, ac diversis suppliciis trucidati sunt. Caput quoque hujus sceleris Goisvintha [c] fuit, quam post Athanachildi [d] regis connubium rex Leuvichildus acceperat; sed quæ Dei servis notam [e] humilitatis inflixerat, prosequente ultione divina, ipsa quoque est omnibus populis facta notabilis. Nam unum oculum nubes **248** alba contegens, lumen quod mens non habebat, pepulit a palpebris. Erant autem Leuvichildo regi ex alia uxore duo filii, quorum senior Sigiberti, junior Chilperici regis filiam desponsaverat. Sed Ingundis Sigiberti regis filia cum magno apparatu in Hispanias directa, ab avia Goisvintha cum gaudio magno suscipitur; quam nec passa est in religione catholica diu commorari, sed ut rebaptizaretur in Ariana hæresi blandis cœpit sermonibus illicere. Sed illa viriliter reluctans, cœpit dicere : Sufficit satis me ab originali peccato baptismo salutari semel ablutam fuisse, et sanctam Trinitatem in una æqualitate esse confessam. Hæc me credere ex toto corde confiteor, nec unquam ab hac fide ibo retrorsum. Hæc illa audiens, iracundiæ furore succensa apprehensam per comam capitis puellam in terram collidit, et diu calcibus verberatam ac sanguine cruentatam, jussit exspoliari et piscinæ immergi : [f] sed ut asserunt multi, nunquam animum suum a fide nostra reflexit. Leuvichildus autem dedit eis unam [g] de civitatibus, in qua residentes regnarent. Ad quam cum abiissent, cœpit Ingundis prædicare viro suo, ut relicta hæresis fallacia, catholicæ legis veritatem agnosceret. Quod ille diu refutans; tandem commotus ad ejus prædicationem, conversus est ad legem catholicam : ac dum chrismaretur, Joannes est vocitatus. Quod cum Leuvichildus audisset, cœpit causas quærere qualiter eum perderet. Ille vero hæc intelligens, ad partem se imperatoris jungit, ligans cum præfecto **249** ejus amicitias, qui tunc Hispaniam impugnabat. Leuvichildus autem direxit ad eum nuntios, dicens : Veni ad me, quia exstant causæ quas conferamus simul. Et ille : Non ibo, quia infensus es [*Casin.* est] mihi, pro eo quod sim catholicus. At ille datis præfecto imperatoris triginta millibus solidorum, ut se ab ejus solatio [*lt.* auxilio] revocaret commoto exercitu, contra eum venit. Hermenegildus [h] vero vocatis Græcis, contra patrem egreditur, relicta in urbe conjuge sua. Cumque Leuvichildus ex adverso veniret, relictus a solatio, cum videret nihil se prævalere posse, ecclesiam quæ erat propinqua, expetiit, dicens : Non veniat super me pater meus; nefas est enim aut patrem a filio, aut filium a patre interfici. Hæc audiens Leuvichildus, misit ad eum fratrem [i] ejus, qui dato sacramento ne humiliaretur, ait : Tu ipse accede, et prosternere pedibus patris nostri, et omnia indulget tibi. At ille poposcit vocari patrem suum; quo ingrediente, prostravit se ad pedes illius. Ille vero apprehensum osculatus est eum, et blandis sermonibus delinitum duxit ad castra; oblitusque sacramenti innuit suis, et apprehensum spoliavit eum indumentis suis, induitque illum veste vili, regressusque ad urbem Toletum, ablatis pueris ejus, misit eum in exsilium [j] cum uno tantum puerulo.

[a] Regm., *magnum plebi suæ relinquens de se planctum.*

[b] Fuit episcopus primo Dumiensis monasterii, tum Bracarensis; qua dignitate non 30, sed 20 circiter annis potitus est. Festivitas ejus recolitur die 20 Martii. Vide ejus Elogium in Actis SS. Ord. Benedictini tomo I, pag. 257. Ad eumdem exstat Fortunati epistola cum carmine I libri V. Confer lib. I de Mirac. S. Martini, cap. 11. Versus autem hic laudatos edidit Sirmondus, qui habentur etiam in tomo XV Bibioth. Patrum, edit. Colon., etc.

[c] Goisvintha erat Brunechildis reginæ, uxoris Sigiberti, mater, quam nempe ex Athanagildo rege priore suo marito habuerat, proindeque Ingundis avia. Hanc porro Leuvigildus duxerat post obitum prioris suæ conjugis, Theodosiæ scilicet filiæ Severiani ducis Carthaginensis, ex qua duos filios susceperat, Hermenegildum Ingundis maritum, et Reccaredum, cui desponsata fuit Rigunthis Chilperici filia. Reccaredus demique post fratris necem et patris obitum, adepto regno, ex Ariano catholicus factus totam Wisigothorum gentem ad fidem rectam adduxit. Quæ omnia observare visum est ad totius hujus capitis et eorum, quæ inferius ea de re habentur, notionem. De persecutione vero hic memorata, videndus quoque Isidorus in Chronico ad æram 606.

[d] Alii codd., *Athanagildus, Atanachildis.* Sic et *Leuvigildus, Leuvihildus, Leuvichildis, Levieldus, Leviheldis :* quæ lectiones variæ in variis codd. occurrunt, quoties fere hæc nomina repetuntur.

[e] Casin., *sed quæ diversis notam.*

[f] Hac, uti videtur, occasione Leuvigildus synodum episcoporum Arianorum Toleti coegit, ubi statutum est, ut qui de *Romana* religione ad eorum partes accederet, non deberet rebaptizari, sed solum impositione manus, communionis perceptione, et gloriam Patri per Filium in Spiritu sancto dando, aggregaretur. Hæc ex Joan. Biclar. ad an. 581.

[g] Hispalim scilicet, Bæticæ caput, in qua postea a patre obsessus est. Captus est Cordubæ, indeque Valentiam in exsilium missus, et denique Tarraconæ occisus, ut refert Joan. Biclar. aut certe Hispali, ut plerisque auctoribus placet. De his infra Gregorius passim loquitur.

[h] Sic Corb. et Joan. Biclar. Alii, *Hermenichildis, Hermenchildis, Ermengildus*, etc. S. Leandrum ea occasione Constantinopolim profectum fuisse, ut auxilium a Tiberio imp. sollicitaret, discimus ex S. Gregorii papæ præf. in libros Morat. in Job.

[i] Reccaredum, ut supra notavimus.

[j] A patre jussus est interfici, quod die sancto Paschæ communionem ab episcopo Ariano sibi porrectam sumere recusasset, ut fusius narrat S. Gregorius M. lib. III Dialog., cap. 31, et Paulus diac. lib. III Hist. Langob., cap. 21, quod contigit Tarraconæ an. 586, ex Joan. Biclar. in Chronico, ubi ejus interfectorem,

XL. Igitur [a] post mortem filiorum Chilperici, rex mense Octobri in Cotia silva plenus luctu cum conjuge residebat. Tunc Chlodovechum filium suum Brennacum, faciente regina, transmisit, ut scilicet et ipse ab hoc interitu deperiret. Graviter ibi his diebus morbus ille, qui fratres interfecerat, sæviebat; sed nihil ibidem incommodi **250** pertulit. Ipse enim rex Calam [b] Parisiacæ civitatis villam advenit. Post paucos vero dies Chlodovechum ad se venire præcepit: cui qualis interitus fuerit, dicere non pigebit. Igitur cum in supradicta villa apud patrem habitaret, cœpit immature jactare, vel dicere: Ecce mortuis fratribus meis ad me restitit omne regnum: mihi universæ Galliæ subjicientur, imperiumque universum mihi fata largita sunt. Ecce inimicis in manu positis inferam quæcunque placuerit. Sed et de noverca sua Fredegunde regina non condecibilia detrectabat. Quæ illa audiens, pavore nimio terrebatur. Post dies vero aliquot, adveniens quidam ait reginæ: Ut orbata filiis sedeas, dolus id Chlodovechi est operatus. Nam ipse concupiscens unius ancillarum tuarum filiam, maleficiis tuos per matrem ejus filios interfecit: ideoque moneo ne speres de te melius, cum tibi spes per quam regnare debueras sit ablata. Tunc regina timore perterrita, et furore succensa, nova orbitate compuncta, apprehensa puella in quam oculos injecerat Chlodovechus, et graviter verberata, incidi comam capitis [c] ejus jussit, ac scissæ sudi impositam defigi ante metatum Chlodovechi præcepit. Matre quoque puellæ relegata, et tormentis diu cruciata, elicuit ab ea professionem, quæ hos sermones veros esse firmaret. Regi [d] exinde hæc et alia hujuscemodi insinuans, vindictam de Chlodovecho poposcit. Tunc rex in venationem directus, eum præcepit arcessiri secretius. Quo adveniente, ex jussu regis apprehensus in manicis a Desiderio [e] atque Bobone ducibus, nudatur armis et vestibus, ac vili indumento contectus **251** reginæ vinctus [f] adducitur. At illa in custodia eum retineri præcepit, elicere ab eo cupiens, si hæc ita ut audierat se haberent, vel cujus consilio usus fuerit, aut cujus hæc instinctu fecisset, vel cum quibus maxime amicitias colligasset. At ille reliqua denegans, amicitias multorum detexit. Denique post triduum, regina vinctum jussit eum transire Matronam fluvium, et in villa, cui Nuceto [g] nomen est, custodiri. In qua custodia cultro percussus, interiit, ipsoque in loco sepultus est [h]. Interea advenerunt nuntii ad regem, qui dicerent, quod ipse se ictu proprio perfodisset; et adhuc ipsum cultrum de quo se perculit, in loco stare vulneris affirmabant. Quibus verbis rex Chilpericus illusus, nec flevit, quem ipse, ut ita dicam, morti tradiderat, instigante regina. Servientes quoque illius per diversa dispersi sunt. Mater autem ejus crudeli morte necata [i]; soror illius in monasterium, delusa a pueris reginæ, transmittitur, in quo nunc veste mutata consistit; opesque eorum omnes reginæ delatæ sunt. Mulier quæ super Chlodovechum locuta fuerat, dijudicatur incendio concremari. Quæ cum duceretur, reclamare cœpit misera, se mendacia protulisse: sed nihil proficientibus verbis, ligata ad stipitem, vivens exuritur flammis. Thesaurarius Chlodovechi a Cuppane [k] stabuli comite de Biturico retractus, vinctus reginæ transmissus est, diversis cruciatibus exponendus; sed eum regina et a suppliciis, et vinculis jussit absolvi; liberumque nobis obtinentibus abire permisit.

XLI. Post hæc [l] Elafius Catalaunensis episcopus, propter causas **252** Brunichildis reginæ, in Hispa-

Sisbertum, biennio postea morte turpi punitum fuisse scribit. Hermenegildi sub martyris titulo festum die 13 Aprilis celebratur. Ingundis uxor ejus, fugiens intercepta, in Siciliam perducta est, ubi exspirasse dicitur. Infra tamen Gregorius lib. VIII, cap. 28, ipsam in Africa obiisse scribit, cum Constantinopolim a Græcis perduceretur. Eorum filius Athanagildus CP. vixit in aula Mauricii imp. Aliquot epistolas ad ipsum, aut ejus occasione ad alios a Childeberto rege, et a Brunichilde regina scriptas, in Appendice dabimus.

[a] Hoc caput in Regm. loco suo motum, exstat num. 42. De Cotia silva, supra lib. IV, cap. 22.

[b] Ibi S. Bathildis Chlodovei II uxor parthenonem celeberrimum exstruxit, ubi cum aliquandiu sanctimonialis vixisset, pie obiit. Locus priscum nomen retinet, vulgo *Chelles*, quatuor leucis ab urbe distans, ad Matronam fluvium. De hoc Beda lib. III Hist., cap. 8.

[c] Sic Bad.; at Corb. et Chesn., *abscissam sudi*. Colb., *abscisso sude*. Bec., *scissa sudi*.

[d] Regm., *firmaret Regi. Tunc Rex*, cæteris omissis.

[e] Is est qui, referente Gregorio lib. IX, cap. 33, Tetradiam, marito ejus Eulalio adhuc superstite, uxorem duxit. De quo non semel alibi, potissimum lib. X, cap. 8. Bobo autem filius erat Mummolini ducis, de quo lib. VI, cap. 45.

[f] In Corb. deest *vinctus*.

[g] Sic scribendum censet Valesius in Notitia Galliarum; consentit Corb. At Colb. habet *Nocito*; alii vero *Noceto*, vulgo *Noisi*, haud procul a Cala, sed ad alteram Matronæ ripam.

[h] Inde corpus ejus cum solemni pompa translatum est Parisios in basilicam sancti Vincentii, infra lib. VIII, cap. 10.

[i] Audovera scilicet, quam Chilpericus dimiserat, quod suam ipsius filiam e fonte sacro suscepisset, si credamus Anonymo qui Gesta Francorum scripsit. Id quippe fabulosum esse existimat Cointius ad an. 565, n. 4. Soror vero ejus, scilicet Chlodovei, Basina, quæ in monasterio sanctæ Crucis Pictaviensi turbas postea excitavit.

[j] Sic Corb. et Colb. Editi vero, *reclusa in monasterio*. Mss. lectionem habet Aimoinus lib. III, c. 43.

[k] Hujus facinora narrat Gregorius lib. X, c. 5.

[l] Hoc caput deest in Corb. et Colb. Leginus instrumentum beati Elafii episcopi de villis, quas S. Stephano dedit cum fratre suo Leudomiro diacono, *actum in Catalauni civitate, in ecclesia præfati martyris, publice sub die* V *Id. Junii, anno quarto Sigeberto rege Francorum*, cui instrumento post donatores Egidius Rhemensis metropolitanus, et Beatus, cujus sedes non exprimitur, subscripsere. Beatus, ut existimo, is ipse est Beatus episcopus Ambianensis, qui Concilio Aurelian. V interfuit an. 549. Quo pacto S. Honoratus, quem Cointius Beato circa an. 554 successisse scribit, ante ann. 565 Sigiberti regis IV Ecclesiæ Ambianensi præfectus fuisse dicendus non est. Elafius, Badio *Elaphius*, plerique ed. *Elasius*, colitur Catalauni die XIV Kal. Sept. Sacrum vero illius corpus asservatur in monasterio S. Petri in eadem urbe,

sus in legationem directus, correptus a febre nimia, spiritum exhalavit, et exinde delatus mortuus, ad civitatem suam sepultus est. Eonius quoque episcopus, quem legatum Britannorum supra meminimus [a], ad civitatem suam regredi non permissus, ut Andegavis pasceretur de publico a rege præceptum est. Qui Parisios adveniens, dum die Dominica sacrosancta solemnia celebraret, emissa cum hinnitu voce terræ corruit. Erumpente vero ab ore ejus et naribus sanguine, inter manus deportatus est, sed convaluit. Nimium enim vino deditus erat, et plerumque ita deformiter inebriabatur, ut gressum facere non valeret.

XLII. Mirus rex Galliciensis legatos ad Guntchramnum regem direxit. Cumque per Pictavum terminum præterirent, quem tunc Chilpericus rex tenebat, nuntiata sunt ei. At ille sub custodia sibi eos exhiberi præcepit, et Parisios custodiri. Eo tempore apud Pictavensem civitatem lupus ex silvis veniens, per portam ingressus est, clausisque portis infra muros ipsius urbis oppressus, occisus est. Asserebant enim quidam et cœlum ardens se vidisse. Liger fluvius major ab anno superiore fuit, postquam ei Caris [b] torrens se adjunxit. Ventus auster nimium violenter cucurrit, ita ut silvas prosterneret, domos everteret, segetes afferret, ipsosque homines ad internecionem usque volutaret. Erat enim spatium ejus in latitudinem quasi jugera septem; longitudo autem non potuit æstimari. Nam et galli plausum cantus in initio noctis sæpe dederunt. Luna contenebricata est, et cometes 253 stella apparuit. Gravis autem lues in populo subsecuta est. Legati autem Suevorum [c] post annum dimissi, ad propria redierunt.

XLIII. Maurilio [d] Cadurcensis urbis episcopus graviter ægrotabat ab humore podagrico, sed super hos dolores, quos ipse humor commovit, magnos sibi cruciatus addebat; nam sæpe candens ferrum tibiis ac pedibus defigebat, quo facilius cruciatum sibi amplius adderet. Sed cum episcopatum ejus multi expeterent, ipse Ursicinum [e], qui quondam referendarius Ultrogothæ reginæ fuerat, elegit. Quem dum adhuc viveret, benedici deprecans, migravit a sæculo. Fuit autem valde eleemosynarius, in Scripturis ecclesiasticis valde instructus, ita ut seriem diversarum generationum, quæ in libris veteris Testamenti describitur, quod a multis difficile retinetur, hic plerumque memoria recenseret. Fuit etiam et in judiciis justus, ac defendens pauperes ecclesiæ suæ de manu malorum judicum, juxta illud Job: *Conservavi egenum de manu potentis; et inopi cui non erat adjutor, auxiliatus sum. Os viduæ benedixit me, cum essem oculus cæcorum, pes claudorum, et invalidorum pater* (*Job.* XXIX, 12-16).

XLIV. Leuvichildus vero rex Agilanem legatum ad Chilpericum mittit, virum nullius ingenii aut dispositionis ratione peritum, sed tantum voluntate in catholica lege perversum: quem cum via Turonis detulisset, lacessire nos de fide, et impugnare ecclesiastica dogmata cœpit. Iniqua enim, inquit, fuit antiquorum episcoporum lata sententia, quæ æqualem asseruit Filium Patri. Nam qualiter, inquit, poterit esse Patri æqualis in potestate, qui ait: *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28)? Non est ergo æquum ut ei similis æstimetur quo se minorem dicit, cui tristitiam mortis ingemit, cui postremo moriens spiritum, quasi nulla præditus potestate, commendat. Unde patet eum et ætate et potestate paterna minorem. Ad hæc ego interrogo, si crederet Jesum Christum Filium Dei esse, si eumdemque esse Dei sapientiam, si lumen, 254 si veritatem, si vitam, si justitiam fateretur. Qui ait: Credo hæc omnia esse Filium Dei. Et ego: Dic ergo mihi, quando Pater sine sapientia? quando sine lumine? quando sine vita? quando sine veritate? quando sine justitia fuerit? Sicut enim Pater sine istis esse non potuit, ita et sine Filio esse non potuit: quæ maxime ad Dominici nominis [f] mysterium coaptantur. Sed nec Pater esset utique, si Filium non haberet. Quod autem eum dixisse ais, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28), scias eum hoc ex assumptæ carnis humilitate dixisse, ut cognoscas non potestate, sed humilitate te fuisse redemptum. Nam tu qui dicis, *Pater major me est*, oportet te meminisse quod alibi ait: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Nam et mortis timor, et commendatio spiritus ad infirmitatem corporis est referenda, ut sicut verus Deus, ita et ve-

Ordinis S. Bened. sub. Cong. S. Vitoni. Instrumentum quo Elafius bona quædam ecclesiæ S. Stephani, id est cathedrali, legavit, firmatur ex ejusdem Vita, quæ in ms. breviario abbatiæ omnium sanctorum Catalauni, sic habet: *Cum itaque Catalaunensis ecclesia pastore orbata foret, Sigibertus Chlotarii filius, magni Chlodovei nepos, Elafium Lemovicibus evocatum in eam sedem evehendum curavit. Ægre tandem suscepto episcopali munere, totum se convertit Elafius ad Dominum, largas eleemosynas faciens, orationibus instans, nihil prætermittens quod ad boni pastoris officium pertineret. Tanti fratris amore et desiderio ductus Leodemirus, relicta patria Catalaunum perrexit. Multum autem eorum fraterna concordia Catalaunensi ecclesiæ profuit, cui etiam hæreditaria prædia sua urbi Lemoricæ vicina donarunt*, etc. De eo in Necrologio XIV *Kal. Sept. Catalauni natalis gloriosissimi præsulis Elafii fratris B. Leudomiri.* Porro Beatus qui instrumentum S. Elafii conscripsit, episcopus non erat, ut ex ejus verbis apparet: *Ego quamvis indignus, tamen Beatus vocor, hanc auctoritatem jubente Elafio venerabili episcopo una cum consensu Leudomeri diaconi conscripsi, ad vicem Ernoldi notarii.* Unde ruit quod in notis dixi de Beato, quem episcopum Ambianensem fuisse suspicabar.

[a] Supra cap. 30, ubi dicitur Eunius Venetensis episcopus.

[b] Corb., *estoreus.* Colb., *ei Duricarus torrens.* Editi cum Bec., *Caris*, aut *Cares.* Cod. Regm., *major ab amne... cares.* Hic, ut puto, designatur fluvius *Caris*, vulgo *le Cher*, qui in Ligerim delabitur.

[c] Qui supra scilicet a Mirone directi dicuntur, hic nempe Suevis in Gallicia degentibus imperabat. Hinc in indice capitum cod. Regm. dicuntur *legati Callicienses.*

[d] Hoc caput deest in Colb. et Corb. Bad. vero, *Maurilius*, et in indice capit., *De Maurilio.* Bec., *Marilius.*

[e] De hoc infra. Subscripsit Concil. Matisc. II.

[f] Regm., *Dominicis verbis.*

rus homo credatur. Ille : Cujus quis implet voluntatem, eo et minor est [a] ; semper Filius minor est Patre, quia ille facit voluntatem Patris, nec Pater illius voluntatem facere comprobatur. Ad hæc ego : Intellige quia Pater in Filio, et Filius in Patre, in una semper deitate subsistit. Nam ut cognoscas Patrem Filii facere voluntatem, si in te fides evangelica manet, audi quid ipse Jesus Deus noster, cum ad resuscitandum venit Lazarum, ait : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me : et ego sciebam quia semper me audis Sed propter turbam quæ circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti* (*Joan.* xi, 41, 42). Sed et cum ad passionem venit, ait : *Pater, clarifica me claritate quam habui apud temetipsum, priusquam mundus fieret* (*Joan.* xvii, 5). Cui Pater de cœlo respondit : *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* xii, 28). Æqualis est ergo Filius in deitate, non minor, sed neque aliquid minus habens. Nam si Deum confiteris, necesse est integrum fatearis, et nihil egentem ; si vero integrum esse negas, Deum esse non credis. Et ille : Ex assumpto homine cœpit Dei Filius vocitari ; nam erat quando non erat. Et ego : Audi David dicentem ex persona Patris : *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* cix, 3). Et Joannes evangelista ait : *In principio erat Verbum, et Verbum* **255** *erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* i, 1). Hoc ergo *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, per quem facta sunt omnia* (*Joan.* i, 14, 3). Nam vos carcari veneno persuasionis, nihil dignum de Deo sentitis. Et ille : Nunquid et Spiritum sanctum Deum dicitis, aut æqualem Patri Filioque decernitis ? Cui ego : Una in tribus est voluntas, potestas, operatio : unus Deus in trinitate, et trinus in unitate. Tres personæ, sed unum regnum, una majestas, una potentia omnipotentiaque. Et ille : Spiritus sanctus, inquit, quem æqualem Patri profertis ac Filio, utrique minor accipitur, quia et a Filio promissus, et a Patre legitur missus. Nemo enim promittit, nisi quod sua dominationi subsistit ; et nemo mittit, nisi inferiorem se, sicut ipse ait in Evangelio : *Nisi ego abiero, Paracletus ille non* [b] *veniet : si autem abiero, mittam illum ad vos* (*Joan.* xvi, 7). Ad hæc ego respondi : Bene Filius ante passionem ait, quia nisi ille ad Patrem victor remeaverit, ac proprio sanguine redempto mundo, dignum Deo ex homine præpararet habitaculum, non potest sanctus Spiritus, idem Deus, in pectore fanatico et originalis criminis labe infecto descendere. *Spiritus* enim *sanctus*, ait Salomon, *effugiet* [c] *fictum* (*Sap.* i, 5). Tu autem si spem aliquam resurrectionis habes, noli loqui adversus Spiritum sanctum, quia, juxta sententiam Domini, *In Spiritu sancto* [d] *blasphemanti non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* xii, 32). Et ille : Deus est qui mittit, non est Deus qui mittitur. Ad hæc ego interrogo, si crederet doctrinam Petri Paulique apostolorum. Respondente autem eo : Crede, adjeci : Cum argueret Petrus apostolus Ananiam pro fraude fundi, vide quid dicat : *Quid tibi visum est mentiri Spiritui sancto ? Non es enim mentitus hominibus, sed Deo* (*Act.* v, 3, 4). Et Paulus, cum gratiarum spiritualium distingueret gradus : *Hæc omnia*, inquit, *operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult* (*I Cor.* xii, 11). Qui enim quod voluerit facit, in nullius redigitur potestatem. Nam vos, ut superius dixi, nihil recte de Trinitate sancta sentitis, et quam iniqua **256** sit hujus sectæ perversitas, ipsius auctoris vestri, id est Arii, expressit interitus. Ad hæc ille respondit : Legem quam non colis, blasphemare noli ; nos vero quæ creditis, etsi non credimus, non tamen blasphemamus, quia non deputatur crimini, si et illa et illa colantur. Sic enim vulgato sermone dicimus : Non esse noxium si inter gentilium aras et Dei ecclesiam quis transiens, utraque veneretur [e]. Cujus ego stultitiam cernens, alio : Ut video, et gentilium defensorem, et hæreticorum assertorem te esse manifestas, cum et ecclesiastica dogmata maculas, et paganorum spurcitias prædicas adorari. Satius, inquio, faceres, si ea te armaret fides, quam Abraham ad ilicem, Isaac in ariete, Jacob in lapide, Moyses vidit in sente ; quam Aaron portavit in logio [f], David exsultavit in tympano, Salomon prædicavit in intellectu ; quam omnes patriarchæ, prophetæ, sive Lex ipsa vel oraculis cecinit, vel sacrificiis figuravit ; quam et nunc præsens suffragator Martinus noster, vel possedit in pectore, vel ostendit in opere, ut et tu conversus crederes inseparabilem Trinitatem, et accepta a nobis benedictione, purgatoque a malæ credulitatis veneno pectore, deleretur iniquitates tuæ. At ille furore commotus, et nescio quid quasi insanus frendens, ait : Ante anima ab hujus corporis vinculis emicet [g], quam ab ullo religionis vestræ sacerdote benedictionem accipiam. Et ego : Nec nostram Dominus religionem sive fidem ita tepescere [h] faciat, ut distribuamus Sanctum ejus canibus, ac pretiosarum margaritarum sacra porcis squalentibus exponamus. Ad hæc ille relicta altercatione surrexit, et abiit. Sed posthæc cum in Hispanias reversus fuisset, infirmitate debilitatus, ad nostram religionem necessitate cogente conversus est.

XLV. Per idem tempus Chilpericus rex scripsit indiculum, ut sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tantum Deus nominaretur : asserens indignum esse, ut Deus persona, sicut homo carneus, nominaretur ; **257** affirmans etiam ipsum esse Patrem qui est Filius ; idemque ipsum esse

[a] Corb., Bec. et Colb. c., *ejus et junior est.*
[b] Regm., *Paraclitus non.*
[c] Sic Corb., et Regm. Editi cum Bec. et Colb. c., *fugiet.*
[d] Sic Corb., Regm., Bec. et Colb. c., pro *in Spiritum sanctum.* Editi, *Spiritum sanctum blasphemanti.*
[e] Observandum ex hoc loco nullam haberi veram religionem, dimissa Ecclesiæ catholicæ fide, ut hic Arianus, qui omnes bonas agnoscens, nullam se habuisse manifestabat.
[f] Id est in rationali Pontificali, ubi λόγος, seu Dei nomen legebatur.
[g] Regm., *separetur.*
[h] Idem et Colb., *tabescere.*

Spiritum sanctum, qui Pater et Filius. Sic, inquit, prophetis ac patriarchis apparuit, sic eum ipsa Lex nuntiavit. Cumque hæc mihi recitari jussisset, ait : Sic, inquit, volo ut tu et reliqui doctores Ecclesiarum credatis. Cui ego respondi : Hac credulitate relicta, pie rex, hoc te oportet sequi quod nobis, post apostolos, alii doctores Ecclesiæ reliquerunt; quod Hilarius Eusebiusque [a] docuerunt, quod et in baptismo es confessus. Tunc iratus rex ait : Manifestum est mihi in hac causa Hilarium Eusebiumque validos inimicos haberi. Cui ego respondi : Observare te convenit, neque Deum, neque sanctos ejus habere offensos. Nam scias, quia in persona aliter Pater, aliter Filius, aliter [b] Spiritus sanctus. Non Pater assumpsit carnem, neque Spiritus sanctus, sed Filius; ut qui erat Dei Filius, ipse ad redemptionem hominis filius haberetur et virginis. Non Pater passus, neque Spiritus sanctus, sed Filius; ut qui carnem assumpserat in mundo, ipse offerretur pro mundo. De personis vero quod ais, non corporaliter, sed spiritaliter sentiendum est. In his ergo tribus personis una gloria, una æternitas, una potestas. At ille commotus ait : Sapientioribus te hæc pandam [c], qui mihi consentiant. Et ego : Nunquam erit sapiens, sed stultus, qui hæc quæ proponis sequi voluerit. Ad hæc ille frendens, **258** siluit. Non post multos vero dies adveniente Salvio Albigensi episcopo, hæc ei præcepit recenseri, deprecans ut sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens, ita respuit, ut si chartam, in qua hæc scripta tenebantur, potuisset attingere, in frusta discerperet. Et sic rex ab hac intentione quievit. Scripsit alios libros idem rex versibus, quasi Sedulium secutus; sed versiculi illi nulli penitus metricæ conveniunt rationi [d]. Addidit autem et litteras litteris nostris, id est ω, sicut Græci habent, ae, the, uui, quarum characteres subscripsimus. Hi sunt ω ψ z Δ [e]. Et misit epistolas in universas civitates regni sui, ut sic pueri docerentur, ac libri antiquitus scripti, planati pumice rescriberentur.

XLVI. Agrœcula [f] autem Cabillonensis episcopus hoc obiit tempore; fuitque homo valde elegans ac prudens, genere senatorio. Multa in civitate illa ædificia fecit, domos composuit, ecclesiam fabricavit, quam [g] columnis fulcivit, variavit marmore, musivo depinxit. Magnæ autem abstinentiæ fuit, nam nunquam prandio usus est, nisi tantum cœna; ad quam sic temporive residebat, ut sole stante consurgeret. Humanitatis [*l.* staturæ] exiguæ, facundiæ vero magnæ erat. Obiit autem episcopatus anno quadragesimo octavo, ævi autem octogesimo tertio [h]; cui Flavius referendarius Guntchramni regis successit.

XLVII. Eo [i] tempore et Dalmatius **259** Rutheneæ civitatis episcopus, migravit a sæculo, vir in omni sanctitate præcelsus abstinens vel [*l.* et] a cibis, vel a concupiscentiis carnis; valde eleemosynarius, et cunctis humanus, in oratione et vigiliis satis stabilis. Ecclesiam construxit, sed dum eam ad emendationem sæpius destruxit, incompositam dereliquit. Post cujus obitum multi, ut fit, episcopatum expetunt. Transobadus [j] vero presbyter, qui quondam archidiaconus ejus fuerat, maxime in hoc intendebat, fidus quod filium suum cum Gogone, qui tunc regis erat nutritius, commendaverat. Condiderat autem episcopus testamentum, in quo regis exenium [k], qui post ejus obitum acciperet, indicabat, adjurans tor-

[a] Scilicet Vercellensis episcopus, qui cum Hilario Pictavensi egregie contra hæreticos sanctæ Trinitatis impugnatores decertavit. Porro hic Chilpericus Sabellii falsa dogmata renovabat.

[b] Sic Corb., Bec., Colb. c. et vet. ed. Ita et Colb. à. habebat, sed aliquis sabtus litteram *i* apicem apposuit, ut conficeret, *alter Pater, alter Filius, alter Spiritus sanctus.* Quæ lectio est Regm. et Chesnii.

[c] Regm., *hæc pandere decrevi.*

[d] Corb., *nulla penitus metricæ conveniunt ratione.* Chilperici eloquentiam et in litteras propensionem laudat Fortunatus lib. IX, carm. 1. Nihil de ejus operibus superest, præter aliquot versus in honorem sancti Germani Parisiensis episcopi, quos Almoinus refert. Eos tamen a Fortunato compositos putat Brouverus, nec alii tantæ antiquitatis esse putant. Sedulius sub Theodosio Romæ claruit, quem poetæ Christiani imitari studuerunt. Vide Bedam lib. V Hist., cap. 19.

[e] Hos characteres, prout in cod. Corb. omnium antiquissimo habentur, repræsentavimus. In Colb., ω *o.* Ψ *ae.* y, quæ per medium lineola transversa secatur, z. Δ *uui.* Regm., o *u.* y *the.* z. *y uui.* Bec., Θ *cec.* Ψ *ae.* z *the*, et post litteras incognitas *rui.* Idem Gregorii caput in veteri canonum et professionum fidei collectione, ex cod. Colbertino ab annis circiter 800 scripto, habetur, ubi eædem litteræ eodem fere modo ac in cod. Corb. exaratæ sunt, nisi quod ultima littera sit *a*, *uui.* Hos characteres plerique editi per litteras græcas expresserunt ω, seu O Ψ Z Ш. In Aimoini edit. in lib III, cap. 41, χ ch. θ th. φ ph.; ubi codex S. Germani a Pratis ab ann. circiter 460 scriptus habet Ψ *ae.* T *the.* am *u.* Cæterum hæ litteræ eamdem fortunam expertæ sunt, atque illæ, quæ olim a Claudio imp. adinventæ fuerant, id est simul cum suo auctore perierunt.

[f] Hoc caput deest in Corb. et Colb.

[g] Regm., *quam vario ornatu decoravit. Hic magnæ fuit abstinentiæ, ita ut nunquam in die ederet, nisi semel, et hoc cœna vocabatur, in qua sic tempore veris sedebat*, etc. Forte pro *temporive*, legendum est *temporius*, ut habent codd. scripti in Regula S. Benedicti, cap. 11. Musivum autem, de quo hic et passim Gregorius, est opus tessellis ita contextum, ut varias figuras repræsentet, quod apud veteres in magno fuit pretio, nostris dicitur *ouvrage à la mosaïque.* De his egregium volumen Romæ edidit vir illust. Joannes Ciampinus. Vide et Bergerium lib. II de Viis publicis imperii.

[h] Ejus festum celebrat martyrol. Rom. die 17 Martii. Interfuit concil. Aurelian. III, IV et V, Arvernensi II, Paris. II et Lugdun. III. Vide lib. de Glor. Conf. cap. 85 et 86, et Bolland. ad. 17 Mart. Agricolam laudat Fortunat. lib. III, carm. 22, quod tamen de Agricola Nivernensi episcopo intelligit Cointius.

[i] Hoc caput deest in Corb. et Colb. Dalmatius subscripsit concil. Arvern. an. 535, et Aurelian. IV, an. 541, memoratur in Martyrol. Gallicano 13 Novembris.

[j] Regm. et Bec., *Transobaldus.. fisus.. cum Gorgone.* De Gogone vide lib. VI, cap. 1.

[k] Sic iidem codd. cum. Bad., et quidem recte; cæteri vero *regi Sexenium.* Non enim episcopus Sexenium sibi successorem delegerat, sed indicavit conditiones, quibus ille episcopatus, quem *exenium*, seu *xenium regis* appellat, conferri deberet.

ribilibus sacramentis, ut in ecclesia illa non ordinaretur extraneus, non cupidus, non conjugali vinculo nexus, sed ab his omnibus expeditus, qui in solis tantum dominicis laudibus degebat, substitueretur. Transobadus autem presbyter epulum in ipsa urbe clericis præparat. Residentibus autem illis, unus presbyterorum cœpit antistitem memoratum impudicis blasphemare [a] sermonibus; et usque ad hoc erupit, ut eum delirum et fatuum nominaret. Hæc eo dicente, pincerna poculum oblaturus advenit. At ille acceptum dum ori proximat, tremere cœpit, laxatoque de manu calice, super illum [*Al.* alium], qui sibi erat proximus, caput reclinans, reddidit spiritum, ablatusque ab epulo ad sepulcrum, humo contectus est. Posthæc relecto testamento antistitis in præsentia Childeberti regis ac procerum ejus, Theodosius [b], qui tunc archidiaconatu urbis illius potiebatur, episcopus ordinatus est.

XLVIII. Audiens [c] autem Chilpericus omnia mala quæ faciebat Leudastes ecclesiis Turonicis, et omni **260** populo, Ansoaldum [d] illuc dirigit: qui veniens ad festivitatem sancti Martini, data nobis et populo optione, Eunomius in comitatum erigitur. Denique Leudastes cernens se remotum, ad Chilpericum dirigit, dicens: Usque nunc, o piissime rex, custodivi civitatem Turonicam; nunc autem me ab actione remoto, vide qualiter custodiatur. Nam noveris quia Gregorius episcopus eam ad filium Sigiberti tradere destinat. Quod audiens rex, ait: Nequaquam, sed quia remotus es, ideo hæc apponis. Et ille: Majora, inquit, de te ait episcopus. Dicit enim reginam tuam in adulterio cum episcopo Bertchramno misceri. Tunc iratus rex, cæsum pugnis et calcibus, oneratum ferro recludi præcepit in carcere.

XLIX. Sed [e] quia liber finem postulat, narrare aliqua de ejus actionibus libet; sed prius videtur genus ac patriam, moresque ordiri. Cracina [f] Pictavensis insula vocitatur, in qua a fiscalis vinitoris [g] servo, Leocadio nomine, nascitur. Exinde ad servitium arcessitus, culinæ regiæ deputatur. Sed quia lippis erat in adolescentia oculis, quibus fumi acerbitas non congruebat, amotus a pistillo promovetur ad cophinum [h]. Sed dum inter fermentatas massas se delectari consimulat, servitium fugam iniens derelinquit. Cumque bis aut tertio reductus a fugæ lapsu teneri non posset, auris unius incisione mulctatur. Dehinc cum notam inflictam corpori occulere nulla auctoritate valeret, ad Marcovefam reginam, quam Charibertus rex nimium diligens in loco sororis toro asciverat, fugit. Quæ libenter eum colligens, provocat [i], equorumque meliorum deputat esse custodem. Hinc jam obsessus vanitate, ac superbiæ deditus, comitatum ambit stabulorum [j]. Quo accepto, cunctos despicit ac postponit; inflatur **261** vanitate, luxuriâ dissolvitur, cupiditate succenditur, et in causis patronæ alumnus proprius huc illucque defertur. Cujus post obitum refertus prædis, locum ipsum cum rege Chariberto oblatis muneribus tenere cœpit. Posthæc, peccatis populi ingruentibus, comes Turonis destinatur, ibique se amplius honoris gloriosi supercilio jactat; ibi se exhibet rapacem prædis, turgidum rixis, adulteriis lutulentum: ubi seminando discordias, et inferendo calumnias, non modicos thesauros aggregavit. Post obitum vero Chariberti cum in Sigiberti sortem civitas illa venisset, transeunte eo ad Chilpericum, omnia quæ inique aggregaverat, a fidelibus nominati regis direpta sunt. Pervadente igitur Chilperico rege per Theodobertum filium urbem Turonicam, cum jam ego Turonis advenissem, mihi a Theodoberto strenue commendatur, ut scilicet comitatu quem prius habuerat potiretur. Multum se nobis humilem subditumque reddebat, jurans sæpius super sepulcrum sancti antistitis, nunquam se contra rationis ordinem esse venturum, seque mihi, tam in causis propriis, quam in Ecclesiæ necessitatibus, in omnibus esse fidelem. Timebat enim, quod postea evenit, ne urbem illam iterum rex Sigibertus in suum dominium revocaret. Quo defuncto, succedente iterum Chilperico in regnum, iste in comitatum accedit. Advenienti autem Turonis Merovecho, omnes res ejus usquequaque diripuit. Sed dum Sigibertus duos annos Turonis tenuit, hic in Britanniis latuit. Qui assumpto, ut diximus, comitatu, in tali levitate elatus est, ut in domo ecclesiæ cum thoracibus atque loricis, præcinctus pharetra et contum manu gerens, capite galeato ingrederetur, de nullo securus, quia omnibus erat adversus [k]. Jam si in judicio cum senioribus, vel laicis, vel clericis resedisset, et vidisset hominem justitiam prosequentem, protinus agebatur in furias, ructabat convicia in cives; presbyteros manicis jubebat extrahi, milites fustibus verberari; tantaque utebatur crudelitate, ut vix referri [l] possit. Discedente **262** autem Merovecho, qui res ejus diripuerat, nobis calumniator existit, asserens fallaciter Merovechum nostro usum

[a] Hinc nata vox nostra Gallica *blâmer*, quæ hic est et sæpe alias, apud Gregorium, hujus vocis significatio.

[b] Regm., *Theodus*. De hoc et aliis hic memoratis lib. VI, cap 38.

[c] Deest hoc caput in Corb.

[d] Regm., *Ansoaldum*.

[e] Hoc caput, quod in plerisque codd. a præcedente non distinguitur, deest in Corb. et Colb.

[f] Regm. et Bad., *Gracina*. Alteserra legendum esse censet *Eracina*, quo nomine designaretur Radina insula, *l'île de Ré* ut scripsit Papirius Massonus in descriptione fluviorum. Hinc Valesius mallet legi *Cratina* aut *Ratina*. Olim dicebatur *Herus* seu *Herio* insula, quæ oræ Pictavensi adjacet.

[g] Bad., *a fiscalis multoris*. Regm., *fiscalis vineto servo*.

[h] Id est, e coquo fit pistor.

[i] Id est, promovet, ut ex aliis Gregorii locis patet.

[j] Comes stabuli equorum principis curam habebat, quæ dignitas postea militaris facta, multum accrevit. Ejus munia et incrementa fuse exponit Cangius in Glossario, quod consulere neminem unquam pœnitebit.

[k] Regm., *contrarius. Nam.*

[l] Idem codex, *vix ferre possit.*

consilio, ut res ejus auferret. Sed post illata damna, iterat iterum sacramenta, pallamque [a] sepulcri beati Martini fidejussorem donat, se nobis nunquam adversaturum.

L. Sed [b] quoniam longum est per ordinem prosequi perjuria vel reliqua mala ejus, veniamus ad illud, qualiter me voluit iniquis ac nefariis calumniis supplantare, vel qualiter in eum ultio divina descendit, ut illud adimpleretur : *Omnis supplantans supplantabitur* (*Jerem.* IX, 4); et iterum, *Qui fodit foveam, incidet in eam* (*Prov.* XXVI, 27). Igitur post multa mala quæ in me meosque intulit, post multas direptiones rerum ecclesiasticarum, adjuncto sibi Riculfo presbytero, simili malitia perverso, ad hoc erupit ut diceret me crimen in Fredegundem reginam dixisse : asserens si archidiaconus meus Plato, aut Gallienus [c] amicus noster, subderentur pœnæ, convincerent me utique hæc locutum. Tunc rex iratus, ut supra diximus (*cap.* 48), jussit eum pugnis calcibusque cæsum, oneratum catenis recludi in carcerem. Nam Riculfum clericum [d] se habere dicebat, per quem hæc locutus fuisset. Hic vero Riculfus subdiaconus, simili levitate perfacilis, ante hunc annum [e] consilio cum Leudaste de hac causa habito, causas offensionis requirit, quibus scilicet me offenso ad Leudastem transiret; nactusque tandem ipsum adivit, ac per menses quatuor dolis omnibus ac muscipulis præparatis, ad me cum ipso Leudaste revertitur, deprecans ut eum debeam recipere excusatum. Feci, fateor, et occultum hostem publice in domum suscepi. Discedente vero Leudaste, ipse se pedibus meis sternit, dicens : Nisi succurras velociter, periturus sum. Ecce, instigante Leudaste, locutus sum quod loqui non debui. Nunc vero aliis me regnis emitte; quod nisi feceris, a regalibus comprehensus, mortales pœnas sum luiturus. Cui ego aio : Si quid incongruum rationi effatus es, sermo tuus in caput tuum erit; nam ego alteri **263** te regno non mittam, ne suspectus habear coram rege. Post ista Leudastes exstitit accusator ejus, dicens se sermones jam dictos a Riculfo audisse subdiacono. At ille iterum vinctus, relaxato Leudaste, custodiæ deputatur, dicens Gallienum eadem die et Platonem archidiaconem [f] fuisse præsentes, cum hæc est episcopus elocutus. Sed Riculfus presbyter, qui jam promissionem de episcopatu a Leudaste habebat, in tantum elatus fuerat, ut Magi Simonis superbiæ æquaretur. Qui tertio aut eo amplius mihi sacramentum super sepulcrum sancti Martini dederat, in die sexta Paschæ in tantum me conviciis et sputis egit, ut vix manibus temperaret, fidus scilicet doli quem præparaverat. In crastina autem die, id est sabbati in ipso Pascha, venit Leudastes in urbem Turonicam, assimulansque aliud negotium agere, apprehensos Platonem archidiaconem et Gallienum in vincula connectit; catenatosque ac exutos veste jubet eos ad reginam deduci. Hæc ego audiens, dum in domo ecclesiæ residerem mœstus, turbatusque ingressus oratorium, Davidici carminis sumo librum, ut scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret. In quo ita repertum est : *Eduxit eos in spe, et non timuerunt : et inimicos eorum operuit mare* (*Psalm.* LXXVII, 53). Interea ingressi in fluvium super pontem qui duabus lintribus tenebatur, navis illa, quæ Leudastem vehebat, demergitur, et nisi nandi fuisset adminiculo liberatus, cum sociis forsitan interisset. Navis vero alia, quæ huic innexa erat, quæ et vinctos vehebat, super aquas, Dei auxilio, elevatur. Igitur deducti ad regem qui vincti fuerant, incusantur instanter, ut capitali sententia finirentur. Sed rex recogitans, absolutos a vinculo in libera custodia [g] reservat illæsos. Ad civitatem vero Turonicam Berulfus dux [h] cum Eunomio comite fabulam fingit, quod Guntchramnus rex capere vellet Turonicam civitatem; et ideirco ne aliqua negligentia accederet : **264** Oportet, ait, urbem custodia consignari. Ponunt portis dolose custodes, qui civitatem tueri assimulantes, me utique custodirent. Mittunt etiam qui mihi consilium ministrarent, ut occulte assumptis melioribus rebus ecclesiæ, Arvernum fuga secederem : sed non acquievi. Igitur rex arcessitis regni sui episcopis, causam diligenter jussit exquiri. Cumque Riculfus clericus sæpius discuteretur occulte, et contra me vel meos multas fallacias promulgaret, Modestus quidam faber lignarius ait ad eum : O infelix, qui contra episcopum tuum tam contumaciter ista meditaris! Satius tibi erat silere, et petita venia episcopi gratiam impetrares. Ad hæc ille clamare cœpit voce magna, ac dicere : En ipsum, qui mihi silentium indicit, ne prosequar veritatem; en reginæ inimicum, qui causam criminis ejus non sinit inquiri. Nuntiantur protinus hæc reginæ. Apprehenditur Modestus, torquetur, flagellatur; et in vincula compactus custodiæ deputatur. Cumque inter duos custodes catenis et in cippo teneretur vinctus, media nocte dormientibus custodibus, orationem fudit ad Dominum, ut dignaretur ejus potentia miserum visitare; et qui innocens colligatus fuerat, visitatione

[a] Id est tapetem, quo beati antistitis sepulcrum tegebatur, quæ vox frequenter apud Gregorium occurrit.

[b] Hoc caput deest in Corb. et Colb.

[c] Cod. Regin., *Ioislenus;* infra tamen in eod. codice dicitur *Gallienus.*

[d] Regm., *presbyterum.*

[e] Bad., *ante hoc anno,* mutatione casuum Gregorio familiari.

[f] Sic Regm.; Bad., *archidiaconum:* cæteri cum Fec., *archidiaconos.* Gallienus tamen supra non dicitur archidiaconus; unde ex hoc loco inferre non licet plures in ecclesia Turonensi archidiaconos tunc exstitisse. Archidiaconos memorat S. Remigius in epist. ad Falconem. Plato postea fuit episcopus Pictavensis, de quo ad lib. IV de Mirac. S. Martini, cap. 32.

[g] Libera custodia dici solebat, cum reus non in carcere, sed magistratui custodiendus committebatur, aut certe quando mitius agebatur cum eo.

[h] De Berulfo adhuc comite Fortunatus lib. VII, carm. 15.

Martini præsulis ac Medardi absolveretur. Mox disruptis vinculis, confracto cippo, reserato ostio, sancti Medardi basilicam nocte nobis vigilantibus introivit [a]. Congregati igitur apud Brennacum villam episcopi, in unam domum residere jussi sumus. Dehinc advenientе rege, data omnibus salutatione, ac benedictione accepta, resedit. Tunc Bertchramnus Burdegalensis civitatis episcopus, cui hoc cum regina crimen impactum fuerat, causam proponit, neque interpellat, dicens a me sibi ac reginæ crimen objectum. Negavi ego in veritate me hæc locutum; et audisse quidem hæc alios, me non excogitasse. Nam extra domum rumor in populo magnus erat, dicentium : Cur hæc super sacerdotem Dei objiciuntur? cur talia rex **265** prosequitur? nunquid potuit episcopus talia dicere vel de servo? Heu, heu! Domine Deus, largire auxilium servo tuo! Rex autem dicebat : Crimen uxoris meæ, meum habetur opprobrium. Si ergo censetis, ut super episcopum testes adhibeantur, ecce adsunt. Certe si videtur ut hæc non fiant, et in fidem episcopi committantur, dicite : libenter audiam quæ jubetis. Mirati sunt omnes regis prudentiam vel patientiam simul. Tunc cunctis dicentibus : Non potest persona inferior super sacerdotem credi, restitit ad hoc causa, ut dictis Missis, in tribus altaribus me de his verbis exuerem sacramento [b]. Et licet canonibus essent contraria, pro causa tamen regis impleta sunt. Sed nec hoc sileo, quod Rigunthis [c] regina condolens doloribus meis, jejunium cum omni domo sua celebravit, quousque puer nuntiaret me omnia sic implesse, ut fuerant instituta. Igitur regressi sacerdotes ad regem, aiunt : Impleta sunt omnia ab episcopo quæ imperata sunt, o rex. Quid nunc ad te, nisi ut cum Bertchramno accusatore fratris, communione priveris? Et ille : Non, inquit, ego nisi audita narravi. Quærentibus illis, quis hæc dixerit? respondit se hæc a Leudaste audisse. Ille autem secundum infirmitatem vel consilii, vel propositionis suæ, jam fugam inierat. Tunc placuit omnibus sacerdotibus, ut sator scandali, inficiator reginæ, accusator episcopi, ab omnibus arceretur ecclesiis, eo quod se ab audientia subtraxisset. Unde et epistolam subscriptam aliis episcopis qui non adfuerant transmiserunt. Et sic unusquisque in locum suum regressus est. Leudastes vero hæc audiens, basilicam sancti Petri Parisios expetiit. Sed cum audisset edictum regis, ut in suo regno a nullo colligeretur; et præsertim quod filius ejus, quem domi reliquerat, obiisset, Turonis occulte **266** veniens, quæ optima habuit in Biturico transposuit. Prosequentibus vero regalibus pueris, ipse per fugam labitur. Capta quoque uxor ejus in pagum Tornacensem exsilio retruditur. At Riculfus clericus ad interficiendum deputatur, pro cujus vita vix obtinui : tamen de tormentis excusare non potui. Nam nulla res, nullum metallum tanta verbera potuit sustinere, sicut hic miserrimus. Ab hora tertia diei, revinctis post tergum manibus, suspensus ad arborem dependebat; ad horam vero nonam depositus, extensus ad trocleas cædebatur fustibus, virgis, ac loris duplicibus, et non ab uno vel duobus, sed quot accedere circa miseros potuissent artus, tot carnifices erant. Cum autem jam in discrimine esset, tunc aperuit veritatem, et arcana doli publice patefecit. Dicebat enim ob hoc reginæ crimen objectum, ut ejecta de regno, interfectis fratribus, a patre [d] Chlodovechus regnum acciperet, Leudastes ducatum, Riculfus vero presbyter, qui jam a tempore beati Eufronii episcopi amicus erat Chlodovechi, episcopatum Turonicum ambiret, huic Riculfo clerico archidiaconatu promisso. Nos vero, cum Dei gratia Turonis reversi, invenimus ecclesiam conturbatam per Riculfum presbyterum; nam hic sub Eufronio episcopo de pauperibus provocatus, archidiaconus ordinatus est. Exinde ad presbyterium admotus, recessit ad propria, semper elatus, inflatus, præsumptuosus [e] : nam me adhuc commorante cum rege, hic, quasi jam esset episcopus, in domum ecclesiæ ingreditur impudenter, argentum describit ecclesiæ, reliquasque res sub suam redigit potestatem. Majores clericos muneribus ditat, largitur vineas, prata distribuit; minores vero fustibus, plagisque multis, etiam manu propria affecit, dicens : Recognoscite dominum vestrum, qui victoriam **267** de inimicis obtinuit, cujus ingenium Turonicam urbem ab Arvernis populis emundavit [f]; ignorans miser, quod præter quinque episcopos, reliqui omnes qui sacerdotium Turonicum susceperunt, parentum nostrorum prosapiæ sunt conjuncti. Illud sæpe suis familiaribus dicere erat solitus, quod hominem prudentem non aliter, nisi in perjuriis, quis decipere possit. Sed cum me reversum

[a] Id itaque apud Suessionas contigit, a qua urbe Brennacum tribus circiter leucis distat. Fortunatus carmen 1 libri IX cecinit in Chilperici laudem, eo ipso tempore quo habita fuit hæc synodus Brennacensis.

[b] Ex hoc loco nonnulli colligunt Gregorium ter missam una die celebrasse, quem tamen alii ita interpretantur, ut Gregorius sese post celebratam missam, sacramento ad tria altaria de sua innocentia præstito, a crimine impacto exuerit. Id autem fecit Gregorius, quod non deceret subdiaconum, seu minorem clericum adversus episcopum in testem recipi. Laici vero ad accusandos episcopos nequaquam admittebantur ex Canonum præscripto.

[c] Hæc erat Rigunthis Chilperici et Fredegundis filia, de qua Gregorius passim agit. Dicitur *regina* pro illorum temporum more, quibus filiæ regum reginæ appellabantur. Quin et vetus poeta sub Alcuini nomine notus, Caroli M. venationem describens, ejusdem regis filias coronas in capite gestasse scribit.

[d] Sic Regm. Nec aliud volebat Chlodoveus, quam Fredegundem novercam e regno pellere : sicque jam interfectis fratribus suis, Theodeberto et Meroveo, regnum fuisset adeptus. Editi vero cum Becc. habent *interfectis fratribus et patre*, quasi patrem suum interficere cogitasset, quod parum verisimile est. Si enim Chilpericus fuisset interemptus, Chlodoveus frustra de Fredegunde pellenda deliberasset, cum jam ipse fuisset omnium dominus, eamque pro libitu pepulisset.

[e] Regm., *semper idem in superbia, plenus omni nequitia. Nam.*

[f] Ed. Chesn., *emendavit*. Gregorius quippe erat Arvernus.

adhuc despiceret, nec ad salutationem meam, sicut reliqui cives fecerant, adveniret, sed magis me interficere minitaretur, cum consilio comprovincialium eum in monasterium removeri præcipio. Cumque ibidem arctius distringeretur, intercedentibus Felicis episcopi missis, qui memoratæ causæ fautor exstiterat, circumvento perjuriis abbate, fuga elabitur, et usque ad Felicem accedit episcopum eumque ille ambienter colligit, quem exsecrari debuerat. Leudastes vero in Bituricum pergens, omnes thesauros quos de spoliis pauperum detraxerat, secum tulit. Nec multo post irruentibus Bituricis cum judice loci super eum, omne aurum argentumque, vel quod secum detulerat, abstulerunt, nihil ei nisi quod super se habuit relinquentes, ipsamque abstulissent vitam, nisi fuga fuisset elapsus. Resumptis dehinc viribus, cum aliquibus Turonicis iterum irruit super prædones suos : interfectoque uno, aliqua de rebus ipsis recepit, et in Turonicum revertitur. Audiens hæc Berulfus dux, misit pueros suos cum armorum apparatu ad comprehendendum eum. Ille vero cernens se jam jamque capi, relictis rebus, basilicam sancti Hilarii Pictavensis expetiit. Berulfus vero dux res captas regi transmisit. Leudastes enim egrediebatur **268** de basilica, et irruens in domos diversorum, prædas publicas exercebat. Sed et in adulteriis sæpe infra ipsam sanctam porticum [a] deprehensus est. Commota autem regina, quod scilicet locus Deo sacratus taliter pollueretur, jussit eum a basilica sancti ejici. Qui ejectus, ad hospites suos iterum in Bituricum expetit, deprecans se occulí ab eis [b].

LI. Et licet de beati Salvii episcopi collocutione superius (*Cap.* 45) memorare debueram, sed quia mente excessit, esse sacrilegum non arbitror, si in posterum scribatur. Igitur cum vale post synodum memoratam regi jam dicto, ad propria redire vellemus, non ante discedere placuit, nisi hunc virum Rabatis osculis linqueremus. Quem quæsitum in atrio Brinnacensis domus reperi. Cui dixi, quia jam eram ad propria rediturus. Tunc remoti paululum, dum hinc inde sermocinaremur, ait mihi : Videsne super hoc tectum quæ ego suspicio ? Cui ego : Video enim supertegulum, quod nuper rex poni præcepit. Et ille : Aliud, inquit, non aspicis? Cui ego : Nihil aliud, inquam, video. Suspicabar enim quod aliquid joculariter loqueretur. Et adjeci : Si tu aliquid magis cernis, enarra. At ille alta trahens suspiria, ait : Video ego evaginatum iræ divinæ gladium super domum hanc dependentem. Verumtamen non fefellit dictio sacerdotem; nam post dies viginti, duo filii regis, quos superius (*Cap.* 35) mortuos scripsimus, obierunt.

Explicitus est liber quintus, finitus in anno quinto Childeberti regis.

269-270. INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEXTI.

Incipit liber sextus, incheatus ab anno sexto ejusdem Childeberti.

I. Quod Childebertus ad Chilpericum transiit ; et de fuga Mummoli.
II. De legatis Chilperici ab Oriente reversis.
III. De legatis Childeberti ad Chilpericum.
IV. Qualiter Lupus a regno Childeberti fugatus est.
V. Altercatio cum Judæo.
VI. De sancto Hospitio reclauso, et abstinentia vel miraculis ejus.
VII. De transitu Ferreoli Ucecensis episcopi.
VIII. De Eparchio reclauso Egolismensis urbis.
IX. De Domnolo Cenomannorum episcopo.
X. De basilica sancti Martini effracta.
XI. De Theodoro episcopo, et Dynamio.
XII. De exercitu contra Bituricas commoto.
XIII. de Lupo et Ambrosio Turonicis civibus interfectis.
XIV. De portentis quæ apparuerunt.
XV. De obitu Felicis episcopi.
XVI. Quod Pappolenus uxorem suam recepit.
XVII. De Judæis per Chilpericum regem conversis.
XVIII. De legatis Chilperici ab Hispania reversis.
XIX. De hominibus Chilperici apud Urbiam fluviam.
XX. De obitu Chrodini ducis.
XXI. De signis ostensis.
XXII. De Cartherio episcopo.
XXIII. Quod Chilperico regi filius natus est.
XXIV. De insidiis Theodori episcopi, et de Gundovaldo.
XXV. De signis et prodigiis circa ea tempora visis.
XXVI. De Gunthramno duce, et Mummolo.
XXVII. Quod Chilpericus rex est Parisios ingressus.
XXVIII. De Marco referendario.
XXIX. De puellis monasterii Pictavensis, seu, De virtutibus quæ in monasterio dominæ Radegundis factæ sunt.
XXX. De obitu Tiberii imperatoris.
XXXI. De multis malis, quæ Chilpericus rex in civitatibus fratris sui fieri jussit, vel ipse fecit
XXXII. De interitu Leudastis.
XXXIII. De locustis, morbis, prodigiisque.

[a] Regm., *in ipsa basilica ante porticum.*
[b] Qua tandem latebræ misere perierit, vide libro seq., cap. 32.

XXXIV. De obitu filii Chilperici, quem Theodoricum vocavit.
XXXV. De interitu Mummoli præfecti, et mulieribus interfectis.
XXXVI. De Ætherio episcopo, et de clerici cujusdam libidine.
XXXVII. De nece Lupentii abbatis Gaballitani.
XXXVIII. De obitu Theodosii episcopi, et successore ejus.
XXXIX. De obitu Remigii Biturigum episcopi; et de incendio urbis, et successione Sulpicii.
XL. De altercatione nostra cum hæretico.
XLI. Quod Chilpericus rex cum thesauris suis in Camaracensem abiit.
XLII. Quod Childebertus in Italiam abiit.
XLIII. De Gallicianensibus regibus.
XLIV. De diversis signis.
XLV. De nuptiis Rigunthæ filiæ Chilperici.
XLVI. De interitu Chilperici regis.

LIBER SEXTUS.

271 I. Anno igitur sexto regni sui, Childebertus rex, rejecta pace Guntchramni regis, cum Chilperico conjunctus est. Non post multum tempus Gogo moritur [a], in cujus locum Wandelinus subrogatur. Mummolus a regno Guntchramni fuga dilabitur, et se infra murorum Avennicorum munitionem concludit. Apud Lugdunum synodus episcoporum conjungitur [b], diversarum causarum altercationes incidens, negligentioresque judicio damnans. Synodus ad regem revertitur, multa de fuga Mummoli ducis, nonnulla de discordiis tractans.

II. Interea legati Chilperici regis, qui ante triennium ad Tiberium imperatorem abierant, regressi sunt non sine gravi damno atque labore. **272** Nam cum Massiliensem portum propter regum discordias adire ausi non essent, Agathæ [c] urbem, quæ in Gotthorum regno sita est, advenerunt. Sed priusquam littus attingerent, navis acta vento, impulsa terris in frusta minuitur. Legati vero cum pueris se in periculo cernentes, arreptis tabulis vix ripæ relati sunt, multis puerorum amissis; sed plurimi evaserunt. Res autem quas undæ littori invexerant, incolæ rapuerunt, ex quibus quod melius fuit recipientes, ad Chilpericum regem retulerunt. Multa tamen ex his Agathenses secum retinuerunt. Tunc ego Novigentum villam [d] ad occursum regis abieram; ibique nobis rex missorium [e] magnum, quod ex auro gemmisque fabricaverat in quinquaginta librarum pondere, ostendit, dicens: Ego hæc ad exornandam atque A nobilitandam **273** Francorum gentem feci. Sed et plurima adhuc, si vita comes fuerit, faciam. Aureos etiam singularum librarum pondere, quos imperator misit, ostendit, habentes ab una parte iconem imperatoris pictam, et scriptum in circulo: TIBERII. CONSTANTINI. PERPETUI. AUGUSTI. Ab alia vero parte habentes quadrigam et ascensorem, continentesque scriptum: GLORIA. ROMANORUM. Multa autem et alia ornamenta, quæ a legatis sunt exhibita, ostendit [f].

III. Denique cum apud eamdem villam commoraretur, Egidius Rhemensis episcopus cum primis Childeberti proceribus in legationem ad Chilpericum regem venit, ibique collocutione facta, ut ablato Guntchramni regis regno, hi se conjungere debeant in pace, ait Chilpericus rex: Filii mihi, peccatis increB scentibus, non remanserunt, nec mihi nunc alius superest hæres, nisi fratris mei Sigiberti filius, id est Childebertus rex: ideoque in omnibus quæ laborare potuero, hic hæres existat. Tantum dum advixero, liceat mihi sine scrupulo aut disceptatione cuncta tenere. At illi gratias agentes, pactionibus subscriptis, ea quæ locuti fuerant firmaverunt, et ad Childebertum cum magnis muneribus sunt regressi. Quibus discedentibus, Chilpericus rex Leudovaldum [g] episcopum cum primis regni sui direxit. Qui dato susceptoque sacramento [h], pactionibusque firmatis, muneratí regressí sunt.

IV. Lupus vero dux Campanensis [i], cum jamdiu ab adversis fatigaretur et spoliaretur assidue, et

[a] Is est qui lib. v, cap. 47, dicitur nutritius regis. Et quidem lib. VIII, cap. 22, *Vandelinus nutritor regis* obiisse memoratur. Vide et epistolam Chamingi ducis ad eumdem Gogonem a Frehero editam. Litterarum studiis fuisse deditum patet ex ipsiusmet epistola ad Trasericum, qui et alias scripsit ab eodem Frehero et Chesnio editas. Brunechildem in Gallias adduxit, ut ex Fortunato patet, qui de ejusdem laudibus quatuor priora libri VII carmina edidit.

[b] Ea est Lugdunensis III, ut videtur, licet anno Guntramni 22 congregata dicatur in inscriptione, id est anno 583, Childeberti octavo. In ea condita sunt canones sex, qui in collectionibus Concil. habentur. Mummoli fugam hoc ipso anno 581 memorat Marius.

[c] Sic Corb. et Colb. Alii vero *Agathen*. Urbs est episcopalis notissima, vulgo *Agde*, sub Narbone metropoli, in Septimania.

[d] Complures sunt hujus nominis villæ regiæ, quæ vulgo *Nogent* appellantur. Ex cap. 5 patet hic Gre- C gorium loqui de una quæ in agro Parisiensi erat; proindeque, aut de illa quæ ad Sequanam sita est infra Parisios, hodie *Saint-Cloud*, aut de ea quæ supra eamdem urbem prope confluentes Matronæ in Sequanam, Vicennis vicina, hodieque *Nogent* dicta.

[e] Missorium vocabant pelvim seu discum. Aliqui eo nomine concham designatam volunt, nonnulli abacum cum omni supellectile.

[f] Vide Paul Diac. lib. III Hist. Lang., cap. 13.

[g] Corb., *Leodoaldum*, Bajocensem, ut videtur, de quo infra lib. IX, cap. 13, aut Abrincensem, qui tunc quoque vivebat.

[h] Alii codd., excepto Corb., habent *susceptoque de pace sacramento*.

[i] Regm., *Campaniensis*, et Bad., *Campaniæ*, quæ omnia eamdem provinciam designant notissimam. Et infra pro *adversis*, quæ lectio est Corb. et Colb., habent *diversis*.

præsertim ab Ursione et Berteſredo [a], ad extremum conventione facta ut occideretur, commoverunt exercitum contra eum. Quod cernens Brunichildis regina, condolens fidelis sui insecutiones injustas, præcingens se viriliter, irrupit medios hostium cuneos, dicens : Nolite, o viri, nolite malum hoc facere, **274** nolite persequi innocentem ; nolite pro uno homine committere prælium, quo solatium regionis intereat. Hæc illa loquente, respondit Ursio : Recede a nobis, o mulier. Sufficiat tibi sub viro tenuisse regnum. Nunc autem filius tuus regnat, regnumque ejus non tua, sed nostra tuitione salvatur. Tu vero recede a nobis, ne te ungulæ equorum nostrorum cum terra confodiant. Hæc et alia cum diutissime inter se protulissent, obtinuit reginæ industria ne pugnarent. Tamen ab illo loco discedentes, irruerunt in domos Lupi et direpto omni præsidio [b], fingentes se illud in thesauro regis recondere, suis eum domibus intulerunt, intendentes Lupo minas, atque dicentes : Vivus virtutem nostram non evadet. At ille cernens se in discrimine, tutata infra urbis Lugduni Clavati [c] muros conjuge sua, ad Guntchramnum regem confugit. A quo benigne susceptus cum eo latuit, exspectans ut Childebertus ad legitimam perveniret ætatem.

V. Igitur Chilpericus rex, cum adhuc apud supradictam villam moraretur, impedimenta moveri præcipiens, Parisios venire disponit. Ad quem cum jam valedicturus accederem, Judæus quidam, Priscus nomine, qui ei ad species coemendas familiaris erat, advenit. Cujus cæsarie rex blande apprehensa manu, ait ad me, dicens : Veni, sacerdos Dei, et impone manum super eum. Illo autem renitente, ait rex : O mens dura, et generatio semper incredula, quæ non intelligit Dei Filium [d] sibi prophetarum vocibus repromissum ; non intelligit ecclesiastica mysteria in suis sacrificiis figurata. Hæc eo dicente, Judæus ait ; Deus non eget conjugio, neque prole ditatur, neque ullum consortem regni habere patitur, qui per Moysen ait : *Videte, videte quia ego sum Dominus, et absque me non est deus* [e]. *Ego occidam, et ego vivere faciam ; percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39). Ad hæc rex **275** ait : Deus ab spiritali utero Filium genuit sempiternum, non ætate juniorem, non potestate minorem, de quo ipse ait : *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Hunc ergo ante sæcula natum, in novissimis sæculis mundo misit sanatorem, sicut ait propheta tuus : *Misit Verbum suum, et sanavit eos* (*Psal.* CVI, 20). Quod autem ais, quia ipse non generet, audi prophetam tuum dicentem ex voce dominica : *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam* (*Isai.* LXVI, 9) ? hæc enim de populo, qui in eum per fidem renascitur, ait. Ad hæc Judæus respondit : Nunquid Deus homo fieri potuit, aut de muliere nasci, verberibus subdi, morte damnari ? Ad hæc rege tacente, in medium me ingerens dixi : Ut Deus Dei Filius homo fieret, non suæ, sed nostræ necessitatis exstitit causa. Nam captivum peccato hominem, et diaboli servituti subjectum redimere non potuerat, nisi hominem assumpsisset. Ego vero non de Evangeliis et Apostolo, quæ non credis, sed de tuis libris testimonia præbens, proprio te mucrone confodiam, sicut quondam David Goliam legitur trucidasse. Igitur quod Deus homo futurus esset, audi prophetam tuum : *Et Deus*, inquit, *et homo, et quis cognovit eum ?* Et alibi : *Hic est Deus noster, et non reputabitur alius præter eum ; qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Posthæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III, 36, 37, 38). Quod autem de Virgine nascitur, audi similiter prophetam tuum dicentem : *Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* [f] (*Isai.* VII, 14 ; *Matth.* I, 23). Quod verberibus subdi, quod clavis affigi deberet, et aliis quoque injuriis subjacere, vel affici, alius propheta ait : *Foderunt manus meas et pedes meos : diviserunt sibi vestimenta mea* (*Psal.* XXI, 17, 19). Et iterum : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea* [g] *potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22). Et quod per ipsum crucis patibulum labentem mundum, et diaboli ditioni subjectum restitueret in regno suo, idem David **276** ait, *Dominus regnavit a ligno* [h] (*Psal.* XCV, 10). Non quod antea non regnaverit apud Patrem, sed super populum quem a diaboli servitute liberaverat, rude regnum [i] accepit. Judæus ad hæc respondit : Quæ Deo fuit necessitas, ut ista pateretur ? Cui ego : Jam dixi tibi, Deus hominem creavit innoxium, sed astu serpentis circumventus, prævaricator præcepti factus est : et ideo a sede paradisi ejectus, mundanis laboribus deputatus est ; qui per mortem Unigeniti Dei Christi Deo reconciliatus est Patri. Judæus dixit : Non poterat Deus mittere prophetas aut apostolos, qui eum ad viam

[a] Colb., *Berahtfrido*.

[b] Præsidium est pecunia, quæ auxilii causa seponitur ; vel locus secretior, ubi ejusmodi pecunia servatur. Ex *L. si chorus*, § 1, *de legat.* 3. Præsidium non semel Plautus usurpat pro pecunia.

[c] Hodie Laudunum appellatur, vulgo *Laon*, quæ urbs in supercilio montis editissimi posita, diu inexpugnabilis fuit, illustrata est episcopali sede a sancto Remigio.

[d] In Corb. desunt hæc verba *Dei Filium*, et infra deest vox *conjugio*. Bec. pro *ecclesiastica mysteria*, habet *divina mysteria*.

[e] Casin., *non est alius*.

[f] Corb., *quod interpretatum, Nobiscum est Deus*. Regin., *accipiet*, pro *concipiet*.

[g] In eodem cod. deest *et in siti mea*.

[h] Has voculas *a ligno* a rabbinis abrasas nonnulli conquesti sunt, et quidem non habentur in Vulgata. Eas tamen LXX interpretum auctoritas, et plerique antiqui Patres retinent. Certe in Gallicanis ecclesiis antiquitus receptas fuisse probatur non solum ex hoc Gregorii textu, et ex hymno Fortunati de sancta Cruce, sed etiam ex Psalterio in purpureis membranis, litteris argenteis aureisque exarato, quod olim usu fuit beato Germano Parisiensi episcopo, ac in nostro monasterio S. Germani a Pratis inter pretiosa antiquitatis cemelia asservatur, in quo hæc eadem verba leguntur.

[i] Regin., *liberaverat rudem, regno*.

revocarent salutis, nisi ipse humiliatus fuisset in carne? Ad hæc ego : A principio genus semper deliquit humanum, quem nunquam terruit nec submersio diluvii, nec incendium Sodomæ, nec plagæ Ægypti, nec miraculum maris, Jordanisque divisio : qui semper Legi Dei restitit, prophetis non credidit ; et non solum non credidit, verum etiam ipsos prædicatores pœnitentiæ interemit. Ideo nisi Ipse ad eum descendisset redimere, hæc explere non poterat alter. Cujus nos nativitate renati, baptismo ablati, vulnere curati, resurrectione erecti, ascensione glorificati sumus. Quod autem morbis nostris mederi venturus erat, propheta tuus ait : *Livore ejus sanati sumus* (*Isai.* LIII, 5). Et alibi, *Ipse peccata nostra portabit, et orabit pro transgressoribus* (*Ibid.* 12). Et iterum, *Sicut ovis ad occisionem ductus est : et quasi agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humiliatione judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit* (*Ibid.* 7, 8)? *Dominus exercituum nomen ejus* (*Isai.* LIV, 5). De hoc et Jacob ille, de cujus te jactas venisse generatione, in illa filii sui Judæ benedictione, quasi ad ipsum Christum Filium Dei loquens, ait : *Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda. De germine, fili mi, ascendisti, recubans dormisti quasi leo, quasi catulus leonis. Quis suscitabit eum* (*Gen.* XLIX, 8, 9)? *Pulchriores oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores* (*Ibid.* 12). *Quis*, inquit, *suscitabit eum?* Et licet ipse dixerit : **277** *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18), tamen Paulus apostolus ait : *Qui non crediderit quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus esse non poterit* (*Rom.* X, 9). Hæc et alia nobis dicentibus, nunquam compunctus est miser ad credendum. Tunc rex silente illo, cum videret eum his sermonibus non compungi, ad me conversus, postulat ut accepta benedictione [a] discederet. Ait enim : Dicam, inquit, tibi, o sacerdos, quod Jacob dixit ad angelum qui ei loquebatur : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (*Gen.* XXXII, 26). Et hæc dicens, aquam manibus porrigi jubet ; quibus ablutis, facta oratione [b], accepto pane gratias Deo agentes, et ipsi accepimus, et regi porreximus, haustoque mero, valedicentes discessimus. Rex vero ascenso equite [*l.* equo] Parisios est regressus, cum conjuge et filia, et omni familia sua.

VI. Fuit autem apud urbem Nicensem eo tempore Hospitius reclausus magnæ abstinentiæ, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto desuper cilicio, nihil aliud quam purum panem cum paucis dactylis comedebat. In diebus autem Quadragesimæ, de radicibus herbarum Ægyptiarum [c], quibus eremitæ utuntur, exhibentibus sibi negotiatoribus alebatur. Et primum quidem jus in quo coxerant hauriens, ipsas sumebat in posterum. Magnas enim per eum Dominus virtutes dignatus est operari. Nam quodam tempore, revelante sibi Spiritu sancto adventum Langobardorum in Gallias hoc modo prædixit : Venient, inquit, Langobardi in Gallias, et devastabunt civitates septem, eo quod increverit malitia eorum in conspectu Domini, quia nullus est intelligens, nullus est requirens Deum, nullus est qui faciat bonum, quo ira Dei placetur. Est enim omnis populus **278** infidelis, perjuriis deditus, furtis obnoxius, in homicidiis promptus, a quibus nullus justitiæ fructus ullatenus crescit [d] ; non decimæ dantur, non pauperes aluntur, non tegunt[ur] nudi, non peregrini hospitio recipiuntur, aut cibo sufficienter satiantur : ideo hæc plaga supervenit. Nunc autem dico vobis : Congerite omnem substantiam vestram infra murorum sepla, ne a Langobardis diripiatur ; et vos ipsos in locis firmissimis communite. Hæc eo loquente, omnes obstupefacti et valedicentes cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit : Abscedite et vos a loco, auferentes vobiscum quæ habetis ; ecce enim appropinquat gens quam prædixi. Dicentibus autem illis : Non relinquimus te, sanctissime pater, ait : Nolite timere pro me ; futurum est enim ut inferant mihi injurias, sed non nocebunt usque ad mortem. Discedentibus autem monachis, venit gens illa, et dum cuncta quæ reperit vastat, pervenit ad locum ubi sanctus Dei reclausus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis. Illi vero circumeuntes turrem, aditum per quem ingrederentur ad eum, invenire non poterant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, et videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt : Hic malefactor est, et homicidium fecit : ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, sciscitantur ab eo quid mali fecerit, ut tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omnem substantiam vestram infra murorum sepla, ne a Langobardis diripiatur ; et vos ipsos in locis firmissimis communite. Hæc eo loquente, omnes obstupefacti et valedicentes cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit : Abscedite et vos a loco, auferentes vobiscum quæ habetis ; ecce enim appropinquat gens quam prædixi. Dicentibus autem illis : Non relinquimus te, sanctissime pater, ait : Nolite timere pro me ; futurum est enim ut inferant mihi injurias, sed non nocebunt usque ad mortem. Discedentibus autem monachis, venit gens illa, et dum cuncta quæ reperit vastat, pervenit ad locum ubi sanctus Dei reclausus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis. Illi vero circumeuntes turrem, aditum per quem ingrederentur ad eum, invenire non poterant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, et videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt : Hic malefactor est, et homicidium fecit : ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, sciscitantur ab eo quid mali fecerit, ut tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omnem substantiam vestram infra murorum sepla, ne a Langobardis diripiatur ; et vos ipsos in locis firmissimis communite. Hæc eo loquente, omnes obstupefacti et valedicentes cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit : Abscedite et vos a loco, auferentes vobiscum quæ habetis ; ecce enim appropinquat gens quam prædixi. Dicentibus autem illis : Non relinquimus te, sanctissime pater, ait : Nolite timere pro me ; futurum est enim ut inferant mihi injurias, sed non nocebunt usque ad mortem. Discedentibus autem monachis, venit gens illa, et dum cuncta quæ reperit vastat, pervenit ad locum ubi sanctus Dei reclausus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis. Illi vero circumeuntes turrem, aditum per quem ingrederentur ad eum, invenire non poterant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, et videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt : Hic malefactor est, et homicidium fecit : ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, sciscitantur ab eo quid mali fecerit, ut tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omnem substantiam vestram infra murorum sepla, ne a Langobardis diripiatur ; et vos ipsos in locis firmissimis communite. Hæc eo loquente, omnes obstupefacti et valedicentes cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit : Abscedite et vos a loco, auferentes vobiscum quæ habetis ; ecce enim appropinquat gens quam prædixi. Dicentibus autem illis : Non relinquimus te, sanctissime pater, ait : Nolite timere pro me ; futurum est enim ut inferant mihi injurias, sed non nocebunt usque ad mortem. Discedentibus autem monachis, venit gens illa, et dum cuncta quæ reperit vastat, pervenit ad locum ubi sanctus Dei reclausus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis. Illi vero circumeuntes turrem, aditum per quem ingrederentur ad eum, invenire non poterant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, et videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt : Hic malefactor est, et homicidium fecit : ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, sciscitantur ab eo quid mali fecerit, ut tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidam esse, om-

[a] Reges ab episcopis benedicebantur, ut passim Greg. memorat. Hinc S. Hilarius contra Constantium scribens, ei exprobrat : *Osculo sacerdotes excipis, caput benedictioni submittis, ut fidem calces.*

[b] Hieronymus ad Eustochium : *Nec cibi sumantur nisi oratione præmissa ; nec recedatur a mensa, nisi referatur Creatori gratia.* Singula fercula signabantur, ex lib. I de Glor. Mart., cap. 80, infra. Et quædam Dei famula apud Gregor. M. lib. I Dialog., cap. 4, ut lactucam *oblita signo crucis benedicere* momordit, a dæmone correpta est.

[c] Ex hoc loco negotiatores Ægyptios Gallias frequentasse colligitur, qui non solum herbas, sed et chartam illam papyraceam adeo celebrem afferebant. Unde Gregorius supra lib. V, cap. 5, Felici Namnetensi, qui eum conviciis impetierat, rescribens, eum felicem futurum fuisse dicit, si ipsum Massilia habuisset episcopum, quod eo pacto satis chartæ habuisset pro describendis conviciis ; cum scilicet eo frequenter advenirent Ægyptii mercatores, qui ejusmodi chartas in Gallias advehebant. Vide Mabillon, lib. I de Re Diplomat., cap. 8, et Alteserram in cap. 5 lib. V hujus Historiæ.

[d] Sic Corb. ; alii vero, *gliscit... pauper alitur*, et cætera in singulari numero ; et sic habentur apud Paulum Diaconum lib. III Histor. Langobard., cap. 1, ubi Hospitii laudes ex Gregorio describit. De decimis solvendis conc. Matisc. II, an. 585, can. 5. Fideles ad decimarum solutionem hortantur patres conc. Turon. II, an. 567, ad cladem avertendam, quæ imminebat.

nisque criminis reum. Tunc unus, extracto gladio ut in caput ejus libraret, dextera in ipso ictu suspensa diriguit, nec eam ad se potuit revocare. Tunc gladium laxans, terræ dejecit. Hæc videntes socii ejus, clamorem in cœlum dederunt, flagitantes a sancto, ut quid agi oporteret clementer insinuaret. Ipse vero imposito **279** salutis signo, brachium sanitati restituit. Ille autem in eodem loco conversus, tonsurato capite fidelissimus monachus nunc habetur. Duo vero duces [a] qui eum audierunt, incolumes patriæ redditi sunt; qui vero contempserunt præceptum ejus, miserabiliter in ipsa Provincia sunt defuncti. Multi autem ex ipsis a dæmoniis correpti, clamabant : Cur nos, sancte et beatissime, sic crucias et incendis? sed impositis eis manu, mundabat eos. Posthæc homo erat Andegavensis incola, qui per nimiam febrem eloquium pariter auditumque perdiderat; et cum de febre convaluisset, surdus permanebat ac mutus. Igitur diaconus ex provincia illa Romam directus est, ut beatorum apostolorum pignora, vel reliquorum sanctorum qui urbem illam muniunt, exhiberet. Qui cum ad parentes infirmi illius pervenisset, rogant ut eum sibi comitem itineris sumere dignaretur, confisi quod si beatissimorum apostolorum adiret sepulcra, protinus posset assequi medicinam. Euntibus autem illis, venerunt ad locum ubi beatus Hospitius habitabat. Quo salutato ac deosculato, causas itineris diaconus pandit, ac proficisci se Romam indicat, seseque his qui sancto viro de naucleris amici essent, commendari deposcit. Cumque ibi adhuc moraretur, sensit vir beatus per Spiritum Domini adesse virtutem. Et ait diacono : Infirmum qui comes tui nunc est itineris, rogo ut meis conspectibus repræsentes. At ille nihil moratus, velociter ad metatum vadit, invenitque infirmum febre plenum, qui per nutum aures suas dare timuitum indicabat; apprehensumque ducit ad sanctum Dei. At ille apprehensa manu cæsarie, attraxit caput illius in fenestram, assumptoque oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam ejus, ori verticique capitis infudit, dicens : In nomine Domini mei Jesu Christi aperiantur aures tuæ, reseretque os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine surdo et muto noxium ejecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille vero clara voce ait : Sic dicor [b]. Cum hæc vidisset diaconus, ait : Gratias tibi immensas refero, Jesu Christe, qui talia per servum **280** tuum dignaris ostendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulum Laurentiumque, vel reliquos qui Romam proprio cruore illustrant : hic omnes reperi, hic cunctos inveni. Hæc eo cum maximo fletu et admiratione dicente, vir Dei omni intentione vanam vitans gloriam, ait : Sile, sile, dilectissime frater, non hæc ego facio, sed ille qui mundum ex nihilo condidit, qui pro nobis hominem suscipiens, cæcis visum, surdis auditum, mutis præstat eloquium, qui leprosis cutem pristinam, mortuis vitam, et omnibus infirmis affluentem medicinam indulget. Tunc diaconus gaudens et valedicens, abscessit cum comitibus suis. Quibus discedentibus, homo quidam Dominicus, sic enim erat viro nomen, a nativitate cæcus, advenit ad istius miraculi virtutem probandam. Qui dum in monasterio duobus aut tribus mensibus resideret, orationi ac jejuniis vacans, tandem vocat eum ad se vir Dei, et ait : Vis recipere visum? Cui ille ait : Voluntas, inquit, mea erat ignota cognoscere [c]. Nam quæ sit lux ignoro. Unum tantum scio, quod ab omnibus collaudatur [d]; ego autem ab initio ætatis meæ usque nunc videre non merui. Tunc cum oleo benedicto super oculos ejus crucem sanctam faciens, ait : In nomine Jesu Christi redemptoris nostri aperiantur oculi tui. Et statim aperti sunt oculi ejus; et erat admirans, cernensque magnalia Dei, quæ in hoc mundo videbat. Dehinc mulier quædam, quæ, ut ipsa declamabat, tria habens dæmonia, ad eum adducta est; quam cum tactu sacro benedixisset, atque ex oleo sancto crucem fronti ejus imposuisset, ejectis dæmonibus purgata discessit. Sed et aliam puellam, ab spiritu immundo vexatam, benedictione sanavit. Cum autem jam dies obitus ejus appropinquaret, vocavit ad se præpositum monasterii, dicens : Exhibe ferramentum, et irrumpe parietem, et mitte nuntios ad episcopum civitatis, ut veniat ad me sepeliendum. Die enim tertia ab hoc egredior mundo, et vado in requiem destinatam, quam mihi Dominus repromisit. Hæc eo dicente, misit præpositus monasterii ad episcopum civitatis Nicensis, qui ei hæc nuntiarent. **281** Posthæc Crescens quidam venit ad fenestram, et videns eum catenis vinctum, vermibus plenum, ait : O domine mi, qualiter tam valida tormenta tolerare tam fortiter potes? Cui ille ait : Confortat me ille pro cujus nomine hæc patior. Dico autem tibi, quia jam absolvor ab his vinculis, et vado in requiem meam. Adveniente autem die tertia, deposuit catenas quibus vinctus erat, prostravitque se in orationem; et cum diutissime cum lacrymis orasset, collocans se super scamnum, extensis pedibus, elevatisque ad cœlum manibus [e], gratias agens Deo, tradidit spiritum. Et statim omnes vermes illi, qui sanctos artus perforabant, evanuerunt. Adveniens autem Austadius [f] episcopus beatum corpus studio-

[a] In Regm., *Duo vero qui eum adierunt*. Paulus tamen libro laudato, cap. 2, habet *duo duces*.
[b] Colb. et Chesn., *Pir dicor*
[c] Regm., *ignota conspicere*.
[d] Corb., *ab hominibus laudatur*.
[e] Regm., *pedibus ac manibus, elevatisque ad cœlum oculis*.
[f] Mirum est Austadium *in episcoporum* Nicensium catalogo omitti. Locus *ubi vixit* Hospitius prope Villam-liberam visitur. Peninsula est, ut scribit Petrus Joffredi, tribus circiter passuum millibus a Nicea urbe dissita, prope Herculei seu Villæ-liberæ portus fauces versus orientem; ex corrupto S. Hospitii nomine dicitur vulgo, *San-Sospir*, ubi exstabant adhuc ejus auctoris temporis monasterii rudera; turris vero et templi ipsius nomine dicati reliquiæ destructæ sunt ab annis circ. 60, cum arx ibidem, jubente Victore Amedeo Sabaudiæ duce, constructa fuit Ec-

sissime sepulturæ mandavit [a]. Hæc omnia ab ipsius ore cognovi, quem superius mutum et surdum ab eo sanatum exposui, qui multa mihi et alia de ejus virtutibus narravit : sed prohibuit me res illa loqui, quia audivi Vitam ipsius a multis fuisse conscriptam.

VII. Eo [b] tempore Ferreolus Ucecensis episcopus, magnæ vir sanctitatis, obiit, plenus sapientia et intellectu; qui libros aliquos epistolarum, quasi Sidonium secutus, composuit. Post cujus obitum Albinus ex præfecto per Dynamium [c] rectorem Provinciæ extra regis consilium suscepit episcopatum; quo non amplius quam tribus utens mensibus, cum ad hoc causa restitisset ut removeretur, defunctus est. Jovinus iterum qui quondam Provinciæ rector fuerat, regium de episcopatu præceptum accipit. Sed prævenit eum Marcellus diaconus, Felicis senatoris filius. Qui convocatis comprovincialibus, per consilium Dynamii episcopus **282** ordinatus est. Sed et ipse vi pulsatus deinceps a Jovino, ut removeretur, conclusus in civitate, virtute se defensare nitebatur, sed cum non valeret, muneribus vicit.

VIII. Obiit [d] et Eparchius reclausus Egolismensis, vir magnificæ sanctitatis, per quem Deus multa miracula ostendit, de quibus, relictis plurimis, pauca perstringam. Petrogoricæ urbis incola fuit, sed post conversionem clericus factus, Egolismam veniens, cellulam sibi ædificavit. In qua collectis paucis monachis, in oratione morabatur assidue; et si ei aliquid auri argentique offerebatur, aut in necessitatibus pauperum, aut in redemptione captivorum distribuebat. Panis in cellula illa eo vivente coctus nunquam fuit, sed a devotis cum necessitas exegisset, inferebatur. Magnam enim catervam populorum de oblationibus devotorum redemit; pusularum [e] malarum venenum crucis signo sæpe compressit, dæmones de obsessis corporibus oratione abegit, et judicibus plerumque ut culpabilibus ignoscerent, dulcedine profusa imperavit, potius quam rogavit. Nam ita erat dulcis alloquio, ut ei negare non possent, cum fuisset indulgentiam deprecatus. Quodam vero tempore, dum pro furto quis ad pendendum deduceretur, qui et in aliis multis sceleribus, tam in furtis, quam in homicidiis accusabatur ab incolis criminosius, et hæc ei nuntiata fuissent, misit monachum suum ad deprecandum judicem [f], ut scilicet culpabilis ille vitæ concederetur. Sed insultante vulgo atque vociferante, quod si hic dimitteretur, neque regioni, neque judici possit esse consultum, dimitti non potuit. Interea [g] extenditur ad trocleas, **283** virgis ac fustibus cæditur, et patibulo condemnatur. Cumque mœstus monachus abbati renuntiasset : Vade, inquit, attende a longe, quia scito quod quem homo reddere noluit, Dominus suo munere donabit. Tu vero cum eum cadere videris, protinus apprehensum adducito in monasterium. Monacho vero jussa complente, ille prosternitur in oratione, et tam diu in lacrymis ad Dominum fudit preces, quoadusque disrupto obice cum catenis terræ restitueretur appensus. Tunc monachus apprehensum eum, abbatis conspectibus incolumem repræsentat. At ille gratias Deo agens, comitem arcessiri jubet, dicens : Semper me benigno animo solitus eras audire, fili dilectissime; et cur hodie induratus hominem, pro cujus vita rogaveram, non laxasti? At ille : Libenter te, inquit, audio, sancte sacerdos; sed insurgente vulgo aliud facere non potui, timens super me seditionem moveri. Et ille : Tu, inquit, **284** me non audisti, Deus autem audire dignatus est, et quem tu tradidisti morti, ille vitæ restituit. En, inquit, coram te astat sanus. Hæc eo dicente, prosternitur ad pedes ejus comes stupens, [h] quod videbat vivere quem in mortis interitu reliquisset. Hæc ego ab ipsius comitis ore cognovi; sed et alia multa fecit, quæ insequi longum putavi. Post quadraginta quatuor vero annos reclusionis suæ parumper febre pulsatus, tradidit spiritum, protractusque a cellula, sepulturæ mandatus est. Magnus autem conventus, ut diximus, de redemptis in ejus processit exsequiis [i].

IX. Domnolus [j] vero Cenomannorum episcopus

clesia S. Joannis ibidem structa, monachis deficientibus Ebrardo abbati et monachis S. Pontii subjecta fuit ab Archinbaldo episc. Niciensi, sæculo XI labente.

[a] Corpus ejus in ipsa ecclesia cathedrali Niciensi etiam nunc asservari dicitur, ubi colitur die 15 Octob. Memoratur autem in martyrologio Romano die 21 Maii. De hoc iterum Gregorius lib. de Gloria Confess., cap. 97.

[b] Hoc caput deest in Corb. et Colb. Ferreolum uti martyrem plerique colunt. Ejus vitam ex ms. Tolosano edidit Marc. Ant. Dominici, ubi festum ipsius II nonas Januarii celebrari dicitur. Monasterium condidit, regulamque scripsit, non semel editam, quæ habetur in Codice regularum et in Concordia Benedicti Anianæ abbatis.

[c] De Dynamio non semel infra Gregorius. Is ipse est qui scripsit Vitam S. Marii abbatis Bodanensis in diœcesi Sistaricensi. Vitam S. Maximi Reiorum episcopi, etc.; litteras vero a Gregorio Magno cum aliquot munusculis recepit. Ejusdem laudes cecinit Fortunatus lib. VI, carm. 11 et 12, ubi etiam de Albino, Jovino et Theodoro, de quibus hic Gregorius et infra cap. 11.

[d] Hoc caput, quod deest in Corb. et Colb., laudatur in libro de Miraculis sancti Eparchii, cujus verba dedimus inter Elogia a variis auctoribus nostro Gregorio data.

[e] Regm., *pustularum*.

[f] Eum infra comitem appellat. Et revera comites ad dicendum jus in civitatibus erant instituti.

[g] Sic Casin. et Bec.; alii, *In terra extenditur, ad*.

[h] Sic cod. Regm.; alii, *ad pedes comitis stupentis*.

[i] Obiit anno 581, die 1 Julii, quo ejus festivitas recolitur. Ejus Vitam habes inter Acta SS. Ord. S. Benedicti Sæc. I, p. 267. Item apud Gonondum, et simul cum libro de ejus virtutibus in tomo I Bibliothecæ novæ Labbei; ex qua patet Eparchium triginta solummodo et novem annos reclusum vixisse. Sed fortasse Gregorius totum tempus designare voluit, ex quo Eparchius monasticam vestem susceperat a Martino Sedaciani monasterii abbate. De eo iterum Gregorius lib. de Glor. Confess., cap. 101. Vulgo dicitur *saint Cybar*, sub cujus nomine exstat monasterium Ordinis nostri prope urbem Inculismam; sed ejus reliquiæ a Calvinistis combustæ sunt anno 1558.

Hoc caput deest in Colb. et Corb. At Regm. ha-

cœpit. Tempore enim Chlothacharii regis isios ad basilicam sancti Laurentii [a] gregi iali præfuerat; sed quoniam, Childeberto rivente, semper Chlothacharío regi fidelis st nuntios illius ad speculandum missos creculebat, præstolabatur **285** rex locum in ificatus honorem acciperet. Migrante autem isis civitatis pontifice, istum illuc dare deliit. Sed beatus Domnolus hæc audiens, ad i sancti Martini antistitis, quo tunc Chlothaex ad orationem venerat, accessit, et nocte igiliis excubans, per priores qui aderant, gestionem intulit ut non quasi captivus ab garetur aspectu, nec permitteret simplicius inter senatores sophisticos ac judices icos fatigari, asserens hunc locum humilesse potius, quam honoris. Ad hæc rex migrante Innocentio Cenomannorum episum Ecclesiæ illi antistitem destinavit. Jam episcopatu, talem se tantumque præbuit, ut æ sanctitatis culmen evectus, debili usum gressuum, cæco [b] restitueret visum. Qui post viginti duos episcopatûs annos, dum se cerneret morbo regio calculoque gravissime fatigari, Theodulfum abbatem in locum suum præelegit, cujus assensui rex præbuit voluntatem : sed non multum post tempus, mutata sententia, in Badechisilum [c] domus regiæ majorem transfertur electio. Qui tonsuratus gradus, quos clerici sortiuntur, ascendens, post quadraginta dies, migrante sacerdote, successit.

X. His [d] diebus basilica sancti Martini a furibus effracta fuit. Qui ponentes ad fenestram absidæ cancellum, qui super tumulum cujusdam defuncti erat, ascendentes per eum, effracta vitrea sunt ingressi, auferentesque multum auri argentique, et palliorum holosericorum, abierunt, non metuentes super sanctum sepulcrum pedem ponere, ubi vix vel os applicare præsumimus. Sed virtus sancti voluit hanc temeritatem etiam cum judicio manifestare terribili. Nam hi perpetrato scelere ad Burdegalensem civitatem venientes, orto scandalo, unus alterum interemit; sicque patefacto opere, furtum repertum est, ac

ummolus, sed infra, ut cæteri, *Domnolus*.
iit conc. Turon. II, an. 567.
basilica etiam nunc perstat, parochiali titulo
ubi paucis ab hinc annis reperta sunt antiphaga gypsea, quæ nongentos circiter annos
ant, quibus apertis nigræ vestes, et monafligies visæ sunt, sed quæ ut primum puriori
tæ fuerunt, in pulverem sunt redactæ, quod
bis testatus est V. Cl. Nicolaus Gobillon, doonicus, ejusdem ecclesiæ pastor, et illustriss.
copi Paris. vicarius generalis. Basilica sanni, hic quoque memorata, haud procul a
ana dissita est, hodie sub sancti Martini a
nomine celebris, de qua lib. I de Mirac. S.
cap. 19. Porro Cointius ad annum 655 infiomnolum unquam abbatem S. Laurentii
itumque hoc Gregorianæ historiæ caput requam ab imperito interpolatore additum;
duas potissimum rationes : 1° quod a codd.
Colb. absit; 2° quod multa in eo habeantur
Domnoli, ab auctore gravi et æquali scriptæ,
contraria. Verum quod caput istud in aliquot
lesideretur, non imus inficias; sed cum in
quidem vetustis et optimæ notæ codd., sciccensi, Casin., etc., habeatur, nihilque in
rat quod a Gregorii genio aut stylo abhorreat,
regorio abjudicari non debere ob hanc raontendimus. Quod vero ad Vitæ S. Domnoli
m attinet, animus non est hic de ejus auctosceptare, an tanta censeri debeat, quæ
textum, qualis nunc exstat, possit elevare.
dicimus, diversa ab his auctoribus de Domrrari, sed non contraria. Et quidem quæ de
jam episcopo, aut de ejus morte narrat
regorius, a vero non abhorrent, nec sunt
tari opposita, ut ipse Cointius fatetur. Equis solummodo supra viginti annos episcopanolo tribuit Gregorius, quod Cointii calculo
rat; at id Vitæ auctori, quod unum inquiria adversatur, qui nec tempus initæ sedis,
moli obitus annum designavit. Non etiam
ur vetera instrumenta; immo Papebrochius
em 16 Maii Bollandiani eamdem Vitam reregorium interpolatum fuisse suspicatur ob
d. Attamen Domnolum post 22 annos episcoecessorem impetrare potuisse fatetur, eo
la mentio Domnoli episcopi Cenomannensis
ublicis occurrat ante concilium Turon. II,
', et certum sit Cenomannensem ecclesiam

post Innocentii obitum vacasse diu, immo et aliquot annis ab Scienfredo pseudoepiscopo fuisse occupatam. Jam vero noster Gregorius scripsit Domnolum, antequam esset episcopus, abbatem S. Laurentii Parisiis fuisse, Chlotario regi acceptissimum, ab eoque Avenionensi sedi destinatum, quam ille respuens, postea Cenomannensis episcopus factus sit. De his nihil omnino Vitæ auctor, sed contraria apud eum non invenias : immo vero ipse testatur se Vitam beati viri scripturum ab eo solummodo tempore, quo sedi Cenomannensi præfuisse cœpit : *Ab illo*, inquit, *tempore, auspicabimur, quo nos glorioso suo adventu illustrare, nobiscumque manere ex Dei providentia jussus est.* Eum itaque post multas peregrinationes, et quidem jam episcopum consecratum, Cenomannos advenisse narrat, statimque a clero et populo electum fuisse. Sed nihil prorsus habet de anterioribus gestis, quæ ex Gregorii textu repetere nihil vetat. Immo maxima inter sanctum Germanum Parisiensem, et ipsum Domnolum familiaritas, quæ semper, ipso etiam auctore Vitæ attestante, viguit, Gregorio nostro favet, qui Domnolum in ipsa Parisiensi civitate abbatem fuisse scripsit, eo sane tempore quo beatus Germanus eidem urbi episcopus præerat. Hæc paulo fusius necessitate cogente tractavimus ad vindicandum Gregorii textum.— S. Domnolus celebre monasterium in suburbio Cenomannensi condidit in honorem S. Vincentii, ubi sepultus est. Quod etiam nunc perseverat sub Ordine sancti Benedicti et Cong. S. Mauri, abbatis regularis privilegio gaudens. Corpus S. antistitis e terra levatum fuit anno 1124, ab Hildeberto episc. Cenomannensi, præsente Fulcone juniore Andecavorum comite, ut ex charta ejusdem monasterii didicimus. Hodie servatur in theca argentea auro linita, operis exquisitissimi, quam cardinalis Luxemburgius fieri curavit.

[b] Claudus appellabatur Rainarius, et hic cæcus Siagrius, ex Vitæ auctore.

[c] Regin., *Baldechilum*. Is est Badegisilus, ut habet Chesn., de quo non semel infra Gregorius. Subscripsit conc. Matisc. II, an. 585. Mirum est autem de eo nihil prorsus haberi in actis episcoporum Cenomann., quæ tomo III Analect. Mabillon. edita sunt. Vide lib. III Mirac. S. Martini, cap. 35. Hæc prima est, ni fallor, mentio majoris domus apud Gregorium.

[d] Hoc cap. deest in Corb. et Colb.; exstat tamen apud Fredeg., cap. 87.

de hospitali eorum **286** argentum comminutum [a] et pallia sunt extracta. Quod cum regi Chilperico [b] nuntiatum fuisset, jussit eos alligari vinculis, et suo conspectui præsentari. Tunc ego metuens, ne ob illius causam homines morerentur, qui vivens in corpore pro perditorum vita sæpius deprecatus est, epistolam regi precationis transmisi, ne nostris [c] non accusantibus, ad quos prosecutio pertinebat, hi interficerentur. Quod ille benigne suscipiens, vitæ restituit. Species vero quæ dissipatæ fuerant, studiosissime componens, loco sancto reddi præcepit.

XI. Apud [d] Massiliensem vero urbem Dynamius rector Provinciæ graviter insidiari Theodoro episcopo cœpit. At ille ad regem properare disponens, comprehensus ab eo in medio civitatis tenetur, et graviter injuriatus, tandem laxatus est. Clerici autem Massilienses dolum cum Dynamio moliebantur, ut ab episcopatu ejiceretur. Sed dum ad regem Childebertum ambularet, cum Jovino ex præfecto a Guntchramno rege detineri jubetur. Quod audientes Massilienses clerici, gaudio magno repleti quod jam teneretur, jam deputaretur exsilio, quod jam in hoc res perstitisset, ut nunquam Massiliam reverteretur, domos ecclesiæ apprehendunt, ministeria [e] describunt, regestoria reserant, promptuaria exspoliant, omnesque res ecclesiæ, tanquam si jam mortuus esset episcopus, pervadunt, diversa crimina de pontifice proloquentes, quæ falsa, Christo auspice, deprehenduntur [*Al.* deprehendit]. Childebertus vero postquam cum Chilperico pacificatus est, legatos ad Guntchramnum regem mittit, ut medietatem Massiliæ, quam ei post obitum patris sui dederat, reddere deberet. Quod si nollet, noverit se multa perditurum pro partis istius retentione. Sed ille cum hæc reddere nollet, vias claudi præcepit, ut nulli per regnum ejus transeundi aditus panderetur. Hæc cernens Childebertus, Gundulfum ex domestico [f] **287** ducem factum, de genere senatorio, Massiliam dirigit. Qui cum non auderet ambulare jam per Guntchramni regnum, Turonis venit. Quem benigne susceptum, recognosco matris meæ avunculum [g] esse, retentumque mecum quinque diebus, impositisque necessariis, abire permisi. Ille vero progressus, Massiliam ingredi, obsistente Dynamio, non valeba nec episcopus, qui jam tunc cum Gundulfo ve in ecclesia sua recipiebatur. Dynamius autei cum clericis portas obserat urbis, insultans ac utrumque despiciens, episcopum scilicet et dulfum. Tandem ad colloquium ducis ascitus, silicam beati Stephani, quæ urbi est proxima, Ostiarii enim custodiebant ædis ingressum, troeunte Dynamio valvæ protinus clauderentu facto exclusæ armatorum turbæ post Dynami gredi nequiverunt. Quo non intelligente, di versa inter se super altarium conferunt, rece ab altario, salutatorium ingrediuntur. Introe cum his Dynamium, nudatumque jam a suori latio [*l.* auxilio], terribiliter increpant. Fug satellitibus, qui cum armis eo abducto [h] circu pebant, seniores civium ad se dux una cum ej collegit, ut civitatem ingrederetur. Tunc Dy hæc omnia cernens, veniam petens, datis duci muneribus, reddito etiam sacramento se episcopo deinceps regique futurum, suis i indumentis. Tunc reseratis tam portarum qu crarum ædium valvis, ingrediuntur utrique tem, dux scilicet et episcopus, cum signis e bus, diversisque honorum vexillis. Clerici qui sceleri huic misti fuerant quorum caput sius abbas et Proculus presbyter [i] erant, **28** Dynamii tecta confugiunt, petentes ab eo op fugii, a quo fuerant incitati. Multi tamen eo idoneos fidejussores dimisi, ad regem jus ambulare. Interea Gundulfus subjugata civ Childeberti regis ditionem, restitutoque in suum antistite, ad regem Childebertum re est. Sed Dynamius immemor fidei quam berto regi promiserat, ad Guntchramnum nuntios dirigit, dicens quod partem sibi debi vitatis per episcopum perderet, nec unquam liensem urbem suo potiretur dominio, nisi h latur ab ea. At ille ira commotus, jubet, co religionis, ut pontifex summi Dei arctatur sibi exhiberetur, dicens : Trudatur exsilio l regni nostri, ne nobis nocere amplius vale cum episcopus de his suspectus esset, nec fa

[a] Sic Regm et Bad.; alii, *communitum*.

[b] Regm., *Chlotario*.

[c] Sic Casin. et Regm. Editi vero cum Bec., *ne nobis*.

[d] Deest in Corb. et Colb.; non tamen ab interpolatore additum est. Vide notas in cap. seq. et in cap. 24 hujus libri.

[e] Id est vasa sacra, ubi observandum jam consuetudinem tunc invaluisse, ut defuncto episcopo, clerici quæcunque poterant diriperent.

[f] Domestici erant, qui excubabant in palatio principis, eorumque præpositus appellabatur comes domesticorum. Sub regibus nostris præfecti fuerunt villis regiis, ut patet ex l b. II Marculfi formula 52, quæ domesticis, qui supra regis villas erant, directa est, ut occasione filii regis recens nati servos aliquot libertate donarent. Eosdem regi ad placita properanti expensas parasse innuit noster Gregorius lib. x, cap. 28. Domestici inter regni optimates recensentur in præf. legum Burgund. et leg. Ripuariorum cap. 90: regi assidebant ex Marculfi formulis. Videsis placitum Chlodovei III, lib. VI de re Diplomat., n Childeberti III, n. 24. Generis autem senat mine, de quo hic et passim Gregorius, famili guantur, quæ tempore Romanorum in sena missæ fuerant. Multi enim provinciales, m Gallia, civitate donati fuerant, aliquot etiam natum allecti. Ejusmodi dicebantur senator grini, qui ut plurimum ne facie quidem Rom verant. Nolim tamen inficiari Gregorium qu *senatores* nonnullos appellare, quod illi ex se primoribus essent. Vide Cangii Glossarium.

[g] Fratrem scilicet S. Nicetii episc. Lug observat Cointius.

[h] Sic Regm. et Bec., alii, *adducto*.

[i] Regm., *et Proculus abba*. Bad., *Proculi pr* Porro Anastasius abbas erat sancti Victoris sterii etiam nunc apud Massiliam celeberrim S. Benedicti, quod a Joanne Cassiano sæculi conditum fuit.

set ab urbe erui, advenit festivitas dedicationis oratorii ruris suburbani. Cumque ad hæc festa egressus civitatem properaret, subito armati cum magno fremitu ab occultis insidiis scatentes, sanctum vallant antistitem, dejectumque ab equo fugant omnes comites ejus, servientes alligant, clericos cædunt, ipsumque super miserabilem imponentes caballum, nullum de suis sequi permittentes, ad regis deducunt præsentiam. Cumque per Aquensem præterirent urbem, Pientius [a] episcopus loci, condolens fratri, datis clericis ad solatium, impositisque necessariis, abire permisit. Dum hæc agerentur, clerici iterum Massilienses domos ecclesiæ reserant, arcana rimantur, et alia describunt, alia suis domibus inferunt. Episcopus vero ad regem deductus, nec culpabilis inventus, ad civitatem suam redire permissus, cum grandi est a civibus laude susceptus. Ex hoc autem **289** gravis inimicitia inter Guntchramnum regem et Childebertum nepotem suum exoritur, disruptoque fœdere sibi invicem insidiabantur.

XII. Igitur Chilpericus rex cernens has discordias [b] inter fratrem ac nepotem suum pullulare, Desiderium ducem evocat, jubetque ut aliquid nequitiæ inferat fratri. At ille, commoto exercitu, Ragnovaldo [c] duce fugato, Petrogoricum pervadit, exactoque sacramento Aginnum pergit. Hæc audiens uxor Ragnovaldi, quod scilicet, fugato viro suo, hæc et civitas in potestatem regis Chilperici redigeretur [d], basilicam sancti martyris Caprasii expetiit. Sed extracta exinde, et spoliata facultate ac solatio famulorum, datis fidejussoribus Tolosam dirigitur: ibique iterum in basilica sancti Saturnini ingressa residebat. Desiderius vero cunctas civitates, quæ in parte illa ad regem Guntchramnum aspiciebant, abstulit, et ditionibus regis Chilperici subegit. Berulfus vero dux, cum Bituriges [e] mussitare, quod Turonicum terminum ingrederentur, audisset, exercitum commovet, et se in ipsos fines statuit. Graviter tunc pagi Isiodorensis [f] ac Berravensis urbis Turonicæ devastati sunt. Sed et postea crudeliter qui in hac obsidione adesse non poterant, sunt damnati. Bladastes [g] vero dux in Vasconiam abiit, maximamque partem exercitus sui amisit.

XIII. Lupus [h] vero urbis Turonicæ civis, cum, uxore perdita ac liberis, clericatum expeteret, a fratre Ambrosio prohibitus est, timens ne hæredem institueret Dei ecclesiam, si ei conjungeretur; rursumque illi uxorem providit, et diem in quo ad sponsalia donanda conjungerentur, male suasus **290** frater indicit. Dehinc ad Cainonense castrum, ubi hospitium habebant, pariter advenerunt. Sed uxor Ambrosii cum esset adultera, et alium amore lupanario, exoso marito, diligeret, insidias viro tetendit. Cumque hi germani pariter epularentur, et nocte usque ad ebrietatem vino madnissent, in uno strato pariter quieverunt. Tunc mœchus uxoris Ambrosii, nocte veniens, quiescentibus cunctis et vino depressis, accensis igne paleis, ut videret quid agerent [*Al.* ageret], extracto gladio, Ambrosium in capite librat, ita ut descendens per oculos gladius cervical capitis amputaret; in quo ictu expergefactus Lupus, et se in sanguinem volutari decernens, exclamat voce magna, dicens: Heu, heu! succurrite, frater meus interfectus est. Mœchus vero, qui jam perpetrato scelere discedebat, hæc audiens, regressus ad lectum, Lupum adit. Quo repugnante, multis plagis laceratum oppressit, et mortali ictu sauciatum, semivivum reliquit; sed nullus de familia sensit. Mane autem facto, stupebant omnes de tanto scelere. Lupus tamen adhuc vivens inventus, sicut actum fuerat referens, spiritum exhalavit. Sed nec longum meretrix lugendi sumpsit spatium: sed paucis diebus interpositis conjuncta mœcho discessit [i].

XIV. Anno igitur septimo Childeberti regis, qui erat Chilperici et Guntchrammi vicesimus et primus, mense Januario, pluviæ, coruscationes atque toni-

[a] Sic Bec. et Regm. cum Bad. Alii, *Piencus*. Pientii episc. Aquensis, id est Aquarum Sextiarum, *Aix en Provence*, missus subscripsit concilio Matiscon. II, anno 585.

[b] Quæ scilicet capite præcedenti memorantur, ut fatetur Cointius. Et tamen caput istud 12 rejicere non potest, quod in omnibus codd. habeatur; admittat itaque et præcedens necesse est, licet in duobus scriptis desideretur; nec inferat eo ipso aliquod caput esse interpolatum, quod in codd. Corb. et Colb. desint. Et quidem utriusque capitis epitomen fecit Fredegarius cap. 87.

[c] Sic Corb., Bec. et Regm. cum aliquot editis. Colb. vero et Chesn., *Regnovaldo*, et *Reginovaldo*.

[d] Sic Corb.; alii vero, *hæc civitates in.... redigerentur*. Corb. lectionem prætulimus. Nam tunc capto Aginno, uxor Ragnovaldi, quæ ad basilicam S. Caprasii, in hac urbe sitam, confugerat, in hostium manus devenit. S. Caprasius Aginni episcopus cum Fide virgine martyrium pertulit sub Maximiano. Caprasium diximus episcopum ex hodierna et quidem recentiori Aginnensium traditione, cui neque Acta neque alia monumenta antiqua favent. Superest hodieque basilica sub ejusdem sancti nomine, quæ canonicorum collegio nobilitatur, ibique sacrum ipsius caput asservatur. Ejus vero festivitas in tota diœcesi celebratur die 20 Octobris. Basilica S. Saturnini apud Tolosam, quo postea confugit hæc mulier, insigne est hodie canonicorum sæcularium collegium.

[e] Colb. et Regm., *Bituricos*; Bad., *Biturigos*; et quidem hic designantur homines regionis Bituricensis.

[f] Corb., *pagus Siodunensis*. Regm. mendose, *Autisiodorensis aut*. Sed retinenda vulgata lectio; nam Iciodorum seu Isidiorum est vicus ad Crosam fluvium, vulgo *Iserre* aut *Isure* dictus, qui confinis est Biturigibus Cubis. Berravensis vero vicus est *Barou* prope eumdem fluvium, haud procul ab Iciodoro, ut observat Valesius in Notitia Galliarum. In utroque loco ecclesiam fuisse ædificatam notat Gregorius lib. x, cap. ultimo.

[g] Alii, *Blandastes*, aut *Bladastis*, Corb., *Baudastis*. Vasconiam hic intellige veterum Vasconum sedem in Pyrenæis jugis, qua dimissa postea Novempopulaniam occupaverunt.

[h] Deest hoc caput in Corb. et Colb.

[i] Ipse mœchus, nomine Vedastes Avo, male periit ex libro VII, cap. 3.

[j] Hoc caput integrum refert Fulbertus in epistola 97, quæ est ad Robertum regem, ubi habet, *Anno sexto*, etc

trua gravia fuerunt, flores in arboribus ostensi sunt; stella, quam cometem superius nominavi, apparuit, ita ut in circuitu ejus magna nigredo esset. Et illa tanquam in foramine aliquo posita, ita inter tenebras **291** relucebat, scintillans, spargensque comas. Prodibat autem ex ea radius miræ magnitudinis, qui tanquam fumus magnus incendii apparebat a longe. Visa est autem ad partem occidentis in hora noctis prima. In die autem sancto Paschæ apud Suessionas civitatem cœlum ardere visum est, ita ut duo apparerent incendia : et unum erat majus, aliud vero minus. Post duarum vero horarum spatium conjuncta sunt simul; factaque pharo [*Al.* igni] magna, evanuerunt. In Parisiaco vero termino verus sanguis ex nube defluxit, et super vestimenta multorum hominum cecidit, et ita tabe maculavit, ut ipsi propria indumenta horrentes abnuerent. Tribus enim locis in termino civitatis illius hoc prodigium apparuit. In Silvanectensi vero territorio hominis cujusdam domus, cum ille mane surgeret, sanguine respersa ab intus apparuit. Magna igitur eo anno lues in populo fuit : valetudines variæ, malignæ [a], cum pusulis et vesicis, quæ multum populum affecerunt morte. Multi tamen adhibente studium, evaserunt. Audivimus enim eo anno in Narbonensem urbem inguinarium morbum graviter desævire, ita ut nullum esset spatium, cum homo correptus fuisset ab eo.

XV. Felix [b] vero episcopus Namneticæ civitatis, in hanc valetudinem corruens, graviter ægrotare cœpit. Tunc vocatis ad se episcopis, qui propinqui erant, supplicat ut consensum, quem in Burgundionem nepotem suum fecerat, suis subscriptionibus roborarent. Quod cum factum fuisset, eum ad me dirigunt. Erat tunc temporis Burgundio, quasi annorum viginti quinque. Qui veniens, rogat ut accedens usque Namnetas, episcopum eum in locum avunculi, qui adhuc superstes erat, tonsoratum consecrare deberem. Quod ego abnui, quia canonibus non **292** convenire cognovi [c]. Consilium tamen præbui, dicens : Habemus scriptum in canonibus, fili, non posse quemquam ad episcopatum accedere, nisi prius ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur [d]. Tu ergo, dilectissime, revertere illuc, et pete, ut ipse te qui elegit debeat tonsorare. Cumque presbyterii honorem acceperis, ad ecclesiam assiduus esto; et cum eum Deus migrare voluerit, tunc facile episcopalem gradum ascendes. At ille regressus, consilium acceptum adimplere dissimulavit, eo quod Felix episcopus ab incommodo levius agere videretur. Sed postquam febris discessit, tibiæ ejus ab humore pusulas emiserunt. Tunc cantharedarum cataplasmam [e] nimium validam ponens, computrescentibus tibiis, anno episcopatus sui tricesimo tertio, ætate septuagenaria, vitam finivit [f]. Cui Nonnichius consobrinus ejus, rege ordinante, successit.

XVI. Audiens [g] autem Pappolenus ejus obitum, neptem illius de qua separatus fuerat, recepit. Ante hoc autem tempus desponsatam eam habuerat; sed dissimulante de nuptiis Felice episcopo, hic cum magna cohorte veniens, ab oratorio puellam abstraxit, et in basilicam beati Albini confugit. Tunc Felix episcopus ira commotus, circumventam puellam dolis a marito separavit. Mutataque veste apud Vasatensem urbem [h] in monasterio posuit : sed illa occultos pueros [i] nuntios dirigit, ut scilicet eam ereptam a loco in quo posita erat, acciperet. Quod ille non abnuens, assumptam de monasterio puellam suo conjugio copulavit, regalibusque munitus præceptionibus, timere parentum distulit minas.

XVII. Rex vero Chilpericus multos Judæorum eo anno baptizari præcepit, ex quibus plures excepit e sancto lavacro. Nonnulli tamen eorum corpore tantum, non corde abluti [j], **293** ad ipsam quam prius perfidiam habuerant, Deo mentiti regressi sunt, ita ut et sabbatum observare, et diem dominicum honorare viderentur. Priscus (*sup. cap.* 5) vero ad cognoscendam veritatem nulla penitus potuit ratione deflecti. Tunc iratus rex, jussit eum custodiæ mancipari, scilicet ut quem credere voluntarie non poterat, saltem credere faceret vel invitum. Sed ille datis quibusdam muneribus, spatium postulat, donec filius ejus Massiliensem Hebræam accipiat; pollicetur dolose se deinceps quæ rex jusserat impleturum. Interea oritur intentio inter illum et Phatirem [k], ex

[a] Bad., *variæ, morbive;* alii ed. cum Fulberto, *milinæ*.

[b] Hoc caput deest in Corb. et Colb.

[c] Hoc vetitum can. 8 conc. Nicæni, quod postea aliis compluribus confirmatum fuit.

[d] Sic statuit concil. Sardicense, can. 13, in Græco 10, quod summi pontifices deinceps et alii patres variis in synodis confirmarunt. Vide Gratian. dist. 52 et 59.

[e] Id est, ex cantharide animali venenoso confectum, quemadmodum ex viperis aliisque similibus remedia adhiberi solent ad morborum curationem.

[f] Obiit VIII id. Januarii; colitur uti sanctus apud Namnetenses. De eo supra lib. V, cap. 5.

[g] Hoc caput, quod cum præcedenti necessario conjungitur, exstat totidem verbis in mss. Corb. et Colb.; unde inferendum utrumque esse Gregorii fetum. Et tamen Cointius utrumque insititium dixit; sed cum cod. Corbeiensis paulo post Gregorii ætatem sit scriptus, fateri igitur debet interpolatorem Gregorio fere æqualem fuisse.

[h] Civitas Novempopulaniæ sive hodiernæ Vasconiæ, vulgo *Bazas*. Patria fuit Ausonii nobilis poetæ, qui post adeptas complures imperii dignitates, factus est consul a Gratiano imp. suo ipsius discipulo.

[i] Sic Corb. et Colb. Editi cum Bec., *puero*. In Regm. hæc vox deest. Utraque lectio bona. Raro tamen *puer* pro viro usurpatur, sæpius pro servo, etiam provectæ ætatis, *non ætatem*, ut loquitur Hieronymus, *sed conditionem* exprimendo.

[j] Mos fuisse videtur tunc in Gallia Judæos ad fidem cogendi, quod improbat Gregor. Magn. lib. I, epist. 45. Adi Cointium ea de re disserentem ad annum 591, num. 12 et seqq., et Launoium in lib. hac de re singulari.

[k] Sic Corb. et Colb. cum Chesn.; Bec. vero, *Pathiren;* aliquot ed., *Pathirem*. Regm., Colb. alter et Bad., *Patrem*, et infra *Pater*. Porro alter cod. Colbertinus, qui caret initio, incipit ab his verbis, *Priscus præcinctus orario*, etc., quem codicem sub S. Michaelis nomine laudat Cointius : nos vero ut duos hosce codd. Colbertinos a sese invicem distinguamus, priorem qui fuit S. Arnulfi Mettensis, Colb. a., hunc vero Colb. m. appellabimus.

Judæo conversum, qui jam regis filius erat ex lavacro. Cumque die sabbati Priscus præcinctus orario, nullum in manus ferens ferramentum, Mosaicas leges quasi impleturus, secretiora competeret, subito Phatir adveniens, ipsum gladio cum sociis qui aderant jugulavit. Quibus interfectis, ad basilicam sancti Juliani [a] cum pueris suis, qui ad propinquam plateam erant, confugit. Cumque ibidem residerent, audiunt quod rex, dominum vita excessum [b], famulos tanquam malefactores a basilica tractos, juberet interfici. Tunc unus ex his evaginato gladio, domino suo [c] jam fugato, socios suos interficit, ipse postmodum cum gladio de basilica egressus; sed irruente super se populo, crudeliter interfectus est. Phatir [d] autem accepta licentia, ad regnum Guntchrammi, unde venerat, est regressus: sed non post multos dies a parentibus Prisci interfectus est.

XVIII. Igitur legati Chilperici regis, id est Ansoualdus et Domegiselus [e], qui ad conspiciendam dotem in Hispanias fuerant missi, regressi sunt. **294** Iis diebus Leuvichildus rex in exercitu contra Hermenegildum filium suum residebat, cui et Emeritam civitatem abstulit. Nam hic qualiter cum ducibus imperatoris Tiberii fuerit conjunctus, jam superius exposuimus. (*Lib.* v, *cap.* 39) Nam et legatis hæc causa innexuit moras, ut tardius regrederentur. Quibus visis, ego sollicitus eram, qualiter in ipsis Christianis, qui pauci in eo loco remanserant, fides Christi ferveret. Tunc mihi hæc Ansoualdus respondit: Christiani qui nunc apud Hispanias commorantur, catholicam fidem integre servant. Sed rex novo nunc ingenio eam nititur exturbare, dum dolose et ad sepulcra martyrum et in ecclesiis religionis nostræ orare confingit. Dicit enim: Manifeste cognovi esse Christum Filium Dei æqualem Patri; sed Spiritum sanctum, Deum penitus esse non credo, eo quod in nullis legatur codicibus Deus esse. Heu! heu! quam iniquam sententiam, quam venenosum sensum, quam pravam mentem! Et ubi est illud quod Dominus ait, *Spiritus Deus est* (*Joan.* IV, 24). Et illud Petri, quod ad Ananiam ait: *Quid tibi visum est tentare Spiritum sanctum* (*Act.* v, 3)? *Non es hominibus mentitus, sed Deo* (*Act.* v, 4). Ubi est et illud, quod Paulus mystica dona commemorans, ait: *Hæc enim operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult* (*I Cor.* XII, 11). Qui enim operatur quod vult, nulli cognoscitur esse subjectus. Accedente autem Ansoualdo ad Chilpericum regem, legatio [f] Hispanorum est subsecuta; quæ de Chilperico ad Childebertum accedens, in Hispanias est regressa.

XIX. Apud Pontem vero Urbiensem [g] civitatis Parisiacæ, Chilpericus rex custodes posuerat, ut insidiatores **295** de regno fratris sui ne nocerent aliquid, arcerentur. Quo [h] Asclepius ex duce præcognito, nocte irruens, interfecit omnes, pagumque ponti proximum graviter depopulatus est. Cumque hæc regi Chilperico nuntiata fuissent, mittit nuntios comitibus, ducibusque, et reliquis agentibus [i], ut collecto exercitu in regnum germani sui irruerent. Sed prohibitus est consilio bonorum hominum, ne faceret, dicentium sibi: Illi perverse egerunt, tu vero sapienter age. Mitte fratri nuntios, et si injuriam tuam emendare voluerit, nihil mali quæras: si vero noluerit, tractabis deinceps quid sequaris. Et sic ratione accepta, prohibito exercitu legationem fratri dirigit. Sed ille cuncta emendans, fratris quæsivit integre charitatem.

XX. Eo anno Chrodinus obiit, vir magnificæ bonitatis et pietatis, eleemosynarius valde, pauperumque refector, profluus ditator ecclesiarum, clericorumque nutritor. Nam sæpe a novo fundans villas, ponens vineas, ædificans domos, culturas erigens, vocatis episcopis quorum erat parva facultas, dato epulo, ipsas domos cum cultoribus et culturis, cum argento, peristromatibus, utensilibus, ministris et famulis benigne distribuebat, dicens: Sint hæc Ecclesiæ data, ut dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum. Multa autem et alia bona de hoc viro audivimus, quæ insequi longum est. Transiit autem ætate septuagenaria [k].

XXI. Hæc in hoc anno iterato signa apparuerunt. Luna eclipsim passa est; infra Turonicum territo-

[a] Ea est quæ nunc dicitur ecclesia S. Juliani Pauperis seu Veteris, de qua infra lib. IX, cap. 6; quod eum in dubium revocasset Launoius, dicens Gregoriam forte locutum de altera S. Juliani ecclesia, quæ dicitur Mimorum seu Fidicinum, via Martiniana sitam, a Valesio inscitiæ redargutus est, quod nesciisset hanc postremam ecclesiam a duobus cantoribus anno 1330 fuisse exædificatam. Vide Brulii nostri Antiquitates Paris., libro III.

[b] Sic Corb. et Bec., pro *domino vita excesso*. Colb. habet *dominum vitæ cæsum*, et altera manu, *dominum illorum præcipiebat cædi, famulos vero*, etc.; alii *domino vitæ cæso*. Cointius, qui hoc caput refert, *dominum interfectum*, pro, inquit, *domino interfecto*. At ex ipsa narratione certum est Priscum, qui hic dominus appellatur, incolumem evasisse.

[c] Corb., Bec. et aliquot editi non habent *suo*.

[d] Quæ sequuntur ad finem capitis desunt in Colb. ms.

[e] Alii *Ansoaldus et Domichisilus*. Hic porro veterem Francorum in Gallia et Gotthorum in Hispania morem, qui est antiquorum Germanorum, cum Valesio et aliis observa, ut non uxor viro, sed vir uxori dotem offerat. Hunc morem laudat Cornelius Tacitus in libro de Moribus Germanorum, cap. 6, ubi exponit quo id ritu fieret, quasve res ab uxore maritus recipere soleret.

[f] Hac legatione, ut Cointio videtur, functi sunt Florentius et Exsuperius, de quibus in lib. III Mirac. S. Martini, cap. 8.

[g] Id est qui Urbiæ fluvio positus erat; hinc in Indice sic caput istud exprimitur, *De hominibus... apud Urbiam fluvium*, qui nimirum separabat regnum Chilperici a regno Guntramni. Urbiam vero hunc esse amnem, qui hodie Ordea seu Orgia, vulgo *l'Orge*, dicitur, censet Valesius. Hic complures pagi Parisiensis vicos alluit, et prope Gevisiacum mergitur in Sequanam.

[h] Corb. et Bec., *Quod Asclepius*. Bad., *Quo... ex duce cognito*.

[i] Id est officialibus regiis. Apud Romanos frumentariis successerant. Vide Gothofred. in Cod. Theodos.

[j] Corb., *nihil male geris*.

[k] Colb. a. et Chesn. : al., *octuagenaria*. Chrodini ducis laudes celebravit Fortunatus lib. IX, carm. 16.

rium verus de effracto pane sanguis effluxit; muri urbis Suessionicæ corruerunt; apud Andegavam urbem terra tremuit; infra muros vero Burdegalensis oppidi ingressi lupi canes devoraverunt, nequaquam homines metuentes; per cœlum ignis discurrere visus est. Sed et Vasatensis civitas incendio concremata **296** est, ita ut ecclesiæ vel domus ecclesiasticæ vastarentur. Ministerium tamen omne ereptum fuisse cognovimus.

XXII. Rex [a] igitur Chilpericus pervasis civitatibus fratris sui, novos comites ordinat, et cuncta jubet sibi urbium tributa deferri : quod ita impletum fuisse cognovimus. His diebus apprehensi sunt duo homines a Nonnichio [b] Lemovicinæ urbis comite, deferentes ex nomine Charterii Petrogoricæ urbis episcopi litteras, quæ multa improperia loquebantur in regem : in quibus inter reliqua erat insertum, quasi quereretur sacerdos se a paradiso ad inferos descendisse; scilicet quod a regno Guntchraumni in Chilperici fuerit ditiones commutatus. Has litteras cum his hominibus jam dictus comes sub ardua custodia regi direxit. Rex vero patienter propter episcopum mittit, qui eum suo conspectui præsentarent, discussurus utique si vera essent quæ ei opponebantur, an non. Adveniente vero episcopo, rex homines illos cum litteris repræsentat; interrogat sacerdotem, si ab eo directæ foerint. Negat ille a se directas. Interrogantur vero homines a quo eas acceperint. Frontonium [c] diaconum proferunt. Interrogatur sacerdos de diacono. Respondit sibi eum esse præcipuum inimicum, nec dubitari debere ipsius esse nequitias, qui contra eum sæpius causas commovisset iniquas. Adducitur diaconus sine mora; interrogatur a rege, confitetur super episcopum, dicens : Ego hanc epistolam episcopo jubente dictavi [d]. Proclamante vero episcopo, et dicente quod sæpius hic ingenia [e] quæreret, qualiter eum ab episcopatu dejiceret, rex misericordia motus, commendans Deo causam suam, cessit utrisque, deprecans clementer episcopum pro diacono, et supplicans ut pro se sacerdos oraret : et sic cum honore urbi remissus est.

Post duos vero menses Nonnichius comes, qui hoc scandalum seminaverat, **297** sanguine percussus interiit; resque ejus, quia absque liberis erat, diversis a rege concessæ sunt.

XXIII. Dehinc Chilperico regi, post multa funera filiorum, filius nascitur. Ex hoc jubet rex omnes custodias relaxari, vinctos absolvi, compositionesque negligentum fisco debitas præcepit omnino non exigi. Sed [f] magnum deinceps dolum hic intulit infans.

XXIV. Nova [g] iterum contra Theodorum episcopum bella consurgunt. Nam Gundovaldus, qui se filium Chlothacharii regis esse dicebat, de Constantinopoli veniens, Massiliam est advectus : de cujus origine quædam strictim libuit memorare. Hic cum natus esset in Galliis, et diligenti cura nutritus, ut regum istorum mos est [h], crinium flagellis per terga demissis, litteris eruditus, Childeberto regi [i] a matre repræsentatur, dicente ea : Ecce, inquit, nepotem tuum, Chlothacharii regis filium. Et quia invisus habetur patri, suscipe eum, quia caro tua est. Quem ille, eo quod ei filii non essent, accipiens, retinebat secum. Nuntiantur hæc regi Chlothachario, misitque fratri nuntios, dicens : Dimitte puerum ut veniat ad me. Nec moratus ille juvenem fratri direxit. Quo viso, Chlothacharius jussit tonderi comam capitis ejus, dicens : Hunc ego non generavi. Igitur post Chlothacharii regis obitum, a Chariberto rege susceptus est : quem Sigibertus arcessitum, iterum amputavit comam capitis ejus, et misit eum in Agrippinensem civitatem, quæ nunc Colonia [j] dicitur. Ille quoque ab eo loco delapsus, dimissis iterum capillis, ad Narsetem abiit, qui **298** tunc Italiæ præerat ibique uxore accepta, filios procreavit, et ad Constantinopolim accessit. Inde, ut ferunt, post multa tempora, a quodam invitatus ut veniret in Gallias, Massiliam appulsus, a Theodoro episcopo susceptus est. Et [k] ab eodem etiam acceptis equitibus [*l.* equis], Mummolo duci conjunctus est. Erat autem tunc Mummolus in civitate Avennica, sicut supra jam diximus (*Cap.* 1). Guntchramnus vero dux apprehensum Theodorum

[a] Hoc caput deest in Corb. et Colb. a.

[b] Colb. m., *Nunnichiolemo*; infra tamen habet *Nonnichius*. Carterius autem subscripsit conc. Matisc. II, an. 585.

[c] Editi et Bec., *Frontonium*.

[d] Id est *scripsi*. Vide Mabillon. notas in epist. 304 sancti Bernardi.

[e] Ea voce dolus seu qualibet ars ad alterum circumveniendum designatur apud Gregorium et veteres gentis nostræ auctores. Vide Bignon. in lib. II Marculfi ad cap. 36, et Alteserram in cap. 28, lib. IV hujus Historiæ.

[f] Legendum puto *dolorem*. Vide infra cap. 34 et 35; *dolum* tamen hunc exponit Valesius de morte Mummoli, quam hujus filii obitus occasione Fredegundis ipsi intensa procuravit, infra cap. 35. Cæterum exstat in Marculfi lib. I formula, quæ est 39, *Ut pro nativi ate regis*, sicut ipso ortu regum nostrorum filii reges appellabantur, *ingenui relaxentur*. De ejus baptismo infra cap. 27.

[g] Quod plura de his quæ pertulerat a Dynamio in cap. 11 supra retulerit. Unde licet in codd. Corb. et Colb. undecimum non habeatur, ex hoc tamen 12 capite, quod in utroque codice exstat, patet ab interpolatore non fuisse additum. Porro *Gundovaldum* semper scripsimus, quæ lectio est codd. mss., licet in editis *Gundobaldus* dicatur.

[h] Vide infra lib. VIII, cap. 10, et passim.

[i] Seniori scilicet, Childeberti tunc regnantis patruo.

[j] Coloniam a Francis sic appellatam volunt Rorico Hincmarus, aliique etiam vetustiores scriptores, quod forte eam simpliciter Coloniam primi appellaverint, omisso Agrippinæ vocabulo, proprio ejus, ut videtur, nomine; cum solummodo quasi per modum adjuncti antea Colonia diceretur, ut Colonia Trajana, Colonia Augusta, aliæque urbes, in quas Romani colonias deduxerant. Ea autem fuit urbs Ubiorum, in qua nata est Julia Agrippina Neronis mater, quæ cum Claudio imp. nupsisset, coloniam Romanorum illuc deduci imperavit, indeque ab ejus nomine Colonia Agrippina dicta est, ut narrat Tacitus lib. XII Annalium.

[k] *Et ab*, etc., usque ad *conjunctus est*; desunt in Corb.

episcopum in custodiam pro hac causa detrusit, reputans cur hominem extraneum intromisisset in Gallias, voluissetque Francorum regnum imperialibus per hæc subdere ditionibus [a]. At ille epistolam, ut aiunt, manu majorum Childeberti regis subscriptam, protulit, dicens : Nihil per me feci, nisi quæ mihi a dominis nostris et senioribus imperata sunt. Custodiebatur igitur sacerdos in cellula, nec permittebatur ecclesiæ propinquare. Quadam vero nocte, dum attentius oraret ad Dominum, refulsit cellula nimio splendore, ita ut comes qui erat custos ejus, ingenti pavore terreretur ; visusque est super eum lucis immensæ globus per duarum horarum spatium. Mane autem facto, narrabat hæc comes ille cæteris qui cum eo erant. Posthæc autem ductus est ad Guntchramnum regem cum Epiphanio episcopo [b], qui tunc Langobardos fugiens, Massiliæ morabatur, scilicet quod et ipse conscius hujus causæ fuisset. Discussi igitur a rege, in nullo inventi sunt crimine. Rex tamen jussit eos sub custodia degere, in qua post multa supplicia, Epiphanius episcopus obiit [c]. Gundovaldus vero in insulam maris secessit, exspectans 239 eventum rei. Guntchramnus vero dux cum duce Guntchramni regis res Gundovaldi divisit, et secum in Arvernum detulit immensum, ut ferunt, argenti pondus, et auri, et reliquarum rerum.

XXV. Anno octavo Childeberti regis, pridie Kalendas Februarias, cum die Dominico apud urbem Turonicam ad matutinas signum commotum fuisset, et populus surgens ad ecclesiam convenirét [d], cælo nubilo, cum pluvia globus magnus ignis [*Al.* igneus] de cælo dilapsus, in spatio multo cucurrit in aera ; qui tantum lucem dedit, ut tanquam media die omnia cernerentur : quo iterum in nubem suscepto, nox successit. Aquæ vero extra solitum invaluerunt, nam tantam inundationem Sequana [e] Matronaque circa Parisios intulerunt, ut inter civitatem et basilicam sancti Laurentii [f] naufragia sæpe contingerent.

XXVI. Guntchramnus quoque dux Arvernum cum supradictis thesauris reversus, ad Childebertum regem abiit. Cumque exinde regrederetur cum uxore et filiis, a Guntchramno rege comprehensus retinebatur, dicente sibi rege : Tua invitatio Gundovaldum adduxit in Gallias, et ob hoc ante hos annos abisti Constantinopolim. Cui ille : Mummolus, inquit, dux tuus ipse suscepit eum, et in Avenione secum retinuit. Nunc autem permitte me, et adducam ipsum tibi, et tunc immunis ero ab his quæ imputantur mihi. Cui rex ait : Non permittam te abire, nisi dignas tuas pœnas pro his quæ commisisti. At ille cernens se morti propinquum, ait : Ecce filium meum, suscipe illum, et sit obses pro his quæ promitto domino meo regi ; et nisi Mummolum adducam tibi, perdam parvulum meum. Tunc rex permisit eum abire, retento secum ejus infantulo. At ille, assumptis secum Arvernis atque Vellavis, Avenionem abiit. Sed astu Mummoli, 300 naves in Rhodano infirmæ præparatæ sunt, ascendentesque simpliciter, ut in medio amnis venerunt, impletis navibus mergebantur. Tunc in periculo positi, alii nando evaserunt, nonnulli vero arreptis ipsarum navium tabulis attigerunt littus. Plerique autem, quorum minor fuit astutia, in amne demersi sunt. Guntchramnus vero dux advenit Avenionem. Providerat enim Mummolus, postquam infra muros urbis illius est ingressus, ut quia pars parva residebat, quæ non vallabatur a Rhodano, educta ex eo parte, locus ille totus hoc alluvio s munieretur : in quo loco fossas magnæ profunditatis fodit, præparatosque dolos aqua decurrens operuit. Tunc adveniente Guntchramno, ait ex nuncio Mummolus : Si fides est integra, veniat ille ab una parte ripæ, et ego ex alia, et quod voluerit eloquatur. Quæ cum convenissent, ait Guntchramnus ecotra, hoc enim brachium fluminis inter utrumque erat positum : Si licet, inquit, vadam ; quia sunt aliqua quæ inter nos secretius conferantur. Cui ille : Veni, ait, ne timeas. Ingressus cum uno amicorum suorum ut erat loricæ pondere aggravatus, illico amicus ille, ut foveam amnis attigit, sub aquis demersus nusquam comparuit. Guntchramnus vero cum demergeretur atque portaretur ab unda veloci, unus de astantibus, porrecta manu ejus hasta, eum littori reddidit. Et tunc illatis sibi convitiis, ipse et Mummolus discesserunt. Obsidente quoque Guntchramno ipsam urbem cum exercitu Guntchramni [h] regis, nuntiata sunt hæc Childeberto. At ille ira commotus, cur hæc non jussus ageret, Gundulfum superius (*Cap.* 11) dictum illuc direxit. Qui, amota obsidione, Mummolum Ar-

[a] Et tamen is ipse Gundobaldum accersiverat, infra cap. 26, sed homo erat nullius fidei.

[b] Hunc Forojuliensem ecclesiam rexisse conjicit Cointius, qui Exspectati defensoris sui nomine adhuc presbyter subscripsit Concilio Aurelianensi v. Epiphanium Gradensem patriarcham, a Paulo Diac. lib. IV, cap. 34, memoratum, interpretatur Alteserra. Sed repugnat temporum ratio.

[c] Quid vero Theodoro contigerit, disces ex lib. VIII, cap. 12.

[d] Ex hoc aliisque compluribus Gregorii nostri locis, cui et alii auctores consentiunt, discimus olim omnem populum simul cum Clero diebus saltem Dominicis et festivis in ecclesiam ad matutinas persolvendas convenire solitum fuisse.

[e] Corb., *Sigona*, quo nomine Sequanam in vet. scriptis quandoque exprimi ex aliis etiam locis constat.

[f] De hac basilica jam diximus ad cap. 9 hujus libri, quam quidam recentiores ab hodierna parochiali ecclesia sancti Laurentii gratis distinguere voluerunt, ut invicte probatur lib. IV de re Diplomatica, num. 110, adversus eos qui basilicam sancti Laurentii a Gregorio memoratam exstitisse putant prope minorem pontem haud procul a Sequana. Certe etsi nulla alia nobis supperterent argumenta præter placitum Childeberti III, editum lib. VI de re Diplomat., num. 28, nulla superesset hac in re difficultas ; siquidem ibi situs basilicarum S. Laurentii et sancti Martini evidenter declaratur. Quin et cum ex eodem diplomate constet basilicam sancti Dionysii, ubi sacrum ejus corpus quiescebat, tunc temporis in vico extra urbem Parisiensem exstitisse, hoc ipso in loco ubi etiam nunc perstat, quod aliqui recentiores inficiantur, ipsum integrum ex autographo Dionysiano referro visum est in Appendice.

[g] Cod. Corb., *ex hoc alveo*.

[h] Valesius legendum censet *Childeberti*. Et quidem Arvernu et Vellavi Childeberto parebant.

vernis adduxit : sed post paucos dies Avenionem regressus est.

XXVII. Chilpericus rex **301** pridie quam Pascha celebraretur, Parisios abiit. Et ut maledicto, quod in pactione sua et fratrum suorum conscriptum erat, ut nullus eorum Parisios sine alterius voluntate ingrederetur (*V. lib.* VII, *c.* 6), carere posset, reliquiis sanctorum multorum præcedentibus, urbem ingressus est ; diesque Paschæ cum multa jocunditate tenuit, filiumque suum baptismo tradidit, quem Ragnemodus ipsius urbis sacerdos de lavacro sancto suscepit, ipsumque Theodoricum vocitari præcepit.

XXVIII. Marcus quoque referendarius, cujus supra meminimus (*lib.* V, *cap.* 29), post congregatos de iniquis descriptionibus thesauros, subito lateris dolore detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens [a] spiritum exhalavit, resque ejus fisco collatæ sunt ; nam magni ibidem thesauri ex auro argentoque, et multarum specierum reperti sunt, nihil exinde secum aliud portans, nisi animæ detrimentum.

XXIX. Legati de Hispaniis reversi nihil certi renuntiaverunt, eo quod Leuvichildus contra filium suum seniorem in exercitu resideret. In monasterio [b] autem beatæ Radegundis, puella quædam, nomine Disciola [c], quæ beati Salvii Albigensis episcopi neptis erat, obiit hoc modo. Cum ægrotare cœpisset, et ei assidue sorores aliæ deservirent, venit dies ille quo migraret a corpore ; et circa horam nonam ait sororibus : Ecce jam leviorem me sentio ; ecce nihil dolco. Nunc autem non est necesse sollicitudini vestræ, ut mihi curæ aliquid impendatis, sed potius discedite a me, quo facilius sopori relaxer. Hæc audientes sorores ejus, recesserunt paruimper a cellula, et post paululum advenerunt. Denique stantibus illis coram ea, exspectabant quid ab illa elocutionis audirent. Ipsa autem expansis manibus benedictionem a nescio quo efflagitans, ait : Benedic, inquit, mihi, sancte ac famule Dei excelsi. Ecce enim jam tertio fatigaris hodie mei causa. Et cur, sancte, pro infirma muliercula crebras injurias sustines ? **302** Interrogantibus vero illis, ad quem hæc verba proferret, penitus non est effata. Tunc facto modico intervallo, emisit vocem magnam cum risu, et sic tradidit spiritum. Et ecce quidam energumenus, qui tunc ad beatæ Crucis gloriam mundandus advenerat, arrepta manibus cæsarie, collisit se in terram, dicens : Heu ! heu ! heu nobis, qui tale damnum perpessi sumus ! vel licuisset prius causas inquirere, et sic de potestate nostra fuisset ablata hæc anima ! Inquirentibus vero his qui aderant, quod esset hoc verbum quod loquebatur, respondit : Ecce animam puellæ Michael angelus suscepit, et ipse eam ad cœlos evehit. Princeps vero noster, quem vos diabolum nominatis nihil in ea participatur. Post hæc corpus aquis ablutum ita [d] candore niveo refulgebat, ut nullum linteum reperire abbatissa potuisset in promptu, quod corpore candidius cerneretur, induta tamen linteis mundis, sepulturæ mandata est. Nam et alia puella hujus monasterii visum vidit, quod sororibus retulit. Putabat, inquit, se iter aliquod conficere, et erat ei votum ut ad fontem vivum gradiens perveniret. Cumque viam nesciret, vir quidam se obviam obtulit, dicens : Si, inquit, vis ad fontem vivum accedere, ego ero prævius itineris tui. At illa gratias agens, sequebatur præcedentem. Quibus ambulantibus, pervenerunt ad fontem magnum, cujus aquæ tanquam aurum splendebant [e], herbæ vero in modum divesarum gemmarum vernante luce radiabant. Et ait vir ad eam : Ecce fontem vivum, quem multo labore quæsisti. Satiare nunc ab ejus fluentis, ut fiat tibi fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Cumque illa avide ex his aquis hauriret, ecce ab alia parte veniebat abbatissa, et denudatam puellam induit eam veste regia ; quæ tanta luce, atroque, et monilibus refulgebat, ut vix posset intendi, dicente sibi abbatissa : Sponsus enim tuus mittit tibi hæc munera. Hæc cum puella vidisset, compuncta est corde, et **303** post dies paucos rogavit abbatissam, ut sibi in qua includeretur cellulam præpararet. At [f] illa velociter perfecta, ait : Ecce, inquit, cellulam ; quid nunc desideras ? Puella vero petiit, ut recludi permitteretur. Quod cum ei præstitum fuisset, congregatis virginibus cum magno psallentio, accensis lampadibus, tenente sibi beata Radegunde manum, ad locum usque perducitur. Et sic vale faciens omnibus, et osculans singulas quasque, recluса est. Obstructoque aditu per quem ingressa fuerat, ibi nunc orationi ac lectioni vacat.

XXX. Hoc anno Tiberius imperator migravit a sæculo, magnum luctum relinquens populis de obitu suo. Erat enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in judiciis justus, in judicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens ; omnes diligens, ipse quæque diligebatur ab omnibus. Hic cum ægrotare cœpisset, et se jam vivere desperaret, vocavit Sophiam augustam, dicens : Ecce jam impletum sentio tempus vitæ meæ ; nunc cum consilio tuo eligam, qui reipublicæ præesse debeat. Oportet enim strenuum eligi, qui pro me sit huic potestati [g]. At illa Mauricium quemdam elegit, dicens : Valde strenuus et sagax est vir iste ; nam et sæpius contra inimicos reipublicæ dimicans,

[a] Illi monastica veste donati in extremis appellabantur monachi ad succurrendum. Pœnitentes olim in Gallia tonsos fuisse patet ex can. 12 concil. Agathensis, etc. Vide Sirmond. in lib. IV Apollinaris, epist. 21.

[b] Apud Pictavos sanctæ Cruci sacratum, quod nunc etiam perstat sub Regula S. Benedicti, de quo inferius plura.

[c] Colb., *Discila* ; uti sancta colitur cum Agnete abbatissa III Idus Maias. Habetur in Letaniis Pictonicis, quæ ab Henrico Ludovico Castaneo episc. Pictavensi sunt vulgatæ.

[d] Corb., *corpus a quibus ablutum est, aiebant, ita candore*, etc.

[e] Idem., *aqua... splendebat.*

[f] Regm., *At illa ut rogaverat, cellulam præparavit, eique tunc dixit : Ecce*, etc.

[g] Sic Corb. et Colb. in.; at Regm., *Nos enim oportet providere, qui tantæ sublimitati adjungi dignus sit.* Cæteri omittunt hunc versum.

sidebat [a]. Nocte autem quadam commoto exercitu, magnum murmur contra Egidium episcopum et duces regis minor populus elevavit, ac vociferari cœpit, et publice proclamare : Tollantur a facie regis qui regnum ejus venumdant, civitates illius dominationi alterius subdunt, populum ipsius principis alterius ditionibus tradunt. Dum hæc et his similia vociferando proferrent, facto mane, apprehenso armorum apparatu, ad tentorium regis properant, scilicet ut apprehensis episcopo et senioribus, vi opprimerent, verberibus afficerent, gladiis lacerarent. Quo comperto, sacerdos fugam iniit, ascensoque equite [*I.* equo] ad urbem propriam tendit. At populus ille cum clamore sequebatur, projiciens post eum lapides, evomensque convicia. Fuit tunc ei hæc causa præsidium, quod hi paratos equites [*Al.* equos] non habebant. Attamen lassatis sociorum equis, solus pertendit episcopus, tanto timore perterritus, ut unam caligam de pede elapsam colligere non curaret : et sic usque civitatem veniens, se infra murorum Rhemensium septa conclusit.

XXXII. Ante paucos autem menses Leudastes [b] in Turonicum cum præcepto regis advenit, ut uxorem reciperet, ibique commoraretur. Sed et nobis epistolam sacerdotum manu subscriptam detulit, ut in communionem reciperetur. Sed quoniam litteras reginæ non vidimus, cujus causa maxime a communione remotus fuerat, ipsum recipere distuli, dicens : Cum reginæ mandatum suscepero, tunc eum recipere non morabor. Interea ad eam dirigo; quæ mihi scripta remisit, dicens : Compressa a multis aliud facere non potui, nisi ut eum **307** abire permitterem : nunc autem rogo, ut pacem tuam non mereatur, neque eulogias de manu tua suscipiat, donec a nobis quid agi debeat, plenius pertractetur. At ego hæc scripta relegens, timui ne interficeretur; accersitoque socero ejus hæc ei innotui, obsecrans ut se cautum redderet, donec reginæ animus leniretur. Sed ille consilium meum, quod pro Dei intuitu simpliciter insinuavi, delose suscipiens, cum adhuc nobis esset inimicus, noluit agere quæ mandavi : impletumque est illud proverbium, quod quemdam senem narrantem audivi : « Amico inimicoque bonum semper præbe consilium, quia amicus accipit, inimicus spernit. » Spreto ergo hoc consilio, ad regem dirigit, qui tunc cum exercitu in pago Miglidunensi [c] degebat : deprecatusque est populum, ut regi preces funderet, ut ejus præsentiam mereretur. Deprecante igitur omni populo, rex se videndum ei præbuit. Prostratusque pedibus ejus veniam flagitavit, cui rex : Cautum, inquit, te redde paulisper, donec visa regina conveniat qualiter ad ejus gratiam revertaris, cui multum inveniris esse culpabilis. At ille, ut erat incautus ac levis, in hoc fidens, quod regis præsentiam meruisset, rege Parisios revertente, die Dominico in ecclesia sancta reginæ pedibus provolvitur, veniam deprecans. At illa frendens et exsecrans aspectum ejus, a se repulit, fusisque lacrymis, ait : Et quia non exstat de filiis, qui criminis mei causas inquirat, tibi eas, Jesu Domine, inquirendas committo. Prostrataque pedibus regis, adjecit : Væ mihi, quæ video inimicum meum, et nihil ei prævaleo! Tunc repulso eo a loco sancto, Missarum solemnia celebrata sunt. Igitur egresso rege cum regina de ecclesia sancta, Leudastes usque ad plateam est prosecutus, inopinans quid ei accideret; domosque negotiantum circumiens, species rimatur, argentum pensat, atque diversa ornamenta prospicit, dicens : Hæc et hæc **308** comparabo, quia multum mihi aurum argentumque resedit. Ista illo dicente, subito advenientes reginæ pueri, voluerunt eum vincire catenis. Ille vero evaginato gladio, unum verberat; reliqui exinde succensi felle, apprehensis parmis et gladiis super eum irruerunt. Ex quibus unus librans ictum, maximam partem capitis ejus a capillis et cute detexit. Cumque per pontem urbis fugeret, elapso inter duos axes, qui pontem faciunt, pede, effracta oppressus est tibia, ligatisque post tergum manibus, custodiæ manc patur; jussitque rex ut sustentaretur [d] a medicis, quoadusque ab his ictibus sanatus, diuturno supplicio cruciaretur. Sed cum ad villam fiscalem ductus fuisset, et computrescentibus plagis extremam ageret vitam, jussu reginæ in terram projicitur resupinus, positoque ad cervicem ejus veste immenso, ab alio ei gulam verberant [e], sicque semper perfidam ageus vitam, justa morte finivit.

XXXIII. Anno nono Childeberti regis partem Massiliæ Guntchramnus rex ipsi nepoti suo refudit. Legati principis Chilperici de Hispaniis regressi, nuntiaverunt provinciam Carpitaniam [f] graviter a locustis fuisse vastatam, ita ut non arbor, non vinea, non silva, non fructus aliquis, aut quidquam viride remaneret, quod non a locustis everteretur. Aiebant enim inimicitias illas, quæ inter Leuvichildum et filium suum pullulaverant, vehementer augeri. Lues quoque magis in illis partibus sæviens multa loca devastabat [g], sed maxime apud urbem Narbonensem [h] validius desæviebat, et jam tertio anno, quod ibidem

[a] Haud procul, uti videtur, a suis fratribus, ut Chilperico juxta pactum suppetias ferret, aut certe ut belli eventum specularetur.

[b] Qui supra lib. v, cap. 49 et 50, multa adversus Gregorium machinatus fuerat, eum accusans quod reginam adulterio pollutam esse dixisset.

[c] Colb. a., *Melodonnense*; Bec., *Megledunense*. Vide cap. præced.

[d] Sic Corb.; Colb., *sanaretur*; plerique editi cum Bec., *studeretur*, id est curaretur.

[e] Regin., *immenso, gladio ejus gulam transverberarunt... perfidam ducens quoad vixit vitam, eam sic finivit.*

[f] Carpitania pars erat veteris provinciæ Tarraconensis, in eo tractu Castellæ novæ, ubi nunc pars est Algarriæ et regionis *la Manche*, versus Tagum et Anam, cujus caput erat Toletum, urbs vel suo nomine celebris.

[g] Sic Regin. Alii, *per loca enim ejus lues vastabat, sed.*

[h] Narbo aliæque urbes Septimaniæ tunc temporis Hispaniæ tribuebantur, quod Wisigothis parerent.

apprehenderat [a] et requieverat, populique revertentes a fuga, iterum morbo consumpti sunt. Nam et Albigensis civitas maxime ab hoc incommodo laborabat. His diebus apparuerunt a parte Aquilonis nocte media radii multi, fulgore nimio relucentes, qui ad se venientes iterum separabantur, usquequo evanuerunt. Sed et cœlum **309** ab ipsa septentrionali plaga ita resplenduit, ut putaretur auroram producere.

XXXIV. Legati [b] iterum ab Hispania venerunt, deferentes munera, et placitum accipientes cum Chilperico rege, ut filiam suam, secundum conniventiam anteriorem, filio [c] regis Leuvichildi tradere deberet in matrimonium : denique dato placito, et omnibus pertractatis, legatus ille reversus est. Sed Chilperico regi egresso de Parisiis, ut in pagum Suessionicum accederet, novus luctus advenit. Filius [d] enim ejus, quem anno superiore sacro baptismate ablnerat, a dysenteria correptus, spiritum exhalavit. Hoc enim fulgor ille, quem superius ex nube dilapsum memoravimus, figuravit. Tunc cum immenso fletu regressi Parisios, sepelierunt puerum, mittentes post legatum, ut reverteretur, scilicet ut placitum quod posuerat prolongaret, dicente rege : Ecce planctum in domo sustineo, et qualiter nuptias filiæ celebrabo? Voluit enim tunc aliam filiam [e] illuc dirigere, quam de Audovera habebat, et eam in monasterio Pictavensi posuerat. Sed illa distulit, resistente præcipue beata Radegunde, et dicente : Non est enim dignum, ut puella Christo dicata iterum ad sæculi voluptates revertatur.

XXXV. Dum autem hæc agerentur, nuntiatur reginæ puerum qui mortuus fuerat, maleficiis et incantationibus fuisse subductum, ibique Mummolum præfectum [f], quem jam diu regina invisum habebat, conscium esse. Unde factum est, ut opulante eo in domo sua, quidam de aulicis regis puerum dilectum sibi, qui a dysenteria correptus fuerat, lamentaretur. Cui præfectus respondit : Habetur mihi herba in promptu, de qua si dysentericus **310** hauriat, quamlibet desperatus sit, mox sanatur. Nuntiatis his reginæ, majore furore succenditur. Interea apprehensas mulieres urbis Parisiacæ tormentis applicat, ac verberibus cogit fateri quæ noverant. At illæ confitentur se maleficas esse, et multos occumbere lethe se fecisse testatæ sunt, addentes illud, quod nulla ratione credi patior : Filium, aiunt, tuum, o regina, pro Mummoli præfecti vita dimisimus. Tunc regina tormentis gravioribus mulieribus affectis, alias enecat, alias incendio tradit, alias rotis ossibus confractis innectit. Et sic Compendium villam una cum rege secessit, ibique universa regi quæ de præfecto audierat revelavit. Rex vero missis pueris jussit eum arcessiri, discussumque catenis onerant, et suppliciis subdunt. Trahi post tergum revinctis manibus appenditur, et ibi quid maleficii noverit, interrogatur. Sed nihil de his quæ superius memoravimus, confitetur. Hoc tamen protulit sæpius se inunctiones et potiones, quæ ei regis reginæque gratiam præberent, ab his mulieribus suscepisse. Depositus igitur de pœna, vocat ad se lictorem, dicens : Nuntia domino meo regi, quia nihil mali sentio de his quæ illata sunt. His auditis rex : Verumne [g] est, inquit, hunc esse maleficum, si de his nihil est læsus pœnis? Tunc extensus ad trochleas, tandiu loris triplicibus cæsus est, quoadusque ipsi lassarentur tortores : posthæc sudes ungulis manuum pedumque defigunt. Cumque in hoc causa ageretur, ut ad decidendam cervicem ejus gladius immineret, a regina vitam obtinuit, sed non fuit minor morte humilitas subsecuta. Nam impositus plaustro, ad Burdegalensem urbem, in qua ortus fuerat, ablata **311** omni facultate, transmittitur; in via vero ictuatus [h] sanguine, vix accedere quo jussus est valuit. Sed non post multum tempus spiritum exhalavit. Posthæc regina apprehenso pueruli thesauro, tam vestimenta quam reliquas species, vel ex serico, aut quocunque vellere invenire potuit, igne consumpsit; quod ferunt quatuor plaustra levasse : aurum vero et argentum fornace conflatum reposuit, ne aliquid integrum remaneret, quod ei planctum filii in memoriam revocaret.

XXXVI. Ætherius [i] vero Luxoensis episcopus, cujus supra meminimus, hoc ordine a civitate sua vel

[a] Colb. a., *desæverat*. Regin., *advenerat*.

[b] Deest hoc caput in Vat., Corb. et Colb. a., licet habeant sequens, quod isti necessario conjunctum est. Fuerat placitum, de quo hic, dies erat indicta ad audiendos legatos. Et quidem placita generaliter dicebantur conventus, in quibus publice negotia, sive regni, sive etiam privatorum, discutiebantur. Sicut enim erant placita regis, sic erant placita comitum, judicum, etc. Parlamenta postmodum dicta fuerunt. Instrumenta publica, quæ finitis in ejusmodi conventibus negotiis reddebantur, appellata etiam fuerunt placita seu judicia. Vide Bignon. in lib. I Marculfi, formula 37, et Mabillon. de re Diplomatica.

[c] Recciredo scilicet, Hermenegildi fratri, cui ipsa, nempe Rigunthis, jamdudum promissa fuerat.

Theodericus, de quo supra cap. 25 et 27, et infra cap. seq.

[d] Basinam, quæ postea in illo monasterio cum Chrodielde multas turbas excitavit, de quibus fuse Gregorius infra.

[e] Inquirit Valesius, cur hic Mummolus *præfectus* appelletur. Nam etsi certum sit Provinciæ Massilienses rectores tunc temporis *præfecti* nomine fuisse donatos, inde tamen præfecti titulum Mummolo tributum dici non posse observat, quod Chilpericus, in cujus ditione vivebat Mummolus, nihil unquam ea in provincia possederit. Tum rejecta Falcesii opinione, qui sui ævi mores antiquis temporibus incaute applicando, scripsit Mummolum sic fuisse appellatum, quod Parisiorum urbis præfectus esset, concludit tandem Mummolum a Gregorio præfectum dictum fuisse, quod reipsa aulæ præfectus, seu regiæ domus major exstiterit

[f] Regm., *ait, Putasne verum est quia hic maleficus est, et istis non læsus est pœnis; extendatur igitur ad trochleas et tandiu loris triplicibus cædatur, quoadusque ipsi lassentur tortores.*

[g] Bad., *ictus*. Colb. m., *ictu actus*.

[h] Hoc caput deest in Vat., Colb. a. et Corb. Regm. habet *Æthericus vero Luxoviensis*. Editi, *Lyxoensis*, seu *Lixoensis*, vulgo *Lisieux* in Normannia. Porro locus in quo supra Gregorius Ætherii meminerit, non exstat. Unde Cointius infert hoc caput ex alio auctore Gregorii historiæ assutum fuisse. Sed ipse Gregorius lib. IV, cap. 16, quod in mss. Corb., Bellov. et ca-

expulsus est, vel receptus. Clericus quidam exstitit ex Cenomannica urbe, luxuriosus nimis, amatorque mulierum, et gulæ ac fornicationis, omnique immunditiæ valde deditus. Hic mulieri [*Al.* mulieris] cujusdam sæpius scorto commixtus, comam capitis totondit, mutatoque virili habitu [a], secum in aliam civitatem deduxit, ut suspicio adulterii auferretur, cum inter incognitos devenisset. Erat enim mulier ingenua genere, et de bonis orta parentibus. Comperto autem post dies multos propinqui ejus quæ acta fuerant, ad ulciscendam humilitatem generis sui velocius properant, repertumque clericum vinctum custodiæ mancipant; mulierem vero igni consumunt. Et, sicut cogit auri sacra fames, clericum sub pretio venundari procurant, ea videlicet ratione, ut aut esset qui redimeret, aut certe morti addiceretur obnoxius. Cumque hæc Ætherio episcopo delata fuissent, misericordia motus, datis viginti aureis [b], eum ab imminenti exemit interitu. Igitur postquam vitæ donatus est, profert se litterarum esse doctorem, promittens sacerdoti, quod si ei pueros delegaret, perfectos eos in litteris redderet. Gavisus auditu sacerdos, pueros civitatis collegit, ipsique delegat ad docendum. Denique cum jam honoraretur a civibus, et pontifex ei aliquid terræ vinearumque largitus fuisset, ac per domos parentum **312** eorum quos erudiebat, invitaretur, reversus ad vomitum, unius pueruli matrem, immemor anterioris injuriæ, concupiscit. Quod cum pudica viro mulier declarasset, conjuncti parentes ejus gravissimis clericum tormentis subdentes, interimere voluerunt. Quem sacerdos iterum misericordia motus, castigatum verbis lenibus liberavit, honorique restituit. Sed mens læva nunquam ad bonitatem potuit inclinari, sed potius factus est ejus inimicus, a quo sæpius fuerat de morte redemptus. Conjunctus est enim archidiacono civitatis, et se episcopatu dignum proferens, episcopum molitur occidere. Locatoque clerico, qui eum hipenne percuteret, ipsi ubique discurrunt, mussitant, amicitias eam illigant, proferunt præmia, ut si sacerdos obiret, ipse succederet. Sed misericordia Domini anticipavit eorum perfidiam, crudelitatemque iniquorum hominum veloci pietate repressit. Die vero quo sacerdos operarios in agro aggregaverat ad sulcandum, clericus antedictus cum securi prosequitur sacerdotem nihil de his penitus scientem. Tandem igitur hæc advertens : Quid tu, inquit, me attentius cum hac hipenne prosequeris? At ille timore perterritus, ad genua viri provolvitur, dicens : Fortis esto, sacerdos Dei. Nam scias me emissum ab archidiacono ac præceptore, ut te securi percuterem. Quod cum sæpius facere voluissem, et ictum dextra suspensa librarem, tegebantur tenebris oculi mei, et aures obserabantur, totumque corpus tremore quatiebatur; sed et manus absque virtute erant, et quæ optabam implere non poteram : cum vero manus deposuissem, nihil mali sentiebam omnino. Cognovi enim quoniam tecum est Dominus, eo quod non potui aliquid tibi nocere. Hæc eo dicente, flevit sacerdos, imponens silentium clerico, reversusque domum cœnæ discubuit. Qua exacta, in strato suo quievit, habens circa lectum suum multos lectulos clericorum [c]. Denique diffisi hi de **313** clerico, per se nefas perficere cogitantes, nova argumenta machinantur, per quæ, aut eum vi exstinguerent, aut certe crimen, quo a sacerdotio divelleretur, imponerent. Interea quiescentibus cunctis, media fere nocte cubiculum sacerdotis irrumpunt, exclamantes voce magna, atque dicentes vidisse se mulierem a cubiculo egredi, ipsamque ob hoc dimisisse, dum ad episcopum festinassent. Et sane pars hæc [d] et consilium diaboli fuit, ut in tali ætate crimen imponerent sacerdoti, qui erat fere septuaginta annorum. Nec mora, conjuncto secum iterum antedicto clerico, alligatur sacerdos catenis ab ejus manibus, de cujus collo sæpius vincula discusserat, et arduæ custodiæ mancipatur ab eo, quem de cœnosis carceribus plerumque liberaverat. At ille cognoscens inimicos sibi vehementer invaluisse, Domini misericordiam cum lacrymis in vincula compactus exorat. Mox opprimuntur somno custodes, solutisque divinitus vinclis, de custodia procedit innoxius, noxiorum frequentissimus liberator : deinde dilapsus, ad regnum Guntchramni regis transiit. Quo discedente, liberius jam conjuncti satellites ad regem Chilpericum properant pro episcopatu petendo, multa crimina de episcopo proloquentes, addentes ista : In hoc cognosce, rex gloriosissime, vera esse hæc quæ dicimus, quia mortem pro sceleribus timens ad fratris tui transiit regnum. Quod ille non credens, hos ad civitatem redire jubet. Dum hæc agerentur, mœsti cives de pastoris absentia, cognoscentes omnia quæ de eo acta fuerant per invidiam et avaritiam perpetrata, apprehensum cum satellite archidiaconum injuriæ subdentes, ad regem petierunt, ut reciperent sacerdotem suum. At rex legatos fratri suo dirigit, asserens nihil se criminis in episcopo reperisse. Tunc Guntchramnus rex, ut erat benignus et profluus ad misericordiam, multa ei munera contulit, dans etiam epistolas per omnes episcopos regni sui, ut peregrinum aliquo [e] pro Dei intuitu consolarentur. **314** Tunc circumiens civitates, tanta ei a sacerdotibus Dei collata sunt, tam in vestibus quam in auro, ut vix civitati quæ meruerat posset inferri; impletumque est illud quod ait Apostolus : *Quia diligentibus Deum omnia concurrunt in bonum* (*Rom.* VIII, 28). Nam huic peregrinatio divitias attulit, et exsilium

teris omnibus habetur, dicit pariter de S. Tetrico episc. Lingonensi, *cujus..... memoriam fecimus*; de quo tamen apud eum nihil invenitur.

[a] Regm., *mutatoque femineo habitu in virilem.*

[b] Idem codex, *argenteis.*

[c] Juxta canonum præscriptum, qui volunt episcopos semper habere secum testes privatæ suæ conversationis, can. *Cum pastoris*, 2, qu. 7. Adi Greg. M. lib. IV, epist. 44. Concellaneos appellat synodi Rom. in causa Symmachi, Græci synelios.

[d] Casin., *Et insaniæ pars hæc.*

[e] Bec., *aliquid.*

opes multas invexit. Posthæc regrediens a civibus cum tali honore susceptus est, ut præ gaudio flerent, et benedicerent Deum, qui tandem ecclesiæ tantum restituit sacerdotem.

XXXVII. Lupentius [a] vero abbas basilicæ sancti Privati martyris urbis Gabalitanæ, a Brunichilde regina arcessitus, advenit. Incusatus enim, ut ferunt, fuerat ab Innocentio supradictæ urbis comite, quod profanum aliquid effatus de regina fuisset. Sed discussis causis, cum nihil de crimine majestatis conscius esset inventus, discedere jussus est. Verum ubi viam carpere cœpit, iterum ab antedicto comite captus, et ad Ponticonem villam deductus, multis suppliciis est affectus; dimissusque iterum ut rediret, cum super Axonam fluvium tentorium tetendisset, iterum irruit super eum inimicus ejus. Cujus vi oppressi amputatum caput in culeum oneratum lapidibus posuit, et flumini dedit; reliquum vero corpus vinctum cum saxo immersit gurgiti. Post dies vero paucos apparuit quibusdam pastoribus, et sic extractum a flumine sepulturæ mandatum est. Sed dum necessitates funeris pararentur, et ignoraretur quis esset e populo, præsertim cum caput truncati non inveniretur, subito adveniens aquila levavit culeum a fundo fluminis, et ripæ deposuit: admirantesque qui aderant, apprehenso culeo, dum sollicite quid contineret inquirunt, caput truncati reperiunt, et sic cum reliquis artubus est sepultum. Nam ferunt nunc et lumen ibi divinitus apparere: et si infirmus ad hunc tumulum fideliter deprecatus fuerit, accepta sospitate recedit.

XXXVIII. Theodosius [b] Rutenorum episcopus, qui sancto Dalmatio **315** successerat, diem obiit: in qua ecclesia intantum pro episcopatu intentiones et scandala orta convaluerunt, ut pene sacris ministeriorum vasis et omni facultate meliori nudaretur: verumtamen Transobadus presbyter rejicitur, et Innocentius [c] Gabalitanorum comes eligitur ad episcopatum, opitulante Brunichilde regina. Sed assumpto episcopatu, confestim Ursicinum Cadurcinæ urbis episcopum lacessere cœpit, dicens, quia diœceses Rutenæ Ecclesiæ debitas retineret. Unde factum est, ut diuturna intentione gliscente, post aliquot annos conjunctus metropolis [d] cum suis provincialibus apud urbem Arvernam residens, judicium emanaret, scilicet ut parochias, quas nunquam Rutena Ecclesia tenuisse recolebatur, reciperet: quod ita factum est.

XXXIX. Hemigius [e] Biturigum episcopus obiit: cujus post transitum gravi incendio pars maxima civitatis cremata est, ibique [f] illa quæ hostilitati resederant, perierunt. Posthæc Sulpicius in ipsa urbe ad sacerdotium, Guntchramno rege favente, præeligitur. Nam cum multi munera offerrent, hæc rex episcopatum quærentibus respondisse fertur: Non est principatus nostri consuetudo, sacerdotium venundare sub pretio, sed nec vestrum eum præmiis comparare: ne et nos turpis lucri infamia notemur, et vos Mago Simoni comparemini. Sed juxta Dei præscientiam Sulpicius vobis erit episcopus. Et sic ad clericatum deductus, episcopatum ecclesiæ supradictæ suscepit. Est enim vir valde nobilis, et de primis senatoribus Galliarum, in litteris bene eruditus rhetoricis, in metricis vero artibus nulli secundus. Hic synodum illam, cujus supra meminimus, pro parochiis Cadurcinis fieri commonuit.

XL. Legatus vero, Oppila nomine, de Hispaniis advenit, multa munera **316** Chilperico regi deferens. Timebat enim rex Hispanorum, ne Childebertus exercitum ad ulciscendam sororis suæ injuriam commoveret: quia Leuvichildus apprehensum filium suum Hermenegildum, qui sororem [g] Childeberti acceperat, retruserat in custodiam, ipsa muliere cum Græcis relicta. Igitur cum die sancto Paschæ hic legatus Turonis advenisset, sciscitati sumus, utrum nostræ religionis esset. Respondit ipse se hoc credere quod catholici credunt. Exinde procedens nobiscum ad ecclesiam, Missarum solemnia tenuit; sed neque pacem cum nostris fecit, neque de sacrificiis communicavit [h]. Cognitumque est mendacium esse quod dixerat se esse catholicum. Nihilominus ad convivium invitatus adfuit. Cumque ego sollicitus requirerem quid crederet, respondit: Credo Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius esse virtutis. Cui ego respondi: Si hæc, ut asseris, credis, quæ obstitit causa ut de sacrificiis, quæ Deo offerimus, communicare differres? Et ille: Quia, inquit, Gloriam non recte respondetis; nam juxta Paulum

[a] Hoc caput deest in Vat., Corb. et Colb. a. S. Lupentii corpus Catalaunum allatum, in ecclesia cathedrali servatum est usque ad annum 1667, quo ecclesia fulmine die 19 Januarii icta conflagravit, simulque sacræ reliquiæ, quæ ibi servabantur, consumptæ sunt. Quæ vero superfuerunt, ossa scilicet semiusta, et cineres, simul congesta in theca asservantur retro majus altare. Festum beati Lupentii ibidem die XI Kal. Novembris colitur, dicturque vulgo *saint Louvent*.

[b] Neque hoc caput exstat in Corb., Vat. et Colb. a. De S. Dalmatio, Theodosii electione et Transobado, vide supra lib. V, cap. 47. Transobadus dicitur in Colb. m. *Trasobalaus*; in Regm., *Teusobaldus*; in aliis, *Trasobadus*.

[c] Is ipse, de quo cap. præced. et lib. X, cap. 8.

[d] Sic Colb. m. et Regm., quæ est sincera lectio. Ita enim Gregorius et alii auctores ejus ævi habent pro *metropolitanus*. Vide Conc. Paris. III, can. 8, et Marculfi formulas. Unde male apud Chesn. et aliquot alios editos, *metropolitanis*; melius nonnulli, *metropolitanus*. Is erat Sulpicius Severus, ex cap. sequenti, de quo lib. X, cap. 26. Parochiæ vero, de quibus lis movebatur, illæ erant, ut suspicatur Valesius, quæ Arisitensi episcopatui attributæ fuerant, de quibus supra lib. V, cap. 5.

[e] Deest etiam hoc caput in Corb., Vat. et Colb. a. Idem antistes sub *Remedii* nomine subscripsit Concilio Matisc. I, anno 581. Ejus et successoris sui Vita habetur in Patriarchio Bituricensi, cap. 26 et 27, tomo II Biblioth. novæ Labbei.

[f] *Ibique*, etc., usque ad *perierunt*, desunt in Colb. m. At Cas. habet *hostilitati restiterant*.

[g] Ingundem Sigiberti filiam.

[h] Observa notatum hominem, qui cum sacris interfuisset, iis non participaverat, nec pacem ab aliis fidelibus acceperat. Missas autem tenere, idem est ac ipsis interesse, ex can. 47 Concil. Agathensis, aut certe, si de sacerdote habeatur sermo, eas celebrare, ut in Regula S. P. Benedicti, cap. 60. Vide Card. Bona, lib. I Rer. Liturgic., cap. 2, n. 6.

apostolum nos dicimus : Gloria Deo Patri per Filium ; vos autem dicitis : Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto ; cum doctores ecclesiarum doceant, Patrem per Filium nuntiatum fuisse in mundo, sicut ipse Paulus ait : *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum, per Jesum Christum Dominum nostrum* (*I Tim.* I, 17). Et ego respondi : Patrem per Filium annuntiatum nulli catholico esse incognitum reor ; sed sic prædicavit Patrem in sæculo, ut et se virtutibus ostenderet Deum. Deo autem Patri hæc necessitas fuit Filium mittendi ad terras, ut ostenderet Deum : ut quia mundus patriarchis, et prophetis, atque ipsi latori legis non crediderat, saltem vel Filio crederet. Ideoque necesse est, ut sub significatione personarum **317** gloria detur Deo. Dicimus ergo : Gloria Deo Patri qui misit Filium ; gloria Deo Filio, qui sanguine suo redemit mundum ; gloria Deo Spiritui sancto, qui sanctificat hominem jam redemptum. Nam tu qui dicis, Gloria Patri per Filium, adimis gloriam Filio ; quasi ipse non sit gloriosus cum Patre, propterea quod eum annuntiavit in mundo. Nuntiavit, ut diximus, Filius Patrem in mundo, sed multi non crediderunt, dicente Joanne evangelista : *In sua* [a] *propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I, 11, 12). Nam tu qui Paulo apostolo derogas, et sensum ejus non intelligis, percipe quam caute loquitur, et juxta [*Al.* juste] ut recipere quis potest, adverte qualiter prædicat inter gentes incredulas, ut nullis onus grave videatur imponere, sicut quibusdam dicit : *Lac* [b] *vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis* (*I Cor.* III, 2). *Perfectorum est enim solidus cibus* (*Heb.* V, 14). Sed et aliis dicit : *Nihil vobis prædicavi, nisi Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). Nunc autem quid vis, o tu hæretice, quia Paulus Christum tantum crucifixum prædicavit, resurrexisse tu dubitas ? Adverte potius cautelam ejus, et vide astutiam, quid aliis dicit, quos robustiores videbat in fide : *Et si*, inquit, *novimus Christum* [c] *crucifixum, nunc autem jam non novimus* (*II Cor.* V, 16). Nega ergo tu accusator Pauli, si tanta mentem dementia cepit, quia nec crucifixus est. Sed, quæso, relinque ista, et audi consilium melius : adhibe collyria oculis lippis, et lucem prædicationis apostolicæ percipe. Secundum homines enim loquebatur Paulus humilius, ut eos ad celsioris fidei fastigia sublevaret, sicut alibi ait : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (*I Cor.* IX, 22). Nunquid homo mortalis non est daturus gloriam Filio, quem ipse Pater non semel, sed bis et tertio glorificavit e cœlo ? Ausculta quid de cœlis loquitur, cum idem Filius, descendente A Spiritu sancto, sub Joannis manu baptizaretur. *Hic est*, ait, *Filius meus dilectus, in quo bene complacui* (*Matth.* XVII, 5). Certe si oppilatas habes aures, ut ista non audias, crede apostolis quid **318** in monte audierint, cum transfiguratus Jesus in gloria loqueretur cum Moyse et Helia. Nempe de nube splendida Pater ait : *Hic est Filius meus charissimus, ipsum audite* (*II Pet.* I, 17). Ad hæc hæreticus respondit : Nihil in his testimoniis Pater de gloria loquitur Filii, nisi tantum ipsum Filium monstrat. Et ego : Si enim ista sic recipis, proferam tibi aliud testimonium, in quo Pater reddidit Filium gloriosum. Veniente autem Domino ad passionem, cum ille diceret : *Pater glorifica Filium tuum, ut Filius tuus glorificet* [d] *te* (*Joan.* XVII, 1), quid ei Pater respondit de cœlo ? Nonne ait : B *Et glorificavi, et iterum glorificabo* (*Joan.* XII, 28) ? Ecce enim Pater glorificat eum propria voce, et tu ei gloriam conaris adimere ? Voluntatem quidem ostendis, sed potestas nulla suppetit. Nam qui Pauli apostoli accusator existis, audi ipsum imo Christum in ipso loquentem : *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 11). Quod si nunc communis est cum Patre gloria, et in ipsa qua nunc Pater est gloria commoratur, qualiter eum tu quasi inglorium exhonoras ? Aut cur non erit ei reddenda gloria inter homines, qui pari gloria cum Patre regnat in cœlis ? Confitemur ergo Christum Filium Dei Deum verum. Ideoque quia deitas una, una erit et gloria. Posthæc dato silentio, ab altercatione cessatum est. Ille quoque ad Chilpericum C regem accedens, oblatis muneribus quæ rex Hispanorum miserat, in Hispaniam est regressus.

XLI. Comperto autem Chilpericus rex quod Gantchramnus frater ejus cum Childeberto nepote suo pacem fecerat, et civitates, quas violenter invaserat, ei simul vellent auferre, cum omnibus thesauris suis in Cameracensem urbem discessit, et omnia quæ melius habere potuerat, secum tulit. Misitque ad duces et comites civitatum nuntios, ut muros componerent urbium, resque suas cum uxoribus et filiis infra murorum munimenta concluderent, atque ipsi, si necessitas exigeret, repugnarent viriliter, ne ei pars adversa noceret, illud addens : Et si aliquid perdideritis, cum de inimicis **319** ulciscemur, majora conquiretis ; nesciens patrationem victoriarum D in manu Dei consistere. Deinde sæpius exercitum commovet, et iterum infra terminum requiescere jubet. His diebus ei filius natus est, quem in villa Victoriacensi [e] nutrire præcepit, dicens : Ne forte dum publice videtur, aliquid mali incurrat et moriatur.

XLII. Childebertus vero rex in Italiam abiit. Quo cum audissent Langobardi [f], timentes ne ab ejus exercitu cæderentur, subdiderunt se ditioni ejus

[a] Sic Corb., Bec., Colb. a., Colb. e. et Regm. ; alii non habent *sua*. Et infra Corb. et Regm., *quotquot eum*, etc.

[b] Hæc verba, usque ad *nihil vobis*, desunt in Corb., quæ est scriptoris omissio.

[c] Editi, *Jesum Christum*.

[d] Regm., *clarificet*. Et infra, *clarificavi..... clarificabo*.

[e] In Belgio, ubi occisus fuerat Sigibertus ex lib. IV cap. ult. Filius autem Chilperici hic memoratus postmodum Chlotarius dictus est, et patri in regno successit.

[f] De variis Childeberti in Italiam expeditionibus Paulus Diac. lib. III, cap. 17 et seqq. Exstant ea

multa ei dantes munera, ac promittentes se parti ejus esse fideles atque subjectos; patratique cum his omnibus quæ voluit rex, in Gallias est regressus, atque exercitum commoveri præcepit, quem in Hispaniam dirigi jussit, sed quievit [a]. At imperatore autem Mauricio ante hos annos quinquaginta millia solidorum acceperat, ut Langobardos de Italia extruderet. Audito autem imperator, quod cum his in pace conjunctus est, pecuniam repetebat: sed hic, fidus a solatiis, ne responsum quidem pro hac re voluit reddere.

XLIII. In Gallicia [b] quoque novæ res actæ sunt, quæ desuperius [c] memorabuntur. Igitur cum Hermenegildus, sicut supra diximus [d], patri infensus esset, et in civitate quadam Hispaniæ cum conjuge resideret, solatio fretus imperatoris, atque Mironis [e] Galliciensis regis, patrem ad se cum exercitu venire cognovit, consiliumque iniit qualiter venientem aut repelleret, aut necaret: nesciens miser judicium sibi immineре divinum, qui contra genitorem, quamlibet hæreticum, talia cogitaret. Habito ergo tractatu, de multis virorum millibus trecentos viros elegit armatos, et infra castrum Osser [f], **320** in cujus ecclesia fontes divinitus complentur, includit: ut scilicet primo impetu ab his pater territus ac lassatus, facilius ab inferiori manu, quæ erat plurima, vinceretur. Denique his dolis Leuvichildus rex cognitis, cogitatione maxima fatigatur. Si, inquit, illuc cum omni exercitu abiero, conglobatus in unum exercitus adversariorum jaculis crudelissime sauciatur. Si vero cum paucis vadam, virorum fortium manum nequeo superare; tamen cum omnibus ibo [g]. Et accedens ad locum viros protrivit, castrumque combussit, sicut jam superius memoratum est. Patrata quoque victoria, cognovit Mironem regem contra se cum exercitu residere Quo circumdato, sacramenta exigit sibi in posterum fore fidelem. Et sic datis sibi invicem muneribus, unusquisque ad propria est regressus. Sed Miro postquam in patriam rediit, non multos post dies conversus ad lectulum, obiit: infirmatus enim ab aquis Hispaniæ fuerat malis, aeribusque incommodis. Quo defuncto, filius ejus Eurichus Leuvichildi regis amicitias expetit; datoque, ut pater fecerat, sacramento, regnum Galliciense suscepit. Hoc vero anno cognatus ejus Audica [h], qui sororem illius desponsatam habebat, cum exercitu venit, apprehensumque clericum [i] facit, ac diaconatus sive presbyterii ei imponi honorem jubet: ipse vero accepta soceri sui uxore [j], Galliciense regnum obtinuit. Leuvichildus vero filium suum Hermenegildum cepit, et secum usque Toletum adduxit, condemnans eum exilio; uxorem tamen ejus a Græcis eripere non potuit.

XLIV. Locustæ quoque de Carpitania provincia, quam per quinque vastaverant annos, hoc anno **321** progressæ, aggeremque publicum tenentes, ad aliam se provinciam, quæ huic vicina erat provinciæ, contulerunt. Quare spatium in centum [k] quinquaginta extenditur millia longitudo; latitudo vero in centum millibus terminatur. Hoc anno multa prodigia apparuerunt in Galliis, vastationesque multæ fuerunt in populo. Nam mense Januario rosæ visæ sunt; circa solem quoque circulus magnus apparuit, diversis coloribus mistus, ut solet in illo cœlestis iris ambitu pluvia discedente [l] monstrari. Pruina graviter vineas exussit; tempestas etiam subsecuta vineas segetesque per plurima loca vastavit, residuum quoque grandinis siccitas immensa consumpsit. Exiguusque fructus in aliquibus vineis visus, in aliis vero nullus, ita ut irati contra Deum homines, patefactis aditibus vinearum, pecora vel jumenta, intromitterent, noxias sibi immiscentes miseri preces, atque dicentes: Nunquam in his vineis palmes nascatur in sempiternum. Arbores vero, quæ mense Julio poma protulerant, mense Septembri fructus alios ediderunt. Morbus pecorum iteratus invaluit, ita ut vix quidquam remaneret.

XLV. Interim advenientibus Kalendis Septembribus, Gotthorum magna legatio ad regem Chilpericum accedit. Ipse vero jam regressus Parisios, familias multas de domibus fiscalibus [m] auferri præcipit, et in plaustris componi; multos quoque flentes et

re aliquot epistolæ, quæ editæ sunt a Cheso. et Frehero, in quibus Mauricius et ejus præfecti de Francis, quasi de violatæ fidei reis conqueruntur. Autharius Clepi filius tunc apud Langobardos regnabat, qui *Flavius ob dignitatem* appellatus est; istudque *prænomen* subsequentibus regibus gentis suæ transmisit, ut refert Paulus Diac. lib. III, cap. 16.

[a] Regm., *sed nescio qua de causa remansit. Nam ab.*

[b] Corb., Colb. et Freh., *Gallia.* Bad. melius, *Callecia.*

[c] Gallice, *dessous*; unde Colb. p. habet *inferius.*

[d] Lib. V, cap. 39, quod vide. Urbs hic memorata est Hispalis, cui tunc præerat episcopus S. Leander, ad Tiberium imp. legatus, ut opem adversus Leuvigildum imploraret.

[e] Is erat catholicus, patre ipsius cum tota Suevorum gente, cui imperabat, per Martinum Dumiensem ad fidem rectam adducto. Joannes Biclarensis, et Isidorus vulgatus in *Chronico* scribunt Mironem in Leuvigildi auxilium accessisse, vitamque finisse apud Hispalim.

[f] Alii *Osset*, seu *Oser*; castrum erat ex adverso Hispalis, olim a Romanis *Julia Constantia* dictum.

[g] Corb., *ibit*, pro *ivit.*

[h] Edit., *Auduca.* Regm. nomen non exprimit.

[i] Isidorus in Chronico, Eboricum monachum factum in monasterio damnatum ab Audica fuisse scribit. Idem refert Leuvigildum Suevis bellum intulisse, in quo victus Audica, presbyterii officio mancipatus est, quo pacto Suevorum imperium in Hispaniis deletum fuit. Vide Joan. Biclar. Chronicum.

[j] Siseguntia nimirum Mironis uxore, ex Joan. Biclar. Chronico.

[k] In Cod. Corb. deest *centum.*

[l] Cod. Colb., *descendente.*

[m] Hujus loci occasione de domibus fiscalibus agit Valesius lib. XI. Rerum Francic., atque veteres Germanos non urbes, sed villas et vicos habitare consuevisse, in quibus suam quisque familiam, et pecus quamplurimum poterat, alebat. Nostri autem reges, more hoc retento, complures ejusmodi villas habuerunt, per totum regnum sparsas, ita ut nunquam fere extra suas domos, etiam in imperibus,

nolentes abire, in custodiam retrudi jussit, ut eos facilius cum filia transmittere posset. Nam ferunt multos sibi ob hanc amaritudinem vitam laqueo extorsisse, dum de parentibus propriis auferri metuebant. Separabatur autem filius a patre, mater a filia, et cum gravi gemitu ac maledictionibus discedebant; tantusque planctus in urbe **322** Parisiaca erat, ut planctui compararetur Ægyptio. Multi vero meliores nati [a], qui vi comprehendebantur abire, testamenta condiderant, resque suas ecclesiis deputantes, atque parentes, ut cum in Hispanias puella introisset, statim testamenta illa, tanquam si jam essent sepulti, reserarentur. Interea legati regis Childeberti Parisios advenerunt, contestantes Chilperico regi, ut nihil de civitatibus, quas de regno patris sui tenebat, auferret, aut de thesauris ejus in aliquo filiam muneraret, ac non mancipia, non equites [*Al.* equos], non juga boum, neque aliquid hujusmodi de his auderet attingere. De quibus legatis unum ferunt etiam interemptum, sed nescitur a quo. Suspicio tamen vertebatur ad regem. Promittens vero Chilpericus rex nihil de his contingere, convocatis melioribus Francis, reliquisque fidelibus, nuptias celebravit filiæ suæ [b]. Traditaque legatis Gotthorum, magnos ei thesauros dedit; sed et mater ejus immensum pondus auri argentique, sive vestimentorum protulit, ita ut videns hæc rex, nihil sibi remansisse putaret. Quem cernens regina commotum, conversa ad Francos, ita ait: Ne putetis, o viri, quidquam hic de thesauris anteriorum regum haberi. Omnia enim quæ cernitis, de mea proprietate oblata sunt, quia mihi gloriosissimus rex multa largitus est. Et ego nonnulla de proprio congregavi labore [c], et de domibus mihi concessis, tam de fructibus quam de tributis; plurima reparavi. Sed et vos plerumque me muneribus vestris ditastis, de quibus sunt ista quæ nunc coram videtis; nam hic de thesauris publicis nihil habetur. Et sic animus regis delusus est. Nam tanta fuit multitudo rerum, ut aurum argentumque, et reliqua ornamenta, quinquaginta plaustra levarent. Franci vero multa **323** munera obtulerunt: alii aurum, alii argentum, nonnulli equites [*I.* equos], plerique vestimenta, et unusquisque ut potuit donativum dedit. Jam vero valefaciens puella, post lacrymas et oscula, cum de porta egrederetur, uno carrucæ effracto axe, omnes Mala-hora dixerunt: quod a quibusdam pro auspicio susceptum est. Denique hæc de Parisiis progressa, octavo ab urbe milliario tentoria figi præcepit. Surgentes enim quinquaginta viri de nocte, apprehensis centum equitibus [*Al.* equis] optimis, totidemque frenis aureis, ac duabus catenis magnis, ad Childebertum regem fuga dilapsi abierunt. Sed et per totum iter cum labi cuis potuisset, effugiebat, ferens secum quæ arripere potuisset. Apparatus quoque magnus expensæ [d] de diversis civitatibus in itinere congregatus est, in quo nihil de fisco suo rex dari præcepit, nisi omnia de pauperum conjecturis [e]. Sed quoniam suspicio erat regi, ne frater aut nepos aliquas insidias puellæ in via pararent, vallatam ab exercitu pergere jussit. Erant autem cum ea viri magnifici: Bobo dux, filius Mummoleni, cum uxore, quasi paranympius; Domegiselus, et Ansoaldus; major domus autem Waddo [f], qui olim Santonicum rexerat comitatum: reliquum vero vulgus super quatuor millia erat. Cæteri autem duces et camerarii [g], qui cum ea properaverant, de Pictavo regressi sunt; isti vero iter conficientes, pergebant ut poterant. Per quam viam tanta spolia, tantæque prædæ factæ sunt, ut vix valeant enarrari; nam hospitiola pauperum exspoliabant, vineas devastabant, ita ut incisis caudicibus cum uvis [h] auferrent, levantes pecora, vel quidquid invenire potuissent, nihilque per viam qua gradiebantur relinquentes; impletumque est quod dictum est per Joel prophetam: *Residuum locustæ comedit eruca* [i], *et residuum erucæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* (*Joel* I, 4). Ita et hoc actum est tempore, **324** ut residuum pruinæ protereret tempestas, et residuum tempestatis exureret siccitas, et residuum siccitatis auferret hostilitas.

XLVI. His itaque cum hac præda pergentibus, Chilpericus, Nero nostri temporis et Herodes, ad villam Calensem, quæ distat ab urbe Parisiaca quasi centum stadiis, accedit, ibique venationes exercet. Quadam vero die regressus de venatione, jam subobscura nocte, dum de equo susciperetur, et unam manum super scapulam pueri retineret, adveniens quidam eum cultro percutit sub ascellam, ita-

commanerent; ex quibus sibi suisque omnia ferme suppeditabantur. Ib. enim erant agricultores, vinitores, pastores, coqui, pistores, etc., qui suum quique opus exercebant, illique servi fiscales sive regales dicebantur; quos alii familiam dominicam, alii ministeriales regios appellabant. Iis tam villis, quam hominibus præerant domestici regis nonnunquam etiam majores domus dicti, qui eo potentiores erant, quo pluribus villis præficiebantur; unicuique autem villæ suus erat procurator, actor dominicus dictus, qui domestico subjectus, ipsi rationem reddere tenebatur. Tales erant regum nostrorum familiæ, ex quibus Chilpericus jure suo utens, multos etiam invitos in Hispaniam abire coegit.

[a] Sic dicebantur, qui dignitate aliqua aut opibus pollebant; nonnunquam etiam *majores natu*, aut *seniores* appellabantur; et econtrario *minores natu* qui nihil supra plebeios habebant. Vide Glossar. Cangii.

[b] Vide cap. 9 libri sequentis.

[c] In Corb. deest *labore*.

[d] Regm. et Chesn., *et expensæ... congregatæ sunt*.

[e] Id est contributionibus seu collectis, potissimum quæ extra ordinem fiebant: alias *conjecta* dicebantur, ut observat Bignonius ad lib. 2 Marculfi, cap. 3.

[f] Colb. m. et Ch. al., *Waldo*; Regm., *Wardo*; Bec. *Waldo*. In indice capitum Colb. a., *Walado*.

[g] Camerarios eosdem ac cubicularios fuisse censet Bignonius in formul. 25 lib. 1 Marculfi. Eorum officia Hincmarus exponit his verbis: *De honestate vero palatii, seu specialiter ornamento regali, nec non et de donis annuis militum, absque cibo et potu vel equis, ad reginam præcipue, et sub ipsa ad camerarium pertinebat*, etc. Vide Tilium, Falcetum Orig. lib. 1, cap. 11, et Cangium in Glossario.

[h] Corb., *coticibus cunctis*.

[i] Corb., *erugo*.

ratoque etu ventrem ejus perforat; statimque profluente copia sanguinis tam per os quam per aditum vulneris, iniquum fudit spiritum. Quam vero malitiam gesserit, superior lectio docet. Nam regiones plurimas sæpius devastavit atque succendit; de quibus nihil doloris, sed lætitiam magis habebat, sicut quondam Nero, cum inter incendia palatii tragœdias decantaret [a]. Persæpe homines pro facultatibus eorum injuste punivit; in cujus tempore pauci quodammodo episcopatum clerici meruerunt. Erat enim gulæ deditus, cujus deus venter fuit, nullumque se asserebat esse prudentiorem; confecitque duos libros, quasi Sedulium meditatus, quorum versiculi debiles nullis pedibus subsistere possunt, in quibus, dum non intelligebat, pro longis syllabis breves posuit, et pro brevibus longas statuebat; et alia opuscula, vel hymnos, sive missas [b], quæ nulla ratione suscipi possunt. Causas pauperum exosas habebat, sacerdotes Domini assidue blasphemabat; nec aliunde magis dum secretus esset, exercebat ridicula vel jocos, quam de ecclesiarum episcopis. Illum ferebat levem, alium superbum; illum abundantem, istum luxuriosum; illum asserebat elatum, hunc tumidum: nullum plus [c] odio habens quam ecclesias. Aiebat enim plerumque: Ecce pauper remansit fiscus noster, ecce **325** divitiæ nostræ ad ecclesias A sunt translatæ. Nulli penitus, nisi soli episcopi, regnant; periit honor noster, et translatus est ad episcopos civitatum. Hæc aiens [*Al.* agens] assidue, testamenta quæ in ecclesias conscripta erant, plerumque disrupit, ipsasque patris sui præceptiones, putans quod non remaneret qui voluntatem ejus servaret, sæpe calcavit. Jam de libidine atque luxuria non potest reperiri in cogitatione, quod non perpetrasset in opere, novaque semper ad lædendum populum ingenia perquirebat; nam si quos hoc tempore culpabiles reperisset, oculos eis jubebat erui. Et in præceptionibus, quas ad judices pro suis utilitatibus dirigebat, hæc addebat: « Si quis præcepta nostra contempserit, oculorum avulsione **326** multetur. » Nullum unquam pure dilexit, a nullo B dilectus est; ideoque cum spiritum exhalasset, omnes eum reliquerunt sui [d]. Mallulfus autem Silvanectensis episcopus, qui jam tertia die in tentorio residebat, et ipsum videre non poterat, ut eum interemptum audivit, advenit; ablutumque vestimentis melioribus induit, noctem in hymnis deductam, in navim levavit, et in basilica sancti Vincentii quæ est Parisiis, sepelivit [e], Fredegunde regina in ecclesia derelicta [f].

Explicit liber sextus Georgii Florentis, sive Gregorii Turonensis episcopi. Deo gratias.

327 328 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEPTIMI

I. De obitu sancti Salvii episcopi.
II. De collisione Carnotenorum et Aurelianensium.
III. De interitu Vedasti cognomento Avi.
IV. Quod Fredegundis in ecclesiam confugit; et de thesauris ad Childebertum ductis.
V. Quod Guntchramnus rex Parisios venit.
VI. Quod idem rex ea, quæ de regno Chariberti erant, sibi subegit.
VII. Quod legati Childeberti Fredegundem requirunt.
VIII. Quod rex populum petiit, ne, ut fratres ejus, interimatur
IX. Quod Rigunthis a Desiderio thesauris ablatis retenta est.
X. Quod Gundovaldus in regno elevatus est; et de Rigunthe filia rejis Chilperici
XI. De signis quæ apparuerunt.
XII. De incendio regionis Turonicæ, et virtute sancti Martini.
XIII. De incendio et prædis Picturæ urbis.
XIV. De legatis Childeberti regis ad Guntchramnum regem missis.
XV. De malitia Fredegundis.
XVI. De regressu Prætextati episcopi.
XVII. De Promoto episcopo.
XVIII. De eo quod regi dictum est, ut se cautum redderet, ne occideretur.
XIX. Quod regina in vilem ab re jussa est.
XX. Quod eadem exisit qui Brunichildem necaret.
XXI. De fuga et custodia Eberulfi [Mss. al. *Berulfi.*]
XXII. De malitia ejus.
XXIII. De Judæo interfecto cum suis.
XXIV. De præda urbis Picturæ.

[a] Apud Sueton. lib. VI, cap. 38.

[b] Id est collectas seu orationes, uti viri docti interpretantur; quam varias autem significationes patiatur vox *Missa*, nemo nescit.

[c] Sic Corb. et Bec.; alii, *nullam rem plus.*

[d] Corb. non habet *sui.* Porro Mallulus, aliis *Maulfus*, in Colb. im. et Regm. *Madulfus*, Aimoino *Madalulfus*, colitur uti sanctus apud Silvanectenses Nonas Maii, qui dies est Translationis ejus.

[e] Visitur etiam hunc in S. Germani a Pratis basilica monumentum *Chilperici* regis, sed quod non videtur esse tantæ antiquitatis. Quæ autem inscriptio a Valesio circa finem *libri* XI rer. Franc. refertur, ad *alium quempiam* Hilpericum, regiæ, uti C ex nomine conjicere licet, prosapiæ principem, revocandæ sunt. Certum est enim vel ex ipso Gregorio, non solum reges, sed etiam alios Francorum principes in ea basilica sepeliri solitos fuisse, quam de novo Chilpericus ædificasse dicitur in Testamento Bertranni episc. Cenomann., ubi idem rex *inclytus* appellatur et *bonæ recordationis.* De ejus nece vide notas in cap. ult. Fredegarii, qui reliquos Greg rii libros non attigit in Epitome.

[f] Hic desinit cod. Corbeiensis, nisi quod sub lib. IV finem, tam in illo cod. quam in Bellovacensi, refertur fragmentum ex capp. 7 et 8 libri VII. Hæc verba *Explicit*, etc., ex Corb. descripsimus.

XXV. De spoliis Marilefi.
XXVI. Quod Gundovaldus civitates circumit.
XXVII. De injuria Magnulfi [Mss. al. *Aginulfi*] *episcopi.*
XXVIII. Quod exercitus inante accessit.
XXIX. De interitu Ebernlfi.
XXX. De legatis Gundovaldi.
XXXI. De reliquiis sancti Sergii martyris.
XXXII. De aliis Gundovaldi legatis.
XXXIII. Quod Childebertus ad Guntchramnum patruum suum venit.
XXXIV. Quod Gundovaldus Convenas abiit.
XXXV. De basilica sancti Vincentii martyris Agennensis vastata.
XXXVI. De collocutione Gundovaldi cum exercitu.
XXXVII. De bello contra urbem.
XXXVIII. De interitu Gundovaldi.
XXXIX. De interitu Sagittarii episcopi et Mummoli.
XL. De thesauris Mummoli.
XLI. De gigante.
XLII. De virtute sancti Martini.
XLIII. De Desiderio et de Wadone.
XLIV. De muliere pythonissa.
XLV. De fame avni præsentis.
XLVI. De interitu Christophori.
XLVII. De bello civili inter cives Turonicos.

LIBER SEPTIMUS.

329 I. Licet [a] sit studium historiam prosequi, quam priorum librorum ordo reliquit, tamen prius aliqua de beati Salvii episcopi obitu exposcit loqui devotio, qui hoc anno obiisse probatur [b]. Hic enim, ut ipse referre erat solitus, diu in habitu sæculari commoratus, cum judicibus sæculi mundiales causas est exsecutus : nunquam tamen se in his concupiscentiis obligans, quibus adolescentum animus solitus est implicari. Jam cum divini spiramenti odor interna viscerum attigisset, relicta sæculari militia monasterium expetivit, intellexitque vir jam tunc divinitati deditus, melius esse uti paupertate cum Dei timore, quam sæculi pereuntis lucra sectari : in quo monasterio diu sub regula a patribus instituta versatus est. Jam vero cum in robore majori tam intellectus quam ætatis evectus esset, defuncto abbate, qui huic monasterio præerat, alendi gregis suscipit officium; et qui se magis fratribus publicum pro **330** correctione reddere debuerat, fit assumpto honore remotior. Illico sibi secretiorem cellulam quærit. Nam in priore, ut ipse asserebat, amplius quam novem vicibus nimia exesus abstinentia, pellem corporis demutavit. Denique accepto honore, cum in hac contentius parcimonia orationi et lectioni vacaret, illud plerumque revolvebat, melius sibi fieri, si esset inter monachos occultus, quam nomen acceperit abbatis in populos. Quid plura? Includitur valedicens fratribus, sibique ipsis valedicentibus. In qua inclusione in omni abstinentia, magis quam prius egerat, commoratur : studens pro charitatis obsequio, ut cum quisque venisset extraneus, et orationem tribueret, et eulogias gratia plenissima ministraret : quæ multis infirmis plerumque salutem integram detulerunt. Quodam autem nimia exhaustus, anhelus jacebat in subito magno lumine cellula clarifica At ille extensis ad cœlum manibus actione, spiritum exhalavit. Misto quo latu monachi cum ipsius genitrice extrahunt, aqua diluunt, vestimentis retro superponunt, atque in psallen bentem exigunt noctem. Mane autem officio præparato, corpus moveri cœpi ecce malis rubescentibus, vir quasi suscitatus, excutitur, apertisque ocul elevatis, ait : O Domine misericors, qu ut me in hunc tenebrosum mundan locum redire permitteres, cum mihi cœlo tua misericordia, quam istius quissima? Stupentibus autem suis, tibus, quid fuerit tale prodigium, nih bus ille respondit. Surgens autem de mali sentiens de incommodo quo labo absque cibi ac poculi perstitit alime terdio, convocatis monachis et matre, dilectissimi, et intelligite, quia nihil nitis in hoc mundo; sed sunt, juxta mon propheta cecinit, *Omnia vanita* Felix est enim, qui ea agere potest gloriam Dei cernere mereatur in cœl diceret, dubitare cœpit utrum loque an sileret. Quo tacente, implicitus frat quid vidisset exponeret, ait : Cum m tuor dies contremiscente cellula exa apprehensus a duobus angelis in cœlor latus sum, ita ut non solum hoc squa

[a] Deest hoc caput in Colb. a et Vat.

[b] Colitur die 10 Septembris. Gregorius infra lib. VIII, cap. 22, habet : *Post obitum sancti Salvii, hoc anno* (scilicet 583), *Desiderius Albigensibus episcopus datus est.* Hinc aliquot saltem vacasse dicenda est. Inter utrumque Theofridum sedisse.

verum etiam solem ac lunam, nubes et sidera sub pedibus habere putarem : deinde per portam luce ista clariorem introductus sum in illud habitaculum, in quo omne pavimentum erat quasi aurum argentumque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis; quam ita multitudo promiscui sexus obtexerat, ut longitudo ac latitudo catervæ prorsus pervideri non possit. Cumque nobis via inter comprimentes, ab his qui præcedebant angelis, pararetur, pervenimus ad locum, quem jam de longinquo contemplabamur : in quo superpendebat nubes omni luce lucidior, in quo non sol, non luna, non astrum cerni poterat, sed super his omnibus naturali luce splendidius [a] effulgebat, et vox procedebat de nube tanquam **332** vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter salutabant viri in veste sacerdotali ac sæculari, quos mihi qui præcedebant, enarraverunt esse martyres ac confessores, quos hic summo excolimus famulatu. Stans igitur in loco in quo jussus sum, operuit me odor nimiæ suavitatis, ita ut ab hac suavitate refectus, nullum adhuc cibum potumque desiderem. Et audivi vocem dicentem : Revertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est ecclesiis nostris. Vox enim audiebatur, nam qui loqueretur penitus cerni non poterat. Et ego prostratus super pavimentum, cum fletu dicebam : Heu! heu! Domine! cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram! Ecce hodie ejicis me a facie tua, ut revertar ad sæculum fragile, et huc ultra redire non valeam. Ne, quæso, Domine, auferas misericordiam tuam a me, sed deprecor ut permittas me hic habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox quæ loquebatur mihi : Vade in pace. Ego enim sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tunc relictus a comitibus meis, descendens cum fletu, per portam qua ingressus fueram, huc sum regressus. Hæc eo loquente, stupentibus cunctis qui aderant, cœpit iterum sanctus Dei cum lacrymis dicere : Væ mihi qui tale mysterium ausus sum revelare. Ecce enim odor suavitatis, quem de loco sancto hauseram, et in quo per hoc triduum sine ullo cibo potuque sustentatus sum, recessit a me. Sed et lingua mea gravibus est operta vulneribus, et ita tumefacta, ut omne os meum videatur implere. Et scio quia non fuit beneplacitum Domino Deo meo, ut hæc arcana vulgarentur. Sed tu nosti, Domine, quia in simplicitate cordis hæc feci, non in jactantia mentis. Sed quæso ut indulgeas, et non me derelinquas, juxta pollicitationem tuam. Et hæc dicens siluit, et accepit cibum potumque. Ego vero hæc scribens, vereor ne alicui legenti sit incredibile, juxta id quod Sallustius historiam scribens ait [b], ubi de virtute atque gloria bonorum memor est : « Quæ sibi quisque facilia facta putat, æquo animo accipit : supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. » Nam testor Deum omnipotentem, quia ab ipsius ore **333** omnia quæ retuli, audita cognovi. Post multum vero tempus ipse vir beatus cellula sua extractus, ad episcopatum electus, invitus est ordinatus : in quo, ut opinor, decimum annum cum ageret, invalescente apud Albigensem urbem inguinario morbo, et maxima jam parte de populo illo defuncta, cum jam pauci de civibus remanerent, vir beatus, tanquam bonus pastor, nunquam ab illo loco recedere voluit, sed semper hortabatur eos qui relicti erant, orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere, et bona semper tam in operibus quam in cogitatione versare, dicens : Hæc agite, ut, si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in judicium, sed in requiem introire possitis. Cum autem, ut credo, jam revelante Domino, tempus suæ vocationis agnosceret, ipse sibi sarcofagum composuit, corpus abluit, vestem induit, et sic intentum semper cœlo beatum spiritum exhalavit. Fuit autem magnæ sanctitatis, minimæque cupiditatis, aurum nunquam habere volens. Nam si coactus accepisset, protinus pauperibus erogabat. Cujus tempore cum Mummolus patricius multos captivos ab ea urbe duxisset, prosecutus ille omnes redemit. Tantamque ei Dominus gratiam cum populo illo tribuit, ut ipsi etiam qui captivos duxerant, et de pretio ei concederent, et in reliquo munerarent [c] : et sic patriæ suæ captivos libertati pristinæ restauravit. Multaque de hoc viro bona audivi : sed dum ad historiæ cœptum reverti cupio, plurima prætermitto.

II. Defuncto igitur Chilperico, inventaque [d] quam diu quæsierat morte, Aurelianenses cum Blesensibus [e] juncti super Dunenses irruunt, eosque inopinantes proterunt; domos annonasque, vel quæ movere facile [f] non poterant, incendio tradunt; pecora diripiunt, **334** atque res quas levare poterant, sustulerunt. Quibus discedentibus conjuncti Dunenses cum reliquis Carnotenis, de vestigio subsequuntur, simili sorte eos afficientes qua ipsi affecti fuerant, nihil in domibus, vel extra domos, vel de domibus relinquentes. Cumque adhuc inter se jurgia commoventes desævirent, et Aurelianenses contra hos arma concuterent, intercedentibus comitibus, pax usque in audientiam data est, scilicet ut in die quo judicium erat futurum, pars quæ contra partem injusto exarserat, justitia mediante componeret, et sic a bello cessatum est.

[a] Maj. m., Colb. m. et Regm., *splendidus*.
[b] Initio libri de bello Catilinario.
[c] Maj. m., *et honore condigno munerarent*.
[d] Hæc verba *inventaque*, etc., *morte*, desunt in Regm.
[e] Hæc est prima Blesensium apud veteres auctores mentio, ut monet Valesius in Notitia. Erant sicut et Dunenses sub Carnotena diœcesi, a qua Dunenses sub Sigiberto rege sese subtrahere frustra tentaverunt. Nam Promotus, qui Dunensis episcopus ab Ægidio Rhemorum episcopo institutus fuerat, loco suo excidit, ut infra dicetur cap. 17; sed feliciores fuere hoc sæculo Blesenses, quibus, agente Ludovico Magno, episcopalem cathedram concessit Innocentius XII, pontifex Rom., Carnotena diœcesi in duas divisa; indeque primus hujus sedis episcopus hoc anno 1697 quo scribimus, die 15 Septembris, illustriss. dominus David Nicolaus de Bertier consecratus est.
[f] Bec. et Colb. duo, *movere habile non*.

III. Vedastes [a] cognomento Avo, qui ante hos annos Lupum Ambrosiumque pro amore uxoris Ambrosii interfecerat, et ipsam sibi, quæ consobrina sua esse dicebatur, in matrimonium acceperat, dum multa scelera infra Pictavum terminum perpetraret, quodam loco cum Childerico Saxone conjunctus, dum se invicem conviciis lacessirent, unus ex pueris Childerici [b] Avonem hasta transfixit. Qui ad terram ruens, plerisque adhuc ictibus sauciatus, iniquam animam sanguine defluente refudit; fuitque ultrix divina majestas sanguinis innocentis, quem propria effuderat manu. Multa enim furta, homicidia, adulteriaque miserrimus sæpe commiserat, quæ silere melius puto. Composuit tamen filiis Saxo ille mortem ejus.

IV. Interea Fredegundis regina jam viduata Parisios advenit, et cum thesauris, quos infra murorum septa concluserat, ad ecclesiam confugit [c], atque a Ragnemodo fovetur episcopo : reliquos vero thesauros, qui apud villam Calam remanserant, in quibus erat missorium illud aureum, quod nuper fecerat (*lib.* VI, *cap.* 2), thesaurarii levaverunt, et ad Childebertum regem, qui tunc apud Meldensem [d] commorabatur **335** urbem, velociter transierunt.

V. Fredegundis igitur regina accepto consilio, legatos ad Guntchramnum regem mittit, dicens : Veniat dominus meus, et suscipiat regnum fratris sui. Est, inquit, mihi infans parvulus, quem in ejus ulnis ponere desiderans, me autem ipsam ejus humilio ditioni. Comperto autem Guntchramnus rex de fratris excessu, amarissime flevit. Moderato quoque planctu, commoto exercitu Parisios dirigit. Cumque ille infra muros susceptus fuisset, Childebertus rex nepos ejus ab alia advenit parte.

VI. Sed cum eum Parisiaci recipere nollent, legatos ad Guntchramnum regem dirigit, dicens : Scio, piissime pater, non latere pietatem tuam, qualiter utrumque usque præsens tempus pars oppresserit inimica, ut nullus de rebus sibi debitis possit invenire justitiam. Ideirco supplex nunc deprecor, ut placita, quæ inter nos post patris mei obitum sunt innexa, custodiantur. Tunc Guntchramnus rex legatis illius ait : O miseri et semper perfidi, nihil in vobis verum habentes, neque in promissis permanentes, ecce omnibus quæ mihi polliciti estis relictis, cum Chilperico rege novam pactionem scripsistis, ut me a regno depulso, civitates meas inter se dividerent. Ecce pactiones ipsas, ecce manus vestræ A subscriptiones, quibus hanc conniventiam confirmastis [e] : et qua nunc fronte quæritis, ut nepotem meum Childebertum suscipere debeam, quem mihi vestra perversitate voluistis facere inimicum? Cui legati dixerunt : Si tantum mentem iracundia cepit, ut nihil nepoti tuo de his quæ pollicitus es indulgeas, vel illa, quæ de regno Chariberti debentur, auferre desiste. Quibus ille ait : Ecce pactiones quæ inter nos factæ sunt, ut quisquis sine fratris voluntate Parisios urbem ingrederetur, amitteret partem suam, esseque Polioctus martyr [f], cum Hilario atque Martino confessoribus, judex ac retributor ejus. Posthæc ingressus est in eam germanus **336** meus Sigibertus, qui judicio Dei interiens, amisit partem suam. Similiter et Chilpericus gessit. Per has ergo B transgressiones amiserunt partes suas : ideoque quia illi juxta Dei judicium et maledictiones pactionum defecerunt, omne regnum Chariberti cum thesauris ejus, meis ditionibus, lege opitulante, subjiciam : nec exinde alicui quidquam nisi spontanea voluntate indulgeam. Absistite igitur vos semper mendaces ac perfidi, et hæc regi vestro referte.

VII. Quibus discedentibus, legati iterum Childeberti ad antedictum regem veniunt, Fredegundem reginam requirentes, atque dicentes : Redde homicidam, quæ amitam meam suggillavit, quæ patrem interfecit, et patruum : quæ ipsos quoque consobrinos meos gladio interemit [g]. At ille : In placito, inquit, quod habemus, cuncta decernimus, tractantes quid oporteat fieri. Nam Fredegundem patrocinio C suo fovebat, ipsamque sæpius ad convivium evocans, promittens [h] se ei fieri maximum defensorem. Quadam vero die dum pariter ad mensam epularentur, regina consurgens, et valedicens, a rege detinebatur, dicente sibi : Adhuc aliquid cibi sume. Cui illa : Indulge, inquit, deprecor, domine mi, quia juxta consuetudinem mulierum contigit mihi, ut pro conceptu consurgam. Hæc ille audiens, obstupuit, sciens quartum esse mensem, ex quo alium ediderat filium : tamen permisit eam consugere. Priores quoque de regno Chilperici, ut erat Ansoualdus et reliqui, ad filium ejus qui erat, ut superius diximus, quatuor mensium, se collegerunt, quem Chlotharium [i] vocitaverunt, exigentes sacramenta per civitates, quæ ad Chilpericum prius aspexerant, ut scilicet fideles esse debeant Guntchramno regi, ac nepoti suo Chlothario. Guntchramnus vero rex omnia, D quæ fideles regis Chilperici non recte diversis abste-

[a] Hoc caput deest in Colb. a. et Vat.; al., *Vedastus*, Bec., Colb. m. et Regm., *cognomento avus*. Confer caput 13 libri præcedentis.

[b] Colb. m., *Chilperici*.

[c] Ex hoc loco Valesius, in lib. de basilicis Parisiacis cap. 1, probat adv. Launoium, majorem seu cathedralem Parisiorum ecclesiam intra urbem sub prima regum nostrorum stirpe exstitisse. Et quidem certum est *ecclesiæ* nomine passim apud Gregorium cathedralem ecclesiam designari.

[d] Bec., *apud Maldesim.*

[e] Confer cap. 3 lib. VI, ubi de Guntramno pellendo actum fuerat, qui conventiones illas ex Chilperici scriniis tunc in sua potestate habebat.

[f] Hic præ cæteris electus fuerat, quod in perjuris puniendis celebris esset, ut testatur ipse Gregorius lib. I de Gloria Mart., cap. 103.

[g] Fredegundis accusabatur quod Gailesvinthum, Childeberti materteram strangulari fecisset, ac Sigibertum ejusdem patrem, Chilpericum patruum, et Chlodoveum ac Merovæum fratres ejus patrueles, interimi procurasset.

[h] Chesn. et Colb. a. alia manu, *promittebat*. Regm., *se fieri illius maximum*, etc.

[i] Idem ac patruus nomen habebat; priorem Chlothacharium ex vetustissimis codd. scripsimus : istum vero *Chlotarium*, seu *Chlotarium*, aut *Hlotharium* scripti nostri vulgo appellant, quos sequimur.

tus de regno Chariberti fratris sui acceperat, direxit; ut exigentes sacramenta, suis eos ditionibus subjugaret. Turonici vero atque Pictavi ad Childebertum, Sigiberti filium, transire voluerunt: sed commoti Biturici contra eos venire disponunt, atque infra terminum Turonicum incendia facere cœperunt. Tunc Marojalensem [a] ecclesiam termini Turonici, in qua sancti Martini reliquiæ habebantur, incendio concremarunt: sed virtus beati adfuit, ut in tam valido incendio pallulæ, quæ super altarium fuerant positæ, non consumerentur ab igne. Et non solum ipsæ, sed etiam herbulæ olim collectæ, altarioque locatæ, nequaquam exustæ sunt [b]. Quæ incendia videntes Turonici, legationem mittunt, dicentes melius sibi esse ad tempus Guntchramno regi subdi, quam cuncta incendio aut ferro vastari.

XIII. Confestim autem post mortem Chilperici, Gararicus dux Lemovicas accesserat, et sacramenta ex nomine Childeberti susceperat; exinde Pictavis veniens, ab ipsis receptus est, et ibi morabatur. Audiens autem quæ Turonici patiebantur, mittit legationem, obtestans ne nos ad partem Guntchramni regis tradere deberemus, si nobis vellemus esse consultum: sed meminerimus potius Sigiberti, qui quondam genitor Childeberti **340** fuit. Nos vero hæc rursum episcopo et civibus mandata remisimus, quod nisi se ad tempus Guntchramno regi subderent, similia paterentur, asserentes hunc esse nunc patrem super duos filios, Sigiberti scilicet et Chilperici, qui ei fuerant adoptati: et sic tenere regni principatum, ut quondam Chlothacharius rex fecerat pater ejus. His quoque non acquiescentibus, Gararicus de civitate egreditur, quasi exercitum adducturus, in urbe vero Eberonem cubicularium Childeberti regis relinquens. Sicharius vero cum Willachario [c] Aurelianensi comite, qui nunc Turonis acceperat [d], exercitum contra Pictavos commovit, ut scilicet ab una parte Turonici, ab alia Biturici commoti cuncta vastarent. Qui cum ad terminum propinquassent, ac domos cremare cœpissent, miserunt ad eos Pictavi legatos, dicentes: Petimus ut usque in placito, quod inter se Guntchramnus et Childebertus reges habent, sustineatis. Quod si convenit ut pagos hos bonus [e] rex Guntchramnus accipiat, non resistimus; sin aliud, dominum nostrum recognoscimus, cui servire plenius debeamus. Ad hæc illi responderunt: Nihil ad nos [f] de hac causa pertinet, nisi tantum jussa principis adimplere. Nam si noluerit, cuncta ut cœpimus devastamus. Cumque in hoc res ageretur, ut universa incendio, prædæ, atque captivitati traderentur, ejectis de civitate hominibus Childeberti, sacramenta Guntchramno regi dederunt, non longo tempore ea custodientes.

XIV. Igitur adveniente placito, directi sunt a Childeberto rege Egidius episcopus, Guntchramnus Boso, Sigivaldus, et alii multi ad Guntchramnum regem, ingressisque ad eum, ait episcopus: Gratias agimus Deo omnipotenti, o piissime rex, quod te post multos labores regionibus tuis regnoque restituit. Cui rex ait: Illi enim dignæ sunt gratiæ referendæ, qui est Rex regum, et Dominus dominorum, qui hæc sua miseratione operari dignatus est. Nam non tibi, cujus consilio **341** dolose ac perjuriis regiones meæ anno superiore incensæ sunt, qui nunquam fidem integram cum ullo homine habuisti, cujus dolositas ubique dispergitur, qui non sacerdotem, sed inimicum regni nostri te esse declaras. Ad hæc verba episcopus iracundia commotus siluit. Unus autem ex legatis dixit: Supplicat nepos tuus Childebertus, ut civitates quas pater ejus tenuit, reddi jubeas. Ad hæc ille respondit: Jam dixi vobis prius, quia pactiones nostræ mihi hæc conferunt; ideoque eas reddere nolo. Alius quoque legatorum ait: Rogat nepos tuus, ut Fredegundem maleficam, per quam multi reges interfecti sunt, reddi jubeas, ad ulciscendam mortem patris, patrui et consobrinorum suorum. At ille: Tradi ei, inquit, in potestatem non poterit, quia filium regem habet. Sed et ea quæ contra illam asseritis, vera esse non credo. Post hos Guntchramnus Boso quasi aliquid suggesturus, ad regem accedit. Et quia sonuerat Gundovaldum manifeste regem levatum, anticipans rex verba ejus, ait: O inimice regionis regnique nostri, qui propterea ante hos annos Orientem aggressus es, ut Ballomerem [g] quemdam (sic enim vocabat rex Gundovaldum), super regnum nostrum adduceres, semper perfide, et nunquam custodiens quæ promittis. Cui ille: Tu, inquit, dominus et rex regali in solio resides, et nullus tibi ad ea quæ loqueris ausus est respondere. Insontem enim me de hac causa profiteor. At si aliquis est similis mihi, qui hoc crimen impingat occulte, veniat nunc palam et loquatur. Tu, o rex piissime, ponens hoc in Dei judicio [h], ut ille discernat cum nos in unius campi planitie viderit dimicare. Ad hæc cunctis silentibus

[a] Marojalum vicus est ripæ Cari adjacens in Turonum, Biturigum et Blesensium confinio, hodie *Mareuil-sur-Cher* vulgo dictus. Ecclesia hujus vici hodieque sancto Martino sacra est, ac præter parochiæ titulum prioratu decoratur Ordinis Benedictini a Villalupensi abbatia pendente, ut monet Marolliius.

[b] Ejusmodi herbulas altaribus aut sanctorum tumulis aliquandiu impositas colligebant postea fideles, ad medelam morborum.

[c] Cod. Regm. *Willichario*; Colb. a. *Willario*.

[d] Colb. a. altera manu, *Turonis residebat*.

[e] Variant fere omnes codices. Colb. a., Regm., Chesn. et Freh. habent, *ut pagos hos rex*. Colb. m., Bec. et Illyr., *ut pacis bonus rex*. Col. et Bign., *ut pacis symbolum rex*. Bad., *ut pacifice nos rex*.

[f] Alii habent, *Nihil vobis*; Bec., *Nihil nobis*.

[g] Id est falsum dominum, seu pseudo-principem.

[h] Bec., *Tunc, o rex,... judicium*. Colb. a, altera manu, *Ego, o rex,... ponam hoc*, etc. Et infra eadem manu, pro *animos*, apposuit *fideles hujus regni*. Diu perseveravit pessima illa consuetudo lites dubias duello dirimendi, quæ etiam in controversiis circa res ecclesiarum frequenter locum habebat. Vide Ansegisi Collectionem lib. IV, cap. 23. Numquam tamen ejusmodi pugnas approbavit Ecclesia, licet auctoritate publica sæpius factæ fuerint. Cæterum omne genus duelli Ludovici Magni edictis compressum et penitus nunc in Galliis abrogatum est.

addidit rex : Omnibus autem hæc causa animos accendere debet, ut repellatur a finibus nostris advena, cujus pater molendina gubernavit; et, ut vere dicam, pater ejus pectinibus insedit, lanasque composuit. Et quanquam possit fieri, ut **342** unus homo utriusque artificii magisterio subderetur, ad increpationem tamen regis quidam ex ipsis respondit : Ergo duos, ut asseris, patres hic homo habuit, lanarium simul molendinariumque. Absit a te, o rex, ut tam inculte loquaris. Non enim auditum est unum hominem, præter spiritalem causam, duos habere posse pariter genitores [a]. Dehinc cum multi solverentur in risu, respondit alius legatorum, dicens : Valedicimus tibi, o rex; nam quia reddere noluisti civitates neptis tui, scimus salvam esse securim, quæ fratrum tuorum capitibus est defixa; celerius tuum librabit defixa cerebrum. Et sic cum scandalo discesserunt. Tunc rex his verbis succensus, jussit super capita euntium projici equorum stercora, putrefactas hastulas, palcas, ac fœnum putredine dissolutum, ipsumque fœtidum urbis lutum. Quibus de rebus maculati graviter, non sine immensa injuria atque contumelia abierunt.

XV. Residente vero Fredegunde regina in ecclesia parisiaca, Leonardus ex domestico, qui tunc ab urbe Tolosa advenerat ingressus ad eam, causas contumeliæ injuriasque filiæ ejus narrare cœpit, dicens : Quia juxta imperium tuum accessi cum regina Riguntha, ac vidi humilitatem ejus, et qualiter exspoliata est a thesauris et omnibus rebus ; ego vero per fugam dilapsus, veni nuntiare dominæ meæ quæ gesta sunt. Hæc illa audiens, furore commota, jussit eum in ipsa ecclesia spoliari, nudatumque vestimentis ac balteo, quod ex munere Chilperici regis habebat, discedere a sua jubet præsentia. Coquos quoque sive pistores, vel quoscunque de hoc itinere regressos esse cognovit, cæsos, spoliatosque, ac demanicatos reliquit. Nectarium autem, Baudegisili [b] episcopi fratrem nefandis accusationibus cum rege [Pro apud regem] tentavit obruere, asserens eum de thesauro regis mortui multa portasse. Sed et de promptuariis tam tergora quam vina multa eum abstulisse **343** dicebat, petens ut vinctus carceralibus tenebris truderetur. Sed patientia regis, fratrisque auxilium fieri non permisit. Multa quidem ibi vana exercens, non metuebat Deum, in cujus ecclesia petebat auxilium. Habebat tunc temporis secum Audonem judicem, qui ei tempore regis in multis consenserat malis. Ipse enim cum Mummolo præfecto multos de Francis, qui tempore Childeberti regis senioris ingenui fuerant, publico tributo subegit. Qui post mortem regis ab ipsis spoliatus ac denudatus est, ut nihil ei præter quod super se auferre potuit, remaneret. Domos enim ejus incendio subdiderunt ; abstulissent utique et ipsam vitam, ni cum regina ecclesiam expetisset.

XVI. Prætextatum vero episcopum ægre suscipit, quem cives Rothomagenses post excessum regis de exsilio expetentes, cum grandi lætitia et laude civitati suæ restituerunt. Post reditum vero suum ad urbem Parisiacam advenit, ac se Guntchramno regi repræsentavit, exorans ut causam suam diligenter exquireret. Asserebat enim regina eum non debere recipi, qui fuisset per judicium quadraginta quinque episcoporum a sacerdotali officio segregatus [c]. Cumque rex pro hac causa synodum excitare vellet, Ragnemodus hujus urbis episcopus, pro omnibus responsum reddidit, dicens : Scitote ei pœnitentiam indictam a sacerdotibus, non tamen eum prorsus ab episcopatu remotum. Et sic a rege susceptus, atque convivio ejus ascitus, ad urbem suam regressus est.

XVII. Promotus [d] vero qui in Dunensi castro, ordinante Sigiberto rege, episcopus fuerat institutus, et post mortem regis amotus fuerat, eo quod castrum illud esset diœcesis Carnotenæ, contra quem ita judicium latum fuerat [e], ut presbyterii tantum officio fungeretur, accessit ad regem, deprecans **344** ut ordinationem episcopatus in antedicto castro reciperet. Sed obsistente Pappolo Carnotenæ urbis episcopo, ac dicente quia diœcesis meæ est, ostendente præsertim judicio episcoporum, nihil aliud potuit obtinere cum rege, nisi ea quæ sub ipsius castri termino propria habebat, reciperet, in quo cum genitrice adhuc superstite moraretur [f].

XVIII. Commorante vero rege apud urbem Parisiacam, venit quidam pauper, dicens : Audi, rex, verba oris mei. Noveris enim quia Faraulfus, cubicularius quondam fratris tui, quærit te interficere. Audivi enim consilium ejus, ut euntem te matutina oratione ad ecclesiam, aut cultro appeteret, aut hasta transfoderet. Obstupefactus autem rex, misit vocari eum. Quo negante, de his rex metuens armis se valde munivit. Nec penitus ad loca sancta, vel alio, nisi vallatus armatis atque custodibus procedebat. Faraulfus autem non post multum tempus mortuus est.

[a] Unum scilicet naturalem, et alterum spiritualem in baptismo.

[b] Is fuit episcopus Cenomanensis, de quo supra lib. VI, cap. 9. Nectarii viri magnifici mentio habetur in Miraculis S. Aridii.

[c] Vide supra lib. V, cap. 19, ubi de Concilio Parisiensi hac de causa congregato. Ibi Prætextatus sacerdotio quidem summotus non fuerat, resistente Gregorio nostro Turonensi : at cum nonnullorum factione Melanius in ejus locum fuisset subrogatus, eum sacerdotio privatum dixit Fredegundis. Et quidem canonibus vetitum semper fuit duos episcopos simul eidem ecclesiæ præesse.

[d] Hoc caput deest in Regm. Dunense castrum, vulgo *Châteaudun*, oppidum est ad flumen Liderim, *le Loir*, ubi ante Promotum aliquandiu sedisse dicitur Aventinus S. Solemnis frater, uterque Carnotensium episcopus. Vide Bolland. ad diem 4 Februarii.

[e] In Concilio Paris. anno 573 habito, cujus litteræ ea de re ad Sigibertum regem, tum ad Ægidium Rhemensem metropolitanum, qui manus Promoto imposuerat, habentur.

[f] Subscripsit tamen anno sequenti, cum episcopis qui sedem non habebant, Conc. Matisc. II.

XIX. Cum autem clamor fieret magnus adversus eos, qui potentes cum rege fuerant Chilperico, scilicet quod abstulissent vel villas, vel res reliquas de rebus alienis, omnia quæ injuste ablata fuerant rex reddi præcepit, sicut jam superius indicatum est (*Cap.* 7). Fredegundem quoque reginam ad villam Rhotoialensem [a], quæ in Rothomagensi termino sita est, abire præcepit, secutique sunt eam omnes [b] meliores natu regni Chilperici regis; ibique relinquentes eam cum Melanio episcopo [c], qui de Rothomago submotus fuerat, ad filium ejus se transtulerunt, promittentes quod ab eis studiosissime nutriretur.

XX. Postquam autem Fredegundis regina ad supradictam villam abiit, cum esset valde mœsta, quod ei potestas ex parte fuisset ablata, meliorem [d] 345 se existimans Brunichildem, misit occulte clericum sibi familiarem, qui eam circumventam dolis interimere posset, videlicet ut cum se subtiliter in ejus subderet famulatum, ab ea credi posset, et sic clam percelleretur. Veniens igitur clericus, cum diversis ingeniis se eidem commendavit, dicens : A facie Fredegundis reginæ fugio, deposcens auxilium tuum. Cœpit se etiam omnibus reddere humilem, charum, obedientem, ac reginæ privatum. Sed non longo tempore interposito, intellexerunt eum dolose transmissum; vinctusque ac cæsus, cum rem patefecisset occultam, reuire permissus est ad patronam : reseransque quæ acta fuerant, effatus quod jussa patrare non potuisset, manuum ac pedum abscissione mulctatur.

XXI. His ita gestis, cum rex Guntchramnus Cabillonum regressus mortem fratris conaretur inquirere, et regina crimen super Eberulfum [e] cubicularium imposuisset (rogatus enim fuerat ab ea, ut post mortem regis cum ipsa resideret : sed obtinere non potuit); hac ergo inimicitia pullulante, asseruit regina ab eodem principem fuisse interfectum, ipsumque multa de thesauris abstulisse, et sic in Turonicum abscessisse [*Al.* transisse]; ideoque si rex mortem fratris desideraret ulcisci, noverit hujus causæ hunc esse significrum. Tunc rex juravit omnibus optimatibus, quod non modo ipsum, verum etiam progeniem ejus in nonam generationem deleret, ut per horum necem consuetudo auferretur iniqua, ne reges amplius interficerentur. Quod cum Eberulfus comperisset, basillicam sancti Martini, cujus res sæpe pervaserat, expetivit. Tunc data occasione ut custodiretur, Aurelianenses atque Blesenses vicissim ad has excubias veniebant, impletisque quindecim diebus, cum multa præda revertebantur, adducentes jumenta, pecora, vel quodcunque diripere potuissent. Illi vero qui beati Martini jumenta abduxerant, commota altercatione, se invicem lanceis transfixerunt. Duo 346 qui mulas diripiebant, in domum vicini cujusdam accedentes, potum rogare cœperunt. Cumque ille se habere negaret, elevatis lanceis ut eum transfoderent, hic extracto gladio utrumque perfodit, ceciderunique ambo, et mortui sunt : jumenta tamen sancti Martini reddita sunt. Tantaque ibi tunc mala per hos Aurelianenses gesta sunt, ut nequeant explicari.

XXII. Dum autem hæc agerentur, res ipsius Eberulfi diversis concedunter, aurum, argentumque, vel alias meliores species, quas secum retinebat, in medio expositæ sunt [f]. Quod vero commendatum habuit, publicatum est : greges etiam equorum, porcorum, jumentorumque diripiuntur. Domus vero inframuranea, quam de dominatione ecclesiæ abstulerat, referta annonis, vino atque tergoribus, rebusque aliis multis, adplene spoliata est; nec ibi aliud quam parietes vacui remanserunt. Ex hoc nos maxime suspectos habebat, qui in causis ejus fideliter currebamus, promittens plerumque, quod si unquam ad regis gratiam perveniret, in nobis hæc quæ perferebat ulcisceretur. Deus enim novit, cui arcana pectoris revelantur, quia de puro corde, in quantum potuimus, solatium ministravimus; et quanquam multas nobis insidias prius de rebus sancti Martini fecisset, exstabat tamen causa ut easdem obliviscerer, eo quod filium ejus de sacro lavacro suscepissem. Sed, credo, infelici illi ea res maximum fuit impedimentum, quod nullam reverentiam sancto præstabat antistiti. Nam sæpe cædes infra ipsum atrium, quod ad pedes beati exstat, exegit, exercens assidue ebrietates ac vanitates. Presbyterum quoque unum, pro eo quod ei vinum dare differret, cum jam crapulatus aspiceret, elisum super scamnum pugnis ac diversis ictibus verberavit, ut pene animam reddere videretur; et fecisset forsitan, si ei medicorum ventosæ [g] non subvenissent. Habebat enim pro timore regis in ipso salutatorio [h] beatæ 347 basilicæ mansionem. Cum autem presbyter, qui claves ostii retinebat, clausis reliquis recessisset, per illud salutatorii ostium introeuntes puellæ, cum reliquis pueris ejus suspiciebant picturas parietum, rimabanturque ornamenta beati sepulcri : quod valde facinorosum religiosis erat. Quod cum presbyter cognovisset, defixis clavis super ostium, intrinsecus seras aptavit. Hæc ille cum post cœnam vino madidus advertisset, et nos in

[a] Vicus haud procul a confluentibus Anturæ et Sequanæ, vulgo *Rueil* seu *Rueuil* dicitur. Ejus nomen non exprimunt Colb. m. et Regm. Bec. vero, *Rethojalensim*.

[b] Regm., *seculæ sunt.... omnes mulieres meliores natu*, etc.

[c] Is Prætextato in exsilium detruso fuerat subrogatus.

[d] Sic Colb. duo cum Bec. Id est, existimans Brunichildi meliorem quam sibi sortem obtigisse, ut animadvertit Valesius, quamvis in Colb. m. lectionem altera manus vitiaverit, reponendo ut in editis, *meliorem se existimans Brunichilde*.

[e] Mss., excepto Bec., in capitum indice habent, *Berulfus*. Cubicularii cum aliis palatii proceribus regi in placitis assidebant, ut patet ex lib. I Marculfi formula 25. Alii domesticos appellant.

[f] Sic Colb. a. altera manu. Cæteri habent, *exposuit*. Infra, *commendatum*, id est, apud alios depositum.

[g] Colb. duo, *solatia*.

[h] Colb. m., *salutario*, et infra, *salutarii*, et Casin., *sacrario.... sacrarii*. Sed retinenda vox salutatorii, de qua vide supra ad cap. 21 libri II.

basilica in initio noctis orationis gratia psalleremus, furibundus ingreditur, meque conviciis ac maledictionibus urgere cœpit, illud interjurgia exprobrans, quod ego eum velim a sancti antistitis fimbriis separare. Sed ego stupens quæ virum cepisset insania, blandis eum sermonibus mulcere conatus sum. Sed cum ejus furias verbis lenibus superare non possem, silere decrevi. Ille vero me tacitum intendens, ad presbyterum [a] convertitur, evomitque in eum multa convicia; nam et illum verbis procacibus, et me diversis opprobriis impugnabat. Nos vero cum vidissemus eum, ut ita dicam, agi a dæmone, egressi a basilica sancta scandalum vigiliasque finivimus, illud maxime indignum ferentes, quod hoc [b] jurgium absque reverentia sancti, ante ipsum sepulcrum antistitis excitaverat. His diebus vidi somnium, quod ipsi in sancta basilica retuli, dicens : Putabam me quasi in hac basilica sacrosancta Missarum solemnia celebrare. Cumque jam altarium cum oblationibus pallio [c] serico coopertum esset, subito ingredientem Guntchramnum regem conspicio, qui voce magna clamabat : Extrahite inimicum generationis nostræ, evellite homicidam a sacro Dei altario. At ego cum hæc audirem, ad te conversus dixi : Apprehende pallium altaris, infelix, quo sacra munera conteguntur, ne hinc abjiciaris. Cumque apprehenderes, laxabas eum manu, et non viriliter detinebas. Ego vero expansis manibus, contra pectus regis meum pectus aptabam, dicens : Noli ejicere hunc hominem de basilica sancta, ne vitæ periculum patiaris, ne te sanctus antistes **348** sua virtute confodiat. Noli te proprio jaculo interimere : quia hoc si feceris, præsenti vita æternaque carebis. Sed cum rex mihi resisteret, tu laxabas pallium, et post me veniebas. Ego vero valde tibi molestus eram. Cumque reverteres ad altarium, apprehendebas pallium, sed rursum relinquebas. Dum hoc tu tepide retineres, et ego viriliter regi resisterem, evigilavi pavore conterritus, ignarus quid somnium indicaret. Igitur cum ei ista narrassem, ait : Verum est somnium quod vidisti, quod valde cogitationi meæ concordat. Cui ego : Ecquid providit cogitatio tua ? Et ille : Deliberatum, inquit, habui, ut si me rex ab hoc loco juberet extrahi, ab una manu pallas altaris tenerem, ab alia vero, evaginato gladio, te prius interfecto, quantoscunque deinceps clericos reperissem, in mortem prosternerem. Nec mihi posthæc erat injuria letho succumbere, si de hujus sancti clericis acciperem ultionem. Hæc ego audiens et stupens, admirabar quod erat, quia per os ejus diabolus loquebatur; nunquam enim in Deum ullum timorem habuit. Nam dum esset in libertate, equi ejus ac pecora per segetes pauperum vineasque dimittebantur. Quod si expellebantur ab his quorum evertebant labores, statim a suis percellebantur. Nam in hac angustia qua erat, sæpe commemorabat, quod res beati antistitis abstulisset injuste. Denique anno superiore commotum [d] quemdam levem e civibus ecclesiæ actores fecit interpellare. Tunc postposita justitia, res, quas olim ecclesia possidebat, sub specie emptionis abstraxit, data ipsi homini parte aurea baltei sui. Sed [*Al.* hæc] et talia multa perverse egit usque ad finem vitæ suæ, quem [e] in posterum explanabimus.

XXIII. Præsenti [f] quoque anno Armentarius Judæus cum uno sectæ suæ satellite et duobus Christianis, ad exigendas cautiones, quas ei propter tributa publica Injuriosus ex vicario, ex comite vero Eunomius deposuerant, Turonis advenit : interpellatisque viris, promissionem accepit de **349** reddendo pecuniæ fœnore cum usuris, dicentibus sibi præterea ipsis : Si ad domum nostram veneris, et quæ debentur exsolvimus, et aliis te muneribus, sicut dignum est, honoramus. Eo quoque eunte, ab Injurioso suscipitur, et convivio collocatur; expletoque epulo, appropinquante nocte, commoti ab eodem loco ad alium transeunt. Tunc, ut ferunt, Judæi cum duobus Christianis ab Injuriosi hominibus interfecti, in puteum, qui propinquus erat domui ejus, projecti sunt. Auditis his parentes eorum quæ gesta fuerant, Turonis advenerunt, datoque quibusdam hominibus indicio puteum reperiunt, virosque extrahunt, multum negante Injurioso, quod in hac causa non fuerat inquinatus. Posthæc in judicium venit; sed cum fortiter [g], ut diximus, denegaret, et hi non haberent qualiter eum convincere possent, judicatum est ut se insontem redderet sacramento. Sed nec hoc his acquiescentibus, placitum in regis Childeberti præsentia posuerunt. Verumtamen neque pecunia, neque cautiones Judæi defuncti repertæ sunt. Loquebantur tunc multi hominum Medardum tribunum [h] in hoc scelere mistum fuisse, eo quod et ipse a Judæo pecuniam mutuasset. Injuriosus tamen ad placitum in conspectu regis Childeberti advenit, et per triduum usque ad occasum solis [i] observavit. Sed cum hi non venissent, neque de causa hac ab ullo interpellatus fuisset, ad propria rediit.

XXIV. Anno igitur decimo Childeberti regis rex Guntchramnus commotis gentibus regni sui magnum junxit exercitum. Sed pars major cum Aurelianensibus atque Bituricis Pictavum petiit; excesserant

[a] Bec., *presbyterium*, qua voce omnes presbyteri qui aderant designarentur; sed nostra lectio melior est.

[b] Sic Bad.; Colb. m., *quod ab hoc*; Ch., *ad hoc*; cæteri cum Bec., *quo ad nos*.

[c] Facta oblatione in Missa presbyter ex oblatis, quantum satis erat ad sacrificium fideliumque communionem, assumebat, quod contegebat palla seu pallio altaris. Vide lib. I de Liturg. Gallic., cap. 5, num. 10.

[d] Commotum viri nomen proprium fuisse putat Alteserra.

[e] Editi ut plurimum, *quæ in*. Vide cap. 29.

[f] Deest hoc caput in Colb. a. et Vat.

[g] Vide Marculfum libri I formula 38.

[h] Id est tributorum exactorem, ut interpretatur Alteserra.

[i] Mos erat ut sole occidente placita finirentur, quod etiam aliis nationibus solemne fuisse observat Bignonius in lib. I Marculfi, form. 37. De placito, *les plaids, ou assises*, vide Cangii Glossarium, et supra not. ad cap. 34 lib. VI.

enim de fide quam regi promiserant. Miseruntque prius legationem, ut scirent utrum susciperentur ab his, an non. Sed episcopus loci, Maroveus [a], dure suscepit hos nuntios. At illi infra terminum ingressi, prædas, incendia, atque homicidia faciebant. Illi vero qui cum præda revertebantur, **350** per Turonicum transeuntes, similiter illis qui jam sacramenta dederant, faciebant : ita ut ipsæ quoque ecclesiæ incenderentur, et quæcunque invenire potuissent, diriperentur; quod sæpius actum est, dum illi ad regem ægre converterentur. Sed cum exercitus propius ad urbem accederet, et jam pars maxima regionis devastata cerneretur, tunc miserunt nuntios, fideles se regi Guntchramno fatentes. At illi infra muros urbis recepti, super episcopum irruerunt, dicentes eum infidelem esse. Ille vero cum se ab his cerneret coarctatum, effracto uno de sacris ministeriis calice aureo, et in numismata redacto, se populumque redemit [b].

XXV. Marileifum [c] vero, qui primus medicorum in domo Chilperici regis habitus fuerat, ardentissime vallant; et qui jam a Gararico duce valde spoliatus fuerat, ab his iterum denudatur, ita ut nulla ei substantia remaneret. Equos quoque ejus, aurum argentumque, sive species quas meliores habebat, pariter auferentes, ipsum ditioni ecclesiasticæ subdiderunt. Servitium enim patris ejus tale fuerat, ut molendina ecclesiastica studeret, fratresque ac consobrini, vel reliqui parentes culinis [d] dominicis atque pistrino subjecti erant

XXVI. Gundovaldus vero Pictavum accedere voluit, sed timuit. Audierat enim jam contra se exercitum commoveri. In civitatibus enim quæ Sigiberti regis fuerant, ex nomine regis Childeberti sacramenta suscipiebat : in reliquis vero quæ aut Guntchramni, aut Chilperici fuerant, nomine suo, quod fidem servarent, jurabant. Posthæc Egolismam accessit, susceptisque sacramentis, muneratisque prioribus, Petrogoricum aggreditur, graviter episcopum [e] tunc injuriatum reliquit, pro eo quod susceptus ab eodem non fuisset.

XXVII. Exinde Tolosam digressus, emisit nuntios ad Magnulfum [f] **351** episcopum civitatis, ut ab eo susciperetur. Sed ille non immemor prioris injuriæ, quam per Sigulfum [g] quondam, qui se in regnum elevare voluit, pertulerat, dixit civibus suis : Scimus enim regem esse Guntchramnum ac nepotem ejus Childebertum : hunc autem nescimus unde sit. Esto-

A te ergo parati, et si voluerit Desiderius dux hanc calamitatem inducere super nos, simili ut Sigulfus sorte depereat : sitque omnibus exemplum, ne quis extraneorum, Francorum regnum audeat violare. Illis ita resistentibus et bellum parantibus, adveniente Gundovaldo cum magno exercitu, cum vidissent quod sustinere non possent, susceperunt eum. Posthæc cum ad convivium in domo ecclesiæ episcopus una cum Gundovaldo resideret, ait : Filium te Chlothacharii regis asseris, sed utrum sit verum, an non, ignoramus. Et si possis vindicare cœpta, incredibile habetur apud animos nostros. At ille ait : Ego regis Chlothacharii sum filius, et partem regni de præsenti sum percepturus, et usque Parisios velociter accedam, et ibi sedem regni statuam. Cui episcopus B ait : Verumne est ergo, quod nullus de stirpe Francorum remansit, si tu quæ dicis impleveris ? Inter has altercationes, cum hæc Mummolus exaudisset, elevata manu alapis cecidit episcopum, dicens : Non pudet ut tam degener et stultus ita magno regi respondeas ? Verum ubi et Desiderius de consilio episcopi comperit quæ fuerant dicta, ira commotus manus in eum injecit, cæsumque communiter hastis, pugnis, et calcibus, ac fune revinctum, exsilio damnaverunt, res ejus, tam proprias quam ecclesiæ, integre auferentes. Waddo autem, qui erat major domus reginæ Riguntbis, se eisdem copulavit; reliqui vero qui cum eo abierant, per fugam dilapsi sunt.

XXVIII. Posthæc exercitus ab urbe Pictava remotus, inantea [h] post Gundovaldum proficiscitur. Secuti- C que sunt eum de Turonicis multi lucri causa ; sed Pictavis super eum irruentibus **352**, nonnulli interempti, plurimi vero spoliati redierunt. Illi autem qui de his ad exercitum prius junxerant [i], pariter abierunt. Itaque exercitus ad Dorononiam [j] fluvium accedens, præstolari cœpit, quid de Gundovaldo cognosceret. Cui jam, ut supra dictum est, adhæserant dux Desiderius et Bladastes cum Waddone majore domus Riguntbis reginæ. Erant enim primi cum eo Sagittarius episcopus et Mummolus. Sagittarius enim jam promissionem de episcopatu Tolosano acceperat.

XXIX. Dum autem hæc agerentur, misit rex Guntchramnus Claudium quemdam, dicens : Si abieris, inquit, et ejectum de basilica [k] Eberulfum aut gladio interemeris, aut catenis vinxeris, magnis te muneribus locupletabo; verumtamen ne sanctæ basilicæ injuriam inferas omnino commoneo. Ille vero, ut erat

[a] Regm., *Meroveus*.

[b] Ejus rei exempla laudantur lib. I Liturg. Gallic., cap. 7.

[c] Deest hoc caput in Vat. et Colb. a. Confer illud cum lib. V cap. 14. Colb. m. et Alex. habent, *Maleficum vero... jam a Garico*, etc.

[d] Casin. et Regm., *colonis*. Colb. m., *colinis*.

[e] Is erat Carterius, de quo supra lib. VI, cap. 22. Hoc ipso anno subscripsit Conc. Matisc. II, sicut et Nicasius Inculismensis.

[f] Colb. a., *Maginulfum*. Colb. m. et Regm., *Manulfum*. In capitum indice in mss. dicitur *Aginulfus*. Magnulfus dicitur in Conc. Matisc. cui per legatum subscripsit.

[g] An is Sigulfus, qui stans pro Sigiberto paulo antequam occideretur, Chlodoveum Chilperici filium Burdegala ejecit, ac fugientem insecutus est, ut narrat Gregorius lib. IV, cap. 48, alias 42? Sigulfus dux infra memoratur lib. VIII, cap. 18, sed alius ab isto, si res suo tempore narrantur.

[h] Id est ulterius; Regm. habet *a Pictavo remotus in antea*, etc.

[i] Bad., *se junxerant*, et Colb. a. altera manu, *juncti erant*. Sed Gregorius et alii ejus ævi auctores sæpius verbo *jungo* utuntur passive seu neutraliter.

[j] Seu Duranium, vulgo *la Dordogne*, nobilis fluvius, qui in Arvernis ortus, lustratis multis urbibus, Garumnæ jungitur paulo antequam sese in mare exoneret. Colb. m. et Regm. habent, *Dononiam*,

[k] Sancti Martini scilicet; confer capp. 21 et 29.

vanitati atque avaritiæ deditus, velociter Parisios advolavit : uxor enim ei ex Meldensi territorio erat. Volvere animo cœpit utrum Fredegundem reginam videret, dicens : Si eam videro, elicere ab ea aliquid muneris possum. Scio enim eam esse homini, ad quem directus sum, inimicam. Tunc accedens ad eam, de præsenti munera magna capiens, promissiones multas elicuit, ut aut extractum a basilica Eberulfum occideret, aut circumventum dolis catenis vinciret, aut certe in ipso eum atrio trucidaret. Regressus autem ad Dunense castrum, comitem commonet, ut ei trecentos viros, quasi ad custodiendas Turonicæ urbis portas, adjungeret : scilicet ut cum venisset, per eorum solatium Eberulfum posset opprimere. Cumque comes loci viros istos commoveret, Claudius Turonis accessit. Et cum iter ageret, ut consuetudo est barbarorum, auspicia intendere cœpit, ac dicere sibi esse contraria, simulque interrogare multos, si virtus beati Martini de præsenti manifestaretur in perfidis? aut certe, si aliquis injuriam in eum sperantibus intulisset, si protinus ultio sequeretur? Igitur postpositis, ut diximus, viris qui **353** ad solatium ejus venire debuerant, ipse ad basilicam sanctam accessit. Statimque infelici Eberulfo conjunctus, sacramenta dare cœpit, ac jurare per omnia sacrosancta, vel virtutem præsentis antistitis, nullum in causis ejus fore fideliorem, qui ita cum rege causas ejus possit exserere [a]. Hoc enim apud se consilium habuerat miserrimus : Nisi eum pejerando decepero, non vincam. Verum ubi vidit Eberulfus, quod ei talia cum sacramento in ipsa basilica ac per porticus, et singula loca atrii veneranda promitteret, credidit miser homini pejeranti. Die autem altero cum nos in villa quasi millia triginta ab urbe commoraremur, ad convivium basilicæ sanctæ cum eodem et reliquis civibus est ascitus; ibique eum Claudius gladio ferire voluit si pueri ejus longius astitissent. Verumtamen nunquam hæc Eberulfus, ut erat vanus, advertit. Postquam autem convivium est finitum, ipse simul ac Claudius per atrium domus basilicæ deambulare cœperunt, sibi invicem fidem ac charitatem sacramentis intercurrentibus promittentes. His ita loquentibus, ait Claudius Eberulfo: Delectat animum ad metatum tuum haurire potum, si vina odoramentis essent immista, aut certe potentioris vini libationem strenuitas tua requireret. Hæc eo dicente, gavisus Eberulfus, respondit habere se, dicens : Et omnia quæ volueris ad metatum meum reperies : tantum ut dignetur dominus meus tugurium ingredi mansionis meæ. Misitque pueros, unum post alium, ad requirenda potentiora vina, Laticina [b] videlicet, atque Gazitina. Cumque illum a pueris relictum solum Claudius conspexisset, elevata contra basilicam manu, ait : Martine beatissime, fac me uxorem **354** cum parentibus cito videre. Infelix enim in discrimine positus, et hunc interficere in atrio cogitabat, et virtutem sancti antistitis metuebat. Tunc unus e pueris Claudii qui erat robustior, apprehensum Eberulfum a tergo validioribus lacertis astringit, resupinatumque pectus ejus ad jugulandum parat. At Claudius, extracto a balteo gladio, ad eum dirigit. Sed et ille prolatum a cingulo ferrum se ad percutiendum dum teneretur adaptat. Cumque Claudius elevata dextera cultrum ejus pectori injecisset, et illo non segniter sub ascella illius pugionem defixisset, retractoque ad se, librato ictu pollicem Claudii intercidit. Ex hoc convenientes pueri ejus cum gladiis, Eberulfum diversis ictibus sauciant. Quorum de manu dilapsus, dum fugere jam exanimis niteretur, extracto gladio caput ejus gravissime verberant, effusoque cerebro cecidit, et mortuus est; nec promeruit ab eo salvari, quem fideliter nunquam intellexit exposcere. Igitur Claudius timore perterritus cellulam abbatis expetiit, ab eo tutari se cupiens, in cujus patronum ne reverentiam habere non sapuit. Illo quoque residente, ait : Perpetratum est scelus immensum, et nisi tu subveneris, peribimus. Hæc eo loquente, irruerunt pueri Eberulfi cum gladiis ac lanceis : obseratumque reperientes ostium, effractis cellulæ vitreis, hastas per parietis fenestras injiciunt, Claudiumque jam semivivum ictu transfigunt. Satellites autem ejus post ostia et sublectis abduntur. Abbas apprehensus a duobus clericis, inter gladiorum acies vix vivus eripitur; reseratisque ostiis turba gladiatorum ingreditur. Nonnulli etiam matriculariorum [d] et reliquorum **355** pauperum, pro scelere commisso tectum cellulæ conantur evertere. Sed et energumeni ac diversi egeni cum petris et fustibus ad ulciscendam basilicæ violentiam proficiscuntur, indigne ferentes, cur talia quæ nunquam facta fuerant, essent ibidem perpetrata. Quid plura? Extrahuntur fugaces ex abditis, et distinguit.

[a] Regm. et Chesn. al., *exercere*.

[b] Legendum forte *Latina*, id est Falerna, ut supra lib. III, cap. 19, sic dicta a Falerno monte in Campania Felice. Laticina tamen Alteserra putat dicta fuisse vina alba, quod aquæ colorem repræsentarent; hinc Virgilius Æneid. lib. I *Laticeum Lyæum* regalibus ferculis adjungit. Gazitina autem vina tunc temporis celebria erant, ut ex hoc aliisque Gregorii locis patet. Eadem laudat Sidonius carm. 17, Cassiodor. lib. XII, epist. 12, et alii. Sic dicta fuisse docet Isidorus lib. XXIII, quod e Gaza Palestinæ urbe adveherentur. Vide lib. de Gloria Conf., cap. 65.

[c] Colb. a. alt. manu, *in cujus Patris atrio*. Abbas vero monasterio S. Martini tunc præerat Eustachius, seu Eustochius, ut observat Coiutius, de quo infra in Vitis Patrum, cap. 20. Male hunc locum de Majori Monasterio intelligit Alteserra, quod a sancti Martini, hodie *insigni collegiata*, monasterio non

[d] Matriculariі dicebantur pauperes qui ecclesiæ facultatibus alebantur, quod in catalogo seu matricula eorum nomina descripta essent, ut videre est apud Frodoardum lib. II Hist. Rhemensis, cap. 5, Hincmar., etc. Eo etiam nomine donati sunt qui ejusmodi pauperum, et domus in qua hospitabantur, quæ *matricula* etiam dicebatur, curam habebant, ut patet ex formula 11 ex lege Romana apud Bignonium, cujus etiam V. Cl. notæ in hunc locum legendæ sunt. Ex hoc translatum est etiam istud nomen ad eos, qui cujuslibet ecclesiæ curam habebant, qui custodes seu matriculariі ecclesiarum dicti fuerunt; quod nomen retinent etiam nunc, qui ecclesiarum parochialium bona administrant, vulgo *les marguilliers* dicti. Immo etiam Alcuinus se beati Martini matricularium, id est alumnum, passim dicit. Vide Cangii Glossarium.

sanctitas evidebatur, pavimentum cellulæ tabo maculantur. Pristinum vero miserandi sunt, extrahuntur foras, et nudi super humum frigidam relinquuntur. Permanentes vero nocte sequenti apprehensis spoliis fugæ dilabuntur. Adfuit autem Dei ultio de præsenti super eos, qui horum atrium humano sanguine polluerunt. Sed nec ejus facinus parvum esse censetur, quem tales hostes interficere permisit. Magnum ex hac re iracundiam habuit, sed cognita ratione quievit. Res tamen ipsius infelicis, tam mobiles quam immobiles, quæ ei de propriis rebus relictæ fuerant [a], suis fidelibus condonavit, qui uxorem ejus valde spoliatam in sancta basilica reliquerunt. Corpus vero Chramni et reliquorum, parentes proximi auferentes in suam regionem, sepelierunt.

XXI. Igitur Gundovaldus duos ad amicos suos legatos direxit, clericos utique : ex quibus unus abbas Cadurcinæ urbis, litteras quas acceperat, cavata cerulea tabula sub cera recondidit. Sed apprehensus ab hominibus regis Guntchramni, repertis litteris, in regis præsentiam est deductus : qui cæsus gravissime, in custodiam est retrusus.

XXII. Erat tunc temporis Gundovaldus in urbe Burdegalensi a Bertchramno episcopo valde dilectus. Inquirens autem quæ ei causæ solatium præbere possent, narravit quidam, quod aliquis in partibus Orientis rex, ablato sancti Sergii [b] martyris pollice, in dextro brachio corporis sui servasset. Cumque ei necessitas ad depellendum inimicos obvenisset, in hoc 356 confisus auxilio, ubi dextri lacerti erexisset ulnam, protinus multitudo hostium, quasi martyris opprecra virtute, labebatur in fugam. Hæc audiens Gundovaldus, inquirere diligentius cœpit, quisnam esset in eo loco, qui reliquias sancti Sergii martyris meruisset accipere. Interea proditus ab episcopo Bertchramno Eufronius [*Al.* Eufron] negotiator per inimicitiam, quia invitum aliquando eum tulerat, inhians facultati ejus [c]. Quod ille dispiciens, ad aliam urbem transiens, cæsarie crescente regreditur. Ait ergo episcopus : Est hic quidam Syrus, Eufronius nomine, qui de domo sua ecclesiam faciens, hujus sancti reliquias collocavit; et plurima ex his signa, virtute martyris opitulante, conspexit. Nam cum tempore quodam Burdegalensis civitas A maximo flagraret incendio, hæc domus circumdata flammis, nullatenus est adusta. Ista eo dicente, statim Mummolus cursu rapido cum episcopo Bertchramno ad domum Syri accedit : vallatoque homine, pignora sibi sancta præcipit ostendi. Negat ille. Tamen cogitans, quod pro malitia aliqua ei hæc pararentur insidiæ, ait : Noli fatigare senem, nec sancto inferre injuriam, sed acceptis a me centum aureis abscede. Illo quoque instante, ut sanctas videret reliquias, ducentos aureos obtulit; et nec sic obtinuit eum recedere, nisi ipsa pignora viderentur. Tunc Mummolus elevari ad parietem scalam jubet (erant enim in sublimi parietis contra altarium in capsula recondita), discumum suum scandere præcepit. Qui per gradus scandens scalæ, apprehendens B capsam, ita tremore concussus est, ut nec vivens putaretur ad terram reverti. Attamen accepta, ut diximus, capsula, quæ de pariete pendebat, detulit. Qua perscrutata, Mummolus os de sancti digito reperit, quod cultro ferire non metuit. Posito enim desuper cultro, et sic de alio percutiebat. Cumque post 357 multos ictus vix frangi potuisset, divisum in tres partes ossiculum diversas in partes dilabitur. Credo non erat acceptum martyri, ut hæc ille contingeret. Tunc flente vehementius Eufronio, prosternuntur omnes in orationem, deprecantes ut Deus dignaretur ostendere, quæ ab oculis fuerant humanis ablata. Post orationem autem repertæ sunt particulæ, ex quibus una Mummolus assumpta, abscessit, sed non, ut credo, cum gratia martyris, sicut in C sequenti declaratum est. Dum autem in hac urbe morarentur, Faustianum [d] presbyterum Aquensi urbi episcopum ordinari præcipiunt. Nuper enim in Aquensi urbe episcopus obierat, et Nicetius comes loci illius, germanus Rustici Vici Julienis episcopi, præceptionem ab Chilperico elicuerat, ut tensoratus civitati illi sacerdos daretur. Sed Gundovaldus destruere nitens ejus decreta, convocatis Episcopis, jussit eum benedici. Bertchramnus autem episcopus, qui erat metropolis, cavens futura, Palladium Santonicum injungit qui eum benediceret. Nam et oculi ei eo tempore a lippitudine gravabantur. Fuit autem ad hanc ordinationem et Orestes Vasatensis episcopus : sed negavit hoc coram rege.

[a] Sic C lib. a. alt. manu. Cæteri vero, *quod a prioribus relictum fuerat*. Bad., *et quidquid a prioribus, etc.* Freh. al., *quod a proprio rebus relictum*, etc. Idem Colb. alt. manu infra, *uxorem ejus omnibus rebus spoliatam*.

[b] Celebris fuit in Oriente S. Sergius, qui sub Maximiano imperatore martyrio consummatus dicitur cum Baccho, apud Rosaphan Comagenis, seu Euphratesiæ Augustæ urbem, quæ ex ejus nomine postea Sergiopolis dicta est. Hanc urbem frustra expugnare tentavit Chosroes Persarum rex, Justiniano imperante. Eumdem martyrem veluti specialem patronum habuit Chosroes alter, sub Mauricii principatu, cujus basilicam cruce aurea, variisque donis locupletavit, ut narrant Evagrius lib. IV, cap. 28, et lib. VI, cap. 21; Theophylactus Simocatta lib. V, cap. 13; Nicephorus, etc. Vide Baronium ad an. 505. Hinc Sergii nomen apud Christianos pariter et barbaros D celebre fuisse patet. Justinianus unam ei basilicam dicavit CP. alteram Ptolemaide ex Procopio. Peregrinationes ad S. Sergium in Araphas seu Saraphas laudantur in synodo Nicæna II, ex Joanne Moscho in Prato spirit. cap. 180. Vide et infra nostrum Greg. de Glor. Mart. lib. I. cap. 97.

[c] Forte quod tunc episcopi clericorum, saltem defunctorum, bona sibi arrogarent : quod vetitum postea fuit an. 615, in Concil. Paris. V, can. 8.

[d] Colb. a. et Regm., *Faustinianum*. Civitas autem Aquensis hic memorata, alias Aquæ Tarbellicæ, vulgo *Acqs*, seu *Dax*, et Vicus Julii, seu Adura, vulgo *Aire*, Novempopulaniæ urbes, fuere semper sub metropoli Elusana sive Ausciensi, sicut et Vasate. Earum tamen episcopi, perturbatis tunc rebus, Burdigalensi episcopo, qui vicinæ provinciæ, id est Aquitaniæ II, metropolitanus erat, parere cogebantur.

XXXII. Posthæc misit iterum Gundovaldus duos legatos, Zotanum, necnon et Zabulfum, ad regem cum virgis consecratis [a], juxta ritum Francorum, ut scilicet, non contingerentur ab ullo, sed exposita legatione cum responso reverterentur. Sed hi incauti, priusquam regis præsentiam cernerent, multis quæ petebant explanaverunt. Extemplo sermo cucurrit ad regem; itaque vincti catenis in regis præsentiam deducuntur. Tunc illi quid quærerent, ad quem directi, vel a quo fuerint missi negare non ausi, aiunt : Gundovaldus, qui nuper ab Oriente veniens, dicit se filium esse patris vestri regis Chlothacharii, misit nos ut **358** debitam portionem regni sui recipiat : sin autem a vobis non redditur, noveritis eum in has partes cum exercitu esse venturum. Omnes enim viri fortissimi regionis illius, quæ ultra Doronon'am sita ad Gallias pertinet, ei conjuncti sunt; et ita infit : Judicabit tunc Deus, cum in unius campi planitie junxerimus, utrum sim Chlothacharii filius, an non. Tunc rex furore succensus jussit eos ad trochleas extendi et fortissime cædi, ut si vera essent quæ dicerent, evidentius approbarent; et si aliquid doli adhuc intra pectorum arcana retinerent, vis tormentorum extorqueret invitis. Deinde increscentibus suppliciis, aiunt neptem illius, id est regis Chilperici filiam [b], eum Magnulfo Tolosanorum episcopo exsilio deputatam, thesauros omnes ab ipso Gundovaldo sublatos [c]; ipsum quoque regem ab omnibus majoribus natu Childeberti regis expetitum esse : sed præsertim cum Guntchramnus Boso ante hos annos Constantinopolim abiisset, ipsumque in Gallias invitasset.

XXXIII. Quibus cæsis, et in carcerem retrusis, rex arcessiri nepotem suum Childebertum jubet, ut scilicet conjuncti pariter homines istos audire deberent. Denique cum simul conjuncti viros interrogarent, iteraverunt ea regibus simul astantibus, quæ prius solus rex Guntchramnus audivit. Asserebant etiam constanter hanc causam, sicut jam supra diximus, omnibus senioribus in regno Childeberti regis esse cognitam. Et ob hoc nonnulli de prioribus regis Childeberti in hoc placitum abire timuerunt, qui in hac causa putabantur esse participes. Posthæc rex Guntchramnus data in manu regis Childeberti hasta, ait : Hoc est indicium quod tibi omne regnum meum tradidi [d]. Ex hoc nunc vade, et omnes civitates meas, tanquam tuas propriæ, sub tui juris dominationem subjice. Nihil enim, facientibus **359** peccatis, de stirpe mea remansit, nisi tu tantum [e], qui mei fratris es filius. Tu enim hæres in omni regno meo succede, cæteris exhæredibus factis. Tunc relictis omnibus, assumpto seorsum puero, clam locutus est, prius obtestans diligentissime, ne secreta collocutio ulli hominum panderetur. Tunc indicavit ei quos in consilio haberet, aut spernceret a colloquio; quibus se crederet, quos vitaret, quos honoraret muneribus, quos ab honore depelleret. Interea interdicens, ut Egidium episcopum Rhemensem, qui ei semper inimicus exstiterat, nullo modo aut crederet, aut secum haberet [f], quia et ipsi et patri suo sæpius pejerasset. Deinde cum ad convivium convenissent, cohortabatur Guntchramnus rex omnem exercitum, dicens : Videte, o viri, quia filius meus Childebertus jam vir magnus effectus est. Videte, et cavete, ne eum pro parvulo habeatis [g]. Relinquite nunc perversitates, atque præsumptiones quas exercetis : quia rex est, cui vos nunc deservire debetis. Hæc et his similia locutus, per triduum epulantes atque jocundantes, multisque muneribus locupletantes, cum pace discesserunt. Tunc ei reddidit rex Guntchramnus omnia, quæ pater ejus Sigibertus habuerat, obtestans ne ad matrem accederet, ne forte aliquis daretur aditus, qualiter ad Gundovaldum scriberet, aut ab eo scripta susciperet.

XXXIV. Igitur Gundovaldus cum audisset sibi exercitum propinquare, relictus a Desiderio duce, Garonnam cum Sagittario episcopo, Mummolo et Bladaste ducibus, atque Waddone transivit, Convenas [h] petentes. Est enim urbs in cacumine montis sita, nullique monti contigua. Fons magnus ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutissima; ad quem **360** per cuniculum descendentes ex urbe, latenter latices hauriunt. Hanc enim ingressus ur-

[a] Græci legati caduceum deferebant ex *L. Sanctum ff. de rerum divisi ne.* Hinc Mercurius deorum nuntius manu gestabat caduceum, quem Virgilius lib. IV Æneid. virgam appellat. Cæterum solus cod. Colb. a. legatorum nomina exprimit.

[b] Riguntbem Reccaredo desponsatam.

[c] Editi, *sublatos reddidisse.*

[d] Hastam regium insigne apud Francos exstitisse patet ex annulo Childerici I regis, qui in ejus sepulcro cum aliis cimeliis inventus est. Ibi enim rex repræsentatur, promissis in humeros capillis, hastam in sceptri modum manu gestans. Vide Chiffletium pag. 96, in libro ea de re edito sub Anastasis Childerici nomine.

[e] Erat tamen insuper Chlotarius parvulus Chilperici filius, qui apud Victoriacum nutriebatur : sed cum nondum a Guntramno visus fuisset, ut ipse conqueritur lib. VIII, cap. 9, vix ipsum habebat pro filio regis.

[f] Sic Colb. a. alt. manu; alii, *aut haberet.* Regm., *consiliarium haberet.*

[g] Childebertus annum ætatis 14 egressus, et major, uti nunc loquimur, *declaratus*, regnum suum ipse administrare cœpit. Sic et postea Balthildis Chlotario filio suo pubertatem ingresso regni curam dimisit. Videsis Vales. l. b. XII rer. Francic.

[h] Lugdunum Convenarum apud veteres dicitur, tum a situ, Dunum quippe apud veteres Gallos mons est, tum ab occasione qua conditum fuit, quod scilicet multi in eum locum convenerint. Rem explicat Hieronymus adversus Vigilantium in ea urbe natum : *Respondet*, inquit, *generi suo, ut qui de latronum et Convenarum natus est semine, quos Cn. Pompeius edomita Hispania in Pyrenæi jugis deposuit, et in unum oppidum congregavit, unde et Convenarum urbs.* Ii erant Wascones, qui tunc Pyrenæorum juga incolebant. Lege Valesium in Notitia Galliarum. Cæterum hæc urbs anno 685 a Guntramno diruta, ut inferius narrat Gregorius, diu jacuit, sede episcopali alio translata; sed a Bertrando, qui anno 1120 vivere desiit, utcunque reparata, coli ac inhabitari cœpit. Unde nomen restitutoris accipiens, nunc vulgo sancti Bertrandi Convenensis urbs, *Saint-Bertrand de Comminges*, dicitur, sub metropoli Auscensi in Wasconia.

bem in initio Quadragesimæ locutus est civibus, dicens : Noverit's me cum omnibus, qui in regno Childeberti habentur, electum esse regem, atque haberi mecum non modicum solatium. Sed quoniam frater meus Guntchramnus rex immensum adversus me movet exercitum, oportet vos alimenta atque cunctam supellectilem infra murorum munitionem concludere, ut scilicet dum nobis illa pietas divina auget solatium, non pereatis inopia. Hæc illis credentibus, quæcunque habere potuerunt collocantes in urbe præparabant se ad resistendum. Eo tempore Guntchramnus rex misit litteras ad Gundovaldum, ex nomine Brunichildis reginæ in quibus erat scriptum, ut relicto exercitu et in loca sua abire jusso, ipse remotior apud Burdegalensem urbem hiberna deduceret. Scripserat enim hæc dolose, ut de eo plenius quid ageret, posset agnoscere. Igitur commorante eo apud urbem Convenas, locutus est incolis, dicens : Ecce jam exercitus appropinquat, egredimini ad resistendum. Quibus egredientibus, hi occupantes portas atque claudentes, excluso foris populo, cum episcopo loci [a], cuncta quæ in urbe invenire potuerant, suis ditionibus subdiderunt. Tantaque ibi multitudo annonæ atque vini reperta est, ut si viriliter stetissent, per multorum annorum spatia victus alimentis non egerent.

XXXV. Audierant enim eo tempore duces Guntchramn. regis, Gundovaldum ultra Garonnam in littore residere cum ingenti hostium multitudine; ipsosque thesauros, quos Rigunthis tulerat, secum retinere. Tunc impetu facto cum equitibus [*Ed.* equis] Garonnam **381** natando transiere, nonnullis de exercitu in amne demersis. Reliqui in littus egressi, requirentes Gundovaldum, invenerunt camelos cum ingenti pondere auri atque argenti, sive equites [*Pro* equos] quos fessos per vias reliquerat. Audientes deinceps eos infra muros urbis Convenicæ commorari, relictis plaustris ac diversis impedimentis cum populo minore, robustiores viri ipsum, sicut jam Garonnam transierant, insequi destinant. Quibus properantibus, venerunt ad basilicam sancti Vincentii, quæ est juxta terminum Agennensis urbis, ubi ipse martyr pro Christi nomine agonem dicitur consummasse; inveneruntque eam refertam diversis thesauris incolarum. Erat enim spes incolis non A esse a Christianis tanti martyris basilicam violandam, cujus ostia summo studio obserata erant. Nec mora appropinquans exercitus cum reserare templi valvas non valeret, ignem accendit; consumptisque ostiis, omnem substantiam cunctamque supellectilem, quam in ea invenire potuerunt, cum sacris ministeriis abstulerunt. Sed multos ibi ultio divina conterruit [b]. Nam plerisque manus divinitus urebantur, emittentes fumum magnum, sicut ex incendio surgere solet. Nonnulli arrepti a dæmone, per energiam debacchantes martyrem declamabant. Plurimi vero semoti a sociis [c] propriis se jaculis sauciabant. Reliquum vero vulgus inante non sine grandi metu progressum est. Quid plura? Convenitur ad Convenas (sic enim diximus nomen urbis) omnisque phalanga in suburbana urbis campania castrametata est, ibique extensis tentoriis residebat. Vastabatur in circuitu tota regio : nonnulli autem ab exercitu, quos fortior avaritiæ aculeus terebrabat, longius a suis evagantes, perimebantur ab incolis.

362 XXXVI. Ascendebant enim [d] multi per collem, et cum Gundovaldo sæpius loquebantur, inferentes ei convicia, ac dicentes : Tune es pictor ille, qui tempore Chlothacharii regis per oratoria parietes atque cameras charaxabas [e]? Tune es ille, quem Ballomerem nomine sæpius Galliarum incolæ vocitabant? Tune es ille, qui plerumque a regibus Francorum propter has præsumptiones quas profers, tonsoratus et exsilio datus es? Vel quis te, infelicissime hominum, in hæc loca adduxit, edicito. Quis tibi tantam audaciam præstitit, ut dominorum ac regum nostrorum fines auderes attingere? Certe si a quoquam es evocatus, clara voce testare. En tibi ante oculos mortem expositam; en ipsam quam diu quæsisti exitii foveam, in quam præceps dejiciaris. Dic satellites viritim, vel a quibus inviteris enuntia. At ille cum hæc audiret, propius super portam astans dicebat : Quod me Chlothacharius pater meus exosum habuerit, habetur incognitum nulli; quod autem ab eo, vel deinceps a fratribus sim tonsoratus, manifestum est omnibus. Et hæc me causa Narseti præfecto Italiæ junxit, ibique uxorem accipiens, duos filios generavi. Qua mortua, assumptis mecum liberis, Constantinopolim abii. Ab imperatoribus vero susceptus benignissime, usque ad hoc tem-

[a] Is erat Rufinus, qui hoc ipso anno Concilio Matiscon. II subscripsit.

[b] Hanc basilicam in valle Capraria prope Lugdunum Convenarum sitam fuisse contendit Joseph Scaliger lib. VI de Emendatione temp. Unde allucinatum fuisse putat Gregorium, qui ipsam prope Aginnum stetisse scripserit, confundens locum, in quo beatus martyr passus est, cum basilica ipsius memoriæ consecrata. At fallitur ipsemet Scaliger. Hanc quippe basilicam, quam Guntramni milites violarunt, prope Aginnum erat, et quidem in loco Pompeiaco, ubi S. Vincentius passus est. Nec repugnat rei gestæ series. Gundobaldo quippe Burdigalæ existente, Guntramni exercitus ex Pictavo ad Dordoniam flumen accessit. Quo nuntio territus Gundobaldus, apud Convenas se recepit, quo cum pergeret, Guntramni exercitus ut hostem insequeretur, per Aginnen em terminum D transiit, idque itineris ratio postulabat, atque ea occasione milites ecclesiam S. Vincentii diripuerunt. Tum prosequentes cœptum iter ad montis, cui impositum erat Lugdunum Convenarum, radices pervenere, ut narrat Gregorius. Vide lib. de Gloria Mart. cap. 105. De hac basilica, et altera eidem sancto dicata, quas exstruxerat aut adornarat Leontius episc. Burdigalæ, Fortunatus lib. I, carm. 8 et 9. Festum hujus sancti colitur die 9 Junii.

[c] Sic Colb. a. alt. manu. Cæteri, *semoti a seditione.*

[d] Sic Colb. a. Regm., *Sed et plurimi eorum agebant occulte, et loquebantur cum Gundobaldo.* Cæteri cum Bec., *Abscondebant enim se multi*, etc.

[e] Hinc charaxaturæ dictæ sunt deletiones seu cancellationes scripturæ, et maculæ ab atramento. Vide testamentum S. Remigii, et Marculf. lib. II, formula 17.

pus vixi. Ante hos enim annos cum Guntchramnus Boso Constantinopolim abiisset, et ego sollicitus causas fratrum meorum diligenter rimarer, cognovi generationem nostram valde attenuatam, nec superesse de stirpe nostra, nisi Childebertum et Guntchramnum, fratrem scilicet, et fratris mei filium. Filii enim Chilperici regis cum ipso interierant, uno tantum parvulo derelicto [a]. Guntchramnus **363** frater meus filios non habebat; Childebertus nepos noster, minime fortis erat. Tunc Guntchramnus Boso his mihi diligenter expositis, invitavit me, dicens: Veni, quia ab omnibus regni regis Childeberti principibus invitaris, nec quisquam contra te mutire ausus est. Scimus enim omnes te filium esse Chlothacharii; nec remansit in Galliis qui regnum illud regere possit, nisi tu advenias. At ego datis ei multis muneribus, per duodecim loca sancta ab eo suscipio sacramenta, ut securus in hoc regnum accederem. Veni enim Massiliam, ibique me episcopus summa benignitate suscepit: habebat enim scripta seniorum regni nepotis mei. Ex hoc enim Avinionem accessi juxta placita patricii Mummoli. Guntchramnus vero immemor sacramenti ac promissionis suæ, thesauros meos abstulit, et in suam ditionem subegit. Nunc autem recognoscite quia ego sum rex, sicut et frater meus Guntchramnus. Tamen si tanto odio mens vestra grassatur, vel ad regem vestrum deducar, et si me cognoscit fratrem, quod voluerit faciat. Certe si nec hoc volueritis, vel liceat mihi regredi, unde prius egressus sum. Abibo enim, et nulli quidquam injuriæ inferam. Tamen ut sciatis vera esse quæ dico, Radegundem Pictavam, et Ingetrudem [b] Turonicam interrogate: ipsæ enim vobis affirmabunt certa esse quæ loquor. Hæc eo dicente, multi cum conviciis et improperiis hæc verba prosequebantur.

XXXVII. Quintus et decimus in hac obsidione effulserat dies, et Leudegisilus novas ad destruendam urbem machinas præparabat: plaustra enim cum arietibus, clitellis et axibus erant texta [c], sub quibus exercitus properaret ad destruendos muros. Sed cum appropinquassent, ita lapidibus obruebantur, ut omnes appropinquantes muro corruerent. Cuppas cum pice et adipe accensas supra eos projicientes, alias vero lapidibus plenas super eos dejiciebant. Sed cum nox certamina prohiberet, hostes ad castra regressi sunt. Erat autem cum Gundovaldo **364** et Chariulfus [d], valde dives ac præpotens, cujus apothecis ac promptuariis urbs valde referta erat: de cujus substantia hi maxime alebantur. Bladastes autem hæc cernens quæ gerebantur, metuens ne Leudegisilus obtenta victoria eos morti traderet, im-

A posito igne in ecclesiæ domo, concurrentibus ad incendium mitigandum inclusis [e], ille fuga dilapsus abscessit. Mane autem facto, exercitus iterum ad bella consurgit, ac ex virgis fasces faciunt, quasi ad complendam vallem profundam, quæ a parte Orientis sita erat: sed nocere hæc machina nihil potuit. Sagittarius vero episcopus frequentius muros cum armis circumibat, et sæpius lapides contra hostem manu propria jecit e muro.

XXXVIII. Denique ii qui urbem impugnabant, cum viderent quod nihil proficere possent, nuntios occultos ad Mummolum dirigunt, dicentes: Recognosce dominum tuum, et a perversitate ista tandem aliquando desiste. Quæ enim te amentia vallat, ut ignoto homini subjungaris? Uxor enim tua jam cum
B filiis captivata est; filii tui ut pote [f] jam interfecti sunt. Quo ruis? quidve præstolaris, nisi uti corruas? Hæc ille mandata accipiens dixit: Jam, ut video, regnum nostrum finem accipit, et potentia cadit. Unum superest, si securitatem vitæ me habere cognoscerem. de multo vos labore poteram removere. Discedentibus nuntiis, Sagittarius episcopus cum Mummolo, Chariulfo atque Waddone ad ecclesiam pergit ibique sibi invicem sacramenta dederunt, ut si de vitæ promissione certiores fierent, relicta amicitia Gundovaldi, ipsum hostibus traderent. Reversi iterum nuntii, promiserunt eis vitæ securitatem. Mummolus vero dixit: Hoc tantum fiat, ego hunc in manu vestra tradam, et ego recognoscens dominum meum
C regem, ad ejus præsentiam properabo. Tunc illi promittunt, quod si hæc impleret, ipsum in charitate susciperent, et si eum regi excusare non possent, in ecclesiam ponerent, ne vitæ amissione multaretur. Hæc cum sacramenti **365** interpositione polliciti, discesserunt. Mummolus vero cum Sagittario episcopo et Waddone ad Gundovaldum pergentes, dixerunt: Sacramenta fidelitatis qualia tibi dedimus, ipse qui præsens es nosti. Nunc autem accipe salubre consilium: discede ab hac urbe, et repræsentare fratri tuo, sicut sæpe quæsisti. Jam enim cum his hominibus collocuti sumus, et ipsi dixerunt, quia non vult rex perdere solatium tuum, eo quod parum de generatione vestra remanserit. At ille intelligens dolum eorum, lacrymis perfusus, ait: Invitatione vestra in has Gallias sum delatus;
D thesaurorum vero meorum, in quibus immensum pondus argenti continetur et auri, ac diversarum specierum, aliquid in Avennica urbe retinetur, aliquid Guntchramnus Boso diripuit. Ego vero juxta Dei auxilium, spe omni in vobis posita, vobis consilium meum credidi, per vos regnare semper optavi. Nunc cum Deo vobis sit actio, si quid mihi mendacii di-

[a] Et tamen ex libro VI, cap. 24, Gundobaldus in Gallias accesserat ante Chilperici interitum. Vide supra cap. 32.

[b] Colb. a. et Bec., *Ingotrudem*. Colb. m., *Introgundam*. Regn., *Intragundam*. Hæc est Ingeltrudis, quæ monasterium in atrio basilicæ sancti Martini condiderat: de qua sæpius loquitur Gregorius.

[c] Sic Bec. cum editis; alii, *tecta*; Colb. a. alt. manu, *tecta erant*.

[d] Colb. m. et Chesn. al., *Ariulfus*; infra *Hariulfus*; Bec., *Mariulfus*, sed infra, *Cariulfus*.

[e] Colb. a., *inclusus ille*, et post *concurrentibus*, alt. manu additum est *omnibus*.

[f] Colb. a., *ut puto*. Regn., *et, ut credo, filii tui jam*, etc.

xeritis : ipse enim judicet causam meam. Hæc eo dicente, respondit Mummolus : Nihil tibi fallaciter loquimur, sed ecce viros fortissimos stantes ad portam tuum operientes adventum. Nunc autem depone baltheum meum aureum quo cingeris, ne videaris in jactantia procedere, et tuum accinge gladium, meumque restitue. Et ille : Non simpliciter, inquit, hæc verba suscipio, ut ea quæ de tuis usque nunc in charitate [a] usus sum, a me auferantur. Mummolus vero asserebat cum juramento, nihil ei moleste fieri. Egressi igitur portam, ab Ollone Biturigum comite et Bosone susceptus est. Mummolus autem cum satellitibus in urbem regressus, portam firmissime obseravit. Hic autem cum se in manibus inimicorum cerneret traditum, elevatis ad cœlum manibus et oculis, ait : Judex æterne, et ultio vera innocentium, Deus, a quo omnis justitia procedit, cui mendacium non placet, in quo nullus dolus neque versutia malitiæ continetur, tibi commendo causam meam, deprecans ut sis velociter ultor super eos, qui me insontem manibus tradiderunt inimicorum. Hæc cum dixisset, consignans se cruce Dominica, abire cœpit cum hominibus supradictis. Cumque a porta se **366** elongassent, sicut est circa urbem vallis tota in præcipitium, impulsus ab Ollone cecidit, illo quoque clamante : En vobis Ballomerem vestrum, qui se regis et fratrem dicit et filium. Et immissa lancea, voluit eum transfigere, sed repulsa a circulis loricæ nihil nocuit. Denique cum elevatus ad montem regredi niteretur, Boso emisso lapide caput ejus libravit, qui cecidit, et mortuus est. Venitque omne vulgus, et defixis in eum lanceis, pedes ejus funo ligantes, per omnia exercituum castra traxerunt ; evellentesque cæsariem ac barbam ejus, insepultum ipso in loco quo interfectus fuerat, reliquerunt. Nocte vero sequenti, ii qui primi erant [b], omnes thesauros quos in urbe reperire potuerunt, cum ministeriis ecclesiæ clam abstulerunt. Mane vero reseratis portarum valvis, immisso exercitu, omne vulgus inclusum in ore gladii tradiderunt, sacerdotes quoque Domini cum ministris ad ipsa ecclesiarum altaria trucidantes. Postquam autem cunctos interfecerunt, ut non remaneret mingens ad parietem, omnem urbem cum ecclesiis reliquisque ædificiis succenderunt, nihil ibi præter humum vacuam relinquentes.

XXXIX. Igitur Leudegisilus rediens ad castra cum Mummolo et Sagittario, Chariulfo et Waddone, nuntios occulte ad regem dirigit, quid de his fieri velit. At ille capitali eos jussit finire sententia. Waddo tunc cum Chariulfo, relictis filiis obsidibus, discesserunt ab eis. Delato quoque nuntio de horum interitu, cum hoc Mummolus advertisset, accinctus armis tugurium Leudegisili petit. At ille videns eum, ait : Quid sic, inquit, quasi fugiens venis? Cui ille : Nihil, ut video, de fide promissa servatur, nam cerno me in mortis exitio positum. Cui ille : Ego egrediar foras, et omnia mitigabo. Quo egrediente, confestim ex jussu ejus vallata est domus, ut hic interficeretur. Sed et ille cum diutissime contra bellantes restitisset, venit ad ostium. Cumque egrederetur, duo cum lanceis utraque ei latera feriunt, sicque cecidit et mortuus est. Quo viso Episcopus (Sagittarius), dum timore consternatus paveret, ait ad eum quidam de astantibus : Inspice propriis oculis, episcope, quæ geruntur, et tecto **367** capite ne agnoscaris, silvam pete, ut abscondaris paululum, atque ira labente possis evadere. At ille accepto consilio, dum obtecto capite fugere niteretur, extracto quidam gladio caput ejus cum cucullo decidit. Deinde unusquisque ad propria rediens, magnas per viam prædas et homicidia fecit. Fredegundis autem his diebus Cuppanem in Tolosanum direxit, ut scilicet filiam suam exinde quocunque modo posset, erueret. Ferebant enim plerique ob hoc eum transmissum, ut si Gundovaldum reperisset vivum, multis illectum promissionibus ad eam transduceret. Sed cum hoc facere nequivisset, acceptam Rigunthem a loco illo reduxit, non sine grandi humilitate atque contumelia [c].

XL. Igitur Leudegisilus dux cum thesauris omnibus, quos superius nominavimus, ad regem venit; quos postea rex pauperibus et ecclesiis erogavit. Apprehensa vero uxore Mummoli, inquirere rex cœpit, quid thesauri quos ii congregaverant, devenissent. Sed illa cognoscens virum suum interfectum fuisse, et omnem jactantiam eorum prorsus in terram corruisse, omnia pandit, dixitque multum adhuc apud urbem Avennicam auri atque argenti esse, quæ ad regis notitiam non venissent. Statimque misit rex viros qui hæc deferre deberent cum uno puero, quem valde creditum Mummolus habens, hæc ei commendaverat. Abeuntes autem acceperunt omnia, quæ in urbe relicta fuerant. Ferunt autem ducenta et quinquaginta talenta argenti fuisse, auri vero amplius quam triginta. Sed hæc, ut ferunt, de reperto antiquo thesauro abstulit. Quod rex divisum cum Childeberto rege nepote suo, partem suam maxime pauperibus est largitus ; mulieri autem nihil amplius, quam ea quæ de parentibus habuerat, relinquens.

XLI. Tunc et homo ille immensi corporis ad regem de Mummoli familiaribus adductus est, ita magno corpore elatus, ut duos aut tres pedes super longissimos homines putaretur magnus, lignarius faber, qui non multo post obiit.

368 XLII. Posthæc edictum a judicibus datum est, ut qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur. Biturigum quoque comes misit pueros suos, ut in domo beati Martini, quæ in hoc termino sita est, hujusmodi homines spoliare deberent. Sed agens domus illius resistere fortiter cœpit, dicens : Sancti

[a] Cod. Casin., *in civitate.*
[b] Casin., *ii qui missi erant.*
[c] Nunquam enim Reccaredo nupsit, sicuti, ut videtur, nec Chlodosvinda Sigiberti filia. Vide infra notas ad cap. 25 lib. IX. Unde tot morarum procul dubio pertæsus Reccaredus, Baddonem popularem suam sibi tandem conjugio copulavit.

homines ii sunt. Nihil eis quidquam inferatis A Graviter tunc negotiatores populum spoliaverunt, ita
, quia non habuerunt consuetudinem in tali- ut vix vel modium [c] annonæ, aut semimodium vini
isis abire. At illi dixerunt : Nihil nobis et Mar- uno triante venumdarent. Subdebant se pauperes
, quem semper in causis inaniter profers : servitio, ut quantulumcunque de alimento porrige-
u et ipsi, pretia dissolvetis, pro eo quod re- rent [d].
erium neglexistis. Et hæc dicens ingressus XLVI. His diebus Christophorus negotiator ad Au-
am domus. Protinus dolore percussus cecidit, relianensem urbem abiit. Audierat enim, quod eo
iter agere cœpit. Conversusque ad agentem multum vini delatum fuisset. Abiens ergo, comparato
bili ait : Rogo ut facias super me crucem vino, et lintribus invecto, accepta a socero pecunia
, et invoces nomen beati Martini. Nunc autem multa, cum duobus pueris Saxonibus viam equitando
, quod magna est virtus ejus; nam ingre- terebat. Pueri vero diu dominum exosum habebant,
ne atrium domus, vidi virum senem exhiben- et plerumque fugerant illum, eo quod crebrius gra-
orem in manu sua, quæ mox extensis ramis vissime verberarentur. Cum venissent in quamdam
trium texit. Ex ea enim unus me attigit ra- silvam, præcedente domino, puer unus jaculata va-
e cujus ictu turbatus corrui. Et innuens suis lide lancea, dominum suum transfixit. Quo ruente,
, ut ejiceretur de atrio. Egressus autem in- B alius cum framea caput ejus dilaceravit, et sic ab
nomen beati Martini attentius cœpit. Ex hoc utroque in frusta decisus, exanimis est relictus. Illi
mmodius agens, sanatus est. vero accipientes pecuniam, fuga dilapsi sunt. Frater
l. Desiderius vero infra castrorum munitio- vero Christophori, sepulto corpusculo, homines suos
resque suas tutavit. Waddo major domus post pueros dirigit : qui juniorem comprehensum li-
is ad Brunichildem reginam transiit, et ab ea gant, seniore cum pecunia fugiente. **370** Quibus
as, cum muneribus et gratia est dimissus; redeuntibus, cum vinctum laxius reliquissent, accepta
us basilicam sancti Martini expetiit [a].
. Fuit [b] tunc temporis mulier, quæ spiritum lancea unum ex his a quibus adducebatur, interemit. Sed deductus ab aliis usque Turonis, diversis
s [*Al. et infra*, phytonis] habens, multum suppliciis affectus, detruncatusque, patibulo valde
at dominis divinando quæstum; eoque in gra- exanimis [e] est appensus.
ecit, ut ab his libera facta, suis voluntatibus XLVII. Gravia tunc inter Turonicos cives bella ci-
ir. Si quis enim aut furtum, aut aliquid mali vilia surrexerunt. Nam Sicharius, Joannis quondam
t, statim hæc quo fur abiit, cui tradidit, vel filius, dum natalis Dominici solemnia apud Montalo-
hoc fecerit, edicebat. Congregabat quotidie magensem [f] vicum cum Austregisilo reliquisque pa-
argentumque, procedens in ornamentis, ita ut C gensibus celebraret, presbyter loci misit puerum ad
ur aliquid esse divinum in populis. Sed cum aliquorum hominum invitationem, ut ad domum ejus
Viridunensi episcopo hæc nuntiata fuissent, bibendi gratia venire deberent. Veniente vero puero,
369 ad comprehendendum eam. Qua appre- unus ex his qui invitabantur, extracto gladio eum
t ad se adducta, juxta id quod in Actibus le ferire non metuit : qui statim cecidit et mortuus est.
apostolicis (*Act.* xvi, 16), cognovit in ea im- Quod cum Sicharius audisset, qui amicitias cum
n spiritum esse pythonis. Denique cum exor- presbytero retinebat, quod scilicet puer ejus fuerit
super eam diceret, ac frontem illius oleo interfectus, arreptis armis ecclesiam petiit, Austre-
perungeret, exclamavit dæmonium, et quid gisilum operiens. Ille autem hæc audiens, appre-
odidit sacerdoti. Sed cum per eum a puella henso armorum apparatu, contra eum dirigit : mis-
ruderetur, abire permissa est. Cernens vero tisque omnibus, cum se pars utraque collideret, Si-
quod in loco illo habitare non posset, ad Fre- charius inter clericos ereptus, ad villam suam effu-
em reginam abiit, ibique et latuit. git, relictis in domo presbyteri, cum argento et ves-
. Magna hoc anno fames pene Gallias totas timentis, quatuor pueris sauciatis. Quo fugiente,
it; nam plurimi uvarum semina, flores avel- Austregisilus iterum irruens, interfectis pueris, aurum
, nonnulli radices herbæ filicis arefactas, re- D argentumque cum reliquis rebus abstulit. Dehinc cum
ne in pulverem, admiscentes parum farinæ, in judicio civium convenissent, et præceptum esset
conficiebant; multi etiam herbam segetum ut Austregisilus, qui homicida erat, et interfectis
tes, similiter faciebant. Fuerunt etiam multi, pueris res sine audientia [g] diripuerat, censura legali
non erat aliquid farinæ, qui diversas colligen- condemnaretur. Inito placito paucis infra diebus,
as, et comedentes tumefacti deficiebant. Plu- Sicharius audiens quod res quas Austregisilus diri-
im tunc ex inedia tabescentes, mortui sunt. puerat, cum Aunone et filio atque ejus fratre Ebe-

designari volunt ecclesiam sancti Martini de , hodieque collegio canonicorum insignitam turiges, sub jurisdictione sancti Martini Tu- s.

: caput deest in Com. a. et Vat.

b. a., *vel modicum*.

desinit liber VII in Vat. et Colb. a., et in iis duo capita sequentia.

[e] Regm., *patibulo est appensus*.

[f] Locus apud Turones satis celebris, vulgo *Mantelan*. Ibi Perpetuus ecclesiam ædificavit, ut dicitur infra lib. X cap. ultimo.

[g] Apud Marculf. lib. I, cap. 28, exstat *Formula audientialis*, qua quis ad principis præsentiam accedere cogebatur, ad quodvis factum discutiendum.

rulfo retinerentur, postposito placito, conjunctus Audino, mota seditione, cum armatis viris irruit super eos nocte, elisoque hospitio in quo dormiebant, patrem cum fratre et filio interemit, resque eorum cum pecoribus, interfectisque servis, abduxit. Quod nos audientes, vehementer ex hoc molesti, adjuncto judice, mittimus ad eos legationem, ut in nostri præsentiam venientes, accepta ratione cum pace **371** discederent, ne jurgium in amplius pullularet. Quibus venientibus, conjunctisque civibus, ego aio : Nolite, o viri, in scelcribus proficere, ne malum in longius extendatur. Perdidimus enim ecclesiæ filios : metuimus nunc, ne et aliis in hac intentione careamus. Estote, quæso, pacifici, et qui malum gessit stante charitate componat, ut sitis filii pacifici, qui digni sitis regnum Dei, ipso Domino tribuente, percipere. Sic enim ipse ait : *Beati pacifici, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 9). Ecce enim, etsi illi qui noxæ subditur, minor est facultas, argento ecclesiæ redimetur : interim anima viri non pereat. Et hæc dicens, obtuli argentum ecclesiæ ; sed pars Chramnisindi, quæ mortem patris fratrisque et patrui requirebat, accipere noluit [a]. Illis discedentibus, Sicharius iter ut ad regem ambularet præparat, et ob hoc Pictavum ad uxorem cernendam proficiscitur. A Cumque servum, ut exerceret operam commoneret, elevataque virga ictibus verberaret, ille extracto baltei gladio dominum sauciare non metuit. Quo in terram ruente, currentes amici apprehensum **372** servum crudeliter cæsum, truncatis manibus et pedibus, patibulo damnaverunt. Interim nonus in Turonicum exiit Sicharium fuisse defunctum. Cum autem hæc Chramnisindus audisset, commonitis parentibus et amicis, ad domum ejus properat. Quibus spoliatis, interemptis nonnullis servorum, domus omnes, tam Sicharii quam reliquorum, qui participes hujus villæ erant, incendio concremavit, abducens secum pecora, et quæcunque movere potuit. Tunc partes a judice ad civitatem deductæ causas proprias proloquuntur ; inventumque est a judicibus, ut qui nolens accipere B prius compositionem domos incendiis tradidit, medietatem pretii, quod ei fuerat judicatum, amitteret. Et hoc contra leges actum, ut tantum pacifici redderentur, aliam vero medietatem compositionis Sicharius redderet. Tunc dato ab ecclesia argento, quæ judicaverant accepta securitate [b] componunt, datis sibi partes invicem sacramentis, ut nullo unquam tempore contra alteram pars altera mussitaret : et sic altercatio terminum fecit.

373-374 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI OCTAVI.

I. De eo quod rex Aurelianis venit.
II. Qualiter ei episcopi præsentati ; et qualiter ipse convivium præparavit.
III. De cantoribus, et argento Mummoli.
IV. Laus Childeberti regis.
V. De visionibus quas rex, vel nos de Chilperico vidimus.
VI. De iis quos præsentavimus.
VII. De Palladio episcopo, qualiter Missas dixit.
VIII. De signis ostensis.
IX. De sacramento pro filio Chilperici dato.
X. De corporibus Merovechi et Chlodovechi.
XI. De ostiariis et interitu Boanti.
XII. De Theodoro episcopo, et plaga super Ratharium.
XIII. De legatione Guntchramni ad Childebertum directa.
XIV. De periculo in flumine.
XV. De conversione Ulfilaici ataconi.
XVI. Quæ de virtutibus sancti Martini retulit.
XVII. De signis quæ apparuerunt.
XVIII. Quod Childebertus in Italiam direxit exercitum, et qui duces vel comites aut instituti sunt, aut remoti.
XIX. De interitu Daulfi abbatis.
XX. Quæ in synodo Matiscensi acta sunt.
XXI. De placito in Belsonnaco ; et de sepulcro violato.
XXII. De obitu episcoporum, et Wandelini.
XXIII. De diluviis.
XXIV. De insulis maris.
XXV. De insula in qua sanguis apparuit.
XXVI. De Eberulfo qui dux fuit.
XXVII. Quod Desiderius ad regem abiit.
XXVIII. De Hermenigildo et de Ingunde, vel de legatis Hispanorum clam ad Fredegundem missis.
XXIX. Quod Fredegundis misit, qui Childebertum interficeret.
XXX. Quod exercitus in Septimaniam abiit.
XXXI. De interfectione Prætextati episcopi.
XXXII. De interitu Domnolæ uxoris Nectarii.

[a] In hoc capite et in aliis variis Gregorii locis exempla habentur pessimæ consuetudinis inimicitias privatas armis persequendi, quæ principis imperio, aut legum auctoritate omnino non prohibebatur apud Francos, quamvis certis finibus coercita esset. Si itaque quivis aut vulneratus, aut certe occisus fuisset, tunc propinqui illius et affines, seu et amici in unum conveniebant, injuriam vi et armis ulturi. Vide formulam 18 lib. I Marculfi, et Bignonii notas. Hæc prava consuetudo, dicta *Faida*, sæpius in capitularibus regum postmodum vetita fuit.

[b] Ejusmodi securitatis formula exstat apud Marculf. lib. II, cap. 18.

[III. *De incendio urbis Parisiacæ.*
[IV. *De reclausis tentatis.*
[V. *De legatis Hispanorum.*
[VI. *De interitu Magnovaldi.*
[VII. *Quod Childeberto filius natus est.*
[VIII. *Quod Hispani in Gallias proruperunt.*
[IX. *De obitu episcoporum.*
De Pelagio Turonico.
. *De iis qui Prætextatum episcopum interfecerunt.*
I. *Quod Bippolenus dux datus est.*
II. *Quod Nicetus rector Provinciæ ordinatur, et de iis quæ Antistius gessit.*
V. *De eo qui regem Guntchramnum interficere voluit.*
. *De interitu Desiderii ducis.*
I. *De obitu Leuvichildi regis.*

LIBER OCTAVUS.

75 I. Igitur Guntchramnus rex anno vigesimo
o regni sui de Cabillono progressus, Nivernen-
urbem aggreditur. Invitatus enim Parisios ve-
t ut Chilperici filium, quem jam Chlotharium vo-
at, a sacro regenerationis fonte deberet excipere.
ssus vero a Niverno ad Aurelianensem urbem
magnum se tunc civibus suis præbens. Nam
omos eorum invitatus adibat, et prandia data
at : multum ab his muneratus, muneraque ipsis
a benignitate largitus est. Sed cum ad urbem
lianensem venisset, erat ea die solemnitas beati
ni, id est quarto Nonas mensis quinti [a]. Pro-
que in obviam ejus immensa populi turba cum
atque vexillis, canentes laudes. Et hinc lingua
um, hinc Latinorum, hinc etiam ipsorum Ju-
um, in diversis laudibus varie concrepabat, di-
: Vivat rex, regnumque ejus in diversis populis
innumeris dilatetur. Judæi vero, qui in his
bus videbantur esse participes, dicebant : Omnes
s te adorent **376** tibique genu flectant, atque
int subditæ. Unde factum est, ut celebratis Mis-
um rex ad convivium resideret, diceret : Væ
Judaicæ, malæ et perfidæ, ac subdolo semper
viventi. Ob hoc enim mihi, inquit, hodie lau-
dulatorias acclamabat, ut me cunctæ gentes
dominum adorarent, ut synagogam eorum,
ludum a Christianis diruta est, juberem ope
a sublevari : quod inhibente Domino nunquam
eturus. O regem admirabili prudentia clarum !
tellexit dolositatem hæreticorum, ut ei penitus
alerent subripere, quæ erant postmodum sug-
i. Jam enim mediante epulo rex locutus est
lotibus qui aderant, dicens : Rogo ut in domo
rastina die vestram promerear benedictionem,
e mihi salus in ingressu vestro, ut ex hoc sal-
um, cum super me humilem vestrarum benedi-
m verba defluxerint. Hæc eo dicente, omnes
s agentes epulo expleto surreximus.
Mane autem facto, dum rex loca sanctorum ora-

A tionis gratia visitaret, ad metatum nostrum advenit. Erat enim ibi basilica sancti Aviti abbatis, **377** cujus in libro Miraculorum meminimus [b]. Surrexi gavisus, fateor, ad occursum ejus, et data oratione deprecor, ut in mansione mea eulogias beati Martini dignaretur accipere. Quod ille non respuens, benigno animo ingressus, hausto poculo, admonitis nobis ad convivium, lætus abscessit. Tunc Bertchramnus Burdegalensis episcopus cum Palladio Santonico valde regi infensus erat, pro susceptione Gundovaldi, cujus supra meminimus (*Lib.* VII, *cap.* 31) ; sed et Palladius episcopus ob hoc maxime regis iram incurrerat, quod ei sæpius fallacias intulisset. Discussi enim ante paululum fuerant ab reliquis episcopis et optimatibus regis, cur Gundovaldum suscepissent, cur
B Faustianum [c] Aquis episcopum ad præceptionem ejus levissimam ordinassent. Sed hanc causam ordinationis Palladius episcopus a Bertchramno metropole suo auferens, super se devolvit, dicens : Oculi metropolis mei valde doloribus arctabantur, et ego spoliatus et contemptus, invitus ab eo in ejus loco adductus sum. Non potui aliud facere, nisi quæ ille, qui omnem principatum Galliarum se testabatur accipere, imperabat. Cum hæc regi nuntiata fuissent, valde commotus est, ita ut vix obtineri posset, ut eos ad convivium advocaret, quos antea non viderat. Introeunte itaque Bertchramno, interrogat rex : Quis, ait, est
C iste ? Diu enim erat quod ab eo visus non fuerat. Dixeruntque : Hic est Bertchramnus Burdegalensis urbis episcopus. Cui ille : Gratias, inquit, agimus, quod sic custodisti fidem generationi tuæ. Scire enim te oportuerat, dilectissime pater, quod pareus eras nobis ex matre nostra, et super gentem tuam non debueras inducere pestem extraneam [Gundovaldum]. Cumque talia, et his similia Bertchramnus audisset, conversus ad Palladium rex, ait : Nec tibi, o Palladi episcope, nimium sunt gratiæ referendæ. Tertio enim mihi, quod de episcopo dici iniquum est, pejerasti, mittens **378** indiculos dolositate

estum Translationis ejus, quæ etiam nunc ce-
ur hac ipsa die quarta Julii.
libro de Gloria Confessorum, cap. 99. Basilica
ti hodieque perstat cum collegio canonicorum,
cui adjunctum est seminarium ad juniorum clericorum institutionem nuper erectum.

[c] Colb. a. et Regm., *Faustinianum*. Confer cum lib. VII, cap. 31.

plenos; a me excusabaris [a] per epistolas, et germanum meum cum scriptis aliis invitabas. Judicavit enim Deus causam meam, cum ego provocare vos semper tanquam ecclesiæ patres studui, et vos circa me semper egistis dolose. Nicasio autem et Antidio episcopis [b] dixit : Quid vos, o sanctissimi patres, pro regionis utilitate, vel regni nostri sospitate tractastis, edicite? Illis quoque tacentibus, ablutis rex manibus, accepta a sacerdotibus benedictione, ad mensam resedit, læto vultu et hilari facie, quasi nihil de contemptu suo fuisset effatus.

III. Interea jam medio prandii peracto, jubet rex ut diaconum nostrum, qui ante diem ad Missas psalmum responsorium [c] dixerat, canere juberem. Quo cantante, jubet iterum mihi, ut omnes sacerdotes, qui aderant, per meam commonitionem, datis ex officio suo singulis clericis, coram rege juberentur cantare. Per me enim secundum regis imperium admoniti, quisque ut potuit in regis præsentia psalmum responsorium decantavit [d]. Cum autem fercula proferrentur, dixit rex : Argentum omne quod cernitis, Mummoli illius perjuri fuit (*V. lib.* VII, *cap.* 40). Sed nunc, gratia Domini tribuente, in nostram dominationem translatum est; nam quindecim ex eo catinos, ut istum majorem cernitis, jam concidi, et non exinde amplius quam hunc, et alium de centum septuaginta libris reservavi. Et quid amplius quam ad opus quotidianum necesse est me retinere? Non ego, quod pejus est, alium filium præter Childebertum habeo, cui satis sit de thesauris quos ei pater reliquit : et quæ jam de hujus miserrimi rebus, quæ Avinione inventæ sunt, transmittere curavi. Reliqua vero pauperum et ecclesiarum erunt necessitatibus tribuenda.

IV. Unum vos tantummodo, sacerdotes Domini, deprecor, ut pro filio meo Childeberto Domini misericordiam **379** exoretis. Est enim vir sapiens atque utilis, ut de multorum annorum ævo vix ita cautus homo reperiri possit ac strenuus. Quia si hunc Deus his Galliis concedere dignabitur, fortassis spes erit de eodem gentem nostram, quæ valde exinanita est, posse consurgere. Quod fieri juxta ejus misericordiam non diffido, eo quod tale fuerit pueri nativitatis præsagium. Nam in die sancto Paschæ, stante fratre meo Sigiberto in ecclesia, procedente diacono cum sancto Evangeliorum libro, nuntius regi advenit, unaque vox fuit pronuntiantis lectionem evangelicam, ac nuntii dicentis : Filius natus est tibi, unde factum est, ut omnis populus in utraque annuntiatione proclamaret pariter : Gloria Deo omnipotenti. Sed baptismum in die sancto Pentecostes accepit, et rex nihilominus in die sancto Dominicæ nativitatis est elevatus. Unde si oratio vestra prosequitur, poterit hic, Domino annuente, regnare. Hæc rege dicente, omnes orationem fuderunt ad Dominum, ut utrumque regem ejus misericordia conservaret. Adjecitque rex : Verum quia mater ejus Brunichildis me minatur interimere, sed nihil mihi ex hoc formidinis est. Dominus enim qui me eripuit de manibus inimicorum meorum, et de hujus insidiis liberabit me.

V. Multa tunc et in Theodorum [e] adversa locutus est, protestans, quod si ad synodum veniret, iterum exsilio truderetur, dicens : Scio enim quod horum causa germanum meum Chilpericum interfici fecit. Denique nec nos pro viris haberi debemus, si ejus necem ulcisci non valemus hoc anno. Cui ego respondi : Et quis Chilpericum interemit, nisi malitia sua tuaque oratio? Multas enim tibi contra justitiam tetendit insidias, quæ ei mortis exitium intulerunt. Quod, ut dicam, valde hoc per visionem somnii inspexi, cum viderem eum a te tonsorato capite quasi episcopum ordinari, deinde super cathedram puram sola fuligine [f] tectam impositum ferri, prælucentibus coram eo lychnis ac cereis. Me hæc narrante, rex ait : Vidi et ego **380** aliam visionem, quæ hujus interitum nuntiavit. Adducebatur enim in conspectu meo a tribus episcopis vinctus catenis, quorum unus Tetricus, alius Agricola [g], tertius vero Nicetius Lugdunensis erat, e quibus dicebant duo : Solvite, quæsumus, eum, et castigatum abire permittite. Quibus econtrario cum amaritudine Tetricus episcopus respondebat : Non fiet ita, sed igni concremabitur pro sceleribus suis. Et cum diu multumque quasi altercantes hæc inter se verba proferrent, conspicio eminus æneum super ignem positum fervere vehementer. Tunc me flente, apprehensum infelicem Chilpericum confractis membris projiciunt in æneum. Nec mora, inter undarum vapores ita dissolutus ac liquefactus est, ut nullum ex eo penitus indicium remaneret. Hæc rege dicente, admirantibus nobis, epulo expleto surreximus.

VI. Rex igitur in crastinum in venationem progressus est; quo redeunte, Garacharius comes Burdegalensis atque Bladastes a nobis repræsentati sunt : qui, ut superius diximus, in basilica sancti Martini confugium fecerant, pro eo quod Gundovaldo conjuncti fuisseut. Nam cum prius pro hic deprecarus nihil obtinere potuissem, hæc in sequenti locutus sum : Audiat, o rex, potestas tua. Ecce a Domino meo in legatione ad te directus sum : sed quid renuntiabo ei qui me misit, cum nihil mihi responsi reddere ve-

[a] Colb. a., *et te excusabas per litteras.*

[b] Nicasius Inculismensis, de quo lib. IX, cap. 41. Antistius vero Aginnensis erat episcopus. Uterque subscripsit Conc. Matisc. II.

[c] Hodierno Graduali seu Gradali respondet. Psalmi, qui post Epistolam cantabatur, meminit passim Augustinus. Vide Menardum in sacrament. Gregorianum, pag. 368.

[d] Colb. m. prima manu, *cantavit.* Clericus post dictum ab episcopo versum psalmi, antiphonam seu responsum subjungebat, eo modo quo in Missis IV temporum hodieque canticum trium Puerorum concinimus.

[e] Is erat Massiliensis episcopus, de quo plura in libro superiori.

[f] Freh. al., *nullis palleis tectam.*

[g] Tetricus Lingonensis, Agricola vero Cabillonensis. Pro *Tetricus* Colb. a. alt. manu habet *Teoderi cus*, et sic infra.

lis? At ille obstupefactus ait : Et quis est dominus tuus, qui te misit ? Cui ego subridens : Beatus Martinus, inquio, misit me. Tunc ille jussit sibi repræsentari viros. Sed cum in ejus conspectu venissent, multas eis perfidias ac perjuria exprobravit, vocans eos sæpius vulpes ingeniosas : sed restituit eos gratiæ suæ, reddens quæ illis ablata fuerant.

VII. Adveniente quoque die Dominico, rex ecclesiam ad spectanda [a] Missarum solemnia petit ; fratres [episcopi] vero consacerdotesque qui aderant, locum Palladio episcopo ad agenda festa præbuerunt. Quo incipiente prophetiam, **381** Rex interrogat, quis esset. Cumque Palladium episcopum initiasse pronuntiassent, statim commotus rex ait : Qui mihi semper infidelis et perfidus fuit, ille nunc sacrata verba prædicabit ? Egrediar prorsus ab hac ecclesia, ne inimicum meum audiam prædicantem. Et hæc dicens, egredi cœpit ecclesiam. Tunc conturbati sacerdotes de fratris humilitate, dixerunt regi : Vidimus enim eum convivio tuo adesse, ac de ejus manu te benedictionem accipere ; et cur eum nunc rex asperuatur ? Si enim scissemus tibi exosum, declinassemus utique ad alium, qui hæc agere debuisset. Nunc, si permittis, celebret quæ cœpit : in posterum autem si aliquid opposueris, canonicæ sanctionis censura finiatur. Jam enim Palladius episcopus in sacrarium cum grandi humilitate discesserat. Tunc rex jussit eum revocari, et sic quæ agere cœperat, explevit. Nam cum iterato ad convivium regis Palladius atque Bertchramnus asciti fuissent, commoti invicem multa sibi de adulteriis ac fornicatione exprobrarunt, nonnulla etiam de perjuriis. Quibus de rebus multi ridebant ; nonnulli vero, qui alacrioris erant scientiæ, lamentabantur, cur inter sacerdotes Domini taliter zizania diaboli pullularent. Discedentes itaque a regis præsentia, cautiones et fidejussores dederunt, ut decimo Kalendas mensis noni ad synodum convenirent.

VIII. Tunc apparuerunt signa, id est, radii a parte Aquilonis, sicut sæpius apparere solent. Fulgor per cœlum occurrisse visus est, floresque in arboribus ostensi sunt. Erat enim mensis quintus.

IX. Posthæc rex Parisios venit, et coram omnibus loqui cœpit, dicens : Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquisse, cujus nutritores, matre deprecante, petierunt, ut eum de sancto lavacro in Dominici Natalis solemnitate deberem excipere, et non venerunt. Rogaverunt deinceps ut ad sanctum Pascha baptizaretur, sed nec tunc allatus est infans. Deprecati sunt autem tertio, ut ad festivitatem **382** sancti Joannis [b] exhiberetur, sed nec tunc venit. Moverunt itaque me per tempus sterile de loco ubi habitabam : veni igitur, et ecce absconditur, nec ostenditur mihi puer. Unde, quantum intelligo, nihil est quod promittitur, sed, ut credo, alicujus ex leudibus nostris sit filius ; nam si de stirpe nostra fuisset, ad me utique fuisset deportatus. Ideoque noveritis, quia a me non suscipitur, nisi certa de eo cognoscam indicia. Hæc audiens Fredegundis regina, conjunctis prioribus regni sui, id est tribus episcopis et trecentis viris optimis, sacramenta dederunt hunc a Chilperico rege generatum fuisse : et sic suspicio ab animo regis [c] ablata est.

X. Denique cum interitum Merovechi atque Chlodovechi sæpius lamentaretur, nesciretque ubi eos postquam interfecerant, projecissent, venit ad regem homo qui diceret : Si mihi contrarium in posterum non habetur, indicabo in quo loco Chlodovechi cadaver sit positum. Juravit rex nihil ei molestum fieri, sed potius muneribus ampliari. Tunc ille : Veritatem, inquit, me loqui, o rex, ipsa ratio quæ acta est comprobabit. Nam quando Chlodovechus interfectus est, ac sub stillicidio oratorii cujusdam sepultus, metuens regina ne aliquando inventus cum honore sepeliretur, jussit eum in alveum Matronæ fluminis projici. Tunc intra lapsum [d], quod opere meo ad capiendorum piscium necessitatem præparaveram, reperi. Sed cum ignorarem quisnam esset, a cæsarie prolixa cognovi Chlodovechum esse : apprehensumque in humeris ad littus detuli, ibique eum cæspite superposito tumulavi. Ecce salvatis artubus quod volueris effice. Quod cum rex comperisset, confingens se ad venationem procedere, delectoque tumulo, reperit corpusculum integrum et illæsum. Una tantum pars capillorum, quæ subter fuerat, jam defluxerat ; alia vero cum ipsis crinium flagellis intacta durabat. Cognituinque est hunc esse quem rex intento animo requirebat. Convocato **383** igitur episcopo civitatis, cum clero et populo, ac cereorum innumerabilium ornatu, ad basilicam sancti Vincentii detulit tumulandum, non minus plangens nepotes mortuos, quam cum vidit filios proprios jam sepultos. Posthæc misit Pappolum Carnotenæ urbis episcopum, qui Merovechi cadaver requirens, juxta Chlodovechi tumulum sepelivit.

XI. Ostiarius [e] vero quidam de alio ostiario dixit Domine rex, hic accepto præmio consensit ut tu interficiaris. Apprehensusque ostiarius, de quo dixerat, cæsus, suppliciisque multis affectus, nihil de causa qua interrogabatur aperuit. Loquebantur enim

[a] Missas spectare dicebantur, qui sacris quidem mysteriis intererant, sed non communicabant, uti colligit noster Mabillon. in Liturg. Gallic. ex cap. 8 lib. x hujus historiæ. Can. 29 Conc. III Aurelian., an. 538, vetitum est, ne quis cum armis bellicis *sacrificia matutina Missarum sive vespertina spectet.*

[b] Non solum in natali Domini et S. Joannis, sed et in natalitiis Martyrum baptismus conferebatur in aliquibus ecclesiis. Quem morem veteribus canonibus insistentes abrogare conati sunt patres Concilii II Matisc., hoc anno 585 habiti.

[c] Omnes præter Bad., *ab animis regis.*

[d] Sic Colb. m. cum Bec. et recte, ea enim voce designatur rete. Et in Colb. a., ubi *lampsum* altera manu appositum est, *rete.* Regm. vero habet *lacum.* Editi, *capsum.* De Chlodovei morte vide supra lib. v, cap. 40. De Merovei autem nece cap. 19 ejusdem libri. Uterque relatus Parisios, in basilica sancti Vincentii quæ hodie sancti Germani a Pratis dicitur, sepultus est.

[e] Hoc caput deest in Vat. et Colb. a. Bec., *Postarius.... de alio hostario.*

tunc multi hoc insidiis et invidia factum, quod ostiarius ille, cui hoc crimen impactum fuerat, plurimum a rege diligeretur. Ansoualdus autem nescio qua suspicione tactus, nec valedicens, a rege discessit. Rex vero Cabillonum regressus, jussit Boantum, qui sibi semper fuerat infidelis, gladio percuti. Qui vallatus in domo sua, ab hominibus regis peremptus interiit, resque suæ fisci ditionibus subjugatæ sunt.

XII. Denique cum rex maxima intentione Theodorum episcopum iterum persequi conaretur, et Massilia jam in Childeberti regis dominationem revocata fuisset, ad discutiendas causas Ratharius illuc quasi dux [a] a parte regis Childeberti dirigitur. Sed postposita actione, quæ ei a rege injuncta fuerat, episcopum vallat, fidejussores requirit, et ad præsentiam regis Guntchramni direxit, ut scilicet ad synodum, quæ Matiscone futura erat, quasi ab episcopis damnandus adesset. Nec defuit ultio divina, quæ servos suos ab ore canum rabidorum defensare consuevit. Nam egrediente episcopo a civitate, statim res ecclesiæ diripit, et alia quidem sibi vindicat, alia sub sigillorum munitione concludit. Cumque hoc fecisset, protinus famulos ejus sævissimus invadit morbus, exhaustosque febre peremit; filius ejus ab hoc incommodo defecit, quem in suburbano Massiliæ ipsius **384** cum gravi gemitu sepelivit; fuitque talis domui ejus plaga, ut cum ab urbe illa est digressus, vix ad patriam suam regredi putaretur. Theodorus vero episcopus a Guntchramno rege detentus est. Sed nihil ei rex nocuit. Est enim vir egregiæ sanctitatis [b], et in oratione assiduus, de quo mihi Magnericus Treverensis episcopus hæc retulit. Ante hos annos cum ad præsentiam Childeberti regis ita sub ardua custodia duceretur, ut quandocunque ad urbem aliquam venisset, neque episcopum, neque quemquam de civibus videre permitteretur, adveniente Treveros, nuntiatum est episcopo, hunc jam in navi positum clam abduci; surrexitque sacerdos tristis, ac velociter prosecutus, reperit eum ad littus, causatusque cum custodibus, cur tanta esset impietas ut non liceret fratri fratrem aspicere : visoque tandem, osculatus eum, indulgens aliquid vestimenti, discessit. Veniens itaque ad basilicam sancti Maximini [c] prosternitur sepulcro, illud apostoli Jacobi retinens : *Orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* v, 16). Fusaque diu oratione cum lacrymis, ut fratrem dignaretur Dominus adjuvare, egressus est foras. Et ecce mulier quam spiritus erroris agitabat, clamare sacerdoti cœpit, ac dicere : O scelestе et inveterate dierum, qui pro inimico nostro Theodoro orationem fundis ad Dominum. Ecce nos quotidie quærimus, qualiter ab his Galliis extrudatur, qui nos quotidianis incendiis conflat, et tu pro eo rogare non desinis? Satius enim tibi erat res ecclesiæ tuæ diligenter inquirere, ne pauperibus aliquid deperiret, quam pro hoc tam intente deposcere. Et aiebat : Væ nobis qui eum non possumus expugnare. Et licet dæmoniis credi non debeat, tamen qualis esset sacerdos, de quo hæc dæmon condolens declamabat, apparuit. Sed ad cœpta redeamus.

XIII. Igitur legatos ad nepotem suum Childebertum rex dirigit, qui morabatur tunc ad castrum Confluentis [d], quod ob hoc nomen accepit, pro eo quod Mosella Rhenusque **385** omnes pariter confluentes in eodem loco jungantur. Et quia placitum fuerat, ut Trecas Campaniæ urbem de utroque regno conjungerent, sacerdotibusque de regno Childeberti congruum non fuit; Felix legatus, salutatione præmissa, ostensis litteris, ait : Patruus tuus, o rex, diligenter interrogat, quis te ab hac promissione retraxit, ut sacerdotes regni vestri ad Concilium quod simul decreveratis, venire differrent. An forsitan mali homines aliquam inter vos discordiæ radicem faciant pullulare? Tunc ego, rege tacente, respondi : Nil mirum, si zizania seratur inter populos; nam inter hos quo radicem obliget [e], protinus non potest reperire. Nullum enim latet, quod Childebertus rex alium patrem nisi patruum non habet. Neque illo alium filium nisi hunc habere disponit, juxta id quod eum anno præsenti audivimus loqui [f]. Absit ergo ut inter eos radix discordiæ germinet, cum se pariter et tueri debeant, et amare. Tunc vocato secretius Felice legato, Childebertus rex rogavit, dicens : Deprecor dominum et patrem meum, ut Theodoro episcopo nihil injuriæ inferat : quod si fecerit, confestim inter nos scandalum germinabit, erimusque discordia impediente disjuncti, qui debemus amorem tuendo esse pacifici. Acceptoque et de aliis causis responso, legatus discessit [g].

XIV. Nobis itaque in antedicto castro cum rege commorantibus, dum ad convivium principis usque obscura nocte retineremur, epulo expleto surreximus, venientesque ad fluvium, offendimus navem in littore, quæ nobis fuerat præparata; ascendentibusque nobis irruit turba hominum diversorum, impletaque est navis tam hominibus quam aquis : sed virtus Domini adfuit, non sine grandi miraculo, ut cum usque labium impleta fuisset, mergi non posset. Habebamus enim nobiscum beati Martini reliquias cum **386** aliorum sanctorum, quorum virtute nos credimus fuisse salvatos. At vero nave ad littus unde egressi fuimus redeunte, evacuata ab hominibus et

[a] Regm., *dux quasi a parte*. Colb. m., *duxit quasi*, forte pro *dux*.

[b] Colitur uti sanctus in Martyrol. Gallicano die 2 Januarii. Vide supra lib. VI, cap. 24.

[c] Colb. m. et Regm., *Martini*. At licet Treviris sit quoque basilica S. Martini, ab ipso Magnerico condita, nunquam tamen ibi S. Martini sepulcrum extitit. S. Maximinus vero in ecclesia suburbana sepultus est, quæ hodieque ipsius nomen retinet, estque, sicut etiam basilica S. Martini, celebris abbatia ordinis Benedictini.

[d] Celebre etiam nunc et munitione validissimum sub diœcesi et ditione archiepiscopi Trevirensis, vulgo *Coblentz* dictum.

[e] Col. et Bigu., *qui radicem*. Col. m. alt. man., *quo duos*. Regm., *quos radix obligat... reperiri*.

[f] Vide supra cap. 4, et lib. VII, cap. 35.

[g] Post hæc Val. et Colb. a., omissis capitibus quatuordecim, transeunt ad caput 28, quod est de Hermenegildo et Ingunde.

a lymphis, repulsisque extraneis, sine impedimento transivimus. In crastino autem vale regi dicentes, abscessimus.

XV. Profecti igitur in itinere, ad Eposium [a] castrum accessimus, ibique ab Ulfilaico diacono nacti, et ad monasterium ejus deducti, benignissime suscepti sumus. Est enim hoc monasterium quasi millibus octo ab antedicto castro, in montis cacumine locatum : in quo monte magnam basilicam ædificavit, quam beati Martini vel reliquorum sanctorum reliquiis illustravit. Commorantes autem ibi, petere ab eo cœpimus, ut nobis aliqua de conversionis suæ bono narraret, vel qualiter ad clericatus officium advenisset, quia erat genere Langobardus. Sed nequibat exponere, vanam tota intentione capiens gloriam evitare. Quem ego terribilibus sacramentis conjurans, pollicitus primo, ut nulli quæ referebat expenderem, rogare cœpi, ut nihil mihi de his quæ interrogabam occuleret. Cumque diutissime reluctatus fuisset, victus tandem tam precibus quam obsecrationibus meis, hæc effatus est. Dum essem, inquit, puer parvulus, audito beati Martini nomine, nesciens adhuc utrum martyr an confessor esset, vel quid boni in mundo gessisset, vel quæ regio beatos artus tumulo meruisset accipere, jam in ejus honorem vigilias celebrabam, ac, si aliquid inter manus numismatis advenisset, eleemosynas faciebam. Jamque in majori ætate proficiens, litteras discere studui : ex quibus prius scribere potui, quam ordinem scriptarum litterarum scirem. Deinde Aredio abbati conjunctus, ab eoque edoctus, beati Martini basilicam adii. Revertensque eum eo, ille parumper pulveris beati sepulcri pro benedictione sustulit. Quem in capsula positum [b], ad collum 387 meum dependit : devectique ad monasterium [c] ejus Lemovicino in termino, accepta capsula, ut eam in oratorio suo locaret, in tantum pulvis secrevit, ut non solum totam capsam repleret, verum etiam foris inter junctures, ubi aditum reperire potuit, scateret. Ex hoc mihi miraculi lumine animus magis accendit totam spem meam in ejus virtute defigere. Deinde territorium Trevericæ urbis expetii, et in quo nunc estis monte, habitaculum quod cernitis, proprio labore construxi. Reperi tamen hic Dianæ simulacrum, quod populus hic incredulus quasi deum adorabat. Columnam etiam statui, in qua cum grandi cruciatu sine ullo pedum stabam tegmine. Itaque cum hyemis tempus solito [d] advenisset, ita rigore glaciali urebar, ut ungues pedum meorum sæpius vis rigoris excuteret, et in barbis meis aqua gelu connexa candelarum more dependeret. Magnam enim hyemem regio illa persæpe dicitur sustinere. Sed cum nos sollicite interrogaremus, quis ei cibus aut potus esset, vel qualiter simulacra montis illius subvertisset, ait : Potus, cibusque meus erat parum panis et oleris, ac modicum aquæ. Verum ubi ad me multitudo vicinarum villarum confluere cœpit, prædicabam jugiter nihil esse Dianam, nihil simulacra, nihilque quæ eis videbatur exerceri cultura; indigna etiam esse ipsa, quæ inter pocula luxuriasque profluas cantica proferebant : sed potius Deo omnipotenti, qui cœlum fecit ac terram, dignum sit sacrificium laudis impendere. Orabam etiam sæpius, ut simulacro Dominus diruto dignaretur populum ab hoc errore discutere. Flexit Domini misericordia mentem rusticam, ut inclinaret aurem suam in verba oris mei, ut scilicet relictis idolis Dominum sequeretur. Tunc convocatis quibusdam ex eis, simulacrum hoc immensum, quod elidere propria virtute non poteram, cum eorum adjutorio postea merui [e] eruere : jam enim reliqua sigillorum [f] quæ faciliora fuerant, ipse confregeram. Convenientibus autem multis ad hanc Dianæ 388 statuam, missis funibus trahere cœperunt : sed nihil labor eorum proficere poterat. Tunc ego ad basilicam propero, prostratusque solo, divinam misericordiam cum lacrymis flagitabam, ut quia id humana industria evertere non

[a] Alii, *Epusum*; Antonino, *Epoisum*, nunc vulgo Irodium, oppidum ditionis Luxemburgicæ in finibus Trevirorum, ad Charem seu Cherrum fluviolum, nostris *Ivois*, Germanis *Ipsch*, quod ab aliquot annis Carinianum etiam, *Carignan*, appellari voluerunt. Monasterium autem S. Martini, quod hic Gregorius laudat, in monte vicino olim situm, plane dirutum est, e quo, uti narrat Browerus in Annalibus Trevir. lib. x. anno circ. 979, Egbertus archiepiscopus Trevir. B. Vulfilaici ossa in oppidum transtulit. Idem sanctus in Fastis Benedictinis sub *S. Vulphi conversi* nomine colitur XII Kal. Novembris, diviso perperam in duas partes Vulphilaici nomine, ut laicus dicatur, cum vel ex hoc Gregorii loco certum sit ipsum diaconum fuisse.

[b] Col. m. et Bec., *quod in capsula depositum... dependi.*

[c] Monasterium Athanense, quod hodie conditoris sui sancti Aridii nomine insignitur.

[d] Sic Colb. m. et Bec.. id est *solito*, ut habet Bad.; cæteri, *soli æ*, referentes ad vocem *hyemis*.

[e] Sic Bad.; cæteri, *possem eruere.*

[f] Id est alia signa, seu simulacra. Jam tempore Domitiani imp. celebris erat Dianæ cultus in his partibus, ita ut *Diana Ardoinna*, ex silvæ celebris nomine, diceretur, ut patet ex veteri inscriptione apud Browerum in antiquit. Trevirensibus. Inscriptionem ipsam, quæ probat Dianæ cultum in Arduenna silva fuisse celebrem, huc proferre visum est.

D. M.
Q. CÆSIVS. Q. FILIVS. CLAVD.
ATILIANVS. SACERDOS
DIANÆ. ARDVINNÆ
FECIT. SIBI. ET. SVIS. HERED.
IN. FR. P. XII. IN. AGR. P. XV.
IIII. IDVS. OCTOB.
IMP. CÆS. FL. DOMITIANO. VIII.
ET. C. VALERIO. MESSALINO. COS.

Ex eodem Browero discimus infra nemus, quod in eadem regione habetur prope Epternacum, oppidum ob monasterium Ord. Benedictini insigne, haberi vetus Dianæ monumentum, vario cultu in rupe solida sculptum, sed pene attritum, cum hac inscriptione :

DEÆ. DIANÆ
Q. POSTHVMVS. POTENS
V. S.

An inde Diana Ardoinnæ nomen habuerit? certe apud Gruterum, cap. 49, vetus habetur inscriptio quinque diis sacra : Ardoinnæ, Camulo, Jovi, Mercurio, Herculi. Quæ vero inscribitur *Ardoinna*, sub Dianæ specie repræsentatur.

valebat, virtus illud divina destrueret. Egressusque post orationem, ad operarios veni, apprehensumque funem, ut primo ictu trahere cœpimus, protinus simulacrum ruit in terram, confractumque cum malleis ferreis in pulverem redegi. Ipsa quoque hora, cum ad cibum capiendum venissem, ita omne corpus meum a vertice usque ad plantam pedis pusulis malis repletum est, ut locus quem unus digitus tegeret, vacuus inveniri non posset : ingressusque basilicam solus, denudavi me coram sancto altario. Habebam enim ibi ampullam cum oleo plenam, quam de sancti Martini basilica detuleram : ex qua propriis manibus omnes artus perunxi, moxque sopori locatus sum. Expergefactus vero circa medium noctis, cum ad cursum reddendum [a] surgerem, ita corpus totum incolume reperi, ac si nullum super me ulcus apparuisset. Quæ vulnera non aliter nisi per invidiam inimici emissa cognovi. Et quia semper ipse invidus Deum quærentibus nocere conatur, advenientibus episcopis, qui me magis ad hoc exhortari debuerant, ut cœptum opus sagaciter explicare deberem, dixerunt mihi : Non est æqua hæc via quam sequeris, nec tu ignobilis Simeoni [b] Antiocheno, qui columnæ insedit, poteris comparari. Sed nec cruciatum hunc te sustinere patitur loci positio : descende potius, et cum fratribus, quos aggregasti tecum, inhabita. Ad quorum verba, quia sacerdotes non obaudire ascribitur crimini, descendebam, fateor, et ambulabam cum eisdem, ac cibum pariter capiebam. Quadam vero die provocans me episcopus, longius ad villam emisit operarios cum scutis et malleis ac securibus, et eliserunt columnam in qua stare solitus eram. In crastino autem veniens, inveni 389 omnia dissipata, flevique vehementer; sed erigere nequivi quæ destruxerant, ne dicerer contrarius jussionibus sacerdotum, et ex hoc, sicut nunc habito, cum fratribus habitare contentus sum.

XVI. Cui cum de virtutibus beati Martini quas in eo loco operatus est, aliqua ut declararet exposcerem, hæc retulit. Franci cujusdam, et nobilissimi in gente sua viri, filius mutus surdusque erat : adductusque a parentibus ad hanc basilicam, jussi eum cum diacono meo et alio ministro, intra ipsum templum sanctum in lectulo requiescere; et per diem quidem orationi vacabat : nocte autem in ipsa, ut diximus, æde dormiebat. Quandoque miserante Deo apparuit mihi in visione beatus Martinus, dicens : Ejice agnum de basilica, quia jam sanus factus est. Mane autem facto, cogitante me quod esset hoc somnium, venit ad me puer, et emittens vocem, gratias agere Deo cœpit, conversusque ad me, ait : Gratias ago Deo omnipotenti, qui mihi et eloquium reddidit, et auditum. Ex hoc sanus redditus, ad domum rediit. Alius vero qui plerumque in furtis diversisque sceleribus commistus pejerare consueverat, cum aliquando a quibusdam pro furto argueretur, ait : Ibo ad basilicam beati Martini, et sacramentis me exuens, innocens reddar. Quo ingrediente, elapsa securi de manu ejus, ad ostium ruit, gravi cordis dolore perculsus, confessusque est miser verbis propriis, quæ venerat excusare perjuriis. Alius simili modo cum de incendiis domus vicini sui argueretur, ait : Vadam ad templum sancti Martini, et fide data insons redditurus [c] ero ab hoc crimine. Manifestum erat enim hunc domum illam incendii concremasse. Abiens autem ad sacramenta danda, conversus ad eum, dixi ei : Quantum vicinorum tuorum dictat assertio, non eris innocens ab hoc scelere; sed tamen Deus ubique est, et virtus ejus ipsa est forinsecus, quæ habetur intrinsecus. Tamen si ita te vana fiducia cepit, quod Deus vel sancti ejus in perjuriis non ulciscantur, ecce templum sanctum, econtra jura ut libet; 390 nam calcare limen sacrum non permitteris. At ille elevatis manibus, ait : Per omnipotentem Deum et virtutem beati Martini antistitis ejus, quia hoc incendium non admisi. Datis itaque sacramentis, dum recederet, visum est ei quasi ab igne circumdari; et statim ruens in terram, clamare cœpit se a beato antistite vehementer exuri. Aiebat enim miser : Testor Deum, quia ego vidi ignem de cœlo cadere, qui me circumdans validis vaporibus conflat. Et dum hæc diceret, spiritum exhalavit. Multis hæc causa documentum fuit, ne in hoc loco auderent ulterius pejerare. Plurima quidem de his virtutibus hic diaconus retulit, quæ sequi longum putavi.

XVII. Cum autem in loco illo commoraremur, vidimus per duas noctes signa in cœlo, id est radios a parte Aquilonis tam clare splendidos, ut prius sic apparuisse non fuerint visi, et ab utraque quidem parte, id est ab Euro, et Zephyro, nubes sanguineæ; tertia vero nocte quasi hora secunda apparuerunt hi radii. Et ecce dum hos miraremur attoniti, surrexerunt a quatuor plagis mundi alii horum similes, vidimusque totum cœlum ab his operiri. Et erat nubes in medio cœli splendida, ad quam se hi radii colligebant in modum tentorii, quod ab imo ex amplioribus inceptum fasciis angustatis in altum, in unum cuculli caput sæpe colligitur. Erantque in medio radiorum et aliæ nubes ceu coruscum valide fulgurantes. Quod signum magnum nobis ingessit metum (*V. supra cap.* 24). Opperiebamur enim semper nos aliquam plagam de cælo transmitti.

XVIII. Childebertus vero rex compellentibus missis imperialibus, qui aurum quod anno superiore datum fuerat, requirebat, exercitum in Italiam dirigit. Sonus enim erat sororem suam Ingundem jam Constantinopolim fuisse translatam. Sed cum duces inter se altercarentur, regressi sunt sine ullius lucri conquisitione [d]; nam Wintrio dux a pagensibus

[a] Id est, ad recitandum officium divinum.
[b] Celebris sanctus Simeon Stylites, de quo ipse Gregorius in libro de Gloria Confess., cap. 26.
[c] Sic Colb. m. et Bad.; alii vero, *redituru*s.
[d] Vide Paul. Diac. lib. III Hist. Langob., cap. 22, et Chronicum Joan. Biclar. de Wintrione infra lib. x, cap. 3. In Fredegarii Chronico, cap. 14, dicitur *Quintrio dux Campanie*. Is ex Gudila filium habuit

suis depulsus, ducatu caruit finissetque vitam, nisi fuga auxilium præbuisset ; sed postea, pacato populo, ducatum recepit. Itaque **391** Nicetius per emissionem Eulalii a comitatu Arverno submotus, ducatum a rege expetiit, datis pro eo immensis muneribus. Et sic in urbe Arverna, Ruthena atque Ucetica dux [a] ordinatus est, vir valde ætate juvenis, sed acutus in sensu ; fecitque pacem in regione Arverna, et in reliquis ordinationis suæ locis. Childericus vero Saxo in offensam regis Guntchramni incidens, pro causa ob quam superius diximus alios confugisse, beati Martini basilicam expetiit, uxorem in regno regis antedicti relinquens. Cui obtestatus fuerat, rex, ne virum videre præsumeret, nisi prius ille regali gratiæ reconciliare ur. Ad quem cum pro eo sæpius legationem misissemus, tandem obtinuimus ut uxorem reciperet, et citra [b] Ligerim fluvium commoraretur, non tamen ad regem Childebertum transire præsumeret. Sed ille accepta libertate recipiendæ uxoris, clam ad eum transiit ; adeptaque ordinatione ducatus in civitatibus u'tra Garonnam, quæ in potestate supradicti regis habebantur, accessit. Gunthramnus vero rex volens regnum nepotis sui Chlotharii, filii scilicet Chilperici, regere, Theodulfum Andegavis comitem esse decrevit ; introductusque in urbem, a civibus, et præsertim a Domigiselo cum humilitate repulsus est. Recurrensque ad regem, iterum præceptum accipiens, a Sigulfo duce intromissus, comitatum urbis illius rexit. Gundobaldus autem comitatum Meldensem, super Guerpinum accipiens [c], ingressusque urbem, causarum actionem agere cœpit. Exinde dum pagum urbis in hoc officio circumiret, in quadam villa ab Guerpino interficitur. Cujus parentes congregati super hunc irruerunt, inclusumque in pessilem domus [d] interimunt : sicque uterque a comitatu morte imminente discessit.

XIX. Cum autem sæpius Dagulfus **392** abbas [e] pro sceleribus suis argueretur, quia furta et homicidia plerumque faciebat, sed et in adulteriis nimium dissolutus erat, quodam tempore cum uxorem vicini sui concupiscens, misceretur cum ea, requirens occasiones diversas, qualiter virum adulteræ intra monasterii hujus septa deberet opprimere [f], contestatus est ei dicens, quod si ad uxorem suam accederet, puniretur. Illo quoque discedente ab hospitiolo suo, hic Dagulfus nocte cum uno clerico veniens, domum meretricis ingreditur. Postquam autem diutissime bibentes inebriati sunt, in uno strato locantur. Quibus dormientibus, adveniens vir ille, accenso stramine, elevata bipenne utrumque peremit. Ideoque documentum sit hæc causa clericis, ne contra canonum statuta extranearum mulierum consortio potiantur, cum hæc et ipsa lex canonica et omnes Scripturæ sanctæ prohibeant : præter has feminas, de quibus crimen non potest æstimari.

XX. Interim dies placiti advenit, et episcopi ex jussu regis Guntchramni apud Matiscensem urbem collecti sunt [g]. Faustianus [h] autem, qui ex jussu Gundovaldi Aquensis urbis episcopus ordinatus fuerat, ea conditione removetur, ut eum Bertchramnus, Orestesque, sive Palladius, qui eum benedixerant, victibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent. Nicetius tamen ex laico, qui prius ab Chilperico rege præceptum elicuerat, in ipsa urbe episcopatum adeptus est. Ursicinus Cadurcensis episcopus excommunicatur, pro eo quod Gundovaldum excepisse publice est confessus : accepto hujus modi placito, ut pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino et carnibus abstineret, missas celebrare, clericos ordinare, ecclesiasque et chrisma benedicere, eulogias dare penitus non auderet ; u ilitas **393** tamen ecclesiæ [i] per ejus ordinationem, sicut solita erat, omnino exerceretur. Exstitit enim in hac synodo quidam ex episcopis, qui dicebat mulierem, hominem non posse vocitari. Sed tamen ab episcopis ratione accepta quievit : eo quod sacer veteris Testamenti liber edoceat, quod in principio Deo hominem creante, ait, *Masculum et feminam creavit eos : vocavitque nomen eorum, Adam* (*Gen.* v, 2), quod est [exponitur] homo terrenus ; sic utique vocans mulierem, ceu virum : utrumque enim hominem dixit. Sed et Dominus Jesus Christus ob hoc vocitatur filius hominis, quod sit filius Virginis, id est mulieris. Ad quam cum aquas in vina transferre pararet, ait : *Quid mihi et tibi est, mulier* (*Joan.* II, 4) ? et reliqua. Multisque et aliis testimoniis hæc causa convicta quievit. Prætextatus vero Rothomagensis episcopus, orationes

8. Glodesindem abbatissam, quæ Parthenonem hodieque sub ipsius nomine Metlis celebrem condidit ; cujus habes Vitam Sæc. II Benedictino, pag. 1087.

[a] Ex hoc aliisque similibus locis probat Bignonius duces comitibus potestate superiores fuisse, nec requisitum fuisse ut duodecim comitatus duci subjicerentur. Vide infra lib. IX, cap. 7, et lege ipsius Cl. viri notas in lib. I Marculfi form. 8, ubi plura et scitu digna, pro more suo, habet de ducibus et comitibus. Videsis et Alteserræ librum ea de re singularem, et Cangii Glossarium.

[b] Colb. m. et Regm., *circa*.

[c] Sic Bec. : alii, *Guerpinum* (aut *Vuerpinum*), *ingressusque*, etc. ; unde Bignonius ex conjectura addiderat *invasit* ; Ches., *competiit*.

[d] Editi, *pensilem domum* ; Bec., *pensilem domus*. At lectionem nostram, quæ est Colb. m., cæteris meliorem putat Valesius ; quamvis ejus sensum se non assequi fateatur, nisi pessile sit aliqua domi pars, cujus vocis significatio nobis hodie ignota est.

[e] In Bec. deest vox *abbas*. In indice tamen capp. habet, *De Dagulfo abbate*.

[f] Idem cod., *virum adulterum, qui in terra hujus monasterii deberet opprimere*.

[g] Hujus synodi canones, et eorum nomina, qui ipsi interfuerunt, vide apud Sirmondum tom. I, p. 381.

[h] Alii, *Faustinianus*, ut supra lib. VII, cap. 31, ubi ejus ordinatio describitur, et de Nicetio agitur.

[i] Id est rerum temporalium ac possessionum ecclesiæ suæ curam haberet. Ipse tamen inter alios antistites Concilio subscripsit, immo et ipse Faustianus, sed qui ibi dicitur sedem non habere. At Nicetius nec subscripsit, nec inter alios patres recensitus est, quod forte nondum ordinatus esset, factus ex comite episcopus.

quas in exsilio positus scalpsit, coram episcopis recitavit. Quæ quibusdam quidem placuerant, a quibusdam vero, quia artem secutus minime fuerat, reprehendebantur. Stylus tamen per loca ecclesiasticus et rationabilis erat. Cædes autem magna tunc inter famulos Prisci [a] episcopi et Leudegisili ducis fuit. Priscus tamen episcopus ad coemendam pacem multum pecuniæ obtulit. His etiam diebus Guntchramnus rex graviter ægrotavit, ita ut putaretur a quibusdam non posse prorsus evadere : quod credo providentia Dei fuisset [*It.* fuit]. Cogitabat enim multos episcoporum exsilio detrudere. Theodorus itaque episcopus, ad urbem suam regressus, favente omni populo cum laude susceptus est.

XXI. Itaque cum hæc synodus ageretur, Childebertus rex apud Belsonancum villam [b], quæ in medio Ardoennensis silvæ sita est, cum suis conjungitur. Ibique Brunichildis regina pro Ingunde filia, quæ adhuc in Africa tenebatur, **394** omnibus prioribus questa est : sed parum consolationis emeruit. Tunc contra Bosonem Guntchramnum causa exoritur. Ante paucos autem dies mortua propinqua uxoris ejus sine filiis, in basilica urbis Mettensis sepulta est cum grandibus ornamentis et multo auro. Factum est autem, ut post dies paucos adesset festivitas beati Remigii [c], quæ in initio mensis Octobris celebratur. Discedentibus [d] autem multis e civitate cum episcopo, et præsertim senioribus urbis cum duce, venerunt pueri Bosonis Guntchramni ad basilicam, in qua mulier erat sepulta. Ingressi, conclusis super eos ostiis, detexerunt sepulcrum, tollentes et auferentes omnia ornamenta corporis defuncti, quæ reperire potuerunt. Sentientes autem hæc monachi basilicæ illius, venerunt ad ostium; sed ingredi non sunt permissi. Quod videntes, nuntiaverunt hæc episcopo suo ac duci. Interea pueri, acceptis rebus, ascensisque equis, fugere cœperunt; sed timentes ne apprehensi in via diversis subigerentur pœnis, regressi sunt ad basilicam. Posueruntque quidem res super altarium, sed foras egredi non sunt ausi, clamantes atque dicentes, quia a Guntchramno Bosone transmissi sumus. Sed cum ad placitum in villam quam diximus, Childebertus cum proceribus suis convenisset, et Guntchramnus de his interpellatus nullum responsum dedisset, clam aufugit : ablatæque sunt ei deinceps omnes res, quas in Arverno de fisci munere promeruerat. Sed et diversorum res quas male pervaserat, cum confusione reliquit.

XXII. Laban Helosensis episcopus [e] hoc anno obiit. Cui Desiderius ex laico successit. Cum jurejurando enim rex pollicitus fuerat, se nunquam ex laicis episcopum ordinaturum. Sed quid pectora humana **395** non cogat auri sacra fames? Bertchramnus vero regressus ex synodo, a febre corripitur; arcessitoque Waldone diacono, qui et ipse in baptismo Bertchramnus vocitatus est, summam ei sacerdotii deputat, omnesque conditiones, tam testamenti quam benemeritorum suorum, ipsi committit. Quo discedente, hic spiritum exhalavit [f]. Regressus diaconus cum muneribus et consensu civium ad regem properat, sed nihil obtinuit. Tunc rex, data præceptione, jussit Gundegisilum Santonicum comitem, cognomento Dodonem, episcopum ordinari : gestumque est ita. Et quia multi clericorum Santonicorum ante synodum consentientes Bertchramno episcopo, in Palladium sacerdotem suum aliqua adversa conscripserant, quæ ei humilitatem ingererent, post ejus obitum apprehensi a sacerdote, graviter cæsi atque exspoliati sunt. Hoc tempore et Wandelinus, nutritor Childeberti regis, obiit; sed in locum ejus nullus est subrogatus, eo quod regina mater curam velit propriam habere de filio. Quæcunque de fisco meruit, fisci juribus sunt relata. Obiit his diebus Bodegisilus [g] dux plenus dierum, sed nihil de facultate ejus filiis minutum est. In locum Fausti Auscensis episcopi, Fabius [h] episcopus est subrogatus. Post obitum sancti Salvii, hoc anno Desideratus Albigensibus episcopus datus est [i].

XXIII. Magnæ hoc anno pluviæ fuerunt, amnesque in tantum convaluerunt, ut plerumque naufragia evenirent. Ipsique littora excedentes, propinquas segetes ac prata operientes, graviter eliserunt : fuerunt que vernales æstivique menses tam irrigui, ut hyems magis putaretur esse quam æstas.

XXIV. Duæ hoc anno insulæ in mari divinitus incendio crematæ sunt : quæ per dies septem cum hominibus pecoribusque consumptæ subvertebantur. Nam qui in mare confugerant, et se in profundum præcipitabant, in ipsa qua mergebantur aqua **396** consumebantur, graviorique supplicio, qui non con-

[a] Is erat episcopus Lugdunensis, qui primum locum in synodo obtinebat. De hoc supra lib. IV, cap. 36, et in Vitis Patrum, cap. 8.

[b] Suspicatur Ortelius hic designari oppidum Bastonacum, quod incolæ vulgo *Bastoigne* appellant. Et quidem Gesta episcoporum Autissiodorensium, ipso Valesio testante, *Bastoniam villam sitam in saltu Arduennæ* memorant, quæ hodie haud procul ab Urta fluvio et Arduenna silva posita est, in ducatu Luxemburgensi.

[c] Colb. m. et Regm., *Remedii*.

[d] Editi et Bec., *Descendentibus*. Et quidem fortasse descendendum erat adeundo basilicam extramuranam, in qua sancti Remigii festivitas celebrabatur. Nam et ecclesia cathedralis etiam nunc supra montem sita est.

[e] Id est Elusanus. Elusa, vulgo *Eause*, olim Novempopulaniæ metropolis erat, qua exc sa hæc dignitas in Auscіensem urbem translata est. Laba subscripsit Concil. Paris, IV, an. 573, et Matisc. per suum missum, an. 585.

[f] Bertramni hujus Burdegalensis episcopi, poetarum more, laudes prosequitur Fortunatus lib. carm. 20 et 21.

[g] Hujus encomium scripsit Fortunat. lib. VII carm. 5.

[h] In Colb. m. et Regm., *Sabius*. Bec., *Saius subrogatur*. Faustus interfuit Concil. Matisc. II, 585.

[i] Inter utrumque aliqui locant Theofridum, forte aliquandiu sedem occupaverit. Hinc Gregori Salvii mortem anno præcedenti consignat lib. cap. 1.

festim emittebant spiritum, urebantur. Redactisque omnibus in favillam, cuncta mare operuit. Ferebant etiam multi signa, quæ superius nos vidisse octavo mense narravimus (*Cap.* 8 *et* 17), quasi arderet cœlum, ex hujus incendii splendore fuisse.

XXV. In alia vero insula, quæ est proxima civitati Veneticæ, erat stagnum validum, piscibusque refertum, quod in unius ulnæ altitudinem conversum est in cruorem : ita per dies multos congregata canum atque avium inæstimabilis multitudo, sanguinem hunc lambens, satiata redibat in vesperum.

XXVI. Turonicis vero atque Pictavis Ennodius dux latus est. Berulfus [a] autem qui his civitatibus ante præfuerat, pro thesauris Sigiberti regis quos olim abstulerat, cum Arnegisilo socio suspectus habebatur. Qui cum hunc ducatum in supradictis urbibus expeteret, a Rauchingo [b] duce facto ingenio cum satellite alligatur. Nec mora, missi ad domos eorum pueri expilant omnia, multa ibi de proprio, nonnulla de antedictis thesauris sunt reperta : quæ omnia ad Childebertum regem delata sunt. Cumque in hoc res ageretur, ut gladius cervicem decideret, interventu episcoporum obtenta vita laxati sunt : nihil tamen de his quæ eis ablata fuerant recipientes.

XXVII. Desiderius vero dux cum aliquibus episcopis, et Aredio abbate vel Antestio, ad regem Guntchramnum properavit. Sed cum eum rex ægre vellet accipere, victus precibus sacerdotum in gratiam suam recepit. Tunc ibi Eulalius adfuit quasi pro conjuge, quæ eum spreverat, et ad Desiderium transierat, causaturus [c] : sed in ridiculum et humilitatem redactus, siluit. Desiderius vero remuneratus a rege, cum gratia est reversus.

XXVIII. Igitur, ut superius diximus, Ingundis a viro cum imperatoris exercitu derelicta, dum ad ipsum **397** principem cum filio parvulo duceretur, in Africa defuncta est et sepulta. Leuvichildus vero Hermenegildum filium suum, quem antedicta mulier habuit, morti tradidit [d]. Quibus de causis commotus Guntchramnus rex, exercitum in Hispanias destinat, scilicet, ut prius Septimaniam, quæ adhuc infra Galliarum terminum habetur, ejus dominationi subderent, et sic inantea proficiscerentur. Dum autem hic exercitus moveretur, indiculum cum nescio [e] quibusdam hominibus rusticis est repertum. Quod et Guntchramno regi legendum miserunt, hoc modo quasi Leuvichildus ad Fredegundem scriberet, ut quocunque ingenio exercitum illud prohiberet ire, dicens : Inimicos nostros, id est Childebertum [f] et matrem ejus, velociter interimite, et cum rege Guntchramno pacem inite, quam præmiis multis coemite. Et si vobis minus est fortassis pecuniæ, nos clam mittimus; tantum ut quod petimus impleatis. Cum autem de inimicis nostris ulti fuerimus, tunc Amelio episcopo ac Leubæ matronæ bona tribuite [g], per quos missis nostris ad vos accedendi aditus reseratur. Leuba enim est socrus Bladastis ducis.

XXIX. Et licet hæc ad Guntchramnum regem perlata, et nepoti ejus Childeberto in notitiam data fuissent, tamen Fredegundis duos cultros ferreos fieri præcepit : quos etiam charaxari profundius, et veneno infici jusserat, scilicet si mortalis assultus vitales non dissolveret fibras, vel ipsa veneni infectio vitam posset velocius extorquere. Quos cultros duobus clericis cum his mandatis tradidit, dicens : Accipite hos gladios, et quantocius pergite ad Childebertum regem, assimulantes vos esse mendicos. Cumque pedibus ejus fueritis strati, quasi stipem postulantes, latera ejus utraque perfodite, ut tandem Brunichildis, quæ ab illo arrogantiam sumit, eo cadente corruat, mihique subdatur. Quod si tanta est custodia circa puerum, ut accedere nequeatis, vel ipsam interimite inimicam. **398** Merces quoque operis vestri hæc erit, ut si mortui in hoc opere fueritis, parentibus vestris bona tribuam, ipsosque muneribus ditans, primos in regno meo constituam. Interim vos timorem omnem omittite, nec sit trepidatio mortis in pectore. Noveritis enim, quod cunctos homines hæc causa continet. Armate virilitate animos, et considerate sæpius fortes viros in bello corruere. Unde nunc parentes eorum nobiles effecti, opibus immensis cunctis supereminent, cunctosque præcellunt. Cumque hæc mulier loqueretur, clerici tremere cœperunt, difficile putantes hæc jussa posse complere. At illa dubios cernens, medificatos potione direxit quo ire præcepit; statimque robur animorum accrevit, promiseruntque se omnia quæ præceperat impleturos. Nihilominus vasculum hac potione repletum, ipsos levare jubet, dicens : In die illa cum hæc quæ præcipio facitis, mane priusquam opus incipiatis, hunc [h] potum sumite : erit vobis magna constantia ad hæc peragenda. Illis ita instructis, dimisit eos. Qui pergentes et ad urbem Suessionas accedentes, a Rauchinco duce capti, discussique omnia reserant, et sic in carcerem religati sunt. Post dies vero paucos Fredegundis, incerta [*Al.* certa] jam quod fuissent impleta quæ fuerant imperata, misit puerum inquirere,

[a] Supra dicitur *Eberulfus*, sicut et Ch. al. hic, et alii in titulo hujus capitis,

[b] Aliqui editi, *Rochingo*, et pro *ingenio* habent *instrumento*, quasi nescio qua machina arte fabricata fuisset cum alio alligatus; sed lectio nostra, quæ est mss. Colb., melior est. Ingenium enim appellabant technam, qua aliquem incaute agentem decipiebant.

[c] Vide de ea infra cap. 45, et lib. x, cap. 8.

[d] Die 13 Aprilis, quo festum ejus uti martyris in Ecclesia celebratur. De eo vide supra lib. v, cap. 39, et notas.

[e] Editi, *a nescio quibusdam*. Bec., *cum nescio quibus hominibus*. Regm, *Breviculum a*, etc.

[f] Bellum tamen indixerat Guntramnus : sed forte existimabat Leuvigildus, id instigante Childeberto Ingundis fratre, aut eorum matre Brunichilde, ab eo susceptum fuisse; aut certe etiam ipse Childebertus in Hispaniam moverat, ut testatur Paulus Diac. lib. III Hist. Lang., cap. 21, ubi habet Hispanos ea occasione a Childeberto superatos fuisse. Quæ autem hic Gregorius variis capitibus narrat, Joan. Biclarensis in unum congerit ad an. 586.

[g] Colb. m. alt. manu, *retribuite*. Amelius erat episcopus Bigorritanus, qui synodo Matisc. II interfuit.

[h] Editi, *incipiatur, hinc potum sumite*.

quid aut rumor populi ferret, aut si aliquem inveniret indicantem qui diceret Childebertum jam interemptum fuisse. Egressus igitur puer ab ea, Suessionas urbem venit. Audiens denique hos in carcerem retineri, ad ostium appropinquat; sed cum loqui satellitibus cœpisset, et ipse captus custodiæ mancipatur. Tunc omnes simul ad Childebertum regem direcli sunt, discussique veritatem aperiunt, indicantes se a Fredegunde missos ad eum interimendum, dicentes : Jussa reginæ suscepimus, ut nos egenos assimularemus; cumque pedibus tuis provoluti aliquid stipendii quæreremus, ab his te gladiis transfodere voluimus. Quod si assultu segniore **399** gladius defixus esset, ipsum venenum, quo ferrum erat infectum, animam velocius penetraret. Hæc his dicentibus, diversis suppliciis affecti, truncatis manibus auribusque et naribus, variis sunt mortibus interempti.

XXX. Igitur Guntchramnus rex commoveri exercitum in Hispanias præcepit [a], dicens : Prius Septimaniam provinciam ditioni nostræ subditæ, quæ Galliis est propinqua. Indignum est, ut horrendorum Gothorum terminus usque in Gallias sit extensus. Tunc commoto omni exercitu regni sui, illuc dirigit. Gentes vero quæ ultra Ararim, Rhodanumque et Sequanam [b] commanebant, cum Burgundionibus junctæ, Ararica Rhodaniticaque littora tam de fructibus, quam de pecoribus valde depopulatæ sunt. Multa homicidia, incendia, prædasque in regione propria facientes, sed et ecclesias denudantes, clericos ipsos cum sacerdotibus ac reliquo populo ad ipsas sacratas Deo aras interimentes, usque ad urbem Nemausum processerunt. Similiter et Biturici, Santonici cum Petragoricis, Egoliamensibus, et reliquarum urbium populo, qui tunc ad antedicti regis imperium pertinebant, usque ad Carcassonam urbem devecti, similia mala gesserunt. Sed cum ad urbem accessissent, reseratis sponte ab habitatoribus portis, nullo resistente ingressi, nescio quo cum Carcassonensibus scandalo commoti, urbem egressi sunt. Tunc Terentiolus, comes quondam urbis Lemovicinæ, lapide de muro projecto percussus, occubuit : cujus caput truncatum est ad vindictam adversariorum, et urbi delatum est. Ex hoc omnis populus timore perterritus, ad propria regredi destinans, universa reliquit, quæ vel per viam ceperat, vel quæ secum adduxerat. Sed et Gothi per occultas insidias multos de his spoliatos interemerunt ; exinde in Tolosanorum manus incidentes, quibus dum pergerent, multa intulerant mala, spoliati ac cæsi vix propria contingere potuerunt. Hi vero qui Nemausum **400** aggressi fuerant, devastantes universa regionis, succensis domibus, incensis segetibus, discissis olivetis, vinetisque succisis, nihil inclusis nocere potentes, ad alias urbes progressi sunt. Erant enim valde munitæ, et de cibis ac reliquis necessariis adplene refertæ, et horum urbana depopulantes, urbes minus irrumpere valuerunt. Tunc et Nicetius dux cum Arvernis in hac expeditione commotus, cum reliquis urbes assedit. Sed cum minus valeret, ad castrum quoddam pervenit, dataque fide, sponte inclusi reserantes portas, eos creduli tanquam pacificos susceperunt. Illi vero ingressi, postposito sacramento, præsidia cuncta diripiunt, animas in captivitatem subdentes. Tunc accepto consilio unusquisque ad propria est regressus. Tantaque per viam scelera, homicidia, prædas, direptiones per regionem propriam gesserunt, ut ea usquequaque memorari perlongum sit. Verumtamen quia segetes Provinciæ igni ab hisdem succensas dicimus, fame atque inedia pereuntes, per viam relinquebantur exanimes; nonnulli in fluminibus demersi, plerique in seditionibus interempti sunt. Ferebant enim amplius quam quinque millia in his stragibus fuisse peremptos. Sed non eos qui remanserant, coercebat aliorum interitus. Tunc et Arvernæ regionis ecclesiæ, quæ viæ publicæ propinquæ erant, a ministeriis denudatæ sunt. Nec fuit terminus male faciendi, nisi cum ad propria singuli pervenerunt. Quibus reversis, magna Guntchramnum regem amaritudo cordis obsedit. Duces vero supradicti exercitus ad basilicam sancti Symphoriani martyris expetierunt. Veniente itaque rege ad ejus solemnitatem, repræsentati sunt sub conditione audientiæ in postmodum futuræ. Postea vero quatuor convocatis episcopis [c], necnon et majoribus natu laicorum, duces discutere cœpit, dicens : Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere possumus, qui ea quæ patres nostri consecuti sunt, non custodimus? **401** Illi vero ecclesias ædificantes, in Deum spem omnem ponentes, martyres honorantes, sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt, gentesque adversas, divino opitulante adjutorio, in ense et parma sæpius subdiderunt. Nos vero non solum Deum non metuimus, verum etiam sacra ejus vastamus, ministros interficimus, ipsa quoque sanctorum pignera in ridiculo discerpimus ac vastamus. Non enim potest obtineri victoria, ubi talia perpetrantur. Ideo manus nostræ sunt invalidæ, ensis tepescit, nec clypeus nos, ut erat solitus, defendit ac protegit. Ergo si hoc meæ culpæ ascribitur, jam id Deus capiti meo restituat. Certe si vos regalia jussa contemnitis, et ea quæ præcipio implere differtis, jam debet securis capiti vestro submergi Erit enim documentum omni exercitui, cum unus de prioribus fuerit interfectus. Verumtamen jam experiri debemus quid agi oporteat. Si quis justitiam sequi destinat, jam sequatur; si quis contemnit, jam

Hanc expeditionem anno 585, ante synodum Matiscone habitam, confectam fuisse putat Valesius lib. XIII rer. Franc.; sed cum occasione necis Hermenegildi suscepta dicatur supra cap. 28, consentiatque Joan. Biclar. in Chronico, potius, ut quidem existimo, anno seq., id est 586, consignanda est, quo sanctus Hermenegildus patris jussu occisus fuit. Valesii error inde profluxit, quod Leuvigildi annum 17 quem Joannes Biclar. Mauricii tertium appellat, an. 585 illigaverit, cum tamen is ipse sit annus 586, ex Biclar. calculo.

[b] Colb. a., *Segonam*.

[c] Sic Bec. cum editis plerisque. Colb. a., *Post dies vero quatuor conjunctis*. Colb. m., *Post tres vero quatuor*, etc. Regm., *Post tres vero dies quatuor conjuncti*. Bad., *Post vero tres vel quatuor dies conjunctis*, etc.

ublica cervici ejus immineat. Satius est enim ci contumaces pereant, quam ira Dei super i regionem dependat innoxiam. Hæc rege diresponderunt duces : Bonitatis tuæ magnanirex optime, enarrari facile non potest; qui tii in Deum sit, qui amor in ecclesias, quæ rea in sacerdotes, quæ pietas in pauperes, quæve atio in egenos. Sed quia omnia quæ gloria profert, recta veraque esse censentur; quid as quod populus omnis in vitium est dilapsus, que hominem agere quæ sunt iniqua delectat? regem metuit, nullus ducem, nullus comitem ur : et si fortassis alicui ista displicent, et ea gævitate vitæ vestræ emendare conatur, staditio in populo, statim tumultus exoritur, et m unusquisque contra 402 Seniorem sæva one grassatur, ut vix se credat evadere, si tanilere nequiverit. Ad hæc rex ait : Si quis sejustitiam, vivat; si quis legem mandatumque n respuit, jam pereat, ne nos diutius hoc blasm (*Gallice* blâme) prosequatur. Hæc eo diadvenit nuntius, dicens : Richaredus filius bildi de Hispaniis egressus, Caput Arietis [a] obtinuit, et ex pago Tolosano maximam parpopulatus est, hominesque captivos abduxit. m [b] Arelatense castrum irrupit, resque cunam hominibus abstulit; et sic se infra muros nensis urbis inclusit. Hæc audiens rex, Leudein locum Calumniosi, cognomento Ægilanis [c], deligens, omnem ei Provinciam Arelatensem sit, custodesque per terminos super quatuor n millia collocavit. Sed et Nicetius Arvernoix similiter cum custodibus perrexit, et fines s ambivit.

II. Dum hæc agerentur, et Fredegundis apud nagensem urbem commoraretur, verba amais cum Prætextato pontifice habuit, dicens m esse tempus, quando exilia in quibus defuerat, reviseret. Et ille : Ego semper et in , et extra exilium episcopus fui, sum, et m tu non semper regali potentia perfrueris. exilio provehimur, tribuente Deo, in regtu vero ab hoc regno demergeris in abyssum. s enim erat tibi, ut relicta stultitia atque majam te ad meliora converteres, et ab hac jac-

igo dicitur *Cabarat*. Alteserræ est *Castelnau*quod ait a Petro Vallis Cernaii in Historia Alum appellari Castrum novum Arii, in agro ensi, *le Lauraguais*.

lebre est apud veteres auctores hujus castri , ubi, testante Sidonio, Avitus salutatus est itor. Hodie tamen mutato nomine, haud certo t an sit Bellum Quadrum, vulgo *Beaucaire*, an la Guernica, vulgo *la Vergne*, quæ vox satis competit. Uterque vero locus, interposito Rhodano, propinquus est Tarasconi, a quo Ugernum parum distitisse certum est, sicut et late ex Vita S. Cæsarii. *Hodiernum* appellat in Chronico.

fb. m., Regm. et Chesn. al., *Agilanis*.

est, die Dominica (quæ in sequioris ævi auctoassim dies resurrectionis Dominicæ dicitur), um sit Prætextatum VI Kal. Martias an. 586 tantia, qua semper ferves, abstrahereris : ut et tu vitam adipiscereris æternam, et parvulum quem genuisti adducere ad legitimam posses ætatem. Hæc effatus, cum verba illius mulier graviter acciperet, se a conspectu ejus felle fervens abstraxit. Adveniente autem Dominicæ Resurrectionis die [d], cum sacerdos 403 ad implenda ecclesiastica officia ad ecclesiam maturius properasset, antiphonas juxta consuetudinem incipere per ordinem cœpit : cumque inter psallendum formulæ decumberet, crudelis adfuit homicida, qui episcopum super formulam quiescentem, extracto baltei cultro, sub ascella percutit. Ille vero vocem emittens, ut clerici qui aderant adjuvarent, nullius auxilio de tantis adstantibus est adjutus. At ille plenas sanguine manus super altarium extendens [e], orationem fundens, et Deo gratias agens, in cubiculum suum inter manus fidelium deportatus, et in suum lectulum collocatus est. Statimque Fredegundis cum Beppoleno duce et Ansoaldo adfuit, dicens : Non oportuerat hæc nobis ac reliquæ plebi tuæ, o sancte sacerdos, ut ista tuo cultui evenirent. Sed utinam indicaretur qui talia ausus est perpetrare, ut digna pro hoc scelere supplicia sustineret. Sciens autem eam sacerdos hæc dolose proferre, ait : Et quis hæc fecit, nisi is qui reges interemit, qui sæpius sanguinem innocentem effudit, qui diversa in hoc regno mala commisit? Respondit mulier : Sunt apud nos peritissimi medici, qui huic vulneri mederi possunt. Permitte ut accedant ad te. Et ille : Jam, inquit, me Deus præcipit de hoc mundo vocari. Nam tu quæ his sceleribus princeps inventa es, eris maledicta in sæculo, et erit Deus ultor sanguinis mei de capite tuo. Cumque illa discederet, pontifex ordinata domo sua, spiritum exhalavit. Ad quem sepeliendum Romacharius Constantinæ urbis episcopus advenit. Magnus tunc omnes Rothomagenses cives, et præsertim seniores loci illius Francos, mœror obsedit. Ex quibus unus senior ad Fredegundem veniens, ait : Multa enim mala in hoc sæculo perpetrasti, sed adhuc pejus non feceras, quam ut sacerdotem Dei juberes interfici. Sit Deus ultor sanguinis innocentis velociter; 404 nam et omnes erimus inquisitores mali hujus, ut tibi diutius non liceat tam crudelia exercere. Cum autem hæc dicens discederet a conspectu reginæ, misit illa

obtisse, quo die in Martyrol. Romano memoratur, die vero sequenti in apographo Usuardi ecclesiæ Rothomagensis recenter scripto. Hunc tamen locum de Paschali festivitate intelligit Henschenius ad diem 24 Febr. Bolland., cui favet Anonymus infra laudatus. Ideoque Prætextati mortem 14 Aprilis contigisse scribit, quo die an. 586 Pascha celebratum est. Subscripsit Prætextatus Concil. Paris. III, Turon. II, et demum Matisc. II, an. 585, unde patet ejus necem ad an. 586, sicut et ea quæ his capitibus narrat Gregorius, esse referendam.

[e] Anonymus qui sæculo undecimo Acta archiepiscoporum Rothomagensium scripsit, edita tom. II Analect. Mabillon., sic habet : *Qui mox ut vulnera sensit, ad altare cucurrit, et illud amplexatus, viatico Dominici corporis et sanguinis se muniens, animam Deo reddidit.*

jussu Leuvichildi regis vastatæ sunt, res ablatæ, homines cæsi atque interfecti, nonnulli captivi abducti sunt. Ex quibus pauci quodammodo scaphis erepti, patriæ quæ acta fuerant nuntiaverunt.

XXXVI. Igitur apud Childebertum regem Magnovaldus causis occultis ex jussu regis interficitur hoc modo. Stante infra Mettensis urbis palatium rege, et ludum spectante, qualiter animal caterva canum circumdatum fatigabatur, Magnovaldus arcessitur. Qui veniens, et nesciens quæ agenda erant, cum reliquis dissolutus risu, prospicere pecudem cœpit. At is cui jussum fuerat, cum videret eum spectaculo intentum, librata securi, caput ejus illisit; qui cecidit et mortuus est, ac per fenestram domus projectus, a suis sepultus est, resque ejus protinus direptæ, et ærario publico, quantum repertum est, sunt illatæ. Autumabant tamen quidam, eo quod post mortem fratris diversis plagis conjugem affectam interfecisset, et uxorem fratris asciscret toro, exstitisse causam qua interimeretur.

XXXVII. Posthæc Childeberto regi filius natus est, qui a Magnerico Treverorum episcopo [a] de sacro fonte susceptus, Theodebertus est vocitatus : de quo tantum gaudium Guntchramnus rex habuit, ut statim legatos dirigens, multa ei munera transmitteret, dicens : Per hunc enim Deus erigere Francorum regnum propria majestatis suæ pietate dignabitur, si huic pater, aut ipse vixerit patri.

XXXVIII. Anno denique undecimo regni Childeberti regis, legati iterum de Hispaniis venerunt, pacem petentes : sed nihil certi obtinentes, regressi sunt. Richaredus autem, filius Leuvichildi, usque Narbonam 410 venit, et intra terminum Galliarum prædas egit, et clam regressus est.

XXXIX. Eo [b] anno multi episcoporum obierunt. Badegisilus vero Cenomannorum episcopus, vir valde sævus in populo, auferens sive diripiens injuste res diversorum : ad cujus animum acerbum atque immitem conjux accesserat sævior, quæ illum in committendis sceleribus, nequissimis consilii stimulis perurgebat. Nec præteribat dies, aut momentum ullum, in quo non aut in spoliis civium, aut in diversis altercationibus grassaretur. Quotidie autem cum judicibus causas discutere, militias sæculares exercere, sævire in alios, alios cædibus agere non cessabat, manibus etiam propriis verberare progrediebatur multos, ac dicere : Num ideo quia clericus factus sum, ultor injuriarum mearum non ero? Sed quid dicam de cæteris, cum nec ipsis quoque germanis parceret, sed ipsos magis exspoliaret? Cum quo nunquam justitiam de rebus paternis maternisve assequi potuerunt. Quinto autem anno episcopatus sui expleto, cum jam sextum ingrediens, epulum civibus cum immensa lætitia præparasset : a febre correptus, annum quem cœperat protinus morte imminente finivit. In cujus locum Bertchramnus Parisiacus [c] archidiaconus subrogatus est. Qui multas altercationes cum relicta illius defuncti habuisse probatur, eo quod res, quæ tempore Badegisili episcopi ecclesiæ datæ fuerant, tanquam proprias retinebat, dicens : Militia hæc fuit viri mei, et licet invita, tamen cuncta restituit. Erat enim ineffabili malitia; nam sæpius viris omnia pudenda cum ipsis ventris pellibus incidit, feminis secretiora corporis loca laminis candentibus perussit, sed et multa alia inique gessit, quæ tacere melius putavi. Obiit et Sabaudus [d] Arelatensis episcopus, in cujus locum 411 Licerius regis Guntchramni referendarius est ascitus. Gravis tunc Provinciam ipsam lues depopulata est. Obiit et Evantius Viennensis episcopus [e], in cujus sedem Virus presbyter de senatoribus rege eligente substituitur. Multique eo anno sacerdotum ex hoc mundo migraverunt : quod præterire volui [f], eo quod unusquisque in urbe sua sui reliquerit monimenta.

XL. Fuit autem et in urbe Turonica Pelagius quidam, in omni malitia exercitatus, nullum judicem metuens, pro eo quod jumentorum fiscalium custodes sub ejus potestate consisterent. Ob hoc furta, superventa [g], pervasiones, cædes, diversaque scelera, tam in fluminibus quam in terris, agere non cessabat. Nam plerumque arcessitum, et minacibus lenibusque verbis, ut ab hac malitia desisteret, prohibere volui : sed magis odia quam aliquem fructum justitiæ ab eo recepi, juxta illud Salomoniacæ Sapientiæ proverbium : *Argue stultum, adjiciet odire te* (*Prov.* IX, 8). Nam tantum in me odium miser habebat, ut sæpius spoliatis cæsisque hominibus sanctæ ecclesiæ, exanimes reliquerit, causas qualiter ecclesiæ vel basilicæ sancti Martini damna intenderet, inquirens. Unde factum est, ut quadam vice venien-

[a] Colitur die 25 Julii; sepultus est in monasterio sancti Martini, a seipso condito, quod etiam nunc exstat sub ordine Benedictino. Ejus Vitam scripsit Ebervinus abbas, laudatur a Fortunato lib. III, carm. 11, et passim a nostro Gregorio.

[b] Hoc caput cum quatuor sequentibus deest in Colb. a. et Vat. De Badegesilo supra lib. VI, cap. 9; subscripsit Concilio Matisconensi II, anno 585. Conjux ejus Magnatrudis appellatur infra, lib. X, cap. 5. Distinguendus est a Bertegesilo, qui eamdem sedem bis invasit, ut in Testamento suo conqueritur sanctus Bertramnus.

[c] Ejus Acta habentur tomo III Analect. Mabillon., ubi ipsius Testamentum, quo inter alia multa quæ variis ecclesiis donavit, basilicæ beati Vincentii, ubi corpus beati Germani, a quo enutritus fuerat, requiescit, villam Bobanc in territorio Stampensi super fluvio Cala dimisit, rogans abbatem *illustris loci illius*, ut nomen ejus in libro vitæ recitetur. Variis conciliis interfuit. Festum ejus celebratur in Martyrol. Gallicano die III Non. Februarii. De eo Papebrochius ad diem 6 Junii Bollandiani.

[d] De hoc supra lib. IV, cap. 30; dicitur vulgo *Sapaudus*. Variis Conciliis interfuit, et vicariatum in Galliis a Pelagio papa obtinuit. De Licerio infra lib. IX, cap. 23.

[e] Evantius subscripsit Conc. Matisc. I, an. 581; Lugd. III, an. 583; Valent. II, an. 584, et Matisc. II, an. 585. Festum ejus nonnulli die 13 Januarii, alii 3 Febr., recolunt.

[f] Regm., *nolui*.

[g] Id est, rapinas, seu violentias repentinas et imprævisas.

homine [a] obtinere non queunt, ut saltem vel celebrata solemnitate paschali discutiatur. Hisque supplicantibus, et illo reuitente, tandem patefacit vulnus quod latebat in pectore. Si, inquit, domum quam intra territorii Biturici terminum habere dignoscitur, meæ ditioni facta venditione subdiderit, quæ flagitatis facio : alioquin non effugiet manus meas, nisi trudatur in exsilium. Metuit negare episcopus : scripsit, subscripsitque, ac tradidit agrum; et sic datis fidejussoribus de præsentia sua ante regem, in civitatem ingredi permissus est. Transactis igitur diebus sanctis, ad regem pergit : adfuit et Antestius, sed nihil de his quæ opponebat episcopo, potuit approbare. Episcopus autem ad urbem redire jubetur, et usque ad synodum futuram dilatatur, si forte aliqua de his quæ opponebantur, evidentius possint agnosci [b]. Adfuit et Nonnichius episcopus, qui datis multis muneribus abscessit [c].

XLIV. Fredegundis vero quasi **415** ex nomine filii sui, legatos ad Guntchramnum regem dirigit. Qui reserata petitione, accepto responso, valedicentes abscedunt; sed nescio quibus causis paululum apud metatum suum remorati sunt. Mane autem facto, procedente rege ad matutinas, ac præeunte cereo, visus est homo quasi ebrius in angulo oratorii dormitare, accinctus gladio, cujus hasta pariete sustentabatur. Hoc viso rex exclamavit, dicens non esse simpliciter, hominem sub hoc horrore noctis tali in loco quiescere. Oppressus autem, et loris revinctus, interrogabatur quid sibi hæc vellent quæ ageret. Nec mora supplicio subditus, dicit se a legatis qui advenerant emissum fuisse, ut rex deberet interfici. Denique apprehensi legati Fredegundis, nihil de his quæ interrogati sunt confitentur, dicentes : Nos nihil ad aliud missi, nisi ut legationem quam suggessimus deferremus. Tunc hominem illum diversis plagis affectum, et carceri mancipatum, legatos per diversa loca exsilio condemnari præcipit. Manifestissime enim patuit sub hoc dolo a Fredegunde fuisse directos, ut regem interficere deberent. A Quod misericordia Domini non permisit : inter quos Baddo [d] senior habebatur.

XLV. Cum autem legati de Hispaniis crebro ad regem Guntchramnum venirent, et nullius pacis gratiam obtinere potuissent, sed magis inimicitia pullularet, rex Guntchramnus Albigensem urbem nepoti suo Childeberto reddidit. Quod cernens Desiderius dux, qui máxime in ejusdem urbis territorio meliora facultatis suæ condiderat; **416** timens ne ultio ex peteretur ab eo propter antiquam inimicitiam, quod aliquando in eadem civitate exercitum gloriosæ memoriæ Sigiberti regis graviter affecisset, cum Tetradia uxore sua, quam Eulalio tunc Arverno comiti abstulerat, in termino Tolosano cum rebus omnibus transiens exercitum commovet, et contra Gothos B abire disponit, divisis prius, ut ferunt, rebus inter filios et conjugem : assumptoque secum Austrovaldo comite, Carcassonam petiit. Præparaverant enim se hoc audito urbis illius cives, quasi resistere volentes : audierant autem de his prius. Denique inito bello fugere Gothi cœperunt, et Desiderius cum Austrovaldo a tergo cædere hostem. Illis quoque fugientibus, hic cum paucis ad urbem accessit : lassati enim fuerant equites [*Al.* equi] sociorum. Tunc ad portam urbis accedens, vallatus a civibus qui intra muros erant, interfectus est cum his omnibus qui eum fuerant prosecuti : ita ut vix pauci exinde quodammodo evaderent, qui rem, ut gesta fuerat, nuntiarent. Austrovaldus vero audiens Desiderium mortuum, de via regressus ad regem perrexit, qui mox in ejus C locum dux statuitur.

XLVI. Posthæc [e] Leuvichildus rex Hispanorum ægrotare cœpit, sed, ut quidam asserunt, pœnitentiam pro errore hæretico agens, et obtestans ne huic hæresi quisquam reperiretur consentaneus, in legem catholicam transiit; ac per septem dies in fletu perdurans pro his quæ contra Deum inique molitus est [f], spiritum exhalavit : regnavitque Richaredus filius ejus pro eo.

417-418 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI NONI.

I. De Richaredo et legatis ejus.
II. De obitu beatæ Radegundis.
III. De eo qui cum cultro ad Guntchramnum regem venit.
IV. Quod Childeberto alius natus est filius.
V. De prodigiis.

[a] Id est *ab homine*, scilicet Antestio.

[b] Laudatur a Fortunato lib. I, carm. 3, ob ædificatam sancto Stephano ecclesiam. Alteram in honorem sanctorum Petri, Pauli, Laurentii et Pancratii ædificarat, in qua tredecim erant altaria, sed quatuor ex his consecrata non fuerant, quod reliquias in eis reponendas nullas haberet, ut patet ex sancti Gregorii M. epist. 50, lib. V, ubi reliquias quas ab eo Palladius efflagitarat, se ipsi transmittere beatus testatur pontifex, qui et epist. 52 ejusdem libri eidem Palladio Augustinum aliosque monachos in Angliam euntes commendavit. Nomen ejus in fastis Ecclesiæ legitur, ac uti sanctus in propria ecclesia honoratur. Subscripsit Conc Paris. IV, an. 573, et Matisc. II, anno 585.

[c] Hic erat episcopus Namnetensis Felicis successor, D ut dicitur supra lib. VI, cap. 15; laudatur item lib. IV de Mirac. sancti Martini, cap. 26. Alius fuit ejusdem sedis episc. Nonnichius seu Nunichius, qui sæculo superiori Conc. Venetensi subscripsit; cuique Apollinaris Sidonius scripsit epist. 13 lib. VIII.

[d] Cod. Colb. a., *Batto*.

[e] Hoc caput deest in Colb. a. et Vat.

[f] Agnovit quidem veritatem ex Gregorio M. lib. III Dialog., cap. 31 : *Sed gentis suæ timore perterritus ad fidem catholicam pervenire non meruit.* De Leuvigildi conversione nihil scribunt Joannes Biclarensis abbas, aut Isidorus ad æram 606, licet plura habeant de illo. Eum ad pœnas perpetuas ex hac vita demigrasse ait Paulus Emeritensis, cap. 16 de Vitis patrum Emerit.

VI. De seductoribus et ariolis.
VII. De remotione Ennodii ducis; et de Wasconibus.
VIII. De præsentia Guntchramni Bosonis.
IX. De interitu Rauchingi.
X. De interitu Guntchramni Bosonis.
XI. Quod se reges viderunt.
XII. De interitu Ursionis ac Berthefredi.
XIII. De Baddone, qui in legationem abiens, detentus, et postmodum [Ed. *post diu*] *dimissus est; et de morbo dysenterico.*
XIV. De pace Egidii episcopi et Lupi ducis.
XV. De conversione Richaredi.
XVI. De legatione ipsius ad reges nostros.
XVII. De exiguitate anni hujus, seu, De sterilitate anni et charitate annonæ.
XVIII. De Britannis, et obitu Namatii episcopi.
XIX. De interitu Sicharii civis Turonici.
XX. De eo quod ad Guntchramnum regem in legationem pro custodienda pace directi sumus. — Exemplar Pactionis apud Andelaum.
XXI. De eleemosynis et bonitate ipsius regis.
XXII. De ins Massiliensis urbis.
XXIII. De obitu Agerici episcopi, et de successore ejus.
XXIV. De episcopatu Fronimi.
XXV. Quod exercitus Childeberti in Italiam abiit.
XXVI. De obitu Ingobergæ reginæ.
XXVII. De obitu Amalonis.
XXVIII. De speciebus quas Brunichildis regina transmisit.
XXIX. Quod Langobardi pacem ad Childebertum regem petierunt.
XXX. De descriptoribus urbis Pictavæ atque Turonicæ.
XXXI. Quod Guntchramnus rex exercitum in Septimaniam direxit.
XXXII. De inimicitiis inter Childebertum et Guntchramnum.
XXXIII. Quod Ingeltrudis religiosa ad Childebertum abiit, contra filiam suggestura.
XXXIV. De inimicitiis Fredegundis cum filia sua.
XXXV. De interitu Waddonis.
XXXVI. Quod Childebertus rex Theodobertum filium suum Suessionas direxit.
XXXVII. De Droctigisilo episcopo.
XXXVIII. De eo quod aliqui contra Brunichildem reginam agere voluerunt
XXXIX. De scandalo in monasterio Pictavensi orto per Chrodieldem et Basinam. — Epistola episcoporum ad S. Radegundem.
XL. De fomite primo scandali.
XLI. De cæde in basilica sancti Hilarii. — Rescriptum episcoporum.
XLII. Exemplaria epistolæ quam sancta Radegundis episcopis direxit.
XLIII. Quod Theutarius presbyter ad hoc scandalum mitigandum advenit.
XLIV. De intemperie anni.

LIBER NONUS.

419 I. Igitur [a] post mortem Leuvichildi Hispanorum regis, Richaredus filius ejus fœdus iniit cum Goisvintha relicta patris sui, eamque ut matrem suscepit [b]. Hæc enim erat mater Brunichildis reginæ, matris Childeberti junioris. Richaredus vero de alia uxore erat filius Leuvichildi. Denique cum noverca habito consilio, legatos ad Guntchramnum regem, atque Childebertum dirigit, dicens: Pacem habete nobiscum, et ineamus fœdus, ut adjuti præsidio vestro, cum necessitas poposcerit, simili nos conditione, intercedente charitate, muniamus [c]. Venientes vero legati, qui ad Guntchramnum regem directi erant, apud Matascense [d] oppidum jussi sunt residere: ibique transmissis viris rex causas cognovit, sed recipere noluit verba eorum. Unde talis postmodum inter eos inimicitia pullulavit, **420** ut ad civitates Septimaniæ nullum de regno ejus transire permitterent. Hi vero qui ad Childebertum regem venerunt cum charitate recepti sunt: datisque muneribus, accepta pace, cum muneribus sunt regressi.

II. Eo anno beatissima Radegundis ab hoc mundo migravit. Quæ magnum planctum in monasterio quod constituerat dereliquit. Fuique et ego præsens ad eam sepeliendam. Obiit autem mense sexto, tertia decima die mensis, sepulta post triduum. Quæ autem ibi ipsa die virtutes apparuerunt, et qualiter fuerit funerata, in libro Miraculorum [e] plenius scribere studui.

[a] Deest hoc caput in Colb. a. et cum seq. in Vat. B pro *Matisconem*.

[b] Hæc tamen postea cum Uldila episcopo Ariano juncta, Reccaredo insidias paravit, ut narrat Joan. Biclar. ad annum 3 Reccaredi.

[c] Sic omnes omnino editi et scripti. Tamen legendum est, nisi fallor, *Simili vos conditione*, aut sane, *simili nos conditione... vos muniamus*.

[d] Sic omnes mss. et ed. plerique. Col. et Bign., *Matascense*. Utrobique Matisco intelligi debet. Certe Fortunat., in Vita S. Germani, *Matasconem* habet

[e] Lib. de Gloria Confess. cap. 106. Agit item de ea lib. I de Gloria Mart., cap. 5. Obiit porro die 13 Augusti, et quidem anno 587, ex hoc Gregorii loco. Sepulta est in basilica S. Mariæ, ubi tunc erat sanctimonialium cœmeterium, hodie a canonicis sæcularibus occupata. Ejus sacræ reliquiæ magna ex parte cum beati Hilarii exuviis a Calvinistis combustæ sunt anno 1562. Vide not. in lib. III, cap. 7.

III. Interea [a] advenit festivitas sancti Marcelli, quæ apud urbem Cabillonensem mense septimo celebratur, et Guntchramnus rex adfuit. Verum ubi peractis solemnibus [b], ad sacrosanctum altarium communicandi gratia accessisset, venit quidam quasi aliquid suggesturus. Qui dum properat **421** contra regem, cultet ei de manu dilabitur, apprehensoque repente, alium cultrum evaginatum in manu ejus reperiunt. Nec mora, eductus a basilica sancta, vinctus, et tormentis addictus, confitetur se emissum ad interficiendum regem, dicens: Sic enim tractavit qui me misit. Quia cognovit rex multorum in se odia aggregata, et suspectus ne percutiatur, omnino se a suis vallari præcipit: nec reperitur aditus qualiter ad eum cum gladiis possit accedere, nisi in ecclesia, in qua securus et nihil metuens stare dignoscitur, transverberetur. Sed et his de quibus locutus fuit apprehensis, multis interemptis, hunc verberatum plagis dimisit vivum, quia nefas putavit [c], si is qui ab ecclesia eductus fuerat, truncaretur.

IV. [d] Eo anno Childeberto regi alius filius natus est, quem Veranus Cavillonensis [e] episcopus suscipiens a lavacro, Theodorici nomen posuit. Erat enim eo tempore ipse pontifex magnis virtutibus præditus, ita ut plerumque infirmis signum crucis imponens, statim sanitati, tribuente Domino, restauraret.

V. Prodigia [f] quoque multa dehinc apparuerunt. Nam vasa per domos diversorum, signis nescio quibus charaxata sunt, quæ res nullo unquam modo, aut eradi potuit, aut deleri. Incœptum est autem hoc prodigium ab urbis Carnotenæ territorio, et veniens per Aurelianensem, usque Burdegalensem terminum peraccessit, non prætermittens ullam urbem quæ fuit in medio. In vineis vero mense octavo transacta vindemia, palmites novos cum uvis deformatis aspeximus. In aliis arboribus frondes novæ, et nova visa sunt poma. Radii a parte Aquilonis apparuerunt. Asserebant nonnulli vidisse se serpentes ex nube delapsos. Alii affirmabant villam cum casis et hominibus subitanea incremacione evanuisse; et multa alia signa apparuerunt, quæ aut regis obitum annuntiare solent, aut regionis excidium. **422** Vindemia eo anno tenuis, aquæ validæ, pluviæ immensæ, flumina quoque granditer adaucta fuerunt.

VI. Fuit eo anno in urbe Turonica Desiderius nomine, qui se magnum quemdam esse dicebat, asserens se multa posse facere signa. Nam et nuntios inter se, atque Petrum Paulumque apostolos discurrere jactitabat: ad quem, quia præsens non eram, rusticitas populi multa confluxerat, deferentes secum cæcos et debiles, quos non sanctitate sanare, sed errore necromantici ingenii quærebat illudere. Nam hos qui erant paralytici, aut alia impediti debilitate, jubebat valide extendi, ut quos virtutis divinæ largitione dirigere non poterat, quasi per industriam restauraret. Denique apprehendebant pueri ejus manus hominum, alii vero pedes, tractosque diversas in partes, ita ut nervi putarentur abrumpi: cum non sanarentur, dimittebantur exanimes. Unde factum est, ut in hoc supplicio multi spiritum exhalarent; tantumque miser elatus erat, ut minorem [g] se beatum Martinum esse diceret, se vero apostolis coæquaret. Nec mirum, si hic similem se dicat apostolis, cum ille auctor nequitiæ, a quo ista procedunt, Christum se in fine sæculi fassurus sit. Nam de hoc animadversum est, ut superius diximus, errore necromanticæ artis fuisse imbutum. Quia, ut asserunt qui eum viderunt, cum quisque de eo procul et abdite quidquam locutus fuisset mali, coram populo astante improperabat, dicens: Quia hoc et illud de me effatus est, quæ sanctitate mea erant indigna. Et quo alio nisi nuntiantibus dæmoniis id cognoscebat? Habebat autem cucullum ac tunicam de pilis caprarum, et in præsenti quidem abstinens erat a cibis et potu; clam autem cum in diversorium venisset, ita infarcibat in ore, ut minister non occurreret tantum poscenti porrigere. Sed detecta dolositate ejus, et a nostris deprehensa, ejectus est extra urbis terminum. Nec cognovimus deinceps quo abisset; dicebat **423** tamen civem se esse Burdegalensem. Nam et ante hos septem annos fuit et alius magnus valde seductor, qui multos decepit dolositate sua. Hic enim colobio [h] indutus erat, amictus desuper sindone, crucem ferens, de qua dependebant ampullulæ, quas dicebat oleum sanctum habere. Aiebat enim se de Hispaniis adventare, ac reliquias beatissimorum martyrum Vincentii levitæ, Felicisque martyris [i] exhibere. Sed cum jam vespere ad basilicam sancti Martini Turonis advenisset, et nos in convivio resideremus, mandatum misit, dicens: Occurrant reliquiis sanctis. Cui nos, quia hora jam præterierat, diximus: Requiescant beatæ reliquiæ super altarium, donec mane procedamus ad occursum earum. Sed hic primo diluculo consurgens, nec exspectatis nobis, advenit cum cruce sua, et in cellula nostra adfuit. Stupefactus ego, et admirans levitatem, interrogo, *quid*

[a] Deest hoc caput in Colb. a.

[b] Observanda hic vetus Gallicanæ ecclesiæ consuetudo, sacram communionem nonnisi post peractam missam administrandi. V. Liturg. Gallic. lib. I, cap. 5.

[c] Jus asyli a primis Ecclesiæ sæculis, ex quo principes Christiani fuere, concessum ecclesiis asseruere Patres Conc. Aurelian. I, sub Chlodoveo Magno, an. 511, quod postea tum variis conciliorum canonibus, tum regum nostrorum edictis sæpius confirmatum fuit.

[d] Hoc caput deest in codd. Colb. m. et Regm., quamvis in iis recenseatur in hujus libri capitum indiculo.

[e] Sic pro *Cavellionensis* cum Chesn. al. habent Bec. et Colb. a., et quidem recte, ut jam supra observavimus ad cap. 31 lib. VIII. Editi, *Cabillonensis*. Theodorici natlvitatem Fredegarius anno sequenti consignat.

[f] Deest istud caput cum tribus sequentibus in Colb. a. et Vat.

[g] Bec. et Casin., *juniorem*.

[h] Colobium vestis erat absque manicis, quibus uti solebant Ægyptii monachi apud Cassian. lib. I Instit., cap. 5.

[i] Qui Gerundæ passus est, de quo lib. I de Gloria Mart., cap. 92.

hæc sibi vellint. Respondit quasi superbus et inflata voce : Meliorem, inquit, occursum nobis exhibere debueras. Sec hæc ego in aures Chilperici [a] regis ingeram : ille autem ulciscetur despectionem meam. Et ingressus in oratorium, me postposito, ipse capitellum unum, atque alterum, ac tertium dicit; ipse orationem profert, et ipse consummat, elevataque iterum cruce abiit. Erat enim ei et sermo rusticus, et ipsius linguæ latitudo turpis atque obscœna; sed nec de eo sermo rationabilis procedebat : qui usque Parisios accessit. His enim diebus Rogationes publicæ celebrabantur, quæ ante sanctum Dominicæ Ascensionis diem agi solent. Factum est autem, ut procedente Ragnemodo pontifice cum populo suo, et loca sancta circumeunte, ut et hic cum cruce sua adveniens, inusitatum populis exhibens indumentum, adjunctisque publicanis ac rusticis mulieribus, et iste chorum suum faceret, et quasi cum sua multitudine loca sancta circumire tentat. Hæc cernens episcopus, misit archidiaconum suum, dicens : Si reliquias sanctorum exhibes, pone eas paululum 424 in basilica, et nobiscum celebra dies sanctos; decursa autem solemnitate, proficisceris in viam tuam. At ille parvipendens quæ ab archidiacono dicebantur, cœpit episcopum conviciis ac maledictionibus prosequi. Sacerdos vero intelligens eum esse seductorem, jussit eum recludi in cellulam. Perscrutatisque cunctis quæ habebat, invenit cum eo sacculum magnum plenum de radicibus diversarum herbarum; ibique et dentes talpæ, et ossa murium, et ungues atque adipes ursinos. Vidensque hæc maleficia esse, cuncta jussit in flumen projici, ablataque ei cruce, jussit eum a termino Parisiacæ urbis excludi. Sed hic iterum facta altera cruce, cœpit quæ gesserat exercere; captusque ab archidiacono, et catenis vinctus, jussus est custodiri. Illis diebus Parisios adveneram, et ad basilicam beati Juliani martyris [b] metatum habebam. Nocte igitur insequenti erumpens miser iste de custodia, cum ipsis quibus erat nexus catenis ad antedictam basilicam sancti Juliani properat : atque in pavimento in loco quo ego stare eram solitus, ruit, ac sopore vinoque oppressus obdormivit. Nos vero ignari facti, media surgentes nocte ad reddendas Domino gratias, invenimus eum dormientem : de quo tantus fœtor [*Al.* pædor] egrediebatur, ut omnium cloacarum atque secessuum fœtores fœtor ille devicerit. Sed nec nos præ hoc fœtore in basilicam sanctam ingredi poteramus. Accedens vero unus clericorum, clausis naribus eum excitare nititur, nec potuit, ita enim erat miser madefactus vino. Tunc quatuor accedentes clerici, levantes eum inter manus, in unum angulum basilicæ projecerunt; et exhibentes aquas, abluto pavimento, resperso etiam herbulis odoratis, sic ingressi sumus explere cursum [c]: nunquam tamen nobis psallentibus potuit excitari, donec dato terris die altius solis lampas ascenderet : dehinc excusatum reddidi sacerdoti. Convenientibus autem episcopis apud urbem Parisiacam, dum hæc in convivio narraremus, 425 ipsum pro castigationis gratia adesse præcipimus. Quo astante, elevatis Amelius Beorretanæ urbis [d] episcopus oculis, cognoscit eum suum esse famulum, sibique per fugam dilapsum, et sic excusatum receptum reduxit in patriam. Multi enim sunt qui has seductiones exercentes populum rusticam in errorem ponere non desistunt : de quibus, ut opinor, et Dominus in Evangelio ait, *Consurgere* [e] *in novissimis temporibus pseudochristos, et pseudoprophetas, qui dantes signa et prodigia, etiam electos in errorem inducant* (*Matth.* XXIV, 24). De his ista sufficiant : nos potius ad propositum redeamus.

VII. Ennodius cum ducatum urbium Turonicæ atque Pictavæ administraret, adhuc et Vici Julensis atque Benarnæ [f] urbium principatum accipit. Sed euntibus comitibus Turonicæ atque Pictavæ urbis ad regem Childebertum, obtinuerunt eum a se removeri [g]. Ille vero ubi se remotum de his sensit, ad civitates superius memoratas properat; sed dum in illis commoraretur, mandatum accepit, ut se ab eisdem removeret, et sic accepto otio, ad domum suam reversus, privati operis curam gerit. Vascones vero de montibus prorumpentes [h] in plana descendunt, vineas, agrosque depopulantes, domos tradentes incendio, nonnullos abducentes captivos cum pecoribus, contra quos ejus Austroualdus dux processit [i], sed parvam ultionem exegit [*Al.* exercuit] ab eis. Gothi vero propter superioris anni devastationem, quam in Septimania regis Guntchramni exercitus fecit, in Arelatensem Provinciam proruperunt, egeruntque prædas, et captivos abduxerunt usque ad decimum ab urbe milliarium. Unum etiam castrum, Ugernum [j]

[a] Regm., *Childeberti*. Uterque rex tunc erat.

[b] De hac basilica vide supra lib. VI, cap. 17.

[c] Observanda majorum nostrorum religio in reddendis Deo laudibus debitis, statis horis, ut etiam episcopi nocte ad persolvendum solitum pensum surgerent. Sanctus Germanus Paris. epis. in itineribus capite nudo, etsi nix aut imber urgeret, *cursum dicebat*, ex Fortunato. Plura de hac re Mat illonius habet in Disquisit. de Cursu Gallicano, § 6.

[d] Varie apud varios scribitur hujus castri nomen. Bigerrones appellat Cæsar libro III Belli Gallici. Urbs gentis caput Turba, seu Tarva, olim dicebatur, hodie *Tarbes*. In veteribus Notitiis, *civitas Turba, ubi castrum Bigorra*, decimum obtinet locum in Novempopulania. Amelius subscripsit Conc. Matisc. II, an. 585.

[e] Regm., *Consurgent pseudochristi*, etc., *inducent*.

[f] Regm., *Bernanæ*, Colb. m. et Bec., *Bernarnæ*. In veteribus notitiis locum septimum occupat inter civitates Novempopulaniæ. Hodie Benearni nomine regioni relicto, vocatur *Lascura*, vulgo *Lescar*.

[g] Comites in singulis erant civitatibus, duces vero pluribus præerant. Vide supra notas ad lib. VIII, cap. 18.

[h] Vascones in Pyrenæis Alpibus habitantes post varias incursiones, inclinato Francorum regno, Novempopulaniam tandem obtinuere, a quibus et Vasconia dicta est. Vide Alteserram lib. I rerum Aquitan., cap. 16.

[i] Supra lib. VIII, cap. 45, dicitur comes.

[j] Regm., *Rigernum*. Vide supra lib. VIII, cap. 30.

nomine, cum rebus atque habitatoribus desolantes, nullo resistente regressi sunt.

VIII. Guntchramnus vero Boso cum exosus reginæ haberetur, cœpit per episcopos ac proceres discurrere, 426 et veniam misero precari [a] quam ante despexerat. Nam cum rex Childebertus esset junior, Brunichildem reginam sæpe conviciis atque improperiis lacessibat, sed et injuriis quæ ei ab adversis inferebantur, fautor exstiterat. Sed et rex ad ulciscendam injuriam genitricis, jussit eum persequi, atque interfici : ille vero cum se cerneret positum in discrimine, Viridunensem ecclesiam petiit, per Agericum prorsus episcopum, qui erat regis pater ex lavacro, veniam impetrare confidens. Tunc pontifex ad regem properat, deprecaturque pro eo : cui Rex cum negare nequiret quæ petebat, ait : Veniat coram nobis, et datis fidejussoribus in præsentia patrui [b] mei, quidquid illius judicium decreverit, exsequamur. Tunc adductus ad locum ubi rex morabatur, nudatus armis, ac per manicas tentus, ab episcopo repræsentatur regi. Ad cujus provolutus pedes, ait : Peccavi tibi ac genitrici tuæ, non obediendo præceptionibus vestris, sed agendo contra voluntatem vestram atque utilitatem publicam; nunc autem rogo, ut indulgeatis malis meis, quæ contra vos gessi. Rex autem jussit eum elevari a terra, et posuit in manu episcopi, dicens : Sit penes te, sancte sacerdos, donec in præsentiam Guntchramni regis adveniat. Et jussit eum discedere.

IX. Posthæc Rauchingus conjunctus cum proceribus regni Chlotharii filii Chilperici, confingens se quasi tractaturum de pace, ut inter terminum utriusque regni nulla intentio aut direptio gereretur, consilium habuerunt, ut scilicet interfecto Childeberto rege, Rauchingus cum Theodoberto seniore ejus filio regnum Campaniæ teneret; Ursio vero ac Berthefredus [c], juniore filio nuper genito, qui Theodoricus cognominabatur, ad se suscepto, et excluso Guntchramno rege, reliquum regni tenerent. Multa etiam contra Brunichildem reginam 427 frementes, ut eam in contumeliam redigerent, sicut prius fecerant in viduitate sua. Rauchingus ergo summa elatus potentia, et ut ita dicam, ad ipsius regalis sceptri se jactans gloriam pervenire, iter præparat ad Childebertum regem accedendi, ut consilium quod inierat posset explere. Sed pietas Domini hæc verba in aures Guntchramni regis prius imposuit. Qui missis nuntiis clam ad Childebertum regem, omnes ei molitiones has in notitiam posuit, dicens : Accelera velociter, ut videamur a nobis; sunt enim causæ quæ agi debeant. At ille diligenter inquirens quæ ei nuntiata fuerant, veraque esse cognoscens, arcessiri Rauchingum jussit. Qui cum adfuisset, priusquam eum rex suo jussisset astare conspectui, datis litteris, et pueris destinatis cum evectione publica [d], qui res ejus per loca singula deberent capere, jussit eum in cubiculum intromitti; locutusque cum eo alia ex aliis, egredi iterum de cubiculo jubet. Cumque egrederetur, a duobus ostiariis pedibus apprehensus ruit in gradibus ostii, ita ut pars corporis ejus esset intrinsecus, pars vero extrinsecus extenderetur. Tunc ii qui jussi ad hæc explenda parati erant, cum gladiis super eum ruunt, atque ita minutatim caput ejus colliserunt, ut simile totum cerebro putaretur; statimque mortuus est. Tunc denudatus, et per fenestram ejectus, sepulturæ mandatus est. Erat autem levis in moribus, ultra humanum genus cupiditati ac facultatibus inhians alienis, et ex ipsis divitiis valde superbus; intantum ut jam in ipso interitus sui tempore Chlothacharii regis filium se fateretur. Multum tamen cum eo auri repertum est. Quo interfecto, protinus unus puerorum ejus cursu veloci evolans, nuntiavit conjugi ejus quæ acta erant. Hæc vero per plateam Suessionicæ civitatis compta, grandibus ornamentis ac gemmarum pretiositatibus et auri fulgore obtecta, ascenso 428 equo, præcedentibus pueris aliisque sequentibus ferebatur; atque ad basilicam sancti Crispini Crispinianique properabat, quasi spectatura Missas : erat enim eo die passio martyrum beatorum [e]. Sed videns nuntium, per aliam plateam gressum retorquens, projectis in terram ornamentis, in basilicam sancti Medardi antistitis confugit, ibi se tutari confessoris præsidio putans. Pueri vero qui missi a rege fuerant ad requirendas res ejus, tanta in thesauris illius reperiunt, quanta nec in ipso ærario publici regesto poterant [f] inveniri, quod totum regis conspectibus præsentarunt. Nam eo die, quo hic interfectus est, erant cum rege multi Turonorum atque Pictavorum, de quibus tale fuit consilium, ut si malum hoc perficere potuissent, his subditis supplicio, dicerent quia ex vobis fuit qui regem nostrum interemit, eisque diversis supplicils trucidatis, ultores se mortis regiæ esse jactarent. Sed Deus omnipotens consilia eorum, quia iniqua erant, dissipavit, implevitque illud quod scriptum est : *Quia foveam quam fratri parabis, incides in eam* (*Eccli.* xxvii, 29). In locum tamen Rauchingi Magnoualdus dirigitur dux. Jam enim Ursio atque Berthefredus certi quod Rauchingus quæ colloqui fuerant, posset explere, collecto exercitu veniebant. Sed audientes quod scilicet tali fuisset affectus interitu, adducta adhuc secum multitudine hominum, quæ ad eos pertinere videbatur, infra castrum Vabrense [g], quod villæ Ursionis propin-

[a] Sic habent scripti et editi. Legendum tamen esse videtur, *veniam miser ab ea precari*, seu, *veniam pro misero precari ab ea quam*, aut saltem, *veniam miser precari quam*.

[b] Freh. al., *patrini*; sed nusquam hac voce utitur Gregorius ad designandum susceptorem ex baptismo.

[c] Colb. a., *Bertfredus*; et sic infra.

[d] De his Bignon. ad form. 11 lib. I Marculfi, et Altescerra in hunc locum; sed fusius Cujacius ad leg. 3 de cursu publico, lib. XII Cod.

[e] Celebratur VIII Kal. Novemb. Horum martyrum *ad memoria insigni ornamento decorata* fuit a beato Eligio, ut tradit S. Audoenus lib. II Vitæ ejus cap. 7. Rauchingi uxor prius Godino nupta fuerat, ex lib. V, cap. 3.

[f] Ed., *potuerant*; Casin., *ipso ærario publico regis tanta potuerint inveniri*.

[g] Castrum istud pago nomen dederat Nosam inter

quum erat, cum rebus omnibus se muniunt consci consilii sui, tractantes ut si rex Childebertus aliquid contra eos agere voluisset, virtute se ab ejus exercitu defensarent. Caput enim horum et causa malorum Ursio erat. Sed Brunichildis regina mandata misit Berthefredo, dicens : Disjunge te ab homine inimico [a], et habebis vitam : alioquin cum eodem interibis. Filiam enim ejus ex lavacro regina susceperat, et ob hoc 429 misericordiam de eo habere voluit. Qui ait : Nisi morte divellar ab eo, nunquam a me relinquetur [b].

X. Dum hæc agerentur, iterum misit Guntchramnus rex ad nepotem suum Childebertum, dicens ; Moræ omnes abscedant, et veni ut te videam. Est enim certæ necessitatis causa, tam pro vitæ nostræ commodo, quam pro utilitatibus publicis, ut videamur a nobis. Hæc ille audiens, assumpta matre cum sorore et conjuge, ad occursum patrui destinat [c]. Adfuit autem et Magnericus episcopus Trevericæ urbis. Venit etiam Guntchramnus Boso, quem Agericus Viridunensis episcopus sua in fide susceperat ; sed pontifex ille, qui pro eo fidem fecerat, non adfuit, quia convenerat ut absque ullius defensione regi præsentaretur, scilicet ut si ipse decerneret eum mori debere, non excusaretur a sacerdote ; sin autem ille vitam concederet, liber abiret. Sed conjunctis regibus, pro diversis facilitatibus [d] culpabilis judicatus, jussum est ut interficeretur. Quod cum ille comperisset, ad mansionem Magnerici episcopi convolavit, et clausis ostiis, segregatis ab eo clericis ac famulis, ait : Scio te, beatissime sacerdos, magnum cum regibus honorem habere, et nunc ad te confugio ut evadam. Ecce percussores ad ostium : unde manifeste scias, quod si a te non eruor, interfecto te, egrediar foras, et moriar. Manifestissime enim noveris, quia aut mors una nos occupat, aut par vita defenset. O sancte sacerdos, scio enim te patrem communem cum rege esse filio ejus, et novi quoniam quæcumque petieris ab eo, obtinebis ; nec negare omnino poterit sanctitati tuæ quæcunque poposceris. Ideoque aut impetra veniam, aut moriamur simul. Hæc autem evaginato aiebat gladio. Turbatus hoc episcopus audito, ait : Et quid faciam, si hic a te teneor ? dimitte me, ut eam et deprecer misericordiam regis, et fortassis miserebitur tui. Et ille : Nequaquam, sed transmitte abbates et creditos [e] tuos, ut hæc quæ loquor exponant. Verumtamen non hæc regi, ut erant, nuntiata sunt, sed dixerunt quod hic ab episcopo defensaretur. Unde factum est ut commotus rex 430 diceret : Si episcopus exinde egredi noluerit, pariter cum illo auctore perfidiæ pereat. Hæc audiens episcopus, direxit nuntios ad regem. Qui cum ista narrassent, ait rex Guntchramnus : Injicite ignem in domum, et si exire nequiverit episcopus, pariter concrementur. Hæc audientes clerici, effracto vi ostio sacerdotem ejiciunt foras. Tunc miserrimus cum videret se flammis validis ab utraque parte vallari, accinctus gladio accedit ad ostium. Verum ubi primum limen domus egrediens gressum foris fixit, statim unus e populo ejecta lancea, frontem ejus illisit. At ille hoc ictu turbatus, quasi amens, gladium ejicere tentans, ab astantibus ita lancearum multitudine sauciatur, ut defixis in lateribus ejus spiculis, et sustentantibus hastilibus, ad terram ruere non posset. Interfecti sunt et pauci qui cum eo erant, expositique in campo simul. Pro quibus vix obtentum fuit cum principibus, ut terræ reconderentur. Fuit autem hic in actu levis, avaritiæ inhians, rerum alienarum ultra modum cupidus, omnibus jurans, et nulli promissa adimplens. Uxor autem ejus cum filiis exsilio data est, resque illius fisco collatæ sunt. Multitudo autem auri argentique ac diversarum specierum in ejus regestis reperta est. Sed et quæ sub terra absconderat, stimulante conscientia iniquitatis suæ, non latuerunt. Ariolis ac sortibus sæpius utebatur, ex quibus futura cognoscere cupiens, remansit illusus.

XI. Rex vero Guntchramnus cum nepote suo ac reginis pacem firmavit, datis sibi invicem muneribus, ac stabilitis causis publicis, epulati sunt pariter. Laudabat enim Dominum [*Al.* Deum] Guntchramnus rex, dicens : Refero tibi maximas gratias, omnipotens Deus, qui mihi præstitisti ut videre merear filios de filio meo Childeberto. Unde non me puto usquequaque a tua Majestate relictum, qui mihi hæc præstitisti, ut videam filios filii mei. Tunc Dynamium et Lupum ducem redditos rex Childebertus recepit, Cadurcum Brunichildi reginæ refudit. Et sic cum pace et gaudio iterum atque iterum Deo gratias agentes, conscriptis pactionibus [f], 431 se remunerantes et osculantes, regressus est unusquisque ad civitatem suam.

XII. Childebertus [g] vero rex, collecto exercitu, ad locum dirigi jubet in quo Ursio ac Berthefredus inclusi metabantur. Erat enim villa in pago Vabrensi, cui imminebat mons arduus. In hujus cacumine basilicam in honore sancti ac beatissimi Martini construxit [h]. Ferebant enim ibi castrum antiquitus fuisse ;

et Mosellam sito, ad ripas Alisontiæ, Ornæ et Cari fluminum, qui pagus duos aut tres comitatus complectebatur, Scarponensem scilicet, Virdunensem et Castereiensem. Vocatur etiam nunc *le pays de Vaivre*. Vide lib. IV de re Diplomatica, num. 128. Cave etiam ne confundas hunc locum simul cum Vabrensi castro, vulgo *Vabres en Rouergue*, ubi monasterium sede episcopali auxit Joannes XXII, distractis ex Ruthenensi diœcesi aliquot parochiis.

[a] Regm., *ab homine inique*.

[b] Colb. a., *nunquam ab eo recedam*.

[c] Apud Andelaum. Vide infra, cap. 20

[d] Sic Bec. et Mor. s.; editi, *falsitatibus*.

[e] Id est fidos clericos, seu alios familiares quibus fideret.

[f] Referuntur infra cap. 20.

[g] Hoc caput et duo seqq. desunt in Vat. et Colb. a.

[h] Regm., *basilica... constructa habetur*. Hanc basilicam putat eam esse Valesius, quam Ultilaicus supra lib. VIII, cap. 15, memoratus construxisse dicitur prope Eposium, quod oppidum erat in comitatu Vabrensi.

sed nunc [*Forte* tunc] non cura [a], sed natura tantum munitum erat. In hac ergo basilica cum rebus atque uxoribus et familia se antedicti concluserant. Commoto ergo exercitu, sicut diximus, Childebertus rex illuc dirigi jubet. Verumtamen commoti homines, antequam ad eos accederent, ubicunque aut villas, aut res eorum reperire potuerunt, omnia incendio ac prædæ tradiderunt. Accedentes autem ad hunc locum, ad montem se proripiunt, et basilicam cum armis vallant. Habebant autem quasi [b] ducem tunc Godegisilum, Lupi ducis generum. Cumque eos extrahere de basilica non valerent, ignem applicare nituntur. Quod cernens Ursio, accinctus gladio, foras egressus est. Tantaque cæde hos qui obsidebant mactavit, ut quotcunque in ejus contemplationem advenissent, nullus vivens remanere possit. Ibi et Trudulfus [c] palatii regalis comes cecidit, et multi de hoc exercitu prostrati sunt. Cumque jam nullus de cæde Ursionis erueretur [d], subito percussus a quodam in femore, debilitatusque ad terram ruit, et sic super eum ruentibus aliis vitam finivit. Quod cernens Godegisilus, clamare cœpit ac dicere : Fiat nunc pax, ecce maximus inimicus dominorum nostrorum ruit : hic vero Berthefredus vitam habeat. Hæc eo dicente, cum omnis populus ad direptionem rerum, quæ in basilica adunatæ fuerant, inhiaret, Berthefredus ascenso equite ad Viridunensem urbem dirigit, ibique in oratorio quod in domo ecclesiastica erat, se tutari putans, præsertim cum et ipse pontifex Agericus in hac domo resideret. **432** Sed cum Childeberto regi nuntiatum fuisset, effugisse scilicet Berthefredum, perculsus cordis dolore, ait : Si hic mortem evaserit, non evadet Godegisilus [e] manus meas. Nesciebat tamen rex eum in domum ecclesiæ ingressum fuisse, sed quasi in regionem aliam confugisse. Tunc timens Godegisilus, commoto iterum exercitu, domum ecclesiæ armatis vallat. Sed cum eum pontifex reddere nequiret, sed defensare conaretur, ascendentes supra tectum, eum ab ipsis tegulis ac maceriis [*Al.* materiis], quibus oratorium opertum erat, illidentes, interfecerunt : ibique cum tribus famulis mortuus est. Multum ex hoc episcopus dolens, quod eum non solum defensare non potuit, verum etiam locum in quo orare consueverat, et in quo sanctorum pignora aggregata fuerant, sanguine humano pollui vidit. Misit autem Childebertus rex cum muneribus, ut a mœrore revocaretur : sed noluit consolari. Multi autem his diebus pertimescente regem, in alias regiones abscesserunt. Nonnulli etiam a primatu ducatus remoti sunt, in quorum ordinem alii successerunt.

XIII. Guntchramnus vero Baddonem, quem pro crimine majestatis superius vinctum diximus (*Lib.* VIII, *cap.* 44), in præsentiam suam venire jussit ; et transmittens usque Parisios, ait : Si eum cum idoneis hominibus Fredegundis ab hac actione qua impetitur, immunem fecerit, abscedat liber, et quo voluerit eat. Sed veniens Parisios, nullus de parte memoratæ mulieris adfuit, qui eum idoneum reddere posset. Tunc vinctus et catenis oneratus, sub ardua custodia ad urbem Cabillonensem reductus est. Sed postea intercurrentibus nuntiis, et præsertim Leudovaldo Bajocassino pontifice, dimissus ad propria rediit. Graviter tunc morbus dysentericus apud Mettensem sæviebat urbem. His diebus nos dum ad occursum regis properaremus, Wiliulfum civem Pictavum, plenum febre, hoc morbo laborantem in via offendimus, id est ad Rhemensem urbem : de qua profectus valde exinanitus, cum ad **433** urbem Parisiacam cum filio uxoris suæ venisset, apud villam Rigoialensem [f] facto testamento defunctus est ; puer vero, qui et ipse ab hoc languore tenebatur, obiit ; et sic pariter in urbis Pictavæ delati terminum, tumulati sunt. Uxor quoque ipsius Wiliulfi tertio copulatur viro, filio scilicet Bep, oleni ducis, qui et ipse duas jam, ut celebre fertur, uxores vivas reliquerat. Erat enim levis atque luxuriosus, et dum nimio ardore fornicationis arctaretur, ac relicta conjuge cum famulabus accubaret, exhorrens legitimum connubium, aliud expetebat : sic et secundæ fecit et huic, cui tertio copulatus est, ignorans quod *corruptio incorruptionem non possidebit* (*I Cor.* XV, 50).

XIV. Posthæc cum Egidius Rhemensis urbis episcopus, de illo crimine majestatis quo superius (*Cap.* 12) memorati perempti sunt, suspectus haberetur, cum magnis muneribus ad Childebertum accedens, veniam deprecatur : prius tamen sacramenta suscipiens in basilica sancti Remigii [g], ne aliquid mali in itinere pateretur ; susceptusque a rege cum pace discessit. Pacem etiam cum Lupo duce obtinuit, quem instinctu ejus de Campaniæ ducatu supra memoravimus (*Lib.* VI, *cap.* 4) fuisse depulsum. Unde rex Guntchramnus valde in amaritudinem excitatus est, eo quod ei promiserat Lupus, nunquam se cum

[a] Idem cod. Regm., *sed non structura, sed natura.*

[b] Chesn. non habet *quasi*. Godegisilum ducem laudat Fortunatus lib. I, carm. 6, sed is Gallimagni filiam duxerat. Duas forte, si idem sit, uxores habuit.

[c] Regm., *Tridulphus*. Bec., *Tridulfus*.

[d] Sic Bad., alii, *cerneretur*. Regm. autem, *cumque Ursio a nullo cæsus cerneretur*.

[e] In Colb. m. et Regm. deest *Godegisilus*.

[f] Alias Rotoialum, aut Ruolium, vulgo *Ruel*, villa regia, quam Carolus Calvus monasterio S. Dionysii contulit. Ibi hodieque villa Richeliana visitur, præclarissimis fontibus insignis, distinguenda a villa cognomine in Normannia, *Rueil*, de qua supra lib. VII, cap. 19.

[g] Regm. et Colb. m., *sancti Remedii*. Hæc basilica, quæ antea sancti Christophori dicebatur, ex Frodoardo, tumulo et crebris miraculis beatissimi Remigii Francorum apostoli illustrata et celebris facta est. Ibi sacrum Chrisma asservatur ad regum nostrorum consecrationem*; et quidem ex iis nonnulli, sicut et aliquot reginæ, ibidem inaugurati solemniter fuerunt. In ea vero basilica non solum plerique Rhemorum archiepiscopi, aut alii viri nobiles et principes, sed etiam Carolomannus Caroli M. frater, nonnulliique alii Francorum reges et reginæ sepulti sunt. Ob cujus celebritatem et prærogativas, ab annis circ. 600 archimonasterii titulo gaudet ; hodieque perseverat sub ordine sancti Benedicti et Congreg. sancti Mauri. Plura si cupis, adi Frodoardum, aut Marlot. tomo I Metropolis Rhemensis, lib. III, cap. 2 et seqq.

* Vide supra notam quam paginæ 225 subjecimus. EDIT.

eodem pacem facturum, quia fuisset regis cognitus inimicus.

XV. Igitur eo tempore in Hispania Richaredus rex, compunctus miseratione divina, convocatis episcopis religionis suæ, ait : Cur inter vos et sacerdotes illos, qui se catholicos dicunt, jugiter scandalum propagatur : et cum illi per fidem suam signa multa ostendant, vos nihil tale agere potestis [a]? Qua de re convenite, quæso, 434 simul, et discussis utriusque partis credulitatibus, quæ vera sunt cognoscamus ; et tunc aut accepta illi a vobis ratione ea credant quæ dicitis, aut certe vos ab illis veritatem agnoscentes, quæ prædicaverint vos credatis. Quod cum factum fuisset, congregatis utriusque partis episcopis, proposuerunt hæretici illa quæ sæpius ab ipsis dicta jam scripsimus. Similiter responderunt episcopi nostræ religionis ea de quibus hæreticorum partem plerumque victam libris superioribus demonstravimus ; et præsertim cum rex diceret quod nullum signum sanitatis super infirmos ab hæreticorum ostenderetur episcopis, ac in memoria replicaret qualiter, tempore genitoris sui, episcopus qui se jactabat per fidem non rectam cæcis restituere lumen, tacto cæco et cæcitati perpetuæ damnato discessisset confusus, quod nos in libro Miraculorum plenius declaravimus [b], vocavit ad se seorsum sacerdotes Dei. Quibus perscrutatis, cognovit unum Deum sub distinctione coli personarum trium, id est Patris et Filii et Spiritus sancti ; nec minorem Filium Patre Spirituque sancto, neque Spiritum sanctum minorem Patre vel Filio, sed in una æqualitate atque omnipotentia hanc Trinitatem verum Deum fateri. Tunc intelligens veritatem Richaredus, postposita altercatione, se catholicæ legi subdidit, et accepto signaculo beatæ crucis cum chrismatis unctione, credidit Dominum Jesum Christum Filium Dei æqualem Patri cum Spiritu sancto, regnantem in sæcula sæculorum. Amen. Deinde nuntios mittit ad provinciam Narbonensem, quibus narrantibus ea quæ ille gesserat, simili credulitate populus ille connecteretur [c]. Erat enim tunc temporis Arianæ sectæ episcopus Athalocus, qui ita per 435 propositiones vanas ac interpretationes falsas Scripturarum, Ecclesias Dei conturbabat, ut putaretur quod ipse esset Arius, quem projecisse in secessum exta historiographus narravit Eusebius [d]. Sed cum hæc populo sectæ suæ credere non sineret [e], et ad consentiendum ei paucorum faveret adulatio, commotus felle, ingressus in cellulam suam, inclinato super lectulum capite, nequam spiritum exhalavit. Sicque hæreticorum populus, in ipsa consistens provincia, inseparabilem Trinitatem confessus, ab errore discessit.

XVI. Posthæc Richaredus legationem ad Guntchramnum atque ad Childebertum direxit pacis gratia, ut scilicet, sicut in fide se asserebat unum, ita et charitate se præstaret unitum. Sed a Guntchramno rege repulsi sunt, dicente : Qualem mihi fidem promittere possunt, aut quemadmodum a me credi debent, qui neptem meam Ingundem in captivitatem tradiderunt, et per eorum insidias, et vir ejus interfectus est, et ipsa in peregrinatione defuncta? Non recipio ergo legationem Richaredi, donec me Deus ulcisci jubeat de his inimicis. Hæc legati audientes, ad Childebertum proficiscuntur, a quo et in pace excepti sunt, dicentes : Vult se dominus noster, frater tuus Richaredus, de hoc crimine excuere quod ei imponitur, quasi in mortem sororis vestræ fuisset conscius ; de quo, sacramento, si vultis, aut qualibet alia conditione idoneus reddi potest. Deinde datis gratiæ vestræ decem millibus solidorum, charitatem vestram habere desiderat ; et ut ille vestro utatur solatio, et vos ejus, ubi necesse fuerit, beneficiis potiamini. Hæc illis dicentibus, promiserunt Childebertus rex et mater ejus pacem et charitatem cum ipso se integre custodituros. Acceptisque ac datis muneribus, 436 addiderunt legati : Jussit etiam dominus noster ponere verbum in auribus vestris de filia sive sorore vestra Chlodosinda [f], ut ei tradatur in matrimonium, quo facilius pax quæ inter vos promittitur, confirmetur. Qui dixerunt : Promissio nostra ex hoc habilis dabitur, sed sine patrui nostri Guntchramni regis consilio hæc facere non audemus : promissum enim habemus de majoribus causis nihil sine ejus consilio agere. Accepto itaque responso redierunt.

XVII. Eo [g] anno verno tempore pluviæ validæ fuerunt, et cum jam vel arbores vel vineæ fronduissent, nix decidua cuncta operuit. Subsequenti quoque

[a] Hæc fuit omni tempore catholicos inter et hæreticos distinctio, ut primi miraculis fidem suam approbarent, quod alii præstare non poterant, ut ex Irenæo, Tertulliano, Eusebio, Cypriano, aliisque observavimus in notis ad Acta martyrum pag. 131, quo argumento utebatur Nicetius Trevirensis in epistola ad Chlodoswindam contra Arianos.

[b] Videlicet in libro de Gloria Confess. cap. 13. Vide et supra lib. II, cap. 3. De hoc colloquio Joan. Biclar. ad an. 588.

[c] Colb. a., *Qui narrantes ea.... connectitur.*

[d] Rufinus Eusebii libris Historiæ ecclesiast. duos adjecit, sed cum Gregorius aliique similes auctores Eusebii Historiam aliunde non noverant quam ex Rufini versione, totum ejus opus sub Eusebii nomine laudabant. Arii autem *interitus* describitur lib. X, cap. 14.

[e] Regin., *Sed cum hic populus sectam illius sequi nolet*, etc. Tradit Paulus Diac. Emeritensis in Vitis PP. Emerit., cap. 19, Athalocum episc. Arianum cum 12 comitibus apud Narbonam seditionem adversus Reccaredum commovisse, eorumque conatus fuisse irritos, quanquam in sui subsidium Francos advocassent. Joan. Biclar. anno 1 Reccaredi meminit victoriæ adversus Francos ab ipsius ducibus relatæ, in qua Desiderium ducem cum multis Francis interfisse memorat. Alia est, ni fallor, conjuratio Sunnæ episc. Ariani et aliorum adversus Reccaredum, quam idem Biclar. ad an. sequentem refert. Item anno Reccaredi tertio deprehensi sunt Uldila episcopus cum Gosuinta, qui eidem regi insidias tendebant, ut diximus ad cap. 1 hujus libri.

[f] Infra cap. 20 dicitur *Chlodosuinda*. Vide notas in cap. 25.

[g] Caput istud cum seq. deest in Colb.

rex, ut si, ut habet humana fragilitas, quod divina pietas non permittat, nec ille videre desiderat, contigerit domnum Childebertum, eo superstite de hac luce migrare, filios suos Theodobertum et Theodoricum reges, vel si adhuc alios ipsi Deus dare voluerit, ut plus pater sub sua tuitione et defensione recipiat, ita ut regnum patris eorum sub omni soliditate possideant; et genitricem domni Childeberti, dominam Brunichildem reginam, vel filiam ejus Chlodosuindam, germanam domni Childeberti regis, quandiu infra regionem Francorum fuerit, vel ejus reginam Faileubam [a], tanquam sororem bonam, et filias in sua tuitione et defensione, spiritali dilectione, recipiat, et sub omni honore et dignitate cum omnibus rebus earum, cum civitatibus, agris, reditibus vel cunctis titulis, et omni corpore facultatis, tam 442 quod præsenti videntur tempore possidere, quam quod adhuc, Christo præsule, juste potuerint augmentare, sub omni securitate et quiete possideant: ut si quid de agris fiscalibus, vel speciebus, atque præsidio, pro arbitrii sui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerint, fixa stabilitate in perpetuo conservetur, nec a quibuscunque voluntas illarum ullo tempore convellatur. De civitatibus vero, hoc est Burdegala, Lemovica, Cadurco, Benarno et Begorra, quas Gailesuindam [b] germanam dominæ Brunichildis, tam in dote quam in morganegiba [c], hoc est, matutinali dono, in Franciam venientem certum est acquisisse. Quas etiam per judicium gloriosissimi domni Guntchramni regis vel Francorum, superstitibus Chilperico et Sigiberto regibus, domna Brunichildis noscitur acquisisse, ita convenit, scilicet ut Cadurcum civitatem, cum terminis et cuncto populo suo domna Brunichildis de præsenti in sua proprietate percipiat. Reliquas vero civitates, ex hac conditione superius nominatas, domnus Guntchramnus dum advivit possideat, ita ut quandoque post ejus transitum in dominationem dominæ Brunichildis heredumque suorum cum omni soliditate, Deo propitio, revertantur; nec superstite domno Guntchramno, neque a domna Brunichilde, neque a filio suo Childeberto rege, filiisque suis, quolibet ingenio, vel tempore repetantur. Simili modo convenit, ut Silvanectis domnus Childebertus in integritate teneat; et quantum tertia domni Guntchramni exinde debita competit, de tertia domni Childeberti, quæ est in Rossontensi [d], domni Guntchramni partibus compensetur. Similiter convenit, ut secundum pactiones inter domnum Guntchramnum et bonæ memoriæ domnum Sigibertum initas, leudes illi, qui domno Guntchramno post transitum domni 443 Chlothacharii sacramenta primitus præbuerunt; et si postea convincuntur in parte alia tradidisse, de locis ubi commanere videntur, convenit ut debeant removeri. Similiter et qui post transitum domni Chlothacharii convincuntur domno Sigiberto sacramenta primitus præbuisse, et se in aliam partem transtulerunt, modo simili removeantur. Similiter quidquid antefati reges ecclesiis aut fidelibus suis contulerunt [e], aut adhuc conferre cum justitia, Deo propitiante, voluerint, stabiliter conservetur; et quidquid unicuique fidelium in utriusque regno per legem et justitiam redhibetur, nullum ei præjudicium patiatur, sed liceat res debitas possidere atque recipere. Et si aliquid cuicunque per interregna sine culpa sublatum est, audientia habita restauretur. Et de eo quod per munificentias præcedentium regum unusquisque usque ad transitum gloriosæ memoriæ domni Chlothacharii regis possedit, cum securitate possideat, et quod exinde fidelibus personis ablatum est, de præsenti recipiat. Et quia inter præfatos reges pura et simplex est in Dei nomine concordia illigata, convenit ut in utroque regno utriusque fidelibus, tam pro causis publicis quam privatis, quicunque voluerit ambulare, pervium nullis temporibus denegetur. Similiter convenit, ut nullus alterius leudes nec sollicitet, nec venientes excipiat. Quod si forsitan pro aliqua amissione partem alteram crediderit expetendam, juxta qualitatem culpæ excusati reddantur. Hoc etiam huic addi placuit pactioni, ut si qua pars præsentia statuta sub quacunque calliditate, tempore quocunque transcenderit, omnia beneficia, tam repromissa quam in præsenti collata, amittat, et illi proficiat qui inviolabiliter omnia suprascripta servaverit, 444 et sit de sacramentorum obligatione in omnibus absoluta. His itaque omnibus definitis, jurant partes per Dei omnipotentis nomen et inseparabilem Trinitatem, vel divina omnia ac tremendum diem judicii, se omnia, quæ superius scripta sunt, absque ullo dolo malo vel fraudis ingenio inviolabiliter servaturos. Facta pactio sub die quarto [f] kalendis Decembris, anno vicesimo sexto [*I.* anno 587] regni domni Guntchramni regis [g], domni Childeberti vero duodecimo anno.

Lectis igitur pactionibus, ait rex: Judicio Dei feriar, si de his quidquam transcendero quæ hic continentur. Et conversus ad Felicem, qui tunc nobiscum legatus advenerat, ait: Dic, o Felix, jam enim plenissime connexuisti amicitias inter sororem meam Brunichildem, et inimicam Dei et hominum Frede-

[a] Colb., *Fagileibam.*

[b] Uxor Chilperici, quæ strangulata fuit, supra lib. IV, cap. 28, ubi dicitur *Galswintha.*

[c] Cum ignota esset hæc vox exscriptoribus, eam varii varie scripsere. Regm. et Colb. m., *Morganeliba;* Colb. a., *Morgangeba;* Freh. al. et Chesn. al., *Morgangeba.* Donum erat quod die nuptiarum sponsus mane sponsæ conferebat. Ejus etymon et varias significationes ex compluribus auctoribus fusius exponit Cangius in Glossario.

[d] Colb. m. et Chesn. al., *Rosontisse;* Bec., *Rossontisse.* Forte hic designatur Ressontum Longum, *Rosson-le-Long*, vicus inter Suessionas et Vicum ad Axonam, *Vic-sur-Aisne.* Alii tamen censent hic memorari *Rossonium* in pago Bellovacensi situm, vulgo *Resson*, quod uni e novem ecclesiæ Bellovacensis archidiaconis nomen tribuit.

[e] Sic mss. omnes; editi vero, *contulerint.*

[f] Colb. m. et Regin. cum Bad., *die tertio.*

[g] Quæ sequuntur usque ad finem capitis non habentur in Colb. a. et Vat.

Quo negan'e, ego dixi : Non dubitet rex amicitiæ inter easdem custodiuntur, quæ annos plurimos sunt ligatæ. Nam certe odium, quod inter illas olim statutum est, lulat, non arescit. Utinam tu, o rex glo-. minus cum ea charitatem haberes. Nam, ognovimus, dignius ejus legationem quam xcipis. Et ille : Scias, inquit, sacerdos Dei, jus legationem suscipio, ut charitatem ne- Ch ldeberti regis non omittam. Nam ibi micitias ligare non possum, de qua sæpius mt, qui mihi vitam præsentem auferrent. licen:e, Felix ait : Pervenisse ad gloriam redo, quod Richaredus legationem ad nepo- nm di.exit (*V. sup. cap.* 16), quæ neptem Chlodosuindam, filiam fratris vestri, ei in B ſum postularet. Sed ille absque vestro con- exinde promittere voluit. Rex ait [a] : Non um enim, ut illuc neptis 445 mea ambu- ɔror sua est interfecta ; sed nec illud ratio- ɔomplacet, ut non ulciscatur mors neptis ndis. Felix respondet : Multum se exinde volunt, aut sacramentis, aut quibuslibet itionibus jusseritis; tantum vos consensum ut ei Chlodosuinda, sicut postulat, despon- x ait : Si enim nepos meus implet quæ in us conscribi voluit, et ego de his facio vo- ejus. Promittentibus nobis eum omnia im- , adjecit Felix : Deprecatur etiam pietatem ut ei solatium contra Langobardos tribua- ɛer expulsis de Italia, pars illa quam genitor C licavit vivens, ad eum revertatur; reliqua per vestrum suumque solatium imperatoris s restituatur. Respondit rex : Non, inquit, a Italiam exercitum meum dirigere, ut ult o ti tradam : gravissima enim lu s Italiam astat. Et ego : Indicastis enim nepoti vestro, regni sui episcopi in unum convenirent, lta sunt quæ debeant indagari : sed juxta linem canonum, placebat gloriosissimo ne- ro, ut unusquisque metropolis cum provin- *Ch.* comprovincialibus] suis conjungeretur : quæ irrationabiliter in regione propria lec- ıctione sacerdotali emendarentur. Quæ enim ıtat, ut in unum tanta multitudo conveniat? Ecclesiæ fides periculo ullo non quatitur, hæresis nova non surgit. Quæ erit ista necessitas, ut tanti debeant in unum conjungi Domini sacerdotes? Et ille : Sunt multa, inquit, quæ debeant discerni, quæ injuste gesta sunt, tam de incestis, quam de ipsis quæ inter nos aguntur causis. Sed præcipue illa Dei causa exstat omnibus major, ut inquirere debeatis, cur Prætextatus episcopus gladio in ecclesia fuerit interemptus. Sed et de iis qui pro luxuria accusantur debet esse discussio, ut aut victi sanctione sacerdotali debeant emendari, aut certe, si innocentes inveniuntur, publice error criminis auferatur. Tunc jussit ut in kalendis mensis quarti hæc synodus prolongaretur [b]. Et iis dictis, ad ecclesiam 446 processimus : erat enim dies illa Dominicæ Resurrectionis solemnitas [c]. Dictis igitur Missis, convivio nos ascivit, quod fuit non minus oneratum in ferculis, quam lætitia opulentum. Semper enim rex de Deo, de ædificatione ecclesiarum, de defensione pauperum sermonem habens, ridebat interdum spiritali joco delectans, addens etiam unde et nos aliquid lætitiæ frueremur. Dicebat enim et hæc verba : Utinam mihi nepos meus promissa custodiat. Omnia enim quæ habeo ejus sunt. Tamen si eum scandalizat illud, quod legatos Chlotharii nepotis mei suscipio, nunquid demens sum, ut non possim temperare inter eos, ne scandalum propagetur? Novi enim id magis incidere, quam in longius promulgare. Dabo enim Chlothario, si eum nepotem meum esse cognovero, aut duas, aut tres in parte aliqua civitates, ut nec hic videatur exhæredari de regno meo, nec huic inquietudinem præpararent quæ isti reliquero. Hæc et alia locutus, dulci nos affatu fovens ac munéribus onerans, discedere jubet, mandans ut ea semper Childeberto regi insinuentur, quæ vitæ ejus commoda fient.

XXI. Ipse autem rex, ut sæpe diximus, in eleemosynis magnus, in vigiliis atque jejuniis promptus erat. Nam tunc ferebatur Massiliam a lue inguinaria valde vastari, et hunc morbum usque ad Lugdunensem vicum, Octavum nomine, fuisse celeriter propalatum. Sed rex, ac si bonus sacerdos, providens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, jussit omnem populum ad ecclesiam convenire, et Rogationes summa cum devotione celebrari, et nihil

o Badii sic habet : *Ad quod rex cognoscens rep.tens quæ de perfidia illius audierat, mu- ilio respondit : Non est visum prudenter a i consentirem, ut illuc neptis mea, quam sin- diligere debeo, mittatur, ubi soror ejus inno- rpissima fraude vulgo prædicatur interfecta. Illud regiam decet majestatem, aut nostro ge- stum duco, ut de morte nefanda neptis meæ æ Ingundis nullam sumam vindictam aut ul- Felix autem legatus ad hoc respondit : Multa, ıisime, malivolorum hominum linguæ asserere ıæ procul sunt a veritate. Ideoque illis prius- ta facta sit inquisitio, nullam decet adhibere charedus autem se omni via, qua decet, pur- ıtus est, sive sacramentis, sive quibuscunque ltionibus jusseritis, se immunem esse ab iis iuntur a perditis hominibus, quibus doleret, ac sinceram, ut decet, inter vos viderent cha-* D *ritatem. Quapropter placeat purgationem ejus legitimam admittere, et si talis comperta fuerit, id tandem permitte, ut ei Chlodosuinda, sicut postulat, desponsetur. Rex itaque audiens tam constantem oblationem de purgatione Richaredi facienda, consideransque si innocens esset eorum, quæ ipsi tunc objiciebantur, ea quæ a Richaredo postulabantur, essent regno utilia, nepti honorifica, et ita nequaquam respuenda, cœpit animum flectere ac dixit : Si modo vera sunt quæ dicis, et Richaredus* [legendum puto, *Childebertus*] *nepos meus implet quæ in pactionibus conscribi voluit*, etc.

[b] Nulla usquam synodi hujus mentio occurrit; hinc dubitare licet an fuerit unquam coacta.

[c] In Bad., omissis intermediis, hæc cum media parte capitis sequentis sic junguntur : *Solemnitas, ob quam omnia devotius, et cum majore charitate transacta sunt; et quasi religiose fieret quidquid a rege fiebat, eodem tempore ita gestum est. Per triduum*, etc.

aliud in usu vescendi, nisi panem hordeaceum cum aqua munda assumi, vigiliisque adesse instanter omnes jubet : quod eo tempore ita gestum est. Per triduum enim, ipsius eleemosynis largius solito præcurrentibus, ita de cuncto populo formidabat, ut jam hinc non rex tantum, sed etiam sacerdos Domini putaretur, totam spem suam in Domini miserationem transfundens, et in ipso jactans cogitationes, quæ ei superveniebant, 447 a quo eas effectui tradi tota fidei integritate putabat. Nam celebre tunc a fidelibus ferebatur, quod mulier quædam, cujus filius quartano typo gravabatur et in strato anxius decubabat, accessit inter turbas populi usque ad tergum regis, abruptisque clam regalis indumenti fimbriis in aquam posuit filioque bibendum dedit, statimque restincta febre sanatus est. Quod non habetur a me dubium, cum ego ipse sæpius larvas [a] energia famulante nomen ejus invocantes audierim, ac criminum proprio-rum gesta, virtute ipsius discernente, fateri.

XXII. Nam [b] sicut superius diximus, Massiliensis urbs contagio pessimo ægrota, quanta sustinuerit, altius replicare placuit. Illis enim diebus Theodorus episcopus [c] ad regem abierat, quasi aliquid contra Nectium patricium suggesturus. Sed cum a rege Childeberto minime de hac causa fuisset auditus, ad propria redire disposuit. Interea navis ab Hispania una cum negotio solito ad portum ejus appulsa est, quæ hujus morbi fomitem secum nequiter deferebat : de qua cum multi civium diversa mercarentur, eux confestim domus, in qua octo animæ erant, hoc contagio interfectis habitatoribus, relicta est vacua. Nec statim hoc incendium luis per domos spargitur totas : sed interrupto certi temporis spatio, ac velut in segetem flamma accensa, urbem totam morbi incendio conflagravit. Episcopus tamen urbis accessit ad locum, et se infra basilicæ sancti Victoris [d] septa continuit cum paucis qui tunc cum ipso remanserant, ibique per totam urbis stragem orationibus ac vigiliis vacans Domini misericordiam exorabat, ut tandem, cessante interitu, populo liceret in pace quiescere. 448 Cessante vero hac plaga mensibus duobus, cum jam populus securus redisset ad urbem, iterum succedente morbo, qui redierant sunt defuncti : sed et multis vicibus deinceps ab hoc interitu gravata est.

XXIII. Agericus vero Viridunensis episcopus, cum ex illo diuturnæ amaritudinis felle graviter ægrotaret, pro eo quod Guntchramnus Boso, pro quo fidejussor exstiterat, interfectus esset; vel etiam abdita amaritudine, quod Berthefredus infra oratorium domus ecclesiasticæ fuerat interfectus, et præsertim cum ipsos Guntchramni filios secum retinens quotidie fleret, dicens : In meo vos odio orphani relicti estis; his accensus, ut diximus, causis, fellis amaritudine aggravatus, et maxime forti inedia consumptus, diem obiit [e], appositusque est in sepulcro. Buciovaldus quoque abbas ejus pro episcopatu cucurrit, sed nihil obtinuit. Charimerem enim referendarium cum consensu civium regalis decrevit auctoritas fieri sacerdotem, Buciovaldo abbate postposito. Ferebant enim hunc esse superbum, et ob hoc a nonnullis Bucsovalidus vocitabatur. Obiit autem et Licerius Arelatensis episcopus, in cujus ecclesiam Virgilius abbas Augustodunensis, opitulante Syagrio episcopo, substitutus est [f].

XXIV. Obiit autem et Dentherius [g] Vinciensis episcopus, in cujus locum Fronimius subrogatus est. Hic autem Fronimius Biturigæ urbis incola fuit, sed causa nescio qua in Septimaniam abiit; ac post mortem Athanagildi regis a Leuvane successore ejus magnifice est receptus, atque in urbe Agathensi episcopus ordinatus est. Sed post mortem Leuvanis cum Leuvichildus 449 in illa hæreticæ pravitatis perfidia grassaretur, et Ingundis filia Sigiberti regis, cujus supra meminimus (*Lib.* v, *cap.* 39, etc.), in Hispaniam ad matrimonium duceretur, audivit Leuvichildus, quasi hic episcopus ei consilium dedisset, ut nunquam se veneno hæreticæ credulitatis deberet admiscere; et ob hoc semper ei molestus injuriarum laqueos intendebat, quousque eum ab episcopatu dejiceret. Cumque non inveniret quibus eum municipulis posset innectere, ad extremum emisit qui eum gladio deberet appetere. Quod ille per internuntios cognoscens, relicta urbe Agathensi, in Gallias advenit, ibique a multis episcopis receptus ac muneratus, ad Childebertum regem pertransiit. Sicque

[a] Idest energumenos sive dæmoniacos. Narrat Paulus Diac. lib. IV Hist. Langob., cap. 35, ejusdem regis visionem, qua thesaurum invenit, quo postea ad exornandum sancti Marcelli sepulcrum usus est. Vide et Aimoin. lib. III, cap. 3.

[b] Hoc caput et quatuor subsequentia desunt in Colb. a. In Vat. autem cum 3 seqq.

[c] Mss. duo, *Theodorus ad regem*, omissa hac voce *episcopus*.

[d] De sancto Victore Massiliensi mart. agit item Gregorius lib. I de Glor. Mart., cap. 77.

[e] Sancti Agerici festum celebratur die 1 Decembris. Laudatur a Fortunato lib. III, carm. 27 et 28. Sepultus est Verodani in oratorio sancti Martini a se exstructo, quod nunc ab ipso sancti Agerici appellatur, cum monasterio ei adjuncto, ordinis sancti Bened. quod abbate regulari gaudet, ex congreg. sancti Vitoni.

[f] Inter utrumque Saxius Paschasium locat, qui brevissimo temporis intervallo sedit; et quidem in veteribus Nicetychis Arelatensis ecclesiæ a nostro Mabillonio editis tomo III Analect. Paschasius eodem ordine recensetur. Virgilium autem ex abbate Lirinensi episcopum fuisse creatum idem auctor contendit, ex ipsiusmet Virgilii Vita. Sed potior videtur Gregorii auctoritas, qui Virgilio synchronus fuit : unde Barralis, qui ejus Vitam edidit in Chronologia Lirinensi, ipsum ex monacho Lirinensi abbatem Augustodunensem, ex abbate vero Arelatensem episcopum fuisse memorat. Virgilio complures epistolas scripsit Gregorius Magnus. De eo Bollandiani die 5 Martii, quo apud Lirinenses festum ejus celebratur, Arelate vero die 7 Octobris.

[g] Bec., *Deotharius*; Colb. m. et Regm., *Deotherius*. Interfuit Concilio Aurelian. IV, an. 541, aliisque intermediis, ad an. 585, quo ipsius missus Matisc. II interfuit cum Fronimio ipsius successore, qui subscripsit inter episcopos, qui sedem non habebant.

patefacto loco, apud supradictam urbem, potestatem pontificalem nono dejectionis suæ anno, rege largiente, suscepit.

Britanni eo anno graviter territorium Namneticum Rhedonicumque prædæ subjecerunt, vindemiantes vineas, culturas devastantes, ac populum villarum abducentes captivum, nihilque de promissis superioribus custodientes, et non solum non custodientes promissa, verum etiam detrahentes regibus nostris.

XXV. Igitur Childebertus rex cum petentibus Langobardis sororem suam regi [a] eorum esse conjugem, acceptis muneribus, promisisset; advenientibus Gothorum legatis ipsam, eo quod gentem illam ad fidem catholicam conversam fuisse cognosceret, repromisit [b], ac legationem ad imperatorem direxit, ut quod prius non fecerat [c], nunc contra Langobardorum gentem debellans cum ejus consilio eos ab Italia removeret; nihilominus et exercitum suum ad regionem ipsam capessendam direxit. Commotis ducibus cum exercitu illuc abeuntibus, **450** confligunt pariter: sed nostris valde cæsis, multi prostrati, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam lapsi vix in patriam redierunt. Tantaque ibi fuit strages de Francorum exercitu, ut olim similis non recolatur.

XXVI. Anno quoque quarto decimo Childeberti regis Ingoberga regina, Chariberti quondam relicta, migravit a sæculo, mulier valde cauta [d] ac vita religiosa prædita, vigiliis et orationibus atque eleemosynis non ignava: quæ, credo, per providentiam Dei commonita, ad me usque nuntios dirigens, ut in his quæ de voluntate sua, id est pro animæ remedio cogitabat, adjutor existerem; sic tamen ut ad ipsam accedens, quæ consilio habito fieri decernebat, scriptura connecteret. Accessi, fateor, vidi hominem timentem Deum: quæ cum me benigne excepisset, notarium vocat, et habito, ut dixi, mecum consilio, quædam ecclesiæ Turonicæ et basilicæ sancti Martini, quædam Cenomannicæ ecclesiæ delegavit; ac post paucos menses [e], subitanea ægritudine fatigata, migravit a sæculo, multos per chartulas [f] liberos derelinquens, septuagesimo, ut arbitror, vitæ anno, relinquens filiam unicam, quam in Cantia regis cujusdam filius [g] matrimonio copulavit.

XXVII. Amalo quoque dux dum conjugem in aliam villam pro exercenda utilitate dirigit, in amorem puellulæ cujusdam ingenuæ ruit. Et facta nocte crapulatus a vino misit pueros, ut detrahentes puellulam, eam toro ejus ascirent. Illa quoque repugnante, et violenter in ejus mansionem deducta, dum eam alapis cædunt, sanguinis unda ex narium meatibus decurrente perfunditur. Unde factum est ut ipse quoque stratus ducis antedicti hoc rivo cruentaretur, **451** quam et ipse pugnis, colaphis, aliisque ictibus verberatam in ulnam suscepit, et statim oppressus somno dormire cœpit. At illa extensa manu trans caput viri gladium reperit: quo evaginato, caput ducis, velut Judith Holofernis, ictu virili libravit. Illo quoque voces emittente, concurrunt famuli. Quam cum interficere vellent, exclamavit ille, dicens: Ne faciatis, quæso. Ego enim peccavi, qui vim castitati inferre conatus sum. Nam hæc quæ pudicitiam studuit conservare, omnino non pereat. Hæc dicens, spiritum exhalavit. Cumque super eum familia conjuncta lamentaretur, adjutorio Dei eruta puella domum egreditur, et per noctem Cabillonensem urbem adiit, quæ est sita ab eo loco quasi milia [h] triginta quinque: ibique basilicam sancti Marcelli ingressa, regis prostrata pedibus, cuncta quæ pertulerat pandit. Tunc rex misericordissimus non solum ei vitam donavit, verum etiam præceptionem tribui jussit, ut in verbo suo posita, a nullo unquam parentum defuncti illius in aliquo molestiam pateretur. Verumtamen hoc Deo præstante cognovimus, quod puellæ castitas non est ab ereptore sævo [*Al.* suo] nillatenus violata.

XXVIII. Brunichildis [i] quoque regina jussit fabricari ex auro ac gemmis miræ magnitudinis clypeum, ipsumque cum duabus pateris ligneis, quas vulgo bacchinon [j] vocant, eisdemque similiter ex gemmis fabricatis et auro, in Hispaniam regi mittit: in qua Ebregisilum, qui sæpe ad ipsam regionem legationis gratia accesserat, direxit. Quo abeunte, nuntiatum est regi Guntchramno, dicente quodam, quia Brunichildis regina ad filios Gundovaldi [k] munera dirigit. Quod rex audiens, jussit custodias arduas per vias regni sui fieri, ita ut nullus penitus præterire possit, qui non discuteretur. Inquirebant etiam in hominum

[a] Is erat Autharis, Gregorio nostro infra lib. x, cap. 3, *Aptacharius*, qui postea duxit uxorem Theodelindam, Garibaldi Bajoariorum ducis seu regis filiam, ut pluribus prosequitur Paulus Diac. lib. III de Gestis Langob., cap. 31. Ad eam complures exstant Gregorii M. epistolæ.

[b] Hæc fuit Chlodosuinda, quæ neutri regi nupsit, uti videtur; aut saltem paulo post nuptias cum Reccaredo contractas obiisse dicenda est. Etenim Reccaredus cum Baddone regina uxore sua, æra 627, anno regni sui 4, subscripsit professioni fidei catholicæ. Hinc conjicere licet Reccaredum pertæsum, quod toties a Francis repulsam passus fuisset, aliquam e suis popularibus uxorem accepisse. Et quidem Liuba ejus filius et successor *ignobili matre* genitus dicitur in Isidori Chronico æra 639.

[c] Huc revocandum quod Gregorius ea de re scripsit supra lib. VI, cap. 42. De hac vero legatione agetur fusius lib. X, cap. 2 et seqq. Confer et cap. 30 lib. III Hist. Lang. Pauli Diac., ubi Francorum stragem iisdem pene verbis ac Gregorius noster exprimit, ejus verba laudans sub nomine *Historiæ Francorum*.

[d] Regm. cum ed., *cordata*.

[e] Colb. m., *paucos dies*. Ingobergam aliquid ecclesiæ sanctæ Mariæ Cenomannensi dimisisse testis est Bertramnus ejusdem urbis episc. in suo testamento, tom. III Analect., pag. 114.

[f] Ejus rei formulam habes apud Marculf. lib. II, cap. 33.

[g] Ethelbertus scilicet, vide supra lib. IV, cap. 26.

[h] Colb. a., *millia quindecim*.

[i] In Vat. et Colb. a. caput istud et sequens desunt.

[j] Colb. m., *basechinon*; Regm., *bachinon*. Teutonice *becken*, Gallice vero dicimus *bassin*.

[k] Ejus scilicet, qui esse filium Chlotharii dicens, occisus est, supra lib. VII, cap. 38.

vel vestimentis, vel calciamentis, **452** aut in reliquis rebus, si occulte litteræ portarentur. Ebregisilus vero Parisios accedens cum his speciebus, ab Ebrachario duce comprehensus, ad Guntchramnum deducitur. Dixitque ei rex : Non sufficit, o infelicissime hominum, quod impudico consilio Ballonerem illum, quem Gundovaldum vocitatis, ad conjugium arcessistis, quem manus mea subegit, qui voluit ditioni suæ regni nostri superare [a] potentiam; et nunc filiis ejus munera mittitis, ut ipsos iterum in Gallias provocetis ad me jugulandum? Ideoque non accedes quo volueris, sed morte morieris, quia contraria est legatio tua genti nostræ. Illo quoque recusante, non se his verbis esse communem, sed potius ad Richaredum, qui Chlodosuindam sororem Childeberti regis sponsare debuerat, hæc munera mitti, credidit rex loquenti, et dimisit eum; abiitque in itinere quo directus fuit cum ipsis muneribus.

XXIX. Igitur Childebertus rex invitante Sigiberto [b] Momociacensis oppidi sacerdote, dies Paschæ ad supradictam celebrari statuit urbem. Graviter tunc Theodobertus filius ejus senior, gulæ afflictus tumore laboravit, sed convaluit. Interea Childebertus rex exercitum commovet, et in Italiam ad debellandam Langobardorum gentem, cum eisdem pergere parat. Sed Langobardi his auditis, legatos cum muneribus mittunt, dicentes : Sit amicitia inter nos, et non pereamus, ac dissolvamus certum ditioni tuæ tributum. Ac ubicunque necessarium contra inimicos fuerit, ferre auxilium non pigebit. Hæc Childebertus rex audiens, ad Guntchramnum regem legatos dirigit, qui ea quæ ab his offerebantur, in ejus auribus intimarent. Sed ille non obvius de hac conniventia [c], consilium ad confirmandam pacem præbuit. Childebertus vero rex jussit exercitum in loco residere : misitque legatos ad Langobardos, **453** ut si hæc quæ promiserant confirmarent, exercitus reverteretur ad propria; sed minime est impletum.

XXX. Childebertus vero rex descriptores in Pictavos, invitante Maroveo episcopo, jussit abire, id est Florentianum majorem domus regiæ [d], et Romulfum palatii sui comitem, ut scilicet populus censum, quem tempore patris reddiderat, facta ratione innovaturæ [e], reddere deberet. Multi enim ex his defuncti fuerant et ob hoc viduis, orphanisque ac debilibus tributi pondus insederat : quod hi discutientes per ordinem, relaxantes pauperes ac infirmos illos, A quos justitiæ conditio tributarios dabat, censu publico subdiderunt, et sic Turonis sunt delati. Sed cum populis tributariam functionem infligere vellent, dicentes quia librum præ manibus haberent, qualiter sub anteriorum regum tempore dissolvissent, respondimus nos, dicentes : Descriptam urbem Turonicam Chlothacharii regis tempore manifestum est, libriique illi ad regis præsentiam abierunt; sed compuncto per timorem sancti Martini antistitis rege, incensi sunt. Post mortem vero Chlothacharii regis, Chariberto regi populus hic sacramentum dedit; similiter etiam et ille cum juramento promisit, ut leges consuetudinesque novas populo non infligeret, sed in illo quo quondam sub patris dominatione statu vixerant, in ipso hic eos deinceps retineret; neque ullam novam B ordinationem se inflicturum super eos, quod pertineret ad spolium, spopondit. Galso vero comes ejusdem temporis accepto capitulario, quod anteriores scriptores fecisse commemoravimus, tributa cœpit exigere : sed ab Eufronio episcopo prohibitus, cum exacta pravitate ad regis direxit præsentiam, ostendens capitularium in quo tributa continebantur. Sed rex ingemiscens, ac metuens virtutem sancti Martini, ipsum incendio tradidit : aureos exactos basilicæ sancti Martini remisit, obtestans ut nullus de populo **454** Turonico ullum tributum publico redderet. Post cujus obitum Sigibertus rex hanc urbem tenuit, nec ullius tributi pondus invexit. Sic et nunc quarto decimo anno Childebertus post patris obitum regnans, nihil exegit, nec ullo tributi onere hæc urbs aggra- C vata congemuit. Nunc autem potestatis vestræ est, utrum censeatis tributum, an non : sed videte ne aliquid noceatis, si contra ejus sacramentum ambulare disponitis. Hæc me dicente responderunt : Ecce librum præ manibus habemus, in quo census huic populo est inflictus. Et ego aio : Liber hic a regis thesauro delatus non est, nec unquam per tot convaluit annos. Non est mirum enim si pro inimicitiis horum civium, in cujuscunque domo reservatus est. Judicabit enim Deus super eos, qui pro spoliis civium nostrorum hunc post tanti temporis transactum spatium protulerunt. Dum autem hæc agerentur, Audini filius, qui librum ipsum protulerat, ipsa die a febre correptus, die tertia exspiravit. Postbæc nos transmisimus nuntios ad regem, ut quid de hac causa D juberet, mandata remitteret. Sed protinus epistolam cum auctoritate [f] miserunt, ne populus Turonicus pro reverentia sancti Martini describeretur. Quibus

[a] Regm., *subjugare potentiam.*

[b] Sic mss. præter Bec. qui cum editis ante Chesn. habet *Sigimundo.* Chesnius utramque lectionem exhibet. Non minor est de sedis ejus nomine difficultas. Bad. habet *Noviociacensis;* Regm., *Noviomensis:* quæ lectio si sincera sit, nulla superest difficultas. Valesius et Cointius legendum esse existimant *Moguntiacensis.* Nihil lucis huic difficultati affulget ex vulgatis episcoporum Moguntinorum seu Noviomensium catalogis. Sidonius circa illa tempora ecclesiam Moguntinam regebat ex Fortunato lib. IX, carm. 9, sed jam tunc forte obierat, ut censet Cointius, qui ipsi Gregorii nostri Sigimundum, seu Sigibertum, sive etiam, uti eum appellat Serarius, Wilibertum successisse scribit. Thaumastus seu Theomastus *Momociacensis* item episcopus laudatur in lib. de Glor. Confess., cap. 53.

[c] Casin., *convenientia.*

[d] Colb. a. *Domus Reginæ.* Regm. vero Romulfum *palatii viceconitem*, appellat. De his vide lib. IV Mirac. sancti Martini cap. 6, et Fortunat. lib. X, carm. 16 et 18.

[e] Editi aliquot cum Bec. *innovata re.*

[f] Auctoritas diploma, seu præceptum regium erat, quod ceteris præstabat, ideoque, uti videtur, manu regis subscriptum, ac ipsius annulo sigillatum, uti colligitur ex epist. S. Radegundis infra cap. 42. Vide Bignonii notas in lib. I Marculfi Form. 4.

relectis, statim viri qui ad hæc missi fuerant, ad patriam sunt regressi.

XXXI. Guntchramnus [a] vero rex exercitum commovit in Septimaniam [b]; Austrovaldus autem dux prius Carcassonam accedens sacramenta susceperat, ipsosque populos ditioni subegerat regiæ. Rex autem ad reliquas civitates capiendas Bosonem cum Antestio destinavit. Qui accedens cum superbia, despecto Austrovaldo duce, atque condemnato, cur absque eo Carcassonam ingredi præsumpsisset, ipse cum Santonicis, Petragoricis, Burdegalensibusque, Agennensibus etiam ac Tolosanis illuc direxit [perrexit]. Cumque in hac jactantia ferretur, et Gothis hæc nuntiata fuissent, paraverunt se in insidiis. Hic vero super fluvium parvulum **455** propinquum urbi castra ponit, epulis insedit, ebrietatibus incumbit, conviciis et blasphemiis Gothos exaggerans. Illique irruentes super ipsos, reperiunt epulantes inopinantesque. Tunc hi dantes voces, exsurgunt contra eos. At illi paululum resistentes, fugam simulant, prosequentibusque istis consurgunt qui præparati erant de insidiis, concludentesque eos in medio, usque ad internecionem ceciderunt. Qui autem evadere potuerunt, vix equite [*Al.* equo] ascenso [c] per fugam dilapsi sunt, omnem supellectilem relinquentes in campi planitie, nihilque secum de rebus propriis auferentes, hoc pro magno ducentes si vel vita donarentur. Insequentes autem Gothi res eorum omnes reperiunt, diripiuntque, pedestres omnes captivos abducentes : ceciderunt que ibi quasi quinque millia virorum; captivi autem amplius quam duo millia abierunt. Multi tamen ab his laxati, redierunt in patriam.

XXXII. Commotus autem rex vias claudi per regnum suum præcepit, ne ullus de Childeberti regno per ejus regni territorium pervium posset habere, dicens : Quia per nequitiam ejus, qui cum rege Hispaniæ fœdus iniit, exercitus corruit meus, et ut se non subdant urbes illæ ditioni meæ, ejus hoc immissio facit. Additum est etiam huic causæ aliud amaritudinis incendium, quod Childebertus rex filium suum seniorem, Theodobertum nomine, Suessionas dirigere cogitabat : quæ res suspicionem fecerat Guntchramno regi, dicente eo : Quia in hoc filium suum nepos meus Suessionas dirigit, ut Parisios ingredi faciat, regnumque meum auferre cupiat : quod nunquam Childebertus vel in cogitatione, si dici fas est, habere potuit. Multa autem et in Brunichildem

A reginam opprobria jactabat, dicens ejus consilio hæc a filio fieri, addens etiam quod Gundovaldi quondam filium invitatum conjugio copulare vellet. Unde etiam synodum **456** episcoporum in kalendis Novembribus congregari præcepit. Multique de extremis partibus Galliarum ad hunc conventum properantes, de via regressi sunt, pro eo quod Brunichildis regina se ab hoc crimine exuit sacramentis : et sic viis iterum reseratis, pervium patefecit volentibus ad regem Childebertum accedere.

XXXIII. His diebus Ingeltrudis, quæ monasterium in atrio sancti Martini statuerat [d], ad regem quasi filiam accusatura processit : in quo monasterio Berthefledis, filia quondam Chariberti regis, residebat. Sed ista egrediente, hæc in Cenomannicum [e] est ingressa. Erat enim gulæ et somno dedita, et nullam de officio Dei curam habens. Negotium vero Ingeltrudis et filiæ ejus altius repetendum puto. Igitur ante hos annos cum Ingeltrudis monasterium puellarum infra atrium sancti Martini, ut diximus, collocare cœpisset, filiæ suæ mandata mittit, dicens : Relinque virum tuum, et veni ut faciam te abbatissam gregi huic quem congregavi. At illa, audito levitatis consilio, cum viro Turonis advenit; ingressaque monasterium matris, dicebat viro : Regredere hinc, et guberna res liberosque nostros, nam ego non revertar tecum. Non enim videbit regnum Dei conjugio copulatus. Ille vero ad me veniens, nuntiavit mihi omnia quæ a conjuge audierat. Tunc ego accedens ad monasterium, canonum Nicænorum decreta relegi, in quibus continetur : *Quia si quæ* [f] *reliquerit virum, et torum in quo bene vixit spreverit, dicens : Quia non sit ei portio in illa cœlestis regni gloria qui fuerit conjugio copulatus, anathema sit.* Quibus auditis Berthegundis metuens ne a sacerdotibus Dei communione privaretur, egressa monasterium, rediit cum viro suo. Interpositis autem tribus vel quatuor annis, iterum mandata mittit ad eam mater, deprecans eam ad se accedere. At illa oneratis navibus **457** tam de rebus propriis, quam viri sui, assumpto secum uno filio, viro absente, Turonis est appulsa. Sed cum a matre propter improbitatem viri retineri non posset, scilicet ne calumniam quæ ejus dolo fabricata fuerat exciperet, ad Bertchramnum germanum ejus, filium videlicet suum, Burdegalensis urbis episcopum, eam direxit. Prosequente igitur eam viro ejus dicebat : Quia sine consilio parentum eam con-

[a] In Vat. et Colb. a. desideratur hoc caput simul cum duobus sequentibus.

[b] Regm. *Hispaniam*. At cum Septimania Wisigothorum regibus in Hispania pareret, non semel alias a Gregorio dicitur *Hispania*.

[c] Regm., *equitibus ascensis*. Ed., *equo ascenso*. Hoc in prælio Francos ad sexaginta millia profligatos fuisse affirmat Isidorus in Chronico, æra 624, ubi ait nullam unquam ista majorem victoriam a Gothis reportatam fuisse. Idem habet Joannes Biclarensis in Chronico. Reccaredi exercitus ductor erat Claudius dux Lusitaniæ, cui sanctus Gregorius M. Cyriacum monachum commendavit. Eumdem, ejusque in Septimaniam primum, et exinde in Franciam expeditionem laudat Paulus Diaconus in lib. de Vitis Patrum Emeritensium.

[d] Hoc monasterium intra sancti Martini septa diu stetit, sanctæ Mariæ de Scriniolo dictum; at circa sæculi undecimi initium ab Herveo thesaurario translatum est in vicinum collem, qui ob situs amœnitatem, gratumque prospectum Bellusmons appellatur, ubi hodieque visitur, sancti Benedicti Regulæ addictum.

[e] Regm., *Cenomannicum monasterium*; aliquot editi cum Bec., *regressa*.

[f] Regm., *Si quæ mulier uxorata reliquerit*. Videtur esse canon 14 conc. Gangrensis, quod concilium veteres Nicæno subjungere solebant; idque indicat titulus in veteribus scriptis.

jugio copulasti, non erit uxor tua. Erant enim jam fere triginta anni, ex quo conjuncti pariter fuerant. Adiit enim vir ejus plerumque urbem Burdegalensem; sed noluit eam episcopus restituere. Cum autem rex Guntchramnus ad Aurelianensem urbem, sicut in superiore libro memoravimus [a], advenisset, ibi eum acrius hic vir impugnare verbis cœpit, dicens : Abstulisti uxorem meam cum famulis ejus. Et ecce, quod sacerdotem non decet, tu cum ancillis meis, et illa cum famulis tuis dedecus adulterii perpetratis. Tunc furore commotus rex, astrinxit episcopum, ut polliceretur eam reddere viro, dicens : Quia parens mea hæc est : si quidquam mali exercuit in domo viri sui, ego ulciscar; sin aliud, cur sub omni deformitate redactus vir [b] conjux ejus auferatur? Tunc Bertchramnus episcopus pollicitus est, dicens : Venit ad me, fateor, soror mea post multorum annorum curricula, quam pro charitatis ac desiderii studio tenui mecum ut libuit. Nunc autem recessit a me; requirat nunc eam, revocetque quo voluerit; me obvium non habebit. Et hæc dicens, misit clam nuntios ad eam, mandans ut, veste mutata ac pœnitentia accepta, basilicam sancti Martini expeteret : quod facere illa non distulit. Venitque vir ejus cum multis insequentibus viris, ut eam ex ipso loco sancto ejiceret. Erat enim in veste religiosa, asserens se accepisse pœnitentiam [c]. Sed virum sequi despexit. Interea defuncto apud Burdegalensem urbem Bertchramno episcopo, hæc ad se reversa ait : Væ mihi quæ audivi consilium matris iniquæ! Ecce frater meus obiit, **458** ecce a viro derelicta sum, a filiis separata : et quo ibo infelix, vel quid faciam? Tunc habito consilio Pictavum pergit, voluitque eam mater retinere secum, sed penitus non potuit. Ex hoc inimicitia orta, dum sæpius regis præsentiam adeunt, et hæc res patris defensare cupiens, hæc viri, Berthegundis donationem Bertchramni germani sui ostendit, dicens : Quia hæc et hæc mihi germanus meus contulit. Sed mater ejus non admittens donationem, omnia sibi vindicare cupiens, misit qui effracta domo ejus omnes res illius cum hac donatione diriperet : unde seipsam genitrix reddidit comprobatam, cum de rebus ipsis insequenti filiæ quædam repetenti districta restituit. Sed cum sæpius ego, vel frater noster Maroveus episcopus, acceptis regalibus epistolis, ut eas pacificare deberemus, Berthegundis advenit Turonis; in judicium quoque accedentem coegimus eam, inquantum potuimus, rationem sequi, mater vero ejus flecti non potuit. Tunc accensa felle, ad regem abiit, quasi filiam exhæredem datura de facultate paterna. Ac in præsentia regis exponens causas, filia absente, judicatum est ei ut quarta parte filiæ restituta, tres cum nepotibus suis, quos de filio uno habebat, reciperet : in qua causa Theutharius presbyter, qui nuper ex referendario Sigiberti regis conversus, presbyterii honorem accepit, accessit, ut hanc divisionem juxta regis imperium celebraret. Sed resistente filia, nec divisio facta, nec scandalum resedatum est [d].

XXXIV. Rigunthis autem filia Chilperici, cum sæpius matri calumnias inferret, diceretque se esse dominam, genitricemque suam servitio redhiberi, et multis eam et crebro conviciis lacessiret, ac interdum pugnis se alapisque cederent, ait ad eam mater : Quid mihi molesta es, filia? Ecce res patris tui, quæ penes me habentur, accipe, et utere eis ut libet. Et ingressa in regestum reseravit arcam monilibus ornamentisque pretiosis refertam : de qua cum diutissime res diversas extrahens **459** filiæ astanti porrigeret, ait ad eam : Jam enim lassata sum. Immitte tu, inquit, manum, et effice quod inveneris. Cumque filia immisso brachio res de arca abstraheret, apprehenso mater operiorio arcæ super cervicem ejus illisit. Quod cum in fortitudine premeret, atque gulam ejus axis inferior ita attereret, ut etiam oculi ad crepandum parati essent, exclamavit una puellarum quæ erat intrinsecus voce magna, dicens : Currite, quæso, currite : ecce domina mea a genitrice sua graviter suffocatur. Et irrumpentes cellulam, qui coram foribus eorum præstolabantur adventum, erutam [e] ab imminenti interitu puellam eduxerunt foras. Post ista vero inter easdem inimicitiæ vehementius pullulantes, et non de alia causa maxime, nisi quia Rigunthis adulteria sequebatur, semper cum eisdem rixæ et cædes erant.

XXXV. Beretrudis [f] vero moriens filiam suam hæredem instituit, relinquens quæpiam vel monasteriis puellarum quæ ipsa instituerat, vel ecclesiis sive basilicis confessorum sanctorum. Sed Waddo, cujus in superiore libro meminimus [g], querebatur a genero ejus equos suos fuisse direptos : cogitavitque accedere ad villam ejus unam, quam reliquerat filiæ, quæ infra Pictavum terminum erat, dicens : Hic a regno alterius veniens diripuit equos meos, et ego auferam villam ejus. Interea mandatum mittit agenti [h], ut se adveniente omnia quæ erant ad expensam ejus necessaria, præpararet. Quod ille audiens, conjunctis secum hominibus ex domo illa

[a] Lib. VIII, cap. 1 et 2, ubi Guntramnus Bertramnum sibi ex *matre parentem* agnoscit, quod Ingeltrudis, ut censet Valesius, quæ Bertramni mater erat, soror fuerit Ingundis et Aregundis Chlotarii I uxorum, proindeque Guntramni matertera.

[b] Sic Colb. m. et Bec. Editi, *redacta viro*. Regm., *redactus vir conjux ei auferatur?*

[c] Post susceptam quippe pœnitentiam ad sæculi illecebras, ut loquuntur Patres conc. Turon. I, can. 8, redire non licebat. Hinc in conc. Aurelian. III, vetitum est can. 24, ne quis conjugatis, nisi ex consensu partium, pœnitentiam dare præsumat.

[d] Vide librum seq., cap. 12.

[e] Cod. Regm., *Irrumpentes autem cum festinatione, hi qui foris erant cellulam, erutam*, etc.

[f] Deest hoc caput in Vat. et Colb. a. Porro Beretrudis uxor erat Launebodi ducis, quem Fortunatus laudat ob constructam Tolosæ sancti Saturnini ecclesiam, libro II, carm. 9, ubi Beretrudis quoque pietatem multis extollit.

[g] De Waddone jam sæpius egit Gregorius. De filiis autem ejus vide lib. seq., cap. 21.

[h] Agens, qui et infra actor, dicebatur ille qui villæ ac bonorum ab ea pendentium curam gerebat.

se ad bellum præparat, dicens : Nisi moriar, non ingredietur Waddo in domum domini mei. Audiens autem uxor Waddonis apparatum scilicet belli instaurari contra virum suum, ait ad eum : Ne acceseris illuc, chare conjux : morieris enim si abieris, et ego cum filiis misera ero. Et injecta manu, voluit eum retinere, dicente præterea tum filio : Si abieris **460** pariter moriemur, et relinques genitricem meam viduam, orphanosque germanos meos. Sed cum eum hæc verba penitus retinere non possent, furore accensus contra filium, et timidum eum molliemque exclamans, projecta secure pene cerebrum ejus illisit. Sed ille in parte excussus, ictum ferientis evasit. Ascensis denique equitibus abierunt, mandans iterum actori, ut domo scopis mundata stragulis scamna operiret. Sed ille parvipendens mandatum ejus, cum turbis, sicut diximus, virorum ac mulierum ante fores domini sui stetit, operiens adventum hujus. Qui veniens, statim ingressus domum, ait : Cur non sunt scamna hæc operta stragulis, aut domus scopis mundata ? Et elevans manum cum sica, caput hominis libravit ; ceciditque et mortuus est. Quod cernens filius hominis mortui, emissa ex adverso lancea, contra Waddonem dirigit : cujus mediam alvum ictu penetravit a tergo egressa falarica [a], et ruens ad terram, adveniente multitudine quæ collecta fuerat, lapidibus obrui cœpit. Tunc quidam de his qui venerant cum eo, inter imbres saxeos accedentes, coopertum sago, ac populo mitigato, ejulante filio ejus, eumque super equum elevans, adhuc viventem domui reduxit. Sed protinus sub lacrymis uxoris ac filiorum spiritum exhalavit. Explicita igitur tam infeliciter vita, filius ejus ad regem abiit, resque ejus obtinuit.

XXXVI. Igitur anno quo supra regni sui, Childebertus rex morabatur cum conjuge et matre sua infra terminum urbis, quam Strataburgum [b] vocant. Tunc viri fortiores, qui in urbe erant Suessionica sive Meldensi [c], venerunt ad eum dicentes : Da nobis unum de filiis tuis, ut serviamus ei, scilicet ut de progenie tua pignus retinentes nobiscum, facilius resistentes inimicis, terminos urbis tuæ [d] defensare studeamus. At ille gavisus nuntio, Theodobertum filium suum seniorem **461** illuc dirigendum destinat ; cui comitibus, domesticis, majoribus atque nutritiis, et omnibus qui ad exsecundum servitium regale erant necessarii delegatis, mense sexto hujus anni direxit eum juxta voluntatem virorum, qui eum a rege flagitaverant transmittendum : susceptique eum populus gaudens ac deprecans, ut vitam ejus patrisque sui ævo prolixiore pietas divina concederet.

XXXVII. Erat [e] autem apud urbem Suessionas his diebus Droctigisilus [f], qui propter nimiam, ut ferunt, potationem, quarto instante anno sensum perdiderat. Asserebant enim multi civium, quod hoc ei maleficiis accessisset, per emissionem archidiaconi quem ab honore repulerat, intantum ut infra muros urbis hanc amentiam magis haberet ; si vero de civitate fuisset egressus, agebat commodius. Cumque rex supradictus ad urbem venisset, et hic melius ageret, non permittebatur [g] ingredi urbem propter regem qui advenerat. Et licet esset vorax cibi ac potator vini extra modum, et ultra quam sacerdotalem cautelam decet, tamen nullum de eo adulterium quispiam est locutus. Verumtamen in sequenti cum apud Sauriciacum villam [h] episcoporum synodus aggregata fuisset, jussum est ut liceret ei ingredi urbem suam.

XXXVIII. Cum autem Faileuba regina Childeberti regis, partu edito mox exstincto, ægrotaret, attigit aures ejus sermo, quod quidam vel contra eam, vel contra Brunichildem reginam agere conarentur. Cumque confortata ab incommodo, ad regis præsentiam accessisset, omnia tam ei quam matri ejus quæ audierat reseravit. Verba autem hujusmodi erant, quod scilicet Septimina [i] nutrix infantum ejus, consilio suadere vellet regi, ut ejecta matre, conjugeque relicta, aliam sortiretur uxorem, et sic cum eodem quæcunque vellent, vel actu agerent, vel precibus obtinerent. **462** Quod si his rex nollet acquiescere quæ suadebat, ipso maleficiis interempto, elevatis filiis ejus in regnum, repulsa nihilominus matre eorum et avia, ipsi regerent regnum. Hujus enim consilii socios pronuntiat esse Sunnegisilum [j] comitem stabuli, et Gallomagnum referendarium, atque Droctulfum, qui ad solatium Septiminæ ad nutriendum regis parvulos fuerat datus. Denique corripiuntur hi duo, Septimina videlicet et Droctulfus. Nec mora, extensi inter stipites cum vehementius cæderentur, profitetur Septimina se virum suum Jovium maleficiis interfecisse ob amorem Droctulfi, ipsumque secum scorto misceri. De his quæ supra diximus causis pariter confitentur, et memoratos viros in hoc consilio habitos indicant. Nec mora, inquiruntur et ipsi : sed conscientia terrente, latebram infra ecclesiarum septa petiere. Ad quos rex ipse procedens, ait : Egredimini in judicium, ut cognoscamus de his quæ vobis objiciuntur, si vera sint an falsa. Nam ego, ut opinor, in hanc primo sequentis libri desunt.

[a] Phalarica, seu Falarica, proprie est telum missile quo turrium propugnatores uti solebant, sic dictum a *phala*, quod turrim ligneam designat.

[b] Primus omnium, ut putat Valesius, Argentoratum Gregorius noster appellavit Strataburgum. Unde infra lib. x, cap. 19, ait *Argentoratensem urbem, quam nunc Strateburgum vocant.* Sic dictum est, quod forte tunc via publica sive militaris ibi esset multum frequentata. Etenim vox Strateburgum, oppidum in strato, id est in via positum sonat.

[c] Regin., *Qui in urbe Meldensi.*

[d] Colb. a., *terminos orbis tui.*

[e] In Vat. et Colb. a. reliqua hujus libri cum capite

[f] Regm., *Doctigisilus.*

[g] Sic Bec. et Regm. ; cæteri vero econtrario, *permittebatur ingredi.*

[h] Vulgo *Sourci*, seu *Saurci*, vicus haud procul ab Axona fluvio positus.

[i] Regm. et Colb. m., *Septimana* ; sequel tamen *Septimaniam* et *Septiminam* appellant.

[j] Colb. m., *Somnigisilum* et *Gallomanum*. Regm., *Domnigisilum... Gallomagum* ; et sic inferius. Gallomagnus pater fuit Palatinæ, quæ Godegisilo nupsit, ut refert Fortunatus lib. VII, cap. 6.

ecclesiam fuga dilapsi non fuissetis, nisi vos conscientia terruisset. Verumtamen promissionem habete de vita, etiamsi culpabiles inveniamini. Christiani enim sumus; nefas est enim vel criminosos ab ecclesia eductos punire. Tunc educti foras, cum rege venerunt ad judicium : discussique reclamant, dicentes : Quia Septimina cum Droctulfo hoc nobis consilium patefecit. Sed nos exsecrantes ac fugientes, nunquam consentire voluimus hoc scelus. Et rex : Si, inquit, vos nullam conniventiam præbuissetis, nostris auribus utique intulissetis. Verumne ergo est, vos in hac causa præbuisse consensum, cum hoc nostræ scientiæ oculi voluistis? Et statim ejecti foras, iterum ecclesiam petierunt. Septimina vero cum Droctulfo vehementer cæsa, ac cauteriis accensis in facie vulnerata, ablatis omnibus quæ habebat, in Marilegium [a] villam deducitur, ut scilicet 463 trahens molam, his quæ in gynæcio erant positæ, per dies singulos farinas ad victus necessarias præpararet. Droctulfum autem incisis capillis et auribus, ad vineam excolendam delegaverunt, sed post dies paucos fuga dilabitur, inquisitusque ab actore [b] iterum ad regem deducitur, ibique multum cæsus iterum ad vineam quam reliquerat destinatur. At vero Sunnegisilus et Gallomagnus privati a rebus quas a fisco meruerant, in exsilium retruduntur. Sed venientibus legatis, inter quos episcopi erant, a rege Guntchramno, et petentibus pro his, ab exsilio revocantur : quibus nihil aliud est relictum, nisi quod habere proprium videbantur.

XXXIX. In monasterio vero Pictavensi, insidiante diabolo in corde Chrodieldis, quæ se Chariberti quondam regis filiam asserebat, orto scandalo, ipsa quoque quasi de parentibus confisa regibus, exactis sacramentis a sanctimonialibus, ut injectis in abbatissam Leuboveram criminibus, ea monasterio dejecta, ipsam substituerunt principalem. Egressaque est cum quadraginta aut eo amplius puellis, et consobrina sua Basina filia Chilperici, dicens : Quia vado ad parentes meos reges, ut eis contumeliam nostram innotescere valeam : quia non ut filiæ regum, sed ut malarum ancillarum genitæ in hoc loco humiliamur. Infelix ac facilis [c] non recordans, in qua se humilitate beata Radegundis, quæ hoc instituit monasterium, exhibebat. Egressa ergo ab eo Turonis advenit, datague nobis salutatione, ait : Deprecor, sancte sacerdos, ut has puellas, quæ in magnam humilitatem ab abbatissa Pictavensi redactæ sunt, custodire digneris, ac cibum præbere, donec ego eam ad reges parentes nostros, exponamque eis quæ patimur, et revertar. Quibus ego aio : Si abbatissa deliquit, aut canonicam regulam in aliquo prætermisit, accedamus ad fratrem nostrum Maroveum episcopum, et conjuncti arguamus eam : emendatisque negotiis restituamini in monasterium vestrum, ne dispergatur luxuria, 464 quod sancta Radegundis jejuniis et orationibus crebris, eleemosynisque frequentibus aggregavit. Et illa respondit : Nequaquam, sed ad reges ibimus. Et ego : Quare rationi [d] resistitis? ob quam rem sacerdotale monitum non auditis? Vereor ne conjuncti sacerdotes Ecclesiarum vos a communione removeant. Sic enim et ab antecessoribus in epistola quam ad beatam Radegundem in initio hujus congregationis scripserunt, habetur insertum : cujus exemplaria huic lectioni inserere placuit.

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

« Dominæ beatissimæ et in Christo Ecclesiæ filiæ Radegundi, Eufronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius, et Domnolus episcopi [e]. Sollicita sunt jugiter circa genus humanum immensæ divinitatis provisura remedia, nec ab assiduitate beneficiorum suorum quocunque loco vel tempore videntur aliquando sejuncta, cum pius rerum Arbiter tales in hæreditate culturæ ecclesiasticæ personas ubique disseminat, quibus agrum ejus intenta operatione fidei rastro colentibus, ad felicem centeni numeri reditum divina temperie Christi seges valeat pervenire. Tantum igitur benignitatis ejus sese passim dispensatio profutura diffundit, ut illud nusquam deneget quod prodesse multis agnoscit. Quarum personarum exemplo sanctissimo cum judicaturus advenerit, habeat in plurimis quod coronet. Itaque cum ipso catholicæ religionis exortu cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia [f] respirare, et adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia pervenissent Trinitatis Dominicæ sacramenta; ne quid hic minus acquireret, quam in orbis circulo prædicantibus apostolis obtineret, beatum Martinum peregrina de stirpe ad illuminationem patriæ dignatus est dirigere, misericordia consulente. Qui licet apostolorum tempore non fuerit, tamen apostolicam gratiam non effugit. Nam quod defuit in ordine, suppletum est in mercede : quoniam 465 sequens gradus illi nihil subtrahit, qui meritis antecellit. Hujus quoque, reverentissima filia, in vobis congratulamur rediviva surgere supernæ dilectionis exempla, propitiatione divina. Nam declinante tempore sæculi vetustate, vestri sensus certamine fides revirescit in flore : et [*Forte* ut] quod veterno tepuerat algore senectæ, tandem fervent's animi rursus incalescat ardore. Sed cum pene eadem veneris ex parte, qua beatum Martinum huc didicimus accessisse [g], non est mirum si illum imitari videaris in opere, quem tibi ducem credimus itineris

[a] Vulgo *Marleim* hodie dicitur in Alsatia, media fere via inter Molshemium, *Molsheim*, et Tabernas, *Saverne*, ubi visuntur etiam nunc villæ regiæ rudera inter oppidum ejusdem nominis et vicum *Kirkem*, qui etiam olim suum habebat palatium regium. De utroque in lib. IV de re Diplomatica.

[b] Id est procuratore domus regiæ illius.

[c] Sic codd. mss. At editi, *fatua*, quod idem est apud Gregorium.

[d] Editi, *responsioni*. Regni. infra, *monitum contemnitis*.

[e] Eufronius Turonensis, Prætextatus Rothomagensis, Germanus Parisiensis, Felix Namneten-is, Domitianus Andegavensis, Victorius Rhedonensis, et Domnolus Cenomannensis episcopi fuere.

[f] Mirum hic primordia fidei Christianæ in Galliis ad tempora sancti Martini revocari.

[g] Radegundis filia erat Bertharii Thoringorum re-

exsitisse : ut cujus es secuta vestigia, felici voto compleas et exempla, et beatissimum virum in tanto tibi facias esse socium, in quantum partem refugis habere de mundo. Cujus opinionis radio præmicante, ita reddis audientium pectora cœlesti fulgore suffusa, ut passim provocati puellarum animi, divini ignis scintilla succensi, raptim festinent avide in charitate Christi fonte vestri pectoris irrigari, et relictis parentibus te sibi magis eligant, quam matrem. Facit hoc gratia, non natura. Igitur [a] hujus studii vota videntes, gratias clementiæ supernæ referimus, qui voluntates hominum suæ facit voluntati connecti : quoniam confidimus quas apud vos jubet colligi, suo vult amplexu servari. Et quia quasdam comperimus, divinitate propitia, de nostris territoriis ad institutionem vestræ regulæ desiderabiliter convolasse, inspicientes etiam vestræ petitionis epistolam, libenter a nobis exceptam, hoc Christo auctore et remediatore firmamus : ut licet omnes æqualiter quæ ibi conveniunt, in Domini charitate mansuræ debeant inviolabiliter custodire, quod videntur libentissimo animo suscepisse, quoniam contaminari non debet Christo fides cœlo teste promissa, ubi non leve scelus est templum Dei, quod absit, pollui, ut ab eo possit ira succendente disperdi. Tamen specialiter definimus, si qua, sicut dictum est, de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi, Domino providente, commissis, in Pictava [b] civitate vestro monasterio **466** meruerit sociari, secundum beatæ memoriæ domni Cæsarii Arelatensis episcopi Constituta, nulli sit ulterius die cedendi licentia, quæ, sicut continet regula, voluntate propria [c] videtur ingressa : ne unius turpi dedecore ducatur in crimen [*Al.* crimine], quod apud omnes emicat in honore. Et ideo si, quod avertat Deus, aliqua insanæ mentis illicitatione succensa, ad tanti opprobrii maculam præcipitare suam voluerit disciplinam, gloriam et coronam, ut inimici consilio, sicut Eva ejecta de paradiso, per qualemcunque de claustris ipsius monasterii, immo de cœli regno exire pertulerit, mergenda et conculcanda vili platearum in luto, separata a communione nostra, diri anathematis vulnere feriatur. Ita ut si fortassis Christo relicto homini voluerit nubere, diabolo captivante, non solum ipsa quæ refugit, sed etiam ille qui ei conjunctus est, turpis adulter, et potius sacrilegus quam maritus : vel quisquis ut hoc fieret, venenum magis quam consilium ministravit, simili ultione, sicut de illa dictum est, cœlesti judicio, nobis optantibus, percellatur, donec separatione facta, per competentem exsecrandi criminis pœnitentiam, a loco quo egressa fuerat, recipi meruerit et adnecti. Adjicientes etiam, ut eorum qui nobis quandoque successuri sunt sacerdotes, similis condemnationis teneantur astrictæ reatu ; et si, quod non credimus, aliquid ipsi voluerint aliter quam nostra deliberatio continet, relaxare, noverint se nobiscum æterno Judice definiente causaturos : quia communis est salutis instructio, si quod Christo promittitur inviolabiliter observetur. Quod nostræ determinationis decretum, pro firmitatis intuitu, propriæ manus subscriptione credimus roborandum, perpetualiter a nobis Christo auspice servaturum [d]. »

Lecta igitur hac epistola, Chrodieldis dixit : Nunquam nos ulla retinebit mora, nisi ad reges, quos parentes nostros esse novimus, accedamus. Venerant enim pedestri itinere a Pictavo, nec ullius equitis [*I.* equi] beneficium **467** habuerant : unde anhelæ et satis exiguæ erant. Sed nec victus alimoniam ullam eis in via quisquam præbuerat. Accesserunt enim ad urbem nostram die prima mensis primi ; erant enim pluviæ magnæ, sed et viæ dissolutæ erant a nimia immensitate aquarum.

XL. Detrahebant autem et de episcopo, dicentes, quia illius dolo et hæ turbatæ, et monasterium erat derelictum ; sed materiam hujus scandali altius placuit memorari. Tempore Chlothacharii regis, cum beata Radegundis hoc monasterium instituisset, semper subjecta et obediens cum omni congregatione sua anterioribus fuit episcopis. Tempore vero Sigiberti, postquam Maroveus episcopatum urbis adeptus est, acceptis epistolis Sigiberti regis pro fide ac devotione Radegundis beatæ, in partes Orientis [e] clericos destinat, pro Dominicæ crucis ligno, ac sanctorum apostolorum cæterorumque martyrum reliquiis. Qui euntes detulerunt hæc pignora : quibus delatis, petiit regina episcopum, ut cum honore debito grandique psallentio in monasterio locarentur [f]. Sed ille despiciens suggestionem ejus, ascensis equitibus, villæ se contulit. Tunc regina iterato ad regem Sigibertum direxit, deprecans ut injunctione sua quicunque ex episcopis hæc pignora, cum illo quo decebat honore, votumque ejus exposcebat, in monasterio collocaret. Ad hoc enim opus beatus Eufronius urbis Turonicæ episcopus injungitur. Qui cum clericis suis Pictavum accedens, cum grandi

gis, ex ipso Gregorio supra lib. III, cap. 4. Martinus autem natus est Sabariæ in Pannonia, ut omnes norunt.

[a] Regm., *Igitur in tali studio manens, et hoc nos comperientes.*

[b] Bec. Colb. m. et Chesn., *Pictavina.*

[c] Sic Casin.; alii, *prodita.* Locus vero qui hic laudatur, habetur cap. 1 Regulæ sancti Cæsarii pro monialibus.

[d] Edili, *duraturum.*

[e] His verbis innuitur Maroveum acceptis a Sigiberto litteris in Orientem misisse ad habendas reliquias, ut sanctæ Radegundis devotioni sati faceret. Tamen certum est illos clericos ab ipsa Radegunde missos fuisse : quare sic censeo restituendum : *Radegundis beata in partes Orientis clericos destinat*, etc. De hoc videsis Vitam beatæ Radegundis a Baudonivia scriptam num. 18 et seqq. Idem versibus expressit Fortunatus in supplemento carm. 2, quod est ad Junonem imp. et Sophiam augustam ; hymnos vero et alia carmina quæ hac occasione cecinit, habentur libro II.

[f] Reliquiæ illæ Turonos delatæ, aliquandiu in monasterio virorum a B. Radegunde ibi instituto jacuerunt, donec tandem Pictavos delatæ sunt. Hæc fuit occasio Gregorio, nondum tunc episcopo, condendi oratorii Sanctæ Crucis, de quo Fortunatus lib. II, carm. 3. Vide notas Brouveri in hoc carmen, et vitam sanctæ Radegundis a Baudonivia scriptam, n. 13.

psallentio, et cereorum micantium ac thymiamatis apparatu; sancta pignora, absente loci episcopo, in monasterium detulit. Posthæc cum pontificis sui sæpius gratiam quæreret, nec posset adipisci, necessitate commota cum abbatissa sua quam instituerat, Arelatensem urbem expetunt: de qua regula sancti Cæsarii atque Cæsariæ beatæ suscepta, regis se tuitione munierunt, 468 scilicet quia in illum, qui pastor esse debuerat, nullam curam defensionis suæ poterant reperire. Ex hoc scandalo de die in diem propagato, tempus migrationis beatæ Radegundis advenit: qua migrante, iterum petiit abbatissa, se sub sacerdotis sui potestate degere. Quod ille cum primum respuere voluisset, consilio suorum promisit se patrem earum, sicut dignum erat, fieri, et ubi necessitas fuisset, suam præbere defensionem. Unde factum est ut abiens ad Childebertum regem præceptionem eliceret, ut ei hoc monasterium, sicut reliquas parochias, regulariter liceat gubernare [a]. Sed nescio quid, credo, adhuc in ejus animis residebat, ut hæ puellæ asserunt, quod moveret scandalum. His vero intendentibus, ut ad regis, sicut diximus, præsentiam properarent, dedimus eis consilium, dicentes: Intenditis contra rationem, et nullo modo vobis ea series inseri potest, quæ blasphemium arceat. Sed si, ut diximus, rationem prætermittitis, nec salubre consilium vultis accipere, vel hoc conjicite in animis vestris, ut præterito hiberni hujus tempore, quod in hoc verno accessit, cum suræ commodiores fuerint, quo ducit voluntas, pergere valeatis. Quod consilium aptum suscipientes, subsequente æstate, relictis Turonis, cæteris sanctimonialibus commendatis consobrinæ suæ, Chrodieldis [b] ad regem Guntchramnum accessit. A quo suscepta ac muneribus honorata, Turonis est regressa, Constantina filia Burgolini in monasterio Augustidunensi relicta, exspectans episcopos qui a rege fuerant jussi advenire, et causam ipsarum cum abbatissa discutere. Multæ tamen ex his a diversis circumventæ matrimonio copulatæ sunt, priusquam hæc a rege regrederetur. Cumque præstolantes adventum, nullum episcopum advenire sensissent, Pictavum regressæ sunt, et se infra basilicam sancti Hilarii tutaverunt, congregatis 469 secum furibus, homicidis, adulteris, omniumque criminum reis, stabilientes se ad bellum, atque dicentes: Quia reginæ sumus, nec prius in monasterium nostrum ingredimur, nisi abbatissa ejiciatur foras. Erat ibi tunc reclusa quædam, quæ ante paucos annos per murum se dejiciens, ad basilicam sancti Hilarii confugit, multa in abbatissam crimina evomens, quæ tamen falsa cognovimus. Sed postquam in monasterium per eum locum unde se præcipitaverat funibus est attracta, petiit ut se in cellulam secretam reclauderet, dicens: Quia multum peccavi in Dominum et dominam meam Radegundem, quæ illis diebus superstes erat; volo me, ait, ab hac frequentia congregationis totius amovere, et pœnitentiam pro neglectis meis agere. Scio enim quia misericors est Dominus, et remittit confitentibus se peccata. Et ingressa est in cellulam. Cum autem hoc scandalum commotum fuisset, et Chrodieldis a Guntchramno rege regressa esset, hæc disrupto nocturnis horis cellulæ ostio egressa est a monasterio, et ad Chrodieldem abiit, multa, sicut prius fecerat, crimina de abbatissa prorumpens.

XLI. Dum autem hæc agerentur, Gundegisilus Burdegalensis, adjunctis secum Nicasio Egolismensi [c] et Saffario Petragorico, ac ipso Maroveo Pictavensi episcopis, eo quod hujus urbis metropolis esset, ad basilicam sancti Hilarii advenit, arguens has puellas, et in monasterium reducere cupiens. Sed cum illæ obstinatius reluctarentur, et hic cum reliquis juxta epistolam superius nominatam eis excommunicationem indiceret, exsurgens turba murionum [d] præfatorum, tanta eos in ipsa sancti Hilarii basilica cæde mactavit, ut corruentibus in pavimento episcopis, vix consurgere possent; sed et diaconi et reliqui clerici sanguine perfusi, cum effractis capitibus 470 basilicam sunt egressi. Tam immensus enim eos, et, ut credo, diabolo cooperante, pavor obsederat, ut egredientes a loco sancto, nec sibi valedicentes, unusquisque per viam quam arripere potuit, repedaret. Adfuit huic calamitati et Desiderius diaconus Syagrii Augustidunensis episcopi, qui non inquisito Clenni [e] fluminis vado, quo primum littus attigit est ingressus, ac natante equo ripæ ulterioris campo evectus est. Ex hoc Chrodieldis ordinatores eligit, villas monasterii pervadit, et quoscunque de monasterio arripere potuisset, plagis ac cædibus affectos suo servitio subjugabat, minans ut si monasterium posset ingredi abbatissam de muro projectam terræ dejiceret. Quod cum Childeberto regi nuntiatum fuisset, statim directa auctoritate præcepit Macconi comiti ut hæc reprimere omni intentione deberet. Gundegisilus autem cum has a communione suspensas cum cæteris, ut diximus, reliquisset episcopis, epistolam ex suo fratrumque præsentium nomine conscripsit ad sacerdotes illos, qui tunc cum rege Guntchramno fuerant aggregati [f]; a quibus hæc rescripta suscepit.

EXEMPLAR RESCRIPTI.

«Domnis semper suis [g], atque apostolica sede dig-

[a] Specialem hujus insignis loci curam reges nostri semper habuere, ut patet ex capitulari Ludovici Pii circa annum 822 apud Baluzium, quod totum est de hoc monasterio. Locum habebat inter monasteria, quæ ab omni militia et dono libera, solas orationes imperatori debebant, ut patet ex Notitia ea de re facta in conventu Aquisgranensi, an. 817.

[b] Editi, *cæteris accommodatis consobrinæ suæ Chrodieldi sanctimonialibus, ad regem*, etc.

[c] Al., *Ecolesinensi*. Subscripsit conc. Matisconeusi II, ubi dicitur *Nicasius Aquilinensium*. Gundegisilus autem Burdegalensis laudatur a Fortunato, lib. VII, carm. 31.

[d] Muriones, seu, ut habet sanctus Augustinus epist. 143 ad Marcellinum, moriones, id est fatui, sic dicti a Græca voce μωρὸς.

[e] Editi cum Bec., *Clem*, vulgo *Cluin*, fluvius in Vigennam influens.

[f] Augustoduni, ut existimat Valesius.

[g] Regm., *Dominis suis, atque*. Legendum forte

missimis, Gundegisilo, Nicasio et Saffario [a], Ætherius, Syagrius, Annacharius, Hesychius, Agrœcola, Urbicus, Felix, Veranus, item Felix, et Bertchramnus episcopi. Litteras vestræ beatitudinis, quantum referante nuntio de vestra sospitate gavisi, excepimus, tantum de injuria quam vos pertulisse significastis, non modico mœrore astringimur; dum et regula transcenditur, et nulla reverentia religioni servatur. Sed quia indicastis monachas, quæ de monasterio bonæ memoriæ Radegundis, instigante diabolo, fuerunt digressæ, quod nullam a vobis acquieverint correctionem audire, 471 nec infra monasterii sui septa, de quo egressæ fuerant, voluissent reverti: insuper basilicæ domni Hilarii per cædes vestras vestrorumque injuriam intulisse. Quapropter ipsas a communionis gratia visi fueritis suspendere, ac per hoc nostram exinde mediocritatem elegistis consulere. Igitur quia optime vos novimus statuta canonum percurrisse [b], ac regulæ plenitudinem continere, ut qui in talibus excessibus videntur deprehendi, non solum excommunicatione, verum etiam pœnitentiæ satisfactione debeant coerceri: ea de re addentes cum venerationis cultu summæ aviditatis dilectionis instructum, indicamus ea quæ definistis nos concordanter vestræ sententiæ consentire, quoadusque in synodali concilio Kalendis Novembribus pariter positi, debeamus consilio pari tractare, qualiter talium temeritas frenum districtionis possit accipere, ut deinceps nulli liceat sub hunc lapsum faciente jactantia similia perpetrare. Attamen quia nos sua dictione dominus Paulus apostolus (*II Tim.* IV, 2) indesinenter videtur monere, ut opportune inopportuneque debeamus quoscunque excedentes sedula prædicatione corrigere, et pietatem protestatur ad omnia utilem esse, ideo suggerimus adhuc, ut oratione assidua Domini misericordiam deprecemini (*I Tim.* IV, 8), ut ipse spiritus compunctionis ipsas inflammare dignetur, ut id quod per delictum visæ sunt contraxisse, digna satisfactione pœniteant; ut in monasterio suo vestra prædicatione animæ, quæ quodammodo perierunt, propitio Christo revertantur; ut ille qui unam humeris illatam errantem ovem ad ovile reduxit, et de istarum transgressione, quasi acquisito gregi congaudere dignetur. Hoc specialius postulantes, ut pro nobis intercessionum vestrarum suffragia indesinenter, ut confidimus, tribuatis. Peculiaris vester Ætherius peccator salutare præsumo. Cliens vester Hesychius reverenter audeo salutare. Amator vester Syagrius reverenter saluto. Cultor vester Urbicus peccator famulanter saluto. Venerator vester Veranus episcopus reverenter saluto. Famulus vester Felix salutare præsumo. Humilis vester atque 472 amator Felix audeo salutare. Humilis atque obediens vester Bertchramnus episcopus salutare præsumo. »

XLII. Sed et abbatissa recitavit epistolam quam beata Radegundis episcopis, qui suo tempore erant, dirigi voluit. Cujus nunc iterum ipsa abbatissa exemplaria ad vicinarum urbium sacerdotes direxit; cujus hoc est exemplar.

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

« Domnis sanctis et apostolica sede dignissimis, in Christo patribus, omnibus episcopis, Radegundis peccatrix. Congruæ provisionis tunc roborabiliter ad effectum tendit exordium, cum generalibus patribus, medicis ac pastoribus, ovilis sibi commissi causa auribus traditur, cujus sensibus commendatur: quorum participatio de charitate, consilium de potestate, suffragium de oratione ministrare poterit interventum. Et quoniam olim vinclis laicalibus absoluta, divina providente et inspirante clementia, ad religionis normam visa sum voluntarie, duce Christo, translata, hæc prona mentis studio cogitans etiam de aliarum profectibus, ut, annuntiante Domino, mea desideria efficerentur reliquis profutura, instituente atque remunerante præcellentissimo domno rege Chlothario, monasterium puellarum Pictava urbe constitui, conditumque, quantum mihi munificentia regalis est largita, facta donatione dotavi: insuper congregationi per me Christo præstante collectæ, regulam sub qua sancta Cæsaria degunt [c]: quam sollicitudo beati Cæsarii antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum convenienter collegit, ascivi. Cui consentientibus beatissimis vel hujus civitatis, vel reliquis pontificibus, electione etiam nostræ congregationis domnam et sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui et educavi [d], abbatissam instituí, ac me post Deum ejus ordinationi regulariter obedituram commisi. Cuique, formam apostolicam observantes, tam ego quam sorores de substantia terrena quæ possidere videbamur, factis chartis tradidimus, metu Ananiæ et Saphiræ, 473 in monasterio positæ nihil proprium reservantes. Sed quoniam incerta sunt humanæ conditionis momenta vel tempora, quippe mundo in finem currente, cum aliqui magis propriæ quam divinæ cupiant voluntati servire, zelo ducta Dei hanc suggestionis meæ paginam, apostolatus vestri in Christi nomine supersedi porrigo vel devota. Et quia præsens non valui, quasi vestris provoluta vestigiis, epistolæ vicarietate prosternor, conjurans per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ac diem tre-

Domnis sanctis atque, etc. Hæc enim est communis formula.

[a] Lalandus in Supplem. Concil. Galliæ addit *et Maroveo*. Infra autem in Colb. m. et Regm. deest *Annacharius*; et quidem inter eos qui subscripserunt non occurrit, sicut nec Agrœcula. Cæteri vero non eo ordine subscripserunt, quo hic eorum nomina recensentur. Episcopi autem illi fuerunt Ætherius Lugdunensis, Syagrius Augustodunensis, Annacharius Antissiodorensis, Hesichius Gratianopolitanus, Agricola Nivernensis, Urbicus Regiensis, Felix Beliciensis, Veranus Cavellicensis, Felix Catalaunensis, Bertramnus Cenomanensis.

[b] Exinde patet, verbum *percurrere* non assumi pro lectione præcipitanter facta. Vide Mabillon. in Defensione studiorum monasticorum, art. 19.

[c] Sic mss. Editi vero plerique, *degit*.

[d] Sic Bald. alii, *eduxi*.

mendi judicii, sic repræsentatos vos non tyrannus oppugnet, sed legitimus rex coronet : ut si casu post meum obitum quæcunque persona, vel loci ejusdem pontifex, seu potestas principis, vel alius aliquis, quod nec fieri credimus, congregationem, vel suasu malivolo, vel impulsu judiciario perturbare tentaverit, aut regulam frangere, seu abbatissam alteram quam sororem meam Agnetem, quam beatissimi Germani præsentibus suis fratribus benedictio consecravit ; aut ipsa congregatio, quod fieri non potest, habita murmuratione mutare contenderit, vel quasdam dominationes in monasterio, vel rebus monasterii, quæcunque persona vel pontifex loci, præter quas antecessores episcopi, aut alii me superstite habuerunt, novo privilegio quicunque affectare voluerit, aut extra regulam exinde egredi quis tentaverit, seu de rebus, quas in me præcellentissimus domnus Chlotharius, vel præcellentissimi domni reges [*Al.* regis] filii sui contulerunt : et ego ex ejus præceptionis permisso, monasterio tradidi possidendum, et per auctoritates præcellentissimorum domnorum regum, Chariberti, Guntchramni, Chilperici et Sigiberti, cum sacramenti interpositione, et suarum manuum subscriptionibus obtinui confirmari : aut ex his quæ alii pro animarum suarum remedio, vel sorores ibidem de rebus propriis contulerunt, aliquis princeps, aut pontifex, aut potens, aut [a] de sororibus cujuslibet personæ ausi minuere, aut sibimet ad proprietatem revocare sacrilego voto contenderit, ita vestram sanctitatem [b] successorumque **474** vestrorum post Deum, pro mea supplicatione et Christi voluntate, incurrat : ut sicut prædones et spoliatores pauperum extra gratiam vestram habeantur, nunquam de nostra regula, vel de rebus monasterii, obsistentibus vobis, imminuere valeat aliquid aut mutare. Hoc etiam deprecans ut cum Deus prædictam dominam sororem nostram Agnetem de sæculo migrare voluerit, illa in loco ejus abbatissa de nostra congregatione debeat ordinari, quæ Deo et ipsi placuerit, custodiens regulam, et nihil de proposito sanctitatis imminuat. Nam [c] nunquam propria aut cujuscunque voluntas præcipitet. Quod si, quod absit, contra Dei mandatum et auctoritatem regum aliquis de suprascriptis conditionibus coram Domino et sanctis ejus precabiliter commendatis agere, aut de persona aut substantia minuenda voluerit, aut memoratæ sorori meæ Agneti abbatissæ molestias aliquas inferre tentaverit, Dei, et sanctæ crucis, et beatæ Mariæ incurrat judicium, et beatos confessores Hilarium et Martinum, quibus post Deum sorores meas tradidi defendendas, ipsos habeat contradictores et persecutores. Te quoque, beate pontifex, successoresque vestros, A quos patronos in causa Dei diligenter asciseo, si, quod absit, exstiterit qui contra hæc aliquid moliri tentaverit, pro repellendo et confutando Dei hoste, non pigeat ad regem, quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictavam civitatem, pro re vobis ante Dominum commendata percurrere, et contra aliorum injustitiam exsecutores et defensores justitiæ laborare ; ut tale nefas nullo modo suis admitti temporibus rex patiatur catholicus, nec convelli permittat quod Dei, et mea, et regum ipsorum voluntate firmatum est. Simul etiam principes, quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, conjuro per regem cujus regni non erit finis, et ad cujus nutum regna consistunt, qui eis donavit ipsum vivere vel regnare, ut monasterium B quod ex permisso et solatio domnorum regum, patris vel avi eorum construxisse visa sum, et ordinasse regulariter, vel dotasse, **475** sub sua tuitione et sermone, una cum Agnete abbatissa jubeant gubernare, et a nullo neque sæpe dictam abbatissam nostram, neque aliquid ad nostrum monasterium pertinens molestari, aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari permittant ; sed magis pro Dei intuitu una cum domnis episcopis, ipsi, me supplicante coram redemptore gentium, sicut eis commendo, defensari jubeant et muniri, ut in cujus honore Dei famulas protegunt, cum defensore pauperum et Sponso Virginum perpetualiter æterno socientur in regno. Illud [d] quoque vos sanctos pontifices, et præcellentissimos domnos reges, et uniC versum populum Christianum, conjuro per fidem catholicam in qua baptizati estis, et Ecclesias quas conservatis, ut in basilica quam in sanctæ Mariæ Dominicæ genitricis honorem cœpimus ædificare, ubi etiam multæ sorores nostræ conditæ sunt in requie, sive perfecta, sive imperfecta, cum me Deus de hac luce migrare præceperit, corpusculum meum ibi debeat sepeliri. Quod si quis aliud inde voluerit aut fieri tentaverit, obtinente cruce Christi et beata Maria, divinam ultionem incurrat, et vobis intercurrentibus, in loco ipsius basilicæ merear cum sororum congregatione obtinere loculum sepulturæ. Et ut hæc supplicatio mea, quam manu propria subscripsi, in universalis Ecclesiæ archivo servetur, effusis cum lacrymis deprecor : quatenus si contra D improbos aliquos necessitas exegerit, ut vestra defensione soror mea Agnes abbatissa, vel congregatio ejus, quo* succurri sibi poposcerint, vestræ misericordiæ pia consolatio opem pastorali sollicitudine subministret ; nec de me destitutas se proclament quibus Deus præsidium vestræ gratiæ præparavit. Illud vobis in omnibus ante oculos revocantes, per ipsum, qui de cruce gloriosa Virginem suam geni-

[a] Regm., *aut aliqua de sororibus hæc imminuere, et in sua propria traducere quavis machinatione tentaverit, anathematis jugi gladio feriantur.*

[b] Legendum, ut puto, *iram vestræ sanctitatis*, etc.

[c] Regm., *nam nonnunquam propria.... præcipitat.*

[d] Quæ sequuntur ad finem capitis contracta sunt in Regm.

* Recte omittit voculam *quo* Dominicus Mansi, qui hanc epistolam suæ Conciliorum collectioni inseruit, tom. IX, col. 810. Edit.

LIBER DECIMUS.

479 I. Anno igitur quintodecimo Childeberti regis, diaconus noster ab urbe Roma cum sanctorum pignoribus veniens [a], sic retulit, quod anno superiore mense nono tanta inundatione Tiberis fluvius [b] urbem Romam obtexerit, ut ædes antiquæ diruerentur; horrea etiam ecclesiæ subversa sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo enim serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ, per hujus fluvii alveum in mare descendit; sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus, littori ejectæ sunt. Subsecuta est de vestigio clades, quam inguinariam vocant. Nam medio mense undecimo adveniens, primum omnium, juxta illud quod in Ezechiele propheta legitur, *A sanctuario meo incipite* (*Ezech.* IX, 6), Pelagium papam percutit, et sine mora exstinxit: quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est. **480** Sed quia Ecclesia Dei absque rectore esse non poterat, Gregorium diaconum plebs omnis elegit. Hic enim de senatoribus primis, ab adolescentia devotus Deo, in rebus propriis sex in Sicilia monasteria congregavit; septimum infra urbis Romæ muros instituit: quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogavit; et qui ante serico contectus, ac gemmis micantibus solitus erat per urbem procedere trabeatus, nunc vili contectus vestitu [c], ad altaris Dominici ministerium consecratur; septimusque levita [d] ad adjutorium papæ asciscitur. Tantaque ei abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in jejuniis erat, ut infirmato stomacho vix consistere posset. Litteris grammaticis, dialecticisque ac rhetoricis ita erat institutus, ut nulli in urbe ipsa putaretur esse secundus. Hunc [e] apicem attentius **481** fugere tentans, ne quod prius abjecerat, rursum ei in sæculo de adepto honore jactantia quædam subreperet: unde factum est ut epistolam ad imperatorem Mauricium dirigeret, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, conjurans et multa prece poscens ne unquam consensum præberet populis, ut hunc hujus honoris gloria sublimaret. Sed præfectus urbis Romæ Germanus ejus [f] anticipavit nuntium, et comprehenso, disruptis epistolis, consensu quem populus fecerat imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia diaconi, quod reperisset locum honoris ejus [g], data præceptione ipsum jussit institui. Cumque in hoc restaret ut benediceretur, et lues populum devastaret, verbum ad plebem pro agenda A pœnitentia in hunc modum exorsus est.

ORATIO GREGORII AD PLEBEM.

« Oportet, fratres dilectissimi, ut flagella Dei quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia et experta timeamus. Conversionis nobis aditum dolor aperiat, et cordis nostri duritiam ipsa, quam patimur, pœna dissolvat: ut enim propheta teste prædictum est, *Pervenit gladius usque ad animam* (*Jerem.* IV, 10). Ecce etenim cuncta plebs coelestis iræ mucrone percutitur, et repentina singuli cæde vastantur: nec languor mortem prævenit, sed langoris, moras, ut cernitis, mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad hæc ipsa pœnitentiæ convertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti Judicis pervenit, cui non vacat flere quod fecit. Ilab'tatores quique non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt: domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, et qui eos ad interitum hæredes præcedunt. Unusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum fleri ante percussionem vacat. Revocemus ante oculos mentis quidquid erraudo commisimus, et quod nequiter egimus flendo puniamus. *Præveniamus faciem ejus in confessione* (*Psalm.* XCIV, 2), et sicut propheta admonet, *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum* (*Thren* III, 41). Ad Deum quippe corda cum manibus levare est, **482** orationis nostræ studium merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori nostro fiduciam, qui per prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet: veternosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abstersit (*Jon.* III, 10); et conversus latro vitæ præmia, etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit (*Luc.* XXIII, 43). Mutemus [*Al.* levemus] igitur corda, et præsumamus nos jam percepisse quod petimus. Citius ad precem Judex flectitur, si a pravitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animadversionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque, quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, judicio Veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vultu a se precibus veniam exigi, qui quantum mereamur non vult irasci; hic etenim per psalmistam dicit: *Invoca me in die tribulationis tuæ, et eripiam te: et magnificabis me* (*Psalm.* XLIX, 15). Ipse ergo sibi testis est, quia invocantibus misereri desiderat, qui admonet ut invocetur. Proinde, fratres charissimi, contrito corde, et correctis operibus, ab ipso feriæ quartæ primo di-

[a] Confer lib. I de Gloria Mart., cap. 85.

[b] Hanc Tiberis inundationem memorat ipse Gregorius M. lib. III Dialog., cap. 19, et Paulus Diaconus lib. III de Gestis Langobard., cap. 24 et seqq., qui et in Vita sancti Gregorii, edita Sæculo I Benedictino inter acta SS. Ord. nostri, integrum fere hoc caput Gregorii nostri descripsit.

[c] Monastico scilicet, quem omnibus abdicatis in monasterio sancti Andreæ a se condito Romæ suscepit, ubi Benedictina Regula vigebat. Qua de re dissertationem edidit Mabillonius tomo II vet. Analect.

[d] Diu mos ille Romæ viguit, ut nonnisi septem diaconi, scilicet regionarii, haberentur in memoriam septem diaconorum ab apostolis Jerosolymis institutorum. De his vide Mabillon. Comment. in Ordinem Rom, cap. 3.

[e] Quæ sequuntur ad finem cap. contracta sunt in Regm., in quo nec sancti Gregorii oratio habetur.

[f] Aliquot ed., *germanus ejus*, quasi præfectus sancti Gregorii frater fuerit.

[g] Paulus diac. in Vita sancti Gregorii, *eo quod locum deferendi ei honoris revevisset*.

tium sociorum exposuit. Qua de causa imperator valde molestus, pollicitus est ulcisci mortem eorum, juxta id quod Childeberti regis judicium promulgaret. Tunc ab imperatore muneratus, cum pace regressus est [a].

III. His [b] a Grippone Childeberto regi relatis, confestim exercitum in Italiam commoveri jubet ac viginti duces ad Langobardorum gentem debellandam dirigit. Quorum nomina non putavi lectioni ex ordine necessario inserenda. Audoualdus [c] vero dux cum Vinthrione commoto Campaniæ populo, cum ad Mettensem urbem, quæ ei in itinere sita erat, accessisset, tantas prædas tantaque homicidia ac cædes perpetravit, ut hostem propriæ regioni putaretur inferre. Sed et alii quoque duces similiter cum phalangis suis fecere, ita ut prius regionem propriam aut populum commanentem afficerent, quam quiddam victoriæ de inimica gente patrarent. Appropinquantes autem ad terminum Italiæ, Audoualdus cum sex ducibus dexteram petiit, atque ad Mediolanensem urbem advenit, ibique eminus in campestria castra posuerunt. Olo autem dux ad Bilitionem hujus urbis castrum, **486** in campis situm Caninis [d], importune accedens, jaculo sub papilla [e] sauciatus, cecidit et mortuus est. Illi autem cum egressi fuissent in prædam, ut aliquid victus acquirerent, a Langobardis irruentibus passim per loca prosternebantur. Erat autem stagnum quoddam in ipso Mediolanensis urbis territorio, quod Coresium [f] vocitant, ex quo parvus quidam fluvius, sed profundus egreditur; super hujus laci littus Langobardos residere audierant. Ad quem cum appropinquassent, priusquam flumen, quod diximus, transirent, a littore illo unus Langobardorum stans lorica protectus et galea, contum manu gestans, vocem dedit contra Francorum exercitum, dicens: Hodie apparebit cui divinitas obtinere victoriam præstet. Unde intelligi datur, hoc signum sibi Langobardos præparavisse. Tunc pauci transeuntes, contra Langobardum hunc decertantes, prostraverunt eum; et ecce omnis exercitus Langobardorum in fugam versus præteriit. Illi quoque transeuntes flumen, nullum de iis reperiunt, nisi tantum recognoscentes apparatum castrorum, ubi vel focos habuerant, vel tentoria fixerant. Cumque nullum de iis deprehendissent, ad castra sua regressi sunt, ibique ad eos imperatoris legati venerunt [g], nuntiantes adesse exercitum in solatium eorum, dicentesque: Quia post triduum cum eisdem veniemus, et hoc vobis erit signum: Cum videritis villæ hujus, quæ in monte sita est, domus [*Pro* domos] incendio concremari, et fumum incendii ad cœlos usque sustolli, noveritis **487** nos cum exercitu quem pollicemur adesse. Sed exspectantes juxta placitum dies sex, nullum ex iis venisse contemplati sunt. Cedinus [h] autem cum tredecim ducibus lævam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, a quibus etiam sacramenta exegit. Morbus etiam dysenteriæ graviter exercitum afficiebat, eo quod aeres incongrui insuetique iis hominibus essent, ex quo plerique interierunt. Commoto autem vento et data pluvia, cum paulisper refrigescere aer cœpit, in infirmitate salubritatem contulit. Quid plura? per tres fere menses Italiam pervagantes, cum nihil profi erent, neque se de inimicis ulcisci possent, eo quod se in locis communissent firmissimis; neque regem capere, de quo ultio fieret, qui se infra Ticinenses munierat muros; infirmatos, ut diximus, aerum intemperantia exercitus, ac fame attritus, redire ad propria destinavit. Subdens etiam illud, acceptis sacramentis, regis ditionibus quod pater ejus [i] prius habuerat, de quibus locis et captivos, et alias abduxere prædas. Et sic regredientes ita fame conficiebantur, ut prius et arma et vestimenta ad coemen-

[a] De hac legatione egit Gregorius supra lib. IX, cap. 25; multum vero illustratur ex variis epistolis Childeberti et Brunechildis a Frehero et Chesnio tomo I editis, quas Grippo Constantinopolim detulerat. In his enim, quas non solum imperatori et Anastasiæ Augustæ, sed etiam patriarchæ aliisque imperii optimatibus Childebertus rex, materque ejus Brunechildis seorsim scripserunt, testantur se nihil omnino omissuros, ut pax inter Romanos et Francos firma semper et inconvulsa permaneat. Actum est etiam in hac legatione de auxilio Romanis adversus Langobardos in Italiam ferendo, quod a Childeberto præstitum esse ex Gregorio et Paulo Diac. discimus; sed, ni fallor, hoc potissimum agebat Childebertus, ut Athanagildum ex sorore sua Ingunde nepotem, qui post Hermenegildi necem Constantinopolim abductus fuerat, ex imperatoris manu eriperet, quod ex laudatis litteris patet. An vero id unquam obtinuerit, incertum nobis est.

[b] Vat., *Hæc a Griphone regi Hildeberto relata.* Confer hoc caput cum cap. 32 libri III Hist. Lang. Pauli Diac.

[c] Paulus *Audualdum* appellat. Et infra Colb. III., Regm. et Chesn. al. *Victrione*, de quo vide supra lib. VIII, cap. 18.

[d] Campos Caninos laudant Ammianus Marcellinus lib. XV, et Apollinaris Sidonius carm. 5, versu 177; sed in Rhætia, eo quod reipsa sint inter Rhætiam et Liguriam, ubi hodieque visitur Bilitio, ut cum Gregorio habet Paulus, seu Belincio aut Berinzona, quod est castrum Lombardiæ Transpadanæ, vulgo *Belinzona* dictum. Colb. III. habet, *in campis situm comminus.*

[e] Alii cum Paulo, *mamilla.*

[f] Regm. et Colb. III., *Ceresium*; Bec., *Cerasium.*

[g] Paulus ait eos ad Audoualdum venisse cum esset prope Mediolanum. Edidit Frehertus epistolam ducis exercitus Romanorum ad Childebertum, in qua hujus expeditionis rationem reddit, accusatque *Chenum*, quem Cedinum infra memoratum esse existimo, pacis initæ cum rege Langobardorum. In alia vero Childeberto exponit quantum profecerit adversus Langobardos. Childebertus tamen nullam expeditionem postea in Italiam suscepisse traditur, quod ei exprobrare videtur Mauricius in epistola ad eum scripta. Quæ ex his epistolis ad Gregorium nostrum illustrandum conducunt in Appendice proferentur.

[h] Sic Bec. cum Paulo. Colb. a., *Chedinius*, Regm., *Cedinius*; editi, *Chedinus.* Ea occasione, ut narrat Paulus, Franci Veronam usque pertigerunt, qui et castrorum ab ipsis dirutorum in territorio Tridentino nomina recenset.

[i] Ex hoc etiam loco inferre licet, Childebertum aliquam Italiæ partem possedisse, id est loca Rhætiæ proxima, ut censet Valesius lib. XV rerum Francic., circa agrum Tridentinum et Athesim fluvium in Venetia.

dum victum demerent, quam locum genitalem contingerent. At Aptacharius [a] Langobardorum rex, legationem ad Guntchramnum regem cum hujuscemodi verbis direxit : Nos, piissime rex, subjecti atque fideles vobis gentique vestræ, sicut patribus vestris fuimus, et esse desideramus; nec discedimus a sacramento quod prædecessores nostri vestris prædecessoribus juraverunt. Nunc autem desistite a persecutione nostra, et sit pax nobis et concordia, ut ubi necessarium fuerit contra inimicos auxilium præbeamus, ut vestra scilicet nostraque gente salvata, ac nos pacificos cognoscentes, terreantur magis adversari qui in circuitu obstrepunt de amicitia, quam de nostra discordia gratulentur. Pacifice hæc **488** Guntchramnus rex verba suscepit, misitque eos ad nepotem suum Childebertum regem. Dum autem his narratis in loco commorarentur, venerunt alii qui mortuum Aptacharium regem nuntiantes, Paulumque [b] in loco ejus substitutum, ejusmodi verba quæ supra diximus, deferentes. Sed Childebertus rex placitum cum eisdem ponens, ut quid ei in posterum conveniret, enuntiaret, eos abscedere jussit.

IV. Mauricius autem Carthaginenses illos, qui legatos Childeberti regis anno superiore (*Sup. cap.* 2) interemerant, vinctos manibus, catenisque oneratos, ad ejus direxit præsentiam, duodecim scilicet numero viros, sub ea videlicet conditione, ut si eos interficere vellet, haberet licentiam, sin autem ad redimendum laxaret, trecentis pro uno quoque acceptis aureis quiesceret, sicque ut quod vellet eligeret : quo facilius sopito scandalo, nulla occasio inter ipsos inimicitiæ oriretur. Sed rex Childebertus differens homines vinctos accipere, ait : Incertum apud nos habetur, utrum ii sint homicidæ illi quos adducitis, an alii, vel fortassis servi cujuscunque habentur, cum nostri bene ingenui generatione fuerint, qui apud vos fuerunt interempti. Præsertim et Grippo astabat, qui eo tempore legatus cum eisdem fuerat missus, qui interfecti sunt, ac dicebat : Quia præfectus urbis illius cum collectis duobus aut tribus hominum millibus irruit super nos, interemitque socios meos : in quo excidio et ego ipse interissem, si me viriliter defendere nequivissem. Accedens autem ad locum homines agnoscere potero; de quibus si imperator vester, ut dicitis, nostro cum domino pacem custodire deliberat, ultionem exigere debet : et sic dato rex placito, ut post eos ad imperatorem dirigeret, ipsos abscedere jubet.

489 V. His [c] autem diebus Cuppa, qui quondam comes stabuli Chilperici regis fuerat, irrupto Turonicæ urbis termino, pecora reliquasque res, quasi prædam exercens, diripere voluit. Sed cum hoc incolæ præsensissent, collecta multitudine eum sequi cœperunt. Excussaque præda, duobus ex pueris ejus interfectis, hic nudus aufugit, alius duobus pueris captis, quos vinctos ad Childebertum regem transmiserunt; quos ille in carcerem conjici jubens, interrogare præcepit, cujus auxilio Cuppa fuisset ereptus, ut ab ils non comprehenderetur qui sequebantur. Responderunt hoc Animodi vicarii [d] dolo, qui pagum illum judiciaria regebat potestate, factum fuisse. Protinusque directis rex litteris ad comitem urbis, jubet ut eum vinctum in præsentiam regis dirigeret : quod si resistere conaretur, vi oppressum etiam interficeret, si principis gratiam cupiebat acquirere. Sed ille non resistens, datis fidejussoribus, quo jussus est abiit, repertumque Flavianum domesticum [e], causatus cum socio, nec noxialis inventus, pacificatus cum eodem, redire ad propria jussus est, datis tamen domestico illi muneribus prius. Ipse quoque Cuppa iterum commotis quibusdam de suis, filiam Badegisili, quondam Cenomanensis episcopi, diripere sibi in matrimonium voluit; irruens autem nocte cum cuneo sociorum in villa Maroialensi [f], ut voluntatem suam expleret, præsensit eum dolumque ejus Magnatrudis materfamilias, genitrix scilicet puellæ : egressaque cum famulis contra eum vi repulit, cæsis plerisque ex illis, unde non sine pudore discessum est.

VI. Apud Arvernos vero vincti carceris, nocte nutu Dei disruptis vinculis, reseratisque aditibus custodiæ egressi, ecclesiam ingressi sunt. Quibus cum Eulalius comes onera catenarum **490** addi jussisset, ut super eos posita, extemplo ceu vitrum fragile comminuta sunt : et sic obtinente Avito [g] pontifice eruti, propriæ sunt redditi libertati.

VII. In supradicta vero urbe Childebertus rex.

[a] Antharis dicitur a Paulo Diac. qui de hac legatione agit lib. III Hist. Lang. cap. 35.

[b] Pauli hujus non meminit Paulus Diac., sed ut ipse narrat lib. III, cap. 36, Agilulfus, seu Ago dux Taurinatium Autharic substitutus est ab ipsa Theodelinda Autharii relicta, quæ ipsum in regni et tori societatem ascivit, quod anno sequenti mense Maio in generali totius gentis conventu ab omnibus Langobardis apud Mediolanum approbatum fuit. Utrique Gregorius M. varias epistolas scripsit, et Theodelindæ inscripsit libros Dialogorum. Agilulfus tandem ad catholicam fidem conversus est, pacemque cum Francis firmavit, Athanagildo fortasse e tunc temporis e vivis exempto, aut certe cum nulla spes superesset Childeberto eum recipiendi. Nusquam postea ejus mentio occurrit. Vide Paul. Diac. lib. IV hist. Langobard., cap. 1.

[c] Hoc caput et sequens desunt in Vat. et Colb. m.; caput tamen 7 habent, quod ibi est 5 et ab his verbis incipit : *In supradicta vero urbe Arvernica*, etc., quæ supponunt caput præcedens. De Cuppane jam diximus supra lib. V, cap. 40; in plerisque editis dicitur *Chuppa*.

[d] Vicarii isti hodieque vulgo *Viguiers* dicuntur, qui comitum nomine certis territoriis præficiebantur, ut jus plebi infimæ dicerent, quod comitum in civitatibus officium erat. Alii erant majores vicarii, qui post modum vicecomites appellati fuerunt. Vide Bignon. in notis ad vet. formulas incerti auctoris, num. 1.

[e] Id est, *reperto Flaviano domestico*.

[f] Aliqui edit., *Marogalensi*. De hac supra lib. VII, cap. 12. Est et alia villa ipsius cognominis, ut observat Valesius, prope Aurelianos, vulgo *Marolle* dicta.

[g] Cum de beati Aviti morte nihil habeat Gregorius, conjicit Cointius ipsum post an. 591, qui Gregorianæ Historiæ ultimus est, obiisse; anno scilicet 594, et quidem XII Kal. Octob., quo die festum ejus

omne tributum tam ecclesiis quam monasteriis, vel reliquis clericis, qui ad Ecclesiam pertinere videbantur, aut quicunque Ecclesiæ officium excolebant, larga pietate concessit. Multum enim jam exactores hujus tributi exspoliati erant, eo quod per longum tempus et succedentium generationes, ac divisis in multas partes ipsis possessionibus, colligi vix poterat hoc tributum. Quod hic, Deo inspirante, ita præcepit emendari, ut quod super hæc fisco deberetur, nec exactorem damna perculerent, nec Ecclesiæ cultorem tarditas de officio aliqua revocaret.

VIII. In [a] confinio vero termini Arverni, Gabalitani atque Rutheni, synodus episcoporum facta est contra Tetradiam, relictam quondam Desiderii, eo quod repeteret ab ea Eulalius comes res [b] quas ab eo fugiens secum tulisset. Sed hanc causam, vel qualiter Eulalium reliquerit, vel quemadmodum ad Desiderium confugerit altius memorandum putavi. Eulalius autem, ut juvenilis ætas habet, agebat quæpiam irrationabiliter : unde factum est, ut a matre sæpius increpitus, haberet in eam odium quam amare debuerat. Denique cum in oratorio domus suæ hæc in oratione frequenter incumberet, et nocturnas vigilias persæpe dormientibus famulis, in oratione cum lacrymis expleret, in cilicio quo orabat suggillata reperitur. Sed nescientibus cunctis quis hæc fecisset, crimen tamen parricidii refertur ad filium. Hæc cum Cautinus episcopus Arvernæ urbis comperisset, eum a communione submovit. Convenientibus autem civibus **491** cum sacerdote ad festivitatem beati martyris Juliani, ad pedes episcopi Eulalius ille prosternitur, querens se inauditum a communione remotum. Tunc episcopus permisit eum cum cæteris Missarum spectare [c] solemnia. Verum ubi ad communicandum ventum est, et Eulalius ad altarium accessisset, ait episcopus : Rumor populi parricidam te proclamat esse. Ego vero utrum perpetraveris hoc scelus, an non, ignoro : idcirco in Dei hoc et beati martyris Juliani statue judicio. Tu vero, si idoneus es, ut asseri, accede propius, et sume tibi Eucharistiæ particulam, atque impone ori tuo [d]. Erit enim Deus respector conscientiæ tuæ. At ille accepta Eucharistia, communicans abscessit. Habebat enim uxorem Tetradiam nobilem ex matre, patre inferiorem. Sed cum in domo sua vir ancillarum concubitu misceretur, conjugem negligere cœpit, et cum ab scorto reverteretur, gravissimis eam plagis sæpius afficiebat. Sed et pro multis sceleribus debita nonnulla contraxerat, in quibus ornamenta et aurum uxoris sæpissime evertebat. Denique inter has angustias mulier collocata, cum honorem omnem, quem in domo viri habuerat perdidisset, et ille abisset ad regem, hæc a Viro [*Al.* Vero], sic enim erat nomen hominis, mariti sui nepote concupiscitur, scilicet ut quia ille perdiderat conjugem, hujus matrimonio jungeretur. Virus autem timens inimicitias avunculi, mulierem Desiderio duci transmisit, videlicet ut succedente tempore copularetur ei : quæ omnem substantiam viri sui, tam in auro quam in argento, et vestimentis, et quæ moveri poterant, cum seniore filio secum sustulit, relicto in domo alio juniore. Rediens vero Eulalius ex itinere, comperit quæ acciderant. Sed cum mitigato dolore paululum quievisset, super Virum nepotem suum irruit, eumque inter arcta vallium Arvernarum interemit. Audiens autem **492** Desiderius, qui et ipse uxorem nuper perdiderat, quod scilicet Virus interfectus fuisset, conjugio suo Tetradiam sociavit. Eulalius vero puellam de monasterio Lugdunensi diripuit, eamque accepit. Sed concubinæ ejus, instigante, ut quidam asserunt, invidia, maleficiis sensum ejus oppilaverunt. Post multum vero temporis, Eulalius Emeriam hujus puellæ consobrinum clam appetiit, occiditque. Similiter Socratium fratrem sororis suæ [e] quem pater ex concubina habuerat, interemit. Et alia multa mala fecit, quæ enarrare perlongum est. Joannes filius ejus, qui cum sua discesserat genitrice, a domo Desiderii dilapsus, Arvernum venit. Cumque jam Innocentius episcopatum Ruthenæ urbis ambisset, mandatum ei mittit Eulalius, ut res quæ ipsi in hujus civitatis territorio debebantur, per hujus auxilium recipere posset. Sed Innocentius ait : Si de filiis tuis unum accipio, quem clericum factum in solatio meo retineam, faciam quæ precaris. At ille transmisit puerum, Joannem nomine, recepitque res suas. Susceptoque Innocentius episcopus puero, totondit coronam capitis ejus, deditque eum archidiacono ecclesiæ suæ; qui in tanta se abstinentia subdidit, ut pro tritico hordeum sumeret, pro vino aquam hauriret, et pro equo asino uteretur, vestimenta vilissima habens. Igitur conjunctis, ut diximus, sacerdotibus et viris magnificis in confinio supradictarum urbium,

celebratur : sepultus est in ecclesia beatæ Mariæ Principalis, ut habetur in libro de eccles. Claromont. cap. 2, quæ dicitur beatæ Mariæ de Portu in ejusdem sancti viri Vita, quam ecclesiam a cathedrali distinguendam esse monet Savaro. Alius est Avitus, qui in ecclesia sancti Venerandi quiescit, in lib. laudato cap. 10, sancti Boniti frater.

[a] Hoc caput deest in utroque cod. Colb. et Vat.

[b] Regn., *repeteret eam Eulalius comes et res.*

[c] Hac voce utitur sæpius Gregorius, quæ etiam habetur in can. 29 concilii in Aurelian. Sed ex isto Gregorii loco suspicatur noster Mabillonius lib. 1 de Liturg. Gallic., cap. 6, ubi plura habet ea de re, eos missas spectasse, qui quidem præsentes aderant, sed non communicabant.

[d] Quatuor ex hoc Gregorii loco collegit noster Mabillonius l. 1 de Liturg. Gal., c. 5 : 1° Eucharistiæ nomine solam panis speciem designari ; 2° ex particula, non ex integra formula communionem datam ; 3° communionem sub sola panis specie ; 4° antiquum morem usque ad Gregorii tempora perseverasse, ut viri accepta in manibus Eucharistia, ipsam sibi in ore imponerent. Mulieres tamen, ut ex canone 42 Antissiod. concilii patet, non nuda manu, sed in linteo Dominicali eam recipiebant. Ex eodem textu discimus laicis ad altare permissum fuisse accessum pro sacra communione. De modo recipiendi sacram communionem primis Ecclesiæ sæculis usitato pluribus disserit noster Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorianum, pag. 378, 379, 391.

[e] Alii post editi cum Bec., *soceræ suæ*

Tetradia ab Agino repræsentatur, atque Eulalius contra eam causaturus accessit. Cumque res quas de ejus, abiens ad Desiderium, domo abstulerat, inquireret, judicatum est Tetradia [a], ut quadrupla satisfactione ablata restitueret, filiosque quos de Desiderio conceperat, incertos [b] haberi : illud etiam ordinantes, ut si hæc quæ Eulalio est jussa dissolveret, accedendi in Arvernum licentia præberetur, rebusque suis, quæ ei ex paterna successione 493 obvenerant absque calumnia frueretur : quod ita factum est.

IX. Cum hæc agerentur, et Britanni circa urbes, Namneticam utique et Rhedonicam, valde sævirent, Guntchramnus rex exercitum contra eos commoveri jussit ; in quorum capite Beppolenum et Ebrachafium duces delegit. Sed Ebracharius suspectus, quod si victoria cum Beppoleno patraretur, ipse ducatum ejus acquireret, inimicitias cum eodem contraxit, et per viam totam se blasphemiis, convitiis atque maledictionibus lacessunt. Verum per viam qua abierunt, incendia, homicidia, spolia ac multa scelera egerunt. Interea venerunt ad Vicinoniam amnem, quam transmissi, ad Uldam fluvium [c] pervenerunt ; ibique dissipatis vicinitatis casis, pontes desuper statuunt, sicque exercitus omnis transivit. Conjunctus enim fuerat eo tempore Beppoleno presbyter quidam, dicens : Si secutus me fueris, ego te usque Warochum ducam, ac Britannos tibi in unum collectos ostendam. Fredegundis enim cum audisset, quod in hoc procinctu Beppolenus abiret, quia ei jam ex anteriore tempore invisus erat, Bajocassinos Saxones, juxta ritum Britannorum tonsos [d], atque cultu vestimenti compositos, in solatium Warochi abire præcepit. Adveniente autem Beppoleno cum iis qui eum sequi voluerunt, certamen iniit, multosque per biduum de Britannis ac Saxonibus suprascriptis interemit. Recesserat enim ab eo Ebracharius cum majori manu, nec ad eum accedere voluit, donec interemptum audiret. Die autem tertio cum jam qui cum eo erant interficerentur, atque ipse sauciatus lancea repugnaret, irruentibus super eum Warocho cum supradictis, interfecerunt eum : incluserat enim eos inter angustias viarum atque paludes, in quibus magis luto necti, quam gladio trucidati sunt. Ebracharius vero usque Venetos urbem accessit : miserat enim ad eum obviam episcopus regalis clericos suos cum 494 crucibus et psallentio, qui eos usque ad urbem deduxerunt. Ferebant etiam quidam eo tempore, quod Warochus in insulas fugere cupiens cum navibus oneratis auro, argentoque et reliquis rebus ejus, cum alta maris cepisset, commoto vento, demersis navibus, res quas imposuerat, perdidisset : tamen ad Ebracharium veniens, pacem petit, obsidesque cum multis muneribus tradidit, promittens se nunquam contra utilitatem Guntchramni regis esse venturum. Quo recedente, et regalis episcopus cum clericis et pagensibus urbis suæ, similia sacramenta dedit, dicens : Quia nihil nos dominis nostris regibus culpabiles sumus, nec unquam contra utilitatem eorum superbi extitimus, sed in captivitate Britannorum positi, gravi jugo subditi sumus. Pace igitur celebrata inter Warochum atque Ebracharium, dixit Warochus : Discedite nunc et renuntiate, quia omnia quæ jusserit rex, sponte implere curabo : quod ut plenius credere debeatis, nepotem meum obsidem tribuam. Et ita fecit, cessatumque est a bello [e]. Verumtamen multitudo magna, sicut de regali exercitu, ita et de Britannis cæsa est. Egrediente autem exercitu a Britanniis, ac transeuntibus amnem robustioribus, inferiores et pauperes qui cum his erant simul transire non potuerunt. Cumque in littus illud Vicinoniæ amnis restitissent, Warochus oblitus sacramenti atque obsidum quos dederat, misit Canaonem filium suum cum exercitu, apprehensisque viris quos in littore illo reperit, vinculis alligat, resistentes interficit, nonnullis qui cum caballis torrentem transmeare voluerunt, ab ipsius torrentis impetu in mare dejectis. Dimissi sunt postea multi [f] a conjuge Warochi cum cereis et tabulis quasi liberi, et ad propria sunt regressi. Exercitus vero ipsius qui prius transierat, metuens per viam illam qua venerat regredi, ne forte mala quæ fecerat paterentur, ad Andegavum urbem dirigit, Meduanæ torrentis [g] expetens 495 pontem : sed parva quæ prius transiit manus, ad ipsum quem præfati sumus pontem, spoliati, cæsi et ad omne dedecus sunt redacti. Per Turonicum vero transeuntes, prædas agentes multos exspoliaverunt ; inopinantes enim repererant incolas loci. Multi tamen de hoc exercitu ad Guntchramnum regem accesserunt, dicentes quia Ebracharius dux ac Uviliacharius comes, accepta pecunia ab Warocho, exercitum perire fecissent. Qua de causa Ebracharius præsentatus, multum convitiis actus a rege, a præsentia ejus discedere jussus est, Uviliacharius comite per fugas latitante.

X. Anno [h] igitur decimo quinto Childeberti regis, qui est Guntchramni nonus atque vicesimus, dum ipse Guntchramnus rex per Vosagum silvam vena-

[a] Bec., *judicatum est Tetradiæ.*

[b] Bec. et Regm., *incestos.* Colb. m., *incesti.* Incertos, id est spurios.

[c] Oritur prope Rohanniam in Venetensi diœcesi, atque in Vicinoniam, seu, ut hodie dicitur, Vegelanam, haud procul a Ponte Corbino defluit, et vulgo dicitur *l'Aoust.* Unde nonnulli recentiores antiquum nomen mutaverunt, hunc fluvium *Augustum* vocitantes.

[d] Quod scilicet primo in Britanniam majorem, i. de hunc morem mutuati fuerant irrupissent. Quin et Saxones, ut patet ex epist. 9 lib. VIII Apollinaris Sidonii, more Britonum tonsi erant. De Britonum tonsura adi Mabillon. in præf. sæc. III Act. SS. ord. nostri, part. I, ea de re fusius disserentem.

[e] Sic Casin. ; cæteri, *cessatumque est ab illo.* Bec., *ab eo.*

[f] In Regm. deest, *multi*

[g] Meduana, *la Mayenne*, fluvius est, quem ob rapiditatem Gregorius torrentem appellat. Oritur in Cenomanis, et aliquot aliis fluviis auctus, infra Andegavum Ligeri miscetur.

[h] Is est an. 590. Deest hoc caput in Colb. 3, 9 Vat.

tionem exerceret, vestigia occisi bubali deprehendit. Cumque custodem silvæ arctius distringeret, quis hæc in regali silva gerere præsumpsisset, Chundonem cubicularium regis prodidit. Quo hæc loquente, jussit eum apprehendi, et Cabillonum compactum in vinculis duci. Cumque uterque in præsentia regis intenderent [a], et Chundo diceret, nunquam a se hæc præsumpta quæ objiciebantur, rex campum [b] dijudicat. Tunc cubicularius ille dato nepote pro se, qui hoc certamen adiret, in campo uterque steterunt; jactaque puer ille lancea super custodem silvæ, pedem ejus transfigit, moxque resupinus ruit. Puer vero extracto cultro qui de cingulo dependebat, dum collum ruentis incidere tentat, cultro sauciati ventre transfoditur : ceciderunt que ambo, et mortui sunt. Quod videns Chundo, ad basilicam sancti Marcelli fugam iniit. Acclamante vero rege ut comprehenderetur, priusquam limen sanctum attingeret, comprehensus est, vinctusque ad stipitem lapidibus est obrutus. Multum se ex hoc deinceps rex pœnitens, ut sic eum ira præcipitem reddidisset, ut pro parvulæ causæ noxa, fidelem sibique necessarium virum tam celeriter interemisset.

XI. Chlotharius vero Chilperici quondam regis filius graviter 496 ægrotavit, et intantum desperatus est habitus, ut regi Guntchramno obitus ejus fuisset nuntiatus : unde factum est, ut egrediens de Cabillono, quasi Parisios accedere cupiens, usque ad terminos Senonicæ urbis accederet. Sed cum audisset convaluisse puerum, de itinere est regressus. Sed cum eum Fredegundis mater ejus desperatum vidisset, multum pecuniæ ad basilicam sancti Martini vovit, et sic puer melius agere visus est. Sed et ad Warochum nuntios dirigit, ut qui adhuc in Britanniis de exercitu Guntchramni regis retinebantur, pro hujus vita absolverentur, quod ita Warochus implevit : unde manifestatum est, hujus mulieris colludio, et Beppolenum interfectum esse, et exercitum fuisse collisum.

XII. Ingeltrudis [c] vero religiosa, quæ, ut in superioribus libris exposuimus, in atrio sancti Martini, puellarum monasterium collocavit, cum ægrotare cœpisset, neptem suam abbatissam instituit : unde reliqua congregatio maxime murmuravit, sed nobis increpantibus cessavit a jurgio. Hæc vero cum filia discordiam tenens, pro eo quod res suas ei abstulerat, obsecravit ut neque in monasterio quod instituit, neque super sepulcrum ejus permitteretur orare. Quæ octuagesimo, ut opinor, anno vitæ obiit, sepultaque est septimo Idus mensis primi [Martii]. Sed veniens filia ejus Berthegundis Turonis, cum non fuisset excepta, ad Childebertum regem abiit, postulans ut ei liceret in locum matris suæ monasterium regere. Rex vero oblitus judicii quod matri ejus fecerat, huic aliam præceptionem manus suæ roboratam subscriptione largitus est, hæc continentem ut res omnes quas mater vel pater ejus habuerant, suo dominio subjugaret, et quidquid monasterio Ingeltrudis reliquerat auferretur. Cum quo præcepto veniens, ita cunctam supellectilem monasterii abstulit, ut nihil infra præter vacuos relinqueret parietes, colligens secum diversorum criminum reos, atque in seditionibus præparatos : qui si quid erat de villis [d] reliquis quod devotio dederat, fructum auferrent. Tantaque ibi 497 mala gessit, quæ vix ex ordine possent narrari. Hæc vero, acceptis his rebus quas diximus, in Pictavum rediit, multa in abbatissam crimina vomens falsa, quæ parens ejus proxima habebatur.

XIII. His autem diebus exstitit quidam de presbyteris nostris, Sadducææ malignitatis infectus veneno, dicens non esse futuram resurrectionem [e]. Cumque nos eam sacris litteris prædictam, et apostolicæ traditionis auctoritate monstratam affirmaremus, respondit : Manifestum est hoc celebre ferri, sed certi non sumus utrum sit, an non, præsertim cum Dominus iratus primo homini quem manu sacra plasmaverat, dixerit : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III, 19) Quid ad hæc respondebitis, qui resurrectionem futuram prædicatis ; cum in pulverem redactum hominem resurgere ulterius divinitas non promittat ? Cui ego : Quid de hac causa, vel ipsius Domini et Redemptoris nostri, vel patrum prædecessorum verba loquantur, nullum catholicorum nescire reor. Nam in Genesi cum patres obirent, aiebat Dominus : *Tu autem congregaberis ad populum tuum. Sepultus in senectute bona* (*Gen.* XXV, 8). Et ad Cain dicitur : *Quia vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (*Gen.* IV, 10). Unde liquido apparet, vivere animas post egressum corporis, atque resurrectionem futuram intentis vultibus præstolari. Sed et de Job scriptum est, quia *resurrecturus est in resurrectione mortuorum.* Et propheta David, licet ex persona Domini, tamen resurrectionem prævidens, ait : *Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat* (*Psal.* XL, 9) ? hoc est, Qui mortis somno opprimitur, non est venturus ad resurrectionem ? Et Isaias (*Isai.* 66.), quod de sepulcris resurrecturi sunt mortui, docet. Sed et Ezechiel propheta (*Ezech.* 37), cum ossa arida obtecta cute, nervis solidata, venis infecta, flante spiritu animata, reformatum hominem enarraret, manifestissime resurrectionem futuram edocuit. Sed et illud manife-

[a] Id est *contenderent*, ut habet Regm.

[b] Ejusmodi certamina in campo fiebant, hinc pugiles dicti sunt campiones. De duellis vide supra notas in cap. 14 lib. VII.

[c] Hoc caput et quinque sequentia non exstant in Colb. a. et Vat. De Ingeltrude actum est supra fuse lib. IX, cap. 33.

[d] Colb. III, *de villabus reliquis quod devoti dederant.* Bad., *villarum reliquis.*

[e] Resurrectionem carnis futuram in dubium revocaverat paulo antea Eutychius episc. CP. a sancto Gregorio tunc ibi degente refutatus. Eamdem hæresim alii quoque in variis regionibus sequebantur. De qua videsis præfationem in versionem Gallicam Dialogorum sancti Gregorii a uno e nostra sancti Mauri congregatione, anno 1689 editam.

tum fuit resurrectionis judicium, quod Elisæi (*IV Reg.* XIII, 21) ossa tangens exstinctum cadaver, virtutis effectu revixerit : quod ipsius Domini, **498** qui est primogenitus mortuorum, resurrectio manifestavit : qui morti mortem intulit, et de sepulcro vitam mortuis reformavit (*Apoc.* I, 5). Ad hæc presbyter : Quod Dominus in assumpto homine mortuus fuerit ac resurrexerit, non ambigo : illud tamen, quod reliqui resurgant mortui, non admitto. Et ego : Et quæ fuit necessitas Filio Dei de cœlo descendere, carnem assumere, mortem adire, inferna penetrare, nisi ut hominem quem p'asmaverat, non permitteret in morte perpetua derelinqui? Sed et justorum animæ, quæ usque passionem ejus infernali ergastulo tenebantur inclusæ, eo veniente laxatæ sunt. Nam descendens ad inferos, dum tenebras nova luce perfudit, animas eorum secum, ne hoc exitu amplius cruciarentur, eduxit, juxta illud, *Et in sepulcro ejus resurgent mortui.* Et presbyter ait : Nunquid possunt ossa in favillam redacta iterum animari, et hominem viventem proferre? Et ego respondi : Nos credimus quia quamlibet in pulverem redigatur homo, et aquis, ac terræ venti violenti impetu dispergatur, non sit difficile Deo hæc ad vitam resuscitari. Presbyter respondit : Hic maxime vos errare puto, ut asserere verbis lenibus tentetis acerrimam seductionem, ut dicatis a bestiis raptum, aquis immersum, piscium faucibus devoratum, in stercus redactum, et per secretum digestionis ejectum, aut aquis labentibus [*Al.* latentibus] dejectum, aut terra computrescente abolitum, ad resurrectionem venturum. Ad hæc ego respondi : Oblivioni apud te traditum est, ut opinor, quid Joannes evangelista super pectus Dominicum recumbens, ac divini mysterii arcana rimans, in Apocalypsi dicat : *Tunc*, inquit, *reddet mare mortuos suos* (*Apoc.* XX, 13). Unde manifestum est, quia quidquid humani corporis piscis absorbuit, ales rapuit, bestia deglutivit, a Domino conjunctum in resurrectionem reparandum erit : quia non erit ei difficile perdita reparare, qui ex nihilo non nata creavit : sed ita hæc in integritatem solida, sicut prius fuerant, reparabit, ut corpus quod fuit in mundo, aut pœnam juxta meritum ferat, aut gloriam. Sic enim ipse Dominus in Evangelio ait : **499** *Quia Filius hominis veniet in gloria Patris sui cum angelis suis, ut reddat unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI, 27). Sed et Martha cum de resurrectione præsenti fratris Lazari dubitaret, ait : *Scio quia resurget in resurrectione in novissima die* (*Joan.* XI, 24). Cui Dominus ait : *Ego sum resurrectio, via, veritas et vita* (*Ibid.* XI, 25). Ad hæc presbyter : Quomodo autem in psalmo dicitur, *Quia non resurgunt impii in judicio* (*Psal.* I, 5)? Et ego respondi : Non resurgunt ut judicent, sed resurgunt ut judicentur. Nec enim sedere cum impiis judex potest, causas suorum redditurus actuum. Et ille : Dominus, inquit, in Evangelio dixit, *Qui non crediderit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18) : utique quia peribit resurrectioni. Et ego respondi : Judicatus est enim et ad supplicium æternum perveniat, quia non credidit Unigenitum Filium Dei, tamen resurrecturus in corpore, ut ipsum supplicium, in quo peccavit corpore, patiatur. Nec enim potest judicium fieri, nisi prius resurgant mortui : quia sicut illos qui defuncti sunt sancti, cœlum, ut credimus, retinet, de quorum sepulcris sæpius virtus illa procedit, ut de his cæci illuminentur, claudi gressum recipiant, leprosi mundentur, et alia sanitatum beneficia infirmis petentibus tribuantur, ita credimus et peccatores in illo infernali carcere usque ad judicium retineri. Et presbyter ait : In psalmo autem legimus : *Spiritus pertransiit ab homine, et non erit; et non cognoscet amplius locum suum* (*Psal.* CII, 16). Ego dixi : Hoc est quod ipse Dominus per parabolam ad divitem, qui flammis tartareis cruciabatur, dicebat : *Recepisti tu bona in vita tua, similiter et Lazarus mala* (*Luc.* XVI, 25). Non autem cognovit dives ille purpuras suas et byssum, nec delicias convivii, quas ei vel aer, vel terra, vel mare protulerat; sicut nec Lazarus vulnera, aut putredines quas jacens ante ejus januas perferebat, cum hic in sinu Abrahæ requiesceret, ille autem cruciaretur in flammis. Presbyter dixit : In alio psalmo legimus, *Quia exiit spiritus eorum, et revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* CXLV, 4). Ad hæc ego : Bene ais. Quia cum egressus fuerit ab homine spiritus, et jacuerit corpus mortuum, non cogitat de his quæ in mundo reliquit, ac si verbi causa dicas : Non cogitat ædificare, plantare, agrum excolere; **500** non cogitat congregare aurum, argentum, vel reliquas divitias mundi. Periit enim hæc cogitatio a corpore mortuo, quia non est spiritus in eo. Sed quid tu de resurrectione dubitas, quam Paulus apostolus in quo ipse, ut ait, Christus loquebatur, evidenter exprimit dicens : *Consepulti enim sumus Christo per baptismum in mortem : ut sicut ille mortuus est, et resurrexit, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI, 4). Et iterum : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (*I Cor.* XV, 51). Et iterum : *Stella autem differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (*Ibid.* XV, 41). Item illic, *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione* (*Ibid.* XV, 42), et reliqua. Item illic, *Omnes nos repræsentari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum sive malum* (*II Cor.* V, 10). Ad Thessalonicenses autem, evidentissime futuram resurrectionem designat dicens : *Nolo vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi : deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Do-*

vino erim.s. *Itaque consolamini invicem in verbis istis* (*I Thess.* IV, 12 *et seqq.*). Plurima sunt enim de his testimonia quæ hanc causam confirmant. Sed tu ignoro quid ambigas de resurrectione, quam sancti exspectant pro merito, quam peccatores metuunt pro reato. Hanc enim resurrectionem, et illa quæ certissimus elementa demonstrant, id est dum arbores in æstate folliis rectæ, hieme veniente nudantur; succedente vero verno tempore quasi resurgentes, in illud quod prius fuerant foliorum tegmine vestiuntur. Hæc ostendunt et illa quæ jaciuntur semina terris, quæ commendata solcis, si fuerint mortua, cum multiplici fructu resurgunt, sicut ait Paulus apostolus : *Stulte tu, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur* (*I Cor.* XV, 36). 501 Quæ omnia ad fidem resurrectionis mundo manifestata sunt. Si enim resurrectio futura non est, quid proderit justis bene agere, quid nocebit peccatoribus male? Decidant ergo cuncti in voluntatibus suis [a], et faciat unusquisque quæ placuerit, si judicium futurum non erit. Vel illud, improbe, non formidas, quod ipse Dominus beatis apostolis ait : *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis in sede majestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat agnos ab hædis : et statuet oves quidem ad dexteram, hædos autem ad sinistram. Et his dicet : Venite, benedicti, percipite regnum ; illis autem : Discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* XXV, 31 *et seqq.*). Atque ut ipsa Scriptura docet, *ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Ibid.* XXV, 46). Putasne erit resurrectio mortuorum, aut judicium operum, quando ista faciet Dominus? Respondeat ergo tibi Paulus apostolus, sicut aliis incredulis dicens : *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis et fides vestra* (*I Cor.* XV, 14). Ad hæc contristatus presbyter, a conspectu nostro discedens, pollicitus est credere in resurrectionem, juxta seriem Scripturarum sanctarum, quam supra memoravimus.

XIV. Erat autem tunc temporis Theodulfus diaconus urbis Parisiacæ, qui sibi videbatur in aliquo ecclesiæ [b], qui sæpius de hac causa altercationes movebat. Hic autem de Parisiis urbe abscedens, Andegavis venit, et ab Audoveo [c] episcopo subtilibit, propter antiquam amicitiam, quam simul Parisios commorantes habuerant : unde et a Ragnemodo Parisiacæ urbis episcopo, sæpius excommunicatus est, quod ad ecclesiam suam in qua diaconus ordinatus fuerat, redire differret. Hic in tanta familiaritate cum præfato Andegavæ urbis episcopo adhæserat, ut non se posset ab ejus importunitate discutere, pro eo quod bonis moribus et affectu pio erat. Factum est autem ut ædificaret super muros urbis solarium, de quo cœnaculo perfecto decumbens, manum super discumum 502 sustentabat, qui infantum erat crapulatus a vino, ut vix vel ligere gressum valeret, puerosque qui præibat cum lumine, nescio quid commotus, pugno cervicem ferit. Quo impulso [*Al.* impulsa] hic cum se continere non potuisset, cum ipso impetu de muro præcipitatur, sudarium episcopi quod baculo dependebat arripiens, cum quo pene dilapsus fuerat, nisi pedes episcopi abbas velociter supplevisset. Qui ruens super lapidem, contractis ossibus, et crate pectoris, sanguinem cum felle disrupto evomens spiritum exhalavit. Erat enim et vino deditus, et in adulterio dissolutus.

XV. Cum autem scandalum quod, serente diabolo, in monasterio Pictavensi ortum, in ampliorem quotidie iniquitatem [d] consurgeret, et Chrodieldis aggregatis sibi, ut supra diximus, homicidis, maleficis, adulteris, fugitivis et reliquorum criminum reis, in seditione parata resideret, jussit eis ut irruentes nocte in monasterium abbatissam foras extraherent. At illa tumultum sentiens venientium, ad sanctæ Crucis arcam se deportari poposcit : gravabatur enim dolore humoris podagrici, scilicet ut vel ejus foveretur auxilio. Sed ubi ingressi viri, cereo accenso, cum armis huc illucque vagarentur per monasterium inquirentes eam, introeuntes in oratorium, reperierunt jacentem super humum ante arcam sanctæ Crucis. Tunc unus acerbior cæteris, qui ad hoc scelus patrandum aggressus fuerat, ut abbatissam gladio divideret, ab alio, ut credo, divina providentia cooperante, cultro percutitur. Profluente vero sanguine solo decubans, votum quod levi conceperat animo, non explevit. Interea Justina [e] præposita cum aliis sororibus palla altaris, quod erat ante Crucem dominicam, exstincto cereo, abbatissam operit. Sed venientes cum evaginatis gladiis ac lanceis, scissa veste, et pene sanctimonialium manibus laniatis, apprehensam præpositam pro abbatissa, quia tenebræ erant, excussis linteaminibus, a capite soluta cæsarie, 503 detrahunt, et usque basilicam sancti Hilarii inter manus deferunt custodiæ mancipandam. Appropinquantesque basilicæ, cœlo modicum albescente, ubi cognoverunt non esse abbatissam, mox ad monasterium redire puellam præcipiunt; revertentesque, abbatissam apprehendunt, extrahunt, et in cellam, juxta sancti Hilarii basilicam, in loco ubi Basina metatum habebat, retrudunt, positis ad ostium custodibus, ne quis ullum captivæ præberet auxilium. Exinde nocte subobscura aggressi monasterium, cum nullo fulgore accensi luminis potirentur, extracta promptuario

[a] Sic Colb. m.; Regm., *voluntates suas*. Editi cum Bec., *voluptatibus suis*.

[b] Regm., *qui sic videbatur solus in altario, ut sæpius ad idem accedens altercationes moveret*. Bad., *qui sæpius in eadem ecclesia altercationes*, etc., ut Regm. Sic fere habet quoque Colb. m., nisi quod pro *in eadem ecclesia* habet *idem accesa*, mendose.

[c] Regm. et Colb. m., *Audoeno*, qui sic quoque appellatur in Chartario sancti Sergii Andeg., ut monent Sammarthani in Gallia Christ.

[d] Bec., Colb. m. et aliquot editi, *in ampliori quotidie iniquitate*.

[e] Pro ea ad Gregorium scripsit Fortunatus lib. VIII, carm. 15, et epistolam eidem carmini præfixam. Eamdem Gregorii nostri neptem appellat libro IX, carm. 7. Unde conjicio eam filiam fuisse Justini, qui sororis Gregorii vir fuisse dicitur libro II de Miraculis sancti Martini, capite 2.

cuppa, quæ olim pice linita sicca remanserat, ignem injiciunt, factoque pharo magna de hujus incendio, cunctam monasterii supellectilem rapuerunt, hoc tantum quod ferre non poterant relinquentes. Hæc autem gesta sunt ante septem dies Paschæ. Cumque episcopus hæc omnia graviter ferret, nec valeret seditionem diabolicam mitigare, misit ad Chrodieldem, dicens : Relinque abbatissam, ut in his diebus in hoc carcere non retineatur : alioqui non celebrabo Pascha Domini, neque baptismum in hac urbe ullus catechumenus obtinebit, nisi abbatissa a vinculo quo tenetur jubeatur absolvi. Quod si nec sic volueritis absolvi, collectis civibus auferam eam. Hæc eo dicente, statim Chrodieldis percussores depulsat, dicens : Si eam vivam intra quis auferre tentaverit, statim eam gladio percutite. Adfuit autem diebus illis Flavianus nuper domesticus ordinatus, cujus ope abbatissa sancti Hilarii ingressa basilicam abscendit[a] [*Sic Bes.; al.* absolvitur]. Inter hæc ad sepulcrum sanctæ Radegundis homicidia perpetrantur, et ante ipsam beatæ Crucis aream quidam per seditionem truncati sunt. Cumque hic furor supervenisset, die per Chrodieldis superbiam augescitur, et assiduæ cædes et reliquæ plagæ, quas supra memoravimus, a seditionariis perpetrarentur, atque ita hanc jactantia tumuisset ut consobrinam suam Basinam abjecto cothurno despiceret, illa pœnitentiam agere cœpit, dicens : Ennvâ sequendo Chrodieldis jactantiam ; et ecce despectui habeor ab eadem, et abbatissæ meæ contumax existo. Et 504 conversa, humiliavit se coram abbatissa, expetens pacem ejus ; fueruntque postea uno animo eademque voluntate. Denique orto scandalo, pueri qui cum abbatissa erant, dum seditioni quam Chrodieldis schola [cætus] commovit, resisterent, puerum Basinæ percutiunt, qui cecidit et mortuus est. At illi post abbatissam ad basilicam confessoris confugiunt, et ob hoc Basina relicta abbatissa discessit ; sed pueris iterum per fugam lapsis, in pace quam prius habuerant redierunt. Postea vero multæ inter has schedas inimicitiæ ortæ sunt. Quis unquam tantas plagas tantasque strages, vel tanta mala vobis poterit explicare, ubi vix præteriit dies sine homicidio, hora sine jurgio, vel momentum aliquod sine fletu ! Hæc autem Childebertus rex audiens, legationem ad Guntchramnum regem direxit, ut scilicet episcopi conjuncti de utroque regno, hæc quæ perebantur sanctione canonica emendarent. Ob hanc causam Childebertus rex mediocritatis nostræ personam, cum Ebregisilo [a] Agrippinensi et ipso urbis Pictavæ Maroveo episcopo jussit adesse ; Guntchramnus vero rex Gundegisilum Burdegalensem cum provincialibus suis, eo quod ipse metropolis [b] huic rebi esset. Sed nos resultare cœpimus, dicentes quod non recederemus ad hunc locum, nisi sæva seditio, quæ per Chrodieldem surrexit, judicis discretione prematur. Pro hac causa Maceoni, tunc temporis comiti, pralata præceptio est, in qua jubebatur ut hanc seditionem, si resisterent, vi opprimeret. Hæc audiens Chrodieldis, sicarios istos cum armis ante ostium oratorii astare jubet, ut scilicet repugnantes contra judicem, si vim vellet inferre, pariter resultarent. Unde necessarium fuit huic comiti illuc cum armis procedere, et quosdam cæsos ventibus, nonnullos telis transfixos, et acrius resultantes gladiorum ictibus affectos opprimere. Quod cum Chrodieldis cerneret, accepta cruce Dominica, cujus prius virtutem despexerat, in obviam egreditur dicens : Nolite super me, quæso, vim inferre, quæ sum regina, filia regis, regisque alterius consobrina ; nolite facere, ne quando veniat 505 tempus, ut ulciscar eo vobis. Sed vulgus parvipendens quæ ab ea dicebantur, irruens, ut diximus, supra hos resultantes, vinctos monasterio extraxerunt, ac ad stipites extensos, gravissime cæsos, aliis cæsariæ, aliis manibus, nonnullis auribus naribusque decisis, seditio depressa quievit. Tunc residentibus sacerdotibus qui aderant super tribunal Ecclesiæ, adfuit Chrodieldis multa in abbatissam jactans convicia cum criminibus, asserens eam virum habere in monasterio, qui indutus vestimenta muliebria, pro femina haberetur, cum esset vir manifestissime declaratus, atque ipsi abbatissæ famularetur assidue, indicans eum digito : En ipsum. Qui cum in veste, ut diximus, muliebri coram omnibus astitisset, dixit se nullum opus posse virile agere, ideoque sibi hoc indumentum aptasse ; abbatissam vero nonnisi tantum nomine nosse, neque eam unquam vidisse, neque cum eadem colloquium habuisse professus est, præsertim cum hic amplius quam quadraginta ab urbe Pictava millibus degeret. Igitur abbatissam de isto crimine non convincens, adjecit : Quæ enim sanctitas in hac abbatissa versatur, quæ viros eunuchos facit, et secum habitare imperiali [c] ordine præcipit ? Interrogata abbatissa, se de hac re tione nihil scire respondit. Interea cum hæc nomen pueri eunuchi protulisset, adfuit Reovalis archiater, dicens : Puer iste parvulus cum esset et infirmaretur in femore, desperatus cœpit haberi ; mater quoque ejus sanctam Radegundem adivit, ut ei aliquod studium juberet impendi. At illa, me vocato, jussit ut si possim aliquid adjuvarem. Tunc ego, sicut quondam apud urbem Constantinopolitanam medicos agere conspexeram, incisis testiculis pueruni sanum genitrici mœstæ restitui. Nam nihil de hac causa abbatissam scire cognovi. Sed cum nec de hac re abbatissa potuisset culpabilis reperiri, alias cœpit Chrodieldis calumnias sævas inferre : quarum assertiones 506 responsionesque, quia in judicio, quod contra easdem scriptum est, habentur insertæ, ipsius magis exemplaria lectioni libuit indere.

[a] Regm., *Ebregisilo*. Sic dicitur in lib. I de Gloria Mart., cap. 63, Successit Charentino, ut ex Fortunato Cointius probat, licet in catalogis vulgatis Ebregesilus Charentino præponatur.

[b] Ed. Clerique et Casin., *metropolitanus* ; perinde est.

[c] Regm., *nuptiali ordine*. Melior est nostra lectio. Alludebat quippe ad morem antiquum, quo eunuchi imperatricibus ministrare solebant.

EXEMPLAR JUDICII EARUMDEM.

XVI. « Domnis gloriosissimis regibus, episcopi qui adfuerunt. Propitia divinitate, piis atque catholicis populo datis principibus, quibus concessa est regio, rectissime suas causas patefacit religio : intelligens, sacrosancto participante Spiritu, eorum qui dominantur se sociari et constabiliri decreto. Et quia ex jussione potestatis vestræ, cum ad Pictavam civitatem pro conditionibus monasterii sanctæ recordationis Radegundis convenimus, ut altercationes inter abbatissam ejusdem monasterii. vel monachas, quæ de ipso grege non salubri deliberatione progressæ sunt, ipsis disceptantibus agnoscere deberemus. Evocatis partibus, interrogata Chrodieldi vel Basina [a], quare tam audacter contra suam regulam, foribus monasterii confractis, discesserant, et hac occasione congregatio adunata discissa sit. Quæ respondentes, professæ sunt famis, nuditatis, insuper et cædis se jam non ferre periculum; adjicientes etiam, eo quod diversi [b] earum in balneo lavarentur incongrue, ad tabulam ipsa luserit, atque sæculares cum abbatissa reficerent, etiam sponsalia in monasterio facta sint; de palla holoserica vestimenta nepti [c] suæ temerarie fecerit; foliola aurea, quæ fuerant in gyro pallæ, inconsulte sustulerit et ad collum neptis suæ facinorose suspenderit; vittam de auro exornatam, eidem nepti suæ superflue fecerit; barbatorias [d] intus eo quod celebraverit. Interrogantes abbatissam, quid ad hæc responderet, dixit : De fame quod conqueruntur, secundum quod temporis penuria permitteret, nunquam ipsæ nimiam egestatem pertulerunt. De vestimento vero dixit : Si quis earum arcellulas scrutaretur, amplius eas habere quam necessitas indigeret. De balneo vero, **507** quod opponeretur, retulit hoc factum diebus Quadragesimæ [e], et pro calcis amaritudine, ne lavantibus noceret novitas ipsius fabricæ, jussisse domnam Radegundem, ut servientes monasterii, publice hoc visitarent, donec omnis odor nocendi discederet. Quod per Quadragesimam usque ad Pentecostem in usu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis respondit : Et postea similiter multi per tempora laverunt. Retulit abbatissa se nec probare quod dicerent, et se nescire an factum sit. Sed adhuc inculpans easdem, quod si ipsæ vidissent, cur abbatissæ non proderent. De tabula vero respondit : Et si lusisset vivente domna Radegunde, se minus culpa respiceret; tamen nec in regula per scripturam prohiberi, nec in canonibus retulit, sed ad jussionem episcoporum repromisit, cervice se inflexa per pœnitentiam, quidquid juberetur implere. De conviviis etiam ait, se nullam novam fecisse consuetudinem, nisi sicut actum est sub domna Radegunde; se Christianis fidelibus eulogias obtulisse, nec sibi comprobari cum illis ullatenus convivasse. De sponsalibus quoque ait, coram pontifice, clero vel senioribus, pro nepte sua orphanula arrhas accepisse : et tamen si hæc culpa sit, veniam se coram cunctis petere professa est; tamen nec tunc convivium in monasterio fecerit. De palla quod reputarent, protulit monachas nobilem quæ ei mafortem [f] holosericum, quem de parentibus detulit, muneris causa concesserit, et inde partem abscidisset, unde quod vellet et faceret; de reliquo vero quantum opportunum fuit, ad ornatum altaris pallam condigne condiderit; et de illa inscissura quæ pallæ superfuit, purpuram nepti suæ in tunica posuerit, quam ibi dedisse dixit, quo monasterio profuit, quæ per omnia donatrix D dimia confirmavit. De foliolis aureis et vitta auro exornata [g], Macconem famulum vestrum præsentem testem adhibuit, eo quod per manum ejus ab sponso puellæ prædictæ neptis suæ viginti solidos accepit, unde hoc publice fecerit, nec de re monasterii **508** quidquam ibi permistum sit. Interrogata Chrodieldis cum Basina, si forsitan aliquid abbatissæ, quod absit, adulterii reputarent, sive quid homicidii vel maleficii fecerit, aut crimen capitale quo perculeretur, edicerent, respondentes protulerunt non habere se aliquid, nisi per hæc quæ dixerant eam ista fecisse contra regulam proclamarent. Ad extremum, pro peccatis quia claustra disrupta sunt et miseris licuit sine disciplina abbatissæ suæ quod vellent committere per tot mensium spatia, quas credebamus innocentes monachas, nobis protulerunt prægnantes. Quibus per ordinem discussis, nec invento crimine quod abbatissam dejiceret, de levioribus causis paterna commonitione contestati sumus, ut hæc nullatenus deinceps pro reprehensione repeteret [h]. Tunc nobis percunctantibus causam adversæ partis, quæ majora crimina commiserunt, id est quæ prædicationem sui sacerdotis infra monasterium ne foras procederent, despexerunt, pontifice conculcato, et in summo contemptu in monasterio relicto, confractis seris et januis, irrito facto discesserunt, et ad suum peccatum aliæ tractæ transgressæ sunt. insuper et Gundegisilus pontifex, cum suis provincialibus pro

[a] Regm. et Colb. m., *Sabina*.

[b] Regm. et Bad., *diversæ*, et sic infra quæ ad id revocantur, femineo genere exprimuntur. Bec., *diversi eorum*.

[c] Omnes præter Bec. et Regm., *neptis*.

[d] Mss. 2, *barbaturias*, et Regm., *inique*, pro *intus eo quod*. Barbatorias celebrare, id est larvas seu personas agere, barbas sibi aptando : quo in sensu, ut observat Altesserra, Petronius in Fragmento : *Hodie servus meus barbatorium facit*. Hinc ludi satyrici, quod actores barbas, more satyrorum et faunorum, ut vulgo a pictoribus finguntur, deferrent; quos abusus sacri canones passim proscripsere. Cointius tamen hanc vocem exponit de arte tonsoria.

[e] Quo tempore mos erat non lavandi ob pœnitentiæ luctum.

[f] Mafors vestimenti amplioris genus erat mulieribus proprium, quod caput et humeros tegebat. De hoc Fortunatus in Vita sanctæ Radegundis, tum in Vita sancti Hilarii. Eadem voce, uti Cassianus lib. 1 Institut., cap. 7, testatur, veteres pallium monasticum designabant.

[g] Quæ in modum coronæ disposita deferri solebat a sponsa : qui mos hodieque in nonnullis regionibus perseverat.

[h] Alii habent *cognosceret*.

ipsa causa commonitus, per præceptionem regum Pictavis accessissent, et ad audientiam eas ad monasterium convocarent, despecta commonitione, ipsis occurrentibus ad beati Hilarii confessoris basilicam, ubi ipsæ commorabantur accedentes, ut condecet pastorum sollicitudinem, dum commonerentur, facta seditione, fustibus tam pontifices quam ministros [a] affecerunt, et intra basilicam fuderunt sanguinem levitarum. Dehinc ex jussione domnorum principum, cum vir venerabilis Theutharius presbyter in causa directus fuerit, et statutum fuisset quando judicium fieret, non exspectato tempore, monasterium seditiosissime, accensis in corte cuppis, vectibus ac securibus confractis posticis, igne accenso, intra septa cæsis et vulneratis monachabus in ipsis oratoriis, spoliato monasterio, denudata et **509** discissa capillis abbatissa, graviter ad ridiculum ducta et tracta per compita, et in locum retrusa, etsi non ligata, nec libera : superveniente diei Paschæ festo per sæculum [b], offerente pontifice pro condemnata pretium, ut spectaret vel baptismum, nec ulla suasione hoc impetrasset vox supplicium, atque respondente Chrodielde, eo quod tale facinus nec scissent, nec jusserint, adhuc Chrodielde asserente ad intersignium suum, ne a suis interficeretur, obtentum sit : unde certum est tractari quid ex hoc datur intelligi, quod additur crudelitati, ad sepulcrum beatæ Radegundis fugientem servum monasterii sui occiderent, et scelere crescente nihil petendo sanaverint ; sed per se post intrantes monasterium ceperint, et ad domnorum jussionem, ut seditiosos illos in publico repræsentarent, nolentes acquiescere, et contra regum præcepta magis arma tenerent, et se sagittis vel lanceis contra comitem et plebem indignanter erigerent. Hinc denuo egressæ ad audientiam publicam, extrahunt Crucem [c] sanctam sacratissimamque occulte, et ad injuriam, indecenter, ad culpam, quæ postea restituere coactæ sunt in ecclesia. Quibus tot capitalibus agnitis facinoribus, nec refrænatis, sed jugiter magis auctis criminibus, nobis eisdem dicentibus, ut abbatissæ pro culpa veniam peterent, aut quod male directum [d] fuerat emendarent : et nolentes hoc facere, sed magis de ejus interfectione tractarent, quod publice sunt professæ ; reseratis a nobis et recensitis canonibus, visum est æquissimum eas, usque quo dignam agerent pœnitentiam, a communione privari, et abbatissam suo loco permanuram restitui. Hæc nos pro vestra jussione, quod ad ecclesiasticum pertinuit ordinem, circumspectis [e] canonibus, absque personarum aliqua acceptione suggerimus peregisse. De cætero quod de rebus monasterii, vel instrumentis chartarum domnorum regum parentum vestrorum de loco subreptum est, **510** quæ se habere professæ sunt, sed nobis inobedientes nullatenus erunt voluntarie reddituræ, qualiter vestra, vel anteriorum principum merces æterna permaneat, ad [f] loci instaurationem, vestræ pietatis atque potestatis est auctoritate regia cogere reformari ; neque ipsas ad locum, quem tam impie ac profanissime destruxerunt, ne pejora proveniant, vel redire concedite, vel permittatis iterum aspirare : quatenus his in integrum, præstante Domino, restitutis, sub catholicis regibus totum acquiratur Deo, nihil perdat religio : ut status conservatus tam patrum quam canonum nobis proficiat ad cultum, vobis propagetur ad fructum. Christus vos Dominus alat regatque, regnum tribuens prolixius, vitamque conferat beatam. »

XVII. Post hæc cum emisso judicio a communione fuissent suspensæ, abbatissa etiam in monasterium restituta, hæ ad Childebertum regem petierunt, adjicientes malum supra malum, denominantes scilicet regi personas quasdam, quæ non solum cum ipsa abbatissa adulteria exercerent, verum etiam ad inimicam ejus Fredegundem quotidie nuntia deportarent. Quod audiens rex, misit qui eos vinctos adducerent : sed cum discussi nihil criminis inventum in eis fuisset, abscedere jussi sunt.

XVIII. Ante hos vero dies cum rex in oratorium domus Mariligensis ingrederetur, viderunt pueri ejus hominem ignotum eminus astantem, dixeruntque ad eum : Qui es tu, et unde venis, aut quod est opus tuum ? non enim a nobis agnosceris. Illo quoque respondente : Quia de vobis sum, dicto citius ejectus extra oratorium, interrogatur. Nec mora confitetur, dicens a Fredegunde regina se transmissum ad interficiendum regem, dixitque : Duodecim viri sumus ab ea transmissi, sex huc venimus, alii vero sex Suessionibus remanserunt ad decipiendum filium regis. Et ego cum **511** locum præstolans, ut regem Childebertum in oratorio percutere destinarem, timore perterritus, non deliberavi implere quod volui. Hæc cum dixisset, confestim sævis datus suppliciis, diversos nominat socios ; quibus per loca singula inquisitis, alios carceribus mancipant, alios manibus incisis relinquunt, nonnullos auribus naribusque amputatis ad ridiculum laxaverunt. Plerique tamen ex vinctis, suppliciorum genera metuentes, propriis se confodere mucronibus ; nonnulli etiam inter supplicia defecerunt, ut regis ultio patraretur.

[a] Id est *diaconos*.

[b] Regm., *festivo scilicet per omne sæculum*.

[c] Eam scilicet quam sancta Radegundis tanta cum pompa ad monasterium afferri curaverat, quæ et ipsi nomen tribuit. Cæterum cod. Regin. paulo prolixius habet : *Extrahunt, easdemque ad injurium indecenter trahentes, et merito. Violenter enim et contra pudorem suum egerant in ecclesia sua contra ministros Ecclesiæ. Sed dum sic injuriose, ut quidem meritæ erant traherentur, pœnitentia ductæ pro facinoribus, petebant veniam sibi dari ab abbatissa, vollicentes se emendaturas quidquid male egerant. Et hæc tertio simulantes, et pœnitentiam fugientes, magis de ipsius abbatissæ interfectione tractabant, quod publice sunt confessæ. Ilesseratis itaque*, etc.

[d] Editi cum Colb. m., *directum*.

[e] Sic Bec. et Regm., alii, *circumscriptis*.

[f] Regm., *Hoc autem vestræ pietatis erit confirmari stabili judicio, ne autem ipsas ad locum quem tam impie destruxerunt sinatis redire, nec ulterius concedatis aspirare, qualenus*

XIX. Sunnigisilus [a] vero iterum tormentis addicitur, ac quotidie virgis lorisque cæditur; et computrescentibus vulneribus, cum primum decurrente pure cœpissent ipsa vulnera claudi, iterum renovabantur ad pœnam. In his tormentis, non solum de morte Chilperici [b] regis, verum etiam diversa scelera se admisisse confessus est: inter quas confessiones addidit etiam Egidium Rhemensem episcopum socium fuisse in illo Rauchingi [c], Ursionis ac Berthefredi consilio ad interficiendum Childebertum regem. Nec mora rapitur episcopus, et ad Mettensem urbem, cum esset valde ab ægrotatione longinqua defessus, adducitur; ibique sub custodia degens, rex episcopos arcessiri ad ejus examinationem præcepit, scilicet ut in initio mensis octavi apud Viridunensem urbem adesse deberent. Tunc ab aliis sacerdotibus increpitus, cur hominem absque audientia ab urbe rapi et in custodiam retrudi præcepisset, permisit eum ad urbem suam redire, dirigens epistolas, ut supra diximus, ad omnes regni sui pontifices, ut medio mense nono ad discutiendum in urbe supradicta adesse deberent. Erant autem pluviæ validæ, aquæ immensæ, rigor intolerabilis, dissolutæ luto viæ, amnes littora excedentes: sed præceptioni regiæ obsistere nequiverunt. Denique **512** convenientes, pertracti sunt usque Mettensem urbem: ibique et præfatus Egidius adfuit. Tunc rex inimicum eum sibi regioque proditorem esse pronuntians, Ennodium ex duce ad negotium delegit prosequendum, cujus propositio prima hæc fuit: Dic mihi, o episcope, quid tibi visum fuit, ut relicto rege, in cujus urbe episcopatus honore fruebaris, te Chilperici regis amicitiis subtilereris, qui semper inimicus domino nostro regi fuisse probatur, qui patrem ejus interfecit, matrem exsilio [d] condemnavit, regnumque pervasit, et in iis urbibus quas, ut diximus, iniquo pervasionis ordine, suo dominio subjugavit, tu ab eodem possessiones cum fiscalium prædia meruisti? Ad hæc ille respondit: Quod fuerim amicus regis Chilperici negare non potero, non tamen contra utilitatem regis Childeberti hæc amicitia pullulavit. Villas vero quas memoras, per istius regis chartas emerui. Tunc proferente easdem in publico, negat rex se largitum fuisse; requisitusque Ouo [*Ed.* Oubo], qui tunc referendarius fuerat, cujus ibi subscriptio meditata tenebatur, adfuit, negat se subscripsisse: conficta enim erat manus ejus in hujus præceptionis scripto. In hac igitur causa primum episcopus fallax repertus est. Post hæc epistolæ prolatæ sunt, in quibus multa de improperiis Brunichildis tenebantur, quæ ad Chilpericum scriptæ fuerant, similiter et Chilperici ad episcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur insertum: « Quia si radix cujuslibet rei incisa non fuerit, culmus qui terræ est editus non arescet. » Unde prorsus manifestum est, ideo hæc scripta, ut superata Brunichilde, filius ejus opprimeretur. Negavit se episcopus has epistolas vel misisse suo nomine, vel suscepisse a rescripto Chilperici. Sed puer ejus familiaris adfuit, qui hæc notarum titulis per tomos chartarum comprehensa tenebat: unde non dubium fuit residentibus, hæc ab eodem **513** directa. Deinde prolatæ sunt pactiones quasi ex nomine Childeberti ac Chilperici regis, in quibus tenebatur insertum, ut ejecto Guntchramno rege, hi duo reges inter se ejus regnum urbesque dividerent: sed negavit hæc rex cum suo factum consilio, dicens: Quid tu commisisti patruos meos, ut inter illos bellum civile consurgeret? Unde factum est ut commotus exercitus Bituricas urbem, paguinque Stampensem, vel Mediolanense [e] castrum atterarent atque depopularentur: in quo bello multi interempti sunt, quorum, ut puto, animæ erunt Dei judicio de tuis manibus requirendæ? Hæc episcopus negare non potuit. Scripta enim ista in regesto Chilperici regis in uno scriniorum pariter sunt reperta: ac tunc ad eum perveneruntque, quando interempto Chilperico, thesauri ejus de Calensi Parisiacæ urbis villa ablati ad eumdem delati sunt. Cumque de hujusmodi causis altercatio diutius traheretur, adfuit et abbas Epiphanius basilicæ sancti Remigii, dicens quod duo millia aureorum speciesque multas pro conservando regis Chilperici amicitia accepisset. Astiterunique etiam et legati, qui cum eodem ad memoratum regem fuerant, dicentes: Quia nobis relictis diutius cum eodem solus collocutus est: de quibus verbis nihil intelleximus, nisi supradicti excidii prosecutionem imposterum cognoscentes. Hæc eo negante, abbas qui fuerat semper in iis consiliorum arcanis particeps, locum hominemque denominat, ubi, et qui aureos, quos diximus, detulisset; et qualiter de excidio regionis ac regis Guntchramni conventum fuerat, ut gestum est ex ordine denarravit. Quæ et ille convictus, deinceps est confessus. Hæc audientes episcopi qui advocati fuerant, et in tantis malis sacerdotem Domini contuentes fuisse satellitem,

[a] Regm., ut libro præcedenti, cap. 38, *Domnigisilus*.

[b] Sic mss. omn. et editi; Valesius tamen legendum censet *Childeberti*. Idque, ut putat erratum, Gregorii memoriæ lapsui attribuit, cum haud possibile ipsi videatur, virum nobilem ex Austrasia, atque in Childeberti palatio honoratum a Fredegunde, quæ Chilperici interitus auctor esse putatur, delectum fuisse ad inferendam ipsi Chilperico necem, maxime cum ipse in Neustria habuerit complures sicarios, qui sceleratæ ipsius fidissimi erant ministri. Nondum tamen obierat Childebertus, quando hæc Gregorius scribebat. Unde si vera sit Valesii opinio, hic locus intelligendus de morte quam Rauchingus et alii hic memorati Childeberto meditati fuerant inferre.

[c] Alii, *Ravingus*, seu *Ravincus*. Is ipse est Rauchingus, de quo supra lib. VIII, cap. 29, et lib. IX, cap. 9, ubi conjuratio hic memorata describitur.

[d] Regm., *equuleo*; sed altera lectio melior. Nam reipsa Chilpericus, ut narrat ipse Gregorius lib. V, cap. 1, post Sigiberti necem Brunichildem in exsilium deportari jussit.

[e] Sic habent Bec. et Colb. m. Corb. a, *Mediolensem*; editi, *Miliodunense*. Hic, ut puto, Mediolanum, seu Magdunum Biturigum potius designatur, quam Melodunum, quod est oppidum Senonum ad Sequanam. Utrumque bello isto lacessitum est. Vide supra lib. VI, cap. 31.

vix quantum quintæ lunæ cornua retinent, ad lucendum haberet. Pluviæ validæ, tonitrua in autumno gravia, aquæ autem nimium invaluerunt. Vivariensem[a] Avennicamque urbem graviter lues inguinaria devastavit.

XXIV. Anno igitur decimo sexto Childeberti, Guntchramni autem trigesimo regum, quidam episcopus de transmarinis partibus ad Turonicam urbem advenit, nomine Simon. Hic nobis eversionem Antiochiæ urbis enuntiavit, asserens se de Armenia in Perside captivatum fuisse. Rex enim Persarum, irrupto Armeniorum termino, prædas egit ecclesiasque igni succendit, et hunc sacerdotem cum populo suo, ut diximus, captivum abduxit. Tunc etiam et basilicam sanctorum quadraginta octo martyrum, de quibus in libro Miraculorum memini[b], qui in illa regione passi sunt, oppleta ligni congerie, pice, tergoribusque suillinis immistis, suppositis ardentibus **517** facibus, succendere nisi sunt[c]: sed nequaquam ignis apparatum incendii comprehendit, sicque videntes magnalia Dei, recesserunt ab ea. Audita autem quidam episcopus istius memorati sacerdotis abductione, direxit pretium per homines suos ad regem Persarum. Quo ille suscepto, relaxavit a servitutis vinculo episcopum istum. Ex iis ergo discedens regionibus, Gallias est aggressus, ut aliquid consolationis a devotis acciperet: qui nobis, ut præfati sumus superius, hæc retulit. Homo erat in Antiochia valde devotus in eleemosynis, conjugem ac liberos habens; nec unquam ei in omni vita sua dies præteriit, postquam quiddam proprium habere cœpit, quod sine paupere epulum prælibasset. Hic una die cum circumisset urbem usque ad vesperum, et reperire non potuisset egenum, cum quo cibum capere posset, egressus extra portam, cum nox irrueret, reperit virum in veste alba cum duobus aliis stantem, quem aspiciens, quasi Loth ille antiqua memoratus historia[d], territus ait: Et forsitan peregrinus est dominus meus, dignetur accedere ad domum servi sui; et sumpto epulo, quiescite in strato, mane autem proficiscemini in viam quam volueritis. Cui ille qui erat senior tenens sudarium in manu sua, ait: Non poteras, o homo Dei, cum Simeone vestro hanc urbem salvare, ne subverteretur? Et elevans manum excussit sudarium quod tenebat super medietatem urbis, et statim corruerunt omnia ædificia, et quodcunque ibi structum fuit; ibique oppressi sunt senes cum infantibus, viri cum mulieribus, atque uterque sexus interiit[e]. Quod ille cernens, tam de persona viri, quam de sonitu ruinæ hebes effectus, ruit in terram et factus est velut mortuus. Elevansque iterum vir ille manum eum sudario, quasi super aliam medietatem urbis, apprehensus est a duobus sociis qui cum eo erant, atque obsecratus terribilibus sacramentis, ut indulgeret medietati urbis, ne rueret, mitigatoque furore sustinuit manum suam, atque elevans hominem **518** qui corruerat in terram, ait: Vade ad domum tuam, ne timeas: filii enim tui cum uxore et omni domo tua salvi sunt, nec quisquam ex eis periit. Custodivit enim te oratio assidua et eleemosynæ quas quotidie exerces in pauperes. Et hæc dicens, discesserunt ab oculis ejus, nec ei apparuerunt ultra. Ille autem regressus in urbem, reperit urbis medietatem diruta atque subversam cum hominibus pecoribusque, ex quibus nonnulli a ruinis deinceps extracti sunt mortui, pauci debilitati reperti sunt vivi. Verumtamen nec illa cassata sunt, quæ viro huic ab ipso, ut ita dicam, angelo Domini sunt effata. Nam veniens, omnem domum suam incolumem reperit, tantum funera propinquorum, quæ in aliis domibus effecta fuerant, lamentabatur, protexitque eum in medio iniquorum dextera Domini cum domo sua, salvatusque est a periculis mortis, ac velut memoratus Loth quondam in Sodomis (*Gen.* XIX).

XXV. At in Galliis Massiliensem Provinciam morbus sæpe nominatus invasit: Andegavos, Namneticos, atque Cenomanicos valida fames oppressit. Initia sunt enim hæc dolorum, juxta illud quod Dominus ait in Evangelio: *Erunt pestilentiæ et fames, et terræmotus per loca* (*Matth.* XXIV, 7); *et exsurgent pseudochristi, et pseudoprophetæ* (*Ibid.* XXIV, 11); *et dabunt signa et prodigia in cœlo, ita ut electos in errorem mittant* (*Marc.* XIII, 22). Sicut præsenti gestum est tempore. Quidam enim ex Biturico, ut ipse postmodum est professus, dum saltus silvarum ingressus, ligna cæderet ad explendam operis cujusdam necessitatem, muscarum eum circumsedit examen, qua de causa per biennium amens est habitus: unde intelligi datur diabolicæ emissionis fuisse nequitiam. Posthæc transactis urbibus propinquis, Arelatensem Provinciam adiit, ibique indutus pellibus, quasi religiosus orabat: ad quem illudendum pars adversa, divinandi ei tribuit locu tatem. Ex hoc ut in majori proficeret scelere, commotus a loco, Provinciam memoratam descrens, Gabalitanæ[f] regionis terminum est ingressus, proferens **519** se magnum, ac profiteri se non metuens Christum, assumpta secum muliere quadam pro sorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi, exhibens infirmos, quos contingens sanitati reddebat. Conferebant enim ei aurum argentumque, ac vestimenta, ii qui ad eum conveniebant. Quod ille, quo facilius sedu-

[a] Albam Helviorum hanc urbem veteres frequentius appellabant, hodie Vivarium seu Vivaria dicitur, vulgo *Viviers*, ubi sedes episcopalis sub metropoli Viennensi.

[b] In lib. I de Gloria Mart., cap. 96.

[c] Hic desinit codex Regm., cæteris avulsis. Nihil autem deerat, ut ex capitum indice colligitur, præter forte ultimum caput de episcopis Turonicis, quod in hodice non memoratur.

[d] In Historia sacra, scilicet Geneseos, cap. 19.

[e] Cladem hanc Antiochenam fuse descripsit Evagrius lib. VI, cap. 8, quam anno 589 contigisse probat Henr. Valesius in Annotationibus.

[f] Hodie *le Gevaudan*, cujus urbs præcipua olim Anderitum, sed a compluribus sæculis Mimate, *Mende*, hodieque episcopi sedes principem locum ob inet.

ceret, pauperibus erogabat, prosternens se solo, effundens orationem cum muliere memorata, et surgens se iterum a circumstantibus adorari jubebat. Prædicebat enim futura, et quibusdam morbos, quibusdam damna provenire denuntiabat, paucis salutem futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus, et præstigiis nescio quibus agebat. Seducta est autem per eum multitudo immensa populi, et non solum rusticiores, verum etiam sacerdotes ecclesiastici. Sequebantur autem eum amplius quam tria millia populi. Interea cœpit quosdam spoliare ac prædari, quos in itinere reperisset : spolia tamen non habentibus largiebatur, Episcopis ac civibus minas mortis intentabat, eo quod ab iis adorari despiceretur. Ingressus autem Vellavæ urbis terminum, ad locum quem Anicium [a] vocitant accedit, et ad basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, instruens aciem, qualiter Aurelio [b] ibidem tunc consistenti episcopo bellum inferret, mittens etiam ante se nuntios, homines nudo corpore, saltantes atque ludentes, qui adventum ejus annuntiarent. Quod stupens episcopus, direxit ad eum viros strenuos, inquirentes quid sibi vellent ista quæ gereret. Unus autem ex iis qui erat senior, cum se inclinasset quasi osculaturus genua ejus ac discussurus viam illius, jussit eum apprehensum spoliari : nec mora, ille evaginato gladio in frusta concidit, occiditque Christus ille, qui magis Antichristus nominari **520** debet, et mortuus est, dispersique sunt omnes qui cum eo erant. Maria autem illa, suppliciis dedita, omnia phantasmata ejus ac præstigias publicavit. Nam homines illi quos ad se credendum diabolica circumventione turbaverat, nunquam ad sensum integrum sunt regressi, sed hunc semper quasi Christum, Mariam autem illam partem deitatis habere profitebantur. Sed et per totas Gallias emerserunt plerique, qui per has præstigias adjungentes sibi mulierculas quasdam, quæ debacchantes sanctos eos confiterentur, magnos se in populis præferebant : ex quibus nos plerosque vidimus, quos objurgantes revocare ab errore nisi sumus.

XXVI. Ragnemodus [c] quoque Parisiacæ urbis episcopus obiit. Cumque germanus ejus Faramodus presbyter pro episcopatu concurreret, Eusebius quidam negotiator, genere Syrus, datis multis muneribus, in locum ejus subrogatus est : isque accepto episcopatu omnem scholam [d] decessoris sui abjiciens, Syros de genere suo ecclesiasticæ domui ministros statuit. Obiit et Sulpicius Bituricæ urbis pontifex, cathedramque ejus Eustasius [e] Augustidunensis diaconus est sortitus.

XXVII. Inter Tornacenses quoque Francos non mediocris disceptatio orta est, pro eo quod unius filius, alterius filium, qui sororem ejus in matrimonium acceperat, cum ira sæpius objurgabat, cur conjuge relicta scortum adiret : quæ iracundia, cum emendatio criminis non succederet, usque adeo elata est, ut irruens puer super cognatum suum, eum cum suis interficeret, atque ipse ab iis cum quibus venerat ille prosterneretur, nec remaneret quispiam ex utrisque, nisi unus tantum cui percussor defuit. Ex hoc parentes utriusque inter se sævientes, a Fredegunde regina plerumque arguebantur, **521** ut relicta inimicitia concordes fierent, ne pertinacia litis in majus subveheretur scandalum. Sed cum eosdem verbis lenibus placare nequiret, utrumque bipenne compescuit. Invitatis enim ad epulum multis, hos tres in uno fecit sedere subsellio : cumque in eo prandium elongatum fuisset spatio, ut nox mundum obrueret, ablata mensa [f], sicut mos Francorum est, illi in subsellia sua sicut locati fuerant, residebant. Potatoque vino multo, in tantum crapulati sunt, ut pueri eorum madefacti per angulos domus, ubi quisque corruerat, obdormirent. Tunc ordinati a muliere viri cum tribus securibus, a tergo horum trium astiterunt, illisque colloquentibus, in uno, ut ita dicamus, assultu puerorum manus libratæ, hominibus perculsis, ab epulo est discessum. Nomina quoque virorum, Chariualdus, Leodoualdus, atque Waldinus. Quod cum parentibus perlatum fuisset, custodire arctius Fredegundem cœperunt, dirigentes nuntios ad Childebertum regem, ut comprehensa interficere-

[a] Hic evidenter urbs Vellava ab Anicio distinguitur. Anicium quod hodie episcopi sedes est, vulgo Podium, *le Puy*, appellatur a situ. Podium quippe *un puy*, seu *Peu*, aut *lo puech*, non solum antiquitus, sed etiam nunc in illis regionibus montem designat. Celebris est ille locus ob ecclesiam cathedralem, sitam in edito monte, beatæ Mariæ sacram, cujus antistes se episcopum Romani pontificis suffraganeum immediatum inscribit, ac fuit aliquando pallii privilegio donatus. De antiquæ urbis Vellavæ situ dicemus in Appendice.

Antiquam Vellavorum urbem, ex qua hodieque regio nomen *Velay* retinet, a nonnullis *Revessionem* dictam, ibi sitam fuisse ubi hodie visitur S. Pauliani oppidum multis argumentis probat Mabillonius in appendice ad partem I sæc. IV Act. SS. Ord. Benedictini, pag. 758, ubi et aliquot inscriptiones hanc in rem profert. Ex his unicam huc proferre satis sit, erutam in antiqua via quæ ex illo oppido Gergobiam ducit.

CAES. PRINCEPS
IVVENT. VIAS
ET. PONTES. VETVSTAT.
CONLAPSAS
RESTITVI. F.

[b] Aurelius uti sanctus colitur apud Podienses.

[c] Hoc cap. et seq. desunt in Vat. et Colb. a. Faramodus qui Eusebio locum cessit, post ejusdem obitum factus est ejus successor, ut ex vulgatis catalogis discimus.

[d] Id est lectores, cantores, etc. qui sub archidiaconi erant disciplina.

[e] Colb. m., Bad. et Ches., al., *Eustachius*. Sic quoque dicitur in patriarchio Bituricensi, cap. 28, ubi *sancti* titulo donatur. Porro Sulpicius ejus decessor, hic memoratus, *Severus* cognominatus est, ut ab altero Sulpicio episcopo Bituricensi, qui *Pius* appellatus est, distingueretur. Severi festum die IV Kalend. Februarii colitur. Sepultus fuerat in ecclesia sancti Juliani, unde ad sanctum Ursinum translatus est, ubi hodie quiescit. Ipsi nuncupatus circumfertur liber de septem Dormientibus, Gregorio nostro tributus. Vide supra lib. VI, cap. 39, et diem 29 Januarii Bollandiani.

[f] Casin., *illata mensa*.

tur. Commotus autem pro hac causa Campanensis [a] populus, dum moras innecteret, hæc suorum erepta auxilio, ad locum alium properavit.

XXVIII. Posthæc autem legatos ad Guntchramnum regem mittit, dicens : Proficiscatur dominus meus rex usque Parisios, et arcessito filio meo nepote suo, jubeat eum baptismatis gratia consecrari, ipsumque de sancto lavacro exceptum, tanquam alumnum proprium habere dignetur. Hæc audiens rex, commotis episcopis, id est Ætherio Lugdunensi, Syagrio Augustidunensi, Flavioque Cabillonensi [b], et reliquis quos voluit, Parisios accedere jubet, indicans se postmodum secuturum. Fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno ejus, tam domestici quam comites, ad præparanda regalis expensæ necessaria. Rex autem deliberatione acta, ut ad hæc deberet accedere, pedum est dolore prohibitus. Postquam autem convaluit, **522** accessit Parisios : exinde ad Rotojalensem villam ipsius urbis properans, evocato puero jussit baptisterium præparari in vico Nemptodoro [c]. Dum autem hæc agerentur, legati Childeberti regis accesserunt ad eum, dicentes : Non enim ista nuper nepoti tuo Childeberto pollicitus eras, ut cum inimicis ejus amicitias colligares ? Sed in quantum cernimus, nihil de promissione tua custodis, sed potius quæ promiseras prætermittis : et puerum istum in urbis Parisiacæ cathedra regem statuis. Judicabit enim Deus, quia non reminisceris quæ ultro pollicitus es. Hæc iis dicentibus, rex ait : Promissionem quam in nepotem meum Childebertum regem statutam habeo, non omitto. Nam illum non oportet scandalizari, si consobrinum ejus filium fratris mei, de sancto suscipiam lavacro : quia hanc petitionem nullus Christianorum debet abnuere. Eamque ego, ut Deus manifestissime novit, non calliditate aliqua, sed in simplicitate puri cordis agere cupio, quia offensam divinitatis incurrere formido. Non est enim humilitas genti nostræ, si hic a me excipiatur. Si enim domini proprios famulos de sacro fonte suscipiunt, cur et mihi non liceat propinquum parentem excipere, ac filium facere per baptismi gratiam spiritalem? Abscedi e nunc, et nuntiate domino vestro : Pactionem quam tecum pepigi, custodire cupio illibatam, quam si tua conditionis noxa non omiserit, a me prorsus omitti nequibit. Et hæc dicens, legatis discedentibus, rex accedens ad lavacrum sanctum, obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens, Chlotharium vocitari voluit, dicens : Crescat puer, et hujus sit nominis exsecutor, ac tali potentia polleat, sicut ille [d] quondam, cujus nomen indeptus est. Quo mysterio celebrato, invitatum ad epulum parvulum multis muneribus oneravit. Similiter et rex ab eodem invitatus, plerisque donis refertus abscessit, et ad Cabillonensem urbem redire statuit [e].

523 XXIX. Arèdius quoque hoc anno terras relinquens, vocante Domino, migravit ad cœlum. Lemovicinæ urbis incola fuit, non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, sed valde ingenuus. Hic Theodoberto regi traditus, aulicis palatinis adjungitur. Erat enim tunc temporis apud urbem Trevericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius episcopus, non solum in prædicatione admirabilis facundiæ, verum etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe. Qui intuens puerum in regis palatio, nescio quid in vultu ejus cernens divinum, præcepit ei se sequi. At ille relicto regis palatio, secutus est eum. Cumque ingressi in cellulam, de iis quæ ad Deum pertinent confabularentur, expetiit adolescens a beato sacerdote se corrigi, ab eo edoceri, ab eo imbui, ac in divinis voluminibus ab eodem exerceri. Cumque in hujus studii flagrantia cum antistite memorato degeret, tonsurato jam capite, quadam die psallentibus clericis in ecclesia, descendit columba e camera, quæ leviter volitans circa eum, resedit super caput ejus, illud indicans, ut opinor, eum Spiritus sancti gratia jam repletum. Quam cum ille non sine pudore conaretur abigere, hæc paululum circumvolans, iterum super caput ejus, aut super scapulam residebat : quæ non modo ibi, sed etiam cum in cellulam episcopi ingrederetur, jugiter comitabatur cum eo. Quod per dies plurimos factum, non sine admiratione episcopus intendebat. Exinde vir Dei Spiritu, ut diximus, sancto repletus, ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur, consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc sobolem spectabat. Deinde cum jejuniis atque orationibus vacaret, deprecatur eam, ut omnis cura domus, id est, sive correctio familiæ, sive exercitium agrorum, sive cultus vinearum ad eam aspiceret : ne huic viro aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret; unum sibi tantum privilegium vindicans, ut ad ecclesias ædificandas ipse præesset. Quid plura? construxit templa Dei in honore **524** sanctorum, expetiitque eorum pignora, ac ex familia propria tonsuratos instituit monachos, cœnobiumque [f] fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante. Nec minus hæc tamen impedita hoc onere in

[a] Editi cum Bec., *Campanensis*.

[b] Ætherius, qui et inferius laudatur, et Syagrius celebres sunt ex sancti Gregorii papæ epistolis ; de Flavio Gregorius supra lib. v, cap. 46; qui tres variis conciliis interfuerunt.

[c] Nemptodorum vicus Rotoïolo vicinus, vulgo *Nanterre*, beatæ Genovefæ urbis patronæ natalibus celebris.

[d] Chlotarius ipsius Guntramni pater, quem Chlothacharium, veteres scriptos secuti, in Gregoriano textu scripsimus. Uterque Chlotarius Francorum monarchiam obtinuit.

[e] In Vat. et Colb. a huic capiti subjungitur Fredegarii Chronicon sub titulo libri x Historiæ Gregorii.

[f] Monasterium scilicet Atanense, quod postquam diu regulæ Benedictinæ fuisset subjectum, ad sæculares canonicos transiit, qui sancti Martini Turonensis capitulo subjecti sunt. Oppido circumposito nomen et originem tribuit, quod hodieque sancti Aredii, vulgo *Saint-Yrieix*, in Lemovicibus appellatur.

Dei laudibus perstrepebat; sed assidue, etsi quiddam operis exerceret, semper orationem Domino, tanquam odorem incensi acceptabilis offerebat. Interea ad sanctum Aredium cœperunt infirmi confluere, quos, manus singulis cum vexillo crucis imponens, sanitati reddebat; quorum, si singillatim nomina scribere velim, nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare: unum tamen novi, quod quicunque ad eum æger advenit, sospes abscessit. De majoribus quoque miraculis parva proponimus. Iter quodam tempore cum genitrice dum ageret, et sancti Juliani martyris ad basilicam properaret, venerunt vespere in quodam loco. Erat autem locus ille aridus, et absque fluentis currentibus infecundus. Dixitque ad eum mater ejus: Fili, aquam non habemus, et qualiter hic nocte præsenti quiescere possumus? At ille prostratus in orationem, et diutissime preces fudit ad Dominum, et erigens se defixit virgam in terra quam manu gerebat, eamque cum bis aut tertio in gyrum vertisset, ad se lætus extraxit: moxque unda aquæ secuta est tam valida, ut non solum ipsis de præsenti, sed etiam pecoribus affatim deinceps pocula ministraret. Nuperrimo autem tempore iter carpens, nimbus ad eum pluviæ advenire cœpit: quem ille cernens, paululum super equum in quo sedebat caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Consummata vero oratione, divisa est nubes in duabus partibus, ac in circuitu eorum immanis descendit pluvia; super eos tamen, nulla, si dici fas est, gutta descendit. Wistrimundo quoque, cognomento Tattonis, civi Turonico, dentes gravem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat: quod cum beato viro **525** questus fuisset, manum super locum doloris imposuit, statimque dolor fugatus, nusquam deinceps ad injuriam hominis excitatus est. Hæc ipse qui passus est retulit. De his vero signis quæ per virtutem sancti Juliani martyris Martinique confessoris beati, in ejus manibus Dominus operatus est, pleraque in libris Miraculorum, sicut ipse effatus est, scripsimus. Post has vero et multas alias virtutes, quas Christo cooperante complevit, advenit Turonis post festivitatem sancti Martini, ibique paululum commoratus, dixit nobis se haud longævo [a] tempore adhuc in hoc mundo retineri, aut certe velocius dissolvi; et valedicens abscessit, gratias agens Deo, quod priusquam obiret sepulcrum beati antistitis osculari promeruisset. Cumque ad cellulam suam accessisset, testamento [b] condito, ordinatis omnibus, ac sancto Martino Hilarioque antistitibus hæredibus constitutis, ægrotare cœpit ac dysenteriæ morbo gravari. Sexta quoque ægrotationis ejus die, mulier quæ ab spiritu immundo agitata vexata, a sancto emundari non poterat, ligatis per se a tergo manibus, clamare cœpit ac dicere: Currite cives, exilite populi, exite obviam martyribus confessoribusque, qui ad exsequium beati Aredii conveniunt. Ecce adest Julianus a Brivate, Privatus ex Mimate, Martinus a Turonis, Martialisque ab urbe propria [c]. Adest Saturninus a Tolosa, Dionysius ab urbe Parisiaca, nonnulli et alii, quos cœlum retinet, quos vos ut confessores et Dei martyres adoratis. Hæc cum in exordio noctis clamare cœpisset, a domino suo revincta est. Sed nequaquam potuit contineri: quæ rumpens vincula, ad monasterium cum his vocibus properare cœpit. Moxque beatus vir spiritum tradidit, non sine testimonio veritatis, quod sit susceptus ab angelis. Mulierem quoque in exsequiis suis cum alia muliere nequiori spiritu vexata, ut est [d] sepulcro tectus, a nequitia infesti dæmonii emundavit. Et credo, ob hoc Dei nutu easdem in corpore positus non potuit **526** emundare, ut exsequiæ illius hac virtute glorificarentur. Post celebratum vero funus, mulier quædam rictu patulo, sine vocis officio, ad ejus accessit tumulum: quo osculis delibato, elocutionis meruit recipere beneficium.

XXX. Hoc anno mense secundo, tam in Turonico quam in Namnetico gravis populum lues attrivit, ita ut modico quisquis ægrotus capitis dolore pulsatus, animam funderet. Sed factis rogationibus cum grandi abstinentia et jejunio, sociatis etiam eleemosynis, adversus divini furoris impetus mitigatus est. Apud Lemovicinam vero urbem ob Dominici diei injuriam, pro eo quod in eo operam publicam exercerent, plerique igne cœlesti consumpti sunt. Sanctus est enim hic dies, qui in principio lucem conditam primus vidit, ac Dominicæ resurrectionis testis factus emicuit: ideoque omni fide a Christianis observari debet, ne fiat in eo omne opus publicum. In Turonico vero nonnulli ab hoc igne, sed non die Dominico sunt adusti. Siccitas immensa fuit, quæ omne pabulum herbarum avertit: unde factum est, ut gravis morbus in pecoribus ac jumentis invalescens, parum unde sumeretur origo relinqueret; sicut Habacuc propheta vaticinatus est: *Deficient ab esca oves, et non erunt in præsepibus boves* (*Habac.* III, 17). Non modo enim in domesticis, verum etiam in ipsis ferarum immitium generibus hæc lues grassata est. Nam per saltus silvarum multitudo cervorum et reliquorum animantium prostrata per invia nacta est. Fenum [e] ab infusione pluviarum et inundatione amnium periit, segetes exiguæ, vineæ vero profusæ fuerunt; quercuum fructus ostensi effectum non obtinuerunt.

[a] Sic Bec. Alii, *se aut longævi*. Porro festivitatem sancti Martini hic memoratam intellige Translationem, quæ IV Non. Julii celebratur, si quidem Aredius die VIII Kal. Septemb. obiit.

[b] Ipsum in Appendice dabimus ex tomo II Analect. Mabillon. De Aredio Gregorius scripsit in libro II de Mirac. sancti Martini, cap. 59, et lib. II de Gloria Mart., cap. 10. Ejus vitam infra dabimus, præter eam quæ inter Acta SS. Ordinis nostri edita est Sæculo I Benedictino, pag. 349. Ei scripsit Fortunatus carm. 20 lib. V.

[c] Lemovicibus scilicet, cujus populi apostolus Martialis fuit.

[d] Casinens, *vexata. Post celebrato vero funere ut est*, etc.

[e] Bad., *ut nacta est fenum ab*, etc.

XXXI. De [a] episcopis Turonicis licet in superioribus libris quædam scripsisse visus sim, tamen propter ordinationem eorum et supputationem, quo tempore primum prædicator ad Turonicam accessit urbem, reciprocare placuit.

1. Primus Gatianus [b] episcopus, **527** anno imperii Decii primo, a Romanæ sedis papa transmissus est : in qua urbe multitudo paganorum idololatriis dedita commorabatur; de quibus nonnullos prædicatione sua converti fecit ad Dominum. Sed interdum occulebat se ob impugnationem potentum, eo quod sæpius eum injuriis et contumeliis cum repererant affecissent, ac per cryptas et latibula cum paucis Christianis, ut diximus, per eumdem conversis, mysterium solemnitatis diei Dominici clanculo celebrabat. Erat autem valde religiosus et timens Deum : ut nisi fuisset talis, non utique domos, parentes et patriam ob Dominici amoris diligentiam reliquisset. In hac urbe sub tali conditione, ut ferunt, annos quinquaginta commoratus, obiit in pace, et sepultus est in ipsius vici cœmeterio, quod erat Christianorum; et cessavit episcopatus triginta septem annis [c].

2. Secundus, anno imperii Constantis primo, Litorius [d] ordinatur episcopus : fuit autem de civibus Turonicis, et hic valde religiosus. Hic ædificavit ecclesiam primam infra urbem Turonicam, cum jam multi Christiani essent; primaque ab eo ex domo cujusdam senatoris, basilica facta est. Hujus tempore sanctus Martinus in Galliis prædicare exorsus est. Sedit autem annos triginta tres [e], et obiit in pace, sepultusque est in suprascripta basilica, quæ hodieque ejus nomine vocitatur.

3. Tertius, sanctus Martinus, anno octavo Valentis et Valentiniani [f], episcopus ordinatur. Fuit autem de regione Pannoniæ, civitate Sabariæ : qui ob amorem Dei apud urbem Mediolanensem Italiæ, primo monasterium **528** constituit; sed ab hæreticis, eo quod sanctam Trinitatem intrepidus prædicaret, virgis cæsus [g] atque expulsus de Italia, in Gallias accessit; multos paganorum converti fecit, templa eorum statuasque confregit, fecitque multa signa in populos, ita ut ante episcopatum duos suscitaret mortuos, post episcopatum autem, unum tantummodo suscitavit. Hic transtulit corpus beati Gatiani, sepelivitque ipsum juxta sepulcrum sancti Litorii, in illa nominis sui præfata basilica. Hic prohibuit Maximum, ne gladium in Hispaniam ad interficiendos destinaret hæreticos [h] : quibus sufficere statuit, quod a catholicorum ecclesiis essent vel communione remoti. Consummato ergo præsentis vitæ cursu, obiit apud Condatensem vicum urbis suæ, anno octogesimo primo ætatis. De quo vico navigio sublatus, Turonis est sepultus, in loco quo nunc adoratur [*Bec.*, adornatur] sepulcrum ejus : de cujus vita tres a Severo Sulpicio libros conscriptos legimus. Sed et præsenti tempore multis se virtutibus declarat. In monasterio vero quod nunc Majus [i] dicitur, basilicam in honorem sanctorum apostolorum Petri et Pauli ædificavit : in vicis quoque, id est Aringaviensi [j], Solonacensi, Ambaciensi, Cisomgensi, Tornomagensi, Condatensi, destructis delubris, baptizatisque gentilibus, ecclesias ædificavit. Sedit autem annos viginti sex, menses quatuor [k], dies viginti septem, et cessavit episcopatus dies viginti.

4. Quartus, Briccius ordinatur episcopus, anno Arcadii et Honorii secundo, cum pariter regnarent. Fuit autem civis Turonicus, cui trigesimo tertio **529** episcopatus anno, crimen adulterii est impactum a civibus Turonicis : expulsoque eo, Justinia-

[a] Hoc caput deest in Alex.

[b] Ed. plerique, *Gratianus*; Colb. m., *Catianus*.

[c] Casin., xxxviii sicut et Bec.; sed nic supra vii habet *tē*; unde conjicio legi debere *septem*, atque ultimum *i* incaute ab amanuensi fuisse additum. Sancti Gatiani festum celebratur xv Kal. Januar. Ejus vero sacrum corpus cum aliis sanctorum reliquiis a Calvinianis hæreticis an. 1562 combustum est. — Sanctus Gatianus *in cœmeterio vici* sepultus dicitur, quod olim exstitisse eo loco putatur, ubi postea ecclesia in beatæ Mariæ honorem exstructa fuit, quæ hodieque perstat parochiali titulo illustrata sub nomine sanctæ Mariæ Divitis. Nullum tamen ibi superest sepulturæ beati Gatiani vestigium, quod ille forte paulo postea, uti infra num. 3 dicitur, in ecclesiam sancti Lidorii, fuerit a sancto Martino translatus, atque ibi prope ipsum Litorium depositus. Hinc illa ecclesia, quæ omnium urbis antiquissima esse creditur, et cathedralis titulo gaudet, licet alios agnoscat patronos, præcipue sanctum Mauricium, hodieque tamen sub sancti Gatiani nomine notior est.

[d] Colb. m. et Bad., *Littorius*. Bec., etc., *Lidorius*. Colitur die 13 Septemb. Vide not. in lib. I, cap. ult.

[e] Casin., *triginta octo*.

[f] Colb. m. et Reg., *anno nono Valentis episcopus*. Annus octavus Valentiniani incœpit mense Febr. anni 371, ad quem ex hoc loco revocanda est sancti Martini ordinatio, siquidem ejus celebritas jam sub Perpetuo die 3 Julii recolebatur.

[g] Id ipsum narrat Severus in ejus Vita.

[h] Priscillianistas, scilicet, quos Maximus, instigante Ithacio episcopo, jusserat gladio animadverti : quæ res maximas in Ecclesia turbas excitavit. Vide Dialogum 3 Severi Sulpicii, qui et ejusdem hæreseos ortum et progressum fusius descripsit sub finem libri II Historiæ sacræ.

[i] De Majoris Monasterii origine, et monachorum ibi degentium sanctissima vita, plura habet Severus Sulpicius in Vita sancti Martini. Superest etiam nunc celebre ordini Benedictino addictum sub sancti Mauri congregatione.

[j] Alingavia, vicus nunc intra urbis muros inclusus ad Ligerim, dicitur etiam Langesium, vulgo *Langeais*, ubi habitum est concilium anno 1270, sub Joanne *de Monsonau*. Salonacum est, ut putat Valesius, *Sonnay* seu *Sonné*, inter fluvios Andriam et Clasiam pariter et silvas duas, non procul ab Insula-Savarici et Castellione ad Andriam. Est tamen alius huic vico cognominis inter silvam et Castellum Reginaldi situs. Marollius Villalupensis abbas in editione Gallica putat esse *Sully*, aut *Songé*. De Ambaciaco dictum est supra lib. II, cap. 35. Cisomagnum Marollio est *Charnisay* inter silvam et Clasiam amnem, aut certe *Cicongné*. At melius, ut quidem Valesio videtur, Maanus in Historia metrop. Turonensis, putat esse *Chisseau*, vicum ad Carem fluvium, haud procul a Monte Tricardi. Tornomagus vulgo *Tournon* ad Crosam fluvium. De Condate lib. I, cap. 43.

[k] Cod. Reg., *menses tres, dies septemdecim*. Bec., Colb. m. et Bad., *menses quatuor, dies septemdecim*.

num episcopum ordinaverunt : Briccius vero episcopus [a] ad papam Urbis dirigit. Justinianus autem post eum abiens, apud urbem Vercellensem obiit. Turonici verum iterum malignantes, Armentium statuerunt. Briccius vero septem apud papam Urbis annis degens, idoneus inventus a crimine, ad urbem suam redire jussus est. Hic ædificavit basilicam parvulam super corpus beati Martini, in qua et ipse sepultus est. Cumque por am ingrederetur, Armentius per aliam portam mortuus efferebatur, quo sepulto, cathedram suam recepit. Hunc ferunt instituisse ecclesias per vicos, id est, Catalonnum [b], Briccam, Rotomagum, Briotreidem, Cainonem; fueruntque omnes anni episcopatus ejus quadraginta septem. Obiitque, et sepultus est in basilica, quam super sanctum Martinum ædificavit.

5. Quintus Eustochius ordinatur episcopus, vir sanctus et timens Deum, ex genere senatorio. Hunc ferunt instituisse ecclesias per vicos, Brixis [c], Iciodorum, Luccas, Dolus. Ædificavit etiam ecclesiam infra muros civitatis, in qua reliquias sanctorum Gervasii et Protasii martyris condidit, quæ sancto Martino [d] de Italia sunt delatæ, sicut sanctus Paulinus in epistola sua meminit. Sedit autem annos septemdecim. Et sepultus est in basilica, quam Briccius episcopus super sanctum Martinum struxerat [e].

530 6. Sextus ordinatur Perpetuus, de genere et ipse, ut aiunt, senatorio, et propinquus decessoris sui, dives valde, et per multas civitates habens possessiones. Hic, submota basilica quam prius Briccius episcopus ædificaverat super sanctum Martinum, ædificavit aliam ampliorem miro opere [f]. In cujus absida beatum corpus ipsius venerabilis sancti transtulit. Hic instituit jejunia, vigiliasque, qualiter per circulum anni observarentur, quod hodieque apud nos tenetur scriptum, quorum ordo hic est.

De jejuniis.

Post Quinquagesimam [g] quarta et sexta feria usque natale sancti Joannis. De kalendis Septembris usque kalendas Octobris bina in septimana jejunia. De kalendis Octobris usque depositionem domni Martini bina in septimana jejunia. A [h] depositione domni Martini usque Natale Domini terna in septimana jejunia. De natali sancti Hilarii usque medium Februarium bina in septimana jejunia.

De vigiliis.

Natali Domini in ecclesia [i]. Epiphania, in ecclesia. Natali sancti Joannis, ad basilicam domni Martini. Natali sancti Petri episcopatus [j], ad **531** ipsius basilicam. Sexto [*al.* quinto] kalendas Aprilis Resurrectione Domini nostri Jesu Christi, ad basilicam domni Martini. Pascha, in [k] ecclesia. Die Ascensionis, in basilica domni Martini. Die quinquagesimo [l], in ecclesia. Passione sancti Joannis [m], ad basilicam, in baptisterio. Natali sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ad ipsorum basilicam. Natali sancti Martini, ad ejus basilicam. Natali sancti Symphoriani, ad basilicam domni Martini. Natali sancti Litorii, ad ejus basilicam. Item [n] Natale sancti Martini, ad ejus basilicam. Natali sancti

[a] Sic cod. Regius; alii *Briccius vero se ad papam.* Vide notas in lib. II, cap. 1. Festum ejus celebratur die 13 Novembris.

[b] Calatonnum, Colb. m. et Ch. al., *Catolonnum.* Hunc locum esse Calvum-Montem, vulgo *Chaumont*, in finibus Turonum et Blesensium, existimat Marollius, quod a Valesio improbatur, qui potius esse putat *Chion*, ad Andriam inter Paludellum, *Paluau*, et Castellionem. Bricca an *Bray* aut *Bré* ad Angerem seu Andriam fluvium? Est quoque locus in confinio Turonum et Andegavorum, dictus vulgo *Brèche*. Rothomagum Marollius putavit esse vicum, cui nomen *la Roue*, aut *Saint-Antoine-du-Rocher*. At Maanus mavult interpretari de *Ruam*, qui locus est haud procul a Monte-Basonis situs, vulgo dictus *le Pont de Ruam*, a ponte qui ibi Andriæ (*l'Indre*) fluvio impositus est. Briotreidis Marollio est *Autrèche*, tribus leucis ad Ambacia distans. Maanus putat esse *Bresis*, castrum in gestis dominorum Ambaciensium memoratum, vulgo *Brisay*. At Valesius contendit esse *le Bridoré* ad Andriam. Caino, vulgo *Chinon* ad Vingennam, de quo jam diximus alias.

[c] Brixis Valesio est *Brisay*, de quo in nota præcedenti. Iciodorum, ut jam diximus libro VI, cap. 12, est *Iseure*, in finibus Turonum et Pictonum. Luccæ, seu, ut habent Colb. m. et Bec., *Lucæ*, aut ut alias habet Gregorius, Lociæ, vulgo *Loches*, ab Andriam seu Angerim (*l'Indre*) locus celebris, ubi beatus Senoch monasterium excitavit. Dolus nomen est vici haud procul ab Andria fluvio siti.

[d] Sic Bec. Alii *a S. Martino*, sed mendose. Confer caput 47 lib. I de Gloria Mart. Et quidem sanctorum Gervasii et Protasii reliquias invenit sanctus Ambrosius an. 386, quo jam erat episcopus sanctus Martinus. Epistola sancti Paulini hic laudata non exstat. Hodieque visitur juxta ecclesiam beatæ Mariæ Divitis oratorium cum parvo nosocomio, SS. Gervasio et Protasio sacrum, sed in suburbio. At ecclesia SS. Gervasii et Protasii infra muros urbis exstitisse dicitur inferius num. 12.

[e] Festum Eustochii colitur in Martyrologio Romano die 19 Septembris. Is interfuit concilio Andegav. anno 453. Scripsit cum Leone et Victurio epistolam contra clericos qui ad tribunalia sæcularia recurrebant.

[f] Hujus ecclesiæ descriptionem accuratam habes supra lib. II, cap. 14. Vide et lib. I Mirac. sancti Martini, cap. 6.

[g] Id est a Pentecoste. Quinquagesimam enim appellabant veteres tempus illud quod inter Pascha et Pentecosten intercedit, quo tempore jejunare non licebat.

[h] Iste articulus non habetur in cod. Regio.

[i] Id est in ecclesia cathedrali.

[j] Id est festum Cathedræ sancti Petri, ut appellatur in conc. Turonensi II, quod adeo celebre erat in Galliis, ut exinde ad Quadragesimam dominicæ *prima*, *secunda*, etc., *post Cathedram sancti Petri* dicebantur. Vide Mabillonii observationes in num. 24 libri II de Liturgia Gallicana. In Ch. deest *episcopatus*.

[k] Festum Paschatis a festo Resurrectionis distinguitur in vetustioribus Kalendariis : ubi Resurrectionis festum die 27 Martii recolitur, Pascha autem, ut omnes norunt, variis diebus pro varietate lunæ semper celebratum in Ecclesia fuit.

[l] Id est Pentecostes. Sic quoque appellatur in concil. Aurelian. I, can. 25.

[m] In Sacramentario Gallicano, quod e vetusto cod. noster Mabillonius edidit tomo I Musei Italici, inter Nativitatem sancti Joannis et festum sanctorum Petri et Pauli habetur *Missa in sancti Joannis passione.*

[n] Hoc festum in solo cod. Regio habetur. Et quidem certum est ex ipso Gregorio festum sancti Martini jam his temporibus duplex fuisse, unum mense Julio, alterum vero mense Novembri, hic expressum.

Briccii, ad domn. Martini basilicam. Natali sancti Hilarii, ad domni Martini basilicam.

Hic ædificavit basilicam sancti Petri, in qua cameram basilicæ prioris posuit, quæ usque ad nostra tempora perseverat. Basilicam quoque sancti Laurentii in monte Laudiaco [a] ipse construxit. Hujus tempore ædificatæ sunt **532** ecclesiæ in vicis, id est Evena [b], Mediconno, Berrao, Balatedine, Vernado. Condiditque testamentum [c], et deputavit per singulas civitates quod possidebat, in eis ipsis scilicet ecclesiis, non modicam et Turonicæ tribuens facultatem. Sedit autem annos triginta, et sepultus est in basilica sancti Martini.

7. Septimus vero Volusianus ordinatur episcopus, ex genere senatorio, vir sanctus, valde dives, propinquus et ipse Perpetui episcopi decessoris sui. Hujus tempore jam Chodovechus regnabat in aliquibus urbibus in Gallis. Et ob hanc causam hic pontifex suspectus habitus a Gothis, quod se Francorum ditionibus subdere vellet, apud urbem Tolosam exsilio condemnatus, in eo obiit [d]. Hujus tempore vicus Mantolomaus [e] ædificatus est, et basilica sancti Joannis in meo monasterio [f]. Sedit autem annos septem, menses duos.

8. Octavus ordinatur episcopus Verus [g], et ipse pro memoratæ causæ zelo suspectus habitus a Gothis, in exsilium deductus, vitam finivit : facultates suas ecclesiis et bene meritis dereliquit. Sedit autem **533** annos undecim, dies octo [h].

9. Nonus Licinius, civis Andegavus, qui ob amorem Dei in Orientem abiit, sanctaque loca revisit : exinde digressus, in possessione sua monasterium collocavit infra terminum Andegavum, et postea abbatis officio in monasterio [i], ubi sanctus Venantius abbas sepultus est, functus, ad episcopatum eligitur. Hujus tempore Chlodovechus rex victor de cæde Gothorum, Turonis rediit. Sedit autem annos duodecim, menses duos, dies viginti quinque, et sepultus est in basilica sancti Martini.

10. Decimo loco Theodorus et Proculus [j], jubente beata Chrotechilde regina, subrogantur, eo quod de Burgundia jam episcopi ordinati, ipsam secuti fuissent, et ab hostilitate de urbibus suis expulsi fuerant. Erant autem ambo senes valde : rexeruntque ecclesiam Turonicam simul annis duobus, et sepulti sunt in basilica sancti Martini [k].

11. Undecimus Diniflus episcopus, et ipse ex Bur-

[a] Supra, libro II, cap. 2. Dicitur *Laudiacum, sexto ab urbe miliario*. Perstat adhuc ille locus, vulgo *Mont-Lois*, distans tribus circiter leucis supra Turonos ad sinistram Ligeris ripam impositus.

[b] Evena, in Reg. *Enevor*, hodie *Avoine*, inter Ligerim et Vingennam, ut Maanus et Valesius existimant, qui Marollio non assentiuntur, putanti esse *Eve le Monier*. De hoc in Vitis Patrum, cap. 19. Mediconnum, Marollio *Metray* ; Maano *Monnoye*, cui non refragatur Valesius, qui et putat esse posse *Mosne*, ad Ligerim, prope Ambaciam. Berrao nomen tribuit pago Berravensi, de quo supra lib. VI, cap. 12, ubi diximus esse *Barou* locum inter Crosam (*la Creuse*) et Clasiam fluvios. Marollius hoc loco hæsitans alios tres vicos proponit, scilicet *Bourray* ad Carim fluvium, prope montem Tricardi; *Berray* haud procul a Lausduno ; et *Bretenay* ad Ligerim infra Turonos. Cæterum pro *Berrao* Reg. habet *Herrardum*. Balatedine, seu, ut habet Reg., *Balacedina*, a *Balatedo*, *Balatedinis*, declinari vult Valesius, qui post Maanum putat esse *Balan*, haud procul a fluvio Cari. Marollius vertit *Vaune*, qui locus alias *Rupes Corbonis* appellatur. Vernadum denique, seu *Vernao*, ut habent Ch. al., Bec. et Colb. m., cum Bad., aut *Ernaldum* ex Reg. nomen hodieque servat, ut ait Valesius, nempe *Vernou*, castellum ad archiepiscopum pertinens, titulo baroniæ clarum, ad Siceram fluvium (*la Cisse*).

[c] Perpetui testamentum simul cum ejus epitaphio ex tomo V Spicilegii dabimus in appendice. Duobus concilliis præfuit, scilicet Turonico I anno 461, et Venetico an. 465. Eidem Apollinaris Sidonius scripsit epist. 9 libri VII, ubi concionem quam apud Biturigas pro electione Simplicii episc. habuerit, integram refert. De hoc et epist. 18 lib. IV. Vide supra in not. ad cap. 14 lib. II. Ipsi etiam Paulinus nuncupavit librum de Vita sancti Martini. Ejus festum celebratur die 8 April., in vetustis autem kalendariis 30 Decembris.

[d] Sancti Volusiani memoria apud Fuxenses potissimum celebris est, ubi sub martyris titulo, sicut et in Martyrologio Romano die XV kalend. Febr. colitur. Ferunt eum a Wisigothis capite minutum fuisse in loco qui dicitur Petrosa, et ab incolis vulgo Corona, in comitatu Fuxensi. Sacrum ejus corpus Fuxum delatum, diu servatum est in ecclesia sancti Nazarii, vulgo nunc sancti Volusiani dicta, donec a Calvinianis furentibus in favillas redactum est, cum ipsa basilica, quæ utcunque postmodum restaurata est. Hunc locum, quem canonici regulares Augustiniani possident, variis donis ditaverunt comites Fuxenses, ut in eorum Historia fusius refertur. Volusiani prælibus versus edidit Apollinaris Sidonius ecclesiæ sancti Martini insculpendos, qui habentur lib. IV, epist. 18. Eidem scripsit epist. 17 lib. VII, et Ruricius Lemovicensis epist. ult. lib. II.

[e] Is ipse locus supra lib. VII, cap. 47, dicitur Mantelomagus vicus, vulgo *Mantelan*.

[f] Supererant adhuc ejus rudera, quæ nova ædificia aliquot abhinc annis structa penitus deleverant.

[g] Plerique *Virus*. Concilio Agathensi an. 506 per Leonem diaconum subscripsit.

[h] Sic mss. et ed. Coinctius tamen et alii viri docti qui sancti Martini mortem anno 397 consignant, hic legendum putant *annos octo, menses undecim*. Nam alias juxta eorum computum Veri mors ultra annum 508 differenda esset, quod fieri non potest ; nam Gregorius, cap. seq., ait, Clodovæum victis Gothis Turonos accessisse, cum ibi Licinius esset episcopus. At Clodovei reditus ex ista expeditione ultra annum 508 differri nequit. Vide Coinctium ad annum 507, n. 10.

[i] Monasterium sancti Venantii in collegium canonicorum conversum etiam nunc superest, ecclesiæ sancti Martini subjectum. Porro Licinius subscripsit conc. Aurelian. I, anno 511.

[j] Supra, lib. III, cap. 17, Leoni mortuo suffecti fuisse dicuntur. Canones vetabant ne duo episcopi simul in una ecclesia sederent. Unde hi potius administratores viduatæ Ecclesiæ quam episcopi Turonenses censeri debent. Langobardis sub ejusdem sæculi finem Italiam vastantibus, complures episcopi e suis sedibus pulsi, aliis Ecclesiis, accedente etiam imperatoris auctoritate, deputati sunt, sed solummodo, ut *alimenta susciperent*, inquit Gregorius Magnus, si jam proprium haberent episcopum, *non* vero *ut per communionem episcopalis throni dignitas dividatur*. Vide ipsius lib. I, ep. 43, etc.

[k] His suffectus dicitur Arnulfus sancti Remigii discipulus, ex Rhemorum comite, ut aiunt, exorcista ordinatus, qui post varias peregrinationes, Rhemis a famulis Scaribergæ ejus sponsæ quam Deo consecra-

gundia veniens : qui per electionem præfati regis [a] ad episcopatum accessit ; cui aliquid de fisci ditionibus est largitus, deditque ei potestatem faciendi de his rebus quæ voluisset ; qui maxime ecclesiæ suæ quod fuit melius dereliquit ; largitus est etiam quiddam et bene meritis. Sedit autem menses decem, et sepultus est in basilica sancti Martini.

12. Duodecimus Ommatius [b] de senatoribus civibusque Arvernis, valde **534** dives in prædiis, qui condito testamento per ecclesias urbium, in quibus possidebat, facultates suas distribuit. Ipse exaltavit ecclesiam infra muros urbis Turonicæ, sanctorum Gervasii atque Protasii reliquiis consecratam, quæ muro conjuncta est. Hic cœpit ædificare basilicam sanctæ Mariæ infra muros urbis, quam imperfectam reliquit. Sedit annos quatuor [c], menses quinque : obiitque et sepultus est in basilica sancti Martini.

13. Tertius decimus Leo ex abbate basilicæ sancti Martini ordinatur episcopus. Fuit autem faber lignarius, faciens etiam turres holochryso tectas, ex quibus quædam apud nos retinentur : in aliis etiam operibus elegans fuit. Sedit autem menses sex, et sepultus est in basilica sancti Martini.

14. Quartus decimus Francilio ex senatoribus ordinatur episcopus, civis Pictavus, habens conjugem, Claram nomine, sed filios non habens : fueruntque ambo divites valde in agris, quos maxime sancti Martini basilicæ contulerunt, reliqueruntque quædam et proximis suis. Sedit autem annos duos, menses sex [d] ; obiitque et sepultus est in basilica sancti Martini.

15. Quintus decimus Injuriosus, civis Turonicus, de inferioribus quidem populi, ingenuus tamen. Hujus tempore Chrotechildis regina transiit. Hic perædificavit ecclesiam sanctæ Mariæ infra muros urbis Turonicæ. Hujus tempore et basilica sancti Germani [e] ædificata est. Vici etiam, Noviliacus [f] et **535** Luciliacus, fundati sunt. Hic instituit tertiam et sextam in ecclesia dici, quod modo in Dei nomine perseverat, occisus est, atque uti martyr colitur die 15 Kal. Augusti. Ejus vitam habes in Bibliotheca Floriacensi a Boscio edita. De eo Frodoardus et Marlotus in Hist. Rhemensi. Crux erecta eo loco ubi passus est, etiam nunc visitur Rhemis via Cæsarea. Ejus reliquiæ in Carnotensem diœcesim delatæ, in silva Aquilina oppido nomen dederunt, ubi exstat prioratus monasterio Fossatensi subjectus. Alius est ejusdem nominis Ord. Cluniacensis apud Crespeium oppidum celebris, ubi ejusdem habentur reliquiæ. Maanus sanctum Arnulfum inter Ommatium et Leonem locat ; a Gregorio omissus videtur quod sedem ejus solummodo 17 obtinuerit.

16. Sextus decimus Baudinus, ex referendario Chlothacharii regis ordinatur episcopus, habens et filium [g], multis eleemosynis prædictus. Aurum etiam quod decessor ejus reliquerat, amplius quam viginti millia solidorum, pauperibus erogavit. Hujus tempore alter vicus Noviliacus ædificatus est. Hic instituit mensam canonicorum. Sedit autem annos quinque [h], menses decem ; obiitque, et sepultus est in basilica sancti Martini.

17. Decimus septimus Guntharius, ex abbate monasterii sancti Venantii [i] ordinatur episcopus, vir valde prudens dum abbatis fungeretur officio, et sæpius legationes inter reges Francorum faciens. Postquam autem episcopus ordinatus est, vino deditus, pene stolidus apparuit : quæ res eum in tantum amentem faciebat, ut convivas, quos bene noverat, nequiret agnoscere ; sæpius tamen eos conviciis agebat et improperiis. Sedit autem annos duos, menses decem, dies viginti duos. Obiit autem, et sepultus est in basilica sancti Martini, cessavitque episcopatus anno uno [j].

18. Octavus decimus Eufronius presbyter ordinatur episcopus, ex genere illo, quod superius senatorium nuncupavimus, vir egregiæ sanctitatis, ab ineunte ætate clericus. Hujus tempore civitas Turonica cum omnibus ecclesiis magno incendio concremata est : de quibus ipse postea duas reparavit, tertiam vetustissimam [k] relinquens desertam. Postea vero basilica sancti Martini **536** et ipsa incendio est adusta per Wiliacharium, cum ibi confugium pro Chramni quondam circumventione fecisset (*Vid. lib.* IV, *cap.* 20), quam postea idem pontifex texit stanno, opitulante rege Chlothachario. Hujus tempore basilica sancti Vincentii ædificata est. Tauriaco [l], Cerate, et Orbigniaco vicis ecclesiæ ædificatæ sunt. Se-

[a] Chlodomeris scilicet. Colb. m. habet, *electione fratrum ad*, etc. Hic in Bec. dicitur *Dinisius*, in aliquot editis *Dionysius*. De eo lib. III, cap. 2 et 17.

[b] Reg., *Ommarius*. Filius fuit sancti Ruricii senioris Lemovic. episcopi, ex Iberia Ommati filia, cujus epithalamium cecinit Sidonius carm. 2. Ommatiorum et Ruriciorum nobilitatem passim commendat idem auctor. Ruricios ex Aniciorum gente certos laudat Fortunatus lib. IV, carm. 5. Ejusdem Ruricii epistolas edidit Canisius.

[c] Colb. m., *annos tres*.

[d] Reg., *menses quinque*. Vide lib. III, cap. 17.

[e] Vulgo dicitur *Saint-Germain sur Loire*.

[f] *Noviliacus*, seu *Nobiliacum*, nomen est compluribus locis commune. Ex iis apud Turones Noviliacus Nobilis (*Neuilly le Noble*), et Noviliacus ad Ederam (*Neuilly le Lierre*), ad Branam amnem (*la Branle*). Est etiam Noviliacus ad Pontem Petreum (*Neuilly Pont-Pierre*), in confinio Turonum et Andegavorum situs. Luciliacus, vulgo *Lusillé*, vicus inter Carem et Angerem fluvios, satis notus. Injuriosi zelum laudat Gregorius supra, lib. IV, cap. 2. Interfuit concil. Aurelian. II, anno 535. et IV, an. 541 ; in vero Campanus presb. ipsius nomine subscripsit anno 538.

[g] Colb. m., *filios*.

[h] Idem, *annos decem*. De hoc vide lib. I Mirac. sancti Martini, cap. 9, ubi dicitur sanctus. Ejus corpus, ut scribit Maanus, hodie in castro Lucacensi (*Loches*) asservatur.

[i] Colb. m. cum ed. Bad., *sancti Evantii*. De Gunthario vide lib. de Gloria Confess. cap. 8.

[j] Vide supra, lib. IV, cap. 11.

[k] Reg., Bec. et Colb. m., *tertiam seniorem*.

[l] Hæret Marolfius, an Tauriacum sit *Taré*, aut *Truye*, inter Carem et Andrium. Maanus nihil habet de hoc loco, nec plura profert Valesius. Cerate, Bec., *Cerente*, item vicus est inter Andiesium (*l'Indrois*) et Carum situs, *Céré* vulgo dictus. Eodem in tractu est Orbiniacum, vulgo *Orbigny* Cæterum Colb. m. et Bad. habent *Tausire, Uscerat et Orbaniaco*. Orbaniacum legitur in libro de Gloria Martyrum.

Nota sancti Vincentii basilicam etiam nunc in Turonum urbe subsistere, quæ parochiæ titulo gaudet.

dit autem annos septemdecim, obiitque ætate septuagenaria, et sepultus est in basilica sancti Martini [a]. Cessavitque episcopatus dies novemdecim.

19. Nonus decimus Gregorius ego indignus ecclesiam urbis Turonicæ, in qua beatus Martinus et cæteri sacerdotes Domini ad pontificatus officium consecrati sunt, ab incendio dissolutam diruptamque nactus sum, quam reædificatam in ampliori altiorique fastigio septimo decimo ordinationis meæ anno dedicavi [b], in qua, sicut a longævis presbyteris comperi, beatorum ibidem reliquiæ Agaunensium [c] ab antiquis fuerant collocatæ. Ipsam etiam capsulam in thesauro basilicæ sancti Martini reperi, in qua valde putredine erat pignus dissolutum, quod pro eorum religionis est virtute delatum [d]. Ac dum vigiliæ in eorum honore celebrarentur, libuit animo hæc iterum prælucescente cereo visitare : quæ dum a nobis attente rimantur, dixit ædis ædituus : Est hic, inquit, lapis opertorio tectus, in quo quid habeatur prorsus ignoro, sed nec prædecessores ministros hujus custodiæ scire comperi. Deferam eum, et scrutamini diligenter quid contineatur infra conclusum. Quem delatum reseravi, fateor, et inveni in hoc capsulam argenteam, in qua non modo beatæ legionis testium, verum etiam multorum sanctorum tam martyrum quam confessorum reliquiæ **537** tenebantur. Nacti etiam sumus et alios lapides, ita ut hic erat, concavos, in quibus sanctorum apostolorum cum reliquorum martyrum pignora continebantur. Quod munus ego divinitus indultum admirans et gratias agens, celebratis vigiliis, dictis etiam Missis [e], hæc in ecclesia collocavi. In cellula sancti Martini ecclesiæ ipsi contigua, sanctorum Cosmæ et Damiani martyrum reliquias posui. Basilicas sancti Perpetui adustas incendio reperi, quas in illo nitore vel pingi, vel exornari, ut prius fuerant, artificum nostrorum opere imperavi. Baptisterium ad ipsam basilicam ædificari præcepi, in quo sancti Joannis, cum Sergii martyris, reliquias posui, et in illo priore baptisterio sancti Benigni martyris pignora collocavi. In multis vero locis infra Turonicum terminum, et ecclesias, et oratoria dedicavi, sanctorumque reliquiis illustravi, quæ memorare ex ordine prolixum censui.

Decem libros Historiarum, septem Miraculorum, unum de Vitis Patrum scripsi, in Psalterii tractatum librum unum commentatus sum ; de Cursibus etiam ecclesiasticis unum librum condidi. Quos libros licet stylo rusticiori conscripserim, tamen conjuro omnes sacerdotes Domini, qui post me humilem ecclesiam Turonicam sunt recturi, per adventum Domini nostri Jesu Christi, ac terribilem reis omnibus judicii diem, si nunquam confusi de ipso judicio discedentes cum diabolo condemnandi estis, ut nunquam libros hos abolere faciatis, aut rescribi, quasi quædam legentes, et quasi quædam prætermittentes : sed ita omnia vobiscum integra illibataque permaneant [f], sicut a nobis relicta sunt. Quod si te sacerdos Dei, quicunque es, Martianus [g] noster septem disciplinis **538** erudiit, id est, si te in grammaticis docuit legere, in dialecticis altercationum propositiones advertere, in rhetoricis genera metrorum agnoscere, in geometricis terrarum linearumque mensuras colligere, in astrologicis cursus siderum contemplari, in arithmeticis numerorum partes colligere, in harmoniis sonorum modulationes suavium accentuum carminibus concrepare : si in his omnibus ita fueris exercitatus, ut tibi stylus noster sit rusticus, nec sic quoque deprecor ut avellas quæ scripsi. Sed si tibi in his quiddam placuerit, salvo opere nostro te scribere versu non abnuo. Hos autem libros in anno vicesimo primo ordinationis nostræ præscripsimus : et licet [*Al.* scilicet] in superioribus de episcopis Turonicis scripserimus [*al.* scripsimus], annotantes annos eorum, non tamen sequitur ac supputatur numerus chronicalis [h], quia intervalla ordinationum integre non potuimus reperire. Est ergo omnis summa annorum mundialium talis : A principio usque ad diluvium anni MMCCXLII; a diluvio usque ad transitum filiorum Israel per mare Rubrum anni MCCCCIV ; ab hoc maris transitu usque ad resurrectionem Dominicam, anni MDXXXVIII, a resurrectione Dominica usque ad transitum sancti Martini, anni CCCCXII ; a transitu sancti Martini usque ad memoratum superius annum, id est, ordinationis nostræ primum et vicesimum, qui fuit Gregorii papæ Romani quintus, Guntchramni regis trigesimus primus, Childeberti junioris decimus nonus, anni [i] CLXVIII. Quorum omnis summa est annorum MMMMDCCCXIV [j].

Explicit Historia Ecclesiastica Francorum Gregorii episcopi Turonici.

[a] Ejus festum colitur die 4 Augusti; interfuit concilio Paris. III an. 557, et præfuit Turon. II an. 567. Laudatur a Fortunato lib. III, carm. 4.

[b] Idem testatur Fortunatus lib. X, carm. 2, quod est totum de hac ecclesia a nostro Gregorio restaurata.

[c] Sanctorum scilicet Mauricii et sociorum, quos infra beatæ legionis testes appellat. De his fuse actum est in Actis Martyrum sinceris ad annum 286. Ecclesiam hanc a Gregorio renovatam pluribus laudat Fortunatus lib. X, carm. 2.

[d] Cod. Colb. m. et editio Bad., *in qua valde putredinis erat pietate virtutum pro eorum virtute delatum.*

[e] Colb. m. et Bad., *et hymnis etiam missis.*

[f] Hic desinit cod. Colb. m., nec quidquam est avulsum. Unde Cointius ea quæ sequuntur a quopiam Neoterico addita fuisse censet.

[g] Cod. Reg., *Martiniarus.* Sed hic alludit ad Martianum Capellam auctorem celebrem, quamvis ætatis incertæ, de quo Vossius lib. III de Historicis Latinis, parte II.

[h] Bec., *chronicorum.* Casin., *annotantes annos, quorum non tamen sequitur hæc supputatio numerum chronicalem.*

[i] Sic Reg. et Chesn., qui al. habet, CLXXVIII. Editi alii, CCXVIII. Bec., CXVIII, forte pro CXCVIII, qui numerus cum fine libri IV concordaret.

[j] Sic iidem Reg. et Ch. At alii editi, DCCCLXIV. Neuter numerus cum singulis partibus collectis concordat. Sed nostrum est sinceras mss. cod. lectiones repræsentare : quonam autem modo hæc annorum series cum antiquis auctoribus aut etiam cum ipsomet Gregorio componenda sit, fusius inquisiere viri docti, Scaliger, Petavius, Menander, Maanus, Valesius, etc. ; sed cum non eandem viam inierint, in varias abiere sententias. Cointius vero has supputationes, sicut et eas quæ supra habentur, suppositilias esse contendit.

RUINARTII NOTATIO

DE CODICE PITHŒANO QUEM ABSOLUTA EDITIONE, IN MANUS HABUIT.

Jam finem appendici nostræ imposueramus, cum illustrissimi viri Caudii Peleterii, regni administri, beneficio evolvere licuit codices mss. Bibliothecæ *Pithœanæ;* atque inter alios nobis unus occurrit, in quo præter Gregorii locum de obitu sancti Martini, sub titulo : *Serm. domini Gregorii episcopi de transitu sancti Martini*, relatum, habetur catalogus episcoporum Turonensium, id est caput ultimum Historiæ Gregorianæ, cum variis annorum computationibus quæ ibidem referuntur. At in illo codice anni a transitu sancti Martini ita numerantur, ut exceptis Guntramni annis, quos mendose singuli scripti et editi exhibeat, omnes computationes probent annum CCCXCVII fuisse sancti antistitis extremum. Sic quippe ibi legitur : *A transitu sancti Martini usque ad memoratum superius annum, id est ordinationis nostræ primum et vigesimum, qui fuit Gregorii papæ Romani* V, *Guntramni regis* XXXI, *Childeberti Junioris* XIX, *anni* CLXLVII (*id est* 197). *Quorum omnis summa est* MMMMMDCCLXLVII. Sic enim omnes annorum numeri in annum DXCIV conveniunt, a quo si subtrahantur anni CXCVII, habebitur annus CCCXCVII, quo Martinum e vivis excessisse putamus, et auctoritate Gregorii probavimus in nostra præfatione. Hunc forte annum DCXIV currentem assignavit Gregorius, quod Romam profecturus epilogum Historiæ suæ addiderit. Eo enim anno Romanum iter susceptisse creditur; ac sequenti obiit, uti probat Cointius. Cæterum Gregoriano Turonensium episcoporum catalogo subjunguntur nomina sequentium ad Landramnum, cujus tempore, sæculo scilicet nono, codex scriptus est. Ii autem recensentur hoc ordine : *Latinus episcopus, Charegisclus episcopus, Medegesilus episcopus, Sigilaicus episcopus, Rigobertus episcopus, Chrodobertus episcopus, Bertus episcopus, Guntramnus episcopus, Ibbo episcopus, Gausbertus episcopus, Dido episcopus, Rangabertus episcopus, Austaldus episcopus, Eusebius episcopus, Herbernus episcopus, Joseph episcopus, Landramnus episcopus.*

SANCTI GEORGII FLORENTII GREGORII
EPISCOPI TURONENSIS
HISTORIA FRANCORUM EPITOMATA
PER FREDEGARIUM SCHOLASTICUM.

INCIPIT PRÆFATIO GREGORII.

541-542 *Decedente atque imo potius pereunte ab urbibus Gallicanis, etc.*, ut supra coll. 1 et 2. Sic omnino habet codex Claromontanus. At Boherianus, et Ambracianus, apud Cambecium, tomo II : *Incipit præfatio Græca. Decedente, etc.* Hunc porro epitomatorem Fredegarium appello, viros doctos imitatus, qui ipsum hoc nomine designarunt. Quamvis nullum unquam codicem scriptum viderim, in quo hoc nomine fuerit appellatus. Quod idem de se ipsis testantur viri eruditi qui de rebus Francicis hoc sæculo scripsere, hunc auctorem Fredegarium Scholasticum appellantes, Jos. Scaligerum, et Freherum secuti, qui primi eum sic nuncupaverunt, ex aliquo codice ms., ut credere par est. Porro sequentem titulum *Capitolares, etc.*, ex eodem cod. Claromontano descripsimus, qui sic in Boheriano habetur : *Incipiunt capitula libri, quod est excarpsum de Chronicis Græc. episc. Thoronacis.* Et ex simili, ut quidem conjicio, codice Canisius, tomo II Lect. antiquæ *Thoromacum episcopum* censet esse hujus operis auctorem, qui *Græce* scripserit. Dicitur autem liber quartus, quod inter varia chronica, quæ ille auctor in unum corpus collegit, Gregorii epitome quarto loco habeatur. De his plura in præfatione generali ad hunc tomum diximus.

543-544 CAPITOLARES LIBRI QUARTI.

QUOD EST SCARPSUM DE CHRONICA GREGORII EPISCOPI TORONACI, IN CHRISTI NOMINE FIAT.

I. De Chunis, et Agecio Patricio.
II. De Francorum origine et eorum regibus.
III. De ducibus Francorum tribus, et pugnis cum republica.

IV. De Francis, et Valentiniano imperatore.
V. De regibus denuo in Francis creatis.
VI. De Juviniano et Constantino, vel Honorio, imperatoribus.
VII. De eversione urbis Trevericæ, quæ a Francis facta est per Lucium.
VIII. De Castini domesticorum comitis pugna cum Francis.
IX De initio regis dinuo [*Ch.*, criniti] Francorum.
X. De Avito imperatore.
XI. De Childerico rege Francorum, et Wiomado Franco.
XII. De Basina regina et Childerico.
XIII. De Eorico rege Gothorum, et basilica sancti Juliani martyris.
XIV. De Ædicio [*Al.* Ædecio] eleemosynam tribuente.
XV. De initio regni Chlodovei, et Syagrio patricio.
XVI. De Chlodoveo, et sancto Remedio urbis Remensis.
XVII. De Gundiocho rege Burgundionum et filiis ejus.
XVIII. De Chlodoveo rege, et Chrotechilde regina, et Anthano qui follem perdidit.
XIX. De Aridio sapiente, et ejus consilio.
XX. De conjunctione Chrotechildæ et Chlodovei.
XXI. De initio christianitatis Chlodovei per beatum Remedium, qui eum baptizavit.
XXII. De Godegisilo, et Gundobado, et Chlodoveo rege.
XXIII. De consilio Aridii sapientis.
XXIV. De Aridio, Gundobado, et Chlodoveo rege.
XXV. De Alarico rege Gothorum, et Chlodoveo rege.
XXVI. De interitu Chloderici filii Sigiberti regis.
XXVII. De interitu Chararici regis.
XXVIII. De interitu Ragnacharii regis.
XXIX. De interitu Chlodovei regis.
XXX. De divisione regni inter filios quatuor Chlodovei regis
XXXI. De Amalrico filio Alarici regis.
XXXII. De Alanis [*Ch. al. et Boh.*, Alamannis], qualiter in regno Francorum interfecti sunt.
XXXIII. De Regibus Toringorum; et Toringia ditioni Francorum subjicitur.
XXXV. De Gundobado et filio ejus Sigimundo.
XXXV. De transitu Sigimundi.
XXXVI. De obitu Chlodomeris.
XXXVII. De eo quod regnum Burgundiæ Francorum ditioni subjicitur.
XXXVIII. De pace falsa inter Childebertum et Theudericum.
XXXIX. De Chrotechilde regina et nepotibus suis, qui a Chlotario sunt interfecti.
XL. De obitu Theuderici.
XLI. De Childeberto et Theudeberto contra Chlotarium agentibus.
XLII. De Childeberto et Chlotario in Spania cum exercitu aggressis.
XLIII. De Theuthachado [*Al.* Theudehado] rege Spaniæ interfecto.
XLIV. De uxore et filia Theuderici regis Italiæ interfectis, et compositione.
XLV. De Theudeberto in Italiam ingresso, et Italia recepta.
XLVI. De Verdunensibus a Theudeberto recuperatis.
XLVII. De morte Chrotechildæ reginæ.
XLVIII. De Agyliane rege Spaniæ.
XLIX. De Athanagildo rege Spaniæ.
L. De Theudebaldo filio Theudeberti, Buceleno duce, Belesario et Narsete patriciis.
545-546 LI. De regno Chlotarii et pugna cum Saxonibus.
LII. De Childeberto et Chramno filio Chlotarii.
LIII. De morte Childeberti.
LIV. De exsilio Walderadæ relictæ Childeberti et interitu Chramni.
LV. De obitu Chlotarii et divisione regni inter filios ejus quatuor.
LVI. De Guntramno et regina Marchetrude, et ancilla Bobilane.
LVII. De Sigiberto et Brunichilde regina.
LVIII. De Chrodino duce et bonitate ejus.
LIX. De Gugone effecto majore domus.
LX. De Chilperico quod Galesindam [*Al.* Gaebilisindam] sororem Brunechildis accepit.
LXI. De Chunis et Sigiberto rege.
LXII. De Arvernis et Celso patricio.
LXIII. De Athanagildo, Leuvane et Leuvildo regibus Spaniæ.
LXIV. De obitu Justiniani et imperio Justini.
LXV. De Langobardorum gente, et eorum origine et nomine.
LXVI. De obitu Alboini Italiæ regis
LXVII. De Langobardis in Franciam prorumpentibus.
LXVIII De Mummolo Patricio et Langobardis, vel Saxonibus.
LXIX. De Chlodoveo filio Chilperici.
LXX. Quod Chilpericus civitates de regno Sigiberti pervasit.
LXXI. De interitu Sigiberti et pace Guntramni
LXXII. De exsilio Brunichildæ et rege Childeberto.
LXXIII. De supputatione annorum ab Adam usque ad transitum Sigiberti.
LXXIV. De Meroveo filio Chilperici, et Brunichilda.
LXXV. De Chlodoveo filio Chilperici, et pugna Mummoli patricii et Desiderii ducis.
LXXVI. De pugna inter Suevos et Saxones.
LXXVII. De comitibus Brittonorum.
LXXVIII. De Guntramno et Childeberto adoptato in filium.
LXXIX. De Justini imperatoris amentia, et uxore ejus Sophia.
LXXX. De thesauris Narsedis patricii.
LXXXI. De largissimis eleemosynis Tiberii imperatoris, et Sophia Augusta.
LXXXII. De regimine Childeberti, et inundatione aquarum, et igne de cœlo civitates et vicos urente.
LXXXIII. De filia Sigiberti, nomine Sidegunde, uxore Ermengildi.
LXXXIV. De morte filiorum Chilperici trium.
LXXXV. De fuga Mummoli.
LXXXVI. De pace Chilperici et Childeberti falsa.
LXXXVII. De reclauso, nomine Hospitio.
LXXXVIII. De morte Chrodini [*Al.* Rodini] ducis.
LXXXIX. De Gundoaldo filio Chlotharii, qui regnare cœperat, et interfectione Mummoli.
XC. De eo quod Chilpericus Parisios invadit.
XCI. De timore Chilperici, ut cum thesauris aufugit [*Clar.*, ut Eternoacum fugit].
XCII. De Childeberto, quomodo in Italiam fuerit aggressus.
XCIII De Chilperico, quod filiam suam in Spaniam cum thesauris direxit, et in continuo a Calam villam mortuus est.

HISTORIA FRANCORUM EPITOMATA.

547 I. Cumque Wandali præterissent a Galliis, nec multo post tempore Chuni Gallias ingredi disponebant (*Greg. Tur. lib.* II, *cap.* 2, 5). Quod cum beatus Arvatius [a] episcopus Tungrorum civitatis audisset, Romam pergit ad limina sancti Petri apostoli. Ibique quotidianum jejunium et vigilias assidue faciens, in visione somni ab apostolo responsum accipiens decretum ab Altissimo Chunos ingredi Gallias,

[a] Sic Clar. et codex Ambracianus, tomo II Bibliothecæ Cæsareæ Lambecii laudatus. At editi, *Servatius*. Boh., *Cumque beatus Arvacius episc. Theucrorum*. Vide notas in lib. II Gregorii cap. 5.

transit, Gallias pervagatur, usque ad Pyrenæos montes pervenit [a].

IX. Franci electum a se regem, sicut prius fuerat, crinitum inquirentes diligenter ex genere Priami, Frigi, et Francionis, super se creant, nomine Theudemerem [*Al.* Theodomirum] filium Richemeris, qui in hoc prælio, quod supra memini, a Romanis interfectus est (*Ibid.*, *et cap.* 10). Substituitur filius ejus Chlodeo [b] in regnum, **551** utilissimus vir in gente sua, qui apud Esbargem castrum [c] residebat, quod est in termino Thoringorum. Burgundiones quoque Arianorum secta utebantur, sedentes in Cisalpinis. Chlodeo missis exploratoribus ad urbem Camaracum, perlustrans omnia, ipse sequitur, Romanos proterit, civitatem capit; et inde usque Suminam fluvium occupavit. Hæc generatio fanaticis usibus culta est. Fertur super littore maris æstatis tempore Chlodeone [*Boh.*, Chlodevei] cum uxore residente meridie, uxor ad mare lavatum vadens, terretur a bestia [d] Neptuni, qui Minotauro similis eam appetisset. Cumque in continuo aut a bestia aut a viro fuisset [e], concepit, ac peperit filium, Meroveum nomine, a quo reges Francorum postea Merovingii vocantur.

X. Avitus imperator luxuriosus apud Placentiam urbem episcopus ordinatur, et post ad ecclesiam [f] sancti Juliani fugiens vitam amisit (*Cap.* 11).

XI. Childericus vero filius Merovei cum successisset patri in regno, nimia luxuria dissolutus, filias Francorum stupro tradidit (*Cap.* 12). Illi vero ob hoc indignantes, eum de regno ejiciunt. Wiomadus Francus fidelissimus cæteris Childerico, qui eum, cum a Chunis cum matre captivus duceretur, fugaciter liberaverat. Hic inventum unum aureum cum Childerico dividens, dum cerneret quod eum Franci interficere conarentur, dixit ei: Fuge in Thoringiam, latita aliquantulum ibi. Si tibi potuero Francos placare, istum aureum medium tibi ad signum dirigam; et si non potuero, ubicunque aggressus fueris, mihi notum facias viam tuam. Quando quidem potuero, et istam partem tibi direxero, partesque [*Ch.* pariterque] conjunctæ unum effecerint solidum, tunc securus patriam **552** repedabis. Childericus habitans in Thoringia apud regem Bisinum, uxoremque ejus Basinam [g] latuit. Franci tunc Ægidium [h] unanimiter regem adsciscunt. Wiomadus amicus Childerici subregulus ab Ægidio Francis instituitur [i], ejusque consilio omnes Francos singulis aureis tributavit. Illi acquiescentes impleverunt. Dixitque iterum ad Ægidium Wiomadus: Gens hæc durissima, quæ mihi ad agendum jussisti, parum attributati sunt. Superbia sæviunt; jube ut ternos solidos tributentur. Quod cum factum fuisset, acquiescentes Franci dixerunt: Melius nobis est ternos solidos tributa solvere, quam cum Childerico gravissimam vitam ducere. Wiomadus iterum ad Ægidium dicit: Rebelles existunt tibi Franci; nisi præceperis ex eis plurimos jugulari, eorum superbiam non mitigas. Electos a Wiomado centum inutiles et in necessitatibus incongruos [j] ad Ægidium direxit, quos Ægidius consilio Wiomadi usus interficere jussit. Wiomadus dixit secretius ad Francos: Non sufficiunt tributa quæ solvitis? Quandiu hoc malum sustinere vultis, ut parentes vestri sicut pecora jugulentur? Tunc Franci unanimiter dixerunt: Si Childericum ubicunque potuissemus reperire, libenter eum super nos reciperemus ad regem, forsitan per ipsum de his afflictionibus eriperemur. Tunc Wiomadus protinus ad Ægidium vadens, dixit: Modo est gens Francorum tuæ disciplinæ perdomita. Dansque eidem [k] consilium legatos ad Mauricium imperatorem dirigere, gentesque vicinas, si posset, attrahere, ut vel quinquaginta millia solidorum ab imperatore [l] dirigerentur, quo potius gentes accepto in munere se imperio subjicerent. Addensque dixit ad **553** eum: Aliquantulos solidos tuæ instantiæ locum accipiens militavi, parum servus tuus argentum habeo. Volebam cum tuis legatis puerum dirigere, ut melius Constantinopoli mihi argentum mercaret. Tunc acceptis ab Ægidio quingentis in munere aureis, quos ad hoc opus emendum transmitteret, misit puerum creditarium sibi cum media parte aurei quem cum

[a] Hæc de Stilicone Gregorius lib. IX, cap. 2, ex Orosio commemorat, quæ incaute Castino, Ch., *Gastino*, de quo paulo superius dixerat Gregorius, Fredegarius attribuit.

[b] Sic Clar., alia tam n manu, et quidem antiqua, aliquis scripsit *Clodoveus*. Sic et habet Can. At. Boh. *et filius Chloveus*. Alii, *Chlogio*. Gregorius, cap. 9, de Theodemere et Chlodione agit, sed nusquam scripsit Chlodionem fuisse Theodemeris filium. Aimoinus et Rorico Marcomerem Priami filium fuisse aiunt, et ex Marcomere Pharamundum prodisse, cui in regem electo, et postea defuncto, Chlodio ipsius filius successit.

[c] Ed., *Hespergem*. Alii cum Anonymo, Roricone, et Aimoino *Dispargum*.... Omnes habent infra *Thoringorum*.

[d] Clar., *Lavandum vadens bestia Neptuni quinotauri similis*.

[e] Boh., *concepta, peperit*. Chesn., *continuo a bestia tacta fuisset*. Hanc porro narrationem ab interpolatore additam fuisse censet Cointius ad annum 426, idque sub Carolinis principibus, ut Merovingici principes, inquit ille, qui e regno exciderant, in viliori haberentur apud populos pretio. At falsam esse hanc viri eruditi conjecturam ex eo patet, quod hic locus integer habeatur in cod. Claromontano, qui ab annis mille sub prima regum nostrorum stirpe descriptus est.

[f] Boh., *Basilicam*, et sic eam inferius appellat.

[g] Clar., *Bysinum*, et infra semel *Bysinam*. Boh., *latuit Francis. Tunc*.

[h] Clar., *Ejeium*, et infra semper *Ejegius* dicitur. Alii *Egidius*. Boh., ut plurimum, *Eicius*.

[i] Sic Clar., at editi, *Viomadum amicum Childerici subregulum ab Ægidio iterum Franci instituerunt* Deest *iterum* in Can., at Chesn. al. et Aimoin., *Winomadum*. Boh., *Widomadum.... sub regulis ab Ægidio Franci instituerunt... singulos aureos*.

[j] Sic Clar. et Boh. Editi vero, *utiles... congruos*.

[k] Clar. et Freh., *dans idemque*. Ches., *dansque eisdem*. Canisii lectionem sequimur. Marcianus tunc, aut certe Leo ejus successor CP. regnabat; in Occidente vero Majorianus. Alterutrum hic Mauricium appellat Fredegarius. Nam Mauricius imp. sub sæculi seqq. finem vixit.

[l] Freher., *ad imperatorem*.

Childerico diviserat, saccellum plenum pumbeis, quos puer pro solidis secum portaret. Comperto jam Childericum Constantinopoli esse, cum legatis Ægidii puer aggreditur his verbis instructus, ut legatos præcederet, et Childerico protinus nuntiaret, priusquam legati in conspectum imperatoris venirent, quod Ægidius qui tributa publicis ærariis solvere debebat, tributa imperatori solvenda quæreret. Quod cum Childericus Mauricio imperatori nuntiasset, repletur furore et indignatione, cum legati Ægidii ei præsentati fuissent, his verbis suggerentes, jubet eos retrudi in carcerem. Dixitque Childericus ad Mauricium imperatorem : Jube me servum tuum ire in Gallias. Ego furorem indignationis tuæ super Ægidio ulciscar. Multis muneribus a Mauricio Childericus ditatus, evectu navali revertitur in Gallias. Quem cum Wiomadus nuntiante puero comperisset, castro Barro [a] ad ipsum venit, et a Barrensibus receptus est. Eorum omnes reditus publicos pro initio receptionis consilio Wiomadi benigne concessit. Deinde ab omnibus Francis resublimatur in regno, multaque prælia cum Ægidio egit. Plures strages ab ipso factæ sunt in Romanis.

XII. Basina quæ Bisinum regem in Thoringia jugalem habebat, cum audisset Childericum a Francis in regno sublimatum, cursu veloci relinquens Bisinum ad Childericum transiit (*Cap.* 12). Qui cum eam sollicite interrogasset qua de causa ad eum de tam longe venisset, respondisse fertur : Novi, inquit, utilitatem tuam, quod sis valde strenuus; **554** ideoque veni ut habitem tecum. Si utiliorem sub cœlo scissem, ad eumdem expetissem. Quam Childericus gaudens, et diligens ejusdem pulchritudinem, in conjugio copulavit. Cum prima nocte jugiter stratu junxissent, dicit ad eum mulier : Hac nocte a coitu virili abstinebimus. Surge secretius, et quod videris ante aulas palatii, dices ancillæ tuæ. Cumque surrexisset, vidit similitudinem bestiarum [b] leonis, unicornis et leopardi deambulantium. Reversusque dixit mulieri quæ viderat. Dicit ad eum mulier : Domine mi, vade denuo, et quod videris narra ancillæ tuæ. Ille vero cum foris abisset, vidit bestias similitudine ursi et lupi deambulantes. Narrans et hæc mulieri, compellit eum tertio ut iret, et quod videbat nuntiaret. Cumque tertio exisset, vidit bestias minores similitudine canis et minorum bestiarum ab invicem detrahentium et volutantium. Cumque Basinæ hæc universa narrasset, abstinentes se caste usque in crastinum, surgentes de stratu dixit Basina ad Childericum : Quæ visibiliter vidisti, veritate subsistunt. Hæc interpretationem habent. Nascetur nobis filius fortitudine leonis signum et instar tenens; filii vero ejus leopardi et unicornis fortitudine signum tenent. Deinde generantur ex illis qui ursis et lupis fortitudinem et voracitatem eorum similabunt. Et tertio quæ vidisti ad discessum, columnæ regni hujus erunt, qui regnabunt ad instar canum, et minoribus bestiis eorum consimilis erit fortitudo. Pluritas autem minorum bestiarum, quæ ab invicem detrahentes volutabant, populos sine timore principum ab invicem vastandos significat. Concepit Basina, et peperit filium, nomine Chlodeveum. Hic fuit magnus et pugnator egregius, ad instar leonis fortissimus cæteris regibus. Childericus cum Odouacro rege Saxonorum Aurelianis pugnans, Andegabum victor perrexit. Mortuo Ægidio, reliquit filium, Syagrium nomine (*Cap.* 18). Eodem tempore Brittones de Betorica [*Al.* Biturica] a **555** Gotthis expulsi, multi apud Dolensem [c] perempti sunt. Paulus comes cum Romanis et Francis bellum Gotthis intulit, et prædas egit. Childericus Odouacro superato Paulum comitem interfecit, Andegavis obtinuit (*Cap.* 19). His actis, inter Saxones et Romanos bellum gestum est. Saxones terga vertentes, multis ex eis exstinctis, insulæ [d] eorum, cum multo populo interempto, a Francis captæ atque subversæ sunt.

XIII. Ipso anno terræmotus fuit. Eoricus Gotthorum rex decimo quarto regni sui anno ecclesiam sancti Juliani Brivate columnis ornatam mirifice construxit [e]. Regnans Eoricus annos viginti (*Cap.* 20).

XIV. In Burgundia nimia famis oppressio advenit (*Cap.* 24). Cumque populus a fame diversis regionibus dispergeretur, nec esset qui alimoniam præberet; Ædicius [f] quidam ex senatoribus magnam tunc rem in Deo fecisse perhibetur. Misit pueros suos cum equitibus [*id est* equis] et plaustris per vicinas sibi civitates; ut eos qui inopia vexabantur sibi adducerent. Cunctos pauperes quos invenire potuerunt, adduxerunt ad domum ejus, ibique eos tempore sterilitatis pascens a fame liberavit. Fueruntque plusquam quatuor millia, quos aluit usque tempore ubertatis. post quorum discessum vox e cœlis lapsa pervenit, dicens Ædicio : Quia fecisti hanc rem, tibi et semini tuo panis non indigebit in sempiternum. Ædicius miræ velocitatis fuit, pluribus vicibus multitudinem Gotthorum cum paucis in fugam convertit. Evatrix [g]

[a] Non unum est hujus nominis castrum, vulgo *Bar*, de quo hic locus intelligi possit. Tam enim Barro ad Albam, quam Barro ad Sequanam competere potest. Barrum Ducis, quod nunc videtur cæteris celebrius, tunc temporis nondum constructum fuisse Valesius putat. At cum pagi Barrensis mentio sit ab annis fere mille in testamento Wolfaudi comitis pro conditu monasterii sancti Michaelis in agro Virdunensi, et in aliis ejus ævi monumentis, locum hunc jam tunc celebrem fuisse oportuit, ut pago cognomini nomen indiderit, qui proinde hic potuerit designari, licet serius Barrum Ducis cognominatus.

[b] Istas visiones ab *Hieronymo* are additas putat Cointius. At, prout jam observavimus ad caput 9, refragatur cod. Claromontani auctoritas.

[c] Editi aliquot, *al. Tolosam*, falso. Est enim vicus Biturigum. Vide notas ad Gregorii lib. II, cap. 18.

[d] Editio Freh., *in solo*. Boh., *in solo... capti atque subversi*.

[e] Fallitur Fredegarius; nam, ut jam observavimus, non Eoricus, sed Victorius ab Eurico Arvernis præpositus basilicam sancti Juliani, non quidem Brivate, sed in ipsa urbe Arverna, quam hodie Clarummontem appellamus, columnis adornavit, non exstruxit.

[f] Al., *Ecditius*, seu *Ædecius*.

[g] Ed., *Evar x*. Boh. et Ch. al., *Evagrus*.

rex Gotthorum excedens Spanum limitem, gravem in Galliis intulit persecutionem (*Cap.* 25).

XV. Defuncto Childerico, Chlodoveus ejusdem filius regnavit pro eo (*Cap.* 27). Anno autem quinto regni ejus Syagrius Romanorum patricius apud civitatem Sexonas [a], quam quondam pater suus tenuerat, sedem habebat : super quem Chlodoveus cum Ragnachario irruens, Syagrius illisum cernens **556** exercitum terga vertit, et ad Alaricum regem Tholosam cursu veloci perrexit. Chlodoveus legatos ad Alaricum mittit, ut eum redderet, alioquin noverit sibi bellum inferri. At ille metuens, ut Gotthorum pavere mos est, Syagrium vinctum legatis tradidit. Quem Chlodoveus custodiæ mancipavit, regnoque ejus accepto, eum gladio trucidare [*Boh.*, truncare] præcepit. Chlodoveus, eo quod esset fanaticus, ecclesias deprædari permisit.

XVI. Igitur de ecclesia Remicianæ urbis urceum magnum hostis abstulerat cum reliquis ministeriis (*Ibid.*). Sanctus ac apostolicus Remedius pontifex ejusdem urbis ad Chlodoveum veniens postulans, si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltem vel urceum illum reciperet. Audiens rex dixit : Mitte nuntium usque Suessionas, ibi quæ acquisita sunt dividenda erunt. Si mihi illud sors dederit, petitionem tuam implebo. Cum præda in medio dividenda poneretur, ait rex : Rogo ut saltem mihi vas istud extra partem concedatis. Hæc rege dicente, respondent Franci : Gloriose rex, quæ cernimus tua sunt; sed et nos tui sumus, domine, quod tibi placet, fac. Tunc unus levis, invidus et facilis, voce magna urceum impulit, dicens : Nihil hinc accipies, nisi quod tibi sors vera largitur. Rex injuriam hanc patientia lenivit. Sorte posita, acceptum urceum beato Remedio transmisit, servans abditum sub pectore vulnus. Kalendas Martias jussit omnes armatorum phalanges se ostensuros venire. Ubi cunctos circuibat venit ad urcei percussorem, dicens ad eum : Inculta est armatura tua, neque securis est utilis. Apprehensamque securem ejus terræ dejecit. Et ille cum paululum inclinatus fuisset, rex elevatis manibus secure caput ejus defixit : Sic, inquit, et tu Suessionis urceo fecisti, magnum sibi per hanc causam timorem statuens [b].

XVII. Fuit igitur Gundiochus rex Burgundionum ex genere Athanarici **557** regis persecutoris (*Cap.* 28). Huic fuerunt quatuor filii, Gundobadus, [c] Godegiselus, Chilpericus et Godemarus. Gundobadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio; uxorem ejus ligato ad collum lapide aquis immersit; duos filios eorum gladio trucidavit; duas filias exsilio condemnavit, quarum senior nomine Saedeleuba [d], mutata veste, se Deo devovit, junior Chrotechildis vocabatur.

XVIII. Porro Chlodoveus legationem in Burgundiam sæpius mittens ambiebat Chrotechildem (*Ibid.*). Et cum non esset licitum eam videre, Chlodoveus Aurelianum [e] quemdam ex Romanis, ingenio quo poterat, ad Chrotechildem prævidendam direxit. At ille nisi singulus, ad instar mendici peram ad dorsum ferens veste deformi, illis perrexit partibus, annulum Chlodovei, quo ei potius crederetur, secum portans. Cumque ad Januam civitatem [f] ubi Chrotechildis cum germana Saedeleuba sedebat, venisset, et illæ hospitalitate peregrinos sectantes eum causa mercedis susceppissent, et pedes ejus Chrotechildis lavaret, Aurelianus verbo secreto inclinans ad eam, dixit : Domina mi, grande verbum tibi nuntiaturus sum, si locum dare dignaris, ubi secretius suggeram. Illa annuens, inquit : Loquere [g]. Dixitque Aurelianus : Chlodoveus rex Francorum me direxit ad te; si voluntas Dei fuerit, te vult ad culminis sui sociare conjugium. Ut certa fias, hunc annulum tibi direxit. Quem illa accipiens, gavisa est gaudio magno. Dixitque ad eum : Accipe centum solidos pro laboris tui munere, et annulum hunc meum. Festinans revertere ad dominum tuum, et dic ei : Si me vult matrimonio sociare, protinus per legatos a patruo meo Gundobado postuletur. Legati **558** qui venient, obtenta ad præsens firmitate [h], placitum sub celeritate instituant. Nisi ad perficiendum festinent, Aridii [i] cujusdam sapientis de Constantinopoli adventum vereor, cujus consilio, si prius venerit, hæc omnia dissipabuntur. Aurelianus eodem habitu quo venerat, rediit ad propria. Cum jam prope Aurelianense territorium, nec procul a domo prope accessisset, quemdam pauperem mendicum in via secum itineris socium habebat [j], cum jam securus Aurelianus sopore depressus esset, a collega suo pera cum solidis ejusdem furatur. Cumque a somno expergefactus fuisset, mœrore plenus cursu veloci perrexit ad propria, dirigensque pueros ad inquirendum mendicum qui peram ejus portabat. Quem apprehensum Aureliano præsentant, eumque fortiter triduo cæsum permisit ire mendicum. Protinus Aurelianus Chlodoveo regi per singula narrans successionem, suggestiones nuntiat [k]. Quod cum Chlodoveo utilitas et consilium

[a] Canis., *Santonas*. Sed constat Suessionas urbem hic designari, quæ in veteribus scriptis *Sessonas*, *Sexonas*, aut *Saxonas* vulgo scribitur.

[b] Chesn. et Freh., *timorem fecit*. Canis., *causam Franci timorem statuerunt*.

[c] Alii, *Gundebadus*, *Gunthegiselus*, *Gotemarus*. Mss. Clar. et Boh. lectionem retinuimus, et sic semper infra.

[d] Ches. al., *Chrona*, et infra *Chrothildis*. Boh., *Chrotechildis*. Vide notas in Gregorium.

[e] Aurelianus Patricius memoratur a Gregorio lib. I de Gloria mart. cap. 77. Sed hanc de eo mendicum simulante narrationem inter fabulas computant cum Valesio viri eruditi; quam tamen habent Rorico, Anonymus, Aimoinus, auctor Vitæ sanctæ Chlothildis, et alii passim. Gregorius vero, lib. II Hist. cap. 28, legationem a Chlodoveo missam memorat : sed nihil de hac re habet.

[f] Sic Clar., non vero *januam civitatis*, ut Boh., Can. et Freh.; est quippe *Geneva*, quam veteres *Januba* scribebant. Ches., *Genovam*.

[g] Clar. Boh., et Can., *annuens verbo secreto audiens, dixitque*.

[h] Boh., *oblata ad præsens firment*.

[i] Editi, *Aredii*. De hoc vide Gregor. lib. II cap. 32, etc.

[j] Can., *habuit*. Ch sn., *quidam pauper mendicus quem in via... habuera... colleyæ suo peram furatus est*.

[k] Apud Freh. deest *successionem*. Clar., *narrans*

Chrotechildis placuisset, legatos ad Gundobadum dirigit, petens ut Chrotechildem neptem suam ei in conjugium sociandam traderet. Quod ille denegare metuens, et sperans amicitiam cum Chlodoveo inire, eam se daturum spondit. Legati offerentes solidum et denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei sponsant [a], placitum ad præsens petentes, ut ipsam ad conjugium traderet Chlodoveo. Nulla stante mora, inito placito Cabillono [b], nuptiæ præparantur. Venientes cum celeritate Franci Chrotechildem a Gundobado acceptam levantes in basternam [c], cum multis thesauris ad Chlodoveum dirigunt. Chrotechildis cum jam comperisset adventum Aridii revertentis ab imperio, dixit ad seniores **559** Francos : Si vultis me domino vestro præsentare, removete me de basterna, et supra equum levate, et quantum protinus potueritis, illis partibus accelerate. In hac basterna ad suam non possum venire præsentiam. Franci levata Chrotechilde super equum, festini ad Chlodoveum pergunt.

XIX. Cumque Aridius a Massilia velocissimo cursu hæc audiens ad Gundobadum venisset, dixitque ei Gundobadus : Audisti quod amicitiam cum Francis inivimus, neptemque meam Chlodoveo tradidi uxorem? respondens Aridius dixit : Non est hoc amicitiæ cultus, sed initium discordiæ perpetuæ. Reminiscere debueras, domine mi, quod genitorem Chrotechildæ germanum tuum Chilpericum gladio trucidasti, matrem ejus lapide ad collum ligato necare jussisti, duos ejusdem germanos capite truncatos in puteum fecisti projicere. Si prævaluerit, injuriam parentum vindicabit. Dirige protinus exercitum post eam, ut revertatur. Facilius unius feres jurgium, quam omni tempore tu et tui scandalizemini [d] a Francis. Hæc audiens Gundobadus, exercitum post tergum Chrotechildæ retentandum [e] dirigit, qui consequentes thesauros et basternam cuncta retentent. Chrotechildis vero cum appropinquasset Villariaco [f], in qua Chlodoveus residebat, in territorio Trecassino, adhuc antequam terminos Burgundiæ Chrotechildis præteriret, rogans eos a quibus ducebatur, ut duodecim leuvas [g] in utrasque partes de Burgundia prædarent et incenderent. Quod cum permittente Chlodoveo fuisset impletum, dixit Chrotechildis : Gratias tibi ago, Deus omnipotens, quod initium vindictæ de genitoribus vel fratribus meis video.

XX. Tunc ad præsens Chlodoveo [h] perducitur, ipsamque in matrimonium Chlodoveus accepit, quam cultu regali perfecto dilexit amore (*Ibid., cap.* 29). Habebat jam tunc Chlodoveus filium de concubina, nomine Theu lericum. Chrotechildis cum primo genitum filium habuisset, **560** quem baptismo consecrare vellet, virum assidue suadens christianum efficere [i] nullatenus ad consiliandum regis animus movebatur, dicens : Deorum nostrorum jussione cuncta creantur, Deus vester nihil posse manifestatur. Regina filium ad Baptismum exhibet. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem [*Al.* Ingomerum] vocitabant, in albis obiit. Qua de causa permotus felle rex, increpabat reginam, dicens : Si in nomine deorum meorum puer fuisset baptizatus [j], vixisset. Regina vero Deo omnipotenti gratias agens, ut de utero suo primogenitum in regno suo acceperit. Post hunc genuit filium, quem Chlodomerem vocitavit; qui cum baptizatus ægrotare cœpisset, dicebat rex : Et iste, sicut frater, moritur. Orante matre, Domino adjuvante, convaluit. Regina tamen assidue regem verbis blanditis [k] ad Christi cultum suadebat (*Cap.* 30).

XXI. Cumque bellum contra Alamannos Chlodoveus rex moveret, suadente regina, vovit, si victoriam obtineret, efficeretur christianus (*Ibid.*). Cumque utræque phalanges certamina jungerent, et strages ingentes essent, dixit Chlodoveus : Deum invoco, quem Chrotechildis regina colit : si me juvaret in hoc prælio, ut vincam hos adversarios meos, ero illi fidelis. Alamanni terga vertentes in fugam lapsi sunt. Cumque regem suum cernerent interemptum, novem annis [l] exsules a sedibus eorum, nec ullam potuerunt gentem comperire, quæ eis contra Francos auxiliaret, tandem se in ditionem Chlodoveo tradunt. Nam cum de prælio memorato superius Chlodoveus Remis [m] fuisset reversus, clam a sancto Remedio Rhemensis urbis episcopo (*Cap.* 31), attrahente etiam Chrotechilde regina, baptismi gratia cum sex millibus Francorum in Pascha [n] Domini consecratus est. Cum a sancto Remedio in Albis Evangelii lectio Chlodoveo annuntiaretur, qualiter Dominus noster Jesus Christus ad passionem venerat, dixit Chlodoveus : Si ego ibidem cum Francis meis fuissem, injuriam **561** ejus vindicassem. Jam fidem his verbis ostendens, christianum se verum esse affirmat.

XXII. Godegiselus frater Gundobadi solatium per legatos Chlodoveo postulat, cum eum comperisset fortissimum in prœliis; promittens, [o] si ejecerit Gun-

Suessionas nuntiat. Boh., *narrans fuisse honestas* (al. m., *honestas*) *su gestiones nuntiat.*

[a] Boh., Can. et Ches., *desponsant.* Hic Francorum mos dicitur *secundum legem Salicam* in formula veteri apud Bignonium, post Marculfi formulas, p. 219. Vide et ejus notas in varias formulas, n. 5, p. 364.

[b] Can. et Chesn. al., *Cavallono.* Boh., *Carilonno.*

[c] Basterna vehiculi genus erat matronis proprium quod tectum erat, ut ex Hieronymo in cap. LXVI Isaiæ colligit Altaserra, *cum umbraculis, quæ nos dormitoria interpretari possumus vel basternas.*

[d] Clar. et Boh., *scandalizeris.* Can. et Freh. et Ch. al., *rexentur.*

[e] Can., *præsentandam*, Boh., *retcntanda... retentant.*

[f] Duo supersunt apud Tricassinos loca, quæ huc revocari possunt, *Villers* scilicet haud procul ab Arciaco et Isis Trecis et *Villori*, vicus paulo Trecis remotior, Barro ad Albam propinquus An *villa Riaco?*

[g] Can., *leucas.* Clar. altera manu exponit, *leugas.*

[h] Edit. *ad præsentiam Chlodovei.*

[i] Ed., *ut christianus efficeretur.*

[j] Freh., *nominatus.* In cod. Clar. hæc vox omittitur.

[k] Can., *blandis.* Clar. et Boh., *blandiciis.*

[l] Freh. et Ch. al., *centum quatuor annis.* Locus obscurus, quem alii auctores non exponunt.

[m] Clar., *Remus.* Boh., *Remus .. ingressus.*

[n] Hunc secuti sunt Hincmarus, Flodoardus, etc. Alii tamen ex sancti Aviti epistola Chlodoveum in Nativitate Domini baptizatum fuisse volunt.

[o] Boh., *promittens se si... dissolvere.*

dobadum cum suo solatio a regno, tributum partibus Chlodovei dissolveret (*Cap.* 32). Gundobadus ignorans dolum fratris Godegiseli, ad eum misit dicens : Veni ut resistamus Francis unanimiter, ut quod aliæ gentes passæ sunt, non perferamus nos. At ille : Vadam, inquit, et præbeam tibi auxilium. Chlodoveus cum Francis adversus hos duos reges castra Divionensi campania [a] direxit ad prælium. Godegiselus Chlodoveo conjungitur, ac uterque exercitus Gundobadi populum atterit. At ille dolum fratris cognoscens terga vertit, Rhodani ripam percurrens Avenionem urbem ingreditur. Godegiselus, obtenta victoria, promissa Chlodoveo ex parte implens, Viennamque triumphans [b]. Chlodoveus rex post Gundobadum dirigit, eumque de civitate extrahi præcepit.

XXIII. Aridius prudentissimus vir cum Gundobado intra castra sedens, ad Gundobadum ait : Oportet te lenire hujus hominis feritatem (*Ibid.*). Ego simulans a te fugere, ad eum transibo, ut faciam quod neque te, neque hanc noceat regionem. Quodcumque tibi per meum injunget consilium, faciendum promitte, donec causam tuam Dominus prosperet.

XXIV. Aridius valedicens Gundobado ad Chlodoveum perrexit, dicens : Illum perfidum Gundobadum relinquens, tuæ gloriæ me offero [c] (*Ibid.*). Benigniter a Chlodoveo recipitur. Eratque jucundus in fabulis, strenuus in consiliis, justus in judicio, et in commisso [d] fidelis. Dixit ad Chlodoveum : Tua est hæc regio, quare eam vastare permittis? Jube Gundobadum tibi tributa solvendum, et ipsum et regionem dominabis. Quod si noluerit, perfice quod cœpisti. Hæc injuncta a Chlodoveo **562** Gundobadus implere promittens, Chlodoveus rediit in Franciam, relictis cum Godegiselo quinque millibus Francorum. Exiens Gundobadus de Avinione, resumptis viribus, Godegiselum in Vienna circumdat, per aquæductum in civitatem ingrediens Godegiselum interfecit. Francos aggregatos in unam turrem ferro trucidavit, nihilque postea Chlodoveo reddere disponens (*Cap.* 33).

XXV. Igitur Alaricus rex Gotthorum cum amicitias fraudulenter cum Chlodoveo inisset, quod Chlodoveus discurrente Paterno legatario suo cernens, adversus Alaricum arma commovet, et in campania Voglavensi, decimo ab urbe Pictava milliario, Alaricum interfecit, et plurima manu Gotthorum trucidata, regnum ejus a mare Tyrrheno, Ligere fluvio, et montibus Pyrenæis, usque Oceanum mare a Chlodoveo occupatum est (*Capp.* 35, 37). Thesauros Alarici a Tolosa auferens secum Parisius duxit, et multis muneribus ecclesiam sancti Martini, et sancti Hilarii ditavit, quorum fultus auxilio hæc cernitur implesse. Cumque Parisius perrexisset, ibi cathedram regni sui constituit (*Cap.* 38).

XXVI. Theudericus ejusdem filius, civitatibus captis circa maritima, jussu patris filius ad eum revertitur (*Ibid.*). Filius Sigiberti regis, nomine Chlodericus [*Al.*, Chlodoveus], quem cum exercitu in ejus solatio contra Gotthos Chlodoveus [*Al.* Theodoricus] habuerat, liciniis [e] verbis, dum per Scaldem fluvium navigaret, attractus. Ipse vero patrem suum Sigibertum in Bochonia [f] interfecit dolose, et ipse a percussoribus Chlodovei interfectus est. Regnum Sigiberti absque ullo prælio cum thesauris Chlodoveus assumpsit.

XXVII. Chararicum regem parentem suum Chlodoveus interfecit, et regnum suum sibi subdidit (*Cap.* 41).

XXVIII. Ragnacharium regem, atque suum parentem, Chlodoveus dolis interfecit manu propria, et fratrem suum Richarium similiter manu propria **563** jugulavit (*Cap.* 42). Regnum Ragnacharii, qui apud Camaracum sedem habebat, suæ ditioni subjecit. Regnum Chlodovei maxime per totas Gallias dilatatur. Studiose tractavit, ut nullus de suis parentibus superesset, nisi de suo semine, qui regnaret.

XXIX. Mortuo Chlodoveo, sepultus est in ecclesia sancti Petri apostoli, quam suo opere construxerat (*Cap.* 43). Obiit post Voglense [g] bellum anno quinto. Regnum tenuit annis triginta. A transitu sancti Martini usque ad transitum Chlodovei fiunt anni centum duodecim. Chrotechildis regina ad limina sancti Martini Turonis orationibus et vigiliis pervacabat.

XXX. Quatuor filii Chlodovei, id est Theudericus, Chlodomeres, Childebertus et Chlotarius, regnum ejus æquo ordine inter se diviserunt (*Lib.* III, *cap.* 1). Sortitus est sedem Theudericus Mettis, Chlodomeres Aurelianis, Childebertus Parisius, et Chlotarius Suessionis. Theudericus habebat jam filium, nomine Theudebertum, utilem et strenuum.

XXXI. Amalricus filius Alarici sororem eorum in matrimonium accepit, per quam Barcennona [*Leg.*, propter... Barcinonæ] a Childerico [h] et Francis occisus est (*Ibid.*, *capp.* 2, 3).

XXXII. Dani evectu navali Gallias petunt, in regno Theuderici irruunt, a Theudeberto [i] filio Theuderici superantur, omnemque prædam et vitam amiserunt.

XXXIII. Thoringorum tres fratres regnabant, Badericus [*Al.*, Baldericus], Ermenfridus et Berthariusa

[a] Sic Clar., id est, ni fallor, castra per campos Divionenses direxit, etc., vel in campania Divionensi; sic cap. 25 dicitur campania Voglavensis. Editi habent, *castra Divionense campaniam direxit*, etc.

[b] Freh., *triumphat.* Can. et Ches. al., *Avenionemque triumphans, Chlodoveus... dirigit, qui eum de civitate extrahere possent.*

[c] Clar., Boh. et Freh., *expeti*, pro *gloriam tuam expetii.* Frequenter enim casus sextus pro quarto in isto auctore habetur in mss., quod semel monuisse satis sit.

[d] Ch. al., *commissionibus.*

[e] Can., *levis.* Ch. et Freh. al., *lenibus, levibus.* Boh., infra, *navigaret ad tractum.*

[f] Editi, *Burconia*; al., *Burgundia, Burgunia, Burchonia silva.*

[g] Boh., *Voglavense*; al., *Vogladense.*

[h] Legendum *Childeberto.* Barcino urbs episcopalis provinciæ Tarraconensis, hodiernæ Catalauniæ caput Vide Gregorii locum.

[i] Sic Clar., B.h. et Can. At Freh et Ches. hic caput 32 sic inchoant: *Avani a Theudeberto*, etc. Certe in capitum indice, etiam in Clar. habetur : *De Alanis qualiter in regno*, etc. Nihil vero de Danis, qui forte iidem sunt, nam solos Danos memorat Gregorius. Boh., pro *Dani evectu*, habet *Alamanni evectu*, etc.

(*Cap.* 4). Ermenfridus Bertharium interfecit, instigante uxore Ermenfridi nequissima, nomine Amalberga, et Badericum germanum suum cum solatio [a] Theuderici interfecit. Ipse vero a Theudeberto filio Theuderici interfectus est. Regnum Thoringorum Francorum ditioni subactum est.

XXXIV. Gundobadi filius Sigimundus apud Genavensem [b] urbem, villa Quatruvio, jussu patris sublimatur **564** in regnum, habens uxorem filiam Theuderici regis Italiæ, unde habebat filium, nomine Sigiricum (*Cap.* 5). Eadem mortua, aliam duxit uxorem. Filium suum Sigiricum novercæ insidiis jussit interfici. Unde postea fortem pœnitentiam agens, monasterium sanctorum Agaunensium miri operis construxit [c], et alia plura monasteria ædificavit. Chrotechildis assidue filios admonebat mortem patris matrisque, vel germanorum suorum ulcisci (*Cap.* 6). Quam ob causam illi Burgundias appetunt, Sigimundum et Godemarem [d] in prælio vincunt.

XXXV. Chlodomeres Sigimundum, dum ad monasterium sanctorum Agaunensium fugeret, captum cum uxore et liberis, Aurelianis adducit (*Ibid.*). Godemaris terga vertens latuit. Godemaris resumptis viribus regnum Burgundiæ tenet. Chlodomeres iterum adversus Godemarem exercitum movet, interfecto Sigimundo cum uxore et liberis.

XXXVI. Prædictum est Chlodomeri ab Avito abbate, quod fecerat Sigimundo, ipso itinere [*Al.*, ipsum item] passurum (*Ibid.*). Cumque Veseroncia [e] Franci cum Burgundionibus bellum inissent, Chlodomeres capite truncatur, deceptus ab auxiliis Theuderici, qui filiam Sigimundi habebat uxorem.

XXXVII. Franci vero in ipso prælio resumptis viribus, Burgundionibus Veserontiæ superatis, et ad internecionem perductis, patriam eorum ditioni subjiciunt (*Ibid.*). Chlotarius uxorem Chlodomeris, nomine Guntiucham, uxorem duxit, filiosque ejus tres, his nominibus, Theudoaldum, Gunthacharium [*Al.* Gunthārium] et Chlodoaldum Chrotechildis alebat. Childebertus dolose Arvernos contra Theudericum invasit. Chlotarius et Childebertus Burgundias appetunt : sed Theudericus cum eis aggredi noluit. Childebertus et Chlotarius fugato Godemare Burgundias occupant. Theudericus cum exercitu Arvernos vastat (*Cap.* 9, 11, 12). Mundericus qui se parentem regi asserebat, regnumque **565** ei deberi dixit, a satellitibus Theuderici occiditur fraude deceptus (*Cap.* 14). Res ejus fisco subjiciuntur.

XXXVIII. Inita pace inter Childebertum et Theudericum cum sacramento, datis obsidibus (*Cap.* 15). Sed celerius rumpitur, multique filii senatorum ob hoc [f] servitio subjiciuntur. Nepos beati Gregorii Lingonicæ urbis episcopi, Treveris cuidam barbaro serviens, ingenio Leonis cujusdam ex cocis ipsius episcopi, liberatur et reducitur.

XXXIX. Chrotechildis regina cum filiis Chlodomeris, quos alebat, Parisius residens, eosque unico amore diligens, Childebertus invidia de eis ductus Chlotarium suadet, ut interficerentur (*Cap.* 18). Ex quibus duo, Theodoaldus et Guntharius, Chlotarii manu propria interficiuntur. Chlodoaldus ad clericatum tondetur, dignamque vitam gerens transiit ; ad cujus sepulcrum Dominus virtutes dignatur ostendere. Theudericus filio suo Theudeberto [g] Wisigardem cujusdam regis filiam desponsavit (*Cap.* 20). Theudebertus relinquens Wisigardem, Theotheriam [h] genere Romanam duxit uxorem (*Cap.* 22).

XL. Theudericus vigesimo tertio [i] anno regni sui moritur, regnumque ejus Theudebertus assumpsit, qui magnum se atque in omni bonitate præcipuum ostendit (*Cap.* 23). Theotheria zelans a Theudeberto filiam suam dolo interfecit. Theudebertus, relicta Theotheria, Wisigardem duxit uxorem. (*Capp.* 25, 26, 27).

XLI. Childebertus et Theudebertus, fœdere inito inter se, contra Chlotarium movent exercitum (*Cap.* 28). Sed orationibus Chrotechildis ad limina sancti Martini, et divino nutu, grandine et infestatione tonitrui et fulguris veniente, separati sunt. Pacem inceuntes ad proprias sedes sunt reversi.

566 XLII. Post hæc Childebertus et Chlotarius Spanias appetunt, easque parte maxima depopulati sunt (*Cap.* 29). Amalricum regem Barcenona interficiunt (*Cap.* 10). Cæsaraugusta civitas orationibus et jejuniis liberatur [j] (*Cap.* 29).

XLIII. Post Amalricum Theudo [k] regnat in Spania (*Cap.* 30). Quo interfecto Theudegiselus regnum assumit, qui dum ad cœnam lætus sederet, exstinctis cereis, a suis occiditur. Cui Agila succedit in regno. Gotthi vero jam olim habent hoc vitium, cum rex eis non placet, ab ipsis interficitur.

XLIV. Et quia Theudericus rex Italiæ sororem Chlodovei in matrimonium habuit, ex qua parvulam filiam cum uxore reliquit, cum mater ei regis filium sociandum provideret, a servo, nomine Tranquillane [l], accipitur (*Cap.* 31). Tranquilla cum exercitu

[a] Boh., Ch. al., Freh. al. et Can., *suum consilio.*

[b] Can. et Ch. al., *Ardegavensem.* Item. Ch. al., *Agaunensem.*

[c] Imo jam antea constructum fuerat, sed illud adauxit, ibique psallentium continuum instituit. Vide Gregorium et notas.

[d] Supra dicitur *Gotemarus*; hic in Boh., *Godemarus.*

[e] Ches. et Freh., *Vesontiæ*, et sic infra, locus est prope Viennam Allobrogum, ex Gregorio.

[f] Primo apud Romanos, si fides frangeretur, obsides capite damnabantur, ex Tito Livio ; satis fuit postea eos in servitutem redigere.

[g] Clar. cum. Can. et Freh., *Theudericus filium suum Theudebertum ubi Wisigardem*; et infra, *Romanam duxit.* Inter duas tamen has voces aliquid erat scriptum in Clar., quod detritum est ex industria.

[h] Ches. al. et Boh., *Deotheriam.*

[i] Sic Clar. et Boh. cum anonymo auctore de Gestis Franc. et editis, præter Chesn., qui cum Aimoino habet *vigesimo quarto.*

[j] Bellum quod contra Wisigothos suscepit Childebertus, simul et aliud, quod post annos undecim adversus eosdem Childebertus una et Clotharius gesserunt, in unum permiscet epitomator. De priori Gregorius lib. III, cap. 10 ; de altero ejusdem libri cap. 29.

[k] In indice Clar., et Boh. hic et in indice, habent *Theuthacadus* ; Chesn., *Theudahadus.*

[l] Chesn. et Freh., *Tranquillianos.* Can. et Boh

a matre puellæ capitur, et capite truncatur. Accepta filia mater disciplinam ingerens secum duxit. Filia matrem veneno interfecit. Theodatus [a] regnum Theuderici ambivit, et filiam, quæ matri exstiterat parricida, in balneo vehementer succenso jussit includi, ut ibi combureretur. Unde causa compositionis quinquaginta millia solidorum Childeberto, Chlotario et Theudeberto transmissi sunt. Quod Childebertus et Theudebertus inter se dividentes, nihil exinde Chlotario dederunt. Theodato defuncto, Totila successit in regnum, quem Narsis patricius interfecit, regnumque Gothorum in Italia destructum est [b].

XLV. Post Theudebertus cum exercitu Italiam ingreditur, eamque per maritimos terminos cunctam depopulatur (*Cap.* 32). Narsis patricius in fugam versus. Postea Buccellinus dux, jussu Theudeberti, Siciliam occupat, totamque **567** Italiam dominans, magna ei felicitas [c] in his conditionibus fuit.

XLVI. Petitione Desiderati Verdunensis urbis episcopi Theudebertus clementer octo millia solidos civibus Verdunensibus ad recuperandum dedit (*Capp.* 34, 36). Theudebertus vexatus a febre moritur decimo quarto regni sui anno.

XLVII. Chrotechildis regina plena dierum et bonis operibus moritur ; et in sacrario [d] basilicæ sancti Petri sepelitur (*Lib.* IV, *cap.* 1). Chlotarius jubet ad omnes ecclesias tertiam partem fructuum fisco dissolvere ; sed resistente Injurioso pontifice hoc malum destruitur (*Capp.* 2, 3). Chlotarius de Ingunde Guntharium, Childericum, Aribertum, Guntramnum, Sigibertum, et Chlodesindam filiam habuit. De Aregunde [e] sorore Ingundis Chilpericum, et de Unsina habuit Chramnum.

XLVIII. Angilane in Spania regnante, cum esset iniquus suis, exercitus imperii Spanias ingreditur. Agila interficitur (*Cap.* 8).

XLIX. Athanagildus succedit in regno, qui ab Spania exercitum imperii expulit (*Ibid.*).

L. Theudebaldus filius Theudeberti Waldetradam [f] duxit uxorem (*Cap.* 9). Erat valde iniquus suis, cujus tempore uvæ in cauco [g] natæ sunt. Stella ex adverso veniens in lunam ingressa est. Buccelinus in Italia apud Belisarium et Narsidem patricios sæpius fortiter dimicans eos in fugam vertit eorumque exercitus proterit. Tandem infirmatus a profluvio ventris, et exercitus suus eadem infirmitate attritus [*Al.* interiit], Belisario jam interfecto, a Narside superatur, et interficitur. Ipsoque anno Theudebaldus obiit, regnumque ejus Chlotarius accepit, copulans Waldetradam sibi uxorem.

LI. Eo anno rebellantibus Saxonibus, Chlotarius, commoto exercitu, maximam eorum partem delevit, Thoringiam vastans, quia eis auxiliare **568** præsumpserant (*Cap.* 10) [h]. Nec multo post tempore denuo Saxonibus rebellantibus, Chlotarius movit adversus eos exercitum (*Cap.* 14). Saxones offerentes cuncta emendare quæ male gesserant, et dimidiam partem de omnibus rebus eorum, exceptis uxoribus et liberis, in compositione offerunt. Quod Franci accipere despicientes, eos interficere conantur, Chlotario dicentes : Non pacificabis cum eis, sed surge, præliemur et ulciscamur in illis. Cum ille nollet, Franci Chlotarium volentes occidere, invitus perrexit ad prælium, ibique tanta strages a Saxonibus de Francis facta est, ut mirum fuisset.

LII. Childebertus cum Chramno insidias Chlotario parat (*Cap.* 16). Aribertus [i] et Guntramnus jussu patris cum exercitu contra Chramnum dirigunt, sed divino nutu temperante [j], cum gravi coruscatione exorta a prælio separantur. Chramnus cum Childeberto pertendit (*Ibid.*). Saxones factione Childeberti in Francia venientes, usque Diviciam [k] civitatem prædas egerunt. Chramnus cum Childeberto se fortiter constringit. Childebertus Rhemensem Campaniam depopulatus est (*Cap.* 17). Austrapius dux in basilicam sancti Martini Chramnum metuens fugit (*Cap.* 18).

LIII. Childebertus rex apud Parisios obiit, et in basilica sancti Vincentii, quam ipse construxerat, sepultus est, cujus thesauros et regnum Chlotarius assumpsit (*Cap.* 20).

LIV. Waldetradam et filias ejus duas in exsilio posuit (*Ibid.*) [l]. Chramnus in Britanniam fugit ad Conobrem [m] comitem Britannorum. Willacharius socer ejus ad ecclesiam sancti Martini confugit. Per ipsum hæc basilica [*Al.*, ecclesia] incendio concrematur. Postea a Chlotario condigne recuperatur, et stanno

Traquillane. Vales., *Trauvillane,* qui censet eum esse Triquillam præpositum domus regiæ, de quo Boethius lib. I de Consolatione. Plerique enim tunc nomina in *a* producebant in *anis,* ut Attilanis, Melanis, etc. *Trivva præpositus cubiculi* dicitur in Excerptis Historiæ ab Henrico Valesio editæ, ad calcem Ammiani Marcellini.

[a] Clar. et Boh., *Theothadus* ; et infra, *Theuthado.* Ch. al., *Theuhadus.* De his vide notas in Gregor., quibus ea junge quæ de Amalasuinthæ cæde habet Procopius in Historia arcana, ubi fatetur se Theodoræ Augustæ metu rem in Historia Gothorum dissimulasse. Hic autem scribit Theodoram veritam ne si Amalasuintha, ut ipsa constituerat, Byzantium veniret, Justinianus imp. se ipsa neglecta illius amore caperetur, Petro legato demandasse ut eam per Theodatum interfici curaret, quod paulo post factum fuit.

[b] Alia, sed antiqua manu, Clar., *translatum est.*

[c] Ch. al., *infelicitas.* Boh., *magna infelicitas.* Buccellini in Campaniam adventus meminit Gregor. M. lib. I Dialog. cap. 2.

[d] In Clar. al. man. additæ sunt litteræ *at,* ut fiat *sacratario.*

[e] Ch. al. et Freh. al., *Radegunde*; et infra, *Gunsina.* Cap. seq., *Aquilane, Hispania.*

[f] Ed. et infra, *Valderadam*; al. *Vuldotradum, Vuldodradam.*

[g] Freh., *Cauro.* Can. et Ch. al., *Sambuco.* Clar., *in pauco.* Sed prima littera fere detrita est ; et infra, pro *luna,* Boh. *limina.*

[h] Boh., *Qui eorum auxilia præsumpserant.*

[i] Infra dicitur *Charibertus.* Clar. habet *Airibertus* ; al., *Chairibertus.*

[j] Sic editi. Clar., *temperate,* pro *tempestate,* ni fallor.

[k] Can. et Ch. al., *Duuciam* ; al., *Deviciam.*

[l] Can. et Boh. hæc præcedenti capitulo jungunt, et melius quidem. Legendum porro *Ultrogottam,* quæ fuerat Childeberti uxor. Vide Gregor.

[m] Ch. al. et Freh., *Cunobertum regem* ; et infra, pro *Williacharius,* Clar. et Boh., *Quillacharius,* quod nomen incaute dividitur in Can. *Quia Lacharius.* Et infra Ches. et Freh., *propter ipsum.*

cooperitur. Chramnus a Chlotario patre suo captus, cum uxore et liberis in Britannia igne concrematur, Conober comes Britannorum interfectus [a].

569 LV. Chlotarius pro suis peccatis quæ gesserat, aut negligenter egerat, exorandum ad limina beati Martini Confessoris properat (*Cap.* 21). Exinde Compendio villa veniens, quinquagesimo primo regni sui anno vexatus a febre obiit. Chilpericus occupatis thesauris Chlotarii in villa Brennaco, sedem Childeberti Parisius occupat; sed mox exinde repellitur (*Cap.* 22). Charibertus, Guntramnus, Chilpericus et Sigibertus regnum patris dividunt. Dedit sors Chariberto regnum Childeberti, Parisius sedem habens, Guntramno vero regnum Chlodomeris, sedem habens Aurelianis; Chilperico regnum Chlotarii patris ejus, cathedram habens Suessiones; Sigiberto quoque regnum Theuderici, sedem habens Mettis [b]. Eodem tempore Chuni Gallias appetunt, contra quos Sigibertus movit exercitum, eosque vicit [*Al.*, interfecit] atque fugavit (*Cap.* 23). Postea cum iis pacem inivit. Chilpericus Rhemos invadit, et alias civitates quæ ad Sigibertum pertinebant abstulit, unde inter ipsos bellum civile surrexit. Sigibertus Suessiones occupat; Theudobertum filium Chilperici apprehensum in exsilium transmittit: Chilperico victo atque fugato, civitates in suam dominationem revocat Post annum [*Boh.*, annos] Theudobertum filium Chilperici reddidit, datis in invicem de pace sacramentis [c]. Guntramnus in Burgundia regnans, in locum Agricolanis patricii Celsum instituit, virum in verbis paratum, et in cupiditate promptissimum (*Cap.* 24) [d].

LVI. Guntramnus fuit rex bonus, timens Deum (*Cap.* 25). Accepit primum concubinam, nomine Venerandam, de qua habuit filium, nomine Gundebadum. Post accepit Marchitrudem filiam Magnacharii [e], quæ postquam de Guntramno habuisset filium, **570** veneno Gundebadum dolose interfecit. Ipsa judicio Dei filium quem habebat perdidit, et odium regis per saginam incurrit. Eadem dimissa, Austrechildem ejusdem ancillam, cognomento Bobilanem, Guntramnus accepit uxorem, de qua duos filios habuit, his nominibus, Chlotarium et Chlodomerem.

A Ut Marchitrudis dimitteretur, hæc fuit occasio. Mater ejus, post mortem Magnacharii, de vilibus hominibus unum ex nutritis Magnacharii acceperat maritum, quæ, instigantibus Guntione et Wiotico [f] filiis, ab eodem mater jussu Guntramni separatur, et ipse puer occiditur. Clamant et filii, negligentes [g] matrem herbariam et meretricem. Hæc occasio filiam ejecit de regno. Charibertus rex Ingobergam accepit uxorem. Qua relicta, Merofledem lanarii filiam accepit, et aliam pastoris ovium filiam, nomine Theudechildem, duxit uxorem, ex qua habuit filium, sed protinus moritur (*Cap.* 26).

LVII. Porro Sigibertus cum videret fratres suos uxores viles accipere, Gogonem causa legationis ad Athanagildum [h] regem direxit, petens ut ei filiam B suam, Brunam nomine, conjugio traderet, quam Athanagildus cum multis thesauris Sigiberto ad matrimonium transmisit (*Cap.* 27). Ad nomen ejus ornandum et augendum est determinatum [i] ut vocaretur Brunechildis, quam cum multa lætitia atque jucunditate Sigibertus accepit uxorem.

LVIII. Ante hæc in infantia Sigiberti omnes Austrasii, cum eligerent Chrodinum [j] majorem domus, eo quod esset in cunctis strenuus, et timens Deum, patientia imbutus, nec quidquam aliud, nisi quod Deo et hominibus placeret, in eo inveniretur; ille hunc honorem respuens, dicebat: Pacem ego in Auster [k] facere non valeo, **571** maxime cum omnes primates cum liberis in toto Auster mihi consanguinei sint; non possum ex eis facere disciplinam, nec quemquam C interficere. Ipsi vero per me insurgent, ut agant superstitiose. Eorum acta non permittat Deus, ut me in inferni claustra tradant. Eligite alium quem vultis ex vobis.

LIX. At illi cum non invenirent, tunc, Chrodini consilio, nutritum suum, memoratum superius, Gogonem majorem domus eligunt. In crastino primus ad ejus mansionem perrexit Chrodinus ad ministerium, bracile [l] Gogoni in collo tenens. Quod reliqui cernentes, ejusdem sequuntur exemplum. Prosperum hoc Gogoni ad gubernandum fuit, quoadusque Brunichildem de Spania adduxit. Quem Brunichildis continuo apud Sigibertum fecit odiosum, ipsumque, suo

[a] Sic Editi, præter Ches., qui cum Boh. habet *interficitur*; Clar., *interfecto*.

[b] Gregorius, *Remis*.

[c] Can. et Ches., *invicem pace et obsidibus cum sacramentis*.

[d] Can. et Ch. al., *civitate prudentissimum*.

[e] Clar., *Magnicharii*. Boh., *Magnichari*.

[f] Clar., *Cinccione et Wiolico*. Can., *Cumtione et Vivolico*; al., *Conventione*. Ch. al., *Uncione et Vivolico*. Boh., *Quintiono et Vinotico*.

[g] Clar. et Can., *clamantes filii negligenter*. Freh., *clamantibus filiis negligenter*. Herbaria dicitur, quæ ex herbis seu potionibus maleficia conficit.

[h] Clar. et alii, præter Ches., *Anagildum*; et sic infra. At cap. 63 legitur *Athanagildo*.

[i] Cod. Clar. et Boh., *ornandum, est auctum ut vocaretur*. Boh., *Brunechildes*.

[j] De Chrodino vide Gregor. lib. VI, cap. 20.

[k] Cum hæ voces *Auster, Neuster*, etc., frequenter in Fredegario ejusque continuatoribus occurrant, observare convenit Francorum imperium sub Chlodovei filiis et nepotibus in diversas partes seu regna sæpius divisum fuisse. Celebrior divisio, quæ usque ad primæ stirpis finem perseveravit, tria in regna D Franciam partiebatur: in Burgundiam scilicet, sic dictam quod eam Galliarum partem quæ Burgundionibus paruerat sub se integram complecteretur; Franciam orientalem, et Franciam occidentalem, quas idiomate Theutonico *Ooster riich* et *Wester riich*, id est orientale regnum et occidentale regnum appellabant. Francia orientalis postea *Auster* seu *Austria*, ac demum *Austrasia*; occidentalis vero *Wester*, tum nescio qua occasione, *Neurester*, id est *Nova Vestria, Neptricum, Neptria, Neustria*, ac tandem *Neustrasia* dicta fuit. Porro licet aliquot Franciæ urbes et regiones constanter in Austrasia, aliquot aliæ in Neustria semper fuerint, nonnullæ tamen fuerunt quæ variis temporibus ad varia regna pertinuere, quod maxime observandum est in legendis istorum temporum monumentis.

[l] Can. al., *Bracibe*. Aimoin., lib. III, cap. 4, *brachium ejus collo superponens suo, signum futuræ dominationis dedit*.

instigante consilio, Sigibertus interfecit [a]. Tanta mala et effusiones sanguinum a Brunichildis consilio in Francia facta sunt, ut prophetia Sibyllæ impleretur, dicens : Veniet Bruna [b] de partibus Spaniæ, ante cujus conspectum multæ gentes peribunt. Hæc vero equitum [*Id est*, equorum] calcibus disrumpitur [c].

LX. Chilpericus Gachilosoindam [d] sororem Brunichildis habuit uxorem, relinquens Fredegundem et alias, quas habebat uxores (*Cap.* 28). Postea transcendens sacramentum quod Gotthorum legatis dederat, ne unquam Gachilosoindam de culmine regni degradaret, ipsamque suggillare fecit. Post cujus transitum Fredegundem denuo accepit uxorem. Reputantes ei fratres ejus quod suo ingenio Gachilosoinda fuerit interempta, eum de regno ejiciunt. Habebat Chilpericus de priore regina Audovera tres filios, Theudobertum, Meroveum et Chlodoveum.

LXI. Chuni [*Al.*, Huni] in Gallias venire conantur, adversus quos Sigibertus **572** cum magno aggreditur exercitu (*Cap.* 29). Chuni magicis artibus instructi, multis phantasiis ostensis, exercitui Sigiberti metum concutiunt ; terga vertunt. Sigibertus a Chunis circumdatur, sed sua prudentia dona offerens liberatur, nec ei quidquam hæc conditio fecit opprobrium. Pacem sempiternam cum Chunis firmavit, et a rege Chunorum condignis muneribus honoratur.

LXII. Sigibertus præcepit Arvernis civibus Arelatem occupare (*Cap.* 30). Jubente Guntramno a Celso patricio Arverni Arelate trucidati sunt.

LXIII. Athanagildo rege in Spania defuncto, Leuva cum Leuvildo fratre regnum assumunt (*Cap.* 32 ; *al.*, 38). Moritur Leuva. Tum Leuvildus in integrum Spaniæ regnum tenet, habens Gadsuindam [e] matrem Brunechildis uxorem.

LXIV. Eodem tempore, defuncto Constantinopoli Justiniano imperatore, Justinus ambivit [f] imperium, vir iniquus et cupidus (*Cap.* 33 ; *al.*, 39). Ad quem Sigibertus legatos, Warmacharium [*Al.*, Warmarium], Francum et Firminum comitem direxit, qui pace cum imperatore firmata [g]. Qua facta, secundo anno sunt reversi.

LXV. Langobardorum gens, priusquam hoc nomen assumeret, exientes de Schatanavia [h], quæ est inter Danubium et mare Oceanum, cum uxoribus et liberis Danubium transmeant. Cum a Chunis Danubium transeuntes fuissent comperti, eis bellum conati sunt [i] inferre, interrogati a Chunis, quare gens corum terminos introire præsumeret At illi mulieribus suis præcipiunt comam capitis ad maxillas et mentum ligare, quo potius virorum habitum simulantes plurimam multitudinem hostium ostenderent, eo quod erant mulierum comæ circa maxillas et mentum ad instar barbæ valde longæ. Fertur desuper utræque phalangæ vox dixisse : Hi sunt Langobardi, quod ab his gentibus fertur **573** eorum deum fuisse locutum, quem fanatici nominant Wodanum [j]. Tunc Langobardi cum clamassent : Qui instituerat nomen, concederet victoriam ; in hoc prælio Chunos superant, partem Pannoniæ invadunt. Nec multo post tempore Narsis patricius, minis Justini imperatoris ejusque Augustæ Sophiæ perterritus, eo quod Augusta ei apparatum ex auro factum mulicbre, eo quod eunuchus erat, cum quo filaret, direxit, et pensilarios [k] regeret non populos. At ille respondet : Filum filabo, de quo Justinus imperator, nec Augusta ad caput venire non possent. Tunc Langobardos a Pannoniis invitans, cum Alboeno rege Italiam introduxit. Alboenus Chlodesindam Chlotarii regis filiam habuit uxorem ; qua defuncta, aliam duxit conjugem, cujus patrem interfecerat (*Cap* 33 ; *al.*, 41).

LXVI. Ipse vero ejusdem mulieris fraude veneno periit (*Cap.* 35 ; *al.*, 41). Ipsaque postea cum aliquo Langobardo, apud quem Ravennam fugaciter de civitate Verona, ubi virum occiderat, aggrediebat, pariter in itinere apprehensi [l] et interfecti sunt.

LXVII. Langobardi regem, nomine Clip [*Al.* Calip], super se eligunt (*Cap.* 36 ; *al.*, 42). Prorumpentibus Langobardis in Gallias, Amatus patricius ab ipsis interficitur ; et a [*Id est*, ex] Burgundionibus multæ ibidem strages factæ sunt. Post Amatum Mummolus patriciatum assumpsit.

LXVIII. Irruentibus iterum Langobardis in Gallias, cum quibus Mummolus fortiter dimicavit, et usque ad internecionem oppressit, pauci ex eisdem Italiam repedantur (*Ibid.*). Saxones, quos Theudebertus in Italiam miserat, in Gallias prorumpunt, apud Stuplonem [m] castra ponentes, multæ strages per vicina loca ab ipsis perpetrantur ; qui a Mummolo superan-

[a] Idem scribit Aimoinus, lib. III, cap. 4, quod tamen falsum videtur ex Gregorii lib. VI, cap. 1.

[b] Sigibertus in Chronico legit, *Veniet Bruma*, etc., quæ fortasse lectio cæteris est præferenda, licet nullum Fredegarii codicem invenerimus qui eam habeat.

[c] De hujus supplicio vide Chronici cap. 41, infra, et appendicem a Marii Chronicon. Locum in nostra appendice infra integrum dabimus.

[d] Ed., *Gachilisindam* ; al., *Galsontam*, seu *Valsontam*.

[e] Boh., sicut et infra, cap. 83, *Geresvindam* ; alii, *Gaisuindam*.

[f] Al., *habuit*. Et infra, *Warmarium*, seu, *Warmacharium*.

[g] Editi, *pacem firmarent*.

[h] Can., *Schandavia* ; al., *Schatanagia*. Paulus Diacon., lib. I de Gestis Langob., Scandinaviam appellat, cap. 2, ubi dicitur insula non tam in mari posita quam marinis fluctibus ob marginum planitiem terras ambientibus circumfusa. Dicta est etiam Baltia, ubi hodie sunt regna Sueciæ et Norvegiæ. Vide Ortelium.

[i] Can., *conantur*. Clar. et Freh., *conarint*. Boh., *conarunt*, pro *conarentur*.

[j] Can. al., *Wisodano*. Is est Romanorum Mercurius, teste Paulo Diacono, qui plura de his et Langobardorum origine et progressu habet lib. I, cap. 8 et sequentibus, quem si lubet consule.

[k] Id est effeminatos, qui ut mulieres nendo occuparentur. Pensum quippe est manipulus lanæ aut cannabis, qui ex colo pendet et et fuso trahitur. Ex hac item voce dicitur aliquis pensum suum absolvisse, qui rem sibi commissam confecit. De hoc Narsetis facinore vide Paulum Diacon., lib. II de Gestis Langob. cap. 5 ; quod fabulosum arbitratur Vaesius, lib. IX Rerum Franc., tomo II, p. 36.

[l] Chesn. et Freh., *pariter interiit. Nam ibi apprehensi*.

[m] Alii, *Stipholonem*. Boh., *Staplonem*. Vide Gregor.

tur, et in Italiam fugaciter revertuntur, amissis omnibus quæ prædaverant (*Cap.* 37; *al.*, 43). Saxones iterum cum uxoribus et liberis in Gallias **574** destinant, ut a Sigiberto rege recepti, in locum unde exierunt redirent. Venientes in territorium Avennicum, Mummolus protinus obviam veniens eis, Rhodanum transire non permittebat. Postea, acceptis muneribus, transire eos permisit. Ad Sigibertum [*Al.*, a Sigiberto] pergentes in loco unde prius egressi fuerant, sunt stabiliti. Postea, defuncto Clip, Langobardorum duces Chamo, Zaban et Rodanus Gallias irruperunt [*Cap.* 39; *al.*, 45]. Quibus obviam Mummolus cum exercitu venit, et hos tres duces cum eorum exercitu usque ad internecionem delevit. In alio anno Mummolus cum exercitu Turonus ac Pictavis, jubente Guntramno, de potestate Chilperici abstulit, et ad partem Sigiberti restituit (*Cap.* 40; *al.*, 46). Multi ibidem de exercitu Chilperici et ipsis Pictavensibus [a] sunt gladio trucidati. Taloardus et Nuccio [b] duces Langobardorum per ostiola in Sidonense [c] territorium cum exercitu sunt ingressi, ad monasterium sanctorum Agaunensium nimiam facientes stragem. Baccis villa [d], nec procul ab ipso monasterio, duces et eorum exercitus a Wiolico et Theudofredo ducibus Guntramni sunt interfecti. Quadraginta [e] tantum ex illis fugaciter in Italiam remeant.

LXIX. Chlodoveus filius Chilperici Burdegalem pervadit. A Sigulfo duce superatus, fugaciter [f] ad patrem redit (*Cap.* 42; *al.*, 48).

LXX. Chilpericus Pictavos et Turonos de regno Sigiberti pervasit; et Sigulfum ducem fuga vertit, suumque exercitum prostravit (*Ibid.*). Chilpericus civitates eas quas pervaserat Sigiberto reddidit. Post annum Chilpericus cum multo exercitu regnum Sigiberti ingreditur; sed intercurrentibus legatis pacificati sunt.

LXXI. Postea una inientes consilium, ambo moverunt exercitum, volentes Guntramnum interficere, regnumque ejus assumere (*Cap.* 44; *al.*, 50). Sigibertus **575** cum exercitu Arciaca [g] resedens, Chilpericus Duodecim Pontes. Audiens hæc Guntramnus, exercitum velociter movet, veniensque villa Veriaco [h], intercurrentibus legatis, hi tres germani Sigibertus, Guntramnus et Chilpericus Trecas junxerunt, et in ecclesia sancti Lupi sacramenta contra Guntramnum, ut pacem servarent, dederunt. Guntramnus idemque cum eis pacem sacramentis firmavit.

A Redientes ad castra Austrasii, adversus Sigibertum rumorem levant, dicentes: Sicut promisisti da nobis ubi rebus ditemur, aut præliemur, alioquin ad patriam non revertimur. Ille volens [i], compulsus a suis, super Guntramnum ire, Austrasii valde consiliose [j] dicunt ad eum. Sacramentis pacem cum Guntramno firmasti, quo pacto possumus super eum irruere? Unanimiter exclamantes se super Chilpericum velle ire, protinus moventes irruunt super Chilpericum. Jam ejus exercitus ad propria festinans longe aberat. Cum hæc cognovisset Chilpericus, terga vertens Thornua [k] pervenit (*Cap.* 45; *al.*, 51). Sigibertus post tergum ejus Parisius venit, ibique sanctissimum ac beatissimum Germanum Parisiorum urbis episcopum cum Sigibertus vidisset, hæc ab eodem verba prophetiæ B audivit: Si germanum tuum ita persequere cogitas, ut eum interficere disponas, et regnum suum auferre, scriptum est: *Foveam quam fratri tuo parabis, in eam cadebis* (*Prov.* XXVI, 27). Cujus castigationi nolens annuere, cogitabat optata perficere (*Cap.* 46; *al.*, 52). Cumque Victoriaco accessisset, omnes Neustrasiæ [l] ad eum venientes se suæ ditioni subjecerunt. Ansoaldus tantum cum Chilperico remansit. Fredegundis duobus pueris dolo transmissis, Sigibertum interficiunt, et ipsi interfecti sunt. Resumptis viribus Chilpericus suumque regnum recepit.

LXXII. Brunechildis cum filio suo Childeberto Parisius sub custodia tenebatur; sed factione Gundoaldi ducis **576** Childebertus in pera [*Al.*, sporta] positus, per fenestram a puero acceptus est, et ipse C puer singulus eum Mettis exhibuit, ibique a Gundoaldo vel Austrasiis in regno patris sublimatur (*Lib.* V, *c.* 1). Brunechildis jussu Chilperici exsilio Rothomo [m] retruditur. In eo anno per cœlum fulgor discurrisse visus est. Sigibertus in ecclesia sancti Medardi sepultus est, ætate quadragenarius, decimo quarto regni sui anno (*Cap.* 46; *al.*, 52).

LXXIII. A transitu Theudeberti senioris usque ad exitum Sigiberti, anni XXIX (*Ibid.*) [n]; a principio usque ad diluvium, anni duo millia CCXLII; a diluvio usque ad Abraham, anni DCCCCXLII; ab Abraham usque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, anni CCCCLXII; ab egressu filiorum Israel ex Ægypto ad ædificationem templi Salomonis, anni CCCCLXXX [o]; ab ædificatione vero templi usque ad dissolutionem [p] ejus, et transmigrationem Babyloniæ, anni CCCLXX [q]. D a transmigratione Babyloniæ usque ad passionem

[a] Alii, *et ipsi Pictavenses.*
[b] Editi, *Nuntio.* Ches., *Thaloardus.*
[c] Id est Sedunense. Sedunum urbs est episcopalis illarum partium suo episcopo, Rhætis confœderato, subjecta, vulgo *Sion* dicta.
[d] Locus vulgo *Bex* dictus, haud procul ab Agauno monasterio positus. Hanc eadem refert Marius ad an. 574.
[e] Freh. et Can. al. mendose, *quadraginta millia.*
[f] Alii, *superatus et fugatus.*
[g] Vicus est quinque leucis ab urbe Trecis versus Boream distans, Albæ fluvio impositus, inde dictus, *Arcis-sur-Aube.* Duodecim Pontes oppidulum olim a pontium numero sic dictum, nunc Pontes Sequanæ (*Pons-sur Seine*) simpliciter appellatur. De hoc loco vide Vales. in Notitia Galliarum.
[h] An Villariacum, de quo supra cap. 19.
[i] Freh. et Chesn., *Ille nolens.*
[j] Canis., *insidiose.*
[k] Canis., *Turonos.* Sed legendum est *Tornacum*, quo se Chilpericus recepit, ex Gregorio.
[l] Chesn. et Freh., *Neustrasii.*
[m] Chesn. et Freh., *Rothomerem.* Canis., *Rotomagi*, et Ch. al., *Ratomum.* Lectio Clar. et Boh. quam sequimur, optima, veteres quippe *Rodomum* aut *Rotomum, Rouen* dicebant.
[n] Can. al., XIX.
[o] Nullus hic est numerus in Canis.
[p] Boh. et Can., *desolationem*; Freb., *dissolationem.*
[q] Chesn., CCCLXX; Canis., CCCL. Clar. et Freh., CCCLXL, id est, CCCXC.

Domini, anni DCXLVIII [a]; a passione Domini usque ad transitum sancti Martini, anni CCCCXII; a transitu sancti Martini usque ad transitum Chlodovei regis, anni CXII; a transitu Chlodovei regis usque ad transitum Theudeberti, anni XXXVII [b]; a transitu Theudeberti usque ad exitum Sigiberti, anni XXIX; quod sunt simul anni quinque millia DCCLXXIV.

LXXIV. Chilpericus filium suum Meroveum P.ctavis cum exercitu direxit, et exinde revertens Rothomum accessit, et Brunichildem in conjugium accepit (*Lib.* V, *cap.* 2). Protinus Chilpericus ipsum de ea separavit. Campanenses Sexsionas [c] pervaserunt. Chilpericus cum exercitu contra eos invaluit, Sexsionas recepit (*Cap.* 3). Filium suum Meroveum onus in **577** clericatui tonsurare fecit, et presbyter ordinatur (*Cap.* 14) [d]. Roccolenum ducem, Guntramnum itemque ducem persequendum Toronos transmisit (*Cap.* 4). Roccolenus ab infirmitate vexatus nihil ibidem prævaluit.

LXXV. Eo tempore sanctus Germanus Parisiorum episcopus transmigravit ad Dominum (*Cap.* 8. Chilpericus filium suum Chlodoveum Toronus [*Id est*, Turonos] transmisit, qui et ultra Ligerem civitates Childeberti pervaderet (*Cap.* 13). Mummolus patricius Guntramni contra Chlodoveum et Desiderium ducem Chilperici bellum gessit, eosque superavit. Cæsa a [*Id est*, ex] Mummoli exercitu quinque millia, a Desiderio vero viginti millia.

LXXVI. Inter Suevos et Saxones bellum surrexit (*Cap.* 15). Cæsi sunt a Saxonibus viginti millia, et sex millia tantum ex eis remanserunt. Suevorum quoque sex [e] millia quadringenti octoginta et octo prostrati sunt. Reliqui vero victoriam obtinuerunt. Saxones devoverunt, ut nec pilum, nec barbam inciderent, priusquam hanc injuriam ulciscerentur, sed mentita est eorum iracundia.

LXXVII. Britannis Magliavus et Bodecus illo tempore comites erant, amicitiam cum sacramentis invicem inientes (*Cap.* 16). Mortuo Bodico Magliavus filium ejus, nomine Theudericum, de regno expulit. Sed tandem resumptis viribus Theudericus Magliavum cum filio Jacob interfecit, regnumque patris recepit. Warochus Magliavi filius in patris loco comes efficitur (*Cap.* 17). Guntramnus rex duos Magnacharii filios gladio interemit, instigante Austrechilde regina, facultates eorum fisco redegit. Filii Guntramni duo continuo mortui sunt.

LXXVIII. Guntramnus Childebertum filium Sigiberti adoptavit in filium (*Cap.* 18). Chilpericus Prætextatum Rothomensem episcopum in exsilium trudit, reputans ei quod consilio Brunechildis usus contra Chilpericum tractarit, quod veritate subsistebat (*Cap.* 19). Meroveus iterum laicus efficitur, de Thoronus [*Id. est*, Turonis] fugiens per Autisiodoro Divionem venit, in Rhemensem campaniam peraccessit, **578** a Taravannensibus circumventus est, et in quadam villa concluditur a Gaileno [*Al.*, Gauleno] familiare suo (*Cap.* 14). Ipsoque rogante, Meroveus cultro interfectus est. Gailenus manibus et pedibus, naribus et auribus truncatus, turpiter vitam finivit.

LXXIX. Eodem tempore Justinus imperator amens effectus est (*Cap.* 20). Sophia ejus Augusta cum Tiberio Cæsare regebat imperium. Tiberius largissimus in eleemosynis fuit. Sed cum a Sophia argueretur ut thesaurum non vastaret, in medio Palatii cruce in lapide reperta, jubet Tiberius ipsum lapidem levare. Desubter [f] in alio lapide duæ cruces repertæ sunt, levatoque et ipso inventa sunt subter ipsum mille centenaria [g] auri, quod largiter divino amore Tiberius pauperibus erogavit.

LXXX. Defuncto Narside, prodente aliquo senece [h], cui Narsis crediderat, thesaurum ejus Tiberius absconditum sub terra invenit, nimiam multitudinem ponderum auri et argenti, seu et lapides pretiosos (*Ibid.*). Quod idemque largiter Tiberius in alimoniis distribuit pauperum. Samson filius Chilperici moritur, quem Chilpericus nimium luxit (*Cap.* 23). Eo anno stella in medio lunæ fulgens visa est (*Cap.* 24). Gunthramnus Boso, relictis filiabus suis in ecclesia sancti Hilarii, ad Childebertum transiit (*Cap.* 25).

Anno quoque tertio Childeberti regis, qui erat Chilperici et Gunthramni septimus decimus [i], Gunthramnus Boso filias suas a Pectavo auferre vellens, Dracolenus super eum irruit (*Cap.* 26). Multa munera a Gunthramno Dracoleno offeruntur; sed Dracolenus, ut erat elatus, dicit: Funiculum, unde alios ligare soleo, paratum habeo, ubi et Gunthramnus hodie ligatur. Cumque fuisset prælium cœptum, Gunthramnus, invocato nomine Domini, et virtute sancti Martini, levato conto, Dracolenum mactat in faucibus, suspensumque de equo, mortuum in terram projecit; feliciter postea quod cœpit explevit. Post hæc Pectavi, Bagassini [j], Cenomani, et Andegavi cum aliis multis in Britanniam contra Warocum exercitum **579** movent; super quos Warocus per noctem ruens, nimiam stragem de Saxonibus Baigassinis fecit (*Cap.* 27).

Anno quarto Childeberti, qui fuit decimus octavus Guntramni et Chilperici, Salonius et Sagittarius episcopi Cabilonno in synodo ab episcopatu degradantur (*Cap.* 28). Chilpericus descriptiones gravissimas in omni populo regni sui fieri jussit (*Cap.* 29).

[a] Chesn., DCXLVII.
[b] Chesn., XXVII.
[c] Id est, *Suessionas.*
[d] Chesn., *Meroveum in clericum tondere fecit et presbyterum ordinari.*
[e] Chesn. et Freh., *quinque.*
[f] Editi, *desuper.*
[g] Can. et Ch. al., *centenarii.* Ches., *centum talenta.*
[h] Sic clar., ubi ex nomine senex sextus casus efficitur *senece*, pro sene, Bruh. *senice.* Editi mendose habent *prudente alloquio Senecæ*, vel *Senicæ.*
[i] Chesn. et Freh., *decimus sextus*, me dosc.
[j] Can. et Freh., *Bagassinitæ*, et infra *Baigassini*, ut et Clar.; sed legendum B jocassini, ex Gregorio, quem vide. Idem edit, *Romani.* Cat., *Teromanni.* Boh., *Bagassinitæ, Rotmanni.* Infra, Ch., *Baicassinis*; al. *Bagasinis.*

s referendarius, qui hanc descriptionem facie-
ecum omnes polepticos ferens, kalendas Mar-
Limodicinis interfectus est [a], et omnes poleptici
liis sunt concremati. Dum hæc agerentur, Jus-
imperator decimo octavo anno regni sui cum
ia, quam incurrerat, vitam finivit (*Cap.* 31).

XXI. Tiberius arripuit imperium (*Ibid.*). So-
ugusta, immemor promissionis suæ, adversus
um insidias moliebatur; Justinianum nepotem
in imperium voluit sublimare. Quod Tiberius
s, apprehensam Sophiam, exspoliatam thesau-
gregatis ab ea pueris, in custodiam jussit re-
Justinianum objurgatum tanto in posterum
dilexit, ut filio ejus filiam suam promitteret,
ue suum filiæ suæ expeteret [b]; sed non est
effectum res. Exercitus ejus Persas debellavit,
ue regressus tanta mole prædam detulit, ut
etur cupiditati humanæ posse sufficere. Viginti
nti exinde adducti sunt.

XXII. Eodem tempore anno quinto Childeberti
antæ lues per universam regionem factæ sunt,
ium mirum fuisset (*Cap.* 34). Universa flu-
terminos, quos nunquam excesserant, præ-
nt; de pecoribus excidium, grande ædificiis
gium. Sed cessantibus pluviis arbores denuo
unt. Erat mensis September. Fulgor per cœ-
ucurrisse visus est. Sonus quasi deruentium
m in totam terram auditus est. Urbs Burdega-
580 terræmotu concussa est. De Pyrenæis
ous immensi lapides sunt evulsi, qui pecora et
es prostraverunt. Vicus Burdegalensis, incen
rinitus exorto, multos exussit subito compre
ns, domus et areæ [c] cum annonis incendio
mantur, nulla incitamenta habens ignis; sed
n jussio divina fuit. Aureliana civitas ab hoc
lio vastata est (*Cap.* 35). Apud terminum Car-
m de effracto pane sanguis fluxit. Sed hæc
ia gravissima lues est subsecuta, et discordia
. Iterum bellum civile parantibus, dysentericus [d]
s totas Gallias præoccupavit. His diebus Au-
ldis Guntramni principis regina ab hoc morbo
npta est, medicos ad Guntramnum accusans [e],
Guntramni medici diversis pœnis affecti mi-
i sæculo (*Cap.* 36). Eo anno magna in Spaniis
anorum persecutio fuit instigante Goaesinda,
post Athanagildum regem rex Leubildus [f] ac-

A ceperat, de alia uxore duos filios habens (*Cap.* 39). Ex quibus unus Ehermengildus nomine, filiam Sigiberti, nomine Sedegundem [g], accepit uxorem.

LXXXIII. Quæ cum magnis thesauris et apparatibus in Spaniam est directa, et ab avia Goaesinda benigniter recepta, quæ postea a Goaesinda afficitur (*Ibid.*). Sed cum nullatenus aviæ iniquo consilio consensisset, in una civitatum [h] cum viro habitandum constituitur. Protinus maritum prædicans, ad Christi cultum convertit, baptizatusque effectus [i] est christianus. Quem pater Leubildus insequens, et vellens occidere, tandem ejus insecutione filius est interfectus, per quem data est occasio. Post mortem Mirionis regis Galliciæ, filio ejus Eurico et genero, nomine Audegane, de regno certantibus, a Leubildo Suevi et
B omnes Galliciæ [j] potestati Gothorum subjiciuntur.

581 LXXXIV. Igitur Chilpericus tres filios suos, jam adultos, ab infirmitate dysenteriæ uno anno perdidit, quos de Fredegunde [k] habebat (*Cap.* 35). Restiterat adhuc Chlo loveus filius ejus, quem postea, instigante Fredegunde, vinctum in custodiam retrusit, ibique factione Fredegundæ cultro percussus obiit (*Cap.* 40).

LXXXV. Post hæc Mummolus patricius regno Guntramni fuga dilabitur : Avennionem [l] castrum suæ defensioni expetiit (*Lib.* VI, *cap.* 1). Legati Chilperici, qui ad Tiberium imperatorem accesserant, ab eodem illo tempore revertuntur [*Al.*, removentur] continuo (*Cap.* 2).

LXXXVI. Childebertus, relicta Guntramni pace,
C se cum Chilperico, ut regnum ejus pariter auferrent, conjunxit, promittens Chilpericus, dum sine filiis erat ut Childebertum regni sui relinqueret hæredem (*Cap.* 1, 3). Sed more solito mendax apparuit. Lupus dux Campanensis ab Ursione et Bertefredo ab exercitu internecione persequitur; sed Brunechilde intercedente liberatur, præsidiumque ejus a supra scriptis tralatum est (*Cap.* 4) [m].

LXXXVII. Fuit illo tempore reclausus Hospicius apud Nicensem urbem, qui constrictus catenis ad pu-
D rum corpus ferreis, desuper cilicio, nihil aliud quam purum panem et paucos dactylos comedebat, in Quadragesima radices herbarum (*Cap.* 6). Qui dum conversaretur in corpore, multæ virtutes, præstante Domino, per eumdem ostensæ sunt (*Cap.* 12). Chilpericus Desiderium ducem ad pervadendum Petrocoregum et

[a] tem evasit ex Greg., qui de eo ad an. 580, et ortem refert ad an. 9 Childeberti, lib. VI, c. 28.

[b] et Chesn., *ejusque filium suæ filiæ*. Freh., *filio suo filiam suam*. Legendum ut apud Gre- *iusque filiam, suo filio expeteret*.

[c] ., *horrea*. Chesn. et Freher., *orto flammatus . et areas cum annonis incendium concrema- h., domos et arvis, incendio concremantur*.

[d] r. et Can., *besentericus*, et sic infra.

[e] sn. *meticis ad Guntramnum accusatis* Can., ... *accusati*. Can. et Freh. laudant alios ; in ubi, *medicus Guntramni Christianos in- ns, jussu*, etc. Editi omnes infra habent *migrant um*

[f] semper Clar. Alii, *Leuvildus, Leupildus*. Idem i a ias Leuvieldus, seu Leuvigildus, appellatur. ejus filius alius est *Ermenchildus*, ut sæpius *Hermenegildus*, etc.

[g] Sic mss. et editi, unde apparet has voces *sed Ingundis* ex Greg. ab epitomatore pro unica fuisse assumptas.

[h] Chesn. et Freh., *in unam civitatem*. Can., *in una civitate*.

[i] Sic Can. Alii vero, *cultum baptizatus, effectus*.

[j] Ch sn. et Can., *Suaviæ et*. Freh., *Gallitti*. Nostra lectio, Clarom. melior., indicat quippe Suevos et Galliciam omnem quam occupabant, deinceps Leuvigildo obtemperasse.

[k] Observat Valesius, libro x, Fredegarium hic errasse, qui scripsit tres ex Fredegunde Chilperici filios jam adultos uno anno dysenteria obiisse. Duo enim solummodo decesserunt : unus exactis tribus lustris, alter vero infans statim post acceptum baptisma, ex Fortunato.

[l] Sic Clar. et Boh. Editi, mendose, *Avencionem*.

[m] Clar. et Can., *a supra scriptis talatus est*, al. *scalatus*.

Agennum cum exercitu dirigit; qui, fugato Ragnoaldo duce, has civitates pervasit, ejusque uxorem cunctis rebus exspoliavit. Baudastis [a] dux in Wasconia obiit, maximamque partem exercitus sui amisit (*Ibid.*).

Anno igitur septimo Childeberti regis, qui erat Chilperici et Guntramni vigesimus primus [b], stella cometes apparuit in die sanctæ Paschæ (*Cap.* 14). Apud Sexsionas civitatem cœlum ardere visum est. In Parisiaco vero sanguis denuo fluxit, et super vestimenta multorum hominum **582** cecidit. Valitudines variæ, et mortalitas magna eo anno in populo fuit (*Cap.* 18). Igitur legati Chilperici, Ansoaldus et Domegiselus, qui ad conspiciendam dotem in Spaniam fuerant missi, sunt regressi his diebus. Leubildus rex contra Ermenchildum filium suum in exercitu resedebat: tunc filium suum interfecit, ejusque mulierem a Græcis liberare non potuit, sed usque in mortem illuc permansit (*Cap.* 43).

LXXXVIII. Eo anno Rodinus [c] dux moritur, vir eleemosynarius, et bonitate plenissimus, justus in cunctis, piissimus in pauperibus: qui dum quadam vice, ut consueverat, mortuum sepelire præcepisset, et ad quoddam monumentum cum cultris pueri fossam facerent, levato lapide invenit miræ magnitudinis thesaurum, et solidorum multitudinem (*Cap.* 20). Hunc sibi proprium verum censuit [d], quem sine intermissione fideliter pauperibus erogavit. Æquanimiter ea fide reddidit hunc ei thesaurum, a quo acceperat. Multa signa et prodigia eo anno in cœlo sunt visa (*Cap.* 21). Chilperico filius denuo nascitur, jubet omnes carceratos laxare (*Cap.* 23).

LXXXIX. Gundoaldus, qui se filium Chlotarii esse dicebat, de Constantinopoli revertitur, et Chlotario a Childeberto patruo directus est [e] (*Cap.* 24). Quem Chlotarius videns, comam capitis tondere jussit. Quem Sigibertus arcessitum misit in Agrippinensem civitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Exinde lapsus ad Narsidem dirigit [f], et Narsis eum Mauricio imperatori direxit (*Cap.* 26). Cum exinde fuisset reversus, a Mummolo patricio fuit susceptus factione Syagrii et Flavii episcoporum [g], ut Guntramnum degradarent a regno, et sublimarent Gundoaldum (*Lib.* VII, *cap.* 36). Ob hanc causam Mummolus interfectus est. Gundoaldus a Bosone duce factione Conbennensis urbis de cacumine rupis impingitur; ibique disruptus moritur (*Cap.* 38). Cariatto, spatarius Guntramni, qui hanc rem prodidit, hujus vicissitudine repensionis episcopatum Gennavensem [h] assumpsit.

583 XC. Illo tempore Chilpericus Parisius, contra pactum quod cum Francis inierat, ingreditur, ob quam rem portionem suam exinde juste amisit (*Lib.* VI, *cap.* 27). Guntramnus [i] partem Childeberti de Massilia reddidit (*Cap.* 33). Mummolum factione Fredegundæ, cui reputabant filium suum per incantationem interfecisse, jussit rex suggillare, multæque mulieres pro ipso mendacio a Fredegunde sunt interfectæ (*Cap.* 35).

XCI. Chilpericus timens Guntramnum et Childebertum in Camaracensem cum thesauris omnique præsidio est aggressus (*Cap.* 41). Per ipsum timorem sæpe exercitum movebat, et resedere faciebat.

XCII. Childebertus in Italiam abiit, et Langobardi se suæ ditioni commendant (*Cap.* 42). Gloriose exinde Childebertus **584** revertitur. Acceperat prius a Mauricio imperatore quinquaginta millia auri, ut Langobardos de Italia expugnaret. Sed non solum eis non nocuit, sed etiam amicitias cum ipsis inivit. Leubildus rex, ut supra fecimus mentionem, filium suum Ermenchildum interfecit.

XCIII. Chilpericus, et Fredegundis filiam eorum cum magnis [*Al.*, multis] thesauris et multitudine familiæ in ejus ministerium direxit in Spaniam, quam filius Leubildi accipit uxorem (*Cap.* 46). Nec post mora exstante Chilpericus ad Calam villam, nec procul a Parisius, ab homine, nomine Falcone, qui missus a Brunechilde fuerat, est interfectus [j]. Et sic crudelissimam vitam digna morte finivit (*Cap.* 46).

EXPLICIT LIBER EXCERPTÆ CHRONICÆ.

[a] Chesn. *Blaudastis*. Et tamen Gregorius plura narrat de eodem Baudaste infra, nam et biennio post *Bituricum vallavit*, et postea Gundovaldo conjunctus est.

[b] Sic Clar. Editi vero, *vigesimus*. Infra Ch. al., *stellu comata*.

[c] Chesn. al., *Chrodinus*, de quo supra cap. 59. Boh., *bonitate lenissimus*.

[d] Sic Boh. et Clar. Can., *jure censuit*. Freh., *vir censuit*. Chesn., *censivit*.

[e] Fredegarius existimasse videtur Childebertum I, qui, ex Gregorio, Gundovaldum Chlotario transmisit, ipsius Chlotarii fuisse patruum, quod falsum est: erant enim fratres. Aut certe Childeb. Gundovaldi patruum appellat, et tunc ejus verba sic exponenda essent: A Childeberto directus est ad patrem suum Chlotarium, quod a veritate alienum non est. Nam Gundovaldus primum Childeberto I præsentatus est, cum ad Chlotarium directus fuit. Confer cap. 24 lib. VI Gregorii.

[f] Can. et Ch., *dirigitur*. Nostra lectio melior, id est vadit.

[g] Syagrius erat Augustodunensis, et Flavius Cabillonensis episcopi, quos fideles semper Guntramno exstitisse existimat Valesius, prolitionisque accusatos a Mummolo invidiose, quod eorum potentiam ægre ferret.

[h] Ch. al., *Cariatus*. Subscripsit Conc. Valentino II, an. 584, et Matisconensi item II, anno sequenti.

[i] Sic Clar. Editi, male, *Guntramno*. Vide Gregorii locum.

[j] Chilperici necem Fredegundi tribuit auctor Gestorum Francorum, et post eum Aimoinus, verite scilicet ne ejus impuros amores, quos cum Landerico habebat, ipse rex puniret. Sunnigisilus tamen, qui ex Hist. Greg. lib. X, cap. 19, fassus est se reum esse Chilperici mortis, crimen in Fredegundem non rejecit. Fredegundem ejus rei accusare videtur Childebertus, cum ipsam a Guntramno repetens apud Greg., lib. VII, cap. 7, eam suum patrem ac patruum interfecisse dicebat. Hoc crimen ipsa Fredegundis rejecit in Eberulfum Chilperici cubicularium, lib. VII, cap. 21.

MONITUM IN SEQUENS CHRONICUM.

Chronicum, quod in collectione Fredegario attributa quartum aut sextum locum obtinet, Gregorii nostri toriæ subjungimus, quod sit ejus veluti continuatio. Hinc nonnulli codices scripti, in quibus nonus Histo- Gregorianæ liber et decimus in unum conflantur, quem appellant nonum, hoc ipsum Chronicum sub imi Historiæ Gregorii Turonensis libri titulo repræsentant; quod in plerisque editis sub *Appendicis* aut *gorii Historiæ libri undecimi* titulo vulgatum est. Ejus auctorem sub Pippini regis aut certe Caroli Magni filii principatu scripsisse, ut plurimum viri eruditi existimaverunt, quod in vulgatis editis omnibusque mie manuscriptis res ad horum principum usque tempora gestæ describantur; at illi non satis continuato- a primo Chronici auctore distinxerunt. Quod postea re accuratius attenta, et veterum codicum ope præ- um est a viris doctis, existimantibus primi auctoris opus ultra annum quartum Chlodovei II, æræ vulga- 641, non pertigisse; ea vero quæ sequuntur a variis auctoribus fuisse adjecta, quæ omnia suis locis in nostra editione distinguentur. Plura si quis de his rebus scire cupit, legat, si lubet, præfationem m huic volumini præfiximus.

FREDEGARII SCHOLASTICI CHRONICUM

CUM SUIS CONTINUATORIBUS,

SIVE

APPENDIX AD SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS HISTORIAM FRANCORUM.

Prologus.

585-586 Cum aliquid unius verbi proprietate [a] non habeo quod proferam, nisi præstitum ab Altissimo erit, et dum quæro implere sententiam, longo ambitu vix brevis viæ spatium consummo, vernaculum linguæ hujus verbi interpretator absurde resonat [b]; si ob necessitatem aliquid in ordine sermonum mutavero, ab interpretis videor officio recessisse. Itaque beati Hieronymi, Ydacii, et cujusdam Sapientis, seu et Isi- ori, imoque et Gregorii chronicas a mundi origine diligentissime percurrens, usque decedente regno Gun- ramni, his quinque chronicis hujus libelli, nec plurima prætermissa [c] singillatim congruentia stylo inserui, quod [*Al.*, quæ] illi solertissime absque reprehensione condiderunt. Cum hæc ita se habeant, necessarium uxi veritatem diligentius insequi, et ob id in prioribus his [d] chronicis, quasi quodam futuro opere, omnium ihi regna et tempora prænotavi [e]. In præsenti autem stylo ea tempora ponens, et singularum gentium cu- isissimo ordine quæ gesserunt coaptavi; quod prudentissimi **587-588** viri, quos supra memini, hisce ronicis (verbum hoc est nomen Græcum, quod latine interpretatur, gesta temporum) severissime [f] di-

[a] **Can.**, *Cum ad liquidum jussus* [al., *jussio*; Boh. *usso*] *verbi proprietatem.* Freh., *Cum ad liquidam ussus... non habeam*, etc.

[b] **Ches.** et Freh., *Vernacula linguæ hujus verba interpretatio absurde.*

[c] **Forte pro sexto casu**, *plurimis prætermissis.*

[d] Boh., *et obediendum. In his.*

[e] Ches., *quasi quamdam futuri operis miniam omnium mihi rerum* [al., *regum*] *et temporum per... notavi.* Freh., *et temporum ponens*, etc.

[f] Boher., *se verissimum.*

ctantes condiderunt, velut purissimus fons largiter fluente manantes. Optaveram et ego ut mihi succumberet talis dicendi facundia, ut vel paululum esset ad instar. Sed carius hauritur, ubi non est certa perennitas aquæ. Mundus jam senescit, ideoque prudentiæ acumen in nobis tepescit, nec quisquam potest hujus temporis, nec præsumit oratoribus præcedentibus [*Al*, prudentibus] esse consimilis. Ego tamen, ut rusticitas et extremitas [a] sensus mei valuit, studiosissime de hisdem libris, brevitate quantum plus potui, aptare præsumpsi. Ne quisquam legens hic quidquam dubitet uniuscujusque libri nomen redeat, ad auctorem, cuncta reperiet subsistere veritate. Transacto [b] namque Gregorii libri volumine, temporum gesta, quæ undecunque scripta potui reperire, et quæ mihi postea fuerunt cognita, acta regum, et bella gentium quæ gesserunt, legendo simul et audiendo, aut etiam videndo, cuncta quæ certificatus cognovi, in hujus libelli volumine scribere non silui, sed curiosissime, quantum potui, omnia inseri studui, de eodem incipiens tempore scribendum, quo [c] Gregorii finis, gestaque cessavit et tacuit, cum Chilperici vitam finisse scripsit [d].

[a] Ch sn. et Freh. al., *externitas*. Can. al., *tenuitas*. Boh., *strenuitas*.

[b] Hic in plerisque editis, sicut et in Vat. et Colb., incipit hujus operis prologus, et sic habent: *Transactis Gregorii Turonensis libris, volumina temporum gestorumque, undecunque*, etc.

[c] Aliquot editi, *quo Historia Gregorii finem suum sortita est*. Vat., *finis cessavit et tacuit*. Et sic in hi prologus desinit. Freh. vero et Che., *finem gesta cessavit et tacuit*; et Boh., *vita finisset, scripsi*.

[d] Chesn. et Freh. addunt: *In præsenti autem ea tempora*..... sed hæc verba suo loco superius restituimus, quæ omissa scriptor in fine paginæ de scripserat.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. De bonitate Guntchramni et ecclesia sancti Marcelli.
II. De Gundoaldo, quod contra Guntchramnum factione Mummoli regnum arripere voluit.
III. Qualiter Guntchramnus Chlotharium in regno sublimavit.
IV. De interfectione Mummoli.
V. De exercitu Guntchramni in Spaniam aggresso.
VI. De inundatione aquarum, patriciato Siagrii, signo in cœlo, morte Leupildi, et Richario sublimato in regno.
VII. De pace inter Guntchramnum et Childebertum firmata.
VIII. De ducibus jussu Childeberti interfectis.
IX. De uxore Aunulfi regis Persarum, nomine Cæssara.
X. De exercitu Guntchramni in Spaniam aggresso.
XI. De tunica Domini inventa.
XII. De Beppelino et Ebrehario ducibus.
XIII. De Agone sublimato in regno Italiæ super Langobardis, et de defectione solis.
XIV. De obitu Guntchramni.
XV. De regno Childeberti in Burgundia.
XVI. De obitu Childeberti.
XVII. De Fredegunde, quod Parisius invasit, et pugnavit contra Theudebertum.
589-590 XVIII. De morte Quintrionis.
XIX. De Brunichilde, qualiter de Auster ejecta est.
XX. De pugna quam Theudebertus et Theudericus contra Chlotharium fecerunt, ipsumque vicerunt.
XXI. De filio Theuderici nato, et de Agilane patricio interfecto.
XXII. De corpore sancti Victoris invento.
XXIII. De Foca qualiter Mauricium imperatorem interfecit, et imperium assumpsit.
XXIV. De exsilio sancti Desiderii episcopi.
XXV. De Bertoaldo majore domus.
XXVI. De victoria Theuderici contra Chlotharium.
XXVII. De Prothadio majore domus ejusque interitu.
XXVIII. De bonitate Claudii majoris domus.
XXIX. De interitu Vulfi patricii.
XXX. De Ermenberga, quæ de Spania ad Theudericum venit.
XXXI. De legatis Berterici ad reges transmissis.
XXXII. De martyrio sancti Desiderii.
XXXIII. Quod Sisebodus rex in Spania sublimatur.
XXXIV. De Agone rege et ejus regina Theudelinda.
XXXV. De Brunichilde et Belichilde reginis.
XXXVI De vita sancti Columbani.
XXXVII. De injuria Theuderici regis, quam habuit apud Alsatios.
XXXVIII. De pugna Theuderici et Theudeberti, et Auster recepto.
XXXIX. De obitu Theuderici.
XL. De Chlothario, quomodo in Auster ingredi cœpit.
XLI. De consilio inito super perditione filii Theuderici.
XLII. De eo quod Chlotharius regum Burgundiæ et Auster recepit, et filios Theuderici occidit.
XLIII. De internecione Herponis ducis.
XLIV. De Leudemondo episcopo, et Berethrude regina.
XLV. De tributis Langobardorum cassatis.
XLVI. De morte Berethrudis reginæ.
XLVII. De initio regni Dagoberti.
XLVIII. De initio regni Samonis in Winidis.
XLIX. De Adaloaldo rege Langobardorum.
L. De Charoaldo sublimato in regno super Langobardos.
LI. De Gundeberga regina, ejusque injuria et exsilio.
LII. De interitu Chrodoaldi.
LIII. De Dagoberto, quod reginam accepit, et ejus regnum augetur.
LIV. De interitu Warnacharii majoris domus, et interitu Godini filii sui.
LV. De intentione inter Charibertum et Æginanem.
LVI. De obitu Chlotharii, et quomodo regnum ejus Dagobertus assumpsit.
LVII. De regno Chariberti filii Chlotharii.
LVIII. De introitu Dagoberti in Burgundia, et bonitate ejus.
LIX. De nativitate Sigiberti filii Dagoberti.
LX. De mutatione Dagoberti, et suasione malitiæ Neustrasiorum.
LXI. De bonitate et continentia Pippini.
LXII. De Chariberto rege, cum Sigibertum nepotem suum excepit.
LXIII. De imperio Heraclii.
LXIV. De victoria Heraclii super Persas.
LXV. De pulchritudine et utilitate Heraclii.
LXVI. De initio infestationis Saracenorum contra imperium.
LXVII. De obitu Chariberti et filii sui; et quod regnum ejus Dagobertus accepit.
LXVIII. De scandalo et strage Francorum cum Winidis.
LXIX. De Charoaldo rege Langobardorum, quod Tasonem occidit, et ipse rex moritur.
LXX. De Chrotario rege Langobardorum sublimato.
591-592 LXXI De Aubedone ad Chrotarium in Italiam in legatione misso.
LXXII. De Hunis in Bajoaria occisis.
LXXIII. De Sisenando per solatium Dagoberti ereo in regnum Spaniæ.
LXXIV. De eo quod Dagobertus Magontiacum e

exercitu contra Winidos ambulando accessit.
V. De regno Sigiberti in Auster.
VI. De nativitate Chlodovei, et pactione de regno cum Austrasiis.
VII. De Radulfo duce rebelle.
VIII. De exercitu jussu Dagoberti de Burgundia in Wasconiam misso.
IX. De obitu Dagoberti, et initio regni Chlodovei.
X. De Ægane majore domus, et bonitate ejus.
XI. De imperio Constantis, et vastatione Saracenorum.
XII. Qualiter degradatus est Tolga rex Spaniæ, et Chindas inde sublimatus.
XIII. De morte Æganis, et interfectione Aginulfi comitis.
XIV. De Erchenoaldo majore domus.
XV. De Austrasiis, quomodo thesaurum Sigiberto debitum receperunt.
XVI. De Grimoaldo, et Ottone filio Beronis.
XVII. De pugna Sigiberti cum Radulfo in Thoringia.
XVIII. De interitu Ottonis.
XIX. De Flaocado, qualiter major domus efficitur. De Willibadi interitu, et Flaocadi obitu.

CHRONICI FREDEGARII CONTINUATIO.

PARS PRIMA.

De Baldichilde regina Chlodovei, et ejus filiis, Chlothario, Childerico, et Theodorico, et de obitu Chlodovei.
Quod Chlotharius ejus filius elevatur in regno, et de Ebroino majore domus.
De obitu Chlotharii, et quod Theodoricus frater successit in regno, et Childebertus in Austria regnum accepit.
Quod Theodoricum a regno dejiciunt, et crines tondunt, et Ebroinum in Luxovium monasterium dirigunt, et Childericum in cuncto regno suscipiunt.
De obitu Childerici et Bilichilde regina, et quod Leudesius filius Erchenoaldi major domus efficitur.
Quod Ebroinus a Luxovio exiens Leudesium interfecit, et sanctum Leudegarium gladio perimi jussit.

CHRONICI FREDEGARII CONTINUATIO.

PARS SECUNDA.

Quod Martinus dux et Pippinus filius Ansegisili contra Ebroinum ad Locoficum pugnam inierunt.
De obitu Ebroini, et quod Franci Waradonem majorem domus efficiunt, et Ghislemarus filius ejus ipsum supplantavit.
De obitu sancti Audoini, et obitu Waradonis; et qualiter Bertharius major domus efficitur.
Qualiter Pippinus cum Austrasiis in oppido Virmandensi, cui nomen Textricium, contra Theudericum et Bertharium dimicavit.
De obitu Theuderici, et de Chlodoveo filio ejus elevato in regno; et quod, eo mortuo, Childebertus frater ejus resedit in regno, et de Grimoaldo filio Pippini majore domus, et bonitate ejus.
Quod Pippinus contra Radbodum pugnavit et vicit.
Quod Pippinus Halpaidam duxit uxorem, et habuit ex ea filium nomine Carolum.
De obitu Childeberti et Grimoaldi; et quod Dagobertus filius Childeberti successit in regnum, et de obitu Pippini, et Theudoaldo majore domus; et de pugna in Cotia contra Theudoaldum.

593 594 CV. De Raganfrido majore domus; et qualiter Carolus de custodia Plicthrudis, auxilio Dei, liberatus est.
CVI. De obitu Dagoberti regis, et quod Chilpericus successit in regno; et qualiter dux Carolus contra Raganfridum pugnavit, et victor exstitit.
CVII. Qualiter Carolus dux Chlotharium sublimavit in regno, quo mortuo Chilpericum, qui fuga lapsus apud Raganfridum fuerat, ab Eudone duce Aquitaniæ recepit, et eo mortuo Theudericum regem statuit.
CVIII. Qualiter Carolus cum [*Id est*, contra] Saxonibus, Bajoariis, et cum Eudone duce adversus Abdirama regem Sarracenorum pugnavit et vicit.
CIX. Qualiter Burgundiam ipse dux subjugavit, et Saracenos, qui in Avennione erant prostravit; quomodo Narbonam venit, et Saracenos cum rege eorum in ore gladii interfecit, et cum Fresonibus ultra mare pugnavit.

CHRONICI FREDEGARII CONTINUATIO.

PARS TERTIA.

Variæ Caroli expeditiones.
CX. De legatione papæ Gregorii urbis Romæ cum clavibus sancti Petri ad Carolum, et divisione regni inter filios suos, seu de obitu ipsius.
CXI. Chiltrudis nuptiæ, bellum contra Wascones, tum adversus Alamannos.
CXII. Bellum in Bajoarios.
CXIII. Bellum adversus Saxones, tum in Suevos.
CXIV. Wasconum cothurnus repressus.
CXV. Alamanni a Carlomanno superati.
CXVI. Carlomannus monasticam vitam amplectitur.
CXVII. Saxones, tum Bajoarii a Pippino superati. Pippinus in regem sublimatur.

CHRONICI FREDEGARII CONTINUATIO.

PARS QUARTA.

CXVIII. Saxones debellati. Griphonis interitus.
CXIX. Stephanus in Gallias advenit, a rege suscipitur.
CXX. Expeditio adversus Langobardos, qui a Pippino superantur.
CXXI. Altera in Langobardos expeditio.
CXXII. Aistulfi Langobardorum regis interitus.
CXXIII. Pippinus et Constantinus imp. amicitias jungunt, tum violantur.
CXXIV. Expeditio adversus Waifarium Aquitaniæ ducem.
CXXV. Altera in Waifarium expeditio.
CXXVI. Urbs Biturigum a Pippino expugnatur.
CXXVII. Bellum inter Pippinum et Waifarium continuatum.
CXXVIII. Franci Wascones fugant.
CXXIX. Waifarius Aquitaniæ urbes muris nudat, quos refici curat Pippinus.
CXXX. Waifarius iterum atque iterum victus pacem obtinere nequit.
CXXXI. Pippinus Aquitaniam devastat.
CXXXII. Pippinus in Aquitania Waifarium insequitur.
CXXXIII. Remistanus ad Waifarii partes transit.
CXXXIV. Remistanus captus morte punitur. Legatio Saracenorum ad Pippinum.
CXXXV. Waifario interfecto, Aquitania Pippino subjicitur.
CXXXVI. Pippinus morbo vexatus regnum inter filios dividit, et moritur.
CXXXVII. Carolus et Carlomannus reges inaugurantur.

Chronicum.

ANNO DLXXXIII.— I. Guntchramnus rex Francorum jam annos [*Al.*, anno] 23 Burgundiæ regnum cum leudis erat aptissimus, eleemosynam pauperibus large tribuens, tantæ prosperitatis regnum tenuit, ut omnes etiam vicinæ gentes amplissimas de ipso laudes canerent.

AN. DLXXXIV. — Anno 24 regni sui [a] divino amore ecclesiam beati Marcelli, ubi ipse pretiosus requiescit in corpore, suburbano Cabillonensi, sed quidem tamen Sequanum est territorium, mirifice et **596** solerter ædificari jussit, ibique monachis congregatis monasterium [b] condidit, ipsamque ecclesiam rebus plurimis ditavit. Synodum quadraginta episcoporum fieri præcepit, et ad instar institutionis monasterii sanctorum Agaunensium, quod temporibus Sigismundi regis ab Avito et cæteris episcopis, ipso principe jubente, fuerat confirmatum [c], hujus synodi conjunctione monasterii sancti Marcelli Guntchramnus institutionem formandum [d] curavit.

II. Hoc anno Gundoaldus [e] cum solatio Mummoli et Desiderii mense Novembri partem regni Guntchramni præsumpsit invadere, et civitates evertere. **597** Guntchramnus Leudegiselum [f] comitem stabuli, et Ægilanem patricium cum exercitu contra ipsos direxit. Gundoaldus terga vertens, Conbanem [g] civitatem latebras dedit, et inde de rupe a Bosone [h] duce præcipitatus interiit.

III. Cumque Guntchramno perlatum fuisset, eo quod frater suus Chilpericus esset interfectus, festinans perrexit Parisius, ibique Fredegundem cum filio Chilperici Chlothario ad se venire præcepit; A quem in Rioilo [i] villa baptizari jubet, et e sancto lavacro excipiens in regnum patr mavit.

AN. DLXXXV. — IV. Anno 25 regni Gunte Mummolus Senuvia [j] jussu Guntchramni inter uxorem ejus Sidoniam una cum omnibus th ejus Domnolus domesticus et Wandalmarus c rius Guntchramno præsentant.

AN. DLXXXVI. — V. Anno 26 regni sui ex Guntchramni Spanias ingreditur, sed loci infi gravatus, protinus ad propria revertitur.

AN. DLXXXVII. — Anno 27 ejusdem regn disclus [k] a Guntchramno patricius partibus ciæ ordinatur. Filius Childeberti regis Theod natus fuisse nuntiatur.

VI. Eo anno nimia inundatio fluminum : gundia fuit, ut eorum terminos nimium tran rent. Ipsoque anno Syagrius comes Constan lim jussu Guntchramni in legatione pergit, fraude [l] patricius ordinatur. Cœpta quidem e ad perfectionem hæc fraus non peraccessi Eo anno signum apparuit in cœlo : globus decidens in terram cum scintillis et rugitu ; i anno Levildus [m] rex Spaniæ moritur, et i obtinuit Richaridus filius ejus.

B

C

D

[a] Fredegarius calculum Gregorii Turon. uno anno prævertit, quod observare juvat ad conciliandos duos illos auctores. Quæ autem sequuntur ad annum 592 conferenda sunt cum ejusdem Gregorii Historia.

[b] Gregorius, ad an. 579, lib. v, cap 28, meminit basilicæ sancti Marcelli, cui abbas præ rat, ex cap. 53 lib. I de Glor. Martyrum. Exstat et am nunc monasterium istud, sed abbatis titulo minutum, ex quo Cluniaco subjectum fuit. Situm est ultra Ararim, unde in Sequanorum territorio positum hic dicitur. Ch. et Freh. una lectione habent *sed tamen est in Segonum*, pro *Sequanum*.

[c] Hoc, ut conjicere licet, factum est in solemnitate Sanctorum Martyrum hoc ipso anno, quo sanctus Avitus habuit homiliam, quæ inscribitur, *In basilica sanctorum Agaunensium in innovatione monasterii ipsius vel passione martyrum*. Ejus fragmentum habes a Sirmondo editum.

[d] Ed. aliquot cum Colb., *monasterium... institutione formandum*. Vat., *firmandum*. Id Valesius et cæteri arbitrantur in synodo Matisconensi II, an. 585, factum fuisse, ubi, uti ex subscriptionibus colligitur, 43 episcopi adfuere cum tribus aliis qui sedes non habebant, et 20 absentium missis. Hoc tamen forte melius ad synodum Valentinam II revocari posset, quam licet anno 585 consignaverit Cointius, hoc tamen ipso anno 581 mense Maio habitam fuisse censet Sirmondus. Et quidem in ea confirmatum fuit quidquid rex et cæteri, *basilicæ sancti Marcelli, vel sancti Symphoriani*, aut quibusvis aliis locis sacris contulerant, aut in posterum conferre voluerint. Lalandus in supplemento Conciliorum Galliæ concilium istud in ipsa S. Marcellii basilica habitum fuisse an. 594 contendit, eique non plures quam undecim episcopos interfuisse : unde errorem in Fredegarii textum irrepsisse putat, qui XL pro XI habeat. Auctor est Paulus Diaconus historiæ Langob. lib. III, cap. 35, thesaurum a rege Guntchramno miro modo detectum fuisse, *in quo*, inquit ille, *inæstimabiles* thesauri qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex postmodum ciborium solidum miræ magnitudinis et magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum, ad sepulcrum Domini Hierosol. transmittere voluit. Sed cum potuisset, idem supra corpus beati Marcelli m quod in civitate Cavallono sepultum est, ul regni illius erat, po i fecit, et est ibi usque sentem diem. Nec est usquam ullum opus effectum quod ei valeat comparari.

[e] Vat., *Gundwaldus*, de quo fuse apud Gre potissimum lib. VII, cap. 26, etc.

[f] Alii, *Leudiselum*, *Leudichildum*, *Leu Leudigildum*.

[g] Id est, *Convennas*. Vide Gregorium.

[h] Alii, *ab Osone*, forte pro *Oilone*, a quo baldus pulsus, et a Bosone peremptus fuit, e lib. VII, cap. 38.

[i] Ch. et Freh., *Riogilo*; al, *Riolo*, vulg Guntramnus hoc quidem anno Parisios ve baptismo Chlotarii, sed tamen nonnisi sexem baptizatus fuit.

[j] Alii, *Senoviæ*. Infra, Ch. al., *Sinodiam*.

[k] Sic Clar. Is ipse est, ni fallor, de quo supri Etenim in Colb. et Ch. al. dicitur *Leu* ut appellatur a Gregorio lib. VIII cap. 3 *Leudiselus, Leudisius, Leugisistus, Leudistus*.

[l] Syagrius ad pacem componendam CP. patricii dignitatem ab imperatore suscepit, q *fraus* appellatur. Non enim ei licebat id ac per quod sese imperatoris ditioni subdere vl Cæterum hoc de solo patricii seu comitis siliarii torii titulo interpretatur Valesius : sed cum E rius Syagrium patricium ordinatum, atque nec tamen consummatam fuisse fraudem forte intelligendum est de patriciatu Provin siliensis, quam regionem imperio restituere set Mauricius, aut certe aliquam dominii ea retinere. Id etiam forte a Mauricio tentatus quod reipsa Burgundio um reges antequam eorum regnum occupassent, solerent ab imp patricii nomen impetrare : quod saltem pe continuari etiam a Francis eamdem region nentibus perotasset.

[m] Alii, *Leuvildus*, *Leuvichildus*, *Leupoldu* ejus filius *Richardus*, *Richarius*, *Richaricus*.

xviii. — Anno 28 regni domni Gunt- s filius Childeberti, nomine Theuderntiatur.

chramnus se cum Childeberto, pacem elao, conjunxit. Inibi mater, et soror, et eberti regis pariterque fuerunt; ibique enientia inter domnum Guntchramnum tum fuit conventum, ut regnum Guntst ejus discessum Childebertus assu-

que tempore Rauchingus, et Boso Gunt- Jrsio, et Bertefridus optimates Childeeo quod eum tractaverint interficere, dinante interfecti sunt. Sed et Leudennorum dux in offensam antedicti regis n et latebram dedit. Ordinatus est loco nus dux. Eo anno Richaridus rex Gotio amplectens Christianam religionem ipse [a] baptizatur. Post hæc omnes Got- Arianam sectam tenebant, Toletum [b] epit, et omnes libros Arianos præcepit ntentur : quos in una domo collocatos remare jussit, et ad Christianam legem nes Gotthos fecit.

no uxor Anaulfi [c] imperatoris **599** mine Cæsara, virum relinquens, cum is, totidemque puellis ad beatum Johantm Constantinopolim venieus, se unam lo dixit, et baptismi gratiam ab ante-Johanne expetiit. Cumque ab ipso Ponbaptizata, Augusta Mauricii imperatoris o suscepit lavacro ; quam cum vir suus rsarum per legationes sæpius repeteret, imperator uxorem ipsius esse nesciret, videns eam pulcherrimam, suspicatur quam legati quærebant, dicensque eis: lam de Persis huc venit, dixitque se e populo; videte eam, forsitan ipsa est is. Quam legati videntes, proni in terram dicentes ipsam esse eorum dominam, bant. Dicit ad eam Augusta : Redde illis Tunc illa respondit : Ego cum istis non loquor, vita illorum ad instar canum est; si conversi, Christiani, sicut et ego sum, efficiuntur, tunc eis respondebo. Legati vero animo libenti baptismi gratiam accipiunt. Postea dicit ad eos Cæsara : Si vir meus voluerit Christianus fieri, et baptismi gratiam accipere, libenter ad eum revertar. Nam penitus aliter ad ipsum non repedabo. Legati id imperatori Persarum nuntiantes, statim ille legationem ad Mauricium imperatorem misit, ut sanctus Johannes veniret Antiochiam, ipso tradente baptismum vellet accipere. Tunc Mauricius imperator infinitissimum apparatum Antiochiæ fieri jussit : ibi imperator Persarum cum sexaginta millibus Persarum baptizatus est, et per duas hebdomadas a Johanne et reliquis episcopis Persæ ad plenitudinem supra scripti numeri baptizantur. Imperatorem illum Gregorius Antiochiæ [d] episcopus suscepit de lavacro. Anaulfus imperator **600** a Mauricio imperatore petens ut sibi episcopos cum clero sufficiente [e] daret, quos in Persia stabiliret, ut universi Persidæ baptismi gratiam adhiberent. Quod Mauricius libenti animo præstitit, summaque celeritate omnes Persidæ ad Christi cultum baptizantur.

An. dlxxxix. — X. Anno 29 Guntchramni exercitus in Spaniam [f] ejusdem jussu dirigitur ; sed negligentia Bosonis, qui caput exercitus fuit, graviter a Gotthis exercitus ille trucidatur.

An. dxc. — XI. Anno 30 regni suprascripti principis, tunica Domini nostri Jesu Christi, quæ eidem in passione sublata est, et a militibus qui eum custodiebant, est sortita, de qua David propheta dicit: *Et super vestimenta mea posuerunt sortem* (*Joan.* xix, 24; *Ps.* xxi, 19), inventa est prodente Simone filio Jacob, qui per duas hebdomadas multis cruciatibus affectus, tandem profitetur ipsam tunicam in civitate Zafad [g] procul a Hierosolyma in arca marmorea positam esse. Quam Gregorius Antiochenus et Thomas [h] Hierosolymorum, et Johannes Constantinopolitanus episcopi cum aliis multis episcopis, triduanum facientes jejunium, exinde condigne cum arca marmorea, levi effecta, quasi ex ligno fuisset, ordine pedestri Hierosolymam cum devotione sanctissima

alii, *prius secretius baptizatur.*

vide concilium Toletanum iii, Concil. V, ad an. 589, cui rex ipse interfuit, ac oni, quam eo ipso agente Gotthi susceuxore sua subscripsit.

ulfi, Arnulfi, Monaulfi. Hanc historiam tempora revocat Paulus Diacon., lib. iv ngob. cap. 52. Johannes Biclar. in chro- imperatoris Persarum, qui, pace *cum* mata, Christi fidem suscepit : quæ omnia juniore interpretantur viri eruditi, qui imp. Baramum tyrannum oppressit, recepit, ex quo pulsus fuerat. Hunc Chrise Fredegarius, Biclarensis, imo et Theorbitrati sunt, quod Syram Christianam erit, palamque professus fuerit se sancti ris ope in regno restitutum fuisse, cuprædara dona obtulit. Vide Evagrium, cap. 19 et 20. Ipsum tamen Christianum t viri eruditi, et quidem Domitianum sc. laudat Gregorius Magnus lib. ii, Ind. quod ad Imp. Persarum conversionem, licet frustra, laboraverit. Johannes vero Jejunator dictus. *CP.* epis., de quo hæc Fredeg., Eutychio successit, an. 582. Famosus fuit ob *universalis* seu *œcumenici* titulum, quem sibi resistente Gregorio Maguo arrogabat.

[a] Successit sancto Anastasio in exsilium pulso, an. 571. Eum laudant Evagrius, lib. vi, passim; Theophanes, et Joan. Moschus, Prati spirit. cap. 140. Obiit an. 592; quo defuncto, Anastasius sedem suam recepit.

[b] Boher., *cum clericis ei daret.... universa Persida.*

[c] Id est, Septimaniam, ut evidenter patet ex lib. ix cap. 31 Historiæ Gregorii.

[d] Ea est, ut vulgo putant, *Joppe*, urbs in Palæstina celebris, olim sede episcopali ornata, quæ etiamnunc vulgo *Jafa* appellatur, Italis *Jaffo*, vel *Zaffo*. De tunica hac vide lib. i de Gloria Mart. cap. 8.

[e] Fredegario Thomæ nomen obrepsisse putat Papebrochius, pro *Amos*, quem ex Græcis catalogis tunc Jerosolymitanæ Ecclesiæ præfuisse existimat.

perduxerunt, eamque in loco ubi crux Domini adoratur cum triumpho posuerunt. Eo [a] anno luna obscurata est. Eo anno inter Francos et Britannos super fluvium Vicinonia bellum est ortum.

XII. Beppelenus dux Francorum factione Hebracharii, itemque ducis, a Britannis interficitur. Unde post Hebracharius ad summam paupertatem de rebus suis spoliatus pervenit.

AN. DXCI. — XIII. Anno 31 regni Guntchramni Theudefredus dux Ultra Juranus [b] moritur, cui successit Wandalmarus in honore ducatus. Ipsoque anno **601** Ago dux in Italia super Langobardos in regno sublimatur.

AN. DXCII. — Anno 32 regni Guntchramni, ita a mane usque ad mediam diem sol minoratus est, ut tertia pars ex ipso vix appareret.

AN. DXCIII. — XIV. Anno 33 regni Guntchramni. Eo anno, v Kalendas Aprilis, ipse rex moritur [c], sepultus est in ecclesia sancti Marcelli, in monasterio quod ipse construxerat. Regnum ejusdem Childebertus assumpsit. Eodem anno Quintrio [d] dux Campanensis cum exercitu in regnum Chlotharii ingreditur. Chlotharius cum suis obviam pergens hostiliter Quintrionem in fugam vertit, sed utrinque exercitus nimium trucidatus est.

AN. DXCIV. — XV. Anno 2 cum Childebertus regnum accepisset Burgundiæ, exercitus Francorum et Britannorum invicem præliantes, uterque nimium gladio trucidantur.

AN. DXCV. — Anno 3 Childeberto in Burgundia regnante, multa signa in cœlo ostensa sunt, apparuit stella cometes. Eo anno exercitus Childeberti cum Warnis [e], qui rebellare conati fuerant, fortiter dimicavit, et ita Warni trucidati victi sunt, ut ex eis remansisset.

AN. DXCVI. — XVI. Anno 4 postquam Childe regnum acceperat Guntchramni, defunctus e gnumque ejus filii sui Theudebertus et Thet accipiunt. Theudebertus sortitus est Auster, habens Mettensem, **602** Theudericus acce gnum Guntchramni in Burgundia, sedem hab relianis.

XVII. Eo anno Fredegundis cum filio Ch rege Parisius vel reliquas civitates ritu barba cupavit, et contra filios Childeberti regis The tum et Theudericum movit exercitum loco n Latofao [k]. Castra uterque ex adverso p Chlotharius cum suis super Theudebertum e dericum irruens, eorum exercitum graviter t vit.

AN. DXCVII. — Anno 2 regni Theuderici Fre dis moritur [i].

AN. DXCVIII. — XVIII. Anno 3 regni Theu Wintrio [j] dux, instigante Brunichilde, interfi

AN. DXCIX. — Anno 4 regni Theuderici, Q [*Al.*, Colenus], genere Francus, patricius or Eo anno clades glandolaria [k] Massiliam et r Provinciæ civitates graviter vastavit. Eo an calidissima in lacu Dunensi, quem Arula [l] influit, sic valide ebullivit, ut multitudinem coxisset. Eo anno Warnacharius [m] major Theuderici transit, qui omnem facultatem s alimoniis pauperum distribuit.

XIX. Eo anno Brunichildis ab Austrasiis est, et in Arciacensi campania [n] a quodam paupere singula reperitur. Secundum ejus

Sed et hic *Amos*, seu, ut a Nicephoro Callisto appellatur, *Neamus*, in aliquot catalogis desideratur. Thomas dicitur ab Aimoino, lib. III Hist. cap. 78. De Gregorio et Johanne actum est supra.

[a] Hæc usque ad finem cap. desunt in Colb. et plerisque editis.

[b] Ultrajurana regio sic dicta a Jura monte, inter Helvetios et Sequanos, qui vulgo Sancti Claudii appellatur, a celebri monasterio ordinis Benedictini. Dicitur quoque Burgundia Transjurana, quæ aliquot reges habuit sub finem sæculi IX et sequenti.

[c] Contendit Valesius, lib. XV Rer. Francic., Guntramnum e vivis excessisse an. 592, unde ubi infra legitur *anno* 2 Childeberti, legendum esse censet *anno* 1, et sic deinceps. Guntramni nomen Martyrologia vetera et recentia habent V Kal. Aprilis, qua die festum ejus memoratur in vetustissimo Kalendario Murbacensi ab annis 900 conscripto.

[d] Infra, cap. 18, in Chr. dicitur *Wintrio*, de quo vide notas in lib. VIII Hist. Gregorii cap. 18. De hoc bello Paulus Diac. lib. IV Hist. Langob. cap. 4. Quintrionem a Wintrione patre sanctæ Glodesindis distinguit Cointius ad an. 749, num. 25 et seqq.

[e] Hos suspicamur esse Werinos, quorum leges sub hoc titulo habentur, *Leges Angliorum et Werinorum, hoc est Thuringorum*. Warnos memorat Procopius, quorum rex Radiger Chlodovei Magni filiam duxerat uxorem. Vide Cointium, ad an. 564, etc.

[f] Cum uxore, si Paulo Diac., lib. IV, cap. 12, credamus, veneno exstinctus est, quod silent auctores.

[g] Id est, per irruptionem, bellum inferendo quam fuisset indictum, ut facere solent barbari.

[h] Hunc locum in Senonensi diœcesi situm quidam existimant.

[i] Sepulta est juxta virum suum in basilica Vincentii seu sancti Germani a Pratis, ubi a ejus lapis etiamnunc visitur, quo fortasse an regum nostrorum sepulturæ monumentum, e Christiani facti sunt, nusquam exstat. Ejus canit Fortunatus lib. IX carm. 1 et seqq., qu teri auctores exsecrantur.

[j] Sic Chr. et Ches. al.; cæteri, *Quintrio*, pra.

[k] Colb., *Grandoraria*; aliquot editi, *gra* Ches. al. *glandis*, *vel inguinis*.

[l] Ch sn. et Freh., *Arola*, vulgo *l'Aigre*, paul Dunum (*Chasteau-dun*) fere simul cum lacu D in Ledum (*le Loir*) influit. Hunc tamen Fre locum de Duno Carnutum intelligi non possu tendit Valesius cum Labbeo et cæteris q designari putant lacum qui exstat prope castrum dunense (*Iverdun*), et hodie Ebrodunensis, seu a Castro Helvetiorum (*Neufchâtel en Suisse*) burgensis dicitur, qui lacus simul cum Urba sese in Arolam (*l'Ar*) exonerat.

[m] Alii, *Warneharius*, aut *Warnecharius*.

[n] Sic dicta ab Arciaco oppido ab Albam flu de quo in Epitome. Hanc narrationem fabu

nem ipsam ad Theudericum perducit. Theudericus A doro cum sancto Urso [g] passus fuerat, a beato Æcoaviam suam Brunichildem libenter recipiens, glorioso **603** honorat. Hujus vicissitudine meriti episcopatum Antissiodorensem, faciente Brunichilde, assumpsit.

An. 6c. — XX. Anno 5 regni Theuderici, iterum signa quæ anno superiore visa fuerant, globi ignei per cœlum currentes, et ad instar multitudinis hastarum ignearum ad occidentem apparuerunt. Ipsoque anno Theudebertus et Theudericus reges contra Chlotharium regem movent exercitum, et super fluvium Aroannam [a], nec procul a Doromello vico, prælium confligentes junxerunt. Ibique exercitus Chlotharii gravissime trucidatus est. Ipsoque cum his qui remanserunt in fugam verso, pagos et civitates ripæ Sigonæ [b], qui se ad Chlotharium tradiderant, depopulantur et vastant. Civitates ruptæ, nimis pluritas captivorum ab exercitu Theuderici et Theudeberti exinde ducitur. Chlotharius oppressus, vellet nollet, per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sigonam et Ligerem usque mare Oceanum et Britannorum limitem pars Theuderici haberet; et per Sigonam et Isaram Ducatum integrum Dentelini [c] usque Oceanum mare Theudebertus reciperet. Duodecim tantum pagi inter Isaram et Sigonam et mare littoris Oceani Chlothario remanserunt.

An. dci. — Anno 6 regni Theuderici Cautinus dux Theudeberti interficitur.

An. dcii. — XXI. Anno 7 [d] regni Theuderici de concubina filius nascitur, nomine Sigibertus; et Ægila [e] patricius, nullis culpis exstantibus, instigante Brunichilde, ligatus interficitur, nisi tantum cupiditatis instinctu, ut facultates ejus fiscus assumeret. Eo anno Theudebertus et Theudericus exercitum contra Wascones dirigunt, ipsosque, **604** Deo auxiliante, dejectos suæ dominationi redigunt, et tributarios faciunt. Ducem super ipsos, nomine Genialem [f], instituunt, qui eos feliciter dominavit.

XXII. Eo anno corpus sancti Victoris qui Salo- nio pontifice Mauriennense [h] invenitur. Quadam nocte in sua civitate ei revelatur per somnium, ut surgens protinus iret ad ecclesiam, quam Sedeleuba [i] regina in suburbano Genavensi construxerat, in medio ecclesiæ designato loco, ubi sanctum corpus adesset. Cumque Genavam festinus perrexisset, cum beatis Rusticio et Patricio [j] episcopis, triduanum jejunium facientes, lumen per noctem, ubi illud gloriosum et splendidum corpus erat, apparuit, quod cum silentio hi tres pontifices cum lacrymis et orationibus elevato lapide in arca argentea invenerunt sepultum, cujus faciem rubentem quasi vivi reperererunt. Ibique princeps Theudericus præsens aderat, multisque rebus hujus ecclesiæ tribuens, maximam B partem facultatis Warnacharii ibidem confirmavit. Ad sepulcrum illud sanctum miræ virtutes ex ipsa die, qua repertum est, præstante Domino, integra assiduitate ostenduntur. Eo anno Ætherius episcopus Lugdunensis obiit : ordinatur loco ipsius Secundinus episcopus.

XXIII. Eo anno Focas [k] dux et patricius reipublicæ, victor a Persis rediens, Mauricium imperatorem interfecit, et loco ipsius imperium assumpsit.

An. dciii. — XXIV. Anno 8 regni Theuderici de concubina nascitur ei filius, nomine Childebertus, et synodus Cabillono **605** colligitur. Desiderium Viennensem episcopum dejiciunt, et instigante Aridio, Lugdunensi episcopo, et Brunichilde, subrogatus est loco ipsius sacerdotali officio Domnolus; Desiderius C vero in insulam quamdam exsilio retruditur. Eo anno sol obscuratus est. Eo quoque tempore Berthoaldus, genere Francus, major domus palatii erat Theuderici, moribus mensuratus, sapiens et cautus, in prælio fortis, fidem cum omnibus servans.

An. dciv. — Anno 9 regni Theuderici nascitur ei filius de concubina, nomine Corbus. Cum jam Protadius genere Romanus vehementer ab omnibus in palatio veneraretur, et Brunichildis stupri gratia eum

esse contendit Cointius ad an. 599, quod Antissiodorensis Ecclesia tunc non vacaret, quodque Desiderius, qui aliquot postea annis Aunachario successit, pauper non fuerit, nec talis qui hic describitur, imo nobilissimus dicitur in Hist. episcoporum Antissiod. cap. 19 et 20, et regum nostrorum *propinquus*. Obiit anno 625, et sepultus est in basilica sancti Germani cum suis prædecessoribus. Colitur uti sanctus VI Kal. Novembris.

[a] Vix incolis notus, vulgo *Ouaine*. Lustrat Senonum fines, et in Lupam (*le Loin*) immergitur prope Muritium. Doromellum, vulgo *Dormeille*, appellatur. Aroannam tamen Cointius ex Faucheto ait oriri prope Trecas, ac prope Senonum urbem in Icaunam labi. In Testamento sancti Bertichramni episc. Cenomann. memoratur *Aroena fluviolus*, in cujus ripa situm est *oppidum Diablintis* apud Cenomannos.

[b] Ch. al., *Sequanæ;* quam *Sigonam* seu *Segonam*, ille auctor ut plurimum appellat.

[c] Infra, cap. 37. Freh. et Ch. al., *Denzelini*, et cap. 76, *Danzileni*. Complectebatur regionem, quæ jacet in er Sequanam, Isaram, seu Oesiam, vulgo *l'Oise*, et Ligerim. Unde vero istud nomen habuerit, ignotum mihi est.

[d] Cod. Colb. et Freh., *Anno vi*, et sic uno semper minus ad annum 9. Iidem cum Boh. filium hunc appellant Sigobertum.

[e] Colb. cum plerisque editis, *Agila*.

[f] Colb., *Gelianem;* plerique ed., *Gemialem*.

[g] Boh. et aliquot ed., *Ursione*. Hi erant ex percelebri Thebæorum legione, quæ in istis partibus sub Maximiano Herculio martyrium consummavit. Vide Acta Martyrum sincera, pag. 293, et Surium, ad diem 30 Septemb. Solodurum urbs, vulgo *Soleure*, caput est pagi cognominis Helvetiorum catholicorum.

[h] Mallet Valesius legere *Æonio*. Ipse vero sese *Hiconium* appellat in conc. Matisc. I et II, quibus interfuit. Primus fuit hujus sedis episcopus.

[i] Hæc fuit soror Chlotildis uxoris Chlodovei Magni. Vide Gregor. Hist. lib. II, cap. 28.

[j] Alii, *Rustico et Patrice;* melius forte Rustico et Patricio. Utriusque nudum nomen exstat in catalogo episc. Genavensium; alteruter tamen fuisse videtur episcopus Octodurensis seu Sedunensis.

[k] Hoc ipso anno Phocæ imperii initium habetur in instrumento publico, quod Romæ a sancto Gregorio promulgatum est; unde firmatur chronologia quam hic sequimur. Exstat initio libri XI epistolarum ejusdem pontificis.

vellet honoribus exaltare ; defuncto Wandalmaro duce, in pago Ultra-Jurano et Scotingorum [a] Protadius patricius ordinatur instigatione Brunichildis. Ut Bertoaldus potius interiret, eum in ripam Sigonam usque Oceanum mare per pagos et civitates fiscum inquirendum dirigunt.

XXV. Bertoaldus a Theuderico [*Al.*, ad Theudericum] directus, cum trecentis tantum viris illis partibus properavit; cumque ad Arelao [b] villam venisset, et venationem inibi exerceret, hæc comperiens Chlotharius, filium suum Meroveum et Landericum [c] majorem domus cum exercitu ad Bertoaldum premendum direxit; et maximam partem inter Sigonam et Ligerem pagos et civitates de regno Theuderici præsumpsit contra pactum pervadere. Bertoaldus hæc audiens, cum sustinere non prævaleret, terga vertens, Aurelianis ingreditur, ibique a viro beatissimo Austrino episcopo suscipitur. Landericus cum exercitu Aurelianis circumdans vocabat Bertoaldum, ut exiret ad prælium. Bertoaldus de muro respondens : **606** Nos duo singulare certamen, si me exspectare deliberas, reliqua multitudine procul suspensa, jungamus ad prælium. A Domino judicemur. Sed hæc Landericus facere distulit. Addens Bertoaldus dixit : Dum facere non audes, proximo tempore, domini nostri pro iis quæ facitis jungent ad prælium. Induamur uterque, ego et tu, vestibus vermiclis [d], præcedamus cæteros ubi congressus erit certaminis ; ibique, et mea et tua apparebit utilitas, promittentes ante Deum ab invicem promissionis hujus veritatem subsistere.

XXVI. Cumque hoc in die festi sancti Martini antistitis actum fuisset, Theudericusque hæc comperisset, quod a Chlothario pars regni sui contra pactum fuerat pervasa, nativitate Domini protinus cum exercitu Stampas [e] per fluvium Loa pervenit, ibique obviam Meroveus filius Chlotharii regis, cum Landerico et magno exercitu venit. Cum esset arctus pervius [f] ille, ubi Loa fluvius transmeatur, vix tertia pars exercitus Theuderici transierat, initum est prælium ; ibique Bertoaldus secundum placitum aggreditur, vocitans Landericum. Sed Landericus non est ausus, ut promiserat, tantam hujus certaminis congressionem adire. Ibique Bertoaldus cum nimis cæteros præcessisset, ab exercitu Chlotharii cum suis interficitur: nec vellens exinde evadere dum senserat se de sui gradus honore a Protadio degradandum. Ibique Meroveus filius Chlotharii capitur, Landericus in fugam versus est, nimia multitudo exercitus Chlotharii in eo prælio gladio trucidata est. Theudericus victor Parisius ingreditur, Theudebertus pacem cum Chlothario Compendio villa inivit; et uterque exercitus eorum **607** illæsus rediit ad propria.

An. DCV. — XXVII. Anno 10 regni Theuderici Protadius, instigante Brunichilde, Theuderico jubente, major domus substituitur. Qui cum esset nimium argutissimus, et strenuus in cunctis, sed sæva illi fuit contra personas iniquitas, fisco nimium tribuens [g], de rebus personarum ingeniose fiscum vellens implere, et seipsum ditare. Quoscunque genere nobiles reperiret, totos humiliare conabatur, ut nullus reperiretur qui gradum quem arripuerat potuisset assumere. His et aliis nimia sagacitate vexatis, maxime cunctos in regno Burgundiæ fecit sibi inimicos. Cum Brunichildis nepotem suum Theudericum integra assiduitate moneret, ut contra Theudebertum moveret exercitum, dicens : Quasi Theudebertus non esset filius Childeberti [h], nisi cujusdam hortulani, et Protadius ipsi quoque consilio assistens, tandem jussu Theuderici movetur exercitus. Quod cum loco, nomine Caraciaco [i], Theudericus cum exercitu castra metasset, hortabatur a leudibus suis, ut cum Theudeberto pacem iniret. Protadius singulus hortabaturi, ut prælium committeretur. Theudebertus nec procul cum exercitu exinde residebat. Tunc omnis exercitus Theuderici inventa occasione supra Protadium irruunt, dicentes melius

[a] *Scotingorum* seu *Scutingorum* pagi situm discimus ex Vita sancti Anatolii episcopi, Salinarum patroni, quæ habet *Scodinga in Sequanis, ubi nunc Salinarum locus.* Salinæ vero, vulgo *Salins*, oppidum est ad Foricam amnem in Burgundiæ comitatu Dolam inter et Vesontionem, quod archidiaconatus cognominis est caput. Vide notitiam Valesii ad verbum *Scutingi.*

[b] Editi plerique, *Arelaum*, Boh. et Chesn. cum Aimoino, *Arelaunum*, quod nomen erat silvæ et villæ regiæ haud procul a Fontanellensi monasterio percelebri diœcesis Rothomagensis, in peninsula quam Sequana efformat. Vide lib. IV de Re diplomatica. At aliis fortasse videbitur majorem esse inter hunc locum et Gennabum distantiam, ut exinde Bertoaldus fugiens sese intra Aurelianenses muros receperit.

[c] Colb.; *Landricum;* alii, *Landericum.*

[d] Sic mss. et editi, præter Chesn. et Freh., *vermiolis.* Quam vocem Aimoinus habet. Hic tamen vermiculatum colorem designari putant viri eruditi, quæ vox passim apud auctores occurrit. Hinc vernacula vox *vermeil :* vestes autem vermiclæ, id est purpureæ, aut scarleteæ (*d'écarlate*) sic dicuntur quasi coloris vermiculi. Et quidem in Vita Caroli Magni ubi describitur *antiquorum Francorum ornatus vel paratura*, inter cæteras vestes recensentur *fasciolæ crurales vermiculatæ.*

[e] Ch., *super fluvium Loa.* At Stampæ oppidum situm est ad Junnam fluvium (*la Juine*), qui paulo inferius Loa majori ac minori fluviis (le *Loe* et le *Loet*) augetur.

[f] Sic Clar. et Boh. At Colb., *cumque esset arctus pervius ille locus.* In Freh. deest vox *locus.* Alii vere, *cum esset autem pervius.* Chronica sancti Benigni et Besuense, *cum esset arduus*, etc.

[g] Colb. et aliquot editi, *nimium stringens, et de rebus*, etc.

[h] Hoc falsum esse existimant viri eruditi, quod ex Gregorii Historia, lib. VIII, cap. 37, et lib. IX, cap. 4, constare videtur. Uterque ex Faileuba legitima Childeberti uxore natus erat. Quæ si aliquando concubina apud nonnullos auctores dicta legatur, meminisse debemus ea voce legitimas uxores frequenter designatas fuisse, quæ ex infimo genere natæ erant.

[i] Est Carisiacum, quod postea adeo celebre fuit inter palatia regia. Boh. habet, *Caraciate.*

[j] Mss. et aliquot ed., *singulos hortabatur.*

esse unum hominem moriturum [a], quam totum exercitum in periculum mitti. Protadius in tentorio Theuderici regis cum Petro archiatro ad tabulam ludens sedebat, quem undique cum jam exercitus circumdasset, et Theudericum laudes sui tenebant, ne illuc graderetur, misit Uncilenum, ut suæ jussionis verbum nuntiaret exercitui, ut se de insidiis Protadii removerent. Uncilenus protinus **608** ad exercitum nuntians, dixit : Sic jubet domnus Theudericus, ut interficiatur Protadius. Irruentes super eum, tentorium regis gladio undique incidentes, Protadium interficiunt. Theudericus confusus et coactus cum fratre Theudeberto pacem inivit, et illæsus uterque exercitus revertitur ad proprias sedes post decessum [*Al.*, cædem] Protadii.

A qui exinde Ermenbergam filiam ejus Theuderico matrimonio sociandam adducerent. Ibique datis sacramentis, ut a Theuderico ne **609** unquam a regno degradaretur, ipsamque accipiunt, et Theuderico Cabillono præsentant, quam ille gaudens diligenter suscepit. Eadem, factione aviæ suæ Brunichildæ, virilem coitum non cognovit. Instigantibus verbis Brunichildæ aviæ et Theudilanæ [g] germanæ efficitur odiosa. Post anni circulum [h] Theudericus Ermenbergam exspoliatam a thesauris in Spaniam retransmisit.

An. DCVI. — XXVIII. Anno 11 regni Theuderici subrogatur major domus Claudius, genere Romanus [b], homo prudens, jucundus in fabulis, strenuus in cunctis, patientiæ deditus, plenitudine consilii abundans, litterarum studiis eruditus, fide plenus, amicitiam cum omnibus sectans. Priorum exempla metuens, lenem se et patientem hujus gradus ascensus [*Al.*, ascensu] ostendit. Sed hoc tantum impedimentum habebat, quod sagina esset corporis aggravatus.

B

An. DCVII. — Anno 12 regni Theuderici Uncilenus, qui ad mortem Protadii insidiose fuerat locutus, instigante Brunichilde, pede truncato, de rebus exspoliatus ad debilitatem [c] perductus est.

XXIX. Vulfus patricius, idemque, Brunichilde instigante consilio, qui in mortem Protadii consenserat, Fauriniaco [d] villa, jubente Theuderico occiditur; et in patriciatum ejus Richomeris, Romanus genere, subrogatur. Eodem anno natus est de concubina Theuderici filius, nomine Meroveus, quem Chlotharius de sancto lavacro suscepit.

C

XXX. Eodem anno Theudericus Aridium episcopum Lugdunensem, Rocconem [e] et Æpporinum comestabulum ad Betterieum [f] regem Spaniæ direxit,

XXXI. Betterieus hæc indignans legationem ad Chlotharium direxit : legatus Chlotharii cum Betterici legato ad Theudebertum perrexit. Iterum Theudeberti legati cum Chlotharii et Betterici legatariis ad Agonem [i] regem Italiæ accesserunt, et unanimiter hi quatuor reges cum exercitu undique super Theudericum irruerunt, ut regnum ejus auferrent, et eum morte damnarent, eo quod tantam de ipso reverentiam ducebant. Legatus vero Gotthorum evectu navali de Italia per mare in Spaniam revertitur. Sed hoc consilium divino nutu non sortitur effectum, quod cum Theuderico compertum fuisset, fortissime ab eodem despicitur.

XXXII. Eo anno Theudericus, consilio Aridii episcopi Lugdunensis perfidi utens, et persuasu aviæ suæ Brunichildæ sanctum Desiderium de exsilio regressum lapidare præcepit [j] : ad cujus sepulcrum miræ virtutes a die transitus sui Dominus integra assiduitate ostendere dignatur. Per quod credendum est, pro hoc malo gesto regnum Theuderici et filiorum suorum **610** fuisse destructum.

D

XXXIII. Eo [k] anno, mortuo Betterico, Sisebodus successit in Spaniæ regnum, vir sapiens et per totam Spaniam laudabilis valde, pietate plenissimus. Nam et adversus manum publicam [l] fortiter dimicavit. Provinciam Cantabriam [m] Gotthorum regno subegit, quam aliquando Franci possederant. Dux, Francio

[a] Alii, *mortuum*; al., *mori quam tantum*.

[b] Alii, *Docudius*. Romanos etiam iste auctor appellat, eos qui genere Franci non erant, sed ex antiquis Galliarum familiis, quæ ante Francorum stabilitum in Galliis imperium Romanis erant subjectæ.

[c] Chesn. et alii, *brevitatem*. Bob., *vilitatem*.

[d] Locus ob monasterium ordinis Benedictini, primum virginum, tum virorum, celebris, vulgo *Faverney*, ad Lantanam fluviolum in Burgundiæ comitatu diœcesique Vesontionensi. In statuto Ludovici Pii dicitur *Fariniacum*, ut hic in Ch. et Freh. Nunc vulgo a tempore sancti Bernardi, cujus ille meminit epistola 347, *Faberniacum*, aut *Faverniacum*. Est et *Favernach* prope Friburgum in Brisgoia, et *Favernay* vicus inter Divionem et Aussonam in Burgundia.

[e] Editi plerique, *Rogonem et Eborium*. Colb., *Rocconem et Ebronium*, et idem altera manu *comites stabuli*; cui Aimoinus consentit, qui habet *præfectos equorum*.

[f] Colb. et al. edit., *Bethericum*. Is est Wittericus, qui, occiso Liuba II, regnum Wisigotthorum invasit anno 603.

[g] Sic Clar., Bob. et cæteri; at Colb. cum plerisque ed., *Theodelindæ*. De hac, infra, cap. 42.

[h] Ex his verbis nonnulli inferunt ea quæ sequuntur ad an. 13 Theoderici esse revocanda.

[i] Is est Agilulfus Langobardorum rex qui et Ago dictus est, ut monet Paulus Diac. lib. IV cap. 1 et 43, de quo vide, supra, notas ad lib. X Hist. Greg. cap. 3.

[j] Passus est sanctus Desiderius Viennensis episcopus anno 607 die X Kalendas Junias, in territorio Lugdunensi ad Calaronam fluvium (*la Chalaronne*). In ipso loco, ubi passus est, nunc exstat vicus suo ipsius nomine donatus. De eo Cointius tomo II ad hunc annum fusius disserit, ubi Aridium a sceleribus quæ hic et superioribus capitibus ipsi tribuuntur pluribus vindicare conatur. De sancti Desiderii martyrio legenda est epistola Adonis ad ecclesiam Viennensem, cui ipse sæculo IX præfuit.

[k] Hoc caput deest in cod. Colb. quem Mettensem appellat Cointius. Interpolatum tamen dici non potest, quippe quod habetur in veteri exemplari Collegii Claromont., quod sane haud diu post auctoris ætatem descriptum est. Eadem ferme habet auctor appendicis ad Marii Chronicum. Cæterum Sisebodus, seu ut editi habent, Sisebutus Gundemaro Witterici successori substitutus est anno 612: quare emendandus est Fredegarii calculus. Sisebuti laudes vide apud Isidorum, in Chronico, ad æram 650.

[l] Id est adversus Romanos, seu imperatorem. Alias sæpius rempublicam appellat, et infra imperii partem.

[m] Ad Hispaniam Tarraconensem pertinebat, ho-

nomine, qui Cantabriam tempore Francorum subexerat [a], tributo Francorum regibus multo tempore impleverat. Sed cum a parte imperii fuerat Cantabria revocata [b], a Gothis, ut supra legitur, præoccupatur, et plures civitates ab imperio Romano Sisebodus in littore maris ahstulit, et usque fundamentum destruxit. Cumque Romani ab exercitu Sisebodi trucidarentur, Sisebodus dicebat pietate plenus : Heu me miserum, cujus tempore tanta sanguinis humani effusio fitur ! Cuicunque poterat occurrere de morte liberabat. Confirmatum est regnum Gothorum in Spania per maris littora usque montes Pyrenæos.

XXXIV. Ago rex Langobardorum accepit uxorem, Grimoaldi et Gundoaldi germanam, nomine Theudelindam, ex genere Francorum [c], quam Childebertus habuerat desponsatam. Cum eam consilio Brunichildæ postposuisset, Gundoaldus cum omnibus rebus secum germanam Theudelindam in Italiam transtulit, et in matrimonium Agoni tradidit. Gundoaldus de gente nobili Langobardorum accepit uxorem, de qua duos **611** filios accepit, his nominibus, Gundebertum et Charibertum [d]. Ago rex, filius Autharii regis, de Theudelinda habuit filium, nomine Adoaldum [*Al.* Odoaldum], et filiam, nomine Gundobergam. Dum Gundoaldus a Langobardis nimium diligeretur, factione Agonis regis et Theudelindæ, cum ipsum jam zelo [*Al.* in zelum] tenerent, ubi ad ventrem purgandum in faldeone [e] sedebat, sagitta saucius moritur.

An. dcviii. — XXXV. Anno 13 regni Theuderici, cum Theudebertus Bilichildem [f] habebat uxorem, quam Brunichildis a negotiatoribus mercaverat, et esset Bilichildis utilis, et a cunctis Austrasiis vehementer diligeretur, simplicitatem Theudeberti honeste comportans, nihil se minorem a Brunichilde esse censeret, sed sæpius per legatos Brunichildem despiceret, dum ab ipsa increpabatur, quod ancilla Brunichildæ fuisset, tandem his et aliis verbis, legatis discurrentibus, ab invicem vexarentur, placitum inter Colerensem et Suentensem [g] fitur, ut has duas reginas pro pace inter Theudericum et Theudebertum conjungerent ad colloquendum. Sed Bilichildis consiliis Austrasiorum inibi venire distulit.

An. dcix. — XXXVI. Anno 14 regni Theuderici, beati Columbani [h] creverat jam passim fama in civitatibus sive [i] in universas Gallias et Germaniæ provincias : eratque omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis, in tantum, ut Theudericus rex ad eum sæpe Lussovium [j] veniret, et orationum suarum suffragia omni cum humilitate deposceret. Ad quem sæpissime **612** cum veniret, cœpit vir Dei eum increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, et non potius legitimi conjugii solaminibus frueretur ; ut regalis proles ex honorabili regina procederet, et non potius ex lupanaribus videretur emergere. Cumque jam ad viri Dei imperium regis sermo obtemperaret, et se ab omnibus illicitis segregare sponderet, mentem Brunichildis aviæ, secunda ut erat Jezabelis [k], antiquus anguis adiit, eamque contra virum Dei stimulatam superbiæ aculeo excitat, quia cerneret viro Dei Theudericum obedire. Verebatur enim ne, si abjectis concubinis reginam aulæ præfecisset, dignitatis atque honoris sui modum amputasset. Evenit ergo ut quadam die beatus Columbanus ad Brunichildem veniret. Erat

die vulgo Biscaya (*la Biscaye*) dicitur, cujus incolas nonnulli etiam antioui auctores Basculos seu Basclos appellant.

[a] Id est, *subegerat*. Editi, *rexerat*. Boh., *egerat* ; quare Cointius putat hunc Francionem a Childeberto et Clotario præfectum fuisse Cantabriæ, quam subegerant, ut colligit ex lib. III Hist. Greg. cap. 29.

[b] Aliquot ed., *revocatus*. Porro *a parte imperii*, id est, *ab exercitu imperatoris* ; aut certe legendum *ad partem*, etc., id est, imperio restituta.

[c] Colb. alt. manu, et Ch. al., *Bajuariorum*. Theodelinda primum Authario, Agonis seu Agilulfi decessori, nupserat. Vide Paulum Diac., lib. III cap. 31, et lib. IV cap. 5 et seqq. Dicitur ex genere Francorum, non solum quod Bajoaria esset tunc sub Francorum ditione, verum etiam quod aviam habuerit, ut multi volunt, Ragintrudem, Theodeberti I filiam. Adde quod matrem habuerit, uti videtur, Ultradam relictam Theodebaldi regis.

[d] Alii : *Haribertum*, quod perinde est.

[e] Hinc dictum faldistorium, vulgo *un fauteuil*, quam vocem e Saxonico vocabulo *fald* derivatam volunt. Vide Cangii Glossarium.

[f] Alii, *Belichildis* ; et infra, *cerneret* : *sed sæpius legatos Brunichildæ*.

[g] Ch. et Freh., *placitus*. Ch. al., *Colcuse et Soitense*, vel *Segintense*. Col., Bigu., Bar., Ill. et Boch., *placitum est in Colecensi et Solnitepzi fieri*. Boh. et Colb., *in Colerense et Soginiense*. Ili pagi contermini erant, prior in Austria, alter in Burgundia, in quorum finibus habitum est placitum. Suginiensis nomine designari videtur *le Suntgaw*, in provincia Maxima Sequanorum versus Elisatiam, quem pagum nonnulli superiori Elisatiæ attribuunt. Alter ignotus est.

[h] Quæ hic habentur usque ad hujus capitis finem, iisdem omnino verbis leguntur in Vita sancti Columbani per Jonam scripta, num. 31 et seqq., in Actis sanctorum ord. Benedictini, sæc. II, pag. 17.

[i] Sic antiquissima manu emendatum in cod. Clarom., qui alias ut editi, habebat : *Beatus Columbanus creverat jam passim fama civitatis suæ in*, etc. Colb., *fama invitate sua* ; et altera manu, *invitante*.

[j] Editi cum Colb., *Luxovium*, et sic infra. Ibi Columbanus monasterium condiderat, quod ex tunc et sanctitate et monachorum numero percelebre fuit. Superest nunc cum oppido cognomini, in Burgundiæ comitatu, vulgo *Luxeuil* dictum, congregationi sancti Vitoni ord. sancti Benedicti subjectum.

[k] Colb. et Clar., *Zezabelis* ; Ch. al., *diabolica*. Vet. ed. Boch. et cæteri, *secundum vetera et detestabilia*. Ill., *detestabilis*. Inficiatur Cointius a Theodorico rege injustas uxores ductas fuisse, nullamque hujus odii causam exstitisse arbitratur, nisi quod Columbanus a sui monasterii ingressu sæculares viros, etiam principes, ipsamque Brunichildem arcuisset, quam solam causam memorat auctor cœtaneus Vitæ sancti Agili abbatis Resbacensis. Forte hæc prima fuit jurgiorum occasio, ex qua, uti fieri solet, aliæ postea exortæ fuerunt. Hinc vero mirari subit Patrum nostrorum religionem in fugiendo sæcularium consortio. Quantam vero diligentiam in servanda hac arcendorum sæcularium a monasteriis disciplina adhibuerint, videsis apud Mabillon. in præf. sæculi I Bened. num. 53.

enim tunc apud Brucariacum [a] villam. Cumque illa eum in aulam venire cerneret, filios Theuderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit; quos cum vidisset, sciscitatur quid sibi vellent. Cui Brunichildis ait : Regis sunt filii, tu eos benedictione robora. At ille : Nequaquam, inquit, istos regalia sceptra suscepturos scias; de lupanaribus emerserunt. Illa furens parvulos abire jubet. Egrediens vir Dei regiam aulam [b], dum limitem transiliret, fragor ex terrore incussit, nec tamen miseræ feminæ furorem compescuit, paratque deinde insidias moliri. Vicinis monasterii per nuntios imperat ut nulli eorum extra monasterii terminos iter pandatur, neque receptacula monachis ejus vel quælibet [c] subsidia tribuantur. Cernens **613** beatus Columbanus regios animos adversum se permotos, ad eos properat, ut suis monitis miseram pertinaciæ incentivam frangant [d]. Erant enim tunc temporis apud Spinsiam [e] villam publicam. Quo cum jam sole occumbente venisset, regi nuntiant virum Dei inibi esse, nec regis domibus metare velle. Tunc Theudericus ait, melius esse virum Dei opportunis subsidiis honorare, quam Dominum ex servorum ejus offensa ad iracundiam provocare. Jubet ergo regio cultu opportune [*Al.* opportuna] parare, Dei famulo dirigere. Itaque venerunt, et juxta imperium regis oblata [*Al.* oblatam] offerunt. Qui cum vidisset dapes, et pocula cultu regio administrata, inquirit quid sibi ista vellent. Dicunt illi : Tibi a rege fore directa. Abominatus ea ait : Scriptum est : *Munera impiorum reprobat Altissimus* (*Prov.* xv, 8). Non enim dignum est ut famulorum Dei ora cibis ejus polluantur [f], qui non solum suis [*Al.* sua], verum etiam aliorum habitaculis [*Al.* habitacula] famulis Dei aditum denegat. His dictis, vascula omnia in frusta disrupta sunt, vinaque ac sicera solo diffusa, cæteraque separatim dispersa. Pavefacti ministri, rei gestæ casum [*Al.* causam] regi nuntiant. Ille pavore perculsus cum avia diluculo ad virum Dei properant. Precantur de commisso veniam, se in posterum emendare pollicentur. His pacatus promissionibus monasterium rediit, sed polliciti vadimonii jura non diu servata violantur [g] : exercentur miseriarum incrementa, solitoque a Rege adulteria patrantur. Quibus auditis, beatus Columbanus litteras ad eum verberibus [h] plenas direxit, comminaturque excommunicationem, si emendari dilatando non vellet. Ad hæc rursum permota Brunichildis, regis animum adversus sanctum Columbanum excitat, omnique conatu perturbare intendit; oratque proceres aulicos, optimates omnes, ut regis animum contra virum Dei perturbarent : episcoposque sollicitare aggresse, ut de [i] ejus religione detrahendo, statum regulæ, quam suis custodiendam **614** monachis indiderat, macularent. Obtemperantes igitur aulici regii persuasionibus miseræ reginæ, animum regis contra virum Dei perturbant, cogentes ut accederet ac religionem probaret abactus *i*. Itaque rex ad virum Dei Lussovium venit, conquestusque cum eo, cur a comprovincialibus moribus desciscceret, et intra septa secretiora omnibus Christianis aditus non pateret. Beatus itaque Columbanus, ut erat audax atque animo vigens, talibus objicienti regi respondit : Se consuetudinem non habere ut sæcularibus hominibus et religione alienis famulorum Dei habitationis pandat introitum. Sed opportuna aptaque loca ad hoc habere parata, quo omnium hospitum adventus suscipiatur. Ad hæc rex : Si, inquit, largitatis nostræ munera et solaminis supplementum capere cupis, omnibus in locis omnium patebit introitus. Vir Dei respondit : Si quod nunc usque sub regularis disciplinæ habenis constrictum [*Al.* constructum] fuit violare conaris, nec tuis muneribus, nec quibuscunque subsidiis me fore a te sustentaturum. Et si hanc ob causam tu hoc in loco venisti, ut servorum Dei cœnobia destruas, et regularem disciplinam macules, scito tuum regnum funditus ruiturum, et cum omni propagine regia periturum [*Al.* demersurum]. Quod postea rei probavit eventus. Jam enim temerario conatu rex refectorium ingressus fuerat. His ergo territus dictis foras celer repedat. Duris post hæc viri Dei increpationibus [k] rex urgetur. Contra quem Theudericus ait : Martyrii coronam me tibi illaturum speras : non esse me tantæ dementiæ scias, ut hoc tantum patrarem scelus, sed potioris consilii tibi scias utilia paraturum, ut qui ab omnium sæcularium moribus discisci [l], qua venerit, ea via repedare studeat. Aulici simul consona voce vota prorumpunt, se habere in his locis non velle, qui omnibus non societur. Ad hæc beatus Columbanus se dicit de cœnobii septis non egressurum, nisi violenter abstrahatur. Discessit **615** ergo rex, relinquens virum quemdam procerum, nomine Baudulfum [m]. Is ergo cum remansisset, virum Dei a monasterio petit, et penes Vesontionem oppidum ad exsulandum perducit, quoadusque ex eo regalis sententia quod voluis-

[a] In Vita sancti Columbani *Brocariaco* dicitur. Vicus est inter Cabilonum et Augustodunum positus, dictus vulgo *Bourcheresse*.

[b] Alii, *reginæ aulam*. Infra, *parat quidem inde*.

[c] Colb. et ed., *vel cuilibet*.

[d] Sic Boh.; alii, *miseræ... intentum fragat*.

[e] Alias, *Spissia*, vulgo *Espoisse*, inter Sinemurum et Montem regalem sita in Burgundiæ ducatu haud procul a Sereno fluvio, qui post emensum pagum Antissiodorensem Icaunæ jungitur.

[f] Boh., *est famulorum Dei orationibus, ut his polluantur*, Freh., *dignus est... is polleatur*. Aliquot ed. vet., *ut famuli Dei muneribus ejus polluantur*.

[g] Freh., *sed pollicitum vi dæmoni juramum non diu servatur. Violenter*.

[h] Editi vet., *objurgationibus*.

[i] Alii, *et de ejus... et statum*. Colb. altera manu, sicut et Jonas in Vita sancti Columbani, *et ut ejus religioni detrahentes statum*, etc. Clarom., infra, *macularet*.

[j] Chesn., *adactus*. Jonas, *coactus itaque rex*.

[k] Quæ sequuntur ad hæc verba, *qua venerit*, ope mss. et Jonæ restituimus, quæ in editis mendosa sunt.

[l] Alii, *recesserat*, aut *desciscat*.

[m] Colb., Boh. et plerique ed., *Audulfum*. aut *Adulfum*. Cb. al. et Freh. al., *procerem, nomine Audulfum*.

set decerneret. Post hæc vir Dei cernens, quod nullis custodiis angeretur, a nulloque molestiam ferret; videbant enim omnes in eo Dei virtutem flagrare, ideoque omnes ab ejus injuriis segregabantur, ne socii culparum forent; ascendit ergo Dominica die in verticem ardui cacuminis montis illius, ita enim situs urbis habetur, cum domorum densitas in defuso [*Al.* diffuso] latere proclivi montis sita sit, prorumpens [a] ardua in sublimibus cacuminibus, qui, undique ei abscissi fluminis Dovæ [b] alveo vallante, nullatenus commeantibus viam pandit, ibique usque ad mediam diem exspectat, si aliquis iter ad monasterium revertendi prohibeat. Et cum nullus contrarius existeret, ipse per mediam urbem cum suis ad monasterium regreditur. Quo audito, Brunichildis ac Theudericus, quod scilicet ab exsilio revertisset, atrocioribus iræ aculeis stimulantur, jubentes Berthario comiti attentius perquirendum virorum [c] cum præsidio, simulque et Baudulfum, quem superius dixeram, destinarunt. Quo cum venissent, beatum Columbanum in ecclesia positum, psallentio [d] ac orationi deditum cum omni congregatione fratrum, reperiunt; sicque virum Dei alloquuntur: Precamur ut [e] tam regiis quam etiam nostris obedias præceptis, egressusque eo itinere quo primum his adventasti in **616** locis. At ille: Non enim, inquit, reor placere Conditori ad semel natale solum ob Christi timorem relictum denuo repedare. Cumque nullatenus cernerent sibi virum Dei obaudire, relictis quibusdam, quibus ferocitas animi fortior inerat, Bertharius abscessit. Hi vero qui remanserant virum Dei hortantur ut illis misereatur, qui ad tale opus patrandum infeliciter fuerant relicti, eorumque periculo consuleret; qui si eum violenter non abstraherent mortis eos periculum incurrere. At ille se ait jam sæpius testatum esse, nisi vi abstraheretur, non discessurum. Illi gemino vallati periculo, undique urgente formidine, pallium quo indutus erat attingunt; alii genibus provoluti cum lacrymis precantur, ut pro tanti sceleris culpa illis ignosceret, qui non suis desideriis, sed regiis obtemperarent præceptis. Videns itaque vir Dei periculum fore, si suæ severitati satisfaceret, cum omni ejulatu atque mœrore egreditur, deputatis custodibus, qui quousque ditionis suæ regno pelleretur, non eum relinquerent. Inter quos primus Ragumundus [f] erat, qui eum Namnetis usque perduxit. Sicque a regno Theuderici expulsus, iterum Hiberniam insulam repedare disposuit. Sed ut [g] nulli penitus iter gradiendum fit pontificium, nisi permissu Altissimi; ipse vero sanctus Italiam expetens, monasterium in loco, nomine Bobio [h], illuc construens sanctæ conversationis, olenus dierum migrat ad Christum [i].

An. dcx. — XXXVII. Anno 15 [j] regni Theuderici, cum Alesaciones [k], ubi fuerat enutritus, præcepto patris sui Childeberti tenebat, a Theudeberto illu barbaro **617** pervaditur. Unde placitum inter hos duos reges, ut Francorum judicio finiretur, Saloissa [l] castro instituunt. Ibique Theudericus cum scaritis [m] tantum decem millibus accessit. Theudebertus vero cum magno exercitu Austrasiorum inibi prælium vellens committere aggreditur, quod cum undique Theudericus ab exercitu Theudeberti circumdaretur, coactus atque compulsus Theudericus, timore perterritus, per pactionis vinculum Alsacios ad partem Theudeberti firmavit; etiam et Suggentenses et Turenses et Campanenses [n], quos sæpius repetebat, idemque amisisse visus est. Regressus uterque ad sedes pro-

[a] Chesn. et cæteri, *prorumpunt*.

[b] Editi plerique cum Colb., *Deme*. Bob., *Deviæ*, Freh., *Deniæ*, Ch. al., *Duvii*. Est Dubis fluvius (*le Doubs*) qui Vesontionem Sequanorum metropolim alluit.

[c] Colb. et plerique ed., *virum... superius direxerat*.

[d] *Psallentio*, id est, ut hodie loquimur, psalmodiæ. Unde non recte emendarunt qui posuere *psallentem*.

[e] Editi plerique, *ut non tam regiis*.

[f] In Vita sancti Columbani, *Ragamundus*. Freh., *Raguimundus*.

[g] Colb. alt. manu sic habet: *Sed admonitus per spiritum quod semel reliquerat ne iterum repeteret, gressum retro retorquens Italiam expetit*.

[h] Situm est Bobium in valle profundissima in Alpibus Cottiis ad fluviolum cognominem, haud procul a flumine Trebia et Apennino. Crevit in urbem, episcopali sede donatam anno 1014. Superest tamen adhuc monasterium, licet exiguum, sub congreg. Casinensi. De quo plura videsis in Itinere Italico Mabilloniano, pag. 215. Oblit sanctus Columbanus an. 615, cujus festum Beda et Wandelbertus XI, alii IX kal. Decembris consignant. Eum Paulus Diac. in Gest. Langob., Aimoinus et cæteri laudant.

[i] In Colb. altera, sed antiqua manu, hæc ad marginem addita sunt, quæ videntur ex anonymo qui Gesta Francorum scripsit sub Theoderico rege desumpta ex cap. 38: *Brunichildis vero regina non cessabat quotidie Theudericum monere dicens: Quare negligis, et quare non requiris thesaurum patris tui ac regnum ejus de manu Theudeberti, cum scias eum non esse fratrem tuum. In adulterio enim de concubina patris tui procreatus est. His itaque ac talibus incitationibus utcunque perciius, cœpit alter in alterum consurgere.* Vide, supra, cap. 27.

[j] Sic mss. et Freh.; at Col., Bign., Bar. et Boch., mendose, *anno* 12. Ch. annum non exprimit.

[k] Id est Elisatiam, seu Alsatiam, provinciam notissimam, ubi apud Marilegium nutritus fuerat Theudericus, uti refert Gregorius Turonensis. Ex hoc autem loco vir cl. Obrechtus in Prodromo rerum Alsaticarum merito eorum opinionem rejicit, qui scripsere Alisatiæ nomen ante sæculum VIII nusquam apud auctores reperiri.

[l] Mirum est quam variis modis scriptum fuerit hujus loci nomen, qui situs est ad Rhenum inter Tabernas et Brocomagum, dictus vulgo *Seltz*. Vide Notitiam Valesii ad vocem *Saletio*.

[m] Mss., *utrumque*. Porro scaritorum nomine milites designari puto, sic a *scara* dictos, qua voce militum cuneus, sive bellatorum acies exprimitur. Hinc vox nostra gallica *escarmouche* profluxit. Vide Alteserram in hunc locum, et Cangii Glossarium.

[n] Jam supra diximus, ad caput 35, de comitatu Sugintensi, vulgo *Suntgaw*. Turensis vero, quem incaute Aimoinus Turonensem appellat, videtur esse *le Turgaw*, pagus Helvetiorum inter pagum Tigurinum et lacum Constantiensem. Campanensis nomine hic designari putat Cointius eam Campaniæ partem quæ est circa Sequanæ ripas, supra infraque Trecarum urbem, quam antea Guntramnus tenuerat. Verum pagus hic memoratus haud procul a Sugintensi et Turensi videtur abfuisse. Ch. al. et Freh. al. habent *Campianenses*.

rias. Illo diebus et Alamanni in pago Aventicensi [a] Ultra-Jurano hostiliter ingressi sunt, ipsumque pagum prædantes, Abbelinus et Herpinus [b] comites cum cæteris de ipso pago comitibus cum exercitu pergunt obviam Alamannis. Uterque phalangæ wangas [c] jungunt ad prælium; Alamanni Trans-Juranos superant, pluritatem eorum gladio trucidant, et prosternunt; maximam partem territorii Aventicensis incendio concremant; plurimorum nimium hominum multitudinem exinde in captivitatem duxerunt; reversique cum præda pergunt ad propria. Theudericus ob has injurias deinceps integra assiduitate consilium iniebat, quo pacto Theudebertum potuisset opprimere. Eo anno Bilichildis [d] a Theudeberto interficitur. Theudebertus puellam, nomine Theudichildem, accipit uxorem.

An. DCXI. — Anno 16 [e] Theuderici, Theudericus legationem ad Chlotharium direxit, **618** indicans se contra Theudebertum, eo quod frater suus non esset, hostiliter velle aggredere, si Chlotharius in solatio Theudeberti non esset; ducatum Dentelini [f], quem contra Theudebertum cassaverat, si Theudericus Theudebertum superaret, Chlotharius supra memoratum Dentelini ducatum in suam ditionem reciperet. Hac convenientia a Theuderico et Chlothario, legatis intercurrentibus, firmata, Theudericus movet exercitum.

An. DCXII. — XXXVIII. Anno 17 Theuderici regis, Lingonas de universis regni sui provinciis mense Madio exercitus adunatur, dirigensque per Andelaum [g], Nasio castro capto, Tullum civitatem perrexit. Ibique Theudebertus cum Austrasiorum exercitu obviam pergens, in Tullensi campania confligunt certamine. Theudericus superat Theudebertum, ejusque exercitum prosternit. Cæsa est de exercitu eodem prælio nimia multitudo virorum fortium. Theudebertus terga vertens per territorium Mettense veniens, transito Vosago, Coloniam fugaciter pervenit. Theudericus post tergum cum exercitu insequens, beatus et apostolicus vir Leonisius [h], Magancensis urbis episcopus, diligens utilitatem Theuderici, et odiens stultitiam Theudeberti, ad Theudericum veniens dixit: Quod cœpisti perficito, satis te utiliter

A oportet hujus rei causam expetere. Rustica fabula dicitur, quod cum lupus ascendisset in montem, et cum filii sui jam venare cœpissent, eos ad se in monte vocat, dicens: « Quam longe oculi vestri in unamquamque partem **619** videre prævalent, non habetis amicos, nisi paucos qui de vestro genere sunt. Perficite igitur quod cœpistis. » Theudericus cum exercitu Ardennam transiens Tolbiacum pervenit. Theudebertus cum Saxonibus, Thuringis et cæteris gentibus, quos de ultra Rhenum, vel undique potuerat adunare, contra Theudericum Tolbiacum perrexit, ibique denuo commissum est prælium. Fertur a Francis cæterisque gentibus ab antiquitus [i] sic forte nec aliquando fuisse prælium conceptum. Ibi enim tanta strages ab utroque exercitu facta est,
B ut phalanges in ingressu certaminis contra se præliantes [j], cadavera virorum occisorum undique non haberent ubi inclinata jacerent, sed stabant mortui inter cæterorum cadavera stricti quasi viventes. Sed Domino præcedente iterum Theudericus Theudebertum superat, et a Tolbiaco usque Coloniam exercitus Theudeberti gladio trucidatur. Per loca oram terræ cooperuit, ipsoque die Coloniam perrexit, omnesque thesauros Theudeberti inibi recepit. Dirigensque Theudericus ultra Rhenum post tergum Theudeberti Bertharium cubicularium, qui diligenter Theudebertum insequens, cum jam cum paucis fugeret, ipsum captum Bertharius Coloniæ conspectui Theuderici præsentat, exutum vestibus regalibus [k], Theudebertus exspoliatus, equusque ejus cum stra-
C tura regia, hoc totumque Berthario a Theuderico conceditur. Theudebertus vinctus Cabillono destinatur; filius ejus, nomine Meroveus, parvulus, jussu Theuderici apprehensus a quodam per pedem ad petram percutitur, cerebrum ejus capite eruptum amisit spiritum. Chlotharius ducatum Dentelini secundum convenientiam Theuderici integrum suæ ditioni redigit. Ob quam rem Theudericus cum jam toti Auster [l] **620** dominaretur, nimia indignatione commotus, contra Chlotharium exercitum movet.

An. DCXIII. — Anno 18 regni sui de Auster et Burgundia movere præcepit, legationem prius dirigens, ut se Chlotharius de jam dicto ducatu Dentelini omni

[a] Aventicum, urbs olim celebris et Helvetiorum caput, hodie ad vicum redacta, episcopum habuit Marium Chronici scriptorem, qui subscripsit conc. Matisc. II an. 585, nunc vero sedes ejus episcopalis Lausannam translata est. A nobis *Avenche*, ab incolis *Uwflisburg* appellatur.

[b] Aliquot editi, *Appellinus et Erpinus;* al., *Abbelenus.*

[c] Sic mss. Editi aliquot, *ordines.* Et infra, *plurimi eorum;* Colb., *plures tunc.*

[d] Alii, *Belieldis.* Erat ipsius Theodeberti uxor, ex cap. 35, supra.

[e] Clar. et aliquot Editi, *anno* 15.

[f] Alii, *Denselini*, et infra.

[g] Hic locus, ut jam alias monuimus, priscum nomen retinet, vulgo *Andelot* in Lingonum diœcesi versus Nasium castrum Leucorum, quod nunc in ducatu Barrensi situm ad Ornam fluvium. *Nax* vulgo appellatur. Nasium olim celebre fuit, uti patet ex vetustis auctoribus et ex nummis antiquis, qui ibi frequenter inveniuntur. Certe cum in ea regione versaremur an. 1696, detecta est camera, cujus muri musivo incrustati erant, ex quibus lapilli quadrati inde eruti ad nos delati fuerunt. Hunc autem locum male nonnulli Naneeium Lotharingiæ caput esse scripserunt.

[h] In Clar. et Ch. al., *Lesio.* Fuit Moguntinus episcopus, quem alio nomine Lindegasium, seu Ludegastum appellatum fuisse Cointius dicit. Sanctus Lindegasius dicitur a Bruschio in catalogo episc. Moguntinorum.

[i] Alii, *ab antiquo tam nunquam fuisse prælium factum.*

[j] Cod. Clar., *ubi phalanges... præliantur, ut cadavera.*

[k] Chesn., *præsentat exhibitum veste regali*, etc. Colb. utramque lectionem habet, et infra aliquot, *cum ferratura.*

[l] Sic Clar. semper Austriam designat, Editi variant

modo removeret; alioquin noverit se exercitu Theuderici undique regnum Chlotharii impleturum. Quod verbum, quemadmodum legati nuntiarant, probavit eventus.

XXXIX. Ipso quoque anno jam exercitus contra Chlotharium aggrediebat, cum Theudericus Mettis profluvio ventris moritur. Exercitus protinus rediit ad proprias sedes. Brunichildis cum filiis Theuderici quatuor, Sigiberto [a], Childeberto, Corbo, et Meroveo Mettis residens, Sigibertum in regno patris instituere nititur.

XL. Chlotharius, factione Arnulfi et Pippini [b], vel cæterorum procerum Auster ingreditur. Cumque Antonnacum [c] accessisset, et Brunichildis cum filiis Theuderici Warmaciæ [d] resideret, legatos, his nominibus, Chadoindum et Herponem [e], ad Chlotharium direxit, contestans ei ut se de regno Theuderici, quod filiis reliquerat, removeret. Chlotharius respondebat, et per suos legatos Brunichildi mandabat, judicio Francorum electorum [f], quidquid præcedente Domino a Francis inter eosdem judicabitur, pollicetur sese implere. Brunichildis Sigibertum seniorem filium Theuderici in Thoringiam direxit, cum quo [g] Warnacharium majorem domus et Alboenum cum cæteris proceribus destinavit, ut gentes quæ ultra Rhenum sunt attraherent, qualiter Chlothario potuissent resistere. Post tergum indiculum direxit, ut Alboenus cum cæteris Warnacharium interficeret, eo quod se in regnum Chlotharii vellet transferre. **621** Quem indiculum relectum Alboenus disruptum projecit in terram. Inventus est a puero Warnacharii : super tabula cera linita denuo ipse solidatur [h]. Quo indiculo relecto, Warnacharius cernens se vitæ periculum habere, deinceps cogitare cœpit quo pacto filii Theuderici opprimerentur, et in regnum Chlotharius eligeretur. Gentes quæ illic attractæ fuerant consilio secreto de solatio Brunichildis et filiorum Theuderici procul fecit abesse : exinde regressi cum Brunichilde et filiis Theuderici, Burgundias appetunt, missis [i] per universum Auster discurrentibus, exercitum movere nitebantur.

XLI. Burgundiæ farones [j] vero, tam episcopi quam cæteri leudes, timentes Brunichildem, et odium in eam habentes, cum Warnachario consilium inientes tractabant, ut neque unus ex filiis Theuderici evaderet, sed, eis omnibus oppressis, et Brunichildem delerent, et regnum Chlotharii [*Al.* Chlothario] expeterent, quod probavit eventus. Cumque jussu Brunichildæ et Sigiberti filii Theuderici exercitus de Burgundia et Auster contra Chlotharium aggredetur.

XLII. Veniensque Sigibertus in Campaniam territorii Catalaunensis [k] super fluvium Axonam [l], ibique Chlotharius obviam cum exercitu venit, multos jam de Austrasiis secum habens factione Warnacharii majoris domus, sicut jam olim tractaverat, **622** consentientibus Aletheo patricio, Rocrone, Signaldo et Eudelane ducibus. Cumque in congressu certaminis debuissent cum exercitu confligere, priusquam prœliari cœpissent, signa dantes, exercitus Sigiberti terga vertens redit ad proprias sedes. Chlotharius paulatim, ut convenerat, post tergum cum exercitu sequens, usque Ararim Saogonnam [m] fluvium pervenit. Captis filiis Theuderici tribus, Sigiberto, Corbo et Meroveo, quem ipse de fonte excepit, Childebertus fugaciter ascendens [n], nec unquam postea fuit reversus. Austrasiorum exercitus illæsus revertitur ad proprias sedes. Factione Warnacharii majoris domus, cum reliquis maxime totis proceribus de regno Burgundiæ, Brunichildis ab Herpone comestabulo de

[a] Sic Clar. Ed. cum Bob. et Colb., *Sigoberto*, et sic semper.

[b] Arnulfus episc. Mettensis, de quo et Pippino infra.

[c] Colb. et Bofier. cum Ed. plerisque, *Captonacum*. At hic Antonnacum designatur, vulgo *Andrenach*, oppidulum inter Bonnam et Confluentes sub ditione archiepiscopi Coloniensis. Captonacum vero palatium fuit haud procul Lutetia dissitum, cujus situs incertus est, nisi sit vicus *Chatou*, prope Sanctum Germanum in Laia. Vide lib. IV de Re Diplomatica num. 29.

[d] Urbs notissima, vulgo *Worms*.

[e] Ed. aliquot et Colb., *Erbone;* Bob., *Caduino*.

[f] Alii, *electo*. Res majoris momenti *judicio Francorum*, id est ordinum seu statuum regni finiebantur. Eo capitali sententia damnatus fuit Bernardus Italiæ rex, qui adversus Ludovicum Pium patruum suum conjuraverat, quam pœnam temperavit Ludovicus, oculorum orbitate contentus. Huic successit duodecim Parium Franciæ, tum parlamentorum, institutio.

[g] Ch., Freh. et cæteri, *direxit*, *apud quem Warnacharium*, al., *Warnharium*, *Alboinum*.

[h] Al., *linitus denuo solidatur*. Hinc Chifflelius in Anastasi Childerici infert reges nostros pugillaribus ceratis usos fuisse, quibus mandata sua (indiculi hic dicuntur) committebant.

[i] Colb., *Brunichildis missis.. nitebatur*.

[j] Colb. et aliquot Editi, *barones*, quæ vox postea maxime in usu fuit ad designandos regni optimates. Farones autem dicti sunt quod e nobili *fara* editi sint. Faræ enim generationes sunt, seu lineæ, ut habet lex Langob. lib. III tit. 14, et monet Paulus Diaconus lib. II Hist. Langobard. cap. 9. Unico verbo legendum esset Burgundæfarones, ut infra cap. 44, et hic Bofier., *burgundefarones*. Etenim sanctus Faro, episcopus Meldensis, Burgundofarus appellabatur, ejusque soror Burgundofara, ut ex eorum Vitis patet in sæculo II Benedictino.

[k] Ch., *Campaniæ territorium Catalaunense;* alii, *Campaniam Catalaunensem*.

[l] Editi aliquot cum Bob. et Colb., *Coxoniam*. Item aliquot Ed., mendose, *fluvium Coxoma*. Sed hic designatur Axona (*l'Aisne*), Campaniæ fluvius, qui Suessionibus irrigatis Isaræ permiscetur prope Compendium.

[m] Clar., *Sauconnam*. Colb., *Sagonnam*, quæ omnia eumdem fluvium (*la Saône*) designant. Unde Freh. et Chesn. habent *id est Saogonnam*.

[n] Colb., secunda manu, *fugam iniens ascenso equo nunquam postea visus est*. Huc porro revocandum est id quod narrat Florentius presbyter Tricastinus in Vita sanctæ Rusticulæ abbatissæ Arelatensis, apud Chesnium, tomo I, pag. 535, ubi accusata fuisse dicitur apud Clotharium, *quod illa occulte regem nutriret*. Non enim alius est iste rex quam Childebertus hic memoratus. Unde hac accusatione recepta, Chlotarius, ira commotus, diligentissime rei veritatem indagari mandavit; veritus quippe ne ille in patris sui regnum reditum meditaretur.

pago Ultra-Jurano ex villa Urba[a] nna cum Theudelane germana Theuderici producitur, et Chlothario Bionava vico[b] super Vincenna fluvio præsentatur. Sigibertus et Corbus filii Theuderici jussu Chlotharii interfecti sunt. Meroveus secretius jussu Chlotharii in Neptrico[c] perducitur, eumdem amplectens amore, quod ipsum de sancto excepisset lavacro. Ingobodo Graffioni[d] commendatur, ubi plures post annos vixit. Chlotharius, cum Brunichildis suo conspectui præsentaretur, et odium contra ipsam nimium haberet, reputans ei eo quod decem reges Francorum per ipsam interfecti fuissent, id est, Sigibertus, et Meroveus, **623** et genitor suus Chilpericus, Theudebertus et filius suus Chlotharius, item Meroveus filius Chlotharii, Theudericus, ejusdemque filii tres, qui ad præsens exstincti fuerant, per triduum eam, diversis tormentis affectam, jubet prius camelo per omnem exercitum sedentem perducere, post hæc coma capitis, uno pede et brachio ad vitiocissimi[e] equi caudam ligare; ibique calcibus et velocitate cursus membratim disrumpitur[f]. Warnacharius in regno Burgundiæ substituitur major domus, sacramento a Chlothario accepto, ne

A ster regnum arripuisset, Herponem [*Al.* Herpinum] ducem, genere Francum, loco Eudelani[j] in pago Ultra-Jurano instituit : qui dum pacem in ipso pago vehementer arripuisset sectari, malorum nugacitatem reprimens, ab ipsis pagensibus, instigante parte adversa, consilio **624** Alethei patricii et Leudemundi episcopi et Herponis comitis, per rebellionis audaciam Herpo dux interficitur. Chlotharius cum in Alsatia villam, Marolegiam[k] cognomento, cum Bertethrude [*Al.* Bertrude] regina accessisset, pacem sectatus, multos inique agentes gladio trucidavit.

XLIV. Leudemundus quidem episcopus Sedunensis[l] ad Bertethrudem reginam veniens secretius, consilio Alethei verba ignominiosa dixit, quod Chlotharius eodem anno omnimodis migraret de sæculo, B ut thesauros, quantum poterat, secretissime ad Sedunis suam civitatem transferret, eo quod esset locus tutissimus, et Aletheus esset paratus[m] suam relinquens uxorem, Bertethrudem reginam accipere eo quod esset regio genere de Burgundionibus, ipse post Chlotharium[n] posset regnum assumere. Regina Bertethrudis cum hæc audisset, verita ne veritas subsisteret, in lacrymas prorumpens abiit in cubiculum. Leudemundus cernens se hujuscemodi verbis habere periculum, fugaciter per noctem Sedunis perrexit. Exinde latenter fuga Lussovium ad domnum Austasium abbatem[o] pervenit. Post hæc ab ipso abbate cum domno Chlothario his culpis excusatur, et ad suam reversus est civitatem. Chlotharius Massolaco[p] villa cum proceribus residens, Aletheum ad se venire C præcepit : hujus consilio iniquissimo comperto, gladio trucidare jussit.

AN. DCXVI. — Anno 33 q regni Chlotharii Warnacharium majorem domus cum universis pontificibus, sed et Burgundiæfarones[r] Bonogelo villa ad se venire præcepit, ibique cunctis illorum **625** justis petitionibus annuens, præceptionibus roborat.

TRINITY COLLEGE,
CAMBRIDGE.

Will you come to my rooms at 20 to 8 on Thursday?

A. 4

[a] Boh., *per sexdecim annos*. Freh., *post quindecim annos*.

[b] id est, vituperatur, gallice *blâmé*, ut jam observavimus.

[j] Chesn. et Freh., *Theudelanis* Ch. al., *Eudelanis*.

[k] Sic Clarom., optime. Colb. et Chesn., *Mavrolegiam;* Ch. al., *Maurolegico*. Editi plerique, *villam Aurolegiam*. De hac supra diximus.

[l] Sic Clarom., at Colb. et Boh. cum Editis plerisque, *Sidonensis*. Et sic inferius. Sedunum, vulgo *Sion*, in Valesia, de qua urbe jam diximus.

[m] Freh. et Ch., *patricius qui. .acciperet*. Ed. nonnulli, et sic semper, *Bertrudem*, al., *Berctrudem* appellant.

[n] Colb. et alii Editi, *sub Chlotario*. Freh. *ipsa sub Chlotario*.

[o] Editi plerique, *ad domum Austasii abbatis*. Sic et ... cum Freh. et Ch. al. habet *Austrasii*. Is est ...tasius beati Columbani successor, cujus ... habetur sæculo II Bened. inter Acta Sanc... annum 625.

[p] *Masolacum*. Hujus villæ situs ignotus est. ...le Re Diplomat.

... Cæteri omnes cum Aimoino, *anno* 24, ...

[r] ... Colb. cum Edit., *pontificibus Bur...* ...us. Boh., *Burgundiæ faronis*. Cano... ...ms. Rhenensis Ecclesiæ refert Pe...

[e] Al., *ferocissimi*, et infra, *comam*.

[f] Brunichildem falso a Jona et Fredegarii ... rum criminum accusatam fuisse pluribus ... Cointius, quem, si lubet, consule, potissimum ... num 613, ubi ejus apologiam scribit, ac laud... dem ex variis monumentis congerit. Ejus sup... describitur quoque in Marii appendice; locu... grum habes in appendice hujus voluminis.

[g] Clotarius I, filius Chlodovei, defunctis fra... nepotibus suis, monarchiam obtinuerat.

12

pago Ultra-Jurano ex villa Urba[a] una cum Theudelane germana Theuderici producitur, et Chlothario Rionava vico[b] super Vincenna fluvio præsentatur. Sigibertus et Corbus filii Theuderici jussu Chlotharii interfecti sunt. Meroveus secretius jussu Chlotharii in Neptrico[c] perducitur, eumdem amplectens amore, quod ipsum de sancto excepisset lavacro. Ingobodo Graffioni[d] commendatur, ubi plures post annos vixit. Chlotharius, cum Brunichildis suo conspectui præsentaretur, et odium contra ipsam nimium haberet, reputans ei eo quod decem reges Francorum per ipsam interfecti fuissent, id est, Sigibertus, et Meroveus, **623** et genitor suus Chilpericus, Theudebertus et filius suus Chlotharius, item Meroveus filius Chlotharii, Theudericus, ejusdemque filii tres, qui ad præsens exstincti fuerant, per triduum eam, diversis tormentis affectam, jubet prius camelo per omnem exercitum sedentem perducere, post hæc coma capitis, uno pede et brachio ad vitiocissimi[e] equi caudam ligare; ibique calcibus et velocitate cursus membratim disrumpitur[f]. Warnacharius in regno Burgundiæ substituitur major domus, sacramento a Chlotharlo accepto, ne unquam vitæ suæ temporibus degradaretur. In Auster Rado idemque hunc gradum honoris assumpsit. Firmatum est omne regnum Francorum, sicut a priore Chlothario[g] dominatum fuerat, cum cunctis thesauris ditioni Chlotharii junioris subjicitur, quod feliciter post sexdecim annis[h] tenuit, pacem habens cum omnibus gentibus vicinis. Iste Chlotharius patientiæ deditus, litteris eruditus, timens Deum, ecclesiarum et sacerdotum magnus munerator, pauperibus eleemosynam tribuens, benignum se omnibus et pietate plenum ostendens. Venatione ferarum nimia assiduitate utens, et postremum mulierum et puellarum suggestionibus nimium annuens, ob hoc quidem blasphematur[i] a leudibus.

XLIII. Cum anno 30 regni sui Burgundiæ et Auster regnum arripuisset, Herponem [*Al.* Herpinum] ducem, genere Francum, loco Eudelani[j] in pago Ultra-Jurano instituit : qui dum pacem in ipso pago vehementer arripuisset sectari, malorum nugacitatem reprimens, ab ipsis pagensibus, instigante parte adversa, consilio **624** Alethei patricii et Leudemundi episcopi et Herponis comitis, per rebellionis audaciam Herpo dux interficitur. Chlotharius cum in Alsatia villam, Marolegiam[k] cognomento, cum Bertethrude [*Al.* Bertrude] regina accessisset, pacem sectatus, multos inique agentes gladio trucidavit.

XLIV. Leudemundus quidem episcopus Sedunensis[l] ad Bertethrudem reginam veniens secretius, consilio Alethei verba ignominiosa dixit, quod Chlotharius eodem anno omnimodis migraret de sæculo, ut thesauros, quantum poterat, secretissime ad Sedunis suam civitatem transferret, eo quod esset locus tutissimus, et Aletheus esset paratus[m] suam relinquens uxorem, Bertethrudem reginam accipere eo quod esset regio genere de Burgundionibus, ipse post Chlotharium[n] posset regnum assumere. Regina Bertethrudis cum hæc audisset, verita ne veritas subsisteret, in lacrymas prorumpens abiit in cubiculum. Leudemundus cernens se hujuscemodi verbis habere periculum, fugaciter per noctem Sedunis perrexit. Exinde latenter fuga Lussovium ad domnum Austasium abbatem[o] pervenit. Post hæc ab ipso abbate cum domno Chlothario his culpis excusatur, et ad suam reversus est civitatem. Chlotharius Massolaco[p] villa cum proceribus residens, Aletheum ad se venire præcepit : hujus consilio iniquissimo comperto, gladio trucidare jussit.

An. dcxvi. — Anno 33[q] regni Chlotharii Warnacharium majorem domus cum universis pontificibus, sed et Burgundiæfarones[r] Bonogelo villa ad se venire præcepit, ibique cunctis illorum **625** justis petitionibus annuens, præceptionibus roborat.

[a] Plerique Editi, *Urbana cum*. Clar. et Ch. al., *Orba*. Utrumque nomen *Urba* et *Orba*, apud auctores occurrit, vulgo dicitur *Orbe*, seu *Orbach*, castrum cognomini fluvio impositum in Burgundiæ libero comitatu.

[b] Colb. cum plerisque Editis, *in Novo vico*. Rionavam Cointius interpretatur *Rionne*. Vincenna (*la Vicenne*, seu *Vigenne*) in Ararim influit prope Pontem Arleium.

[c] Sic semper C'ar. At Boh., Ch. et Freh., *Neptriam*, al. *Neptrico*, Col., Bign., Bar., Boch. et Ill., *Neustriam*, quibus omnibus eadem Neustria designatur.

[d] Graffiones iidem erant ac comites seu judices pagorum, ut ex variis auctoribus antiquis patet, quos videsis in Cangii Glossario. Eos autem sic dictos putat Chiffletius in Anastasi Childerici, quod graphiarium regis custodirent. Graviones passim scribuntur, et hodieque Lantgravii apud Germanos nobilissimi habentur.

[e] Al., *ferocissimi*, et infra, *comam*.

[f] Brunichildem falso a Jona et Fredegario multorum criminum accusatam fuisse pluribus contendit Cointius, quem, si lubet, consule, potissimum ad annum 613, ubi ejus apologiam scribit, ac laudes ejusdem ex variis monumentis congerit. Ejus supplicium describitur quoque in Marii appendice; locum integrum habes in appendice hujus voluminis.

[g] Clotarius I, filius Chlodovei, defunctis fratribus et nepotibus suis, monarchiam obtinuerat.

[h] Boh., *per sexdecim annos*. Freh., *post quindecim annos*.

[i] id est, vituperatur, gallice *blâmé*, ut jam observavimus.

[j] Chesn. et Freh., *Theudelanis* Ch. al., *Eudelanis*.

[k] Sic Clarom., optime. Colb. et Cnesn., *Mavrolegiam;* Ch. al., *Maurolegico*. Editi plerique, *villam Aurolegiam*. De hac supra diximus.

[l] Sic Clarom., at Colb. et Boh. cum Editis plerisque, *Sidonensis*. Et sic inferius. Sedunum, vulgo *Sion*, in Valesia, de qua urbe jam diximus.

[m] Freh. et Ch., *patricius qui, .acciperet*. Ed. nonnulli, et sic semper, *Bertrudem*, al., *Berctrudem* appellant.

[n] Colb. et alii Editi, *sub Chlotario*. Freh. *ipsa sub Chlotario*.

[o] Editi plerique, *ad domum Austasii abbatis*. Sic et Colb., qui cum Freh. et Ch. al. habet *Austrasii*. Is est sanctus Eustasius beati Columbani successor, cujus vita ex Jona habetur sæculo II Bened. inter Acta Sanctorum, ad annum 625.

[p] Clar., *Masolacum*. Hujus villæ situs ignotus est. Vide lib. IV de Re Diplomat.

[q] Sic Clar. Cæteri omnes cum Aimoino, *anno* 24, id est, 617.

[r] Sic Clar.; at Colb. cum Edit., *pontificibus Burgundiæ et faronibus*. Boh., *Burgundiæ faronis*. Canones decem ex cod. ms. Rhemensis Ecclesiæ referri Pe-

XLV. Langobardorum gens quemadmodum tributa duodecim millia solidorum ditioni Francorum annis singulis dissolvebant, referam; vel quo ordine duas civitates, Augustam et Siusium [a] cum territoriis a parte Francorum cassaverant, non abscondam. Defuncto Clep ipsorum [b] principe, duodecim duces [c] Langobardorum duodecim annis sine regibus transigerunt. Ipsoque tempore, sicut supra scriptum legitur, per loca in regnum Francorum proruperunt; pro ea præsumptione in compositione Augustam et Siusium civitates cum integro illorum territorio et populo, partibus Guntchramni tradiderunt. Post hæc legationem ad Mauricium imperatorem dirigunt; il duodecim duces singulos legatarios destinant, pacem et patrocinium imperii petentes. Iidemque et alios legatarios duodecim ad Guntchramnum et Childebertum destinant, ut patrocinium et defensionem Francorum habentes, duodecim millia solidorum annis singulis his duobus regibus in tributa implerent, vallem cognomento Ametegis partibus Guntchramni cassantes, ut his legatis, ubi plus congruebat, patrocinium sibi firmarent. Post hæc integra devotione patrocinium eligunt Francorum. Nec mora, post permissu Guntchramni et Childeberti Autharium [d] ducem super se Langobardi sublimant in regno. Alius Autharius idemque dux, cum integro suo ducatu se ditioni tradidit imperii, ibique permansit, et Autharius **626** rex tributa quæ Langobardi ad partem Francorum spoponderant, annis singulis reddidit. Post ejus discessum filius ejus Ago [e], in regnum sublimatus, similiter implesse dignoscitur.

An. DCXVII. — Anno 34 [f] regni Chlotharii, legati tres nobiles ex gente Langobardorum Agiulfus, Pompegius, et Gauto, ab Agone [g] rege ad Chlotharium regem destinantur, petentes ut illa duodecim millia solidorum, quæ annis singulis Francorum ærariis dissolvebant, debuissent cassari, exhibentes ingeniose secretius tria millia solidos, ex quibus Warnacharius mille, Gundelandus mille, et Chucus [h] mille acceperunt: Chlothario vero triginta sex [i] millia solidorum insimul exhibebant. Quare consilio suprascriptorum, qui occulte xeniati fuerant, Chlotharius ipsa tributa a parte Langobardorum cassavit; et amicitiam perpetuam cum Langobardis sacramentis et pactis firmavit.

An. DCXVIII. — XLVI. Anno 35 [j] regni Chlotharii Bertethrudis regina moritur, quam unico amore dilexerat Chlotharius, et omnes laudes bonitatem ejus cernentes vehementer amaverant.

An. DCXXII. — XLVII. Anno 39 [k] regni Chlotharii, Dagobertum filium suum consortem regni facit, eumque super Austrasios regem instituit, retinens sibi quod Ardenna et Vosagus [l] versus Neuster et Burgundiam excludebant.

An. DCXXIII. — XLVIII. Anno 40 regni Chlotharii, homo quidam, nomine Samo, natione Francus, de pago Sennonago [m] plures secum negotiantes ascivit, ad **627** exercendum negotium in Sclavos [n], cognomento Winidos, perrexit. Sclavi jam contra Avares, cognomento Chunos [o], et regem eorum Gaganum cœperant rebellare. Winidi Befulci [p] Chunis fuerant jam ab antiquitus, ut cum Chuni in exercitu contra gentem quamlibet aggrediebant, Chuni pro castris adunato illorum exercitu stabant, Winidi vero pugnabant; si vero ad vincendum prævalebant, tunc Chuni prædas capiendum aggrediebant; sin autem Winidi superabantur, Chunorum auxilio fulti vires

trus Delalande in Supplemento antiquorum Conciliorum Galliæ, pag. 62, ad an. 618, quos in hac synodo conditos existimat. Complures sub nomine Bonegesilli villæ faciunt situm istius incertum, quæ regia fuit; vulgo dicuntur *Boneil*. Hic Cointius designari vult eam quæ in Briegio prope Matronam sita est haud procul a Calensi monasterio; alii alteram in agro Parisiensi positam. Vide lib. IV de Re Diplomat.

[a] Ea est Augusta Prætoria Salassorum, vulgo *Aoust*; Susium vero, seu Segusium, *Suze*; quæ antea ex Italia Transpadana, tum in Liguria censebantur, post hanc cessionem ad Burgundiam pertinuere. Vide Valesii notitiam. Ed., infra, *ad partem*.

[b] Freh., *Clepioso summo*. Ch., *Clepeo summo*. Al. Ed., *Clepioso principe*.

[c] Paulus Diac. triginta quinque duces fuisse scribit lib. II cap. 32.

[d] Colb. et aliquot Ed., *Chlotharium*. Alii, *cum Chlothario*. Vide lib. III Hist. Lang. Paul. Diac.

[e] Ago seu Agilulfus Autharii filius non fuit. Unde hæc ad Adoloaldum Agonis filium revocanda esse conjicit Valesius. Sed Fredegarius putavit Agonem Autharii fuisse filium, quod ei in regno successisset.

[f] Sic Clarom. Cæteri, *anno* 35, qui est 618.

[g] Alii, *Agilulfus*, *Pompeius*, *Guto*. Ago autem, secundum Cointii calculum, tunc defunctus erat. Si tamen, ut aliis placet, an. 592 thronum subiit ad annos 25, ut scribit Paulus Diac., ad hunc annum 617 pervenit, indeque firmabitur cod. Clarom. lectio.

[h] Alii, *Hunus*, seu cum Colb., *Chunus*. Porro Warnacharius erat major domus in Burgundia, Gundelandus in Neustria et forte Chucus in Austria Radoni supra memorato successerat.

[i] Freh. et Chesn., *triginta quinque*.

[j] Sic Clar., at Colb. habet 38. Boh., Ches. et Freh. cum Anonymo et Aimoino, 36; alii Ed., 30. Beretrudem nonnulli volunt in ecclesia sancti Petri, nunc sancti Audoeni, Rothomagi, sepultam fuisse, ubi jacet Aldetrudis altera ejusdem regis uxor. Sed Beretrudem apud sanctum Germanum a Pratis sepultam fuisse non solum probat aliorum scriptorum auctoritas, sed evincit ejus sepulcrum, quod aliquot abhinc annis erutum, cum cæteris regum tumulis in ejusdem ecclesiæ presbyterio collocatum est, cum lapide qui ejus effigiem recenter sculptam repræsentat.

[k] Ita Clar., Colb. et Alex. cum Aimoino, anonymo, Valesio et cæteris. Editi tamen, *anno* 38.

[l] Silvæ notissimæ, *les bois d'Ardennes et de Vosges*.

[m] Ed. plerique in margine habent *Sennonico*, quod forte Senones (*Sens*) celebrem in Gallia populum hic designari putarent. At alii malunt hunc locum interpretari de pago Senonago (*Sengaw*), in Hannonia, ubi Sonegia, nostris *Soignies*, habetur.

[n] Eorum provinciæ, hodieque Marchia Winidorum, Sclavonia, et Carinthia dicuntur. De Winidis et ejusmodi gentibus barbaris, eorumque originibus legenda Hugonis Grotii prolegomena in Historiam Gothorum, etc.

[o] Alii, *Hunnos*, et sic semper.

[p] Freh. al., *Bifulci*, sic dicti sunt, quod bis pugnarent; et infra sicut Ches. al., *Præfulci*.

resumebant. Ideo Befulci vocabantur a Chunis, eo quod duplici in congressione certaminis vestita prælia facientes ante Chunos præcederent [a]. Chuni ad hiemandum annis singulis in Sclavos veniebant; uxores Sclavorum et filias eorum stratu sumebant; tributa super alias oppressiones Sclavi Chunis solvebant. Filii Chunorum, quos in uxores Winidorum et filias generaverant [b], tandem non sufferentes hanc malitiam ferre et oppressionem, Chunorum dominationem negantes, ut supra memini, cœperant rebellare. Cum in exercitu Winidi contra Chunos fuissent aggressi, Samo negotians, de quo memoravi superius, cum ipsis in exercitu perrexit, ibique tanta ejus fuit utilitas, ut mirum fuisset, et nimia multitudo de Chunis gladio Winidorum trucidata fuisset. Winidi cernentes utilitatem Samonis, eum super se eligunt regem, ubi triginta quinque annos regnavit feliciter. Plura prælia contra Chunos suo regimine Winidi gesserunt, suo consilio et utilitate Winidi semper superarunt. Samo duodecim uxores ex genere Winidorum habebat, de quibus viginti duos filios et quindecim filias habuit.

XLIX. Ipsoque anno 40 Chlotharii, Adaloaldus rex Langobardorum filius Agonis regis, cum patri suo successisset **628** in regno, legatum Mauricii imperatoris, nomine Eusebium, ingeniose ad se venientem benigne suscepit. Inunctus in balneo nescio quibus unguentis ab ipso Eusebio persuadebatur; et post hanc unctionem nequidquam aliud, nisi quod ab Eusebio hortabatur, facere poterat. Persuasus ab ipso ut primates et nobiliores cunctos in regno Langobardorum interficere ordinaret, eisdem exstinctis, se cum omni gente Langobardorum imperio Mauricii traderet. Quod cum jam duodecim ex eis, nullis culpis exstantibus, gladio trucidasset, reliqui cernentes eorum esse vitæ periculum, L. Charoaldum ducem Taurinensem, qui germanam Adaloaldi regis habebat uxorem, nomine Gundebergam, omnes seniores et nobilissimi Langobardorum gentis uno conspirantes consilio, in regnum eligunt sublimandum. Adaloaldus, veneno hausto [c], interiit. Charoaldus statim regnum arripuit. Taso unus ex ducibus Langobardorum cum ageret Tuscanam [d] provinciam, superbia elatus, adversus Charoaldum regem cœperat rebellare.

LI. Gundeberga regina cum esset pulchra aspectu, benigna in cunctis, et pietate plenissima, Christiana, eleemosynis larga, præcellente bonitate ejus, diligebatur a cunctis. Homo quidam, nomine Adalulfus, ex genere Langobardorum, cum in aula palatii assidue ad obsequium regis conversaretur, quadam vice ad reginam veniens, cum in ejus staret conspectu, Gundeberga regina eum sicut et cæteros diligens, dixit honestæ staturæ Adalulfum fuisse formatum. Ille hæc audiens ad Gundebergam secretius ait, dicens: Formam status mei [e] laudare dignata es, stratui tuo jube me subjungere. Illa fortiter denegans, eumque despiciens in faciem exspuit. Adalulfus cernens **629** se vitæ periculum habere, ad Charoaldum regem protinus cucurrit, petens ut secretius quod ad suggerendum habebat, exponeret. Loco accepto, dixit ad regem: Domina mea regina tua Gundeberga apud Tasonem ducem secretius tribus diebus locuta est, ut te veneno interficeret, ipsumque sibi conjugatum sublimaret in regnum. Charoaldus rex his mendaciis auditis credens, Gundebergam in Caumello [f] castro in unam turrem exsilio trudit. Chlotharius legatos dirigens ad Charoaldum regem, inquirens qua de re Gundebergam reginam parentem Francorum [g] humiliasset, ut exsilio retrudisset. Charoaldus his verbis mendacibus quasi veritate subsisterent, respondit. Tunc unus ex legatariis, nomine Ansoaldus, non quasi injunctum habuisset, sed ex se ad Charoaldum dixit: Liberare poteras de blasphemia [*Id est*, blâme] hanc causam; jube illum hominem qui hujuscemodi verba tibi nuntiavit armari, et procedat alius de parte reginæ Gundebergæ; quique armatus ad singulare certamen, ut judicio Dei [h], his duobus confligentibus, cognoscatur utrum hujus culpæ reputationis Gundeberga sit innoxia, an fortasse culpabilis. Cumque hæc Charoaldo regi et omnibus primatibus palatii sui placuissent, jubet Adalulfum armatum conflictum adire certaminis, et de parte Gundebergæ procurrentibus consobrinis Gundebergæ et Ariberto [i], homo, nomine Pitto, contra Adalulfum armatus aggreditur.

[a] Editi ut plurimum, *certamine utebantur. Chuni*, etc.

[b] Alii, *in uxoribus..... et filiabus generabant.*

[c] Sic Ch. et Freh.; alii Ed., *veneno infectus.* Clar. et Freh. al., *auctus.* Item et Freh. al., *unctus.* Et infra Taso apud Ches. al. dicitur *Taro* et *Aso*, et sic infra.

[d] Sic Clar. Freh. al. et Ches. al., id est, *Tusciam.* Alii in *Tussicana.* Al., *teneret.* De Tasonis nece, infra, num. 69. Charoaldus a Paulo Diac. lib. IV appellatur Rodoaldus, et sic Ch. al.; sed veteres præmittebant litteram H, et Chrodoaldum pronuntiabant. Si tamen recta temporum series observetur, hic Arioaldus fuit, cui Rotharis, quem infra noster auctor Chrotarium appellat, successit, et huic Rodoaldus. Sed quæ hic de Charoaldo dicuntur, tribuuntur infra, cap. 70 et 71, Chrotario. Et quidem Fredegarius Langobardorum historiam omnino perturbat. De ea legendi Pauli Diaconi sex libri.

[e] Alii, *staturæ meæ.*

[f] Alii, *Camello.* Est Laumellum, hodie vicus exiguus in Insubria, *Lumello* dictus.

[g] Erat Agilulfi regis et Theodelindæ filia, ex Paulo Diac. lib. IV cap. 49. Theodelinda vero filia erat Garibaldi Bajoariorum ducis et Waldradæ, Theobaldi Francorum regis relictæ. Vide supra, cap. 34.

[h] Judicium Dei appellabant singularia certamina, examina per ignem aut aquam, etc., quibus ad detegendam veritatem occultam tunc utebantur, quod persuasum haberent ejusmodi probationibus Deum rei veritatem etiam miraculo, si opus esset, certo manifestaturum. De ejus generibus variisque ritibus quibus fieri solebat, quando etiam permissum aut vetitum fuerit, fuse disserit Cangius in Glossario, quem consule.

[i] Colb., Ch. et Freh., *Hariberto*, unde editi, *Chariberto.* Paulus loco laudato scribit injuriam hanc a Carello ipsius reginæ servo fuisse vindicatam

Eumque conflixissent certamine, Adalulfus a Pittone interficitur. **630** Gundeberga statim de exsilio post annos tres regressa sublimatur in regnum.

An. DCXXIV. — LII. Anno 41 [a] Chlotharii regis, cum Dagobertus jam utiliter regnaret in Auster, quidam ex proceribus de gente nobili Ayglolfinga [b], nomine Chrodoaldus, in offensam Dagoberti cadens, instigantibus beatissimo viro atque pontifice Arnulfo, et Pippino majore domus [c], seu et cæteris prioribus [*Al.*, primoribus] sublimatis in Auster, eo quod esset ipse Chrodoaldus rebus plurimis ditatus, cæterorum facultatum cupiditate pervasor, superbiæ deditus, elatione plenus, nec quidquam boni in ipso reperiebatur. Cumque Dagobertus ipsum jam vellet pro suis facinoribus interficere, Chrodoaldus ad Chlotharium terga vertit, ut suam cum filio vitam obtinere dignaretur. Chlotharius cum Dagobertum vidisset, inter cæteras collocutiones Chrodoaldo vitam precatur. Dagobertus promittens, si id quod male gesserat emendaret, Chrodoaldus vitæ periculum non haberet; sed nulla exstante mora, cum Chrodoaldus cum Dagoberto Treveris [*Al.*, reversus] accessisset, jussu Dagoberti interfectus est : quem Bertharius homo Scarponensis [d] evaginato gladio ad ostium [*Al.*, postitium] cubiculi capite truncavit.

An. DCXXV. — LIII. Anno 42 regni Chlotharii, Dagobertus cultu regio, ex [*Al.*, et] jussu patris honeste cum leudibus in Clippiaco non [e] procul Parisius venit, ibique germanam Sichildæ reginæ [f], nomine Gomatrudem, in conjugium accipit. Transactis nuptiis, die tertia inter Chlotharium et Dagobertum filium suum **631** gravis orta fuit intentio. Petebat enim Dagobertus cuncta quæ ad regnum Austrasiorum pertinebant suæ ditioni velle recipere, quod Chlotharius vehementer denegabat eidem ex hoc nihil velle concedere. Electis ab his duobus regibus duodecim Francorum proceribus, ut eorum disceptatione hæc finiretur intentio, inter quos et dominus Arnulfus pontifex Mettensis cum reliquis episcopis eligitur, qui benignissime, ut sua erat sanctitas, inter patrem et filium pro pacis loquebatur concordia, tandem a pontificibus, vel sapientissimis viris proceribus, pater pacificatur cum filio; reddensque ei solidatum quod aspexerat ad regnum Austrasiorum, hoc tantum exinde quod citra Ligerem vel in Provinciæ partibus situm erat, suæ ditioni retinuit.

An. DCXXVI. — LIV. Anno 43 regni Chlotharii Warnacharius major domus moritur [g]. Filius ejus Godinus animi levitate imbutus novercam suam Bertanem eo anno accepit uxorem : unde Chlotharius rex adversus eum nimio furore permotus, jubet Arneberto duci, qui Godini germanam uxorem habebat, eum cum exercitu interficere. God nus cernens suæ vitæ periculum, terga vertens cum uxore ad Dagobertum regem perrexit in Auster, et in ecclesia sancti Apri [h] regio timore perterritus, fecit confugium. Dagobertus per legatos pro ejus vita sæpius Chlotharium regem deprecabatur : tandem a Chlothario promittitur Godini vita concessa, tamen [*Al.* tantum] ut Bertanem, quam contra canonum institutu uxorem acceperat, relinqueret. Cumque ipse reliquisset, et reversus esset in regnum Burgundiæ, Berta continuo ad Chlotharium perrexit, dicens : Si Godinus conspectui Chlotharii præsentatur, ipsum regem vellet interficere. Godinus jussu Chlotharii per præcipua loca sanctorum, domni **632** Medardi Suessionas et domni Dionysii Parisius ea prævention sacramenta daturus adducitur, ut semper Chlothario deberet esse fidelis, ut congrue locus esset repertus, quo pacto separatus a suis interficeretur. Chramnulfus [i], unus ex proceribus, et Waldebertus domestic us dicentes ad Godinum ut Aurelianis in ecclesia sancti Aniani, et Turonis ad limina sancti Martini ipsum sacramentum adhuc impleturus adiret. Quod cum in suburbano Carnotis, Chramnulfo indicante et transmittente, hora prandii in quamdam villulam venisset, ibique Chramnulfus et Waldebertus super ipsum cum exercitu irruunt, eumque interficiunt; et eos qui cum ipso adhuc restiterant, quosdam interficiunt, aliosque exspoliatos in fugam vertentes relinquunt. Eo anno Palladius ejusque filius Sidocus, episcopus Ælosani [j], incusante Aighynane duce, quod

[a] Bollandus monet in Comment. ad Vitam sancti Pippini, die 21 Febr., hoc caput in aliquot scriptis deesse, exstat tamen in nostris.

[b] Ed. plerique, *Anglolfinga*, *nomine Rodoaldus*, seu *Charoaldus*. Bollandus, loco laud., habet *Agilolfinga*, *sive*, ut ipse exponit, *Boica*. Historiam Agilolfingicæ familiæ, ex qua Guelforum aliarumque nobiliorum Germaniæ familiarum originem repeti debere censet, fuse descripsit Bucelinus monachus Weingartensis tomo II Germaniæ sacræ.

[c] Ex his duobus viris sanctissimis, de quibus infra passim agitur, prior fuit episcopus Mettensis, alter laicus, e quibus prodiit secunda regum nostrorum stirps. Ansegisus quippe sancti Arnulfi filius uxorem duxit Beggam Pippini filiam, ex qua suscepit Pippinum Heristallensem, qui pater fuit Caroli Martelli, ex quo ortus est Pippinus Brevis, Caroli Magni pater.

[d] Scarpona vetus est Lotharingiæ castrum, nunc in vicum redactum et vix notum, ad Mosellam, sesquileuca distans a Ponte Montionis, versus Nanceium, vulgo *Sarpeigne* dictum, haud procul a Custodia Dei (*Doulewart*) situm.

[e] Mss., *Clippiaco procul*. In Clar. tres litteræ ex industria detritæ sunt. Superest, *leudibus nec... Clippiaco procul*. Vet. Ed., præter Freb., *de Piato procul*. Clippiacum, vulgo *Clichy*, situm est in agro Parisiensi prope Sequanam; ubi defunctus est sanctus Audoenus. Vide lib. IV de Re Diplomatica num. 36. Cæterum id apud Romiliacum contigisse, infra, cap. 58, dicitur.

[f] Hæc fuit ipsius Chlotarii uxor.

[g] Hinc collige alium esse ab isto Warnachario illum qui, partes Agrestii contra sanctum Eustasium Luxoviensem abbatem tueri volens, in conc. Matiscon. an. 622 repentina morte interiit.

[h] In suburbio Tullensi, *Saint-Evre*, cujus urbis fuerat episcopus, ubi exstat abbatia ordinis Benedictini sub congregatione sancti Vitoni.

[i] Colb., *Ramnulfus*.

[j] Boh. et Colb. cum aliquot Ed., *Seducus episc. Tolosanus*; al., *et Sedocus*. Aimoinus, lib. IV cap. 14, *Sedocus Tholosatium episcopus*. Chesn. et Coint., *Senocus evisc. Elosanus*. Is est qui anno præcedenti

Vasconorum fuissent comscii, exsilio re- A Burgundiæ inibi se tradidisse noscuntur. Sed et Neu-
loso filius Audoleni, de pago Stampinsi, strasii [k] pontifices et proceres plurima pars regnum
harii ab Arneberto duce interficitur, re- Dagoberti visi sunt expetisse. Charibertus frater suus
uprum cum Sighilde regina. Eo anno nitebatur, si potuisset regnum assumere, sed ejus
cum proceribus et leudibus Burgundiæ voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum.
onjungitur, cum eos sollicitasset, si vel- Brodulfus volens nepotem stabilire in regnum, adver-
jam Warnachario alium in ejus honoris sus Dagobertum muscipulare cœperat, sed hujus rei
limare. Sed omnes unanimiter denegan- vicissitudinem probavit eventus.
quam velle majorem domus eligere, re- LVII. Cumque regnum Chlotharii tam Neptrico [l]
obnixe petentes cum rege transigere. quam Burgundiæ a Dagoberto fuisset præoccupatum,
vii. — LV. Anno 44 regni Chlotharii, captis thesauris et suæ ditioni redactis, tandem mi-
es et universi proceres regni sui, tam sericordia motus, consilio sapientium usus, citra Li-
quam de Burgundia, Clippiaco ad Chlo- gerem et limitem **634** Spaniæ, qui ponitur partibus
utilitate regia et salute patriæ conjun- Wasconiæ, seu et montis Pyrenæi [m] pagos, et civita-
que homo, nomine Ermenharius [b], qui tes, quod fratri suo Chariberto ad transigendum [n], ad
palatii Chariberti filii Chlotharii erat, a B instar privato habitu, ad vivendum potuisset sufficere,
nauis genere Saxonorum optimatis inter- noscitur concessisse Pagum Tholosanum, Catorci-
s fuerat exinde nimia multorum strages num, Agennensem, Petrocoreum et Santonicum, vel
i, **633** patientia [c] Chlotharii interve- quod ab his versus montes Pyrenæos excluditur, hoc
il et hæc curante, fuisset repressum. tantum Chariberto regendum concessit, quod et per
nte Chlothario in Monte-Mercori [d] rese- pactionis vinculum strinxit, ut amplius Charibertus
m secum habens multitudinem pugnato- nullo tempore adversus Dagobertum de regno patris
ulfus [e] avunculus Chariberti exercitum repetere præsumeret. Charibertus sedem Tholosæ
ligens, super ipsum cum Chariberto vo- eligens, regnat in parte provinciæ Aquitanicæ [o]. Post
e. Chlotharius ad Burgundefarones [f] spe- annos tres [p] postquam regnare cœpisset, totam Was-
t, ut cujus pars suum volebat defugere coniam cum exercitu superans, suæ ditioni redigit,
orum instantia et viribus opprimeretur. aliquantulum largius fecit regni sui spatium.
uterque jussione regia pacantur. An. dcxxviii. — LVIII. Dagobertus cum jam annos
iii. — LVI. Anno 45 [g] regni sui Chlotharius 7 regnaret, maximam partem patris regni, ut supra
in suburbano Parisius in ecclesia sancti memini, assumpsit, Burgundias ingreditur. Tanto ti-
epelitur [h]. Dagobertus cernens genitorem C more pontifices et proceres in regno Burgundiæ con-
defunctum, universos leudes, quos regebat sistentes, seu et cæteros leudes adventus Dagoberti
ubet in exercitu promovere : missos in concusserat, ut a cunctis esset admirandum. Pauperi-
et Auster [i] direxit, ut suum deberent bus justitiam habentibus gaudium vehementer irro-
ere. Cumque Rhemis venisset, Suessionas gaverat. Cumque Lingonas civitatem venisset, tanta
[j] omnes pontifices et leudes de regno in universis leudibus suis, tam sublimibus quam pau-

oncilio sub Sonnatio præsule interfuerat. nes Editi. Clar. tamen habet 46.
rom. ubi prima manu *Ælosani*, secunda [h] Corpus ejus in tumulo lapideo inclusum jacet
idem antiqua positum est *To* supra diph- nunc prope majus altare cum aliis regibus in eadem
E. Senocus ultimum locum in catalogo basilica sepultis.
oporum occupat. Hæc tamen sedes stetit [i] Legendum haud dubie *Neuster*.
eculum ix, quo Elusa a Nortmannis ex- [j] Sic mss., præter Boh. qui habet *Remus venisset*
diœcesis cura Ausciensi episcopo com- *suggestiones præcedens*. Ch. et Freh., *venisset per*
qui exinde Novempopulaniæ metropoli- *suggestiones accedens*. Anonymus, qui gesta Dagoberti
tem obtinuit. scripsit, habet *cumque Remis venisset, suggestio per-*
Trecassinis; al., *Trecas suis*. Trecæ, *accedens*. Et isto modo hic legi debere contend t
s, in Campania, quæ etiam urbs Tricas- D Cointius. Nostram lectionem habet Chronicum sancti
r. Ex hoc loco patet jam tunc a regni Benigni.
Majores domus fuisse electos. [k] Nonnulli Ed., *sed et Austrasii*.
lar., *Ermarius... Gariberto*, pro *Chari-* [l] Ch. al., *Neptricium*. Boh., *Neptrico..... ad Da-*
; *Gariberto et filio Chlotharii... obtimate.* *gobertum*.
æsentia. [m] Alii, *et montes Pyrenæos*. Citra Ligerim appellat
r., Boh., *Mercoris;* at Colb. habet *Monte* Fredegarius quod nos Parisiis *ultra* diceremus. Cæ-
et Ch., *Monte Mercomire*; cæteri, *Monte* terum prima hac vice natu minor a paterno regno
unc, qui etiam alias dicitur *Montis Martis*, exclusus fuit, quæ consuetudo sensim invalescens
ios situm, hodie a sanctis Dionysio et so- in legem tandem transiit. Vide Vales. lib. xix Rer.
ibus Montem Martyrum (*Montmartre*) ap- Francic.
[n] Boh. habet, *Chariberto ad transigendum potuisset*
lar. et Freh. Tot diversis fere modis *sufficere, concessit*, cæteris omissis.
eperitur hujus viri nomen, quot habentur [o] Chesn. et Freh. al., *Equitanicæ*; at alii Ed., *Aqui-*
ti et Ed. *Brunulfus, Produlfus, Radulfus,* *taniæ*.
Et infra Clar., *Airiberti;* Colb., *Haribcrti*; [p] Anno 3 regni obiit. Confer cap. 67.
rti. Et sic infra cap. sequenti.
ut supra, *Burgundiæ barones*.
lb., Boh., Chronic. sancti Benigni et om-

peribus [a] judicabat justitia, ut crederetur omnino fuisse Deo placibile : ubi nullum intercedebat præmium, nec personarum acceptio, nisi sola dominabatur justitia, quam diligebat Altissimus. Deinde aggressus Divionem, imoque et Latona [b] residens aliquantis diebus, tanta intentione **635** ad universum regni sui populum justitiam judicandi [c] posuerat. Hujus benignitatis desiderio plenus nec somnum capiebat oculis, nec cibis satiabatur, intentissime cogitans ut omnes cum justitia recepta de conspectu suo læti remearent. Eodem die quo de Latona ad Cabillonum deliberat properare, priusquam lucesceret balneum ingrediens, Brodulfum avunculum fratris Chariberti interficere jussit, qui ab Amalgario [d] et Arneberto ducibus, et Willibado patricio interfectus est. Cumque Cabillono, ubi justitiæ amore qua cœperat perficiendæ Dagobertus dirigit intentione, post per Augustodunum, Antissiodorum pergens, per civitatem Senonas Parisius venit, ibique Gomatrudem reginam Romiliaco [e] villa, ubi ipsam in matrimonium acceperat, relinquens [f], Nantechildem, unam ex puellis de ministerio [g] accipiens, reginam sublimavit. Usque eodem tempore ab initio quo regnare cœperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi, Mettensis urbis pontificis, et Pippini majoris domus usus, tanta prosperitate regale regimen in Auster regebat, ut a cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet. Timorem vero sic fortem sua concusserat utilitas, ut jam devotione arriperent sese se tradere ditioni, ut etiam gentes, quæ circa **636** limitem Avarorum et Sclavorum consistunt, eum prompte expeterent, ut ille post tergum eorum iret feliciter, et Avaros et Sclavos cæterasque gentium nationes usque manum publicam [h] suæ ditioni subjiciendum fiducialiter spondebat. Post discessum beati Arnulfi [i], adhuc consilio Pippini majoris domus et Chuniberti [j] pontificis urbis Coloniæ utens, et ab ipso fortiter admonitus, tantæ prosperitatis et justitiæ amore complexus universas sibi subditas gentes, usque dum ad Parisius, ut supra memini, pervenit, regebat, ut nullus de Francorum regibus præcedentibus sua laude fuisset præcellentior.

An. dcxxix. — LIX. Anno 8 [k] regni sui cum Auster regio cultu circuiret, quamdam puellam, nomine Ragnetrudam [l] stratui ascivit suo, de qua eo anno habuit filium, nomine Sigibertum.

LX. Revertens in Neptricum, sedem patris sui Chlotharii diligens, assidue residere disposuit. Cum omnis justitiæ quam prius dilexerat esset oblitus, cupiditatis instinctu super rebus Ecclesiarum et leudibus, sagaci desiderio, vellet omnibus undique spoliis novos implere thesauros. Luxuriæ supra modum deditus tres habebat ad instar Salomonis [m] reginas, maxime et plurimas concubinas. Reginæ vero hæ **637** erant, Nantechildis, Wlfegundis et Berchildis [n]. Nomina concubinarum eo quod plures fuissent, increvit huic Chronicæ inseri. Quod cum aversum plurimum fuisset cor ejus, sicut supra meminimus, et a Deo co-

[a] Ex hoc loco infert Cointius vocem *leudes* nonnunquam subditos omnes designasse, quæ alias laicos, prout sacerdotibus opponuntur, significat, ut patet ex cap. 1 Chronici Fredeg. Ut plurimum tamen vassallos regis specialiter designat, qui postea *barones* appellati fuerunt, ut jam observavimus. Vide Henrici Spelmanni et Cangii Glossaria.

[b] Ab ecclesiæ suæ patrono nomen habet *Saint-Jean de Laône*, supra fluvium Ararim.

[c] Ed. aliquot, *justitia judicandum*.

[d] Is fuit dux Burgundiæ Cisjuranæ, monasterii Resuensis prope Divionem fundator, cui filium suum Waldalenum, Luxoviensem monachum, abbatem præfici curavit ; et Donatiaci prope Vesontionem, pro monialibus, cujus Adalfinda ipsius filia prima abbatissa fuit. De his Chronic. Besuense tomo I Spicil. Acheriani.

[e] Nunc suburbio parisiensi sancti Antonii contigua est, vulgo *Reuilly*. Confer cap. 53, supra, ubi rex Gomatrudem apud Clippiacum accepisse dicitur.

[f] Addidit Chesnius, *eo quod sterilis esset, cum consilio Francorum*, ut habet Anonymus qui Gesta Dagoberti scripsit ; sed id potius regis incontinentiæ tribuendum est. Invaluerat autem tunc pessima consuetudo legi Christianæ contraria uxorem repudiandi, ac post divortium alteram assumendi, ut patet ex lib. II Marculfi form. 30, quæ pestis postea sacris canonibus et regia auctoritate exstirpata fuit.

[g] Sic omnino legendum, non vero *de monasterio*, ut habent Excusi cum Aimoino. Nemo hactenus codicem ms. vidit ubi *non* legeretur *ministerio*. Ita enim habent Claromontensis, Colbertinus seu Mettensis, Boherianus, Thuaneus, teste Valesio, et unus Christinæ Sueciæ reginæ, qui fuerat Goldasti apud Bollandum, quibus consentiunt Chronica Bezuæ monasterii et sancti Benigni. Et quidem Dagobertus monialem cum regni procerum consilio uxorem non duxisset ; sensusque hic exigit ut puella e ministerio sublevata in reginam dicatur. Sic quippe Balthildis pariter e *ministerio* in Chlodovei II thorum ascita est, ex ejus Vita.

[h] Manus publicæ nomine intelligere solet hic auctor Romanum imperium. Vide, infra, cap. 69. Hinc *usque manum publicam* potest intelligi usque ad regiones quæ erant de Imperio. Ed. aliquot, *usque manu publica*.

[i] Sanctus Arnulfus, relicta sede sua, in solitudinem Vosagi secessit, ubi a sancto Romarico, qui in castro Habendensi monasterium virginum et alterum pro monachis construxerat, susceptus, in vicino monte habitavit, ubi hodie sacellum visitur cum exigua eremitarum casa. Monasterium Habendense, quod a situ et conditoris nomine Romarici Mons (*Remiremont*) postea dictum est, in vallem subjectam postea translatum, ubi etiam nunc exstat cum oppido cognomine juxta Mosellam, a canonissis sæcularibus inhabitatum, quæ regulæ Benedictinæ jugum excusserunt. Montem vero ipsum, qui hodie Mons Sanctus dicitur, incolunt Benedictini congr. sancti Vitoni, ubi præter majorem ecclesiam hinc et inde aliquot sacella visuntur, cum antiquis sanctorum, qui ibi depositi fuerunt, sepulcris. Quæ omnia anno 1696 lustravimus. Vitam sancti Arnulfi habes in sæc. II Bened., ad an. 640. Corpus ejus Mettas translatum asservatur in basilica insigni ipsius nomini sacra, quam possident Benedictini monachi cong. sancti Vitoni.

[j] Al., *Huniberti*. Interfuit conc. Rhemensi an. 630. Ejus Vita habetur apud Surium die 12 Novembris, quo ipsius festum celebratur.

[k] Alii 7, alii vero 9, quod verum est de his verbis, *eo anno habuit*. Nam Sigibertus ortus est an. 630, si annum incipias a Januario.

[l] Colb. et Editi nonnulli, *Regintrudam* ; et infra Editi complures, *Sygobertum*.

[m] Hæc vox *Salomonis* est in solo cod. Colb. et quidem altera manu, sed antiqua.

[n] Alii, *Nanthildis*, *Ulfigundis*, *Berthildis*.

gratio ejus recessisset, tamen postea, atque utinam illi ad mercedem veram lucri fuisset, nam eleemosynam pauperibus supra modum largiter erogabat, si hujus rei sagacitas cupiditatis instinctu non præpedisset, regnum ut creditur meruisset æternum.

LXI. Cum laudes sui ejus nequitiam gemerent, hæc cernens Pippinus, cum esset cautior cunctis, et consiliosus valde, plenissimus fide, ab omnibus dilectus, pro justitiæ amore qua Dagobertum consilioso instruxerat, dum suo usus fuerat consilio, sibi tamen nec quidquam oblitus justitiæ, neque recedens a via bonitatis, cum ad Dagobertum accederet, prudenter agebat in cunctis, et cautum se in omnibus ostendebat; zelum [*Ch.*, zelus] Austrasiorum adversus eumdem vehementer suggerebat, ut etiam ipsum cum Dagoberto conarentur facere odiosum, ut potius interficeretur. Sed justitiæ amor et Dei timor, quem diligenter amplexus fuerat, ipsum liberavit a malis. Ipse vero eo anno cum Sigiberto filio Dagoberti ad Charibertum regem accessit.

LXII. Charibertus, Aurelianis veniens, Sigibertum de sancto lavacro excepit [a]. Ægа vero a cæteris Neptrasiis [b] consilio Dagoberti erat assiduus. Eo anno legati Dagoberti, quos ad Heraclium imperatorem direxerat, his nominibus Servatus [*Al.*, Servatius] et Paternus, ad eumdem revertuntur, nuntiantes pacem perpetuam cum Heraclio firmasse. Acta vero miraculi quæ ab Heraclio facta sunt non prætermittam.

LXIII. Heraclius cum esset patricius [*Ch. ad.* super] universas Africæ provincias, et Focas, qui tyrannico ordine Mauricium imperatorem interfecerat, imperiumque 638 rapuerat, nequissime regeret, et modo amentiæ thesauros in mare projiceret, dicens quod Neptuno munera daret, senatores cernentes quod vellet imperium per stultitiam destruere, factione Heraclii Focatem apprehensum senatus manibus et pedibus truncatis lapide ad collum ligato in mare projiciunt. Heraclius consensu senatus in imperium sublimatur [c], cum infestatione Persarum imperium temporibus Mauricii et Focatis imperatorum multæ provinciæ fuissent vastatæ.

LXIV. More solito denuo contra Heraclium imperator Persarum cum exercitu surgens, Chalcedonam civitatem nec procul a Constantinopoli, vastantes Persæ provinciæ | *Forsan*, provincias | reipublicæ, pervenissent, eamque erumpentes incendio concremaverunt. Post hæc Constantinopol'm sedem imperii propinquantes destruere conabantur. Egrediens cum exercitu Heraclius obviam, legatis discurrentibus, Heraclio imperatorem Persarum, nomine Cosdroe [d], petiit ut hi duo imperatores singulari certamine conjungerentur, suspensa procul utriusque exercitus multitudine; et cui victoria præstaretur ab Altissimo, imperium ejus qui vincebatur et populum illæsum reciperet. Imperator Persarum hac convententia se egressurum ad prælium singulari certamine spopondit. Heraclius imperator arma sumens telam prælii [e] et phalangem a suis post tergum præparatam relinquens, singulari certamine, ut novus David, procedit ad bellum. Imperator Persarum Cosdroes patricium quemdam ex suis, quem fortissimum in prælio cernere potuerat, hujus convenientiæ ad instar pro se contra Heraclium ad præliandum direxit. Cumque uterque cum equis, hi duo congressione prælii in invicem propinquarent, Heraclius ait ad patricium, quem imperatorem Persarum Cosdroem æstimabat, dicens: Sic convenerat ut singulare certamen 639 præliandum debuissemus confligere, quare post tergum tuum alii sequuntur? Patricius ille gyrans caput, ut conspiceret qui post tergum ejus venirent, Heraclius equum calcaneo vehementer urgens, extrahens uxum [f] caput patricii Persarum truncavit. Cosdroes imperator cum Persis devictus et confusus, terga vertens a suis propriis tyrannice ordine interficitur. Persæ terga vertentes ad sedes remeant proprias. Heraclius evectu navali cum exercitu Persas ingreditur, totamque Persidam suæ ditioni redigit, captis exinde multis thesauris, et septem Æltiarnitis [g]: tribus annis circiter Persida vastata ejus ditioni subjicitur. Post hæc denuo Persæ imperatorem super se creant [h].

LXV. Heraclius imperator erat speciosus conspectu, pulchra facie, status forma dignæ mensuræ, fortissimus cæteris, pugnator egregius. Nam et sæpe leones in arena, et inermis plures singulus interfecit. Cum esset litteris nimium eruditus, astrologus efficitur, per quod cernens a circumcisis gentibus divino nutu imperium esse vastandum, ad Dagobertum regem Francorum dirigens, petit ut omnes Judæos regni sui ad fidem catholicam baptizandos præciperet, quod protinus Dagobertus implevit [i]. Heraclius per omnes provincias imperii talem idemque facere

[a] Narrat Baudemundus in Vita sancti Amandi episc. Trajectensis, cujus discipulus fuit, Sigibertum ab eo baptizatum fuisse, eaque occasione miraculum insigne contigisse. Nam cum vir sanctus puerulum catechumenum faceret, et nemo responderet orationi, puerulus clara voce respondit *Amen*, quod apud Clippiacum accidisse idem auctor innuit.

[b] Ed. aliquot, *ac cæteris Austrasils*. Et infra, *erat ad insidias*; Boher., *ad insidiis*.

[c] Heraclius creatus est imperator an. 610. Chosdroes an. 614 Jerosolymam cepit, et Saes ipsius exercituum ductor Chalcedonem, Alexandriam et totam Ægyptum an. 615 aut sequenti. An. vero 625, Heraclius in ipsos exercitum movit, et Chosdroe an. 628 fugato, tum pace cum Sisroe illius filio inita, crucem sanctam, quæ in Persidem delata fuerat, recepit, ac solemni pompa Jerosolymis restituit. De his fuse Theophanes, Cedrenus et alii auctores Græci.

[d] Edit. vet. et Ches. al., *Construes*, seu *Costrues*, et *Costrus*. Boh., *Construe*, et sic infra.

[e] Colb., *sumens tela et*; al. Ed., *et phalangis*.

[f] Sic Clar., Pal. et Freh. In Colb. detrito priori vocabulo scriptum est *ensem*. Ch. al. et alii Ed., *gladium*.

[g] Sic Clar. et Col., Ches. al. et cæteri. Veteres Ed. incaute litteras numerales VII nomini proprio jungentes, *Waltiarnitis*; Pal., IV *Æltiarnitis*; Ch. et Freh., *septem Arnitis*: al., *Æltis*. Boh., *Coltiarnitis*.

[h] Editi cum Colb., *denuo Persas imperator superat*.

[i] Idem fecerat Chilpericus ex Gregor. lib. VI, cap.

decrevit; ignorabat enim unde hæc calamitas contra imperium surgeret.

LXVI. Agareni, qui et Sarraceni, sicut Orosii [*Boh.* Eorosii] liber testatur, gens circumcisa a latere montis Caucasi, super mare Caspium, terram, Ercoliæ [a] cognomento, jam olim consedentes, cum in nimia multitudine crevissent, tandem arma sumentes, provincias Heraclii imperatoris ad vastandum irruunt : contra quos Heraclius milites **640** ad resistendum direxit. Cumque prœliari cœpissent, Sarraceni milites superant, eosque gladio graviter trucidant. Fertur in eo prœlio centum quinquaginta millia militum a Sarracenis fuisse interfecta. Spolia eorum Sarraceni per legatos Heraclio recipienda offerunt. Heraclius cupiens super Sarracenos vindictam, nihil ab his recipere voluit. Congregata undique de universis provinciis imperii nimia multitudine militum, transmittens Heraclius legationem ad Portas Caspias [b], quas Alexander Magnus Macedo super mare Caspium æreas fieri et serrare jusserat, propter inundationem gentium sævissimarum, quæ ultra montem Caucasi culminis habitabant, easdem portas Heraclius aperire præcepit, indeque centum quinquaginta millia pugnatorum auroque locatorum auxilio suo contra Sarracenos ad prœliandum mittit. Sarraceni duos habentes principes, ducenta fere millia erant. Cumque castra nec procul inter se exercitus uterque posuissent, ita ut in crastinum bellum inirent, confligentes, eadem nocte gladio Dei Heraclii exercitus percutitur. In castris quinquaginta et duo [c] millia ex militibus Heraclii in stratu mortui sunt: cumque in crastino deberent ad prœlium egredi, cernentes eorum exercitus milites partem maximam divino judicio interfectam, adversus Sarracenos nec ausi sunt inire prœlium. Regressus omnis exercitus Heraclii ad proprias sedes, Sarraceni more quo cœperant, provincias Heraclii imperatoris assidue vastare pergebant. Cum jam Hierosolymam propinquassent, Heraclius videns quod eorum violentiæ non potuisset resistere, nimia amaritudine et mœrore arreptus, infelix Eutychianam hæresim jam sectans [d], Christi cultum relinquens, habens uxorem filiam sororis suæ, **641** a febre vexatus crudeliter vitam finivit. Cui successit in imperii gradum Constantinus filius ejus, cujus tempore pars publica a Sarracenis nimium vastatur.

An. dcxxx. — LXVII. Anno 9 [e] Dagoberti, Charibertus rex moritur, relinquens filium parvulum, nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est : fertur factione Dagoberti fuisse interfectus. Omne regnum Chariberti, una cum Wasconia, Dagobertus protinus suæ ditioni redigit : thesauros quoque Chariberti Barontо duci [f] adducendum et sibi præsentandum direxit. Unde Barontus grave dispendium fecisse dignoscitur, una cum thesaurariis [*Al.*, thesauris] faciens, nimium exinde fraudulenter subtraxit.

LXVIII. Eo anno Sclavi, cognomento Winidi, in regno Samonis negotiantes, Francorum cum plurimam multitudinem interfecissent et rebus exspoliassent, hoc fuit initium scandali inter Dagobertum et Samonem regem Sclavinorum [g]. Dirigensque Dagobertus Sicharium legatarium ad Samonem, petens ut negotiantes quos sui interfecerant, et res quas illi cite usurpaverant cum justitia faceret emendare. Samo nolens Sicharium videre, nec ad se eum venire permitteret; Sicharius vestes indutus ad instar Sclavinorum [h] cum suis ad conspectum pervenit, Samoni universa quæ injuncta habebat nuntiavit. Sed ut habet gentilitas et superbia pravorum, nihil a Samone quæ sui admiserant est emendatum, nisi tantum placita vellens instituere, ut de his et aliis intentionibus, quæ inter has partes ortæ fuerant, justitia redderetur in invicem. Sicharius, sicut stultus legatus, verba improperii quæ injuncta non habuerat, et minas adversus Samonem loquitur, eo quod Samo et populus regni sui Dagoberto deberent servitium. Samo respondens jam sauciis [*Clar.*, caucius] dixit : **642** Et terram quam habemus Dagoberti est, et nos sui sumus, si tamen nobiscum disposuerit amicitias conservare. Sicharius dicens : Non est possibile, ut Christiani Dei servi cum canibus amicitias collocare possint, Samo e contrario dixit : Si vos estis Dei servi, et nos sumus Dei canes, dum vos assidue contra ipsum agitis, nos permissum accepimus vos morsibus lacerare. Ejectus est Sicha-

17. De hac re plura in utramque partem scripsere Joh. Launoius et P. Joh. Nicolai Dominicanus.

[a] Colb. et Editi aliquot, *Ercolriæ*. Alii, *Hercolei*. Inferiores Caucasi partes *Colicè regionem* dictas fuisse legitur apud Ortelium.

[b] Codd. Clar. et Colb., *Cispias*; Freh. al., *Cispium*. Mavult Plinius Caucasias portas appellari : quæ et Pylæ Iberiæ dicuntur, non quod ibi portæ re ipsa fuerint, quanquam et ab incolis dicantur Porta ferrea, sed quod locus adeo sit angustus, ut quivis hostium impetus facile retundi possit. Aditus nempe nonnisi trecentorum passuum spatio inter Caucasum montem et mare Hircaneum patet, imminetque valli castellum in rupe Cumania positum. Ibi urus est, Harmastis nomine, quam *Derbent*, id est Angustias appellant, Turcis *Demir*, seu *Temir capi*.

[c] Ghes., Freh., *quinquaginta quinque millia*. Chesn. al., L et LII.

[d] Monothelitarum hæresim tuebatur Heraclius, quæ Eutychianæ soboles erat. Hæc nempe e duabus unam conflatam naturam admittebat, illa unicam voluntatem. Hanc publico edicto *Ecthesim* appellant, omnibus tenendam proponere veritus non est. Heraclio patri successit Constantinus catholicus an. 641. De cladibus vero per Sarracenos illatis, qui Muhamedis seu Mahometis, an. 631, regni sui super aliquot Arabes nono defuncti, discipulis juncti non minus Deo quam hominibus bellum indixerunt, plura videsis apud Theophanem, Nicephorum et cæteros. Nemo nescit quantum illi barbari per universum orbem postea propagati sint.

[e] Freh., *anno octavo*.

[f] Alii, *Barontum ducem*; alii, *Baronto duce sibi*.

[g] Sic Clar., quod et cæteri habent frequentius infra; hic vero, *Sclavorum*.

[h] Hinc forte Sclavinia dictum est vestimenti genus, quo sæculo XII peregrini utebantur, ex Cæsarii libro de Mirac., capp. 40 et 42, ut observat Alteserra, qui et Saxonicum, ex Augustini cap. 127 Quæst. utrius que Test., laudat

rius de conspectu Samonis. Cum hæc Dagoberto nuntiasset. Dagobertus superbiter jubet de universo regno Austrasiorum contra Samonem et Winidos movere exercitum : ubi tribus turmis phalangæ super Winidos exercitus ingreditur, etiam et Langobardi solatione [a] Dagoberti idemque hostiliter in Sclavos perrexerunt. Sclavi his et aliis locis e contrario præparantes, Alamannorum exercitus cum Chrodoberto duce in parte qua ingressus est victoriam obtinuit. Langobardi itidemque victoriam obtinuerunt ; et plurimum numerum captivorum de Sclavis Alamanni et Langobardi secum duxerunt. Austrasii vero cum ad castrum Wogastisburc [b], ubi plurima manus fortium Winidorum immoraverant, circumdantes, triduo prælïantes, plures ibidem de exercitu Dagoberti gladio trucidantur, et exinde fugaciter omnes tentoria et res quas habuerunt relinquentes, ad propriias sedes revertuntur. Multis post hæc vicibus Winidi in Thoringiam et reliquos vastando pagos in Francorum regnum irruunt. Etiam et Deruanus dux gentis Urbiorum [c], qui ex genere Sclavinorum erant, et ad regnum Francorum jam olim aspexerant, se ad [*Al.*, se et] regnum Samoni cum suis tradidit. Istamque victoriam quam Winidi contra Francos meruerunt, non tantum Sclavinorum fortitudo obtinuit, quantum dementatio Austrasiorum, dum se cernebant cum Dagoberto odium incurrisse, et assidue exspoliarentur.

643 LXIX. Eo anno Charoaldus [d] rex Langobardorum legatos ad Hisacium patricium secretius mittens, rogat ut Tasonem, ducem provinciæ Tusciæ, quo poterat ingenio interficeret. Hujus beneficii vicissitudine tributa, quæ Langobardi de manu publica [*Id est*, imperio] recipiebant, tria centenaria auri annis singulis, unde unum centenarium auri Charoaldus rex partibus imperii de præsenti cassaret. Hisacius patricius hæc audiens, tractabat quibus ingeniis hæc potuisset implere, Tasoni ingeniose mandans, dum in offensa Charoaldi erat, cum ipso amicitias obligaret, ipse vero contra Charoaldum regem ei auxiliaretur. Tali præventus est fraude : Ravennam pergit. Hisacius ei obviam mandans, pro timore imperatoris, Tasonem cum suis infra muros Ravennæ urbis armatum non audebat recipere. Cumque Taso credens, arma suorum foris urbem relinquens, in Ravennam fuisset ingressus, statim qui fuerant præparati super Tasonem irruunt, et ipsum, et suos totos, qui cum eo venerant, [*Al.*, erant] interfecerunt. Charoaldus rex unum centenarium auri, sicut promiserat, partibus Hisacii et imperii cassavit. Duo tantum centenaria auri deinceps ad partem Langobardorum a patricio Romanorum annis singulis implentur. Unus centenarius centum libras auri capit. Post hæc continuo Charoaldus rex moritur.

LXX. Gundeberga regina, eo quod omnes Langobardi eidem fidem cum sacramentis firmaverant, Chrotharium [e] quemdam, unum ex ducibus de territorio, Brixiæ ad se venire præcipit, eum compellens ut uxorem quam habebat relinqueret, et eam matrimonio acciperet : per ipsam omnes Langobardi eum sublimabant in regno. Quod Chrotharius libenter consentiens, sacramentis per loca sanctorum firmans ne unquam Gundebergam postponeret, nec de honore gradus aliquid minueret, ipsamque unico 644 amore diligens in omnibus honorem præstaret condigne, Gundeberga attrahente, omnes Langobardorum primates Chrotharium sublimant in regno. Chrotharius cum regnare cœpisset, multos nobilium Langobardorum, quos sibi senserat contumaces, interfecit. Chrotharius fortissimam disciplinam et timorem in omne regnum Langobardorum pacem sectans fecit. Chrotharius oblitus sacramenti quod Gundebergæ dederat, eamque in unum cubiculum Ticini in aula palatii retrudit, eamque ad privatum habitum vivere fecit ; quinque annos sub ea retrusione tenetur. Chrotharius per concubinas debacchabatur assidue. Gundeberga, eo quod esset Christiana, in hac tribulatione benedicebat Deum omnipotentem, jejuniis et orationibus assidue pervacabat.

LXXI. Quando Deo complacuit, Audedo [f] legatarius directus a Chlodoveo rege [g], causa legationis usque Chrotharium regem Langobardorum Papiam, cognomento Ticino [h], civitatem Italiæ pervenisset, cernens reginam, quam sæpius in legatione veniens viderat, et ab ipsa benigne semper susceptus fuerat, fuisse retrusam quasi injunctum habens, exinde inter cætera Chrotharic regi suggessit, quod illam parentem Francorum quam reginam habuerat, per quam etiam regnum assumpserat, non debuisset humiliare. Exinde reges Francorum et Franci essent ingrati, quam Chrotharius de præsenti reverentiam

[a] Editi, *sollicitatione*. Bob., *solutione*. Et infra al., *reparantes*.

[b] Sic Clarom. Colb. vero et Bober. cum Palat., *Vocastense* ; alii, *Vogastense*, *Vocatense*.

[c] Colb., Bober. et aliquot Editi, *Urbium*. Hos Surbios, Sorbos seu Sorabos esse ait Cointius, Thuringis finitimos, qui Austrasiis parebant.

[d] Chesn. al., *Chrodoaldus*. Et, infra, Clar., *Hysacius*. Ed. aliquot, *Isacius*, qui et infra habent *Asonem* cum Colb. Parva rerum Langobardicarum notitia ex Paulo Diac. potissimum repetenda est, quas passim Fredegarius perturbat. Observa Hisacium, qui Italiam imperatoris nomine, regebat, *patricium Romanorum* hic a Fredegario appellari, quo nomine Carolus Magnus summam postea in Italia potestatem habuit.

[e] Colb., *Rotharium*. Chesn. al. semel, et Bob., *Chrotacharium*. Vulgo appellatur *Rotharis*.

[f] Is est Audobaldus palatii comes, ut censet Peraldus, qui memoratur in charta Clotarii III, pro monasterio sancti Benigni Divionensis, data an. 664. Idem *Audebedo seu Audebellus* dicitur in Chronico ejusdem monasterii, tomo I Spicil. Acheriani.

[g] Confer caput 50, supra, ubi eadem historia narratur. Editi plerique, *Chlotario rege*. Colb., *Chlodnvio*. Hic in Chronicis, sancti Benigni et Besuensi, *Chlotarius* et *Chlodoveus* appellatus fuisse dicitur.

[h] Papia, vulgo *Pavie*, urbs Langobardorum regia, Flavia etiam dicta, et Ticinum a Ticino fluvio (*Tésin*), qui eam alluit ; sede episcopali nulli archiepiscopo subjecta, ducatus titulo, et academia nobilitatur

Francorum habens, jubet egredi foras, et post quinque circiter annos, per totam civitatem et foris Gundeberga regali ordine per loca sanctorum ad orationem aggreditur. De villis et opibus fisci quod habuerat, Chrotharius ei restaurari præcepit, quod usque diem obitus sui, et gradum dignitatis, et opibus pluribus ditata, regio cultu post feliciter tenuit. Aubedo vero a Gundeberga regina fortiter remuneratur. **645** Chrotharius cum exercitu Genavam maritimam, Albinganum, Varicottim, Saonam, Ubitergium, et Lunam [a] civitates littoris maris de imperio auferens vastat, rumpit, incendio concremans, populum diripit, spoliat et captivitate condemnat; murosque earum usque ad fundamentum destruens, vicos has civitates nominare præcepit.

LXXII. Eo anno in Abarorum [b], cognomento Chunorum, regno in Pannonia [c] surrexit vehemens intentio, eo quod de regno certarent, cui deberetur ad succedendum, unus ex Abaris et alius ex Bulgaris; collecta multitudine uterque in invicem pugnaverunt. Tandem Abari Bulgaros superant. Bulgaris superatis, novem millia virorum cum uxoribus et liberis de Pannonia expulsi, ad Dagobertum expetunt, petentes ut eos in terra Francorum ad manendum reciperet. Dagobertus jubet eos ad hiemandum Bajoarios recipere, dum modo pertractaret cum Francis quid exinde fieret. Cumque dispersi per domos Bajoariorum ad hiemandum fuissent, consilio Francorum Dagobertus Bajoariis jubet ut Bulgaros illos cum uxoribus et liberis unusquisque in domo sua in una nocte Bajoarii interficerent, quod protinus a Bajoariis est impletum. Nec quisquam ex illis remansit Bulgaris, nisi tantum Altiœus [d] cum septingentis viris, et uxoribus cum liberis, qui in marca Winidorum [e] salvatus est. Post hæc cum Walluco [f] duce Winidorum annis plurimis vixit cum suis.

LXXIII. Eo anno quid partibus Spaniæ, vel eorum regibus contigerit, non prætermittam. Defuncto Sisibudo [g], rege clementissimo, cui Sintela ante annum circiter successerat in regnum, **646** cum esset Sintela nimium in suis iniquus, et cum omnibus regni sui primatibus odium incurreret, cum consilio cæterorum Sisenandus quidam ex proceribus ad Dagobertum expetit ut ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Sintellanem degradaret a regno: in hujus beneficii repensionem missorium aureum nobilissimum ex thesauris Gotthorum, quem Thursemundus rex ab Ætio [h] patricio acceperat, Dagoberto dare promisit, pensantem auri pondus [i] quingentos. Quo audito, Dagobertus, ut erat cupidus, exercitum in auxilium Sisenandi de toto regno Burgundiæ bannire præcepit. Cumque in Spania divulgatum fuisset exercitum Francorum in auxilium Sisenando aggredere, omnes Gotthorum exercitus se ditioni Sisenandi subegit. Abundantius et Veneran.lus cum exercitu Tholosano tantum usque Cæsaraugustam civitatem cum Sisenando accesserunt, ibique omnes Gotthi de regno Spaniæ Sisenandum sublimant in regnum. Abundantius [j] et Venerandus cum exercitu Tholosano muneribus honorati revertuntur ad propria sedes. Dagobertus legationem ad Sisenandum regem, Amalgarium ducem et Venerandum dirigit, ut missorium illum quem promiserat eidem dirigeret: cumque a Sisenando rege missorius ille legatariis fuisset traditus, a Gotthis per vim [k] tollitur, nec eum exinde exhibere permiserunt. Postea discurrentibus legatis ducenta millia solidorum missorii hujus pretii Dagobertus a Sisenando accipiens, ipsumque pensavit.

An. dcxxxi. — LXXIV. Anno 10 regni Dagoberti, cum ei nuntiatum fuisset exercitum Winidorum Thoringiam fuisse **647** ingressum, cum exercitu de regno Austrasiorum de Mettis urbe promovens, transita Ardenna, Magantiam magno cum exercitu aggreditur [l], disponens Rhenum transire, scaram [m] de electis viris fortibus de Neuster et Burgundia cum ducibus et grafionibus secum habens. Saxones missos ad Dagobertum dirigunt, petentes ut eis tributa quæ fisci ditionibus dissolvebant indulgeret: ipsi vero eorum studio et utilitate Winidis resistere spondent, et Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Quod Dagobertus, consilio Neustrasiorum adeptus, præstitit Saxonibus qui his [n] petitionibus suggerendum venerant. Sacramentum, ut eorum

[a] In editis corrupta sunt omnino hæc nomina. Lectionem Clarom., Chesn. et Freh. retinuimus. Colb. habet, *Albingam, Novariam, Cottisam, Omavibitergio, Luna.* Editi alii, *Albinga, Noraria, Cottisaonia ubi Tergio et Luna.* Urbes istæ quas recensuimus notissimæ sunt, præter *Varicottim*, nomen corruptum, quod divinare non licuit. Genava maritima (*Gênes*) sic dicitur, ut ab Allobrogum Geneva distinguatur. Albenganum vetus nomen retinet *Albenga*, sede episcopali ab Alexandro III donata. Saona est *Savona* sub Genuensium ditione, Opitergium, vulgo *Oderzo.* Lunæ veteri urbi successit *Sarzana.* Hanc expeditionem memorat Paulus Diac. lib. IV cap. 47, ubi ait a Rothari captas fuisse Romanorum civitates omnes in littore maris *ab urbe Tusciæ Lunensi ad Francorum fines*, et Opitergium ab eo fuisse dirutum.

[b] Alias *Avarorum.* Aliquot cum aspiratione *Habarorum.* Sic et *Hunnorum* pro *Chunorum*, ut sæpe monuimus.

[c] Colb. et Boher. cum plerisque Editis, *Hispania.*

[d] Sic Clarom. Apud Colb., *Alticcus*; Chesn. et Freh., *Altiaus*; alii, *Alticeus*, cum cod. Palat.

[e] Hodie, ut monet Freherus, *Windischemarck.*

[f] Sic Clar., Freh. et Chesn., *Wallaco*; al., *Walduco.*

[g] Sisebuto anno 621 successit Reccaredus II, ejus filius, et isti post tres menses *Suintilla*, sive qui hic *Sintela, Sintilla*, et in codd. quibusdam *Senzila* appellatur, atque in eo desinit Isidori Chronicon. Sisenandus anno 631 Suintillanem e solio exturbavit.

[h] Illyr., quæ erat etiam lectio Colb., sed detrita, *Ægidio.* At Clar. habet *Agecio*, cæteri, *Ejicio*, quo modo in istis codd. Egidii nomen scribi solet. Vide fragmentum 4 ex aliis Fredegarii libris quod infra proferemus.

[i] Boh., *auri solidos.*

[j] Colb. et Ed., *Habundantius.* Hanc capitis 73 partem ad annum seq. revocat Cointius.

[k] Ed. et Colb. cum Boh., *per viam.* Et infra al., *exinde abstrahere.*

[l] Boh., *Magantia... egreditur.*

[m] Scara est turma militum, ut jam observavimus. Infra, pro *Neuster*, vet. Ed. habent *Austris.*

[n] Boh., *hujus.* Ches. et cæteri, *hujus petitionis.*

mos erat [a], super arma placata [*Al.* placita] pro universis Saxonibus firmant. Sed parum hæc promissio sortitur effectum, tamen tributum Saxones, quod reddere consueverant, præceptione Dagoberti habent indultum. Quingentas vaccas inferendales [b] annis singulis a Chlothario seniore censiti reddebant, quod a Dagoberto cassatum est.

An. dcxxxii. — LXXV. Anno 11 [c] regni Dagoberti, cum Winidi jussu Samonis fortiter sævirent, et sæpe transcenso eorum limite regnum Francorum vastandum, Thoringiam et reliquos pagos ingrederentur, Dagobertus Mettis urbem veniens, cum consilio pontificum seu et procerum, omnibusque primatibus regni sui consentientibus, Sigibertum filium suum in Austeris regem sublimavit, sedemque Mettis civitatem habere permisit. Chunibertum [d] Coloniæ urbis pontificem, et Adalgiselum ducem palatium et regnum [e] gubernandum instituit. Thesaurum quod sufficeret filio tradens, condigne, ut decuit, eum hujus culmine sublimavit, et quodcunque eidem largitus fuerat, singillatim præceptionibus roborandum decrevit. Deinceps Austrasii eorum studio limitem et regnum **648** Francorum contra Winidos utiliter defensasse noscuntur.

An. dcxxxiii. — LXXVI. Cumque anno 12 regis Dagoberti eidem filius, nomine Chlodoveus, de Nantechilde regina natus fuisset, consilio Neustrasiorum [f], eorumque admonitione, per pactionis vinculum cum Sigiberto filio suo firmasse dinoscitur. Et Austrasiorum omnes primates pontifices, cæterique leudes Sigiberti, manus eorum ponentes insuper, sacramentis firmaverunt ut Neptricum et Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodovei post Dagoberti discessum aspicerent : Auster vero, idemque ordine solidato, eo quod et de populo et de spatio terræ esset coæquans, ad regnum Sigiberti idemque in integritate deberet aspicere ; et quidquid ad regnum Austrasiorum jam olim pertinuerat, hoc Sigibertus rex suæ ditioni gerendum reciperet, et perpetuo dominandum haberet, excepto ducatu Dentelini [g], quod [*id est*, qui] ab Austrasiis iniquiter abtultus fuerat, iterum ad Neustrasios subjungeretur, et Chlodovei regimini subjiceretur. Sed has pactiones Austrasii terrore Dagoberti coacti vellent nollent firmasse visi sunt. Quod postea temporibus Sigiberti et Chlodovei regum conservatum fuisse constat.

LXXVII. Radulfus dux huius Chamari, quem Dagobertus Thoringiæ ducem instituit, oluribus vicibus cum exercitu Winidorum dimicans, eosque victos vertit in fugam. Hujus victoriæ superbia elatus, et contra Adalgiselum ducem diversis occasionibus inimicitias tendens, paulatim contra Sigibertum jam tunc cœperat rebellare. Sed, ut dictum est, sic agebat : Qui diligit rixas, meditatur discordias.

An. dcxxxv. — LXXVIII. Anno 14 regni Dagoberti, cum Wascones fortiter rebellarent, et multas prædas in regno **649** Francorum, quod Chariberti tenuerat, facerent, Dagobertus de universo regno Burgundiæ exercitum promovere jubet, statuens eis caput exercitus, nomine Chadoindum, referendarium, qui temporibus Theuderici quondam regis multis præliis probabatur strenuus ; qui cum decem ducibus cum exercitibus, id est, Arimbertus [h], Amalgarius, Leudebertus, Wandalmarus, Waldericus, Ermenus, Barontus, Chairaardus ex genere Francorum, Chramnelenus ex genere Romano, Wilibadus patricius ex genere Burgundionum, Aigyna ex genere Saxonum, exceptis comitibus plurimis, qui ducem super se non habebant [i], in Wasconia cum exercitu perrexissent, et tota Wasconiæ patria ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, Wascones de inter montium rupibus egressi ad bellum properant. Cumque præliari cœpissent, ut eorum mos est, terga vertentes, dum cernerent se esse superandos, in fauces vallium, et montes Pyrenæos latebram dantes, se locis tutissimis per rupes eorumdem montium collocantes latitarunt. Exercitus post tergum eorum cum ducibus insequens, plurimo numero captivorum Wascones superatos, seu et ex his magna multitudine interfectos, omnes domus eorum incensas, peculiis [*Al.*, pecuniis] et rebus exspoliant. Tandem Wascones oppressi seu perdomiti veniam et pacem a superscriptis ducibus petentes, promittunt se gloriæ et conspectui Dagoberti regis præsentaturos, et suæ ditioni traditos, cuncta ab eodem injuncta impleturos. Feliciter hic exercitus absque ulla læsione ad patriam fuerint repedati, si Arembertus dux maxime cum senioribus et nobilioribus exercitus sui per negligentiam a Wasconibus in valle Subola [j] non fuisset interfectus. Exercitus vero Francorum, qui de Burgundia in Wasconia **650** accesserat, patrata [*Al.*, parta] victoria redit ad proprias sedes.

[a] Hunc morem omnibus populis Septentrionalibus familiarem fuisse observat Cangius in Glossario, quem consule.

[b] Sic Aimoinus, lib. IV cap. 26, dictas fuisse advertit, quod annis singulis inferrentur.

[c] Cointius legendum hic esse censet *an.* 12, et cap. seq. *an.* 13, sed nihil absque codicis alicujus auctoritate immutare licuit.

[d] Colb. et alii, *Humbertum*, quod perinde est.

[e] Sic legendum esse monet Valesius ex cod. Claromont., cui Chronica Besuense et sancti Benigni, Annales Mettenses cum B. Pippini Vita et cæteri consentiunt, cum Bober. et Freh. qui habet *ducem, palatium*, etc. ; sicut et Ill., licet habeat *palatii*. At Chesn. et alii Ed. cum Colb. : *Adalgiselum ducem palatii ad regnum gubernandum*, etc. Unde aliqui intulere novam a Dagoberto dignitatem ducis palatii tunc fuisse apud Francos institutam. Boh., *Adalgisum* ; alii, *Adagysilum*.

[f] Aliquot Ed., *Austrasiorum*, quod forte eorum auctores in codd. inciderint qui habent *Neauster, Neaustrasii*.

[g] Boh., *ducato Dentileno*, al., *Dansileni*.

[h] Clar. cod. lectionem secuti fuimus. Alii : *Almagarius, Haribertus.. Ermenricus, Barantus, Arialdus*, seu *Hariardus.. Ramelenus*, seu *Ranlenus. Willibaldus, Aghyno*, seu *Agino*.

[i] Hinc postea totidem ex ejusmodi comitibus inter Pares Franciæ allecti sunt, quot duces.

[j] Vallis Subola pagus est ad Pyrenæi radices situs, diœcesis olim Aquensis (*d'Acqs*), nunc vero Eleronensis (*d'Oléron*). Caput habet oppidum Malleonem (*Mauléon*), Sasone fluvio irrigatum. Hodie contractius dicitur Sola, seu Scula, vulgo *la Soule*.

Dagobertus ad Clippiaco residens mittit nuntios in Britanniam, quod Brittones male admiserant velociter emendarent, et ditioni suæ se traderent; alioquin exercitus Burgundiæ, qui in Wasconiam fuerant, de præsenti in Britannias debuissent irruere. Quod audiens Judacaile [a], rex Britannorum, cursu veloci Clippiacum cum multis muneribus ad Dagobertum perrexit, ibique veniam petens, eum cuncta quæ sui regni Britanniæ pertinentes leudibus Francorum illicite perpetraverant, emendandum spondidit; et semper se, et regnum quod regebat Britanniæ, subjectum ditioni Dagoberti et Francorum regibus esse promisit. Sed tamen cum Dagoberto ad mensam vel ad prandium discumbere noluit, eo quod esset Judacaile religiosus et timens Deum valde. Cumque Dagobertus residisset ad prandium, Judacaile egrediens de palatio ad mansionem Dadonis [b] referendarii, quem cognoverat sanctam religionem sectantem, accessit ad prandium, indeque in crastino Judacaile rex Britannorum Dagoberto valedicens in Britanniam repedavit. Condigne tamen a Dagoberto muneribus honoratur.

An. DCXXXVI. — Anno 15 regni Dagoberti, Wascones omnes seniores terræ illius cum Aiginane [c] duce ad Dagobertum Clippiacum venerunt, ibique in ecclesia domni Dionysii regio timore perterriti confugium fecerunt. Clementia Dagoberti vitam habent indultam: ibique sacramentis Wascones firmantes, simul et promittentes se omni tempore Dagoberto et filiis suis, regnoque Francorum fideles fore, quod more solito, sicut sæpe fecerant [d], posthac probavit eventus. Permissu Dagoberti Wascones regressi sunt in terram Wasconiæ.

An. DCXXXVII. LXXIX. — Anno 16 regni sui [e] **651** Dagobertus profluvio ventris in Spinogelo villa super Sigona fluvio, nec procul a Parisius ægrotare cœpit: exinde ad basilicam sancti Dionysii a suis defertur. Post paucos dies cum vitæ suæ sentiret periculum, Æganem sub celeritate ad se venire præcepit, reginam Nantechildem, et filium suum Chlodoveum eidem in manu commendans: se jam discessurum sentiens, consilium Æganæ pergratum habens, quod cum ejus instantia regnum strenue gubernare possit. His gestis, post paucos dies Dagobertus emisit spiritum, sepultusque est in ecclesia sancti Dionysii, quam ipse prius condigne ex auro et gemmis, et multis pretiosissimis speciebus ornaverat, et condigne in circuitu fabricari præceperat, patrocinium ipsius pretiosum expetens. Tantæ opes ab eodem, et villæ et possessiones multæ per plurima loca ibi sunt collatæ, ut miraretur a plurimis. Psallentium ibidem ad instar monasterii sanctorum Agaunensium instituere jusserat; sed facilitas abbatis Aigulfi eamdem institutionem noscitur refragasse [f]. Post Dagoberti discessum filius suus Chlodoveus sub tenera ætate regnum patris ascivit. Omnesque leudes de Neuster et Burgundia eum Massolaco villa sublimant in regnum. Æga vero cum regina Nantechilde, quam Dagobertus **652** reliquerat, regebat palatium.

An. DCXXXVIII. *et* XXXIX. — LXXX. Anno primo regni Chlodovei, secundo, et imminente tertio ejusdem regni anno [g], condigne palatium gubernat et regnum.

[a] Boh., *Judacenle*. Vulgo dicitur Judicael, qui postea dimisso regno vestem monasticam suscepit in monasterio sancti Johannis de Gaelo, hodie sancti Mevennii, in diœcesi Alethensi, seu sancti Maclovii. Memoratur in Martyrologio Benedictino die 17 Kal. Januarii.

[b] Is est sanctus Audoenus, postea Rothomagensis episcopus, vel suo nomine celebris, de quo infra

[c] Ed. cum Colb.; *Ainando*; al., *Amando*.

[d] Ches. addit *fefellerunt*, *ut probavit*.

[e] In illis annis sexdecim computandi sunt ii quos simul cum patre regnavit, atque ita Dagobertus obisse dicendus est anno 638, die XV Kal. Febr., qui annus 637 dici potest, si annus a Paschate inchoatur, ut fit apud Fredegarium. Hanc sententiam post Valesium et Cointium multis argumentis confirmat noster Mabillonius cum in præfatione sæc. II Benedictini, tum in dissertatione singulari ea de re edita tomo III vet. Analect. contra eos qui Dagobertum annos sexdecim post patris mortem regnasse censentes, ejus obitum ad an. 644 differunt. Spinogilum vero vicus ubi Dagobertus ægrotavit, situs est supra Sequanam, a S. Dionysii oppido una circiter leuca dissitus, vulgo *Espinay*, quanquam, ut monet Valesius, *Espineuil* dici et scribi deberet. Sepultus est autem in basilica Dionysiana, quam eo in loco tunc exstitisse cum sanctorum Martyrum sepulcro ubi nunc etiam visitur, duabus circiter leucis ab urbe, compluribus argumentis viri eruditi jam evicerunt, et ex multis chartis autographis primæ regum nostrorum stirpis, quæ lib. VI de Re Diplomatica habentur, confirmari potest. Quin et cum vir cl. Sebastianus le Nain de Tillemont, non minus pietate quam eruditione illustris, tomo IV Historiæ eccles. ea de re quasi dubitando scripsisset, re postea, ab amicis monitus, attentius explorata, agnovit nullis certis rationibus approbari posse eorum sententiam, qui contendunt basilicam in qua sepulti martyres fuerunt, et in qua Dagobertus fuit depositus, in ipsa urbe olim exstitisse; cum e contrario altera sententia validissimis argumentis demonstretur; idque prima data occasione sese in scriptis emendaturum pollicitus est; quod hic testari visum est, quod ipse die 10 Januarii hujus anni 1678 pie fato functus, promissum exsequi non potuerit. Cæterum hodieque apud sanctum Dionysium Dagoberti tumulus ad dexteram majoris altaris visitur, sed qui tantæ antiquitatis esse viris eruditis non videtur. De nobilissimi hujus monasterii, quod exinde regum nostrorum, tertiæ potissimum stirpis, commune conditorium est, prærogativis, sacris cimeliis, plurimis possessionibus, jurisdictionibus, etc., plura proferre supervacaneum esset.

[f] Freh. al., *suffragasse*. Favet Chronic. sancti Benigni, ubi legitur, *jusserat, quod studio et industria abbatis Aigulfi est adimpletum*. Hunc postea Valentiæ episcopum fuisse censet Johannes Columbus; at refragatur Aimoinus, qui lib. IV cap. 40, *Agilulfum* Valentiæ episcopum laudat, et seq. *Aigulfum* abbatem sancti Dionysii. Psallentii Agaunensis nomine hic intellige jugem psalmodiam diu noctuque perseverantem, qualis erat apud Græcos monachos, qui Acœmetæ dicebantur, quasi nunquam dormirent: id per plures turmas distributi præstabant, quem morem ab Aigulfo neglectum restituit Chlodoveus II, ut ex ejus charta patet, quam in appendice dabimus. Idem firmarunt Theodoricus IV et Pippinus.

[g] Sic Clar. et cæteri scripti. Consentiunt Illyr., Col., Bign., Boch. et Bar. At Chesn. et Freh.: *Æga vero anno I Chlodovei, imminente secundo ejusdem regni anno, condigne*, etc., quam lectionem cæteris præferendam esse censet Cointius. At Fredegarius non hic tres annos laudat, quasi quæ in his capitibus

Ægа vero inter cæteros primates Neptrici prudentius agens, et plenitudine patientiæ [*Al.* sapientiæ] imbutus, cunctis erat præcellentior. Eratque genere nobilis, opibus abundans, justitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis : tantummodo a plurimis blasphemabatur, eo quodesset avaritiæ deditus. Facultates plurimorum, quæ jussu Dagoberti in regno Burgundiæ et Neptrico illicite fuerant usurpatæ, et fisci ditionibus contra modum justitiæ redactæ, consilio Æganis [*Al.* Æginanæ] omnibus restauruntur.

LXXXI. Eo anno Constantinus imperator moritur [a]. Constans filius ejus sub tenera ætate consilio senatus in imperio sublimatur. Idem ejus tempore gravissime a Sarracenis vastatur imperium. Hierosolyma a Sarracenis capta, cæteræque civitates eversæ, Ægyptus superior et inferior a Sarracenis pervaditur. Alexandria capitur et prædatur. Africa tota vastatur, et a Sarracenis possidetur. Paululum, ibique Gregorius patricius a Sarracenis est interfectus. Constantinopolis tantum cum Thraciana **653** provincia et paucis insulis, etiam et Romana [b] provincia imperii ditioni remanserat. Nam maxime totum imperium a Sarracenis graviter fuit attritum : etiam et in postremo imperator Constans constrictus atque compulsus, effectus est Sarracenorum tributarius, ut vel Constantinopolis cum paucis provinciis et insulis suæ ditioni reservaretur. Tribus annis circiter, et fertur adhuc amplius, per unumquemque diem [c] mille solidos auri erariis Sarracenorum Constans implebat. Tandem resumptis viribus Constans imperium aliquantisper recuperans, tributa Sarracenis implenda refutat. Quemadmodum hoc factum fuisset eventum, anno in quo expletum est, in ordine debito referam, et scribere non silebo, donec de his et aliis optata, si permiserit Deus, perficiam, huic libello cuncta mihi ex veritate cognita inseram.

LXXXII. Eo anno Sintela [d] rex Spaniæ, qui Sisenando in regno successerat, defunctus est. Hujus filius, nomine Tulga, sub tenera ætate Spaniis petitione patris sublimatur in regno. Gotthorum gens impatiens est, quando super se forte jugum non habuerit. Hujus Tulganis adolescentia omnis Spania more solito vitiator, diversa committens insolentia. Tandem

A unus ex primatibus, nomine Chintasindus, collectis plurimis senatoribus Gotthorum, cæteroque populo, in regnum Spaniæ sublimatur, qui Tulganem degradatum ad onus [e] clericatus tonsorari fecit : cumque omne regnum Spaniæ suæ ditioni firmasset, cognito morbo [*Al.* more] Gotthorum, quem de regibus degradandis habebant, unde sæpius cum ipsis in consilio fuerat, quoscunque ex eis hujus vitii promptum contra reges, qui a regno expulsi fuerant, cognoverat fuisse noxios, totos singillatim jubet interfici [f], aliosque exsilio condemnari, eorumque uxores et filias suis fidelibus cum facultatibus **654** tradit. Fertur de primatibus Gotthorum hoc vitio reprimendo ducentos fuisse interfectos : de mediocribus quingentos interficere jussit. Quo usque hunc morB bum Gotthorum Chintasindus cognovisset perdomitum, non cessavit quos in suspicione habebat gladio trucidare. Gotthi vero a Chintasindo perdomiti, nihil adversus eumdem ausi sunt, ut de regibus consueverant inire consilium. Chintasindus cum esset plenus dierum, filium suum nomine Richysindum in omni regno Spaniæ regem stabilivit. Chintasindus pœnitentiam agens, eleemosynam multam de rebus propriis faciens, plenus senectute fertur nonagenarius mortuus esse.

AN. DCXL. — LXXXIII. Anno 3 regni Chlodovei regis, Ægа in Clippiaco villa vexatu a febre moritur. Ante pauces dies Ermenfredus, qui filiam Æganis uxorem acceperat, Ænulfum [g] comitem in Albiodero vico in mallo [h] interfecit. Ob hanc rem gravisC sima strages de suis rebus, jussione et permissu Nantechildæ, a parentibus Ænulfi et populo plurimum fitur. Ermenfredus in Auster Remus ad basilicam sancti Remedii fecit confugium, ibique diebus plurimis hanc infestationem devitando et regio timore resedit.

LXXXIV. Post discessum Æganæ Erchinoaldus major domus, qui eo sanguineus fuerat de genitrice [i] Dagoberti, major domus palatii Chlodovei efficitur. Eratque homo patiens, bonitate plenus, cum esset patiens et cautus, humilitate et benigna voluntate circa sacerdotes, omnibusque patienter et benigne respondens, nullaque tumens superbia, neque cupi-

narrat tribus his annis consignanda sint ; sed vult solummodo Ægam seu Æganem palatium primo et secundo anno gubernasse, ac tertio imminente defunctum, ut dicit infra, cap. 83. Consentit Chronicum sancti Benigni.

[a] Constantinus Heraclio patri successit an. 641, quo paulo post a Martina noverca, ut fertur, veneni potione necato, Heracleonas, ex ipsa alter Heraclii filius, successit. Sed ipsi post sex menses edicto senatus naribus præcisis, et lingua matri abscissa, substitutus est Constans, Constantini filius, Monothelitarum defensor.

[b] Hodie Romania dicitur, quæ Thraciam proprie dictam et alias vicinas regiones comprehendit. Boh. et vet. Ed., *Thraciana provincia imperii*, cæteris omissis.

[c] Colb., alia manu, *annum*.

[d] Alii, *Sentela*, seu *Sintilla*. Vulgo dicitur Cinthila, aut Suinthila II, cui successit Tulca, qui in edit. plerisque *Tolga*, in Boh. *Tholga* appellatur ; atque eum an. 642 exturbavit Chindaswindus, qui an. 649 Receswinthum filium suum monarcham reliquit.

[e] Alii, *honus*, pro *honorem*, ut vet. Editi.

[f] Idem fecerat Leuvigildus. Vide Gregor. lib. vi Hist. cap. 30, et notas Alteserræ in idem caput.

[g] Clar., semel, *Chainulfum* ; alias, *Ainulfum* appellat. Colb., *Aniulfum*, seu *Aginulfum* in indice Boh., *Agnulfo*.

[h] Mallus dicebatur conventus totius regionis, seu placitum majus, in quo res majoris momenti a comite finiebantur. Vide Glossarium Cangii.

[i] Alii, *genere* ; plerique *genetrice*, seu *genere Dagoberto*. Erchinoaldus Balthildem postea reginam e captivitate redemit, sanctum Furseum excepit, eique Latiniacum pro construendo monasterio donavit, ecclesiamque sub ipsius nomine apud Peronam construxit. Obiit paulo ante sanctum Eligium ex ipsius sancti Eligii Vitæ lib. II, cap. 26, id est circa annum 659.

ditate sæviebat : tantum in suo tempore pacem sectatus fuit, ut Deo esset placibile. Erat sapiens, sed in primis maxima cum simplicitate, rebus mensuratim ditatus, ab omnibus erat dilectus. Igitur post discessum Dagoberti **655** regis, quo ordine ejusdem thesauri inter filios divisi fuerint, non omittam : sed dilucidato ordine huic volumini inseri procurabo.

LXXXV. Cum Pippinus major domus, post Dagoberti obitum, et cæteri duces Austrasiorum, qui usque in transitu Dagoberti suæ fuerant ditioni retenti, Sigibertum unanimi conspiratione expetiissent, Pippinus cum Chuniberto, sicut et prius amicitiæ cultu in invicem collocati fuerant, et nuper sicut et prius amicitia vehementer se firmiter perpetuo conservanda obligant, omnesque leudes Austrasiorum secum uterque prudenter, et cum dulcedine attrahentes, eos benigne gubernantes, eorum amicitiam constringunt, semperque servant. Igitur discurrentibus legatis, partem Sigiberto debitam de thesauris Dagoberti Nantechildæ reginæ et Chlodoveo regi a Sigiberto requiritur, ad quod reddendum placitus instituitur. Chunibertus pontifex urbis Coloniæ, et Pippinus major domus cum aliquibus primatibus Austere a Sigiberto directi villam Compendium [a] usque perveniunt, ibique thesaurus Dagoberti, jubente Nantechilde et Chlodoveo, instantia Æganis majoris domus præsentatur, et æqua lance dividitur : tertiam tamen partem, de quod Dagobertus acquisierat, Nantechildis regina percepit. Chunibertus et Pippinus hunc thesaurum, quæ pars fuit Sigiberti, Mettim faciunt perducere; Sigiberto præsentatur et describitur. Post vero [b] anni circulum Pippinus moritur, nec parvum dolorem ejusdem transitus cunctis generavit in Auster, ex eo quod **656** ab ipsis pro justitiæ cultu et bonitate ejusdem dilectus fuisset. Grimoaldus filius ejus, cum esset strenuus, ad instar patris diligitur a plurimis.

LXXXVI. Otto quidam filius Uronis [c] domestici, qui bajulus Sigiberti ab adolescentia fuerat, contra A Grimoaldum superbia tumens, et zelum ducens, eumque despicere conaretur. Grimoaldus cum Chuniberto pontifice se in amicitiam constringens, cœperat cogitare quo ordine Otto de palatio ejiceretur, et gradum patris Grimoaldus assumeret.

An. dcxl.— LXXXVII. Cumque anno 8 [d] Sigibertus regnaret, et Radulfus dux Thoringiæ vehementer Sigiberto rebellare disposuisset, jussu Sigiberti omnes leudes Austrasiorum in exercitu gradiendum banniti sunt [e]. Sigibertus Rhenum cum exercitu transiens, gentes undique de universis regni sui pagis ultra Rhenum cum ipso adunatæ sunt. Primo in loco filium Chrodoaldi, nomine Farum [f], qui cum Radulfo unitum habebat consilium, exercitus Sigiberti trucidans rupit, ipsumque interfecit : omnem populum hujus B Fari qui gladium evasit, captivitati deputant. Omnesque primati et exercitus dextras invicem dantes, ut nullus Radulfo vitam concederet, sed hæc promissio non sortitur effectum. Sigibertus deinde Buchoniam cum exercitu transiens, Thoringiam properans. Radulfus hæc cernens castrum lignis munitum in quodam monte super Unestrude fluvio in Thoringia construens, exercitum undique, quantum plus potuit, colligens, cum uxore et liberis in hoc castro, ad se defensandum stabilivit : **657** ibique Sigibertus cum exercitu regni sui veniens, castrum undique circumdat exercitus; Radulfus vero intrinsecus ad prælium fortiter præparatus sedebat. Sed hoc prælium sine consilio initum est. Hoc adolescentia Sigiberti regis patravit, cum alii eodem die vellent procedere ad C bellum, et alii in crastino, nec unitum habentes consilium. Grimoaldus et Adalegiselus duces hæc cernentes, Sigiberti periculum zelantes, eum undique sine intermissione custodiunt. Bobo dux Arvernus cum parte exercitus Adalegiseli, et Ænovalaus [g] comes Sogiontensis cum pagensibus suis, et cætera exercitus manus plurima, contra Radulfum ad portam castri protinus pugnandum perrexerunt. Radulfus cum aliquibus ducibus exercitus Sigiberti fidu-

[a] Nullus fortasse locus exstat in Francia, quem Reges frequentius excoluerint. Vulgo dicitur *Compiègne*, situs paulo infra confluentes Axonæ in Isaram. Vide lib. IV de Re Diplomatica. Hodieque celebre est oppidum, ubi insignis abbatia ordinis Benedictini et congr. sancti Mauri, quæ natales suos Carolo Calvo debet.

[b] Colb. et Freh. : *Post fertur anni circulum.* Boh., *circulus.* Circulus ille anni post thesauri divisionem interpretandus est, non vero post Æganis mortem, uterque enim anno 640 obiit. Pippinus sepultus est Landis ad Getam amnem in Hasbaniæ et Brabantiæ confinio, nunc exiguo oppido, haud procul a monasterio sancti Trudonis. Vide lib. IV de Re Diplomatica. Ab eo loco Pippinus *Landinensis* cognomen accepit. Corpus ejus, postea Nivigellam translatum, juxta sanctam Gertrudem suam ipsius filiam depositum est; quod monasterium hæc ejus uxor cum sancta Gertrude construxerat. Sancti Pippini vitam Chesnius tomo I, et Bollandus die 21 Februarii, quo ipsius festum colitur, exhibent.

[c] Ches., *Beronis;* al., *Vronis, Vironis, Eronis, Aronis.* Boh., *Vrones.* Bajulus regis dicebatur, qui ejus educationis curam habebat; unde vulgus eos *monitores* appellabat, ut patet ex Lupi Ferrariensis abbatis epist. 64, ad Carolum regem : *Non admittentur a vobis monitores, quos bajulos vulgus appellat, ne gloriam vestram inter se ipsi partiantur.* Hinc magna auctoritate pollebant, quod ut plurimum omnia eorum nutu fierent. De his fuse et erudite disserit Cangius in Glossario.

[d] Colb. : *Cumque anno* 9. Sic legit Sigibertus Gemblacensis in Chronico Freh., *an.* 7.

[e] Jam de hac voce aliquid observavimus in notis ad Gregorium. Bannum est edictum seu denuntiatio alicujus rei. Quandoque etiam sumebatur pro pœna iis qui non obtemperaverant inflicta; sicut et heribannum (*l'arrière-ban*) mulctam signabat eorum qui ad exercitum ire neglexerant. Non plane exolevit harum vocum usus. Etenim hodie dicimus *convoquer le ban et l'arrière-ban*, et *être mis au ban de l'empire.* Quin et nuptiarum proclamationes in ecclesiis fieri solitas *bannos* dicimus.

[f] Editi plerique, *Farum filium Chroaldi nomine cum.* Mss. cum Freh., *Faram;* et infra, *Farœ;* Clar., *Faram filio Chrodoaldo*, etc. Colb. et Editi complures, *exercitum Sigiberti trucidans*, quod est mendosum.

[g] Boh., *Sogotinsis.* Colb. et editi plerique, *Enovalaus Sigiotensis* (*le Suntgaw*). Chesn. et Freb., *Naualaus;* al. *Innovalaus, Ænovalatus*, et sic infra.

ciam haberet, quod super ipsum non voluissent viribus irruere, de castro per portam prorumpens, super exercitum Sigiberti cum suis irruens, tanta strages a Radulfo cum suis de exercitu Sigiberti fitur, ut mirum fuisset. Magancenses in hoc prælio non fuerunt fideles. Ferturque ibi plurima millia hominum fuisse trucidata gladio. Radulfus patrata victoria in castrum ingreditur. Sigibertus cum suis fidelibus gravi amaritudinis mœrore arreptus, super equum sedens, lacrymas oculis prorumpens, plangebat quos perdiderat : et Bobo [*Al.*, Bodo] dux, et Ænovallens comes, et cæteri nobilium fortissimi pugnatores, seu et plurima manus exercitus Sigiberti regis, qui cum ipsis in congressione certaminis essent aggressi, conspiciente Sigiberto, hoc prælio fuerunt trucidati. Nam et Fredulfus [a] domesticus, qui et amicus Radulfi fuisse dicebatur, hoc prælio occubuit. Sigibertus eadem nocte nec procul ab ipso castro in tentoriis cum suo remansit exercitu. In crastinum videntes quod Radulfo nihil prævaluissent, missis discurrentibus ut Rhenum pacifice **658** iterum transmearent, cum Radulfi convenientia Sigibertus et ejusdem exercitus ad proprias sedes remeant. Radulfus superbia elatus ad modum regis in Thoringia se esse censebat, amicitias cum Winidis firmans, cæterasque gentes, quas vicinas habebat, cultu amicitiæ obligabat. In verbis tamen Sigiberto regimen non denegabat, sed in factis fortiter ejusdem resistebat dominationi.

An. DCXLI. — LXXXVIII. Anno 10 regni Sigiberti, Otto, qui adversus Grimoaldum inimicitia per superbiam tumebat, factione Grimoaldi, a Leuthario duce Alamannorum interficitur. Gradus honoris majoris domus in palatio Sigiberti, et omni regno Austrasiorum in manu Grimoaldi confirmatus est vehementer [b].

An. DCXLII. — LXXXIX. Anno 4 regni Chlodovei, cumque Nantechildis regina cum filio suo Chlodoveo rege, post discessum Ægunæ, Aurelianis in Burgundiæ regnum venisset, ibique omnes seniores, pontifices, duces et primates de regno Burgundiæ ad se venire præcepit : ibique cunctos Nantechildis singillatim attrahens, Flaochatus [c], genere Francus, major domus in regnum Burgundiæ, electione pontificum et cunctorum ducum, a Nantechilde regina in hunc gradum honoris nobiliter stabilitur, neptemque suam, nomine Ragnobertam [d] Flaochato desponsavit : sponsalia hæc nescio qua factione fiuntur. Nam aliud consilium secrete Flaochatus et Nantechildis regina machinantur, quod creditur Deo non fuisse placibile, ideoque non mancipavit effectum. Cumque Erchinoaldus et Flaochatus majores domus inter se quasi unum iniissent consilium, consentientes ad invicem, hunc gradum honoris, alterutrum solatium præbentes, disponunt habere feliciter. Flaochatus cunctis ducibus de regno **659** Burgundiæ, seu et pontificibus per epistolam, etiam et sacramentis firmavit, unicuique gradum honoris et dignitatem, seu et amicitiam perpetuo conservare. Hac dignitate sublimatus Flaochatus regnum Burgundiæ pervagatur, consilium assidue iniens, priorem inimicitiam, qua cordis arcana diu celaverat, memorans, Willebadum patricium interficere disponebat.

XC. Willebadus cum esset opibus abundans, et plurimorum facultates ingeniis diversis abstollens, ditatus inclyte fuisset, et inter patriciatus gradum, et nimiarum facultatum elationem superbiæ esset deditus, adversus Flaochatum tumebat, eumque despicere conabatur. Flaochatus collectis secum pontificibus et ducibus de regno Burgundiæ, Cabillono pro utilitate patriæ tractandum mense Madio placitum instituit. Ibique et Willebadus multitudinem secum habens advenit. Flaochatus ibidem Willebadum interficere nitebatur. Hæc cernens Willebadus palatium noluit introire. Flaochatus foris contra Willebadum præliandum aggreditur. Amalbertus vero germanus Flaochati ad pacandum intercurrens, ubi jam in congressione certaminis confligere debuerant, Willebadus Amalbertum secum retinens de hoc evasit periculo. Intercurrentibus et cæteris personis separantur illæsi. Flaochatus deinceps vehementem inibat [e] consilium de interitu Willebadi. Eo anno Nantechildis regina moritur [f]. Ipso anno mense Septembri Flaochatus cum Chlodoveo rege, et Erchinoaldo, itidemque majore domus, et aliquibus primatibus Neustrasiis, de Parisiaco promovens per Senonas et Autissiodorum, Augustudunum accesserunt ; ibique Chlodoveus Willebadum patricium ad se venire præcepit. Willebadus cernens iniquum consilium Flaochati, et germani sui Amalberti, Amalgarii et Chramneleni [g] ducum, de suo interitu fuisse initum, colligens secum plurimam multitudinem de patriciatus sui termino, etiam et pontifices, seu nobiles, et fortes, quos congregare potuerat, Augustudunum gradiendum iter arripuit. Cui **660** obviam a Chlodoveo rege, Erchinoaldo majore domus, et Flaochato, Ermenricus domesticus dirigitur, eo quod Willebadus trepidabat, utrum accederet, an suum devitando pe-

[a] Ches. et Freh., *Freudolfus*.

[b] Postea eo in oleniiæ devenit, ut defuncto Sigiberto, ejusque filio Dagoberto in Scotiam amandato, Childebertum filium suum Austrasiæ regem salutari jusserit. Quod facinus regni optimates detestati, tyranno exturbato, Grimoaldum Parisiis in vincula conjecere, ubi defunctus est Tunc que Dagobertus, a proceribus regni revocatus, paternum Austrasiæ regnum accepit. Qua de re Valesius lib. XX et XXII Rerum Francic. ; Henschenius in Vitam sancti Sigiberti, die 1 Febr. ; Bollandiani et Mabillon. in præf. tomi II Actor. sanctorum ord. Benedictini. Sigibertus sepultus est in monasterio sancti Martini quod prope Mettas construxerat ad ripam Mosellæ, ubi sacræ ejus reliquiæ ad an. 1552 servatæ fuerunt. Quo anno, destructa funditus sancti Martini abbatia, delatæ sunt Nanceium, ubi in ecclesia quam appellant primatialem, ex ejusdem abbatiæ aliorumque sacrorum locorum spoliis et reditibus dotata, quiescunt. Festum ejus colitur die 1 Februarii.

[c] Alii, *Flaucadus*, seu *Flaochadus*, et sic infra.

[d] Colb. et Editi quidam, *Regimbertam* ; al., *Ragnobertam* ; Ches., *Ragnobergam*.

[e] Colb. et Editi aliquot, *vehementer minabat consilium*. Bob., *eminebat* ; alii, *eliminabat*.

[f] Sepulta est in basilica sancti Dionysii.

[g] Colb., *Ramleni*. Editi aliquot, *Ramneleni* : al. *Chramneli*, *Cramleni*, et sic infra.

siculum rep daret, ut ab Ermenrici promissionibus præventus usque Augustudunum aggrederetur, quem ille credens condigne [*Al.*, digni-] muneribus honoravit. Post tergum ejus Augustudunum accessit, ibique tentoria cum suis nec procul ab urbe posuit. Eodem die quo ibidem peraccesserat, Agilulfum [a] Valentiæ urbis episcopum, et Gysonem comitem ad prævidendum quæ agebantur Augustudunum direxerat, qui a Flaochato in urbe retenti sunt. In crastino Flaochatus, Amalgarius et Chramnelenus, qui consilium de interitu Willebadi unanimiter conspiraverant, de urbe Augustuduno maturius promoventes, cæterique duces de regno Burgundiæ cum exercitu eis subjunguntur. Erchinoaldus cum Neustrasiis quos secum habebat, idemque arma sumens ad hoc bellum aggreditur. Willebadus e contra tela prælii [b] construens quoscunque potuit adunare, phalanges utræque in congressione certaminis junguntur ad prælium : in ea pugna Flaochatus, Amalgarius et Chramnelenus, itemque Wandelbertus duces cum suis in congressione certaminis contra Willebadum pugnandum confligunt. Nam cæteri duces, vel Neustrasii, qui undique eosdem debuerant circumdare, se retinentes aspiciebant, exspectantes eventum, noluerunt super Willebadum irruere; ibique Willebadus interficitur : plurimi cum ipso de suis gladio trucidantur. Eo certamine cæteris primus Bertharius comes palatii, Francus de pago Ultra-Jurano, contra Willebadum confligit. Adversus quem frendens Manaulfus Burgundio, exiens de inter cæteris cum suis adversus Bertharium præliandum; Bertharius eo quod prius illi amicus fuisset, dicens : Veni sub clypeo meo, de hoc periculo te liberabo. Cumque ad eum liberandum A clypeum elevasset, Manaulfus cum conto Bertharium in pectore percutiens, cæteri qui cum eo venerant, ipsumque **661** circumdantes, eo quod Bertharius ninium reliquis præcessisset, vulneratur graviter. Tunc Aubedo [c], filius Bertharii, cernens patrem in periculo mortis, cursu velocissimo patri auxiliando perrexit. Manaulfo conto percusso in pectore, terra prostravit; cæteros qui patrem percusserant totosque interfecit. Sic Bertharium suum genitorem, ut fidelis filius, præstante Domino, liberavit a morte. Illi vero duces qui cum eorum exercitu super Willebadum irruere noluerant, tentoria Willebadi, episcoporum, vel cæterorum, qui cum eo venerant, deprædando, plurimum inibi auri et argenti capiunt : reliquisque [d] rebus et equitibus [*Al.*, equis] ab his qui præliare B noluerant perecpti sunt. Illis ita gestis, Flaochatus in crastino de Augustuduno promovens, Cabillonum perrexit. Ingressus in urbem, urbs **662** in crastino nescio quo casu maxime tota incendio concrematur. Flaochatus judicio Dei percussus, vexatus a febre, collocatus in scapham, evectu navali per Ararim fluvium, qui cognominatur Saoconna [*Al.*, Sagonna], Latenam properans, in itinere, undecimo die post Willebadi interitum, emisit spiritum; sepultusque est in ecclesia sancti Benigni in suburbano Divionensi. Creditur a plurimis hi duo, Flaochatus et Willebadus, eo quod multa in invicem per loca Sanctorum de amicitia obliganda sacramenta dederant, et uterque populos sibi subjectos cupiditatis instinctu inique oppresserant, simul et a rebus nudaverant [e], quod C judicio Dei de eorum oppressione plurima multitudo liberata sit, et eorum perfidia et mendacia eos utrumque interire fecissent [f].

EXPLICIT FREDEGARII CHRONICUM.

[a] Aliquot Editi, *Ailulfum;* Freh., *Aigulfum.*

[b] Freherus suspicatur legendum esse *telam prælii.*

[c] Clar. et Ch. al., *Chaubedo.*

[d] Id est, *reliquasque res et equites*, seu *equos.*

[e] Clar., Boh., Colb. et Palat., *in populis sibi subjectis... oppresserant simul letarebus.* Freh., *lateribus.* De utriusque morte vide sancti Eligii Vitam, quam scripsit sanctus Audoenus, et Vitam sancti Sigiranni sæc. II Benedictino.

[f] Hic desinit Chronicon in codice Claromontensi, qui circa id tempus scriptus videtur, ut in præfatione diximus. Idem habet vetus codex qui olim fuit Melchioris Goldasti, ab Henschenio tomo I Februarii Bollandiani laudatus in observat. ad Vitam sancti Sigiberti. Quem codicem ne fortasse aliquis imperfectum dicat, vetat clausula *Explicit*, quæ in fine tam indicis quam ipsius Chronici apposita est. Is ipse D codex est, ni fallor, quem Valesius laudat lib. XX Rerum Francic. ex bibliotheca Christinæ Suecorum reginæ. Quin et in cod. Boberiano, in quo subsequentia Chronica omnesque additiones habentur, spatium hic relinquitur vacuum, tum per litteram majusculam habet *Igitur*, etc., et index capitulorum operi præfixus desinit in 89, *de Willibaldi et Flacoaldi interitu.* Unde patet hæc opuscula omnino esse diversa. Porro licet Fredegarius Chronicum anno 4 Chlodovei, qui vulgaris æræ fuit 641, aut 642, juxta Valesii computum, concluserit, eum tamen ultra hunc annum vitam produxisse patet ex cap. 48, ubi Samonem an. 40 Chlotarii regis, Christi 623, in regem a Winidis electum, et annis 35 regno potitum fuisse scribit; Chindasvindi etiam regis Hispaniarum mortem et alia memorat, quæ post Chlodovei mortem contigerunt.

FREDEGARII SCHOLASTICI
Chronicum continuatum.

PARS PRIMA,

AUCTORE ANONYMO.

663 XCI. Igitur [a] Chlodoveus filius Dagoberti ex genere alienigenarum reginam accipiens, nomine Balthechildem [b], prudentem atque elegantem, genuit ex ea filios tres, Chlotharium, Childericum et Theodoricum: habebatque majorem domus palatii virum strenuum atque sapientem, nomine Erchanwaldum [c]. Chlodoveus itaque in regno pacem habuit absque bello. In extremis vero vitæ annis amens effectus vita caruit, regnavitque annos decem et octo [d].

Anno dclvi. — XCII. Franci quoque Chlotharium filium ejus majorem in regno statuunt, cum præfata regina matre. Eodem 664 quoque tempore mortuus est Erchanwaldus major domus palatii. Franci autem in incerto vacillantes, accepto consilio, Ebroinum in hujus honoris curam ac dignitatem statuunt.

An. dclx. — XCIII. Hisce diebus Chlotharius rex, a valida febre correptus, obiit in juventute, regnavitque annos quatuor [e].

An. dclxix. — Theodoricus vero frater ejus in regnum successit; Childericus enim frater ejus [f] in Auster a Francis in regnum elevatus est, apud Wulfoaldum ducem.

XCIV. Eo tempore Franci adversus Ebroinum insidias præparant; contra Theodoricum insurgunt, eumque 665 a regno dejiciunt: crines capitis ejus abscindentes totonderunt, Ebroinumque et ipsum tondunt, et in Burgundiam Luxovium monasterium invitum dirigunt. Propter Childericum in Auster legationem mittunt; una cum Wolfaldo duce venientem, eumque super cunctum regnum suscipiunt.

XCV. Erat enim ipse Childericus rex levis atque citatus nimis, gentem Francorum in seditionem mittens, et in scandalum ac derisum; donec odium non modicum inter ipsos crevit usque ad scandalum et ruinam. Quo ingravescente unum Francum nobilem, nomine Bodilonem, ad stipitem tensum cædere contra legem præcepit. Videntes hæc Franci, in ira magna commoti, Ingolbertus videlicet et Amalbertus, vel reliqui majores natu Francorum, seditionem contra ipsum Childericum concitaverunt.

An. dclxxiii. — Memoratus Bodilo super eum cum

[a] Hujus appendicis auctor is ipse est, ut videtur, qui varia Chronica in unum corpus collegit. Hiatum annorum circiter 39 qui effluxerunt a fine Chronici Fredegarii ad an. 680, quo incipit sequens Chronicum, infra, cap. 97, supplevit potissimum ex anonymo, qui *Gesta regum Francorum* scripsit sub Theodorico Calensi, et Monacho Dionysiano, Gestorum Dagoberti ejusque filii Chlodovei scriptore. Unde cum isti auctores complures fabellas suis scriptis interseruerint, non magna est apud viros eruditos hujus continuatoris auctoritas.

[b] Balthildis ex genere Saxonum, qui scilicet cum Anglis et Jutis in Britanniam Majorem sæculo v transierant, exorta, ex captiva in regium thalamum ascita est. Conjuge defuncto regnum administravit; et tandem in monasterium Calæ quod ædificaverat secessit, ibique monialis facta, obiit anno 680, die 30 Januarii, quo festum ejus recolitur. Vitam ejus habes sæculo II Benedictino, pag. 775. Visitur etiamnunc ibi ejus sepulcrum in crypta subterranea.

[c] Sic Colb. et Pal. Boh., *Baldigilde.. Herchonaldo.* Cæteri, *Erchoaldum.* Is est Erchinoaldus supra laudatus.

[d] Boher., *annos* XVII. Sepultus est in basilica sancti Dionysii. Eo regnante multum crevisse dicitur Majorum domus potentia, quæ eo demum devenit, ut illi, pulsis regibus, coronam sibi tandem imposuerint. Cæterum Cointius multum invehitur in eos qui subsequentes reges ignavos appellaverunt.

[e] Legendum *quatuordecim*. Sed post annos quatuor regni Chlotarii, Childericus ipsius frater Austrasiæ rex factus est, anno scilicet 660. Anno vero 669, defuncto Chlotario, Theodoricus III, utriusque frater, in regnum Neustriæ et Burgundiæ elevatus, paulo post e throno dejicitur, Ebroinoque apud Luxovium relegato, Childericus monarchiam obtinuit, quod auctor noster hoc cap. et seq. exponit. Cæterum alii qui recentiores Chlotarium in basilica sancti Dionysii sepultum fuisse scribunt; sed verisimilius est eum in monasterio Calensi fuisse depositum, ubi etiam nunc ejus sepulcrum cum ipsius effigie lapidea ab annis circiter 700 sculpta ostenditur. Cæterum Chlotarii annum tertium in annum 659 incidisse fusius probat noster Mabillon, tomo III Analect. ex veteri inscriptione codicis ms. Fossatensis, quæ sic habet: *Anno centesimo post explicitonem numeri sancti Victori episcopi ciclum recapitulantem, anno tertio domni Clotharii regis indolis, ex jusso ipsius principes, vel genetricæ suæ præcelsæ dominæ Balthildæ reginæ*, etc.

[f] Omissa una linea editi sic habent: *Theodoricus vero frater in Austria*, quod a vero aberrat; nam jam tunc Childericus regnabat in Austria. Mendum hoc, quod viris eruditis negotium facessiverat, ope mss. sanavimus.

reliquis quamplurimis surrexit insidiaturus, et regem in Lauchonia [a] silva, una cum regina ejus prægnante, nomine Bilihilde, quod dici dolor [b] est, interfecit. Vulfoaldus quoque per fugam lapsus evasit, et in Auster reversus est. Franci vero Leudesium filium Erchanwaldi nobilem in majoris domatus dignitatem statuunt per consilium beati Leudegarii et sociorum ejus.

666 XCVI. Ebruinus audiens has dissensiones, consilio accepto, Francos invicem discordantes, convocatis in auxilium sociis, personis quam plurimis, cum multo comitatu exercituum, a Luxovio cœnobio egressus in Franciam regreditur, usque Isram fluvium [c] veniens peraccessit, custodes dormientes interfecit ad Sanctam Maxentiam, atque Isram fluvium transiens, quos ibi invenit de insidiatoribus suis occidit. Leudesius major domus una cum thesauris regis per fugam dilapsus evasit, a Bacivo [d] villa evadens aufugit : ibique adveniente Ebruino, thesauros quos ibi reperit apprehendit. Inde egressus, Criscecum [e] villam veniens in Pontio, Leudesio subdole fidem promittit, simulans fefellit, facto placito ut conjuratione facta cum pace discederet. Sed Ebruinus fallaciter agens, ut solebat, compatri suo insidias præparans, ipsum Leudesium occidit, regem Theodericum in regnum restitutum, ipse [f] suum principatum sagaciter restauravit. Sanctum Leudegarium episcopum, crudelissimis tormentis cæsum, gladio perimi jussit [g]. Gerinum germanum ejus diverso tormento trucidavit. Reliqui viri Franci eorum socii, per fugam lapsi, Ligerem transgressi, usque Wascones confugerunt : quamplurimi vero in exsilio damnati ultra non comparuerunt.

[a] Colb. et Boh., *insidiaturus in regem in Lauconis silva.... Bilichilde.* Hanc silvam eam esse putant quæ inter Calam, villam tunc regiam, et Sancti Dionysii oppidum interjacet; hodie Liberiacensis silva dicitur, vulgo *la forêt de Livri*, aut certe Bungiacensis, *de Bondi*. Non enim audiendi sunt qui hoc contigisse putant prope Rotomagum, ubi aiunt Childericum cum uxore sua Bilechilde fuisse sepultum in ecclesia sancti Petri, quæ hodie protectoris sui nomine sancti Audoeni appellatur. Hoc nempe extra controversiam esse debet, ex quo eorum sepulcra detecta sunt in ecclesia sancti Germani a Pratis, cum ante annos circiter 40 restauraretur. Præter insignia regia in Childerici sepulcro, hæc inscriptio litteris majusculis exarata inventa fuit, CHILDR. REX. Videsis Valesium ea de re disserentem lib. XXI Rerum Francic.

[b] Alii, *dolus est*, quæ vox pro *dolor* non semel occurrit.

[c] Editi, *Issam*; al., *Isaram*. Est Isara, vulgo *l'Oise*, ad quam etiamnunc hodie perstat oppidum a ponte et Sancta Maxentia vulgo *le Pont-Sainte-Maxence* dictum. Porro hac occasione Chlodoveum quemdam parvulum Ebroinus in regem extulit, quem Chlotarii filium esse mentiebatur. Dagobertus vero II in ea parte Austrasiæ quæ cis ultraque Rhenum huic fluvio vicina erat, regnavit ad an. 680. De ejus in Gallias reditu, cæde et sepultura, fuse disserit Mabillonius in præfatione sæculi IV, Act. sanctorum ord. Bened. parte I, § 9, num. 198 et seqq. Is est *sanctus Dagobertus rex et martyr*, qui colitur Satanaci (*Steenay*). Memoratur in kalendario Emmæ reginæ, quod Rhemis in bibliotheca Rhemigiana servatur, die X Kal. Januarii, quo eum martyrium pertulisse dicit vetus auctor, idque, ut Mabillonius probat, an. 679.

[d] Sic omnino legendum esse haud dubium est, quanquam vulgo *Abacivo* præferant codices, unde Samson Abbavillæus et Cointius hic Abbatisvillam, vulgo *Abbeville*, designari putaverunt. At Bacium villa est regia olim celebris, antequam a Normannis vastaretur, prope Corbeiam sita, cujus rudera etiamnunc visuntur, vicusque nomen *Baisis* retinet. Vide libr. IV de Re diplomat. num. 12.

[e] Alias Creciacum, cum silva cognomini in Pontivo (*Crécy en Ponthieu*), non ad Alteiam, ut Valesio visum est, sed ad Maiam fluvium. Vide lib. IV de Re diplomat. num. 46.

[f] Boh., *in regno constituto, ipsi suum.*

[g] Occisus est in pago Atrebatensi die V Nonas Octobris, anno 678, et sepultus apud Sarcingam (*Sorcin*). Vide hujus Vitam duplicem a coæqualibus auctoribus scriptam in sæculo II Benedictino. Gerinus vero, seu Guarinus, ejus frater, eadem die uti Martyr etiam colitur in Martyrologio Romano, qui lapidibus obrutus fuisse dicitur in secunda Vita sancti Leodegarii, num. 11. Rem fusius narrat ipse Leodegarius in epistola ad suam matrem data. In kalendario veteri monasterii Murbacensis in Elsatia, ab annis circiter quingentis scripto, memoratur sanctus Gerinus martyr VIII Kal. Septembris.

PARS SECUNDA,

AUCTORE ANONYMO AUSTRASIO.

687 Anno DCLXXX.—XCVII. In Auster [a] quoque, mortuo Ulfoaldo duce, Martinus [b] dux, et Pippinus filius Ansegiseli quondam Franci nobilis, dominabantur. Defunctis regibus [c], commissis invicem principibus, Ebruino, Martino atque Pippino, adversus Theodericum regem excitantur ad bellum. Commoto exercitu ad locum cui vocabulum est Locofao [d], interim commissi prælium ineunt, ibique magno certa-

[a] Hic auctor priore multo est accuratior : ætatem suam prodit infra, cap. 109, ubi se anno 735 scribere indicat.

[b] Martinus hic memoratus filius erat sancti Clodulfi, nepos sancti Arnulfi; et Pippinus frater ejus erat patruelis, idemque ex Ansegisilo sancti Arnulfi nepos.

[c] Dagoberto scilicet II, et forte filio ejus Sigiberto. Belli civilis inter Theodoricum et Dagobertum moti meminit auctor coævus Vitæ sanctæ Salabergæ, sæc. II Benedictino. Al. Ed., *Decedentibus.*

[d] Sic Boher. Editi, *Locofico*. Gesta Reg. Franc., cap. 46, habent *Lufao*; al., *Lucofao, Lucofago*, qui locus Valesio ignotus, videtur esse *Loisi* in pago Laudunensi. Vide lib. IV de Re Diplomat. num. 57 Locum tamen, *qui Lufaus dicitur in pago Tullensi.*

mine dimicantes, plurima pars populi ex utrisque partibus corruit. Devicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt; persecutusque eos Ebroinus, maximam partem de illa regione vastavit. Martinus ideoque Lugduno Clavato [a] ingressus, se infra muros ipsius urbis munivit. Persecutusque eum Ebroinus, veniens [b] Erchreco villa, ad Lugdunum Clavatum nuntios dirigit, Ægilbertum ac **668** Reulum [c], Remensis urbis episcopum, ut fide promissa in incertum super vacuas capsas sacramenta falsa dederint. Qua in re ille credens eos, a Lugduno Clavato egressus, cum sodalibus ac sociis ad Erchrecum veniens, illuc cum suis omnibus interfectus est.

XCVIII. Ebroinus quoque magis atque profusius crudeliter Francos opprimebat, donec tandem aliquando Ermenfrido Franco minas [d] parat, resque proprias tollere disponit. Consilio cum suis patrato, nocte collecta manu sociorum, per noctem super eum consurgens, Ebroinum interfecit.

An. DCLXXXI. — Quo perempto, ad Pippinum ducem in Auster cum muneribus suis pervenit. Quo facto, Franci, accepto consilio, Waradonem, illustrem virum, loco ejus in honorem majorisdomatus [e] constituerunt. Idcirco præfatus Warado obsides a Pippino duce accipiens, pacem in invicem **669** paraverunt.

An. DCLXXXII. — Erat id temporis memorato Waradoni filius, valde efficax atque industrius, eruditus in consilio, qui vice patris curam palatii gerebat, nomine Gislemarus, qui ob nimiam calliditatem ac sagacitatem patrem ab honore proprio supplantavit. Quem sanctus Audoenus [f] episcopus sæpius ob hoc increpabat, ac subinde ut ad pacem vel patris indulgentiam remearet. Qui audire renuit, et in duritia cordis permansit. Fuerunt igitur inter Pippinum et præfatum Gislemarum discordiæ multæ, bella civilia plurima. Nam ad castrum Namugo [g] contra hostem [*Id est*, exercitum] Pippini ducis Gislemarus consurgens, fraudulenter falso juramento dato, quampluri[s] nos eorum nobiles viros occidit. Inde vero reversus ob supplantationem patris, vel aliam malitiam non modicam, quam fallaciter perpetraverat, a Deo percussus prædictus Gislemarus, ut dignus erat, iniquissimum fudit spiritum.

An. DCLXXXIII. — Illoque mortuo, pater ejus Warado honorem pristinum majoris domatus recepit.

An. DCLXXXIV. — XCIX. Eo tempore beatus Audoenus episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum [h]. In illo itidem tempore Warado [i] præfatus major domus obiit. Eratque ei matrona nobilis et strenua, nomine Ansfledis [j], cujus gener, nomine Bercharius, honorem majoris domus palatii suscepit; eratque statura parvus, intellectu modicus, levis atque citatus, Francorum amicitiam atque consilia sæpe contemnens. Hæc indignantes Franci Auderamnus, Reulus et alii multi, relinquentes Bercharium **670** ad Pippinum per obsides conjunguntur, amicitias copulant, super Bercharium vel reliquam partem Francorum concitant.

An. DCLXXXVII. — C. Pippinus commoto exercitu hostiliter ab Auster consurgens, contra Theodoricum regem et Bercharium properat ad bellum. Conjuncti in oppido Vermandensi [k], in loco qui dicitur Textricio, bellum mutuo gesserunt. Prævalente Pippino cum Austrasiis, Theodoricus rex cum Berchario fugam iniit, Pippinus victor exsiitit, persecutusque eos, eam regionem sibi subjugavit. Sequenti tempore idem Bercharius ab adulatoribus falsis amicis inter-

memorat Hericus in Historia episc. Antissiodorensium, quem hic designari fortasse verisimilius nonnullis videbitur.

[a] Sic Boh., quod est antiquum hujus urbis nomen; hodie Landunum (*Laon*) dicitur.

[b] Hic locus varie in variis codd. scribitur. Colb. hic, *Extreco*, et infra *Erchreco*; Boh., *Erchrego*, *Herchrego*. Ed., *Ertreco*, *Erereco*, *Ercheco*. In Gestis Reg. Franc., *Erchaco*, *Ergariaco*, *Ercherego*. Hunc locum esse *Acheri*, vicum Ribodimontem inter et Faram, in pago Laudunensi situm, censet Valesius. Sed verisimilius est esse *Escheri-Launois* Lauduno proximiorem, ut dicitur lib. IV de Re diplomat. num. 57. Est etiam in Rhemorum diœcesi haud procul a Castro Portiani locus ad Axonam, *Ecry* dictus, qui fortasse hic designatur.

[c] Sic Boh. Ed., *Regulum*; Colb., *Aigilbertum ac Regulfum*. Prior, qui in Boh. dicitur *Aglibertus*, si Valesio credamus, fuit Agilbertus primum in Anglia, tum Parisiorum in Francia episcopus, cujus corpus in monasterio Jotrensi (*Jouarre*) sepultum, an. 1631, pontificalibus ornamentis indutum, repertum est in ædicula sancti Pauli Eremitæ, ut testatur passim Andreas Saussaius, qui huic inventioni interfuit. *Reulus* vero seu, ut a Frodoardo appellatur, sicut et in diptychis antiquis, et in litaniis Rhemensis Ecclesiæ, *Reolus*, Orbacense monasterium condidit, ubi sepultus hodieque colitur, III Nonas Septemb. Utereque in Fastis sacris locum habet. Eos vero a facinore quod illis hic impingitur vindicare conatur Coiutius ad an. 680.

[d] Minas parare hic et passim est *negotia facessere*, seu insidias moliri, quæ vox hodieque gallice reddi potest, *des menées*.

[e] Sic Colb. Editi, *majoris domus*, et sic infra. Warado in scriptis passim *Warato* appellatur.

[f] Freh. Illyric. et cæteri, *Adoinus*; al., *Audoinus*. Gislemarus vero alias dicitur *Gislemaris*, *Ghislemarus*. De his infra.

[g] Sic Boher.; alii *castrum Manucum*. Hic autem designatur Namucum, sive, ut hodie scribimus, Namurcum, vulgo *Namur*, urbs Flandriæ vel suo nomine celebris, quæ episcopali sede sæculo proxime elapso donata est.

[h] Obiit IX Kal. Septemb. an. 684. Sepultus est in monasterio sancti Petri in suburbio Rotomagensi, hodieque celebri in urbe sub ipsius sancti Audoeni (*Saint-Ouen*) nomine, ord. sancti Benedicti e congr. sancti Mauri. Ejusdem sancti reliquiæ superiori sæculo a furentibus Calvinistis combustæ fuerunt.

[i] Alii, *Warato*. In charta Theodorici regis, lib. VI de Re diplomat., num. 13, legitur : *Waratune*, *Ebroino*, *et Ghislemare quondam majoris domus*, et *Bercharo majorem domus*, qui hic passim memorantur. Hæ varietates, excepto Bercharo, etiam in nostris Chronicis scriptis occurrunt. In Ed., *Bertharius*.

[j] Aliis, *Ansfledis*, *Ansfredis*.

[k] Boh. : *Exercitu hostile... properans ad... Vermandisse*. Lis est inter auctores an Viromanduorum urbs præcipua olim episcoporum qui Noviomum (*Noyon*) transmigrarunt sedes, fuerit hodierna An-

fectus est, instigante Ansflede matrona socru sua. Post hæc autem Pippinus Theodoricum regem accipiens cum thesauris, et domum palatii omnia peragens, in Auster remeavit. Eratque ei uxor nobilis et prudentissima, nomine Plectrudis [a], genuitque ex ea filios duos : nomen senioris Drocus [b], nomen vero junioris Grimoaldus.

An. DCXC. — Cl. Mortuus est autem Theodoricus rex, regnavit autem annos septemdecim [c], Chlodoveum filium ejus parvulum elegerunt in regnum. Non post multos vero annos prædictus rex Chlodoveus ægrotans mortuus est, regnavit autem annos quatuor.

An. DCXCIV. — Childebertus frater ejus in regnum resedit [d]. Drocus vero a Pippino genitore eruditus, ducatum Campanensem accepit.

An. DCXCV. — Grimoaldus junior cum Childeberto rege major domus palatii super Francos electus est : fuitque vir mitissimus, omni bonitate et mansuetudine repletus, largus **671** in eleemosynis et in orationibus promptus.

CII. Pippinus contra Ratbodum [e] ducem gentilem Frisionum gentis adversus alterutrum bellum intulerunt, castro Dorestate [f] illic belligerantes invicem. Pippinus victor exstitit, fugatoque Ratbodo duce cum Frisionibus qui evaserant, idem Pippinus cum multis spoliis et præda reversus est. Posthæc Drocus filius Pippini a valida febre correptus mortuus est, A sepultus in basilica beati Arnulfi confessoris Mettis urbe. Grimoaldus quoque ex quadam concubina genuit filium, nomine Theudoaldum.

CIII. Igitur præfatus Pippinus aliam duxit uxorem, nobilem et elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocavitque nomen ejus lingua propria [g] Carlum, crevitque puer elegans, atque egregius effectus est.

CIV. Mortuus est his diebus Childebertus rex, et sepultus Cauciaci [h] in basilica sancti Stephani martyris. Regnavit autem annos sexdecim [i].

An. DCCX. — Dagobertus filius ejus sedem regni patris sui accepit. Igitur Grimoaldus filiam [j] Ratbodi ducis Frisionum duxit uxorem.

An. DCCXIV. — Ægrotante quoque Pippino Iobii B villa [k] super Mosam fluvium, cum ad eum visitandum idem Grimoaldus venisset, cum ad orationem in basilica sancti Lantberti martyris processisset, a crudelissimo viro impio, Rantgario nomine, interfectus est. Posthæc Theudoaldus filius ejus parvulus, in loco ipsius cum prædicto rege Dagoberto major domus palatii effectus est [l]. Insecuto quoque tempore idem **672** Pippinus dux ægrotans mortuus est [m]. Rexitque populum Francorum annos viginti septem. Reliquit superstitem Carlum filium. Post obitum quoque ejus Plechtrudis matrona præfata suo consilio atque regimine cuncta sese agebat. Demum Franci mutuo in seditionem versi, consilio inutili accepto, commissa

gusta Viromanduorum, quæ a celebri martyre urbs et regionis patrono, vulgo *Saint-Quentin* appellatur ; an vero vicus hodieque priscum Veromandui (*Vermand*) nomen retinens, abbatia ord. Præmonstratensis illustratus, a quo loco haud multum distat Textricium ad Dalmanionem fluvium, vulgo *Tertri*, seu *Testri-sur-Daumignon*, vicus inter Perenam et Sancti Quintini oppidum situs.

[a] Sic Boh. Colb. *Blidrudis*, et infra, *Blictrudis*. Ed., *Plictrudis*, et sic infra. Hanc postea dimisit Pippinus, ut Alpaidem assumeret ; sed ab episcopis correptus, Alpaide in monasterium Orpii secedente, Plechtrudem recepit.

[b] Sic Boh. Colb. vero cum Ed. plerisque *Drogo*, qui infra habent *Drocus* et *Drogo*.

[c] Sic Boh., Colb. et cod. Christinæ reginæ. Editi, *quatuordecim*. Auctor Gestorum Reg. Franc. *novemdecim*, al. *octo decim*. Nostris mss. favent Chronica aliquot a Chesnio edita. Cointius ei annos novem decim tribuit, et Clodoveo III ejus successori duos. Qui computus in summa a nostro auctore non dissidet, qui priori annos septem decim, posteriori vero quatuor tribuit. Theodoricus sepultus est Atrabati in monasterio sancti Vedasti (*Saint-Vaast*), quod ab eo constructum aut saltem dotatum fuisse traditur.

[d] Ex inscriptione cod. ms. Jacobi Bongarsii patet annum 5 Childeberti III cum anno æræ vulgaris 699, quo Pascha die 23 Martii celebratum fuit, concurrisse. Inscriptionem hic habes ex animadversionibus Scaligeri in chronologiam Eusebianam.

IN ANNVM V. CHILDEBERTI REGIS FRANCORVM PIPINO IVBENTE AB ADAM SVNT ANNI V. MILLIA DCCCC. FVIT PASCHA X. K. APRILIS. ASCENSIO DOMINI FVIT K. MARTIAS [*Leg.* MAIAS] PER CYCLORVM NVMERVM ANNO M. XCL. REPETITIO A CAPITE CYCLI.

[e] Is est Ratbodus, qui agnita Christianæ religionis veritate, maluit cum superioribus regibus et principibus in infernum demergi, quam ab illis separatus ad cœlum conscendere. Unde spreto baptismate gentilis obiit, populis fidei suscipiendæ libertatem reliquens. Vide Vitam sancti Ulframni sæc. III Benedictino ad an. 720. Frisiones, antiqua gens inferioris Germaniæ, in Bataviam effusi partem ejus non modicam occupaverunt, quæ ab iis Frisia dicta est. De iis vide Mabillonii observationes in Vitam sancti Willibrordi, num. 7 sæc. III Bened. ad an. 739.

[f] Boh., *Duristate*, vulgo Durostadium, hodie Batavodurum dicitur (*Wich te Duersteden*), in Geldriæ ducatu ad Licum Rheni fossam.

[g] Id est patria, scilicet Theotisca *Karl*. Is postea celebris fuit Carolus Martellus, qui in codd. Boh. et Colb. semper dicitur *Carlus*. Editi, *Carolus*, et ejus mater in Boh. *Calpaida*.

[h] Villa olim regia in pago Noviomensi et diœcesi Suessionensi sita haud procul a Compendio et Confluentibus Axonæ cum Isara, vulgo *Choisy*, ubi monasterium olim celebre, hodieque sancto Medardo Suessionensi subjectum. Vide lib. IV de Re diplomat. et Valesium lib. XXIII Rer. Francicarum.

[i] Sic Boh. et Colb. Editi, *tredecim*. Lectio mss. confirmat Labbei sententiam in Miscellaneis histor., pag. 64, et Cointio favet, licet Childeberto annos septem decim tribuat, nam biduo tantum ultimi anni ipsum vixisse scribit.

[j] Nomine Teutsindam, ex Gestis Regum Franc. et lib. de Majoribus domus.

[k] Boh., *Job villa*. Alias, Jopila, seu Jopilum, vulgo *Jupil*, sive *Jopil* appellatur ; sita est e regione Heristalii prope Leodicum. Vide lib. IV de Re Diplomat. num. 71. Basilica sancti Lamberti hodie cathedralis est Leodicensis. Hic sanctus necatus fuerat anno circ. 708. Ejus vita habetur inter Acta sanctorum Benedictin., sæc. III, parte I.

[l] Colb. et Boh., *majorem domus palatii accepit*.

[m] Obiit an. 714, mense Decembri, paulo post filii sui necem. Dictus est junior, quod avum maternum habuerit Pippinum Landinensem ; senior vero ob nepotem, qui postea regnum obtinuit.

acie in Coatia [a] silva, contra Theudoaldum, et lendes Pippini quondam, atque Grimoaldum [b] iniere certamen. Corruitque ibi immodicus exercitus. Theudoaldus itaque a sodalibus suis per fugam lapsus evasit. Magna et valida perturbatio et persecutio exstitit apud gentem Francorum.

CV. Eodem tempore tunc elegerunt in honorem majoris domatus quemdam Francum, nomine Raganfridum [c]; commotoque exercitu hostili usque Mosam fluvium properant, cuncta vastantes. Cum Radbodo duce fœdus inierunt. His diebus Carlus dux a præfata femina Plechtrude sub custodia detentus, Dei auxilio liberatus est.

An. DCCXV. — CVI. Eodem tempore Dagobertus rex obiit, regnavitque annos quinque. Franci vero Danihelem quondam clericum, cæsarie capitis crescente in regnum stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant [d]. Iterato quidem tempore commoto exercitu contra memoratum Carlum dirigunt. Ex alia parte iidem cum hoste [*Id est*, exercitu] Frisionum venturo Radbodum ducem invitant. Contra quem prædictus vir Carlus cum exercitu suo consurgens, certamen invicem inierunt : sed non modicum ibidem perpessus est damnum de viris strenuis atque nobilibus; cernensque læsum exercitum terga **673** vertit. Chilpericus posthæc et Raganfridus, adunata hostili plebe, Arduennam silvam transeunt, ab alia parte præstolante Radbodo duce, cum exercitu suo hactenus Coloniam urbem super Rhenum fluvium pervenerunt, regiones illas pariter vastantes. Munera multa et thesauros a præfata Plechtrude accipientes reversi sunt [e]. Sed in via, in loco, qui dicitur Amblava, ab exercitu Carli grande perpessi sunt damnum. Succedenti tempore, Carlus, commoto exercitu, contra Chilpericum et Raganfridum direxit.

An. DCCXVII. — Bellum inierunt die Dominica in Quadragesima, duodecimo Kalendas Aprilis, in loco nuncupato Vinciaco [f], in pago Cameracensi, nimia cæde invicem collisi sunt. Chilpericus et Raganfridus devicti, in fugam lapsi terga vertentes evaserunt, quos Carlus persecutus, usque Parisios civitatem properavit.

CVII. Deinde Coloniam urbem reversus, ipsam civitatem cepit reseratam : præfata Plechtrudis thesauros patris sui ei reddidit, et cuncta suo dominio restituit.

An. DCCXVIII. — Regem sibi constituit, nomine Chlotharium. Chilpericus itaque et Raganfridus legationem ad Eudonem ducem dirigunt, ejus auxilium postulantes rogant, regnum [g] et munera tradunt. Ille quoque hoste [*Id est*, exercitu] Wasconorum commoto [h] ad eos veniens, pariter adversus Carlum perrexerunt. At ille constanter et intrepidus eis occurrere properat. Eudo territus quod resistere non valeret, aufugit. Carlus insecutus eum usque Parisios, Segona fluvio transito, usque Aurelianensem urbem peraccessit, et vix evadens, terminos regionis suæ penetravit.

An. DCCXIX. — Chilpericum regem secum cum thesauris sublatum evexit. Chlotharius itaque **674** rex eo anno obiit [i].

An. DCCXX. — Anno insecuto Carlus per missos suos amicitias cum Eudone duce faciens, ab eo prædictum Chilpericum regem cum multis muneribus recepit. Veniensque urbem Noviomo [j], post non multum tempus cursum vitæ et regnum amisit, et mortuus est, regnavitque annos sex.

An. DCCXXI. — Quo mortuo, Theodoricum regem statuerunt in sedem regni, qui hunc locum solii regalis obtinet [k], annis vitæ simul præstolatis.

An. DCCXXIV. — Illis ita evulsis, Carlus princeps insecutus idem Raganfridum, Andegavis civitatem obsedit, vastata eadem regione, cum plurimis spoliis remeavit.

CVIII. Per idem tempus rebellantibus Saxonibus, Carlus princeps veniens eos præoccupavit ac debellavit, victorque revertitur.

An. DCCXXV. — Succiduis diebus, evoluto anni circulo, coadunata agminum multitudine, Rhenum fluvium transiit, Alamannosque et Suavos lustrat, usque Danubium peraccessit, illoque transmeato, fines Baioarenses [l] occupavit. Subacta regione illa,

[a] Chesn., *Cotia*; Colb., in indice, *Gotia*. Est Cocia silva cum vico cognomine prope Compendium (*la forêt de Cuise*), ex Gestis Franc.

[b] Sic habent exemplaria, legendum tamen *Grimoaldi*; nam Grimoaldus tunc, sicut et ejus pater Pippinus, defuncti erant.

[c] Cod. Colb., *Raginfridum*, et sic semper infra.

[d] Sic Chesn. Alii Editi cum Boh. et Colb. : *Franci vero Chilpericum quemdam regem constituerunt. Iterato.*

[e] Colb., *Blictrudæ*. Idem et Boh., *accepta reversus est.... grande accepit damnum*. Porro inter villas regias Austrasiæ Sigibertus junior Amblavam recenset, fluvio cognomini impositam. Amblava fluvius, vulgo *Amblef*, haud procul a Stabulensi et Malmundario monasteriis fluit, proindeque circa fines Coloniensis et Leodiensis diœceseon.

[f] Boh., *Vinceco*. Vinciacum hodie vicus est, qui, testante Miræo, appellatur *la Cense de Vinci*, haud procul a Crepardio oppido (*Crevecœur*). De hac pugna Paulus Diac. lib. VI Hist. Lang. cap. 42.

[g] Valesius his verbis permissum Eudoni fuisse censet ut summo et regio jure in Aquitania uteretur. Cointius vero nihil aliud ex hoc loco inferri posse contendit, quam coronam, quæ passim apud medii ævi auctores *regnum* dicitur, honoris causa ad Eudonem transmissam fuisse.

[h] Boh. : *Illi* (forte pro *Ille*) *quoque hostem commutant* (pro *commutans*) *ad eos veniens, pariter*. Editi : *Illi quoque... venientes*.

[i] Sic Chesn. Cæteri cum Colb. : *Rex defunctus decessit. Carolus per missos suos ab Eudone duce idemque prædictum Chilpericum regem recipit.*

[j] Urbs episcopalis notissima, vulgo *Noyon*, sub Rhemorum metropoli. Alii scribunt eum Attiniaci obiisse.

[k] Sic Boh., alii vero, *nunc... obtinuit*. Nostra lectio melior est. Regnante enim Theodorico IV, Calensi dicto, hujus Chronici auctor vivebat, ut ipse testatur, infra, cap. 9. Infra, pro *præstolatis*, Labbeus legit *protelatis*.

[l] Sic Boh. Colb. vero, *Baguarenses*, habet tamen in indice capp. *Bajoarenses*. Editi, *Bajorenses*.

thesauris multis cum matrona quadam, nomine Bilitrude [a], et nepte sua Sonichilde, regreditur.

An. DCCXXXI.— Per idem tempus Eudone duce a jure fœderis recedente, quo comperto per internuntios, Carlus princeps, commoto exercitu, Ligerem fluvium transiens, ipso duce Eudone fugato, præda multa sublata, bis eo anno ab his hostibus populata, iterum remeatur ad propria. Eudo namque dux cernens se superatum atque derisum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxilium contra Carlum principem et gentem Francorum excitavit; egressique cum rege suo, Abdirama nomine, Garonnam transeunt, Burdegalensem urbem pervenerunt, ecclesiis **675** igne concrematis, populis consumptis, usque Pictavis progressi sunt, ubi basilica sancti Hilarii igne concremata, quod dici dolor est, ad domum beatissimi Martini evertendam destinant.

An. DCCXXXII. — Contra quos Carlus princeps audacter aciem instruit, super eosque belligerator irruit, Christo auxiliante, tentoria eorum subvertit, ad prælium stragem conterendam accurrit, interfectoque rege eorum, Abdirama nomine, prostravit exercitum, proterens, dimicavit atque devicit; sicque victor de hostibus triumphavit [b].

An. DCCXXXIII. — CIX. Procedente alioquin anno sequente, egregius bellator Carlus princeps regionem Burgundiæ sagaciter penetravit, fines regni illius Leudibus suis probatissimis, viris industriis, ad resistendum gentibus rebellibus et infidelibus statuit, pace patrata, Lugdunum Galliæ suis fidelibus tradidit. Firmata fœdera induciaria [*Al.*, judiciaria], reversus est victor fiducialiter agens.

An. DCCXXXV. — In illis quippe diebus Eudo dux mortuus est. Hæc audiens præfatus princeps Carlus, A inito consilio procerum suorum, denuo Ligerem fluvium transiit, usque Garonnam vel urbem Burdegalensem, vel castrum Blaviam [c] veniens occupavit, illamque regionem cepit ac subjugavit cum urbibus ac suburbanis castrorum. Victor cum pace remeavit, opitulante Christo Rege regum, et Domino dominorum.

Curricula annorum hactenus reperiuntur.

Ab Adam, vel initio sæculi usque **676** diluvium anni MMCCXLII; a diluvio usque Abraham, anni DCCCCXLII; ab Abraham usque ad Moysen, anni DV; a Moyse ad Salomonem usque, anni CCCCLXXXIX [d]; a Salomone usque reædificationem templi, temporibus Darii regis Persarum, anni DXII; a restauratione templi usque adventum Domini nostri Jesu Christi, B anni DXLVIII.

Certe ab initio mundi usque ad passionem Domini nostri Jesu Christi, anni MMMMMDXXXVIII [e]. Et a passione Domini usque in istum annum præsentem, qui est in cyclo Victorii, anni CLXXVII. Kal. Januar. die Dominica anni DCCXXXV [f]. Et ut istud millenarium compleatur, restant anni CCLXV [g].

An. DCCXXXIII. — Itemque quod superius prætermisimus. In gentem dirissimam maritimam Frisionum nimis crudeliter rebellantem [h], præfatus princeps audacter navali evectione properat, certatim ad mare ingressus, navium copia adunata, Wistrachiam et Austrachiam [i], insulas Frisionum penetravit, super Burdine [j] fluvium castra ponens; Poponem gentilem, ducem illorum, fraudulentum consiliarium interfecit, C exercitum Frisionum prostravit; fana eorum idololatriæ contrivit, atque combussit igni. Cum magnis spoliis et prædis victor reversus est in regnum Francorum.

[a] Boh., *Billetrude.... Sunichilde.* Alii scriptores Pilitrudem appellant, quæ Grimoaldo, seu potius Theobaldo, Bajoariorum duci, nupta fuerat. Sonichildis postmodum Carolo Martello nupsit, ex quo filium habuit Grifonem. Eam Pippinus et Carlomannus post Caroli obitum apud Calam reclusere; ne turbas ~~concitaret~~ Grifonis, qui a Majoratu exclusus fuerat, excitaret.

[b] Eudo jam a Sarracenorum fœdere recesserat, et in hoc prælio Carolum egregie adjuvit. Vide Anastasium in Vita Gregorii II, et Paul. Diac. lib. VI Hist. Lang. cap. 46.

[c] Sic Colb. Editi, *Blavium*, utroque modo scriptum D apud veteres invenitur. Castrum est, vulgo *Blaye*, monti impositum ad Garumnam, paulo infra confluentes ejus et Duranii.

[d] Boh., CCCCLXXVIII. Freh., omisso hoc articulo, habet, *a Moyse ad reædificationem*, etc.

[e] Boh. et Colb., MMMMCCCXXVIII. Certe hunc fere numerum, scilicet uno majorem, habet vetus cod. Weingartensis monasterii, in quo formulæ Andegavenses tomo IV Analect. Mabillon. editæ habentur, ad quarum calcem hæc addidit scriptor: *A principio mundi usque ad passionem Christi* v. *milia* CCXXVIII. *anni fuerunt. Abinde peractis regnum Chlodoveo, Chlothario, Theodorigo, et Childerico, a mundi initio anni sunt* v. *milia* DCCCLXXX *in anno* III. *Theudorico regis.* Hoc autem integrum exhibemus quod eodem tempore, ac præsens Chronicum, scriptum fuerit.

[f] Cum ille auctor annum a Paschate, nos vero a Kalendis Januarii inchoemus, hic annus 536 intelligendus est. Ex hoc autem loco intelligimus quo pacto Victorii cyclus cum æra vulgari sit componendus.

[g] Boher., *miliarium impleatur*, *anni* LXV. Colb., LXLIII, id est, XCIII. Chesn., marg., *al.* CXIII. Quæ omnia etsi sibi invicem non cohæreant, repræsentavimus tamen ut in codd. habentur.

[h] Rebellare dicuntur non solum subditi qui principis sui jugum excutiunt, sed et ii qui post cladem D acceptam fœdus initum frangunt, ut compluribus exemplis etiam ex T. Livio probat Cointius ad an. 595, num. 10. Hinc in nostro auctore Frisones, Sarraceni, etc., rebellasse dicuntur, quanquam Francorum ditioni subjecti nunquam fuerint.

[i] Sic ex cod. Boher. restituimus. Westrachia, hodie Westergoa, a Stavera (*Staveren*), olim Frisonum metropoli, initium ducit; octo præfecturas complectitur. Inter hujus regionis urbes celebris est Franekera (*Franeker*), ubi academia celebris. Austrachia vero, seu Ostergoa, præfecturas habet duodecim, vicos 127, ibi est Leowardia, vulgo *Leuwarden*, cæterarum urbium caput. De his vide Emmium, lib. I Rerum Frisicarum.

[j] Boh., *Bordine*, et infra, sicut et alii, *Bobonem.*, *consularium.*

PARS TERTIA,

AUCTORE ANONYMO AUSTRASIO,

Qui jussu Childebrandi, comitis scripsit.

677 Anno dccxxxiii. — Itaque [a] sagacissimus vir Carolus dux, commoto exercitu, ad partes Burgundiæ dirigit, Lugdunum Galliæ urbem, majores natu atque præfectos ejusdem provinciæ suæ ditioni reipublicæ subjugavit; usque Massiliensem urbem, vel Arelatum suis judicibus constituit; cum magnis thesauris et muneribus in Francorum regnum remeavit in sedem principatus sui.

An. dccxxxviii. — Itemque rebellantibus Saxonibus paganissimis, qui ultra Rhenum fluvium consistunt, strenuus vir Carolus dux commoto exercitu Francorum in loco ubi Lippia [b] fluvius Rhenum amnem ingreditur, sagaci intentione transmeavit. Maxima ex parte regionem illam dirissimam stravit, gentemque illam sævissimam ex parte tributarios esse præcepit, atque quamplures obsides ab eis accepit; sicque, optitulante Domino, victor remeavit ad propria.

An. dccxxxvi. — Denuo rebellante gente validissima Ismahelitarum, quos modo Sarracenos vocabulo corrupto nuncupant, irrumpentesque Rhodanum fluvium, insidiantibus infidelibus hominibus sub dolo **678** et fraude Mauronto [c] quodam cum socils suis, Avenionem urbem munitissimam ac montuosam, ipsi Sarraceni, collecto hostili agmine, ingredluntur; illisque rebellantibus ea regio vastata.

An. dccxxxvii. — At contra vir egregius Carolus dux germanum suum, virum industrium, Childebrandum [d] ducem, cum reliquis ducibus et comitibus, illis partibus cum apparatu hostili dirigit; quique præpropere ad eamdem urbem pervenientes tentoria instruunt. Undique ipsum oppidum et suburbana præoccupant, munitissimam civitatem obsident, aciem instruunt, donec insecutus vir belligerator Carolus prædictam urbem aggreditur, muros circumdat, castra ponit, obsidionem coacervat, in modum Hiericho cum strepitu hostium et sonitu tubarum, cum machinis et restium funibus super muros et ædium mœnia irruunt, urbem munitissimam ingredientes succendunt, hostes inimicos suos capiunt, interficientes trucidant atque prosternunt, et in suam ditionem efficaciter restituunt. Victor igitur atque bellator insignis intrepidus Carolus Rhodanum **679** fluvium cum exercitu suo transiit, Gotthorum fines penetravit, usque Narbonensem Galliam peraccessit, ipsam urbem celeberrimam, atque metropolim eorum obsedit : super Adice [e] fluvio munitionem in gyrum in modum arietum instruxit, regem Sarracenorum, nomine Athima, cum satellitibus suis ibidem reclusit, castraque metatus est undique. Hæc audientes majores natu et principes Sarracenorum, qui commorabantur eo tempore in regione Hispaniarum, condunato exercitu hostium cum alio rege, Amor [f] nomine, machinis adversus Carolum viriliter armati consurgunt, præparantur ad prælium : contra quos præfatus dux Carolus triumphator occurrit, super fluvio Birra [g], et valle Corbaria Palatio; illisque

[a] Hanc Chronici partem Childebrandi jussu scriptam fuisse dicimus, ob inscriptionem quam infra post num. 117 exhibebimus. Si quis vero contenderit etiam et præcedentem partem ejusdem comitis jussu fuisse exaratam, non refragabimur, modo fateatur eas vel a duobus diversis auctoribus scriptas fuisse, aut certe ejusdem auctoris duo esse diversa et diversis temporibus scripta opuscula. Bob. incipit : *Idcirco*, etc.; et infra, pro *exercitu*, habet *hoste*.

[b] Alio nomine Lupia seu Lupias dicitur, cum urbe cognomine in Westfalia, qui apud Wesaliam in Rhenum influit, vulgo dicitur *Lippe*. Lipiam tamen alii dicunt esse *Lhon*, Hassiæ fluvium, qui inter Bodobrigam et Confluentes Rheno permiscetur.

[c] Alii, *Mauronte;* Bob., *Moronto*. Is infra *dux* appellatur. Fuerat, ut conjicimus, aliquibus provinciæ civitatibus præfectus, qui rebellis, ex Chronico Fontanellensi, cap. 11, Sarracenos in sui præsidium adciverat.

[d] Nonnulli, *Hildebrandus*, et sic infra, quod perinde est. Hunc ex patre et matre Caroli fratrem fuisse contendit Cointius, quod hic ejus *germanus* appelletur, quam vocem hujus tertiæ partis Chronici auctor nusquam alio sensu adhibet. Ipsum vero Chiffletius, in libro de Origine Childebrandi, confundit cum alio ejusdem nominis Langobardo, qui Liutprando regi successit : sed hanc opinionem confutat Cointius ad an. 737.

[e] Vulgo *l'Aude*. Ch. al., *Atace*, et quidem hic fluvius proprio nomine vocatur *Atax*, qui Narbonem ipsam alluit. Infra, Colb., *Athema*.

[f] Bob., *Amormagna nomine, adversus Carolum*. Vet. Ed., *Machinis*, quasi proprium nomen fuerit, scribunt. Infra, cap. 134, memoratur Amormuni Sarracenorum rex.

[g] Ches. al. et Freh. al., *Birsa, et valle Corbaria prœliaturus, illisque*, etc. Birra, vulgo *Berre*, inter Narbonem et Leucatam fluit per vallem Corbariam, ac demum sese in maritimum stagnum exonerat. Oritur ex monte valli cognomine, *le mont de Corbière*, a quibus etiam archidiaconatus Corbariensis in Narbonensi diœcesi dictus est. Baudranus *Cervera* appellat. Quid vero his verbis *Corbaria palatio* designetur, nam hæc est lectio tam Mss. quam Editorum, incertum est. Censet Valesius his indicari palatium in valle Corbaria exstitisse, proindeque inter villas regias recenseri debere; quo nomine locum habet in lib. IV de Re diplomatica. Favet noster auctor, qui, infra, *Carisiacum villam palatii appellat*. — Palatium in istis partibus adhuc sæculo XII sub *Palatii Gothorum* nomine celebre agnovit Otho Frisingensis, quod Athaulfus primus in Septimania Gothorum rex ibi consederit, uti observat Alteserra. At ipsum exstitisse putant in oppido Sancti Ægidii, hodieque ob monasterium, quod in sæcularium canonicorum collegium conversum est, celebri. Fuit et *Palatium Æmiliani* in Levitania, cui successit sancti Savini monasterium prope Baregium. Certe concilio Agathensi subscri-

mutuo confligentibus, Sarraceni devicti atque prostrati, cernentes regem eorum interfectum, in fugam lapsi terga verterunt. Qui evaserant cupientes navali evectione evadere, in stagno maris natantes, namque sibimet mutuo conatu insiliunt. Mox Franci cum navibus et jaculis armatoriis super eos insiliunt, suffocantesque in aquis interimunt. Sicque Franci triumphantes de hostibus prædam magnam et spolia capiunt; capta multitudine captivorum, cum duce victore regionem Gothicam depopulantur [a] : urbes famosissimas 680 Nemausum, Agatem, ac Biterris [b] funditus muros et mœnia Carolus destruens, igne supposito, concremavit; suburbana et castra illius regionis vastavit. Devicto adversariorum agmine, Christo in omnibus præsule, et capite salutis victoriæ, salubriter remeavit in regionem suam, in terram Francorum ad solium principatus sui.

An. DCCXXXIX.—Denuo curriculo anni illius mense secundo [c], prædictum germanum suum cum pluribus ducibus atque comitibus, commoto exercitu, ad partes Provinciæ dirigit; Avenionem urbem venientes, Carolus præproperans peraccessit, cunctamque regionem usque littus maris magni suæ dominationi

A restituit. Fugato duce Mauronto impenetrabilibus, tutissimis rupibus, maritimis munitionibus, præfatus princeps Carolus cuncta sibimet acquisita regna victor regressus est, nullo contra eum rebellante; reversusque in regionem Francorum, ægrotare cœpit in villa Verimbrea [d] super Issara fluvio.

An. DCCXLI. — CX. Eo etenim tempore, bis a Roma sede sancti Petri Apostoli beatus papa Gregorius [e] claves venerandi sepulcri, cum vinculis sancti Petri et muneribus magnis et infinitis, legationem, quod antea nullis auditis aut visis temporibus fuit, memorato principi destinavit. Eo pacto patrato, ut a partibus [f] imperatoris recederet, et Romanum 681 consulatum [g] præfato principi Carolo sanciret. Ipse itaque princeps mirifico ac magnifico honore ipsam B legationem recepit, munera pretiosa contulit, atque cum magnis præmiis cum suis sodalibus missis Grimonem, abbatem Corbiensis [h] monasterii, et Sigibertum, reclusum basilicæ sancti Dionysii martyris, Romam ad limina sancti Petri et sancti Pauli destinavit. Igitur memoratus princeps, consilio optimatum suorum expetito, filiis suis regna [i] dividit. Itaque primogenito suo, Carlomanno nomine. Auster,

pait *Petrus episcopus de Palatio*, quem nonnulli aulæ Alarici episcopum fuisse, pro illorum barbarorum more putant. At Petrus catholicus erat. Non etiam sic dictus est a Palo urbe *Pau*. Nam *Galactorius de Benarno* et *Gratus de civitate Olorone* eidem concilio subscripsere. Non denique episcopus Lemovicensis, quem sic nuncupatum fuisse suspicatur Valesius, quod in urbis suæ palatio habitaverit, aut certe ab aliqua sua diœcesi palatio.

[a] Ches. et Freh., *cum duce, victor... depopulatur.*

[b] Vulgo *Nimes*, *Agde*, *Béziers*, urbes Occitaniæ episcopales notissimæ. Pro *ac Biterris*, aliquot Ed. habent *his in terris*; Colb., *hac in terris*. Ch. al., *Beterriis*. Bob., infra, *concremant... vastant... remearunt.*

[c] Cointius hunc locum sic restituendum esse censet : *Denuo curriculo anni secundo prædictum*, id est, anno post secundo. Nam alias hæc secunda expeditio, eodem anno 737, quo prior, et secundo quidem post mense, consignanda foret; quod Chronico Fontanellensi et aliis monumentis repugnat, ex quibus discimus priorem anno 737, alteram an. 739 susceptam fuisse. Paulus Diac., lib. VI Hist. Lang., Isidorus Pacensis; Rodericus Toletanus; Anastasius, in Vita Gregorii III et alii passim auctores Caroli expeditiones in Sarracenos laudant.

[d] Colb. et vet. Ed. *Vermbrea*. Freh. al., *Vermeria*, Ches. al. addit *super fluvium Iseram*. Vermeria proprium est hujus oppidi nomen, inter Compendium et Silvanectum siti, vulgo *Verberie*. Vide Valesii notitiam et lib. IV de Re diplomatica.

[e] Is est Gregorius III qui epistolas duas eadem occasione Carolo scripsit, quæ ad nos usque pervenerunt. In iis varias calamitates, quas Ecclesia Romana a Langobardis patiebatur, Carolo, quem *subregulum* nuncupat, exponit; opemque ejus adversus illos implorat, mittens ei *claves confessionis beati Petri*. Quibus verbis Cointius et alii intelligi volunt claves aureas, in quibus aliquid *de limatura* catenæ sancti Petri inclusum erat, quales Gregorius Magnus Childeberto olim transmiserat, lib. V epist. 6, *ut collo suspensæ eum a malis omnibus tuerentur*, etc. Unde hæc verba, *quod antea nullis auditis aut visis temporibus fuit*, de ipsa legatione ad opem implorandam intelligunt. Lege notam sequentem.

[f] Editi omnes, *ut ad partes imperatoris recederet*. Intricata est Aimoini lectio : *Ecclesiam a Langobardorum tyrannide liberaret... et a partibus Langobardorum recederet, ac Romanum consultum præfatus princeps Carolus sanciret*. Unde Cointius sic restituendum censet auctoris nostri textum : *Ut ad partes Imperatoris accederet, et Romanum consulatum*, etc., contendens nihil aliud Gregorium voluisse, quam ut Carolus, rupta cum Langobardis pace, imperatoris partes susciperet. At, ni fallor, melior est nostra lectio, quæ C est mss., qua auctor innuit Gregorium Carolo pollicitum fuisse, ut si Romanos a Langobardorum tyrannide liberaret, posthabita imperatoris, qui Italiæ opem non ferebat, dominatione, se Carolo Romanum consulatum collaturum. Quod quidem etsi, defuncto paulo post Carolo, imo et ipso Gregorio, tunc infectum fuerit, postea tamen evenit, ut omnes norunt. Unde conjicio claves quas Gregorius Carolo transmisit, veras fuisse confessionis sancti Petri claves, quas in pignus dominationis ei conferendæ traditas volebat, iisque innuit hæc verba epistolæ pontificis ad Carolum : *Conjuro te... per ipsas sacratissimas claves confessionis sancti Petri, quas vobis ad regnum direximus*. Certe nostram lectionem disertis verbis firmant Annales Mettenses, in quibus legitur : *Epistolam quoque decreto Romanorum principum sibi præ dictus præsul Gregorius miserat, quod sese populus Romanus, relicta imperatoris dominatione, ad suam defensionem et invictam clementiam committere voluisset*. Nec minori incentivo egebat Carolus, ut fusos D cum Langobardis frangeret, a quibus in expeditione Sarracenica egregie fuerat adjutus. Vide Paul. Diac. lib. V Hist. Langob. capp. 53 et 54.

[g] Boh., *et Romano consulto*.

[h] Freh., *Corvensis*; alii, *Corbensis*. Celebre monasterium Corbeiæ, vulgo *Corbie*, sic dictum a fluviolo cognomine, qui ibi in Sumenam influit, a sancta Balthilde ejusque filio Chlotario rege conditum est. Grimonem vero hic laudatum postea ad infulas Rotomagensis Ecclesiæ evectum fuisse putat Pomerayus in Historia Archiep. Rotomag. At refragatur Cointius, qui Grimonem multo ante annum 741 Rotomagensi Ecclesiæ præfuisse contendit. Sigibertus vero, seu, ut habent Editi et Boh., *Sigobertus*, alius non fuit, ut censet Dubletus, a Singiberto, qui Dionysianus abbas postea fuit.

[i] Ed., præter Ches., *regnum*. Francia in tria regna fuit olim divisa, Austrasiam, Neustrasiam, et Bur-

a, quæ nunc Alamannia dicitur, atque A captivos duxerunt. Inde reversi circa tempus autumni, eodem anno iterum exercitum admoverunt ultra Rhenum contra Alamannos. Solerunteque castra metati super fluvium Danuvii, in loco nuncupato [k] Usquequo. Habitatores Alamanni se victos videntes, obsides donant, jura promittunt, munera offerunt, et pacem petentes eorum se ditioni submittunt.

n tradidit [a]. Alterum vero secundum filinum nomine, Burgundiæ, Neuster et Profecit.

Pippinus dux, commoto exercitu, cum uo Childebrando duce et multitudine priagminum satellitum plurimorum ad Burlirigunt, fines regionum præoccupant. Inod dici dolor et mœror, sollicitat [*Al.* sinam. In sole et luna et stellis nova signa nt, seu et paschalis ordo sacratissimus **682** it. Carolus [*Vat.*, Karlus] nempe princeps asilicam sancti Dyonisii martyris multis ditavit; veniensque Carisiacum [b] villam er Issaram fluvium, valida febre correptus nce, cunctis in gyro regnis acquisitis [c]. B m utraque regna annos quinque et viginti [d], que undecimo Kal. Novembris, sepultusque us in basilica sancti Dionysii martyris [e].

XLII. — CXI. Chiltrudis [f] quoque filia ejus, onsilio nefario novercæ suæ, fraudulenter sodalium suorum Rhenum transiit, et ad ducem Bagoariæ pervenit: ille vero eam ium copulavit contra voluntatem vel consium suorum. Interea rebellantibus Wasconigione Aquitaniæ, cum Chunoaldo [h] duce, ne quondam, Carlomannus atque Pippinus germani, congregato exercitu, Ligeris alilianis urbe transeunt, Romanos proterunt, urigas urbem accedunt, suburbana ipsius burunt. Chunoaldum ducem persequentes C neta vastantes. **683** Lucca [i] castrum ditque funditus subvertunt, custodes illius iunt, et inibi victores exsistunt. Prædam lentes, habitatores ejusdem loci [j] secum

Anno DCCXLIII. — CXII. Inde reversi anno secundo regni eorum, cognatus eorum Odilo dux Bagoariorum contra ipsos rebellionem excitat: compulsi sunt generalem cum Francis in Bagoaria admovere exercitum. Venientesque super fluvium qui dicitur Lech [l], sederunt super ripam fluminis uterque exercitus, hinc inde se mutuo videntes usque ad dies quindecim, qui tantumdem provocati irrisionibus gentis illius, B indignatione commoti periculo se dederunt per loca deserta et palustria, ubi mos transeundi [m] nullatenus aderat: nocteque irruentes, divisis exercitibus, eos improvisos occupaverunt. Commissoque prælio, prædictus dux Odilo, cæso exercitu suo, vix cum paucis turpiter ultra Igne [n] fluvium fugiendo evasit. Illis triumphis peractis non sine dispendio multorum, tamen feliciter victores ad propria remeaverunt.

Anno DCCXLIV. — CXIII. Evoluto triennio iterum Carlomannus confinium Saxonorum, ipsis rebellantibus, cum exercitu irrupit; ibique captis habitatoribus, qui suo regno affines esse videbantur, absque belli discrimine feliciter acquisivit, et plurimi eorum, Christo duce, baptismi sacramento consecrati fuerunt. Per idem tempus rebellante **684** Theudebaldo [o], filio Godfredi ducis, Pippinus cum virtute exercitus sui ab obsidione Alpium [p] turpiter expulit fugientem; revocatoque sibi ejusdem loci ducatu, victor ad propria remeavit.

Anno DCCXLV. — CXIV. Inde reversi prædicti ger-

, et unumquodque suum majorem palatii etiamsi duo aut tria illa regna quandoque legem haberent. Tum Burgundionibus Neuitis, duo solummodo fuere regna; et Caroeto Raginfredo, unicus fuit in utroque illo ajor palatii. Hæc autem regna, sive tota octo regiones majores complectebantur, , Sueviam, Thuringiam, Bajoariam, Neurgundiam, Provinciam, Aquitaniam; Septiem, quæ intra Gallias erat, parebat Gotthis, aniæ regibus. In divisione autem facta inter os nulla mentio occurrit Bajoariæ et Aqui-od Hunoldus Aquitaniæ dux seu præfectus, Bajoariæ, auctoritatem nimiam, quam sibi ris domus titulo Carolus arrogabat, exosi, subdere noluerant.

et Colb., *in Thoringiam sublimavit*. Et infra ob., *Burgundiam et Neuster et Provinciam*

, *Carieco villa*. Celebris fuit hæc regia domus ida regum stirpe, vulgo *Kiersi*, ut fuse prov de Re diplomat. num. 30.

, *cuncta in gyro acquisita regna*, additum al. *finquens*.

d a pugna Vincilacensi, in qua fugatus est lus; nam alias anno sui ducatus 26 aut 27 s est, ut habent alii auctores. Nonnulli etiam Idib. Octobris defunctum, ac XI Kal. Decemltum volunt in basilica sancti Dionysii, quam dus exstitisse ait auctor, quamvis duabus urbe distaret, ut observarunt viri eruditi.

Ch., al. *duo et viginti*.

e Hic desinunt codices scripti Colb. Vatic., et Nazarianus ex Bibliotheca archipalatina apud Freher., sicut et editi Col., Bign., Bar., Illyr. et Boch. Unde quæ sequuntur alio titulo ab hac parte separavissemus, nisi obstitisset inscriptio inferius refercnda.

f Alii, *Hiltrudis*. Numeros deinceps capitibus præfiximus ob citationis commodum, licet nulli antea in editis aut scriptis haberentur.

g Boh. et alii mendose, *Dodilonem*, et infra *Hodilo* dicitur. Is est Odilo sub cujus regimine fides Christiana multum crevit in Bavaria. D

h Alii, *Hunaldum*, seu *Hunoldum*, appellant. Can. semel, *Chunobaldum*.

i Vulgo *Lockes*, apud Turones, de quo alias diximus.

j Sic ex Boh. restituimus, qui habet *ejusdem locis*; cæteri, *eisdem locis*.

k Ches., *nuncupante*. Freh. vocem *Usquequo* pro adverbio sumit, monetque nomen loci proprium desse.

l Hodieque *Lech* seu *Lecx* nominatur, Latine Lechus, Licus, et Lycias dictus, inter Sueviam et Bavariam fluens; Danubio miscetur apud Werdam.

m Editi, *ubi pons transeundo*.

n Is est Ænus, seu Œnus, vulgo *In* seu *Inn*, qui in Alpibus ortus, ut dicitur infra, labitur in Danubium.

o Sueviæ seu Alemanniæ duce.

p Alpes, ni fallor, appellat Vosagi montes, quos transmeato Rheno Theobaldus occupare conabatur;

mani, sequente anno, provocato cothurno Wasconorum, iterum [a] usque ad Ligerim fluvium pariter adunati venerunt. Quod videntes Wascones, præoccupaverunt, pacem petentes, et voluntatem Pippini in omnibus exsequentes, muneratum eum a finibus suis ut rediret precibus obtinuerunt.

An. DCCXLVI. — CXV. His transactis, sequente anno, dum Alamanni contra Carlomannum eorum fidem fefellissent, ipse cum magno furore cum exercitu in eorum patriam peraccessit, et plurimos eorum, qui contra ipsum rebelles existebant, gladio trucidavit.

An. DCCXLVII. — CXVI. His ita gestis, sequenti curriculo annorum, Carlomannus devotionis causa inexstinctu [b] succensus, regnum una cum filio suo Drogone manibus germani sui Pippini committens, ad limina beatorum apostolorum Petri et Pauli Romam, in monachorum ordine perseveraturus [c] advenit. Qua successione Pippinus roboratur in regnum.

CXVII. Eodem anno Saxones, more consueto, fidem quam germano suo promiserant mentiri conati sunt. Qua de causa adunato exercitu, eos prævenire [d] compulsus est. Cui etiam reges Winidorum seu Frisionum ad auxiliandum uno animo convenerunt. Quod videntes Saxones, consueto timore compulsi, multis ex eis jam trucidatis, et in captivitate missis, regionibus eorum igneque concrematis, pacem petentes juri Francorum sese, ut antiquitus mos fuerat, subdiderunt: et ea tributa quæ Chlotario quondam præstiterant [e], plenissima solutione ab 685 eo tempore deinceps esse se redditurus promiserunt. Ex quibus plurima multitudo videntes se contra impetum Francorum rebellare non posse, propriis viribus destituti, petierunt sibi Christianitatis sacramenta conferre. Quo peracto tempore Bagoarii consilio nefandorum [f], iterum eorum fidem fefellerunt, et contra præfatum principem eorum fidem mentiti sunt.

An. DCCXLIX. — Qua de re commoto exercitu cum magno agmine apparato eorum patrias peraccessit. Ipsi vero terrore compulsi ultra fluvium Igni [g] cum uxoribus ac liberis eorum fugientes, et memoratus princeps super ripam Igni castra metatus, navale prælium præparavit, qualiter eos ad internecionem persequeretur. Quod videntes 686 Bagoarii, eorum viribus se auxiliare non posse, legatos cum muneribus multis transmittunt, et in ejus ditione se subdunt, et sacramenta vel obsides donant, ut ne ulterius rebelles existant.

Ipse vero duce Christo cum magno triumpho in Franciam ad propriam sedem feliciter remeavit. Et quievit terra a prœliis annis duobus.

An. DCCLII. Quo tempore una cum consilio et consensu omnium Francorum, missa relatione, a sede apostolica auctoritate percepta, præcelsus Pippinus electione totius Franciæ in sedem regni cum consecratione episcoporum, et subjectione principum, una cum regina Bertradane, ut antiquitus ordo deposcit, sublimatur in regno [h].

Usque nunc illuster vir Childebrandus comes, Avunculus prædicti regis Pippini, hanc historiam, vel Gesta Francorum, diligentissime scribi procuravit. Abhinc ab illustre viro Nibelungo, filio ipsius Childebrandi, itemque comite, succedat auctoritas [i].

[a] Aquitani cum suo duce Hunoaldo.

[b] Sic Boh.; alii, *inexstincto*, id est *instinctu*; quæ mutatio prodiit ex more litteram s, ac si fuerit *es* pronuntiandi.

[c] Monasticam vestem Romæ induit, tum in montem Soractem ac postea Casinum secessit. Ejus elogium lege in sæc. III Benedictino, parte II, ad an. 755, quo Viennæ Alfobrogum obiit. Zacharias ad Francorum episcopos de ejus in Gallias accessu ad pacem inter Pippinum et Grifonem componendam, tum pro restituendo Casinensibus corpore sancti patris Benedicti scripsit.

[d] Ed., *ad eos pervenire*.

[e] Quingentas vaccas singulis annis solvebant. Vide Fredeg., cap. 74.

[f] Has turbas a Grippone, seu Grifone Pippini ex matre altera fratre, suscitatas fuisse tradunt veteres scriptores. Hic nempe e carcere solutus Saxones primo ad suas partes traxit; tum, mortuo Odilone, Bajoariorum ducatum invasit; sed victus a Pippino, et ducatu duodecim comitatuum in Neustria donatus, in Aquitaniam secessit; exinde fugatus, tandem in Italiam transiens ad Aistulfum Langobardorum regem, in valle Mauriennensi interfectus est, ut dicitur cap. sequenti.

[g] Id est *Œni*. Œnus quippe, vulgo *Inn*, ex monte Bernina in Alpibus versus septentrionem descendens, comitatum Tirolensem, ubi Œniponti (*Inspruc*) nomen tribuit, tum Bavariam alluit, ac demum aliis fluviis auctus Danubio miscetur.

[h] His verbis aperte declarat hujus Chronici auctor, Romanum pontificem, qui tunc erat Zacharias, sese Pippini electioni immiscuisse, atque eumdem principem pontificum consecratione in regem fuisse sublimatum. Cui consentiunt scriptores tam antiqui quam recentiores. Goiutius tamen hunc locum interpolatum fuisse contendit, atque sic restitui debere: *Quievit terra a prœliis annis duobus. Quo tempore præcelsus Pippinus electione totius Franciæ, in sedem regni una cum regina*, etc. Sed suæ conjectationis, quæ omnibus scriptis et editis contraria est, nullam rationem affert, nisi quod, ut quidem existimat, Franci pontificem de regis electione non consuluerint, nec tunc consuetudo fuerit reges ungendi; utrumque vero refellitur ex clausula veteris codicis Dionysiani, ipso Pippino regnante scripti, quam infra post librum Gregorii de Gloria Confessorum proferemus.

[i] Hanc inscriptionem, quam cæteri codices non habent, e Petaviano edidit Chesnius. Ille autem codex, qui e Petaviana bibliotheca ad Christinam Sueciæ reginam transiit, hodie Romæ asservatur in biblioth. eminentiss. card. Ottoboni: olim fuit monasterii Jurensis, ad sancti Augendi tumulum, sæculo IX labente, a Mannone oblatus, uti discimus ex inscriptione ipsi præfixa: *Voto bonæ memoriæ Mannonis liber ad sepulcrum sancti Augendi oblatus.*

PARS QUARTA,

AUCTORE ANONYMO

QUI JUSSU NIBELUNGI SCRIPSIT.

687 An. dccliii.—CXVIII. His transactis, sequenti anno iterum Saxones contra eorum fidem, quam præfato regi dudum promiserant, solito more iterum rebelles contra ipsum exsistunt. Unde et Pippinus rex, ira commotus, commoto omni exercitu Francorum, iterum Rheno transjecto, in Saxoniam cum magno apparatu veniens, ibique eorum patriam maxime igne cremavit, captivos tam viros quam feminas secum duxit, cum multam prædam ibidem fecisset, et plurimos Saxones ibidem prostravisset. Quod videntes [a] Saxones, pœnitentia commoti, cum solito timore clementiam regis petunt, ut pacem eis concederet, et sacramenta atque tributa, multo majora quam ante promiserant, redderent, et nunquam ultra jam rebelles exsisterent. Rex Pippinus, Christo propitio, cum magno triumpho iterum ad Rhenum ad castrum, cujus est nomen Bonna [b], veniens. Dum hæc ageret, nuntius veniens ad præfatum regem ex partibus Burgundiæ, quod germanus ipsius regis, nomine Grifo, qui dudum in Wasconiam [c] ad Waifarium principem **688** confugium fecerat, a Theodone [*Al.* Theudoeno] comite Viennense, seu et Frederico Ultrajurano comite, dum partes Langobardiæ peteret, et insidias contra ipsum prædictum regem pararet, apud Mauriennam urbem super fluvium Arboris [d] interfectus est. Nam et ipsi superscripti comites in eo prælio pariter interfecti sunt.

CXIX. Per Arduennam silvam cum ipse rex veniens, et Theudone villa [e] publica super Mosella resedisset, nuntius ad eum veniens dixit, quod Stephanus papa de partibus Romæ cum magno apparatu et multis muneribus, jam monte Jovis [f] transmeato, ad ejus properaret adventum. Hæc audiens rex, cum gaudio et lætitia et ingenti cura recipere eum præcepit, et filio suo Carolo ei obviam ire præcepit [g], qui usque ad Pontem Ugone, villa publica [h], ad ejus præsentiam adducere deberet.

An. dcclv. Ibique Stephanus papa Romensis ad præsentiam regis veniens, multis muneribus tam ipsi regi quam et Francis largitus est, auxilium petens contra gentem Langobardorum et eorum regem Aistulfum, ut per ejus adjutorium ab eorum oppressionibus **689** vel fraudulentia de manibus eorum liberaretur, et tributa et munera, quæ contra legis ordinem a Romanis requirebant facere, desisterent. Tunc Pippinus rex præfato Stephano papa apud Parisius civitatem in monasterio sancti Dionysii martyris [i], cum ingenti cura et multa diligentia, hiemare præcepit. Legationem ad Aistulfum regem Langobardorum mittens, petens ut propter reverentiam beatissimorum apostolorum Petri et Pauli in partibus Romæ hostiliter non ambularet, et superstitiosas ac impias vel contra legis ordinem causas, quod antea Romani nunquam fecerant, propter ejus petitionem facere non deberet.

CXX. Cumque prædictus rex Pippinus quod per legatos suos petierat non impetrasset, et Aistulfus hoc facere contempsisset, evoluto anno [j], præfatus rex ad Kalendas Martias omnes Francos, sicut mos Francorum est, Bernaco [k] villa publica ad se venire præcepit. Initoque consilio cum proceribus suis, eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, cum Stephano papa [l], et reliquæ nationes, quæ in suo regno commorabantur, et Francorum agmina ad partes Langobardiæ cum omni multitudine per Lugdunum Galliæ et Viennam pergentes, usque Mauriennam pervenerunt. Aistulfus rex Langobardorum, hæc audiens, commoto omni exercitu Langobardorum, usque ad Clusas [m], quæ cognominatur Valle Seusana, veniens, ibi cum omni exercitu suo castra

[a] Editi, *convenientibus iis Saxones.* Locum in quo devicti fuerunt, *Rimi* supra Wiseram fluvium appellant Annales Laureshamenses. Conditiones vero pacis, ut legitur in Annalibus Mettensibus, fuere, ut sacerdotes licentiam haberent Christi fidem prædicandi, ac baptizandi Saxones, utque regi singulis annis trecentos equos darent.

[b] Hodie sedes est archiepiscopi electoris Coloniensis, quod ipsa metropolis Colonia urbs sit anseatica et sui juris. Priscum nomen retinet, *Bonne* vulgo dicta.

[c] Boh., Freh. et Can., *Gwasconiam*, et passim infra *Gwascones*. Waifarium, ut plurimum *Waiofarium*, Can. nonnunquam *Gaiofarium* appellant.

[d] Fluvius ille, vulgo Arca (*l'Arche*) appellatur, qui in Isaram (*l'Isère*) influit. De urbe Maurienna vide notas in lib. I de Glor. Mart. cap. 14.

[e] Oppidum munitissimum in ducatu Luxemburgensi inter Mettas et Sircam; priscum nomen retinet, nostris *Thionville*, Germanis vero *Diedenhofen*.

[f] Summus Penninus dicitur ab Æthico; vulgo dicitur *le grand Saint-Bernard*, ab aliis *Montjou*, seu *Montjeu*.

[g] Hæc verba, *et filio*, etc., *præcepit*, desunt in cod. Boher.

[h] Chesn., *Pontem Hugonis villam publicam*. Est Pontigo, seu Pontico, vulgo *Pontion*, de quo supra ad cap. 23 lib. IV Historiæ Gregorii. De Stephani III receptione, vide Anastasium in ejus Vita.

[i] Hiemavit pontifex in percelebri monasterio sancti Dionysii, gravique morbo afflictus, sancti martyris precibus sanitatem recuperavit. Inde abiens loci monachis pallium suum pontificale in amoris pignus reliquit, quod etiamnunc religiose asservant. De Pippini unctione, aliisque rebus a Stephano in Gallia gestis, ejusque in Urbem reditu legendus Anastasius.

[j] Cum tribus mensibus juxta nostrum calculum, hic quippe annum a Kalendis Martiis inchoat. Quare paulo superius apposuimus, *an.* 554.

[k] Annales Mettenses habent *Brennacum*.

[l] Sic Boh. Editi vero, *Stephanus papa*.

[m] Ches., mendose, *Clasas*. Clusæ appellantur fau-

metatus est, et cum telis et machinis et multo apparatu, quod nequiter contra Rempublicam [*Id est*, imperatorem] et sedem Romanam apostolicam admiserat, nefarie nitebatur defendere. Et cum supra scriptus rex Pippinus Mauriennam cum exercitu suo resedisset [*Ed.*, redilisset], et propter angusta vallium, montes rupesque exercitus prædicti regis minime transire potuissent, pauci tamen montibus angustisque locis erumpentibus, usque in valle Seusana **690** pervenerunt. Hæc cernens Aistulfus rex Langobardorum, omnes Langobardos armare præcepit, et cum omni exercitu suo super eos audaciter venit. Hæc cernentes Franci, non suis auxiliis, nec suis viribus liberare se putabant, sed Deum invocant, et beatum Petrum apostolum adjutorem [a] rogant. Commissoque prælio fortiter inter se dimicantes, Aistulfus rex Langobardorum læsum cernens exercitum suum, terga vertit, et pene omnem exercitum suum, quem secum adduxerat, tam duces, comites, vel omnes majores natu gentis Langobardorum, in eo prælio omnes amisit; et ipse quodam monte rupis vix lapsus evasit, Ticinum urbem suam cum paucis venit. Igitur præcelsus rex Pippinus, patrata Deo adjuvante [b] victoria, cum omni exercitu, vel multitudine agminum Francorum, usque ad Ticinum peraccessit, castra metatus est, undique omnia quæ in gyro fuerunt vastans : partes Italiæ maxime igne concremavit, totam regionem illam vastavit, castra Langobardorum omnia diripuit [*Ed.*, disrupit], et multos thesauros tam auri et argenti, vel alia ornamenta quam plurima, et eorum tentoria omnia rapuit et cepit. Hæc cernens Aistulfus rex Langobardorum, quod nullatenus se evadere potuisset, pacem per sacerdotes et optimates Francorum petens, dictiones supra dicto rege Pippino faciens, et [*Forsan*, ut] quidquid contra Romanam ecclesiam vel sedem Apostolicam contra legis ordinem fecerat, plenissima solutione emendaret. Sacramenta et obsides ibidem donat, ut nunquam a Francorum ditione se abstraberet, et ulterius ad sedem apostolicam Romanam et rempublicam hostiliter nunquam accederet. Præfatus rex Pippinus clemens ut erat, misericordia motus, vitam et regnum ei concessit, et multa munera Aistulfus rex partibus prædicti regis donat. Nam et optimatibus Francorum multa munera largitus est. His itaque gestis, Pippinus rex **691** prædicto Stephano papa [c] cum optimatibus suis et multa munera partibus Romæ cum magno honore direxit, et in sedem apostolicam incolumem, ubi [*Ed.*, sicuti] prius fuerat, restituit. His transactis, Pippinus rex cum exercitu suo vel multis thesauris ac multis muneribus Deo adjuvante reversus est ad propria.

An. dcclv. — CXXI. Sequenti anno Aistulfus rex Langobardorum fidem suam, quam regi Pippino promiserat, peccatis facientibus fefellit. Iterum ad Romam cum exercitu suo veniens, finibus Romanorum pervagans [d], atque regionem illam vastans, ad ecclesiam sancti Petri perveniens [e], et domos quas ibidem reperit maxime igne concremavit. Hæc Pippinus rex cum per internuntios audisset, nimium furore et in ira motus, commoto iterum omni exercitu Francorum per Burgundiam, per Cavalonnum urbem, et inde per Januam [f] usque Mauriennam veniens. Rex Aistulfus cum hoc reperisset, iterum ad Clusas exercitum Langobardorum mittens, qui regi Pippino et Francis resisterent, et partibus Italiæ intrare non sinerent. Rex Pippinus cum exercitu suo, monte Cinisio [g] transacto, usque ad Clusas, ubi Langobardi ei resistere nitebantur, perveniens, et statim Franci solito more, ut edocti erant, per montes et rupes erumpentes, in regnum Aistulfi cum multa ira et furore intrant, Langobardos quos ibi repererunt interficiunt. Reliqui qui remanserant vix fuga lapsi evaserunt. Rex Pippinus cum nepote suo Tassilone [h], Bajoariorum duce, partibus Italiæ usque ad Ticinum iterum accessit, et totam regionem illam fortiter devastans, circa muros Ticini utraque parte fixit tentoria, ita ut nullus exinde evadere potuisset [i]. Hæc Aistulfus rex Langobardorum cernens, et jam nullam spem **692** se evadendi speraret, iterum per supplicationem sacerdotum et optimatum Francorum veniens, et pacem prædicto regi supplicans, et sacramenta quæ præfato regi dudum dederat, ac quod [*Ed.*, ut qui] contra sedem apostolicam rem nefariam fecerat, omnia per judicium Francorum, vel sacerdotum plenissima solutione emendaret. Igitur

ces et angustiæ montium. Vallis autem Seusana, seu, ut Freh. et Can. hic habent, *Swesiana*, Ch., *Suesana*, vulgo dicitur Vallis Segusiana (*la Val de Suse*).

[a] Ed., *beati Petri apostoli adjutorium*.

[b] Ches., *Dei adjutorio*.

[c] Id est, *prædictum Stephanum papam*.

[d] Ed., *fines Romanorum peragrans*.

[e] Boh., *veniens*. Ecclesia sancti Petri in Vaticano olim extra Urbem, a Leone IV intra novam urbem, quæ ab eo *Leonina* dicta est, inclusa fuit. In his porro angustiis epistolam Stephanus Pippino et omnibus Francis nomine sancti Petri scripsit : *Petrus vocatus apostolus... Pippino, Carolo*, etc. Eam aliaque ad hanc historiam pertinentia instrumenta profert Coint.ius tomo V Annal.

[f] Boh., *Cavilonno*, *Geneva*. Hæ urbes sunt, *Châlons-sur-Saône*, *Geneve*, *Saint-Jean de Maurienne*.

[g] Vulgo *le mont Cénis*, in Alpibus Cottiis.

[h] Tassilo, ex Chiltrude seu Hiltrude, de qua superius, Pippini sorore natus erat.

[i] Tunc, ut narrat Anastasius, imperatoris legatus Pippinum convenit, ut exarchatum imperio restitueret. At negavit ille se id præstiturum, quod bellum hoc solo pietatis intuitu, *pro amore sancti Petri et delictorum suorum venia* suscepisset, neque se commissurum, *ut quod semel beato Petro obtulerat auferret*. Hinc, uti prosequitur ille auctor, firmata pace, *de receptis civitatibus a B. Petro, atque a sancta Rom. Ecclesia, vel ab omnibus in perpetuum pontificibus apostolicæ sedis possidendis misit in scriptis donationem, quæ usque hodie*, inquit, *in archivo sanctæ nostræ ecclesiæ recondita tenetur*. — Ejusdem donationis authenticum monumentum superest apud Ravennam lapidi insculptum litteris Romanis, tametsi mutilum. Sed quæ desunt facile possunt suppleri. Sic autem habet :

PIPPINUS. PIUS. PRIMUS. AMPLIFICANDÆ. ECCLESIÆ. VAM. APERUIT. ET EXARCHATUM. RAVENNÆ. CUM AMPLISSIMIS.....

rex Pippinus solito more iterum misericordia motus, ad petitionem optimatum suorum vitam et regnum iterato concessit. Aistulfus rex per judicium Francorum vel sacerdotum, thesaurum qui in Ticino erat, id est tertiam partem, prædicto regi tradidit, et alia multa munera majora quam antea dederat, partibus regis Pippini dedit. Sacramenta iterum et obsides donat, ut amplius nunquam contra regem Pippinum vel proceres Francorum rebellis et contumax esse debeat [a], et tributa quæ Langobardi regi Francorum a longo tempore dederant, annis singulis per missos suos desolvere deberent. Præcelsus rex Pippinus victor cum magnis thesauris et multis muneribus, absque belli eventu, cum omni exercitu suo illæso ad propriam sedem regni sui remeavit incolumis, et quievit terra a præliis annis duobus.

An. DCCLVI.—CXXII. Post hæc Aistulfus rex Langobardorum, dum venationem in quadam silva exerceret, divino judicio, de equo quo sedebat super quamdam arborem projectus, vitam et regnum crudeliter digna morte amisit. Langobardi una cum consensu prædicti regis Pippini, et consilio procerum suorum, Desiderium in sedem regni instituunt.

An. DCCLVII. — CXXIII. Dum hæc agerentur, rex Pippinus legationem Constantinopolim ad Constantinum [b] imperatorem pro amicitiæ causa, et salute suæ **693** patriæ mittens, similiter et Constantinus imperator legationem præfato regi cum multis muneribus [c] mittens, et amicitias et fidem per legatos eorum vicissim inter se promittunt. Nescio quo faciente, postea amicitia, quam inter se mutuo promiserant, nullatenus sortita est effectum.

Ann. DCCLVIII-DCCLX. — CXXIV. His itaque gestis, et duobus annis cum terra cessasset a præliis, prædictus rex Pippinus legationem ad Waifarium [d] Aquitanicum principem mittens, petens ei per legatos suos, ut res ecclesiarum de regno ipsius, quæ in Aquitania sitæ erant, redderet, et sub immunitatis nomine, sicut ab antea fuerant, conservatas esse deberent, et judices ac exactores in supradictas res ecclesiarum, quod a longo tempore factum non fuerat, mittere non deberet, et Gotthos prædicto regi, A quos dudum Waifarius contra egis ordinem occiderat, ei solvere deberet; et nomines suos, qui de regno Francorum ad ipsum Waifarium principem confugium fecerant, reddere deberet. Hæc omnia Waifarius, quæ prædictus rex per legatos suos ei mandaverat, hoc totum facere contempsit. Igitur Pippinus rex invitus coarctatus [e] undique contraxit exercitum, et partibus Aquitaniæ per pagum Trecassinum usque Autisiodorum urbem accessit. Inde ad Ligerem fluvium cum omni exercitu Francorum, ad Masuam [f] vicum in pago Autisiodorensi Ligerem fluvium transmeavit; per pagum Bitorinum usque Arvernico accessit, regionem illam pervagans, et maximam partem Aquitaniæ igne concremavit. Waifarius princeps Aquitaniæ per legatos suos pacem B supplicans, sacramenta vel obsides ibidem **694** donat, ut omnes justitias, quas præfatus rex Pippinus per legatos suos ei mandaverat, in placito instituto facere deberet. Rex Pippinus cum omni exercitu suo illæso reversus est ad propria.

An. DCCLXI. — CXXV. Evoluto anno, id est, anno decimo regni ipsius, omnes optimates Francorum ad Dura in pago Riguerinse [g] ad Campo Madio, pro salute patriæ et utilitate Francorum tractanda, placito instituto ad se venire præcepit. Dum hæc agerentur, Waifarius inito iniquo consilio, contra Pippinum regem Francorum insidias parat, exercitum suum cum Uniberto [h] comite Bitorino et Blandino comite Arvernico, qui dudum ante annum superiorem ad prædictum regem Pippinum cum Bertellanno [i] episcopo C Bitoricæ civitatis missus fuerat, et animum regis ad iracundiam nimium provocasset, cum reliquis comitibus clam hostiliter usque Cavillonum [j], omnem exercitum suum transmisit, et totam regionem illam, id est Augustidunensium usque ad Cavillonum igne cremavit, et suburbana Cavilloni urbis, quidquid ibidem reperierunt, omnia vastaverunt. Melciacum [k] villam publicam incendio cremaverunt, cum multis spoliis et præda nullo resistente remeaverunt ad propria. Cum hoc Pippino regi nuntiatum fuisset, quod Waifarius maximam partem regni sui vastasset, et sacramenta quæ ei dederat fefellisset, nimium

[a] Boh. et Can., *esse non debeat... ad regem... dissolvere.*

[b] Is erat Constantinus Copronymus, sacrarum imaginum effractor.

[c] Inter alia munera, quæ Pippinus accepit, erat organum, quod tunc primum in Galliis visum fuisse narrant veteres istorum temporum annalistæ.

[d] Can. et Freh. semper *Waiofarius*. Aimoinus, *Guaifarius*.

[e] Sic Ches. Alii, *coactus undique*.

[f] Hunc locum esse *Massavam* in tabulis Peutingerianis memoratam putat Valesius. Hodie dicitur *Mesve*. Infra Ches. habet mendose *Arausiodorensi*.

[g] Freh. *Riguernensi*, Can. *Riguernisi*, Ches. exponit *Ripuariensi*. Sunt autem Ripuarii populi Germaniæ inferioris, tribus fluviis, Rheno, Mosella et Mosa inclusi. Dura vero, seu Duria, hodie vulgo *Dueren*, in ducatu Juliacensi ad fluvium Ruram (*Roer*), Marcomagus, seu Marcodurum Ubiorum ab antiquis dicebatur, ut observat Valesius in notitia Galliarum. Ibi villa publica, seu palatium celebre exstitit sub secunda regum nostrorum stirpe, de quo lib. IV de Re diplomatica. De Campo Madio vide, infra, notas ad cap. 130.

[h] Ches., marg., *Huniberto*, seu *Chuniberto*, ut infra cap. 134, et alii *Umberto*. Infra Boh., *Bitarico*; D Can. et Freh., *Bitorvio*, pro Bitorino (*de Berry*); Blandinum vero cum Ches., *Blaudenum* appellant.

[i] Hinc emenda Patriarchii Bituricensis auctorem, qui hoc ipso anno Landrarium seu Laudrarium Biturigensem episcopum fuisse scribit, nulla Bertellani facta mentione; nisi is ipse sit Berlanus, quem ab anno 808 ad 820 sedisse memorat.

[j] Sic Boh., ut supra cap 121. Alii, *Cavallonnum*, quod nomen Cabellionem (*Cavaillon*), et Cabilonem indicare potest, quod vero Cabilo (*Châlons-sur-Saône*), hic designetur, dubitare non sinit aliorum Chronicorum auctoritas. Annales quippe Laureshamenses habent *Cabillonem*, qui vero a Loiselio editi sunt *Cabilonum*, Fuldenses *Cavillonem*, Bertiniani *Cavillonum*. Idem suadet Cabilonensium et Augustoduncnsium vicinia, quæ hic satis exprimitur.

[k] Ches., marg., *Melliacum*.

in ira commotus jubet omnes Francos ut hostiliter, placito instituto, ad Ligerem venissent. Commotoque exercitu cum omni multitudine, iterum usque ad Trecas accessit, inde per Autisiodorum ad Nevernum urbem veniens, Ligeris fluvio transmeato, ad castrum, cujus nomen est **695** Burbone[a], in pagum Bitorinum pervenit. Cumque in gyro castra posuisset, subito a Francis captus atque succensus est, et homines Waifarii, quos ibidem invenit, secum duxit, maximam partem Aquitaniæ vastans, usque urbem Arvernam cum omni exercitu veniens, Claremontem[b] castrum captum atque succensum bellando cepit, et multitudinem hominum, tam virorum quam feminarum vel infantum plurimos in ipso incendio cremaverunt. Blandinum comitem ipsius urbis Arvernicæ captum atque ligatum ad præsentiam regis adduxerunt, et multi Wascones in eo prælio capti atque interfecti sunt. Igitur rex Pippinus, urbe capta, ac regione illa tota vastata, cum præda et spolia multa, Deo auxiliante, cum illæso exercitu iterum remeavit ad propria. Factum est autem ut postquam Pippinus rex urbem Arvernam cepit, regionem illam totam vastavit.

An. DCCLXII. — CXXVI. Sequenti anno, id est anno undecimo regni ipsius, cum universa multitudine gentis Francorum Bitoricas venit, castra metatus est undique, et omnia quæ in gyro fuerunt vastavit. Circumsepsit urbem munitione fortissimam, ita ut nullus egredi ausus fuisset, aut ingredi potuisset. Cum machinis et omni genere armorum circumdedit eam vallo, multis vulneratis, plurimisque interfectis, fractisque muris cepit urbem, et restituit eam ditioni suæ jure prælii, et homines illos, quos Waifarius ad defendendum ipsam civitatem direxerat, clementia suæ pietatis absolvit, dimissique reversi sunt ad propria. Unibertum [*Al.*, Umbertum] comitem et reliquos Wascones, quos ibidem invenit, sacramentis datis secum adduxit, uxores eorum ac liberos in Franciam ambulare præcepit, muros ipsius Bitoricæ civitatis restaurare jubet, comites suos **696** in ipsam civitatem ad custodiendum misit. Inde cum omni exercitu Francorum, usque ad castrum quod vocatur Toarcius[c] veniens : cumque in gyro castra posuisset, ipse castrus[d] mira celeritate captum atque succensum est. Wascones quos ibidem invenit, una cum ipso comite duxit in Franciam. Pippinus rex, Christo duce, cum omni exercitu Francorum, cum multa præda et spoliis, iterum reversus est ad sedem propriam.

An. DCCLXIII, DCCLXIV. — CXXVII. Facta est autem longa altercatio inter Pippinum regem Francorum et Waifarium Aquitaniæ principem. Pippinus rex Deo auxiliante magis ac magis crescens, et semper in se ipso robustior factus est; pars autem Waifarii et ejus tyrannitas decrescens quotidie. Waifarius princeps semper contra prædictum regem Pippinum insidias parare dissimulat. Nam Mancionem comitem consobrinum suum partibus Narbonæ cum reliquis comitibus transmisit, ut custodias, quas prædictus rex Narbonam, propter gentem Sarracenorum ad custodiendum miserat, ne aut intrarent, aut si quando iterum in patriam[e] reverterentur, capere aut interficere eos potuissent. Factum est autem ut Australdus comes, et Galemanius itemque comes, cum paribus eorum ad propria reverterentur, hic Mancio una cum multitudine gentis Wasconorum super eos irruit, fortiter inter se dimicantes, prædictus Galemanius et Australdus ibidem Mancionem et universos pares suos, Deo adjuvante, interficiunt. Hæc cernentes Wascones terga verterunt, omnes equites [*Id est*, equos], quos ibidem adduxerant, amiserunt ; montes vallesque pervagantes, pauci tamen vix fugaçiter evaserunt. Ipsi vero cum multa præda, vel equitibus et spoliis, cum gaudio reversi sunt ad propria.

697 CXXVIII. Dum his et aliis modis Franci et Wascones semper inter se altercarent, Chilpingus comes Arvernorum, collecto undique exercitu, in pago Lugdunensi in regno Burgundiæ ad prædandum [*Al.* præliandum] ambulare nitebatur. Contra quem Adalardus comes Cavalonensis, et Australdus idemque comes, cum paribus eorum contra eum venientes, et super fluvium Ligeris fortiter inter se dimicantes, statim Chilpingus comes in eo prælio a supra scriptis comitibus occisus est, et multi qui cum eo venerant, ibidem interfecti sunt. Hæc videntes Wascones terga vertunt; vix pauci silvis et paludibus ingressi evaserunt. Amanugus comes Pectavensis dum Turonicam infestatam prædaret, et ab hominibus Wlfardi abbatis monasterii beati Martini interfectus est, et plures qui cum eo ibidem venerant, cum ipso pariter ceciderunt. Reliqui qui re-

[a] Duplex est hujus nominis castrum, ob aquarum salubritatem celebre, 15 circiter leucis, intermediis tamen Ligeri et Elaveri fluviis, a se invicem dissitum, scilicet Burbo Anselli (*Bourbon-Laney*), ad dexteram Ligeris ripam in Æduorum finibus, et Burbo Erchembaldi, seu ad Balnea dictus (*Bourbon-l'Archambaud*, seu *Bourbon-les-Bains*), in finibus Biturigum, hic memoratus; qui augustissimæ Borboniorum familiæ, nunc Francorum regiæ, nomen dedit. Aliæ urbes supra memoratæ Trecæ (*Troyes*), Autisiodorum (*Auxerre*), Nivernum (*Nevers*), notæ sunt.

[b] Observat Savaro in Originibus Clarom. hanc primam esse apud veteres auctores Clarimontis mentionem, quem aperte ab ipsa Arverna urbe, ab Antiquis Augustonemetum appellata, distinguit. Unde conjicit castrum seu arcem in monte vicino ad urbis custodiam olim exstitisse, Clarum montem dictum; quod postea toti urbi nomen tribuit, cum nempe bellorum tumultibus non semel violata in montem translata fuisset. Id probat ex vulgi traditione, qua loci incolæ vineta et terras urbi vicinas, vulgo *la Cita*, eam vero urbis partem quæ montis cacumen occupat, *Clairmont* appellant.

[c] Situm est in Pictonum finibus, vulgo *Thouars* dictum, hodieque celebre, ducatus titulo illustratum, quod a nobilissima Tremolliorum familia possidetur. Aimoinus habet *Cadurcia*; an *Cahors* voluerit designare? Annales Mettenses habent, *Thoarcii castrum, quo in Aquitania firmius non erat.*

[d] Sic Boh. pro *ipsum castrum*. Ed., *ipse castrum*.

[e] Id est, in regionem, scilicet quæ Pippino subjecta erat.

terga vertentes, pauci vix evaserunt. Dum
atur, Remistanus avunculus Waifarii ad
i regem veniens, sacramenta multa et fi-
icto regi Pippino promisit, ut semper fide-
ædicto regi, quam et filiis suis omni tem-
i deberet. Rex vero Pippinus in suam
eum recepit, et multa munera auri et ar-
pretiosa vestimenta, equites [*Id est*, equos]
rgiendo, eum ditavit.

. Rex Pippinus castrum, cui nomen est
is [a] in pago Bitorino, a fundamento miro
pristinum statum reparare jussit, comites
m ad custodiendum mittens, ipsum castrum
i ad Waifario resistendum, cum medieta-
Bitorini usque ad Carum [e], concessit. Vi-
dictus Waifarius, princeps Aquitanicus,
rum **698** Claremontis rex bellando cepe-
Bitoricas caput Aquitaniæ, munitissimam
m machinis cepisset, et impetum ejus fer-
tuisset, omnes civitates quæ in Aquitania
ditionis suæ erant, id est Pectavis [d], Le-
Santonis, Petrecors, Equolisma, et reliquas
s civitates et castella, omnes muros eorum
prostravit, quos postea præcelsus rex Pip-
arare jubet, et homines suos ad ipsas civi-
odiendum dimisit. Iterum eo anno cum
citu suo prædictus rex Pippinus ad sedem
reversus est.

LXV.— CXXX. Iterum sequenti anno, com-
i exercitu Francorum, per Trecas, inde
um, usque ad Nievernum [e] urbem cum
citu veniens, ibique cum [f] Francis et pro-
uis placitum suum Campo Madio tenens.
gere transacto, Aquitaniam pergens, usque
icas accessit, totam regionem illam va-
as publicas, quæ ditionis Waifarii erant,
concremare præcepit. Tota regione illa
ita, monasteriis multis depopulatis, usque
m [g] veniens, unde maximam partem Aqui-
i plurimum vinearum erat, cepit ac vasta-

A vit. Unde pene omnis Aquitania, tam ecclesiæ quam monasteria, divites et pauperes vina habere consueverant, omnia vastavit et cepit. Dum hæc agerentur, Waifarius cum exercitu magno et plurimorum Wasconorum, qui ultra Garonnam commorantur, qui antiquitus vocati sunt Vaceti [h], super prædictum regem venit. Sed statim solito more omnes Wascones terga verterunt, plurimi ibidem a Francis interfecti sunt. Hæc cernens rex, persequi eum jubet, et usque ad noctem eum persequens, vix **699** Waifarius cum paucis qui remanserant, fugiendo evasit. In eo prælio Blandinus comes Arvernorum, quem prædictus rex prius ceperat, et qui postea ad Waifarium confugium fecerat, in eo prælio interfectus est. Rex Pippinus, opitulante Deo, victor exstitit.

B Patrata iterum victoria cum magno triumpho, iterum ad Denegontium [i] cum magno exercitu Francorum ad Ligerem veniens, inde per pagum Augustudinensem ad propriam sedem remeavit invictus [j]. Waifarius legationem ad prædictum regem mittens, petens ei quod Bitoricas et reliquas civitates Aquitaniæ provinciæ, quas de manu ejus prædictus rex abstulerat, ei redderet, et postea ipsas Waifarius ditionis suæ faceret; tributa vel munera, quæ antecessores sui reges Francorum de Aquitania provincia exigere consueverant, annis singulis partibus prædicto regi Pippino solvere deberet. Sed hoc rex per consilium Francorum [k] et procerum suorum facere contempsit.

AN. DCCLXVI.— CXXXI. Evoluto igitur anno, commoto omni exercitu Francorum, vel plurimum nationum, quæ in regno suo commorabantur, usque ad

C Aurelianis veniens, ibi placitum suum Campo Madio [l] pro utilitate Francorum instituit, tenens, multis muneribus a Francis et proceribus suis ditatus est. Iterum Ligere transacto, totam Aquitaniam pergens, usque ad Aginnum veniens, totam regionem illam devastavit. Videntes tam Wascones quam majores natu Aquitaniæ, necessitate compulsi plurimi ad eum venerunt, sacramenta ad eum ibidem donant, et se ditionis suæ faciunt. Ita omni Aquitania

Argentomagus, vulgo *Argenton*, oppidum
am (*la Creuse*), apud Bituriges, ubi Mar-
Anastasius martyrium consummasse dicun-
Usuardum et in Martyrologio Romano, die

, *cum eis medietatem.*
, *usque Care.* Carus seu Caris, vulgo *le*
rigum provinciam duas in partes secat, qui
ctus fluviolis tandem in Ligerim delabitur
a Turones.
Pictavis... Lemovicas, Petrecoris, Egolisma.
sunt *Poitiers, Limoges, Saintes, Périgueux,*
, provinciarum quæ ab eis nomina ha-
a.
Nevernum, Freh. et Can., mendose, *Aver*

verba, *ibique cum*, etc., usque *tenens*, ex-
censet Cointius, quod eo anno, uti ipsi vi-
rancorum conventus, seu Campus Maii,
niacum in Remensi Campania habitus fue-
tur tamen in omnibus Editis et scriptis,
e licuit. Sed hic forte campi Madii nomine
l intelligitur quam conventus Francorum
andum de aliquot circa expeditionem dif-
s coactus. Certe, ut ipse Cointius advertit

Annales Mettenses colloquium mense Augusto habitum an. 567 *Campum Magii* appellant, licet hoc ipso anno conventus solemnis re ipsa mense Maio habitus fuisset.

[e] Boh., *Hissando*, alias *Issando* et *Exando*. Hoc oppidum appellatur vulgo *Issaudun*, ad Vigeram fluvium apud Lemovicas.

D [h] Bober., *Vacceti*. Can. et Freh., *Vasci*. Illi forte sunt Vasci, seu Bascli, quos hodieque *Basques* appellamus.

[i] Boh., *ad Digontio*. Can. et Freh., ad *Degontum*. Vulgo appellatur *Digoins*, seu *Digoine*. Locus est baronatus titulo insignitus, in pago Cadrellensi (*le Charolais*), ad Arotii (*l'Arou*) et Ligeris confluentes.

[j] Sic Boh. Ed. vero, *remeavit. Ibi victus.*

[k] Freh. et Can. hic addunt *et plurimorum nationis qui in regno suo commorabantur*, quæ verba in iisdem desunt in cap. seq.

[l] Jam supra, cap. 125, *Campum Madium* appellavit. Hanc vero mutationem anno 755 factam referunt Annales Petaviani. Hincmarus in Vita sancti Remigii Campum Martium a Marte sic fuisse appellatum dicit, *quem posteriores Franci* Mai-Campum, quando reges ad bella solent procedere, vocari instituerunt.

[*Al.* Equitaniæ] provincia nimium vastata, cum multa præda ac spoliis, per pagum Petregoricum et Equolismam, jam pene omni Aquitania acquisita, cum omni exercitu Francorum iterum eo anno reversus est in Franciam cum suis omnibus.

700 An. dcclxvii.—CXXXII. Iterum denuo sequenti anno, commoto omni exercitu Francorum per pagum Trecasinum, inde ad urbem Autisioderum veniens ad castrum quod vocatur Gordinis [a], cum regina sua Bertradane, jam fiducialiter Ligere transacto, ad Betoricas accessit, palatium sibi ædificare jubet. Iterum Campo Madio, sicut mos erat, ibidem tenere jubet, initoque consilio cum proceribus suis, præfatam reginam Bertradanem [b], cum reliquis Francis ac comitibus fidelibus suis, in prædicta Betorica dimisit. Ipse prædictus rex cum reliquis Francis et optimatibus suis ad persequendum Waifarium ire perrexit. Cumque prædictus rex ipsum Waifarium persequens non reperiret, jam tempus hiemis erat, cum omni exercitu ad Betoricas, ubi præfatam reginam Bertradanem dimiserat, reversus est.

CXXXIII. Dum hæc agerentur, Remistanus filius Eudone [c] quondam fidem suam, quam prædicto regi Pippino promiserat, fefellit; et ad Waifarium iterum veniens, ditionis suæ se faciens. Quod Waifarius cum magno gaudio eum recepit, et adjutorem sibi contra Francos et prædictum regem eum instituit. Superscriptus Remistanus contra prædictum regem et Francos, seu custodias quas ipse rex in ipsius civitatibus dimiserat, nimium infestus accessit, et Betorinum, seu Limoticinum, quod ipse rex acquisierat, prædando nimium vastavit, ita ut nullus colonus terræ ad laborandum, tam agros quam vineas colere non audebat. Prædictus rex Pippinus in Betoricas per hiemem totam cum regina sua Bertradane in palatio resedit. Totum exercitum suum per Burgundiam ad hiemandum mittens, Natale Domini nostri Jesu Christi et sanctam Epiphaniam apud Betoricas urbem per consilium episcoporum vel sacerdotum venerabiliter celebravit.

An. dcclxviii.— CXXXIV. Evoluto igitur eo anno **701** cum in Betoricas resideret, mediante Februario, omnem exercitum suum, quem in Burgundiam ad hiemandum miserat, ad se venire præcepit; initoque consilio contra Remistanum insidias parat, Hermenaldum, Beringarium, Childeradum et Unibertum [d] comitem Betorinum cum reliquis comitibus et Leudibus suis ad ipsum Remistanum capiendum clam [e] mittens, prædictus rex Pippinus cum omni exercitu Francorum iterum ad persequendum Waifarium ire destinavit. Bertrada regina Aurelianis veniens, et inde navali evectione per Ligerem fluvium usque ad Sellus [f] castrum super fluvium ipsius Ligeris pervenit [*Al.* perveniens]. His itaque gestis, nuntiatum est regi quod missi sui, quos dudum ad Amormuni [g] regem Sarracenorum miserat, post tres annos ad Massiliam reversi fuissent, legationem prædicti Amormuni regis Sarracenorum ad prædictum regem cum multis muneribus secum adduxerant. Quod cum compertum regi fuisset, missos suos ad eam direxit, qui ipsam legationem [*Ed.*, qui eos] venerabiliter reciperent, et usque ad Mettis civitatem ad hiemandum ducerent. Igitur suprascripti comites, qui ad Remistanum capiendum missi fuerant, per divinum judicium et fidem regis eum capiunt, et ligatum ad præsentiam regis cum uxore sua adduxerunt. Quem statim rex Uniberto et Ghiselario comitibus Betoricæ civitatis ipsum Remistanum in patibulo suspendi jussit. Prædictus rex Pippinus usque ad Garonnam accessit; ibi Wascones, qui ultra Garonnam commorantur, ad ejus præsentiam venerunt, et sacramenta et obsides prædicto regi donant, ut semper fideles partibus regis, ac filiis suis Carolo et Carlomanno omni tempore esse debeant. Et aliæ multæ quamplures gentes ex parte Waifarii ad eum venientes, et se ditioni suæ subdiderunt. Rex vero Pippinus benigniter eos in suam ditionem recepit. Waifarius cum paucis per silvam, quæ vocatur Edobola [h], in pago Petrocorreco latitans, huc illucque vagatur incertus. Præfatus rex Pippinus **702** ad Waifarium capiendum insidias iterum parat. Inde ad reginam suam ad Sellus veniens, legationem Sarracenorum, quam Mettis ad hiemandum miserat, ad Sellus castrum ad se venire præcepit, et ipsi Sarraceni munera quæ Amormuni transmiserat, ibidem præsentant. Iterum rex ipsis Sarracenis qui ad ipsum missi fuerant munera dedit, et usque ad Massiliam cum multo honore adduci præcepit. Sarraceni vero navali evectione per mare redeunt ad propria.

CXXXV. Præcelsus rex Pippinus iterum de Sellus castro cum paucis ad persequendum Waifarium eo anno iterum perrexit, et usque ad Santonis mira celeritate primus cum paucis venit. Cum hoc Waifarius audisset, solito more terga vertit. Rex Pippinus in quatuor partes comites suos scaritos et leudes suos ad perquirendum Waifarium transmisit. Dum hæc agerentur, ut asserunt, consilio regis factum, Waifarius princeps Aquitaniæ a suis interfectus est. Præfatus rex Pippinus, jam tota Aquitania acquisita, om-

[a] Locum prope Sincerrium, seu Sacrum Cæsaris Castrum in Biturigibus (*Gordon, près de Sancerre*), interpretatur Cointius

[b] Al., *Bertrada*, quam nonnulli Bertam appellant.

[c] Can. et Freh., *Judonæ*. Legendum *Eudonis*, Aquitaniæ ducis, de quo supra, qui pater erat Hunoaldi et Remistani, seu, ut alii scribunt, *Remistagni*: proindeque Waifarius Hunoaldi filius patruum habebat Remistanum, quamquam avunculus ipsius dicatur supra, cap. 128.

[d] Ed. *Chunibertum*; et infra, *Uniberto*. Vide, supra, ad cap. 125.

[e] Solus Boh. habet *clam*.

[f] Hic locus a Cella sancti Eusicii in Biturigibus ad Carim fluvium, vulgo *Selles*, distinguendus est. Etenim Sellus ad Ligerim exstitit, si nostro auctori fides habeatur.

[g] Alii auctores *Amiramomeni* appellant, Almansorem Cointius et cæteri. De hoc, supra, ad cap. 109.

[h] Appellatur vulgo, ut monet, Valesius, *la forêt de Ver*.

nes ad eum venientes ditionis suæ, sicut antiquitus fuerant, se faciunt. Cum magno triumpho et victoria Santonis, ubi Bertrada regina residebat, venit.

CXXXVI. Dum Santonis præfatus rex venisset, et causas pro salute patriæ et utilitate Francorum tractaret, a quadam febre vexatus ægrotare cœpit, comites suos ac judices ibidem constituit. Inde per Pictavis usque ad Turonis urbem ad monasterium beati Martini confessoris accessit, ibique multam eleemosynam tam ecclesiis quam monasteriis vel pauperibus largitus est, et auxilium beati Martini petens, ut pro ejus facinoribus Domini misericordiam deprecari dignaretur. Inde promovens se cum prædicta regina Bertradane, et filiis suis Carolo et Carlomanno, usque ad Parisius, ad monasterium beati Dionysii martyris veniens, ibique commoratus est aliquandiu; cernensque quod vitæ periculum evadere non potuisset, omnes proceres suos, duces et **703** comites Francorum, tam episcopos quam sacerdotes, ad se venire præcepit, ibique una cum consensu Francorum et procerum suorum, seu et episcoporum, regnum Francorum, quod ipse tenuerat, æquali sorte inter prædictos filios suos Carolum et Carlomannum, dum adhuc ipse viveret, inter eos divisit. Id est Austrasiorum regnum Carolo seniori filio regem instituit; Carlomanno vero juniori filio regnum Burgundia, Provincia, Gotthia, Alesacis [a] et Alamannia tradidit. Aquitaniam, quam ipse rex acquisierat, inter eos divisit. His gestis rex Pippinus post paucos dies, ut dolor [b] est ad dicendum, ultimum diem et vitam simul caruit. Sepelierunique eum prædicti **704** reges Carolus et Carlomannus filii ipsius regis in monasterio sancti Dionysii martyris, ut ipse voluit, cum magno honore, regnavitque annis viginti quinque [c].

CXXXVII. His transactis, prædicti reges Carolus et Carlomannus, unusquisque cum leudibus suis ad propriam sedem regni eorum venientes, instituto placito, initoque consilio cum proceribus eorum, mense Septembri, die Dominico, XIV Kalendas Octobris [d], Carolus ad Noviomem urbem, et Carlomannus ad Saxonis civitatem, pariter uno die a proceribus eorum et consecratione sacerdotum sublimati sunt in regno.

Explicit Fredegarii Chronicum cum suis continuatoribus.

[a] Can. et Freh., *Alesans*; Ches., *Alexacis*, id est, Elisatia, vulgo *l'Alsace*.

[b] Ch. et Freh., *ut dolus*.

[c] Nullo pacto admitti potest hic calculus. Pippinus quidem ex quo rex acclamatus est in conventu Suessionensi, regnavit annos sexdecim, menses sex; ex quo a Stephano papa coronatus fuit, annos fere quindecim; ab anno autem quo, patre mortuo, majoris domus dignitatem obtinuit, annos septem et viginti. Mortuus est autem mense Septembri, anno 768.

[d] Hæc verba, XIV *Kal. Oct.* ab interpolatore additas fuisse ait Cointius, quod juxta suum calculum Pippinus VIII Kal. ejusdem mensis obierit. Ea tamen habent Editi simul et Mss. cum Annalibus Mettensibus. Carolus autem Noviomi (*Noyon*) inauguratus est, et ejus frater Suessione (*Soissons*), quam urbem veteres nonnulli *Saxonem*, *Sessionem*, etc., appellant.

MONITUM IN SUBSEQUENTIA FRAGMENTA.

Fredegarii Chronico visum est subjungere ejusdem auctoris Fragmenta selecta ad Francorum Historiam pertinentia, quæ ex aliis ejus operibus descripsimus. Quamvis enim testetur ille auctor se ea referre quæ ex Eusebio, Hieronymo, Idatio, etc., excerpserit, nonnulla tamen quandoque habet quæ in istis auctoribus desiderantur; sive ea retulerit ex antiquis traditionibus quæ tunc circumferebantur, sive illa ex vetustis auctoribus nobis ignotis descripserit. Ex illis vero selegimus ea solum quæ ad nostram Historiam pertinent, quæque veteri stylo, prout tum in codice ms. collegii Parisiensis Societatis Jesu, auctoris ætate scripto, tum in alio Divionensi ex illustrissimi viri Boherii bibliotheca leguntur, repræsentamus.

FRAGMENTA

EX ALIIS FREDEGARII EXCERPTIS SELECTA,

QUÆ AD HISTORIAM FRANCORUM PERTINENT

I. — *Inter Excerpta ex Eusebii Chronico, Hieronymo interprete.*

705 In illo tempore (*Cap.* 3) Priamus Helenam rapuit. Trojanum bellum decennale surrexit. Causa mali quod trium mulierum de pulcritudinem certantium præmium fuit una earum Helena, pastore judice pollicente [a]. Memnon et Amazones Priamo tulere subsidium. Exinde origo Francorum fuit. Priamum

[a] Can., *pastori judici pollicente*.

regem primo habuerunt; postea per Historiarum libros scriptum est[a] qualiter habuerunt regem Frigam, postea partiti sunt in duabus partibus; una pars perrexit in Macedoniam, vocati sunt Macedones secundum populum a quo recepti sunt, et regionem [*Can.*, regem] Macedoniæ, qui opprimebatur a gentes vicinas invitati ab ipsis fuerunt, ut eis auxilium præberent. Per quos postea cum subjuncti in plurima procreatione crevissent, ex ipso genere Macedones fortissimi pugnatores effecti sunt. Quod in postremum in diebus Philippi regis et Alexandri filii sui fama confirmat illorum fortitudinem qualis fuit. Nam et illa alia pars quæ de Frigia [b] progressa est ab Olixo [*Id est*, Ulysse] per fraudem decepti, tamen non captivati, nisi exinde dejecti per multis regionibus pervagantes cum uxores et liberos.

Electo a se rege (*Cap.* 4), Francione nomine, per quem Franci vocantur. In postremo, eo quod fortissimus ipse Francio in bellum fuisse fertur, et multo tempore cum plurimis gentibus pugnam gerens, partem Asiæ vastans, in Europam dirigens, inter Rhenum vel **706** Danuvium et mare consedit.

Ibique mortuo Francione (*Cap.* 5), cum jam pro prœlia tanta quæ gesserat, parva ex ipsis manus remanserit, duces ex se constituerunt. Attamen semper alterius ditione negantes, multo post tempore cum ducibus transegerunt, usque ad tempore Pompegii consolis; qui et cum ipsis demicans, seu cum reliquas gentium nationes quæ in Germania habitabant, totasque ditione subdidit Romanam [c]. Sed continuo Franci cum Saxonibus amicitias inientes, adversus Pompegium rebellantes, ejusdem rennuerunt potestatem. Pompegius in Spaniam contra gentes dimicans plurimas moritur [d]. Post hæc nulla gens usque in præsentem diem Francos potuit superare, qui [e] tamen eos suæ ditioni potuisset subjugare. Ad ipsum instar et Macedones, qui ex eadem generatione fuerunt, quamvis gravia bella fuissent attriti, tamen semper liberi ab externa dominatione vivere conati sunt.

Tertiam ex eadem origine gentem Torcorum [f] fuisse fama confirmat (*Cap.* 6). Ut cum Franci Asiam pervagantes pluribus prœliis transissent, ingredientes Europam, super litore Danuvii fluminis inter Oceanum et Thraciam una ex eis ibidem pars resedit. Electum a se utique regem, nomen Turquoto, per quod gens Turcorum nomen accepit. Franci hujus itineres gressum cum uxores et liberes agebant, nec erat gens, qui eis in prœlium potuisset resistere. Sed plurima egerunt prœlia, quando ad Rhenum consederunt, dum **707** a Turquoto minuati sunt, parva ex eis manus aderat. A captivitate Trojæ usque ad primam olympiadem fiunt anni CCCC VI.

II. — *Inter eadem Excerpta.*

Gallienus firmatur in imperio (*Ex cap.* 40). Germani Ravennam venerunt. Alamanni vastatum Aventicum prœventione vuibili cui nomento, et plurima parte Galliarum, in Ætalia transierunt [g]. Græci Pannoniam occupaverunt. Germani Spanias obtenuerunt, etiam et Syriam incursaverunt, Francos in eorum habentes auxilium.

Valentinianus (*Ex cap.* 45), etc. Saxones cæsi Deusone [h] in regione Francorum consedit.

Qui superfuerunt in illo tempore Burgundionum octoginta fere millia (*Ex cap.* 46), quot numquam antea nec nominabantur, ad Rhenum descenderunt, et ubi [*Al.*, ibi] castra posuerunt, quasi Burgo vocetaverunt, ob hoc nomen acceperunt Burgundiones,[i]; ibique nihil aliud præsumebant, nisi quantum pretium mentis [*Al.*, mentes] a Germanis eorum stipendia accipiebant. Et cum ibidem duobus annis resedissent, per legatos invitati a Romanis vel Gallis, qui Lugdunensium provinciam [j] et Gallea Comata, Gallea Domata et Gallea Cisalpina manebant, ut tributarii publicæ potuissent rennuere, ibi cum uxores et liberes visi sunt consedisse.

III. — *Inter Excerpta ex Idatii Chronico.*

Martianus (*Cap.* 55 *Can.*, *lio.* III, *cap.* 5), etc... Gens Chunorum pace rupta ruunt in Galleis, quos cum Agecius patricius venientes comperisset, sanctum Anianum Aurelianensium episcopum ad Theudorum regim Gotthorum in legationem dirigit, petens auxiliare contra Chunis: si prævalebat resistere,

[a] Aimoinus, lib. I de Gestis Francorum, laudat quosdam auctores qui de hac origine scripserunt. Id forte quod hæc damus ex Daretis Frigii Historia de origine Francorum excerptum est. Etenim in cod. Bohieriano et in uno Canisii plura inseruntur sub hujus auctoris nomine: in omnibus vero codd., post hoc fragmentum, quod hic descripsimus, subjungitur: *Redeamus quo ordine Hebræorum gens fuit.* Daretem Frigium memorat Vossius lib. III Historic. Latinorum, sed quem fictitium censet, et quidem fabulas narrat. Certe hæc fuit olim Francorum opinio communis gentem suam ex Trojanis prodiisse, uti ex antiquis Chronicis et auctoribus patet, maxime qui desinente prima regum nostrorum stirpe et postea scripserunt. Vide Chesnium tomo I Hist. Franc., Sigibert., etc.

[b] Can., et quidem recte, *Friga.*

[c] Sic Clar. At Boh., *Romana.* Can., *totasque ditiones subdidit Romanis.*

[d] Can., *morti tradidit.*

[e] Clar. hæc verba, *qui tamen eos suæ ditioni potuisset subjugare*, omittit.

[f] Infra, *Turcorum.* Boh. et Can., *Torquorum*, *Thurcorum*; et infra, *Torquoto.*

[g] Sic Clar. Boh. vero: *Prœventione violabili cognomento... Galliarum; indeque in Italiam.* Can. sic habet: *Pervenerunt inæstimabili nocumento, et plurimum partem Galliarum vastaverunt; indeque in Italiam*, etc.

[h] Sic quoque legitur in Chronico Eusebii, ex omnibus Mss., ut monet Scaliger, qui hoc nomine aliquam urbem circa Rhenum designari censet. Boh., *Diosone.* Can.: *Saxones cæsi Diovione, in regione Francorum consederunt qui superfuerunt.* Tum incipit cap. 46: *In illo tempore*, etc.

[i] Vide Orosium, lib. VII Historiæ cap. 4.

[j] Boh.: *Provinciæ et Gallea Comata Cisalpina manebant.* Can.: *Provinciæ et Galliæ domita Cisalpina ut tributarii publice... ibique cum*, etc. Gallia *Comata* seu Transalpina continebat hodiernam Franciam, *Cisalpina* vero, seu Togata, Italiæ partem, quam nunc Lombardiam appellamus.

mediam partem Galliæ Gothis daret. Cum a Theudoro rege hujus petitionis annuens auxilium fuisset promissum, Agecius legatos mittens ad Attilanem regem Chunorum obviam, petens auxilium **708** contra Gothis, qui Galleas conabant invadere : si prævalebant Chuni e contra Gothis defendere, medietatem Galliæ ab Agecio perciperent. Attila rex cum Chunis festinans, et parcens [a] civitatibus Germaniæ et Galliæ, contra Gothis, super Ligere fluvio residens, nec procul ab Aurilianis confligit certamine. Cæsa sunt Gothorum ducenta millia hominum. Theudorus rex hoc prœlio occubuit. Cæsa sunt Chunorum centum quinquaginta millia. Civitas Aurelianis orationibus beatissimi Aniani liberata est. Chuni repedantes Trecassis [b] in Mauriacensem consedentes campaniam. Thoresmodus [c] filius Theudori, qui ei successit in regnum, collectum Gotthorum exercitu, patrem ulcisci desiderans, cum Attilanem et Chunis Mauriaco confligit certamine, ibique tribus diebus uterque phalangæ in invicem prœliantes, et innumerabilis multitudo gentis [d] occubuit. Agecius cum esset strenuosissimus consilii, per noctem ad Attilanem veniens dixit ad eum : Optabilem duxeram ut tua virtute regionem hanc a perfidis Gothis potuissem [*Boh.*, potuisses] eripere, sed nullatenus fieri potest. Usque nunc cum minimis pugnatoribus prœlias, hac nocte Theudericus germanus Thoresmodi cum nimiam multitudinem et fortissimos Gotthorum pugnatores advenit : hæc non sustines, atque utinam vel evadere possis. Tunc Attila dedit Agecio decem millia solidorum, ut **C** per suo ingenio Pannoniam repedaret. Ipsaque nocte Agecius ad Thoresmodo idemque perrexit, dicensque ei causam consimilem, quod apud viles Chunorum pugnatores usque nunc pugnaverat; nam maxima multitudo et fortissimi pugnatores a Pannoniis ipsaque nocte Attillani advenerant, et audissent fratrem suum Theudericum in aures Gotthorum occupasse, regnumque vellet arripere, nisi festinus ad resedendum porgeret, periculum ad degradandum haberet. Acceptis idemque **709** Agecius a Thuresmodo decem millia solidis, ut suo ingenio a persecutione Chunorum liberati Gothi ad sedes proprias remearent. Et protinus abierunt. Agecius vero cum suis, etiam Francos secum habens, post tergum direxit Chunorum, quos usque Thoringia a longe prosecutus est; præcepitque suis, ut unusquisque nocte ubi manebant, decem sparsim focus facerent, ut immensa multitudine semilarent [e]. Quievit hoc prœ- **A** lium. Agecii consilium Gallia ab adversariis liberatur. Postea cum a Thursimodo rege et Gotthis hæc factio perlata fuisset, requirentes promissionem Agecii implendam, et ille rennuerit, per pacis jura orbiculum [f] aureum gemmis ornatum, pensante libras quingentas ab Agecio compositionis causa transmittitur Thursemodo, et hæc jurgia quieverunt. Quæ species devotissime usque in hodiernum diem Gotthorum thesauris pro ornatum veneratur et tenetur.

Anno 2 Anthemii (*Ex cap.* 58, *Can.*, *lib.* III, *cap.* 8) in medio Tolosæ civetatis sanguis erupit de terra, et tota die fluxit, signeficans Gotthorum dominatione sublata Francorum adveniente regno.

IV.— *Inter eadem Excerpta ex Iuatio.*

B Quadam [g] vice (*cap.* 60; *Can.*, *lib.* III. *cap.* 10) Chlodoveus rex Francorum et Alaricus rex Gotthorum, qui sedem Tholosæ habebat, post multa prœlia quæ invicem gesserant, intercedentes legatus, cum pacem inire cœpissent hujus convenientiæ, ut Alaricus barbam tangeret Chlodovei effectus ille [h] patrenus, perpetuam ad invicem pacem servarent; et ad hujus placita conjunctione [i] nec Francos nec Gothos armatos penitus accederent. Statuentes diem ad locum designatum ab invicem; ibique legatus Chlodovei, Paternus nomine, ad Alaricum accessit, inquirens utrum eo habitu Gothi inermes quo spoponderant, placitum custodirent : aut forte more solito, ut post probatum est, mendaciis parerent [j]. Cum loqueretur Paternus **710** ad Alarico regem, nuntians **C** salutes Chlodovei, et diligenter inquirens quo ordine deberent conjungere, Gothi fraudulenter uxos [k] pro baculis in manum ferentes. Adprehensum unum ex his Paternus extrahit, dicens : Mendacia tua placita sunt, rex, ut fraude coneris cum tuis Gothis dominum meum et Francos decipere. Accepto placito cum Alarico, spondens Paternus pro Francis ut judicium Theuderici regis Ætaliæ hujus rei terminus fieretur. Ibi legatus Alarici regis, et Paternus directus a Chlodoveo, conspectum properant Theuderici. Exponens per ordine Paternus causam Chlodovei et Francis, quod legatus Alarici denegare non potuit, nisi tantum petens, ut judicium Theuderici fineretur. Cogitans in semetipsum Theudericus hujus causæ eventum, et futuris temporibus quæ oportebant oblivionem non tradens, zelum adversus hos duos reges **D** retenens; dicens his legatis : In crastinum quod attentius hujus rei pro pacis concordiam, ut justitiæ ordo poscuerit, cum senioribus Palatii pertractare

[a] Clar., *partens*. Boh., *pærgens*.
[b] Boh., *Chunis repedantibus Trigassis*. Can., *castris*.
[c] Boh., *Thorismodus*. Can., *Thorsimodus*.
[d] Clar., *genti* ; tum additum est *um*, id est *gentium*.
[e] Boh., *Sparsi focos facerent, ut immensam multitudinem similarent*. Can., *sparsim..... simularent*.
[f] Missorium appellat Fredegarius ipse in Chronico, cap. 73. Sic quoque dicitur in Chronico sancti Benigni. Hinc collige missorii nomine apud illum auctorem catinum, sive pelvim designari.
[g] Confer hoc caput cum capite 20 lib. I Aimoini de Gestis Francorum, et Roricouis lib. IV.
[h] Pro *illi*. Hinc in Clar., alia, sed vetustissima manu, *efficetur illi patrinus*. Postea nontactu solummodo, sed et barbæ aut capillorum incisione affinitas spiritualis inita fuit. Qui aliqui crines incidebat, ejus fiebat pater spiritualis. Vide Paulum Diac., in Gestis Langob., lib. IV cap. 40, et lib. VI cap. 53. Plura de hac re habet Mabillon. in præf. I Sæc. III Act. sanct. ord. Bened.
[i] Boh. et Can., *conventione*.
[j] Id est, *mendaces apparerent*, ut habet Can.
[k] Sic uterque Ms., et recte. Vide Chronici cap. 64, et Cangii Glossarium.

rosolymis, dicentes : *Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.* II, 2), et reliqua. Est [a] autem in Bethleem puteus magnus, de quo Maria gloriosa aquam fertur hausisse : ubi sæpius aspicientibus miraculum illustre monstratur, id est stella ibi mundis corde, quæ apparuit magis, ostenditur. Venientibus devotis ac recumbentibus super os putei, operiuntur linteo capita eorum. Tunc ille cujus meritum **722** obtinuerit, videt stellam ab uno pariete putei super aquas transmigrare ad alium, in illo modo quo solent super cœlorum circulo stellæ transferri. Et cum multi aspiciant, ab illis tantum videtur, quibus est mens sanior. Nonnullos vidi qui eam asserebant se vidisse. Nuper autem diaconus noster retulit quod cum quinque viris aspexit [b], sed duobus tantum apparuit.

CAPUT II.

De miraculis Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Dominus [c] igitur noster Jesus Christus in assumpta carne de Virgine (*An.* 30), multa populis miracula est **723** dignatus ostendere. Haustos enim latices in vini saporem convertit, cæcorum oculis depulsa nocte lumen infudit, paralyticorum gressus ablata debilitate direxit, febres ægrotantium fugato ardore restinxit, hydropicum compresso tumore sanavit, lepram discedere sacri oris virtute mandavit, mulierem dæmonio inclinatam invidentibus Judæis erexit; super aquas vero, non dehiscentibus aquis, incessit : profluvium mulieris tactu fimbriæ salutaris avertit. Multa quidem et alia fecit, quæ sacra Evangeliorum narrat historia. Tamen cum multos salubri cœlestique mandato restaurasset ad vitam, tres ab infernali morte reductos, vitæ restituit : id est, archisynagogi filiam resuscitavit in domo; unicum viduæ surgere jussit ad portæ egressum; et Lazarum vocavit ex monumento.

CAPUT III.

De passione, resurrectione et ascensione ejus.

Igitur Judæi, furore succensi, falsis accusationibus circumdantes Justum tradiderunt morti, et crucis affixione damnaverunt (*An.* 33, 3 *April.*) : quem Deus Pater suscitavit a mortuis tertia die, solutis doloribus mortis (*Act.* II, 24); quoniam impossibile erat eum apud inferos retineri, sicut ait apostolus Petrus. Posthæc promittens Paraclitum, et imbuens cœlestibus doctrinis apostolos, victor ascendit ad cœlos, venturumque se ad judicandum, angelis tentantibus, repromittens, dicente apostolici Actus historia : *Hic Jesus qui receptus est a vobis* **724** *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11).

CAPUT IV.

De apostolis et beata Maria.

Post [d] admirabilem igitur dominicæ ascensionis gloriam (*An.* 33, 14 *Maii*), quæ, contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad contemplanda cœlestia animavit, sancti apostoli Domini et Salvatoris nostri cum beata Maria matre ejus, in unam congregati domum, omnia ponebant in medio : nec quisquam suum aliquid esse dicebat; sed unusquisque cuncta possidebat in charitate, sicut sacer apostolicæ actionis narrat stylus (*Act.* IV, 34). Posthæc dispersi sunt per regiones diversas ad prædicandum verbum Dei (*An.* 36). Denique impleto a beata Maria hujus vitæ cursu, cum jam vocaretur a sæculo, congregati sunt omnes apostoli de singulis regionibus ad domum ejus (*An.* 48). Cumque audiissent quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul : et ecce Dominus Jesus advenit cum angelis suis, et accipiens animam ejus, tradidit Michaeli archangelo, et recessit. Diluculo autem levaverunt apostoli cum lectulo corpus ejus, posueruntque illud in monumento, et custodiebant ipsum, adventum Domini præstolantes. Et ecce iterum adstitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nube deferri jussit in paradisum : ubi nunc, resumpta anima, cum electis ejus exsultans, æternitatis bonis, nullo occasuris fine, perfruitur [e].

[a] In Colb. a. habetur hic in tituli modum, alia quidem, sed vetusta manu : *De stella in puteum lapsa.* Id autem observamus, quod etiamnunc prope cavernam Bethleemitanam putens seu cisterna peregrinis ostendatur, in quam vulgus putat stellam magorum dilapsam fuisse.

[b] Colb. a., alia manu, *introspexit.*

[c] Hoc caput cum sequentibus ad undecimum inclusive deest in cod. Clarom. a.

[d] Hic incipit Clar. b. An vero aliquando præcedentia capita in eo cod. exstiterint, incertum est, cum istud initio paginæ habeatur, et numerus nullus singulis capitulis præmittatur, nec ullus capitum indiculus in eo codice unquam fuerit.

[e] Mor., *perfruetur.* Hæc porro, quæ de morte beatissimæ Virginis ejusque circumstantiis narrat hic Gregorius, procul dubio hausit ex Pseudo Melitonis Sardensium episcopi libro de Transitu beatæ Mariæ, inter apocryphos a Gelasio papa recensito, qui liber editus est in Bibliotheca Patrum. Mortuam autem eam Ephesi fuisse, doctorum virorum est sententia. At nemo ante Gregorium Turonensem disertis verbis resurrectionem beatæ Mariæ, ejusque corporis simul et animæ in cœlos assumptionem asseruisse reperitur. Hæc tamen sententia haud multo postea ita in Galliis prævaluit, ut etiam in Liturgiam fuerit invecta, quod patet ex Missali Gothico, lib. VI Liturgiæ Gallicanæ, in missa de Assumptione sanctæ Mariæ, ubi non semel hujus beatissimæ Virginis corpus in cœlos dicitur fuisse translatum, et quidem in contestatione cum iisdem circumstantiis, quæ hic a Gregorio nostro narrantur. Vide et aliud sacramentarium Gallicanum, tomo I Musei Italici, pag. 300. Nihil tamen simile habet sacramentarium Romanum sancti Gregorii. De hac re autem disputatum est fusius hoc sæculo, occasione Martyrologii Usuardi. Vide clar. viri Tillemontii notas 14 et 15 in Vitam beatæ Virginis Mariæ, tomo I Hist. eccles., quibus adde locum Adamnani, lib. I de Locis sanctis, cap. 9, ubi de sepulcro beatæ Mariæ, quod prope Hierosolymam in valle Josaphat ostendebatur, sic loquitur : *In quo,* inquit ille auctor, *aliquando sepultu pausavit. Sed de eodem sepulcro quomodo, vel quo tempore, aut a quibus personis sanctum corpusculum ejus sit sublatum, vel quo loco resurrectionem exspectat, nullus, ut fertur, pro certo scire potest.*

CAPUT V.

De cruce et mirabilibus ejus apud Pictavum.

725. Crux dominica, quæ ab Helena augusta reperta est Hierosolymis (*Christi an.* 326, 3 *Maii*), ita [a] quarta et sexta feria adoratur. Hujus reliquias et merito, et fide Helenæ comparanda, regina Radegundis expetiit (*an.* 569), ac devote in monasterium Pictavense, quod suo studio constituit, collocavit [b]; misitque pueros iterum Hierosolymis, ac per totam Orientis plagam. Qui circumeuntes sepulcra, sanctorum martyrum confessorumque cunctorum reliquias detulerunt : quibus in arca argentea cum ipsa cruce sancta locatis, multa exinde miracula conspicere meruit. De quibus illud primum exponam, quod ibidem Dominus in diebus passionis suæ dignatus est revelare. Sexta feria ante sanctum Pascha, cum in vigiliis sine lumine pernoctarent, circa horam tertiam noctis apparuit ante altare lumen parvulum in modum scintillæ : deinde ampliatum, huc illucque comas fulgoris spargens, cœpit gradatim in altum conscendere : effectaque pharus magna obscuræ nocti vigilantique plebeculæ lumen præbuit supplicanti; illucescente quoque cœlo, paulatim deficiens, data terris luce, ab oculis mirantium evanuit. Ego autem audiebam sæpius, quod etiam lychni, qui accendebantur ante hæc pignora, ebullientes virtute divina, in tantum exundarent oleum, ut vas suppositum plerumque replerent : et tamen juxta stultitiam mentis duræ nunquam ad hæc credenda movebar, donec brutam segnitiem ad præsens ipsa quæ ostensa est virtus argueret; ideoque quæ oculis propriis viderim explicabo. Causa devotionis extitit ut sepulcrum sancti Hilarii visitans, hujus reginæ adirem colloquia. Ingressusque monasterium, consalutata regina, coram **726** adoranda cruce ac sacris beatorum prosternor pignoribus. Denique oratione facta surrexi. Erat enim ad dexteram lychnus accensus, quem cum stillis frequentibus defluere conspexissem, testor Deum quia putavi quasi vas esset effractum, quia erat ei concha supposita, in quam oleum defluens decidebat. Tunc conversus ad abbatissam, aio : Tantane te retinet mentis ignavia, ut integrum cicindilem [*Al.*, cicindile] laborare non possis, in quo oleum accendatur, nisi effractum quo defluat ponas? Et illa : Nec est ita, domine mi, sed virtus est crucis sanctæ quam cernis. Tunc ego ad me reversus, et ad memoriam revocans quæ prius audieram, conversus ad lychnum, video in modum ollæ ferventis magnis fluctibus exundare, ac per oram ipsam undis intumescentibus superfluere, et, ut credo, ad incredulitatem meam arguendam, magis ac magis augeri; ita ut in unius horæ spatio plusquam unum sextarium redderet vasculum, quod quartarium non tenebat : admiratusque sum, ac virtutem adorandæ crucis deinceps prædicavi. Puellaque quædam Chrodegildis nomine, dum post mortem patris in urbis Cenomanicæ territorio resideret, oculorum amissione multatur. Postquam autem ex jussione Chilperici regis, adhuc beata Radegunde regina superstite, ad antedicti monasterii transmisisset [c] regulam, ipsa beatissima ostendente, ante sanctam prosternitur arcam : ibique cum reliquis sanctimonialibus vigilias explicans, dato mane, iisdem discedentibus, prostrata solo in eodem loco quievit; apparuitque ei per visum, quasi aperiret aliquis oculos ejus, et unum sanitati redditum, dum cum alio laborarot, subito ad ostii reserati sonum expergefacta, unius oculi lumen recepit. Quod non ambigitur hoc per crucis virtutem fuisse præstitum. Energumeni, claudi, et alii quoque infirmi persæpe in hoc loco sanantur. Hactenus hinc [d].

CAPUT VI.

De inventione clavorum.

727 Speciosi autem omnique metallo nobiliores dominicæ crucis clavi, qui beata membra tenuerunt, ab Helena regina, post ipsius sacræ crucis inventionem, reperti sunt (*Christi an.* 326) : et de duobus quidem frenum imperatoris munivit, quo facilius, si adversæ gentes restitissent principi, hac virtute fugarentur. De quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse prophetam : *Erit*, inquit, *quod in os equi ponitur, sanctum Domini* (*Zach.* XIV, 20). Eo enim tempore Adriaticum mare magnis fluctibus movebatur, in quo tam frequentia erant naufragia, ac demersio hominum, ut vorago navigantium diceretur. Tunc provida regina, condolens excidia miserorum, unum ex quatuor clavis deponi [e] jubet in pelago, confisa de Domini misericordia, quod sævas fluctuum commotiones facile posset opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaque deinceps navigantibus flabra præstantur. Unde usque hodie nautæ sanctificatum mare venerantur [f], cum ingressi fuerint, jejuniis, orationibusque et psallentio vacant. Clavorum ergo dominicorum gratia quod quatuor fuerint, hæc est ratio [g] : duo sunt affixi in palmis, et duo in plantis; et quæritur cur plantæ affixæ sint, quæ in cruce

[a] Colb. a., *Hierosolymis sita*. De inventione sanctæ crucis sub Macario episc. ac miraculis ea occasione patratis agunt Cyrillus Hierosolymorum episc.; sanctus Ambrosius in orat. de funere Theodosii; Rufinus lib. x Hist. eccles.; sanctus Paulinus in epistola ad Severum; Severus Sulpicius lib. II Historiæ sacræ; Theodoret. lib. I; Socrat., Sozomen. et alii passim auctores Histor. eccles., quod contigisse putant anno 326. De hac ipse Gregorius lib. I Hist. c. 34, sed ex fabulosis actis.

[b] De his egit Gregorius lib. IX Hist. cap. 40, ubi nonnulla observavimus, quæ videsis, sicut et Bollandianos ad diem 3 Maii.

[c] Colb. a., *transmissa fuisset*, quod idem significat ac transmisisset. Hæc enim puella jussu regis in monasterium venit ibi mansura.

[d] Editi, *De his hactenus*.

[e] Gretserus et alii existimant clavum ab Helena in mare quidem demissum, sed illico etiam retractum ab ea fuisse.

[f] Clar. b, *venerant;* alii *veneranter;* cæteri cum editis, *venerantur*.

[g] De clavis dominicis cum sancta cruce inventis plerique Patres, capite præced. laudati scripserunt : at nemo, quod quidem sciam, ita diserte quatuor clavos fuisse pronuntiavit, quæ tamen sententia veri-

sancta dependere visæ sint potius quam stare? Sed in stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen insertus est; super hanc vero tabulam, tanquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ. Quæritur etiam quid de his clavis fuerit factum. Duo sunt quos supra diximus aptati in freno; tertius projectus in fretum; quartum **728** asserunt esse defixum in capite statuæ Constantini, quæ civitate, ut aiunt, tota [*Al.*, totæ] excelsior esse suspicitur, scilicet ut tota cui eminet, munitione salutis, quodam modo galeâ coronata esset [a]. Magnam asserunt virtutem esse hujus freni: quod ambigi nequaquam potest, quod Justinus imperator publice expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim a quodam mago propter pecuniam amissam, quas sibi dæmonis umbra intolerabiles per duarum curricula noctium intulisset indicavit insidias [b]: sed cum tertia nocte frenum capiti collocasset, locum insidiandi inimicus ultra non habuit, repertumque auctorem insidiarum gladio perculit. Nobis vero quæ sit virtus ligni hujus hoc modo manifestatum est. Advenit quidam qui nobis pallulam holosericam valde vetustam exhibuit, dicens ab hac in Hierosolymis crucem Domini involutam fuisse. Quod cum apud rusticitatem nostram incredibile haberetur, ac rimaremur sollicite unde ei tanta ibidem fuisset gratia ut ista meruisset, cum sciamus in empore quo sacrum hoc lignum adoratur, non solum exinde nihil quemquam mereri, sed etiam importunius accedentem verberibus arceri, respondit: Quando, inquit, Hierosolyma abii, Futen abbatem reperi, qui magnam cum Sophia Augusta gratiam habuit, huic enim omnem Orientem quasi præfecto commiserat [c]. Huic me subdidi, et cum ab Oriente regrederer, ab hoc et sanctorum pignora, et hanc pallam, de qua eo tempore sancta crux involvebatur, accepi [d]. Postquam mihi vir ille retulit, et hanc mihi pallam tradidit, præsumpsi fateor eam abluere, et frigoriticis potum dare; sed mox opitulante virtute divina, sanabantur. Scindebam etiam exinde plerumque particulas, et dabam religiosis **729** pro benedictione. Uni vero abbati partem divisi: qui post duos ad me annos rediens, cum sacramento asseruit duodecim ab ea energumenos, tres cæcos, duosque paralyticos fuisse sanatos. Muto cuidam ipsam pallam in os posuit: sed cum dentes, linguamque ejus attigit, statim vocem eloquiumque restituit. Quod nos fideliter credere, ipsa Domini promissio illicit dicens: *Omnia quæcunque petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, et venient vobis* (*Marc.* XI, 14).

CAPUT VII.

De lancea, corona spinea, et columna.

De lancea [e] vero, arundine, spongia, corona spinea et columna, ad quam verberatus est Dominus et Redemptor Hierosolymis, dicendum. Ad hanc vero columnam multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamque circumdant: quas rursum pro benedictione recipiunt, diversis infirmitatibus profuturas. Ferunt etiam ipsas coronæ sentes quasi virides apparere: quæ tamen si videantur aruisse foliis, quotidie tamen revirescere virtute divina. Prodit et ex monumento quo dominicum [f] jacuit corpus mira virtus, quod sæpius terra naturali candore radiante repletur, et exinde iterum ablata aqua conspergitur, de qua tortulæ parvulæ formantur, ac per diversas mundi partes transmittuntur, de quibus plerumque infirmi sanitates hauriunt. Illud est tripudiabile, quod sæpissime accessus serpentium vitant. Sed quid ego temerarius de his loqui audeo, cum fides retineat omne quod sacrosanctum **730** corpus attigit esse sacratum?

CAPUT VIII.

De tunica Christi inconsuta.

De tunica vero beati corporis non consuta, desuper contexta per totum, quæ juxta Davidicum vaticinium sub sorte jacuerat, fides evangelica pandit. Ait enim: *Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortes* (*Joan.* XIX, 24). De hac vero immaculati Agni tunica, quæ a quibusdam audivi, silere nequeo. Ferunt autem in civitate Galatheæ [g], in basilica, quæ ad sanctos Archangelos vocitatur, retineri [h]. Est enim hæc civitas, ab urbe Constanti-

similior est. Ex uno salutem ex his frenum factum fuisse, et alterum diademati imperatorio fuisse affixum, præter vulgatos auctores, affirmat sanctus Ambrosius; et Theodoretus, lib. I Hist. cap. 18, alludit ad Zachariæ prophetiam iisdem verbis quæ hic a Gregorio laudantur.

[a] Colb. a, *galea et corona sit*. Clar. b, *munitionem salutis.... operetur*.

[b] Sic Colb. a; Clar. b, vero: *Amissam, quas sibi dæmonis umbra intolerabili immissas per... sustinuisset insidias enarravit; sed*. Cæteri Mss. et Clict.: *Emissam quæ sibi dæmonis umbra intolerabilis per.... sustinuisset insidias*. Alii Editi: *Emissas sibi a dæmonis umbra intolerabiles per.... sustinuit insidias*.

[c] Aliquot Mss., *commiserant*. Quis ille abbas fuerit, ignoro. Photan celebrat Synaxarium Divionense die 6 Junii apud Bollandianos. Sophia autem fuit Justini junioris uxor, de qua passim in Greg. Historia.

[d] Ad illam pallam alludere videtur Fortunatus lib. II carm. 3.

[e] Lancea qua latus Salvatoris nostri perfossatum fuit Jerosolymis ostendebatur sub finem sæculi VII, in lignea cruce inclusa, uti testatur Adamnanus lib. I de Locis sanctis cap. 9, apud Mabillon., sæculo III Bened., parte II pag. 506.

[f] Cod. Colb. a, *divinum jacuit corpus*.

[g] Colb., *Galateæ*, et al. manu, *Galatiæ*, quo nomine Galatia provincia potius quam urbs designaretur. Vind., *Galathiæ*. Galatheam urbem ex solo Gregorio Turon. memorant Ortelius, Ferrarius, etc.

[h] Hæc eadem tunica in Chronico Fredegarii, cap. XI, dicitur ex civitate *Zafad*, apud Sigibertum *Zaphat*, quam Jaffam seu Joppen interpretamur, anno 30 Gumtramni regis in sanctam Jerosolymorum urbem translata fuisse. Postmodum in Gallias allata est tempore Caroli Magni, et apud Argentolium in agro Parisiensi, ubi Gisela ejusdem imperatoris soror ac Theodrada ipsius filia sanctimoniales erant, deposita fuit. Demum cum diu ob bellorum tumultus latuisset, sub sæculi XII medium inventa est, se præsente Ludovico juniore cum aliis regni proceribus, ab Hugone archiepiscopo Rothomagensi com-

nopolitana, quasi millibus centum quinquaginta, in qua basilica est crypta abditissimâ : ibique in arca lignea hoc vestimentum habetur inclusum. Quæ arca a devotis atque fidelibus cum summa diligentia adoratur, non immerito digna quæ hoc vestimentum retineat, quod dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare.

CAPUT IX.

De mirabilibus basilicæ beatæ virginis Mariæ, ab imperatore Constantino exstructæ.

Maria vero gloriosa genitrix Christi, ut ante partum, ita virgo creditur et post partum, quæ, ut supra diximus (*Cap.* 4), angelicis choris canentibus, in paradisum, Domino præcedente, translata est cujus basilica ab imperatore Constantino admirabili opere fabricata renidet [a] : ad quam **731** adductæ columnæ cum præ magnitudine levari non possent, eo quod esset circuitus earum sedecim pedum, ac diebus singulis casso labore fatigarentur, apparuit artifici sancta Virgo per visum, dicens : Noli mœstus esse, ego enim tibi ostendam qualiter hæ queant elevari columnæ. Et ostendit ei quæ aptarentur machinæ, qualiter suspenderentur trochleæ, atque funium extenderentur officia, illud addens : Conjunge tecum tres pueros de scholis, quorum hoc adjutorio possis explere. Quod cum ille evigilans quæ præcepta fuerant coaptasset, vocatis tribus pueris ab scholis, erexit summa velocitate columnas. Præstitum est populis spectare miraculum admirandum, ut quod multitudo virorum fortium levare nequiverat, tres pueruli absque virtute perfecti operis sublevarent. Hujus festivitas sacra mediante mense undecimo [b] celebratur. Nam in oratorio Marciacensis [c] domus Arverni territorii ejus reliquiæ continentur. Adveniente vero hac festivitate, ego ad celebrandas vigilias ad eum accessi. Cumque per obscuram noctem properarem ad oratorium, suspicio a longe per fenestras ita immensam claritatem effulgere, ut putaretur ibi multitudo lychnorum ac cereorum esse accensa. Credens igitur quod aliqui devotorum jam nos ad celebrandas vigilias præcessissent, accedo ad ostium : pulso, nec quemquam invenio, repertumque ostium clave munitum, cuncta silentio data, deprehendo. Quid plura ? transmittimus ad custodem, cui tunc erat obserandi cura, ut scilicet ostium, clave exhibita reseraret. Dum autem ille venit, nos accendimus aforis cereum. Interea aperitur sponte, et ostium : ingressisque nobis, credo a **732** caligine peccatorum meorum, claritas quam admirabamur aforis, apparente cereo nostro, discessit ; nihil tamen præter virtutem gloriosæ Virginis aliud penitus videre potuimus, unde claritas illa fuisset exorta.

CAPUT X.

De puero Judæo valde memorandum miraculum.

Quid igitur in Oriente actum fuerit [d], ad corroborandam fidem catholicam non silebo. Judæi cujusdam vitrarii filius, cum apud Christianos pueros ad studia litterarum exerceretur, quadam die dum missarum festa in basilica beatæ Mariæ celebrarentur, ad participationem gloriosi corporis et sanguinis dominici cum aliis infantibus infans Judæus accessit. Quo sancto assumpto [e], gaudens ad domum patris revertitur : illoque operante [f] inter amplexus et oscula, quæ acceperat cum gaudio refert. At ille Christo Domino ac suis legibus inimicus ait : Si cum his infantibus communicasti, oblitus paternæ pietatis, ad ulciscendam Mosaicæ legis injuriam, parricida in te durus existam. Et apprehensum puerum in os fornacis ardentis projecit, adjectisque lignis quo vehementius exureretur, insistit. Sed non defuit illa misericordia quæ tres quondam Hebræos pueros Chaldaico in camino projectos nube rorulenta

pluribusque aliis episcopis et abbatibus publicæ fidelium venerationi exhibita fuit anno 1156. Exinde summo populorum concursu celebris fuit ecclesia Argentoliensis, ubi etiam nunc a nostræ congreg. sancti Mauri monachis Benedictinis religiosissime tam pretiosum cœmelium asservatur et colitur. Vide libellum ea de re a domno Gabriele Gerberon Parisiis editum anno 1677.

[a] Describit Adamnanus, lib. I de Locis sanctis cap. 13, ecclesiam prope Jerosolymam, ubi tunc temporis monstrabatur beatæ Mariæ sepulcrum. Sed cum ante Juvenalis tempora, qui mediante sæculo V florebat, nemo dixerit beatæ Virginis sepulcrum Jerosolymis exstitisse, Cl. vir Tillemontius in Vita Constantini Magni, art. 68, existimat ecclesiam hic a Gregorio memoratam aliam non esse a cathedrali Ephesina, quæ, uti Acta synodi Ephesinæ attestantur, in Virginis Deiparæ honorem consecrata erat, et sola in probis auctoribus ante id tempus beatæ Virginis titulo decorata fuisse legitur.

[b] Id est mense Januario, quo in Galliis depositionis seu assumptionis beatissimæ Virginis festivitas olim celebrabatur. Quod certum est ex antiquis Liturgiis Gallicanis, et vetustissimis Martyrologiis, ad diem 18 Januarii, ut probat noster Mabillon. lib. II Liturgiæ Gallicanæ num. 22 pag. 118. Vult tamen Scaliger, libro VI de Emendatione temporum, annum ecclesiasticum a Gregorio nostro inchoari a mense Aprili, quo pacto Gregorius hic mensis undecimi nomine Februarium designasset. Cui opinioni favere videtur Sacramentarium Gallicanum, quod ex ms. codice vetustissimo Bobiensis monasterii ab eodem Mabillonio editum est ad calcem tomi I Musei Italici, ubi assumptio sanctæ Mariæ post festum Cathedræ sancti Petri immediate ante Quadragesimam locatur. Passim tamen Gregorius a Martio annum inchoat.

[c] Hic, uti videtur, designatur Marziacum (*Marsac*), parthenon antiquus B. Mariæ etiam nunc nomine insignitus, Manziacensi monasterio subjectus, ubi sanctimoniales sub priorissæ regimine perseverant. Alius est a Marcinianensi parthenone cujus meminit non semel Petrus Cluniacensis abbas. Vide Savaronem in epist. 119 libri II Apollinaris Sidonii.

[d] Similem historiam habet Evagrius lib. IV cap. 36, et Nicephorus lib. XVII cap. 25. Idem contigisse memoratur apud Bituricas in ecclesia sanctæ Mariæ, tempore Humati ejusdem urbis episcopi, ut narrat Monachus Sansuspicianus in Patriarchio Bituricensi, cap. 19. Hinc cognomen habuit *de Furno calido*.

[e] Aliquot Mss., *quod sanctum assumptum*, accusandi casu loco sexti adhibito, quæ casuum mutatio frequentior est apud Gregorium. Sed hic observandum est hanc vocem *sanctum* absolute pro eucharistia assumi, ut fit in plerisque Liturgiis nostræ, etiam hodiernæ, orationibus.

[f] Cod. Colb. a, *illoque properante*.

resperserat. Ipsa enim et hunc inter medios ignes et prunarum moles jacentem prorsus consumi non patitur. Cum autem audisset mater quod scilicet filium communem pater deliberasset exurere, cucurrit ad liberandum eum. Sed cum vidisset incendia ab ore **733** fornacis patulo huc et illuc flamma dominante respergi, ornatum capitis ad terram projecit, diffusaque cæsarie se miseram clamitans, civitatem vocibus implet. Quod cum Christiani quid actum fuerat didicissent, concurrunt omnes ad tam iniquum spectaculum, retractisque ignibus ab ore fornacis, inveniunt puerum quasi super plumas mollissimas decumbentem. Quo extracto, admirantur omnes illæsum, clamoribusque locus ille repletur, et sic Dominum omnis populus benedicit. Conclamabant etiam ut auctorem hujus sceleris in ipsas projicerent flammas. Projectum autem ita totum ignis absorbuit, ut vix de ossibus ejus parvum quodammodo relinqueretur indicium. Interrogantes autem infantulum Christiani quale ei inter ignes fuisset umbraculum, ait: Mulier quæ in basilica illa ubi panem [a] de mensa accepi, in cathedra residens, parvulum in sinu gestat infantem, hæc me pallio suo, ne ignis voraret, operuit. Unde indubitatum est beatam ei Mariam apparuisse. Agnita ergo infans fide catholica, credidit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ac salutaribus aquis ablutus una cum genitrice sua, denuo sunt renati. Multi Judæorum exemplo hoc in urbe illa salvati sunt.

CAPUT XI.

De monasterio Hierosolymitano, et miraculis per virtutem sanctæ Mariæ reliquiarum.

Monasterium est valde magnum in Hierusalem, non modicam habens congregationem, in quo non solum devotio [b] populi sæpe plurima confert, verum etiam imperatoris jussu ibi non minima largiuntur. Accidit autem quodam tempore ut præ penuria egestatis valde eis victus necessaria defecissent. Congregatio enim garrula [c] monachorum, cum una atque **734** alia die refectionis alimoniam non caperent, vociferantur ad abbatem, dicentes: Largire cibos, aut permitte discedere unumquemque in loci vitam propagare possit, alioqui nec te consul cedimus, ne pereamus fame. Hæc iis dicenti abbas: Oremus, fratres dilectissimi, et Domin nistrabit nobis cibos; nec enim potest fieri ut triticum in ejus monasterio quæ frugem vitæ e pereunti intulit mundo. Quibus vigilantibus tota, ac psallentibus, mane orto ita reperiunt horreorum habitacula repleta tritico, ut vix ve rari ostium posset. Accepto autem cibo, egerunt Deo. Post multos vero annos iteru ciente cibo, clamaverunt monachi ad abbate ait: Vigilemus ac deprecemur Dominum, et f transmittere dignabitur alimenta. Denique p nuntur ad pavimentum templi. Vigilantes itaq tem in psalmis hymnisque et canticis spiri perduxerunt. Cumque se post matutinos som dissent, venit angelus Domini, et posuit super multitudinem innumeram auri. Erant enim osti obserata. Exsurgente autem mane abbate cu nachis ad celebrandum cursum, viderunt mul nem auri super altare. Et ait abbas custodi æ Quis prefectorum huc ingressus est, qui hæc d Respondit: Post egressum vestrum nullus hic num accessum habuit, sed ostii clavem munit tinui, et mecum habui, donec surgeres ad c vendum signum [e]. Tunc stupens abbas cum chis, munus cœleste intellexit: gratiasque Deo collegit, comparatisque victui necessariis, p creditam affluenter refecit. Nec mirum si beata sine labore suis protulit victum, quæ sine coit concipiens, virgo permansit et post partum.

Hujus beatæ Virginis reliquias cum sanc apostolorum vel beati **735** Martini quadan super me in cruce aurea positas exhibebam. que per viam graderemur, conspicio haud pr via hospitiolum cujusdam pauperis incendio c mari. Erat autem a foliis, quæ ignibus m præstant fomenta, contectum. Currebat misc liberis et uxore aquam deportans, sed flamm mitigabantur. Tunc extractam a pectore cru elevo contra ignem: mox in aspectu sanctarun

[a] Observandum hic primo, *panem* solummodo, id est unicam eucharistiæ sacræ speciem, a puero Judæo fuisse receptam, qui tamen supra *corpus et sanguis Domini* a Gregorio appellatur. Observandum secundo, antiquum morem in ecclesiis beatissimam Virginem repræsentandi sedentem cum infante Jesu, quem in ulnis gestat.

[b] Sic cod. Rom.; cæteri fere, *in quo loco devotio*; Ed., *in quodam loco*. Porro ex his quæ sequuntur patet hoc monasterium beatæ Mariæ sacrum fuisse.

[c] Cod. Rom.: *Congregatio enim beata*. Ed.: *Congregatio itaque garrula... caperet, vociferant.*

[d] Sic cod. Clar. a. Cæteri vero cum Editis *Æditio*, aut *æditui*. Nonnulli, *ædituæ*. Clict., *ædium*.

[e] Exinde patet monachos ad officium divinum, quod hic Gregorius *cursum*, ut alias sæpe appellat, convocandi curam ad abbatem pertinuisse, quod sanctus P. Benedictus regulæ suæ cap. 47, De significanda hora operis Dei, præscripsit. Codex tamen Clar. a habet *surgerem*.

[f] Crucem pectoralem inter ornamenta sacra quibus ad celebrandum utitur summus pontifex, recenset Innocentius III in libro de Mysteriis missæ; sed quam invenies id fuisse singulare pontificis R privilegium, ut contendit Vicecomes lib. IV de Apparatu cap. 30. Morem illum non adeo ant esse colligit piæ memoriæ cardinalis Bona lib. rum Liturgic. cap. 24 num. 10, quod crucis ralis mentio nusquam in veteribus sacramentari currat. Vetus est tamen consuetudo deferendi collo appensas, in quibus sanctorum reliquiæ nentur, ut vel ex hoc Gregorii loco colligere Certe Gregorius Magnus phylacteria sacris re referta ad collum suspensa deferebat, uti Joannes Diac., lib. IV cap. 80. *Phylacteria* aut crucem interpretatur ipse Gregorius, lib. XII, ep ad Theodelindam. Sed ejusmodi cruces non copi solum, verum etiam laici deferebant. Nam pontifex, lib. II epist. 3, Dynamio patricio tran *crucem parvulam*, in qua de catenis beati Pet de sancti Laurentii craticula aliquid insertum *ut ea*, inquit, *vestra colla a peccatis solvant.* epist. 6 libri V ad Childebertum regem. Mira quanti ponderis cruces Græci imperatores

quiarum ita cunctus ignis obstupuit, ac si non fuisset accensus.

CAPUT XII.

De sancto Joanne Baptista.

Joannes [a] vero Baptista astu Herodis per Herodiadem uxorem fratris, in carcerem colligatur (*An.* 30). Tunc temporis a Galliis matrona quædam Hierosolymis abierat, pro devotione tantum, ut Domini et Salvatoris nostri præsentiam mereretur. Audivit autem quod beatus Joannes decollaretur (*An.* 31 *aut* 32) : cursu illuc rapido tendit, datisque muneribus supplicat percussori, ut eam sanguinem defluentem colligere permitteret non arceri [b]. Illo autem percutiente, matrona concham argenteam præparat, truncatoque martyris capite, cruorem devota suscepit : quem diligenter in ampulla [c] positum patriam detulit, et apud Vasatensem urbem, ædificata in ejus honore ecclesia [d], in sancto altari collocavit.

CAPUT XIII.

De gemma Vasatensi nata divinitus.

736 Quoniam Vasatensis urbis meminimus, operæ pretium puto miraculum quod in ea Dominus largitus est memorare. Tempore quo diuturna obsidione vallabatur a Chunis [e], omni nocte sacerdos qui præerat circuibat psallendo, et orabat ; nec ab ullo auxilium, nisi a Domini misericordia requirebat. Hortabatur omnes orare et non deficere, asserens humiles preces cœlorum januas penetrare. Hostis vero in circuitu depopulabatur villas, domos tradebat incendio, agros vineasque pecoribus intromissis [f] vastabat : sed sacerdoti bono operi insistenti celeriter virtus divina adfuit. Una [*Ed.*, Nam] nocte visum est ipsi barbarorum regi quasi psallentes homines in vestimentis albis, accensis cereis, circuire muros urbis. Et indignans, ait : Quæ est hæc perversitas et securitas vana, ut obsessi, quasi despectis nobis, canticis nescio quibus ac laudibus perstrepant ? vere quia digni sunt perditione. Et statim misit ad urbem nuntios, interrogantes quid sibi ista velint. At illi negant scire se quæ dicuntur, neque de iis aliqua persensisse. Alia vero nocte, vidit quasi globum magnum ignis super urbem descendere, et ait : Si contra nos hi obsessi contumaciter agunt, nec nos metuunt, vel cœlestis eos ira consumet. Cumque non videret ullum ab urbe incendium consurgere, misit iterum interrogare quæ essent quæ viderat. **737** Similiter negaverunt nihil se omnino vidisse. Tunc rex Gausericus [g] ait : Si hæc isti nesciunt, manifestum est quod Deus eorum adjuvat eos. Et statim discessit a loco illo. Sacerdos autem convocatis civibus vigilias celebrat, et missarum agit festa [h] pro liberatione populi sui. Dum autem hæc ageret, respiciens sursum vidit super altare, quasi de camera [i] templi, cadere tres guttas, æquales magnitudine, claritate, et candorem crystalli vincentes. Cumque omnes cum admiratione et stupore vehementi intenderent, easque nullus auderet attingere, Petrus quidam presbyter, qui, ut res ipsa asserit, magni meriti erat, exhibita argentea patena, guttas colligere nititur ; quæ dum per altare vago cursu rotantur, defluentes in ipsam patenam, statim in se conjunctæ, quasi unam gemmam pulcherrimam effecerunt : patuitque evidenti ratione contra iniquam et Deo odibilem Arianam hæresim, quæ eo tempore pullulabat, hæc acta. Agnitumque est sanctam Trinitatem, in una omnipotentiæ æqualitate connexam, nullis garrulationibus posse disjungi. Tunc gavisus populus, et intelligens munus sibi indultum fuisse divinitus, conferens aurum gemmasque pretiosas, crucem fecit, in qua hanc gemmam statuit. Sed protinus omnes reliquæ gemmæ hac accedente ceciderunt. Tunc pontifex intelligens non esse consortium cœlestibus cum terrenis, fabricata cruce ex auro purissimo, eam gemmam media intercapedine locat, et populo adorandam præbet. Nec mora, fugato, ut diximus, hoste, civitas liberata est. Jam ex hoc multi infirmi hausto vino vel aqua in qua gemma abluitur, protinus sanitati redduntur. Denique cum adorata fuerit, si a peccato est homo immunis, et ipsa apparet clara : cæterum si, ut plerumque assolet, humanæ fragilitati aliquid detulerit criminis, tota ei videtur obscura, miramque præbet discretionem inter innocentem **738** et noxium ; cum uni atra, alteri monstretur splendida.

appensas gestarent, quas ideo encolpia appellabant, quod supra pectus penderent. Præclaram ejusmodi crucem, duplici transverso munitam ac vivificæ crucis non modicis particulis ditatam, nostro sancti Germani a Pratis monasterio serenissima princeps Palatina testamento suo legavit annò 1685, quam a Manuele Comneno imperatore Constantinopolitano factam fuisse indicant duo versus in ejus postica parte insculpti. Cæterum hodie in Gallia episcopi crucem pectoralem collo appensam jugiter deferre solent, quod plerique abbates regulares, exceptis Cisterciensibus, et abbatissæ imitari gaudent.

[a] In Colb. tut. post prologum incipit liber ab isto capite, quodque ibi primum dicitur, et sic deinceps.

[b] Editi, *ut ei... permitteret. Illo.* Aliquot Mss., *ut esset*, etc., ut Editi.

[c] Cod. Clar. a, *in mappula.*

[d] Cathedralis ecclesia Vasatensis hodieque sancto Joanni Baptistæ sacra est, in qua servari etiamnunc dicitur aliquid de sanguine ejusdem beati præcursoris.

[e] Aliquot Mss., *ab Hunnis*, quod idem est.

[f] Mss. 2, *pecora intromissa*, adhibito quarto casu loco sexti. Tamen Colb. tut. et Clar. b habent, *et pecora intromissa.*

[g] Gensericum Vandalorum regem apud quosdam antiquos *Gaisericum* dictum invenio, qui forte hic designatur. Præferenda tamen videtur esse Valesii sententia scribentis, ad annum 437, tomo I Rerum Francic., hunc Gausericum regem fuisse Chunorum, seu Hunnorum, quos Romani, agente Aetio, tunc advocarant contra Gothos, qui eam Galliæ partem, ubi Cossio Vasatium sita est, jam tunc obtinebant.

[h] Missarum celebratio festi genus censebatur apud antiquos, ut ex hoc loco et ex can. 17 conc. II Turon. colligit Mabillon. in prœmio lib. II Liturgiæ Gallic.

[i] Id est fornice, seu potius laqueari ex ligno. Vide, infra, cap. 47.

CAPUT XIV.

De muliere quæ obtinuit pollicem Joannis Baptistæ.

Nam (*Ed.*, Etiam) quædam mulier [a] a Maurienna urbe progrediens, ipsius Præcursoris reliquias expetivit, et ita se constrinxit vinculo juramenti, ut non ante a loco discederet, nisi de membris ejus mereretur quidquam accipere. Sed cum impossibile hoc incolæ loci narrarent, prosternebatur quotidie ante sepulcrum, orans sibi, ut diximus, de sanctis artubus aliqua condonari. In qua intentione integrum duxit annum. Similiter et alterum, jugi semper oratione deposcens. Tertio vero ingrediente anno, cum orationem suam pervenire non cerneret ad effectum, projecit se ante sepulcrum; et obtestatur non se exinde surrecturam, priusquam hæc petitio obtineretur a Sancto. Septima vero die, cum jam inedia deficeret, apparuit super altare pollex miri candoris ac lucis effulgens. Cognito autem mulier Dei dono, surrexit a pavimento, factaque capsula aurea, in ea recondidit quæ Domino largiente meruerat, et sic gaudens remeavit ad propria: impletumque est in illa quod Dominus ait in Evangelio: *Amen dico vobis, quod si perseveraverit pulsans* [b], *et si non surgit pro eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et tribuet ei quotquot habet necessarios* (*Luc.* XI, 8). Post hæc tres episcopi advenientes de civitatibus suis ad adorandum in hoc loco, voluerunt partem de hoc pignore elicere: positoque in medio, nihil omnino auferre potuerunt. Tunc una vigilantes nocte, deprecati sunt ut aliquid mererentur a pollice; positoque sub eo linteo, dum partem auferre conantur, una ex eo gutta sanguinis cecidit super linteum. Quod cernentes, duas **739** deinceps noctes vigilant. Deinde prostrati coram sancto altari, dum supplicant ut adhuc majus aliquid mereantur a pollice, duæ iterum ex eo fluxerunt guttæ. At illi gavisi, colligentes devote quæ Dominus dederat, juxta numerum suum [c] diviserunt linteum cum guttis suis, quæ non sine grandi admiratione urbibus intulerunt. Et quia locus ille Mauriennensis ad Taurinensem quondam [d] urbem pertinebat, tempore ille A quo Rufus erat episcopus, ait archidiaconus ejus ad eum: Non est æquum ut hoc pignus in loco viliori teneatur; sed surge, et illud accipe; et defer ad Taurinensem ecclesiam, quæ plus popularis habetur. Cui ille respondit quia hæc agere non audebat. Archidiaconus dixit: Ego hoc deferam, si permittis. Et episcopus: Fac quod libet. Tunc archidiaconus accedens ad locum, dum vigilias celebrat, mittit manum ad capsulam. Mox amens effectus, accensus febre, die tertio exspiravit; factusque est timor magnus omnibus, nec quisquam ultra beata pignora ausus est mutare.

CAPUT XV.

De reliquiis beati Joannis infra monasterium sancti Martini positis.

B Apud [e] Turonicam vero urbem, dum in oratorium atrii beati Martini ipsius Præcursoris reliquias collocaremus, cæcus quidam, adminiculo deducente, lumen recepit. Energumenus vero obtestans virtutem beati Joannis, Martinique antistitis, expulso purgatus est dæmone. In hoc oratorio una puellarum cui officium erat **740** lychni fomenta componere, adveniens cum cereo ut hæc ageret, est ingressa: compositoque lychno atque accenso, attracto ad se fune, sublimavit in altum, plexisque [f] iunexum laqueis ad parietis clavum, et abscessit. Quæ dum redit, cereus quem manu gerebat exstinguitur, regressaque velociter ad cicendilem, cereum non attingebat illuminare, neque laqueum funis absolvere. Dum ambigua de hac causa penderet, subito delapsa C a cicindile flamma, cereum in manu ejus illuminavit; et sic officio luminis præeunte, quo voluit ivit. Ferunt autem in hoc oratorio a lychno oleum ebullire. Habentur enim [g] et ibi reliquiæ sanctæ crucis.

CAPUT XVI.

De ardore manus cujusdam mulieris exstincto.

Sub hujus urbis territorio apud vicum Alangaviensem [h], mulier quædam ex incolis, conspersa Dominica die farina, panem formavit, quem, segregatis prunis, cinere ferventi contexit decoquendum. Quod cum fecisset, protinus ei manus dextera divino igne

[a] Hæc ab Alberto Stadensi in Chronico Tecla virgo appellatur, ubi sancti Joannis *indicem* obtinuisse dicitur.

[b] Alii, *pulsare*; et infra Mss. quatuor, *surgit, et tribuit*, Clar. b. *surget, et tribuit*.

[c] Aliquot Mss. cum editis, *numerum servorum suorum*.

[d] Colb. a, *quamdam*. Urbs illa primum ad Taurinensem diœcesim pertinuit, tum a Francis sub Guntramno rege occupata episcopum proprium obtinuit, qui Darentasiensi metropolitano attributus est. Hinc in vetustis quibusdam notitiis inter provinciæ Alpium Graiarum et Penninarum civitates, Morienna ultimo loco recensetur. Ea tamen de re conquestus est Ursicinus Taurinensis episcopus, ut patet ex Gregorii Magni epistola 114 libri VII ind. 2, ad Syagrium episcopum Æduensem, et sequenti ad Theodoricum et Theodebertum reges. Sed nihil obtinuit, et exinde Mauriennensis episcopatus perseveravit, hodieque subsistit, sed sub Viennensi metropoli. Urbs vero ipsa ob miraculorum sancti Joannis reliquiarum celebritatem vulgo, sicut et ipsa vallis, dicitur Sanctus Joannes de Maurienna (*Saint-Jean de Maurienne*). Vetus instrumentum de ecclesiæ Mauriennensis primordiis dabimus in appendice.

[e] Hoc caput cum sequenti deest in cod. Clar. a. D In altero vero cod. Clar. deest cum sex sequentibus, id est ad 21 inclusive. Porro oratorium in atrio sancti Martini hic memoratum quidam esse putant illud quod etiamnunc subsistit sub sancti Joannis Baptistæ titulo, in quo sancti Martini canonici capitulum congregare solent. Exstat aliud vetustum sancti Joannis Baptistæ sacellum in ipso ecclesiæ sancti Martini ingressu, quod hic forte designatur.

[f] Sic cod. Colb. a. Cæteri, *plerisque*.

[g] Ex cap. 5, supra, idem contingebat ante sanctam crucem in monasterio Pictavensi asservatam, ad quem locum hic alludit Gregorius.

[h] Cod. Mart. et Cict. cum Bell. et Colb. a, in indice, *Langaviensem*. Laud. item in indice *Lanuiense*. Dicitur in fine lib. X Historiæ *vicus Atingaviensis*, aliis auctoribus *Lingiacum*, seu *Langesium*, vulgo *Langeay*, locus etiam nunc notus, his temporibus satis celebris.

succensa cœpit exuri. At illa vociferans ac plangens, basilicam hujus vici, in qua reliquiæ beati Joannis retinentur, expetiit. Et oratione fusa, vovit in hac die divino nomini consecrata nullam operam exercere, nisi tantum orationi vacare. Nocte vero sequenti fecit cereum in altitudinem status sui. Tunc in oratione pernoctans, tento tota nocte manu propria cereo, restinctis ardoribus incolumis est egressa.

CAPUT XVII.

De fluvio Jordane.

741 Et quia Joannis Baptistæ meminimus, dignum est ut de Jordane aliqua memoremus. Igitur a monte Phanio duo consurgunt fontes, quorum unus Jor, alter Dan vocitatur : qui ab utraque parte Phaniadæ [a] urbis, quæ prius Cæsarea Philippi vocabatur, descendentes, sub ipsa urbe tam fluentis [*Al.*, fluentes] conjuncti, quam nomine uno, Jordanem efficiunt, qui usque Hiericho civitatem et ultra defluit. In eo habetur locus in quo Dominus baptizatus est. In uno etenim reflexu [b] aqua ipsa revolvitur, in qua nunc leprosi mundantur. Cum autem advenerint, sæpius lavantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur. De publico tamen, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt; sanati autem, ad propria discedunt. Ipse quoque Jordanis ab eo loco in quinto milliario, mari commixtus Mortuo, nomen amittit. Mare enim Mortuum ob hoc dicitur, eo quod ab incendio Sodomæ vel reliquarum urbium est versatum, et aqua ipsa asphalto permixta est : unde a nonnullis mare Asphalti [c] appellatur; in quo qui natare nescit, super aquam fertur, et circa eum sulphur adhæret.

CAPUT XVIII.

De aquis Levidæ urbis.

Sunt autem et ad Levidam [d] civitatem aquæ calidæ, in quibus Jesus Nave lavare solitus erat, ubi similiter leprosi mundantur : est autem ab Hiericho duodecim millia. Prope autem Hiericho habentur arbores quæ lanas gignunt. Exhibent enim poma **742** in modum cucurbitarum, testas in circuitu habentes duras, intrinsecus autem plena sunt lana. Et de his etiam ferunt ipsi Jesu Nave solere fieri indumenta. Sed et hodieque tales exhibent lanas, ex quibus nos a quibusdam delatas vidimus, et admirati sumus vel candorem, vel subtilitatem earum.

CAPUT XIX.

De leproso mundato in loco ubi Dominus est baptizatus, et reliquiis B. Mariæ.

Nam vidi ante hoc tempus hominem Joannem nomine, qui a Galliis leprosus abierat, et in ipso loco quo Dominum diximus baptizatum aiebat se per annum integrum commoratum fuisse. Qui assidue abluebatur in amne : sed redditus pristinæ incolumitati, reformata in melius cute, sanatus est. Hic reliquias beatæ Mariæ ab Hierosolymis accipiens, revertebatur in patriam : sed prius Romam abire disposuit. Verum ubi altas Italiæ solitudines est ingressus, incidit in latrones. Nec mora, spoliatur ab indumentis, et ipsa quoque capsa in qua beata gestabat pignora capitur. Existimantes enim inimici illi auri ibidem sestertias aggregatas, effracta clave, omnia rimantur intente. Sed cum nihil in ea pecuniæ reperissent, extracta pignora in ignem projiciunt, cæsoque homine discesserunt. At ille semivivus exsurgens, ut vel cineres exustorum colligeret pignorum, invenit super carbones accensos illæsas jacere reliquias : ipsumque linteum quo involutæ erant ita admiratur integrum, ut non putaretur prunis injectum, sed eum ex aquis absconditum. Collegitque cuncta cum gaudio, et viam quam pergebat ingressus, usque ad Gallias pervenit incolumis. Multos etiam vidimus qui vel in Jordane, vel in aquis **743** Levidæ urbis tincti, ab hoc fuerant morbo mundati.

CAPUT XX.

De ecclesia B. Mariæ, et ultione pejerantium, apud Turones.

In [e] urbe autem Turonica, est ecclesia sanctæ Mariæ virginis, ac sancti Joannis Baptistæ nomine consecrata, in qua in perjuris ultio divina apparuit. Quidam autem cum ad perjurandum in hanc ecclesiam fuisset ingressus, ubi manus ante altare stans sursum extulit, ut sacramentum mendax proferret, statim resupinus ruens, ita caput in pavimentum collisit, ut vix vel vivens erigi potuisset. Ad se autem reversus dolum perjurii, quod occultabat, publice patefecit. Vidimus enim et nos quosdam de Turoni-

[a] Paneas, seu Cæsarea Philippi, urbs olim episcopalis sub Tyrio metropolitano, in Cœlesyriæ finibus, nunc excisa. De qua Eusebius lib. VII Histor. cap. 17, et ex eo Rufinus cap. 13. Apud Cæsaream Philippi, quam Phœnices Paneada nominant, *ad pedes Panii montis fontes visuntur, ex quibus profluit Jordanis*, etc. Ipsum urbis nomen *Dan* fuisse scribit Hieronymus in Quæstionibus in Genesim, ubi et duos fontes *Jor* et *Dan* appellari observat, ex quibus re et nomine junctis Jordanis et fluit et dicitur.

[b] Aliquot Mss., *refluxu*. Observant tamen etiam hodie peregrini, qui Palæstinam invisunt, eo loco Jordanem esse recurvum, quo Dominus noster ex prisca traditione baptizatus fuisse memoratur.

[c] Dicitur vulgo *Lacus Asphaltites*, ex bitumine quod ibi excrescit. Cæterum, ut ex relationibus discimus, quæ hic Gregorius de mari Mortuo observat etiam hodie experiuntur qui lavandi causa sese in ipsum immittunt.

[d] Cod. Colb. tut., *Leviadem*, at cap. seq. habet *Levidæ*, sicut et cæteri scripti in indice. Clict. *Lenidam*. Dicitur apud anonymum Ravennensem, quem noster Placidus Porcheron edidit, *Leviada*, a Plinio *Livias*. Celebris est Λιβιάς apud Josephum, Eusebium, etc., sic dicta ab Herode in honorem Liviæ Augustæ, quæ antea dicebatur Bethara ex sancto Hieronymo. Suum olim habuit episcopum sub Cæsarea metropoli, sicut et Jericho, urbs ex sacris Litteris satis nota.

[e] Istud caput cum duobus sequentibus deest in cod. Clarom. a. Ecclesia quæ hic memoratur ea videtur esse quam Ommatius episcopus construxit, ut dicitur lib. X Hist. cap. 31. Exstabat haud procul a cathedrali sancti Gatiani ecclesia oratorium B. Mariæ dicatum, quod modo destructum est; subsistit etiam nunc aliud in eadem urbis parte sub sancti Joannis titulo. An vero unum ex istis, an aliquod aliud jam destructum, hic memoretur, incertum est.

cis in loco eodem perjurasse, qui ita divino judicio condemnati sunt, ut in ipsius anni curriculo finirentur a sæculo.

CAPUT XXI.

De forma Domini apud Phaniadam.

Igitur, ut diximus, in ipso primo Jordanis egressu, Phaniada civitas [a] sita est, in qua habetur statua ex electro purissimo fabricata, in qua Redemptoris nostri forma dicitur esse expressa. Nam, ut a plerisque audivi, qui eam contemplati fuerant, mira claritas in ejus facie continetur. Sed ne cui videatur absurdum, narrare quæ de ea Cæsariensis refert Eusebius non pigebit. Ait enim : « Mulierem quam sanguinis profluvio laborantem a Salvatore curatam Evangelia tradiderunt, hujus urbis civem constat fuisse, domusque ejus in ea etiam nunc ostenditur. Pro foribus vero domus ipsius, basis quædam in loco editiore collocata monstratur, in qua mulieris 744 ipsius velut genibus provolutæ, palmasque suppliciter tendentis, imago ærea videtur expressa. Astat vero alia ærea nihilominus fusa statua, habitu viri stola compte circumdati, et dextram mulieri porrigentis. Hujus ad pedem statuæ in basi herba quædam nova specie nascitur. Quæ cum exorta fuerit, excrescere usque ad stolæ illius æreæ indumenti fimbriam solet. Quam cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresque conquirit, ita ut quæcumque fuerit illa infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino virium gerens, si antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Jesu formatam tradebant : quæ permansit etiam ad nostra usque tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Et nihil mirum, si ii qui ex gentibus crediderunt, pro beneficiis quæ a Salvatore fuerant consecuti, hujusmodi velut munus videbantur offerre, cum videamus etiam nunc et apostolorum Petri vel Pauli, et ipsius Salvatoris imagines designari, tabulisque depingi. » Hæc Eusebius [b] retulit.

CAPUT XXII.

De Judæo qui iconicam Christi furavit, et transfodit.

Nam et isto nunc tempore, per credulitatem integram tanto Christus amore diligitur, ut cujus legem in tabulis cordis credentes populi retinent, ejus etiam imaginem ad commemorationem virtutis in tabulis visibilibus pictam per ecclesias ac domos affigant : sed et in hoc inimicus semper humani generis æmulus exstat. Nam Judæus quidam cum hujuscemodi imaginem in tabula pictam, ac parieti affixam in ecclesia sæpe vidisset, ait : Ecce seductorem illum qui nos genusque nostrum humiliavit. Et sic 745 nocte veniens, telo ipsam imaginem verberat, elisamque de pariete, opertam veste, ad domum portans, flammis parat exurere. Sed res mira apparuit, quæ, quod de virtute Dei fuerit, non potest ambigi. Nam de vulnere ubi imago transfossa fuerat, sanguis effluxit [c]. Quod ipse iniquus spiculator oppletus furore non sensit. Cum autem per obscuræ noctis tenebras domum suam fuisset ingressus, lumine adhibito cernit se totum sanguine cruentatum : timensque ne scelus suum patefieret, abjectam a se tabulam abdidit in obscuris, nec ausus est ultra contingere quod inique præsumpsit auferre. Venientes autem Christiani diluculo ad domum Dei, iconicam [d] non inveniunt, stupentesque ac requirentes quod fuerat factum, cruoris vestigia deprehendunt. Quod sequentes, ad domum Judæi accedunt. Denique sciscitati de tabula, nihil certi cognoscunt. Requirentes autem eam sollicite, in angulo cellulæ Judæi reperiunt : qua ecclesiæ reddita, furem lapidibus obruerunt.

CAPUT XXIII.

De crucifixo apud Narbonam.

Est et apud Narbonensem urbem in ecclesia seniore, quæ beati Genesii martyris reliquiis plaudit, pictura quæ Dominum nostrum quasi præcinctum linteo indicat crucifixum. Quæ pictura dum assidue cerneretur a populis, apparuit cuidam Basileo presbytero per visum persona terribilis, dicens : Omnes

[a] Paneas, de qua supra, cap. 17.

[b] Ex versione scilicet Rufini, qui id habet libro VII Histor. cap. 14, cum Eusebius hanc historiam referat eodem libro, cap. 18, cui Rufinus hæc verba adjungit : « Insignia veterum reservari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum vero amoris indicium est. » Porro Julianus Apostata, ut refert Sozomenus lib. V cap. 21, hanc Christi Salvatoris statuam evertit, suamque ipsius illi substituit. Sed statim, inquit ille, ignis e cœlo lapsus pectus statuæ et vicinas pectori partes discidit, caputque cum collo dejecit, et pronum humi infixit, atque ex eo tempore remansit fuligine fulminis obsita. Pagani tamen Christi statuam per urbem trahentes confregerunt, quam postea Christiani collectam in ecclesia reposuerunt. Utramque statuam, Christi scilicet Domini in ecclesia, et Apostatæ fuligine deformatam suo tempore perseverasse testatur idem Sozomenus, qui sub Theodosio juniore florebat, id est centum et paulo amplius annis, antequam Gregorius noster scriberet.

[c] Celebris erat apud Damascum Theodori martyris statua, quæ a Sarraceno quodam telo percussa sanguinem effuderat, ut testatur sanctus Joannes Damascenus orat. 3 de sanctis Imaginibus.

[d] Alii, *iconiam*, seu *iconam*. Bal., *iconem*. Retinenda nostra lectio, quæ est vetustiorum Edit. et scriptorum. Sic enim illi auctores scribebant ad designandam imaginem, ut supra in cap. titulo, et in Vitis Patrum, cap. 12. Hinc manavit consuetudo sacram Christi imaginem *Veronicam*, quasi veram iconicam, appellandi, ut ex compluribus auctoribus probat noster Mabillonius Itineris Italici pag. 88 et 89. Quam tamen vocem nonnulli mulieris esse nomen postea existimantes, Veronicam finxerunt piam feminam, quæ Christo ad Calvariæ montem ascendenti obviam occurrens, ejus sacræ faciei quam exterserat effigiem in sudariolo impressam receperit. Unde nomen sanctæ Veronicæ in aliquot Martyrologia invectum est. Sed ne in Romanum admitteretur obstitit Baronius, cum aliis viris eruditis. Hinc mirari subit Bollandianis crimini datum fuisse a Carmelitis, quod de Veronica muliere quasi dubitanter locuti fuerint. Et quidem Nicolaus, aliique complures pontifices Romani ipsam Christi Domini imaginem vulgo *Veronicam* appellari testati sunt. Vide Papebrochii responsionem ad exhibitionem errorum per Sebastianum a Sancto Paulo.

vos obtecti estis variis indumentis, et me jugiter **748** nudum aspicitis. Vade quantocius, cooperi me vestimento. Et presbyter non intelligens visionem, data die nequaquam ex ea re memoratus est. Rursumque apparuit ei; sed et illud parvipendit. Post tertium autem diem secundæ visionis, gravibus excruciato eo verberibus, ait: Nonne dixeram tibi ut operires me vestimento, ne cernerer nudus : et nihil ex hoc a te actum est ? Vade, inquit, et tege linteo picturam illam, in qua crucifixus appareo, ne tibi velox superveniat interitus. At ille commotus, et valde metuens, narravit ea episcopo, qui protinus jussit desuper velum expandi et sic obtecta nunc pictura suspicitur [a]. Nam et si parumper detegatur ad contemplandum, mox demisso velo contegitur, ne detecta cernatur.

CAPUT XXIV.

Insigne miraculum de fontibus Hispaniæ.

Est [b] et illud illustre miraculum de fontibus Hispaniæ, quos Lusitania provincia profert. Piscina namque est apud Osen [c] campum antiquitus sculpta et ex marmore vario in modum crucis, miro composita opere. Sed et ædes magnæ claritatis ac celsitudinis desuper a Christianis constructa est. Igitur cum dies sacer post circulum anni decedentis advenerit, quo Dominus confuso proditore mysticam discipulis præbuit cœnam, conveniunt in locum illum cum pontifice cives, jam odorem sacri præsentientes aromatis. Tunc data oratione a sacerdote, ostia templi jubent simul muniri signaculis, **747** adventum virtutis dominica præstolantes. Die autem tertia, quod est sabbati, convenientibus ad baptizandum populis, adveniens episcopus cum civibus suis, inspectis signaculis, ostia reserat clausa. Ac mirum dictu, piscinam quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam, et ita cumulo altiore refertam, ut solet super ora modiorum triticum aggregari : videasque huc illucque latices fluctuare, nec partem in diversam defluere. Tunc cum exorcismo sanctificatum, conspersum desuper chrisma, omnis populus pro devotione haurit; et vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrima tutaturus [d]. Et cum exinde multitudo amphorarum sine collecto numero hauriatur, nunquam tamen vel cumulum minuit: licet ubi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur, et baptizatis omnibus, lymphis in se reversis, ut initio produntur nescio, ita et fine clauduntur ignaro.

CAPUT XXV.

De hæreticis qui non adhibuerunt illis fidem.

Quidam vero ex hæreticis Deum non metuens, neque venerationem præstans huic loco sancto, neque credens corde miraculum, quod in eo Dominus ad corroborandam suorum fidem præstare dignatus est, non silebo. Venit cum turba equorum, solutis quoque impedimentis jussit in basilicam poni, equitibusque [*Id est*, equis] in ea præsepia præparari, irridens miser quæ de hoc loco narrabantur ab incolis. Igitur media nocte prætereunte, a febre corripitur, ac pene exanimis, et tardius quam debuerat pœnitens, exclamat equites ab æde expelli ; erat enim ei, sub rege licet, magna tamen in illa regione potestas. Expulsisque a basilica sancta equitibus, ad se conversus cœpit dentibus proprium lacerare corpusculum, nec prorsus retineri a suis ob nimiam poterat debacchationem. Tandemque **748** oppressus, inter suorum manus spiritum exhalavit.

Denique Theodegisilus [e] hujus rex regionis, cum vidisset hoc miraculum quod in his sacratis Deo fontibus gerebatur, cogitavit intra se dicens, quia ingenium est Romanorum (Romanos enim vocitant homines nostræ religionis) ut ita accidat, et non est Dei virtus. Veniens vero ad annum sequentem, ostium sigillis suis cum episcopi sigillo munivit, posuitque custodes in circuitu templi, si forte aliquem deprehendere posset fraudis alicujus conscium, per cujus ingenium in fontibus aqua succederet. Similiter et alio fecit anno. Tertio vero convocata virorum multitudine, fossas in circuitu basilicæ fieri jussit, ne forte togis [*Ed.*, locis] occultis lymphæ deducerentur in fontem. Fueruntque fossæ in profundo vicenum quinum pedum, in latitudine vero quindecenum. Sed nihil abditum potuit reperiri. Tamen vitæ finem faciens, et credo pro hujus inquisitionis temeritate, anni sequentis diem quo hoc mysterium celebrabatur videre non meruit, eo quod arcanum virtutis divinæ investigare præsumpsit. Habentur autem in ea reliquiæ sancti Stephani levitæ.

CAPUT XXVI.

De illo qui propter perpetratum furtum nequivit aquam haurire.

Ergo quia fons ille divino nutu, ut supra diximus,

[a] Exinde fortasse consuetudo manavit, ut Christus Dominus in cruce pendens vestitus depingeretur. Certe me non semel vidisse memini crucifixum Dominum veste talari indutum apud Rhemos in ecclesia collegiata sanctæ Balsamiæ, seu, ut vocant, sanctæ Nutricis. (Hæc enim beatum Remigium enutrivisse dicitur.) Alias ejusmodi imagines se vidisse testatur Mabillonius in præfatione ad Acta sanctorum ord. Bened., sæc. IV, part. I, num. 47, et in Itin. Italico, pag. 133.

[b] Hoc caput cum tribus sequentibus deest in Clarom. a.

[c] Non alius iste locus videtur esse ab *Osser*, seu *Oset*, prope Hispalim, de quo ipse Gregorius lib. VI Historiæ cap. 43. Hispalis vero ex Bætica provincia censebatur, hodie Andalusiæ regni caput. Similes fontes in Galliis habebantur, infra, lib. de Gloria Conf. cap. 69.

[d] Viget etiamnunc ea consuetudo, quam, ut ex hoc loco patet, a patribus nostris accepimus, aquam in vigilia Paschæ sacerdotum precibus sanctificatam in domos reportandi ad tutamen adversus diabolicos incursus, et ad aerearum potestatum insidias abigendas. Vide Vitam sancti Cæsarii episc., lib. II, num. 13.

[e] Cod. Bell. *Teodegisilis*. Teudisculus ab Isidoro appellatur æra 586. Sed ille post unius anni et aliquot mensium regnum apud Hispalim interfectus est. Hic fortasse designatur Theudix, seu Theudis, aut Theodas, qui ante Theudisclum annis fere 47 regnum tenuit.

ad officium baptizandi repletur ; et quia cum comple-A tus fuerit, avide ex hoc populus haurire festinat, quidam accepto vasculo, presbytero qui hanc aquam ministrabat porrexit ad complendum. Quod dum complet senior, hic inter comprimentes turbas manum alterius extendit ab balteum, cultrumque furatus est : quo vagina recondito, manus extendit ad accipiendam hydriam, quam tradiderat presbytero. Qua accepta, amotus in partem aliam, neque unam guttam aquæ in ea potuit reperire. Tunc confusus **749** valde, et sibi ob furti causam hoc evenisse cognoscens, homini cultrum, quem furatus fuerat, reddidit ; et sic iterum porrecta lagena, plenam aquæ recepit. Est enim populus ille hæreticus, qui videns hæc magnalia, non compungitur ad credendum, sed semper callide divinarum præceptionum sacramenta B nequissimis interpretationum garrulationibus non desinit impugnare : sed virtus Domini diversam partem destruit et confundit.

CAPUT XXVII.

De martyrio Jacobi apostoli fratris Domini.

Jacobus [a] apostolus (*An.* 61 *vel* 62, 1 *Maii*), qui et frater Domini vocitatus est, ab ipso Domino nostro Jesu Christo episcopus dicitur ordinatus [b]. Post cujus gloriosam Ascensionem, dum viam justitiæ Judæis errantibus aperire conatur, de pinna templi præcipitatus, alliditur, effusoque fullonis fuste cerebro, spiritum reddidit [c], sepultusque est in monte Oliveti [d], in memoria, quam sibi ipse prius fabricaverat, et in qua Zachariam ac Simeonem [e] sepelierat. Hæc de Jacobo apostolo.

CAPUT XXVIII.

De sancto Petro apostolo.

750 Petrus [f] apostolus (*An.* 66, 29 *Jun.*), ob humilitatem docendam, caput desuper tonderi instituit [g], qui ab apostolis cæteris episcopus ordinatus, Romæ cathedram locavit. Cujus oratione et [h] Pauli, Simonis Magi calliditas vel detecta est, vel obruta [i]. Exstant hodieque apud urbem Romanam duæ in lapide fossulæ, super quem beati apostoli, deflexo poplite, orationem contra ipsum Simonem Magum ad Dominum effuderunt. In quibus cum de pluviis lymphæ collectæ fuerint, a morbidis expetuntur, haustæque mox sanitatem tribuunt. Sanctus vero Petrus apostolus, ut præfati sumus, cum post Neroniana ac Simoniaca bella ad crucem venisset, impleto jam felicis tropæi certamine, resupinis ad cœlum vestigiis se expetiit crucifigi, indignum se vociferans ut Dominum exaltari [j] : sicque dirigens spiritum vivacem in astra, sepultus est in templo, quod vocitabatur antiquitus Vaticanum [k], quatuor ordines columnarum valde admirabilium numero nonaginta sex habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ sunt simul centum, præter illas quæ ciborium [l] sepulcri sustentant. **751** Hoc enim sepulcrum sub altari collocatum [m] valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis

[a] Deest hoc caput in utroque cod. Clarom.

[b] Eusebius lib. VII, Chrysostomus in I ad Corinth., Hieronymus in Epist. ad Galat., Proclus in orat. 22, et alii veteres Jacobum ab ipso Christo; alii, ut Clemens Alexand., imo et ipse Eusebius non semel, Hieronymus de Viris illustribus, etc., ab apostolis eumdem Jerosolymitanæ Ecclesiæ specialem curam suscepisse tradunt. Quod fortasse a Christo designatus, ab apostolis vero declaratus et inthronizatus fuerit. Hinc forte laminam auream, ut scribit Epiphanius hæres. 29, in capite gestabat, veterum pontificum more. Hic autem Gregorius Jacobum episcopum ab apostolo non distinguit, quæ videtur esse communior apud veteres et recentiores sententia ; alii tamen aliter sentiunt, qua de re videndi Bollandiani ad diem 1 Maii, Tillemontius in notis ad Hist. Eccles. tomum I, etc.

[c] Ejus martyrium describit Hegesippus apud Eusebium, lib. II Hist. eccles. cap. 23. Vide et Joseph. lib. XX Antiquit. cap. 8. Lege Acta Martyrum sincera, pag. 1 et seqq.

[d] Communior tamen est sententia, eum juxta tem-D plum, ubi necatus fuerat, sepultum fuisse, cujus monumentum adhuc suo tempore perseverasse tradit Hieronymus testis oculatus.

[e] Zachariam sancti Joannis Baptistæ patrem multi interemptum esse volunt Herodis jussu intra templi ipsius septa. Simeonis vero senis, qui Christum in ulnis susceperat, sepulcrum in rupe montis Oliveti existitisse testatur Adamnanus.

[f] Hoc caput et sequens desunt in cod. Colb. tut.

[g] Tonsuræ clericalis originem vulgo ad sanctum Petrum referunt medii ævi auctores, cujus instituendæ varii varias causas referunt. Vide Bedam, lib. V Hist. Angl. cap. 22. Infra, Vind. non habet *episcopus*. — Hunc locum de clericali corona minime esse intelligendum contendit Thomassinus parte I Discipl. ecclesiast., lib. II, cap. 37, sed de omnibus Christianis, qui præ modestia capillos breves deferre deberent; atque ea occasione profert egregium Amalarii locum testantis hanc sententiam, quæ tonsuram clericalem ad sanctum Petrum revocat, non adeo esse certam, ut ipsi adhærere necesse sit. Vide notas in Vitam sancti Nicetii, in lib. de Vitis Patrum cap. 17.

[h] Mss., *vel*, quod perinde est. Eodem sensu, infra, *vel detecta est vel obruta*, id est *et detecta et*, et sic passim.

[i] Victoria, quam in Simonem Magum retulerunt apostoli, tot sanctorum Patrum testimoniis approbata est, ut absque temeritate rejici non possit, quanquam, historiæ veritatem nonnulli auctores apocryphis narrationibus in aliquot circumstantiis obscurarint.

[j] Eamdem rationem afferunt Ambrosius in psalm. CXVIII, Augustinus, Theodoritus, etc. Alii alias adjiciunt, quas fusius prosequi non vacat.

[k] Apostolorum *tropæa*, ut loquitur Caius apud Eusebium, lib. II Hist. cap. 25, jam sæculi III initio celebria erant Romæ, apud Vaticanum et via Ostiensi, id est in iis ipsis locis ubi hodieque eorum sacræ reliquiæ coluntur. Etenim utriusque media pars in ecclesia Vaticana, altera vero medietas in basilica sancti Pauli, quæ abbatia est ordinis Benedictini, asservantur, sacra vero eorum capita in basilica Lateranensi.

[l] Ciborium est ædicula turrita, ad modum umbraculi, aliquot columnis innixa, ad tegendum altare seu alicujus sancti sepulcrum. Vide Liturg. Gallic. Mabillon. lib. I, cap. 8, n. 8.

[m] Vind., *valde ratum*. Antiquus est mos in Ecclesia receptus sanctorum reliquias in cryptis subterraneis subtus altare collocandi, ubi sanctorum celebriorum sepulcra in antiquis basilicis etiam nunc visuntur. Hinc consuetudo manavit altaria erigendi super tumulos virorum piorum, quos episcopi pro sanctis haberi volebant, hicque erat olim sanctos canonizandi ritus. Reliquias sanctorum in baptisterio a se depositas memorat ipse Gregorius lib. X Hist. cap. ult.;

bus locus ille ambitur, accedit super se- sic fenestella parvula patefacta, immisso apite, quæ necessitas promit efflagitat. effectus, si petitionis tantum justa pro- o. Quod si beata auferre desiderat pi- olum [a] aliquod momentana [*Id est*, sta- um facit intrinsecus, deinde vigilans ac evotissime deprecatur, ut devotioni suæ olica suffragetur. Mirum dictu! si fides evaluerit, a tumulo palliolum elevatum divina virtute, ut multo amplius quam erat ponderet; et tunc scit qui levaverit, itia sumpsisse quod petiit. Multi enim et is ad reserandos cancellos beati sepulcri ferentes pro benedictione priores acci- is infirmitati tribulatorum medeantur. fides integra præstat. Sunt ibi et colum- egantiæ candore niveo, quatuor numero, m sepulcri sustinere dicuntur.

CAPUT XXIX

De Paulo apostolo.

ero apostolus (*An.* 66, 29 *Jun.*), post re- ni circulum, ipsa die qua Petrus apostо- st, apud urbem Romam gladio percussus cujus sacro corpore lac [c] defluxit et aqua. si lac ejus manavit ex corpore, qui gentes **752** et parturivit et peperit, ac lacte spi- is, ad cibum solidum Scripturarum san- ca reserando, perduxit. De cujus virtuti- uidem audivimus: sed de plurimis unum ículum studuimus declarare. Factum est odam loco, ut homo laqueum sibi ad ex- vitam, instigante diabolo, præpararet. retum cellulæ in qua hæc ageret repe- n trabi transmissum, laqueum cœpit in- ien tamen semper Pauli apostoli invoca- Adjuva me, sancte Paule. Et ecce umbra ue funesta, quæ nihil minus [d] vultu quam nilabat, apparuit ei, hortans ac dicens: moreris, exple [*Al.*, expedi] celerius quæ ille cum opus hoc, id est vitæ extor- quendæ, pararet, semper aiebat: Beatissime Paule, esto adjutor meus. Denique expedito jam laqueo, cum vehementius urgeretur ab umbra, ut collum immitteret, subito adfuit alia umbra huic similis; dicens ei quæ cum homine erat: Fuge, miserrime, en Paulum apostolum huc venientem; invocatus enim ab hoc homine, ecce adest. Tunc evanescentibus umbris, hic ad sensum suum reversus, et crucem virtutis dominicæ pectori nutanti depingens, pœnitentiam genis lacrymarum imbre perfusis agebat [e] cur ista tentasset. Unde manifestum est hunc eumdemque hominem per virtutem beati apostoli ab hoc sævæ mortis præcipitio fuisse salvatum.

CAPUT XXX.

De Joanne apostolo et evangelista.

753 Joannes [f] vero apostolus et evangelista Dei (*An.* 100 *aut* 104, 27 *Dec.*), post peractum tam agonis legitimi quam prædicationis salubberrimæ cursum, vivus descendens in tumulo, operiri se humo præcepit. Cujus nunc sepulcrum manna [g] in modum farinæ hodieque eructat, ex qua beatæ reliquiæ, per universum delatæ mundum, salutem morbidis præstant. Hic est Joannes quem Dominus plus quam cæteros dilexit apostolos, qui tantæ charitatis amore prælatus est, ut super ipsum sacri corporis pectus accumbens, mysteriorum cœlestium hauriret arcana. Ipsi etiam Dominus noster gloriosam Genitricem, quasi peculiari quodam modo discipulo, in ipsa passionis hora, in cruce pro mundi salute positus, commendavit. De hoc enim et post resurrectionem dixit: *Sic eum volo manere donec veniam* (*Joan.* XXI, 22). In Epheso autem habetur locus in quo hic apostolus Evangelium quod ex ejus nomine in Ecclesia legitur scripsit. Sunt autem in summitate montis illius proximi quatuor sine tecto parietes. In his enim orationi insistens, Dominum assidue pro delictis populi deprecans, morabatur: obtinuitque ne in loco illo imber ullus descenderet, donec ille Evangelium adimpleret. Sed et usque hodie ita præstatur a Domino, ut nulla ibi descendat pluvia, neque imber violentus adveniat.

p. 31, narrat reliquias sancti Sergii *in su- contra altarium* a quodam Syro recondi- Nunquam autem, nisi forte brevissimo per altare locabantur, ut patet ex ipso . IX, cap. 6, quod tamen alii improbarunt. . lib. I Liturgiæ Gall. cap. 9. Quo autem m corpora in Occidente levari transfer- nt docet Mabillon. præf. in Acta sancto- Benedictini, sæc. II numero 42.
iola Hormisdas in epistola ad Justinian. *sanctuaria beatorum Petri et Pauli.* Et tificis legati ipsum deprecati sunt, ut ejus- ria *usque ad secundam cataractam* propter imperatoris, cui destinabantur, depone- a appellat Gregorius Magnus. Unum ex Brunichildem reginam transmissum di- atur in sacrario monasterii nostri sancti atis, quod vulgo *corporale sancti Petri* ap-

c caput in Clarom. b. In Clar. a desunt *post revolutum anni circulum*; quæ lectio etiamsi veritati conformior videatur, incertum tamen est an reipsa sit sincerior. Tamen ex Fortunato et ex Liturgia Gallicana apud Mabillon., lib. II num. 63, patet hanc in Gallia communiorem sententiam fuisse, quod Petrus et Paulus eadem die eodemque anno passi fuerint.

[a] Hoc ex apocrypha sub Lini nomine, aut alia ejusmodi historia, hausit Gregorius, quod silent veteres. Vide Mabillon. Iter Italic. pag. 142.

[d] In Colb. a emendatum *nihil magis.*

[e] Vind.: *Pœnitentiam agens lacrymarum imbre perfusus, aiebat.*

[f] Est hoc caput in Clarom. a.

[g] Hoc manna adhuc ex apostoli sepulcro scaturiebat sæculo VIII, ex secunda sancti Willibaldi Vita, num. 5, in II parte sæc. III Benedictini. De ejusdem morte non pauci, etiam inter veteres, dubitarunt. Quæ de re pro suo more erudite disserentem adi Tillemontium tomo I Hist. Eccles., tit. Sancti Joan., art. 7. Vide sancti Augustini tractat. 124, in Joannem, et Photii Bibliothecam, cod. 229.

In ea urbe Maria Magdalene quiescit [a], nullum super se tegumen habens. In ea et septem Dormientes habentur, de quibus aliqua, Domino jubente, in posterum narraturi sumus. In hac et idolum Dianæ fuit, ab apostolo Paulo destructum. Sed ad cœpta redeamus.

CAPUT XXXI.

De Andrea apostolo.

754 Andreas [b] apostolus (*Ann.* 66 *aut* 70, *seu* 93, 30 *Nov.*) magnum miraculum in die solemnitatis suæ profert, hoc est manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod te tumulo ejus exundat. Per id enim quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur. Si exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum ; si vero fuerit copiosum, magnum arva proventum fructuum habere significat. Nam ferunt in aliquibus annis, in tantum e tumulo oleum exundare, ut usque ad medium basilicæ profluat rivus ille. Hæc autem aguntur apud provinciam Achaiam, in civitate Patras, in qua beatus apostolus sive martyr, pro Redemptoris nomine crucifixus, præsentem vitam gloriosa morte finivit [c]. Tamen cum oleum defluxerit, tantum odorem naribus præstat, ut putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem, quod non sine miraculo ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc seu inunctiones factæ, sive potiones datæ, plerumque languentibus commodum præstant. Post cujus gloriosam assumptionem multæ virtutes vel ad hoc sepulcrum, vel per loca diversa in quibus ejus reliquiæ collocatæ sunt, feruntur ostensæ. De quibus pauca memorari non putavi absurdum, quia ædificatio est Ecclesiæ gloria martyrum virtusque sanctorum.

Tempore quo, interfecto [d] Chlodomere rege Francorum, se exercitus reparans Burgundiam devastabat, in quadam basilica reliquiæ jam dicti apostoli cum Saturnini martyris tenebantur. Accensaque basilica, cum jam tignorum moles diruerent, pauperes ac senes, quos barbaries reliquerat, flebant, **755** dicentes : Væ nobis qui tantorum pignorum hodie caremus auxilio ; nec nobis ultra spes præsentis vitæ manebit, si hæc deperierint. His ita flentibus, nutu Dei adveniens Turonicus homo, condolens his lamentis, et discens virtutem martyrum, non minus fide quam parma protectus, per medias ingreditur flammas, apprehensasque ab altari sanctas reliquias, nihil ab igne nocitus, extulit foras ; sed continuo ita constrictus est, ut gressum in antea agere non valeret. Tunc indignum se judicans qui eas ferret, unam puellam parvulam impollutamque elegit a præda, cui capsulam ad collum posuit, et sic in patriam prospere accessit. Tunc collocatis in altari Novivicensis [e] ecclesiæ, ubi nulla adhuc sanctorum pignora habebantur, annis singulis devotissime eorum solemnia celebrabat. Cujus filius, cum hæc post patris obitum non impleret, a febre quartana per annum integrum laborans, vovit ut novam basilicam in eorum honorem construeret ; quo facto, amota febre sanatus est. Sed nec hoc sine Divinitatis providentia actum reor, quod eadem die qua beatæ reliquiæ in aliam sunt translatæ basilicam, errantes homines a via qui beati Vincentii reliquias deferebant, ad vicum ipsum delati sunt. Tunc rogante presbytero, diviserunt ei particulam pignorum, quam in sancto altari unde alias abstulerat collocavit.

Mummolus autem, cum Theodeberti regis tempore, ad Justinianum imperatorem pergens, Constantinopolitani itineris viam navali evectu sulcaret, ad urbem Patras, in qua idem habetur apostolus, est appulsus. Ac dum ibi cum satellitibus moraretur, infirmata vesica calculosus efficitur. Dehinc diversis doloribus arctatus febre consumitur : ablataque delectatione comedendi atque bibendi, adventum mortis solius præstolabatur. Igitur dum se ita fessum et sine spe vitæ decernit, **756** testamentum suum petit scribi, munitumque subscriptionibus ac sigillis, inquiri præcepit si forsitan aliquis reperiretur in civitate qui peritus in arte medicinæ posset perituro succurrere. Sed cum hoc episcopo qui tunc præerat suggeritur, ait : Quousque vos, dilectissimi, casso fatigatis labore, et inter homines requiritis medicinam, cum habeatur hic cœlestis medicus, qui sæpe infirmorum valetudines sine herbarum adminiculo, virtutis propriæ depellat effectu? Et quis, inquiunt, est ille ? Andreas, ait, apostolus Christi. Hæc nuntiantes infirmo, rogat se portari ad beati sepulcrum [f]. Cumque, pavimento prostratus, quæ necessitas exigebat fideliter precaretur, medio fere noctis omnes qui aderant sopor obtinuit. Statimque infirmo conatus ejiciendæ urinæ imminet, tangensque unum puerorum, voce tenui vasculum postulat exhiberi, illatoque, dum urinam nititur ejicere, lapidem magnum emisit:

[a] Idem habet auctor Vitæ sancti Willibaldi in præcedenti nota laudatus, et sanctus Modestus episc. Jerosolymitanus, sæculi VII initio, apud Photium, Biblioth. cod. 275. Ejus reliquiæ sæculo IX labente Constantinopolim translatæ dicuntur sub Leone Sapiente. Aliæ sunt hodie in variis Galliæ locis traditiones circa B. Magdalenæ sepulcrum et reliquias, quas hic discutere non vacat. De septem quoque Dormientibus agitur in Vita sancti Willibaldi. Vide infra cap. 95.

[b] Deest hoc caput in Clarom. b.

[c] Hæc est veterum traditio a sanctis Paulino, Gaudentio, Petro Chrysologo, aliisque scriptoribus approbata. Celebria sunt ejusdem apostoli passionis Acta, quæ sub presbyterorum et diaconorum ecclesiæ Achaiæ nomine habentur, de quorum sinceritate non una est omnium sententia. Vide Tillemontii notas de sancto Andrea, tomo I Hist. eccles. — In Missali Gothico Gallicano quod ex Thomasio edidit noster Mabillonius lib. III Liturgiæ Gallicanæ num. 17, habetur Missa de sancto Andrea, cujus contestatio, seu, ut loquimur, præfatio ex vulgatorum hujus sancti apostoli Actorum verbis ut plurimum contexta est.

[d] Vide, supra, Histor. lib. III, cap. 6.

[e] Cod. Clar. a., *Noviacensis*. Colb. tut., *Novicensis*. Locus est apud Turones, vulgo *Neuvi* dictus, ubi hodieque visitur ecclesia antiqua B. Andreæ sacra.

[f] Ejus sacrum corpus Constantinopolim translatum est an. 357, sub Constantio imp., ut scribunt veteres auctores. Vide Philostorgium, lib. III num. 7, et Theodor. Lectorem, lib. II.

alidus fuit, ut cadens sonum in ipsa quæ erat concha proferret. Tunc ablata febre i dolore, navi restauratur incolumis [a].

CAPUT XXXII.

De Thoma apostolo.

s [b] apostolus (*Post an.* 66, 21 *Dec.*), secun- nionis ejus historiam, in India passus esse r. Cujus beatum corpus post multum tem- nptum in civitate, quam Syri [c] Edissam vo- ıslatum est, ibique sepultum. Ergo in loco Indiæ, quo prius quievit, monasterium ha- templum miræ magnitudinis, diligenterque n atque compositum. In hac igitur æde miraculum Deus ostendit. Lychnus etenim itus, atque illuminatus, ante locum sepul- us perpetualiter die noctuque divino nutu t, a **757** nullo fomentum olei scirpique : neque vento exstinguitur, neque casu di- neque ardendo minuitur; habetque incre- per apostoli virtutem, quod nescitur ab ognitum tamen [d] habetur divinæ potentiæ. ıdorus qui ad ipsum locum accessit, nobis

In supradicta igitur urbe, in qua beatos imus tumulatos, adveniente festivitate, ma- gregatur populorum cœtus, ac de diversis s cum votis negotiisque venientibus [e], ven- parandique per triginta dies sine ulla telo- ione licentia datur. In his vero diebus qui in bentur quinto [f], magna et inusitata populis r beneficia. Non scandalum surgit in plebe, a insidet mortificatæ carni, non latex deest lam cum ibi reliquis diebus plusquam cen- tenum pedum altitudine aqua hauriatur a puteis, tunc paululum si fodias, affatim lymphas exuberantes invenies, quod non ambigitur hæc virtute beati apostoli impertiri. Decursis igitur festivitatis diebus, teloneum publicum [g] redditur, musca quæ defuit adest, propinquitas aquæ dehiscit. Dehinc emissa divinitus pluvia ita omne atrium templi a sordibus et diversis squaloribus qui per ipsa solemnia facti sunt mundat, ut putes locum nec fuisse calcatum.

CAPUT XXXIII.

De Bartholomæo apostolo.

Bartholomæum apostolum apud Indiam [h] passum, agonis ipsius narrat historia (*Sæc.* I, 24 *Aug.*). Post multorum vero annorum spatia de passione ejus, cum **758** iterum Christianis persecutio advenisset, et viderent gentiles omnem populum ad ejus sepulcrum concurrere, eique deprecationes assidue et incensa deferre, invidia illecti, abstulerunt corpus ejus, et ponentes in sarcophagum plumbeum, projecerunt illud in mare, dicentes: Quia non seduces amplius populum nostrum. Sed providentia Dei cooperante per secretum operis ejus, sarophagum plumbeum a loco illo aquis subvehentibus sublevatum, delatum est ad insulam, vocabulo Liparis [i]. Revelatumque est Christianis, ut eum colligerent: collectumque ac sepultum, ædificaverunt super eum templum magnum. In quo nunc invocatus, prodesse populis multis virtutibus ac beneficiis manifestat.

CAPUT XXXIV [j].

De Stephano protomartyre.

Stephanus autem primus vel diaconus Ecclesiæ

irom. a huic capiti subjungitur caput de sancti Andreæ apostoli, quod est, infra,

hoc caput in Colb. tut. et simul cum 2 Clar. a. In aliis Mss. caput hoc in duo divi- erius titulus est: *De virtute basilicæ in qua ranslatus est.* Historiam passionis sancti athenticam nullam novimus. Certum tamen ium apud Indos Christi fidem disseminasse, atibus Gregorio Nazianzeno, orat. 25, Hie- pist. 148, Ambrosio in psalm. XLV, Paulino anctis Patribus, ex quibus Gaudentius et vetustioribus Martyrologiis, aiunt eum tam finiisse, et quidem martyrio, ex Nilo, dem Gaudentio, etc.

t Mss. et Ed., *Syriæ Edessam*, ubi sæculo Thomæ corpus exstitisse constat ex Ru-

t scripti et Editi, *cognitumt amtum.*

negotiatoribusque ve ientibus. Aliquot *gotiisque venientes.* Negotium, pro mercede, mali, quandoqne assumi notat Bignonius in ul. cap. 45.

ensis juxta Syrorum computum, qui an- vembri inchoabant, est Martius, quo Syri ncti Thomæ celebrabant, ut patet ex eorum quod Genebrardus edidit Lugduni 1615, suo in Psalmos commentario: Latini ta- 3 Julii, seu mensis quinti, festum sancti mirum Translationis, celebrant.

blice, seu *publico.*

art. et Clict. Cæteri Ed. et scripti, *apud* passionis historia, quam hic laudat Gregorius, alia non sit ab ea quæ sub Abdiæ nomine vulgata est, nostra lectio erit præferenda. In Editis caput 33 est de sancto Stephano, et sequens de sancto Bartholomæo. Bartholomæum apud Indos fidem annuntiasse constare videtur ex Eusebio, lib. v, cap. 10, Rufino, lib. III, cap. 1, Hieronymo, seu Sophronio, de Viris illustrib., Socrate, etc. Sed non adeo certum est quam regionem illi auctores Indiæ nomine designare voluerint. Vide Tillemont, tomo I Hist. eccles.

[i] Lipara insula præcipua est Æoliarum in mari Tyrrheno, haud procul a Sicilia; proprium olim habuit episcopum, sed ejus episcopatus postea Pactensi, *Patti*, in ora Siciliæ unitus est a Bonifacio VIII. Sancti Bartholomæi sepulcrum anno 808 a Sarracenis violatum est, ejusque sacræ reliquiæ anno sequenti Beneventum translatæ sunt, unde Romam allatæ fuerunt ab Ottone III, atque in insula Tiberina depositæ, ubi etiamnunc asservantur. Theodorus Lector lib. II scribit sancti Bartholomæi reliquias anno circ. 508 in urbem *Daras* Anastasii imp. jussu translatas fuisse.

[j] Hoc in capite Gregorius memorat ecclesiam sancti Stephani, quam apud *Turonicam urbem* exstitisse dicit; addit tamen paulo post se *post multos dies ad urbem regressum*, etc.; quæ verba, nisi de alio quopiam itinere intelligenda sint, indicant oratorium ipsum extra urbem in vico aliquo situm fuisse. Cæterum exstat hodieque apud Turonos haud procul a primario urbis templo ecclesia sancti Stephani, parochiali titulo gaudens, quæ urbis portæ et vicino suburbio nomen tribuit.

sanctæ vel [*Id est*, et] martyr (*An.* 33, 26 *Dec.*), apud Jerosolymam, sicut sacra Apostolorum narrat historia (*Act.* VI, 7), pro nomine sancto Christi, quem a dextris virtutis spiritali contemplatione cernebat, lapidibus est obrutus, pro persecutoribus ipsam supplicans Majestatem. Denique erat oratorium apud urbem Turonicam, ab antiquis ejus nomini dedicatum, quod nos parumper jussimus prolongari. Quod cum factum fuisset, altare ut erat integrum in ante promovimus. Requirentes vero in loculo, nihil de pignoribus sanctis quod fama ferebat reperimus. Tunc misi unum ex abbatibus, ut ab oratorio domus ecclesiasticæ nobis ejus reliquias exhiberet, oblitus sum tamen clavem capsæ porrigere, quæ cingulo dependebat. **759** Veniens vero abbas, ablato ab armario sigillo, capsam reperit obseratam. Quid faceret? quid ageret? in ambiguo dependebat. Si ad me rediret, longum erat venire et reverti ; si ipsam capsam exhiberet, molestum mihi esse noverat, quia multorum ibi sanctorum pignora tenebantur; si non faceret, jussionem quam acceperat non implebat. Quid multa? dum capsam in manu dubitans retineret, resilientibus cum sonitu repagulis, capsam aspicit reseratam. Tunc cum gratiarum actione assumptas reliquias non sine grandi admiratione nobis exhibuit, quas nos, dictis missis, Domino jubente, plantavimus. Regressus autem post multos dies ad urbem, capsam reperi, reducto pessulo, sicut reliqueram, obseratam. Pars [a] enim beati sanguinis sacrosancti levitæ hujus, sicut celebre fertur, in altari Biturigæ ecclesiæ continetur. Quidam autem tempore Felicis episcopi [b], vicinos suos quodam pro crimine impetebat : quos cum plerumque verbis procacibus lacesseret, ac judicio publico provocaret, decretum est sententia primorum urbis, ut se ab hac noxa qui impetebantur sacramento purgarent. Ingressique in hujus memoratæ ædis altare, cum elevatis manibus sacramenta proferrent, prosecutor causæ perjurasse eos clara voce testatur. Statimque elevatis in sublime pedibus, in aera excutitur, ac illiso capite in pavimento, pene exanimis a circumstanti turba conspicitur. Post duarum fere horarum spatium, cum ad liquidum putaretur spiritum exhalare, apertis oculis, crimen fatetur, se injuste fatigasse homines, vel proclamasse noxios, declaravit ; sicque laxatis insontibus, manifestato nocente, virtus Beati perpatuit. Apud Burdegalensem

A autem urbem, anus quædam gravata senio, s
mentis integræ sublevata, cui mos erat in san
basilicis, **760** misso oleo lychnos accendere,
negotium ageret, nocte Dominica, beati Petri s
basilicam ingressa est. Hujus enim altare, po
altum pulpitis [c], locatum habetur : cujus par
rior in modum cryptæ ostio clauditur, habens
minus et ipsa cum sanctorum pignoribus
suum. In hanc venerabilis mulier ad accend
ut diximus, lumen devota descendit, unam t
modo habens puellulam in comitatu suo. Quo
dum ageret, et nox adveniens mundum teneb
ruisset, accedentes clerici, dictis psalmorun
tulis, obserato cryptæ ostio, discesserunt, ign
introrsum esse mulierem. At illa accenso lum
B ostium properat, ut egrederetur. Quod cum cl
esse sensisset, voces emittit, qui ei aperire
ex nomine vocat. Sed cum non esset vox pr
ita valida, quæ posset penetrare hæc claus
ubi se sensit a nullo audiri, prostrata in pav
quievit, dicens : Deprecer [e] pro peccatis n
populi Dominum omnium creatorem, quoa
veniat qui reserare debeat hujus ædis ingress
qua oratione excubans, vidit circa medium fere
patefactis ostiis, omnem basilicam immenso
effulgere. Et ecce chorus psallentium qui in
basilicam [f], postquam, dicta gloria Trinitati,
lentii modulatio conquievit, audivit viros c
rentes inter se, atque dicentes : Moram nob
ctus facit levita Stephanus. Jam enim alias d
C mus adire basilicas, et non possumus, nisi ill
qui præstolatur adveniat. Hæc enim crebro re
tibus, advenit vir subito in veste alba ; cuj
sonam omnis illa venerans multitudo salutavit
liter, dicens : Benedic nobis, sacer ac sancte
Stephane. At ille iterum salutans [g], data or
interrogatus ab eis cur a visitatione locorum **76**
ctorum paululum retardasset, respondit : Navi
in mari periculum demersionis incurrerat,
invocatus astiti, erutaque ecce adsum. Et
probetis esse vera quæ loquor, vestimentum
indutus sum, adhuc guttis stillantibus marin
ctibus cernitur humectatum. Hæc mulier cu
more magno opprimens pavimentum intente
ciebat. Quibus discedentibus rursum ostiis di
D obseratis, hæc ad locum in quo sanctus stete

[a] Quæ sequuntur ad hæc verba, *Apud Burdegalensem*, etc., desunt in Clarom. b: Hodieque in cathedrali Biturigum ecclesia visitur ampulla sanguine beati Stephani plena, quæ, ut traditio est, ea ipsa est quam hic noster Gregorius commemorat. Eam aiunt a beato Ursino Biturigas allatam fuisse, cum primum ad fidem Christi nuntiandam illuc appulit. Cæterum fideles beati protomartyris sanguinem studiose collegisse patet ex lib. I de Miraculis sancti Stephani cap. I, apud Augustinum, ubi mentio habetur ampullæ ejusdem martyris sanguine plenæ, quæ Uzali in Africa servabatur. Una ejusmodi ampulla vitrea Neapoli hodieque visitur, quam sanctus Gaudiosus ex Africa profugus in Italiam asportasse dicitur. Vide Historiam persec. Vandalicæ a nobis editam, parte II, cap. 9.

[b] De hoc sancto antistite vide lib. de Gloria cap. 102.

[c] Mss. fere omnes, *posita in altum pulpita*. ferius, *habens puellam*. Altaria edita fuisse ol ut plurimum subtus se cryptam habuisse, ubi orare possent, multis exemplis probat Mabillo præf. sæculi III, parte I, num. 79, ad Acta rum ord. Benedictini.

[d] Reliquias sanctorum subtus altare olim s fuisse jam diximus. Vide sancti Paulini Natale sancto Felice.

[e] Editi cum aliquot Mss., *deprecabor*.

[f] Ejusmodi visiones passim occurrunt in sanctorum etiam probatissimis. Vide Vitam Germani Antissiodor. a Constantio scriptam, cap.

[g] Cod. Laud. *resalutans*.

s, sudario guttas quæ in pavimentum dilapsæ it diligenter collegit, et Bertchramno [a], qui temporis in episcopatu urbem regebat, mavit. Quod ille cum gaudio et admiratione a suscipiens, secum retinuit. De hoc enim io multi infirmi sanitatem experti sunt, ac plene et ipse pontifex de eo decerpens pignora, cclesias consecrabat, fideliter collocavit. Hæc ab ipsius episcopi relatu cognovimus.

CAPUT XXXV.

De Clemente episcopo et martyre.

nens [b] martyr, ut in passione ejus legitur, ancollo ejus suspensa in mare præcipitatus est .00, 23 *Nov.*). Nunc autem in die solemnitatis ecedit mare per tria millia, siccumque ingrebus iter præbens, usque dum ad sepulcrum ris pervenitur, ibique vota reddentes et orantes , regrediuntur ad littus [c].

CAPUT XXXVI.

ero ad Clementis sepulcrum per anni curriu, perinde atque unius tantum noctis spaı, dormiente.

tum est autem ut in una solemnitatum mulier lio parvulo in locum accederet. Epulante au- ı post acta solemnia, obdormivit infans. Dum hæc agerentur **762**, ecce sonus subito factus edentis pelagi. Dehinc oblita mulier sobolis cœpit velociter cum reliquo populo petere rilgitur insequenti maris accessu postquam ad venerat, meminit se filium reliquisse. Tunc fletu magno dejecta terris, miseram se clamilittora vocibus replebat, atque discurrebat per ıum riparum, si forte enecatam prolem ejeue littori aliquis conspicasset. Sed cum nihil ret indicii, tandem consolata a propinquis, opria reducitur, totum annum in luctu ac tatione deducens. Recurrente autem anni cirvenit iterum ad spectandam [d] martyris soatem, fortassis de infantulo si aliqua invenire indicia. Quid plura? Recedente mari, anticiınes ad ingrediendum, et ipsa prima præcetumulum. Cumque prostrata solo orationem set, erecta sursum, genis ubertim fletuum ous madefactis, dum divertit in parte altera ı, aspicit filium in eodem locò, ubi eum entem reliquerat, in ipso adhuc sopore teneri. ans autem eum esse defunctum, accedit us, quasi collectura cadaver exanime : sed A cum eum dormire cognovisset, excitatum velociter, exspectantibus populis, incolumem levavit in ulnis ; interrogansque inter oscula, ubi per anni fuisset spatium. Nescire se ait, si annus integer præteriisset, tantum dormiisse se suavi sopore in unius noctis spatio æstimabat.

CAPUT XXXVII.

De aqua fontis ejus virtute reducta.

Fons [e] erat irriguus ruri cuidam, infra territorium urbis Lemovicinæ, cujus unda tam hortorum sata quam agrorum culta vel fovebat accessu, vel impetu fecundabat. Deducebatur etiam factis decursibus per loca necessaria, ut ubi eum natura B non **763** dabat, studium provocaret. Et erat tam dulcibus vena exuberante fluentis, ut gaudere cerneres olus sive virgultum, si fuisset ab eodem irrigatum. Opitulabatur etiam in eo gratia Majestatis divinæ, ut in quo fuisset fluentum emissum, velociter germina acciperent incrementum. Cumque eum incolæ loci, quasi ludum agentes, per singula quæque loca deducerent, insidiatoris, ut credo, invidia, sub terra dehiscens, ac velut in stadiis duodecim in medium paludis, ubi nullum prorsus posset opus efficere, fluctibus sparsis exoritur. Extemplo omnium mentes timor obsedit, et novum quemdam advenire regioni loci incolæ præstolantur interitum, simulque et beneficium quod habere consueverant, jugi fletu deplorant. Curriculum igitur unius atque alterius C anni in hac ariditate pertransiit. Arescunt siti loci illius omnia, quæ irrigare consueverat. Tertio quoque anno accidit ut quidam iter agens beati Clementis martyris, cujus jam supra meminimus, reliquias exhiberet, quas Aridio [f] ipsius urbis presbytero, viro in omni sanctitate religioso, detulit. Ad quem cum die noctuque vicini mœsti tenderent [g], confisi de ejus oratione, quod si peteret Dominum, fontem posset suo restituere loco, ait : Eamus, inquit dilectissimi, et si vera sunt quæ portitor noster asseruit hæc esse Clementis martyris pignora, nunc apparebit cum ejus fuerit virtus manifestata. Tunc cum psallentio ad locum fontis accedit. Et dictis psalmis, in oratione prosternitur ; positisque sanctis reliquiis in ipso fontis aditu, petiit ut qui quondam in deserto damnatis ad secanda D marmora flumen irriguum patefecit, in hunc locum aquas, quas prius pia indulserat clementia, Clementis iterum intercessio revocaret. Illico vena re-

hoc plura in Historiæ libris passim.

c caput et duo seqq. desunt in Colb. tut. vero cum quinque seqq. in Clar. b. Porro is titulum Rufinus sancto Clementi tribuit, ac ps omnes vulgo auctores. Ejus vero Acta, uic Gregorius laudat, ante sæculum vi nota nullo antiquitatis monumento evinci potest. ia tamen postmodum in Gallia fuisse non ex io solum, sed etiam ex Missali Gothico patet, ırum epitome refertur. Vide Tillemontii no- 2 in Vitam sancti Clementis, tomo II Hist.

c miraculum sæculo IX, apud Chersonesum ignotum fuisse narrat auctor Vitæ sancti Constantini seu Cyrilli, die IX Martii Bollandiani. Ejus tamen sancti Pontificis sacrum corpus tunc ibi repertum est, atque Romam allatum, ut fuse idem auctor describit, quem consule.

[d] Mss. plerique, *ad exspectandam*, ex modo pronuntiationis, ut inferius legitur, *exspectantibus*, pro *spectantibus*, et sic passim.

[e] Mss. duo : *Mons erat.*

[f] Is est sanctus Aridius de quo agit Gregorius passim, cujus Vitam infra dabimus.

[g] Mss., ut plurimum, *vicina mœsta penderent.*

cufrit ad aditum magnas evomens aquas, illumque, quem prius tenuerat, alveum decurrendo replevit, admirantibus populis, immensæ gratiæ Domino referuntur, qui et **764** martyris virtutem prodidit, et fidelis sui orationem implere dignatus est.

CAPUT XXXVIII.

De Chrysantho martyre.

Chrysanthus [a] martyr, ut historia passionis declarat [b], post acceptam martyrii coronam cum Daria virgine, multa populis sanitatum beneficia tribuebat (*An.* 257, *vel* 283, 25 *Octob.*) Et ob hoc etiam crypta super eos miro opere fabricata est, quæ, in arcuum modo transvoluta, firmissima stabilitate subsistit. Denique cum ad ejus festa populorum frequentatio confluxisset, iniquissimus imperator erectum in illius cryptæ introitu parietem, conclusa multitudine, jussit ædem arena ac lapidibus operiri, factusque est desuper mons magnus, idque gestum certissime ipsius manifestant scripta certaminis. Quæ crypta diu sub hoc velamento permansit operta, donec urbs Romana, relictis idolis, Christo Domino subderetur. Jam procedente tempore nulli erat cognitus locus ipsius sepulturæ, donec, Domino Jesu revelante, patefactus est : cujus parte in una loci, interposito pariete, sepulcra martyrum Chrysanthi et Dariæ segregata; parte in alia [c] sanctorum reliquorum cadavera in unum sunt congregata. Verumtamen pariete illo qui est in medio positus, fenestram structor patefactam reliquit, ut ad contemplanda sanctorum corpora aditus aspiciendi patesceret. Ferunt etiam quod eo tempore quo ad sancta solemnia accedentes inclusi sunt, urceos argenteos ex metallo formatos cum vino quod ad oblationem sacrificii divini offertur secum homines detulissent, argentumque ibi remansisse manifestum est, idque hodie a conspicientibus cerni. Sed quia jugiter mens humana turpibus erubescendisque cupiditatibus inhiat, subdiaconus quidam, viso per fenestram argento, cogitat intra se quod postero **765** die avaritia [d] impellente complevit. Nocte enim consurgens, sus est basilicam Sanctorum, deinde per fe ingrediens cellulam, ac per obscuritatem noc pans manibus, aliquos de urceis capit : deind cum præda cupiens, per totam noctem circ nunquam potuit aditum unde ingressus fuer rire. Dato vero die, dum opera sua obtegi c sceleris voluit, juxta illud dominici oraculi quod *Omnis qui male agit odit lucem, ut no festentur opera ejus* (*Joan.* III, 30), occultav angulo cellulæ tota die ne videretur. Sequen nocte quæsivit iterum aditum, sed reperire tuit. Sic per trium noctium curricula fecit. vero die cum jam fame cruciaretur, accessit populo ad fenestram, et relicto argento confe opus suum, egressusque est foras cum magn cundia, nec latuit scelus quod gesserat pop aderant. Post multum vero temporis, cog hoc factum Damasus antistes sanctæ sedis licæ, jussit diligentius operiri fenestram, versibus decoravit locum [e]. Et ibi benedici minus noster Jesus Christus, ad laudem nom usque in hodiernum diem.

CAPUT XXXIX.

De Pancratio martyre.

Est [f] etiam haud procul ab hujus urbis n Pancratius [g] martyr, valde in perjuris ultc 304, 12 *Maii*). Ad cujus sepulcrum [h], si cuj mens insana juramentum inane proferre v prius quam sepulcrum ejus adeat, **766** hoc tequam usque ad cancellos qui sub arcu ha ubi clericorum psallentium stare mos est, statim aut arripitur a dæmone, aut cadens i mento amittit [*Bal.* emittit] spiritum. Ex h quisque fidem cujuscunque rei ab alio volu cere, ut verum cognoscat, non aliter nisi a basilicam destinat. Nam ferunt plerosque ju silicas apostolorum sive aliorum martyrum c nentes, non alibi pro hac necessitate nisi te

[a] In Clar. b. hoc caput deest cum duobus sequentibus. Deinceps vero in Clar. a pleraque desunt, quædam alio ordine quam in cæteris scriptis et Editis posita, intermixtis etiam quandoque aliquot capitulis ex libro de Gloria Confessorum.

[b] Acta sanctorum Chrysanthi et Dariæ, quæ hodie habentur, et videntur hic a Gregorio laudari, nullius sunt ponderis. Et quidem sibi ipsis contradicunt quod hos martyres sub Numeriano passos volunt, id est an. 283, quorum tamen Acta jubente Stephano papa, qui obiit an. 257, conscripta fuisse referunt. Eorum memoria celebris est apud Græcos die 19 Martii, et apud Latinos variis diebus. Laudantur a sancto Adhelelmo in lib. de Laudibus Virginit., sancto Damaso, Missali Gelasiano, Floro, etc. Vide, infra, cap. 83. Coluntur die 25 Octobris.

[c] Editi, *segregata parte, in alia*, etc.; al., *segregate.*

[d] Mss. fere omnes, *quod postea avaritia.... implevit.*

[e] Hos versus, quod ipsos Baronius in Annalibus non retulerit, ex Sarasanii Romana editione dabimus in appendice hujus voluminis.

[f] Deest hoc caput in Colb. tut. Clar. a, *ab hujus muro.*

[g] Mss. 2, *Pancratus.* Colb. a, semel hic, e pitum indiculo *Prancatius*, quæ scribendi hu minis varietas in aliis veteribus monumen currit.

[h] Hac in basilica homiliam 27 in Joannem Gregorius Magnus ad ipsius martyris *tumbam* dem a presbyteris neglectam monachis attri luit idem sanctus pontifex lib. III epist. 18, rum abbatem, qui et de eodem sancto variis locis egit. Hanc ipsam vero basilicam ab papa restauratam fuisse observat Anastasi inscriptionem hac occasione positam ex no billon. proferemus ad calcem hujus volumi ejusdem sancti reliquiis infra, cap. 83, mona Solemniacense, apud Lemovices, in honore Pancratii et aliorum sanctorum constructu docet nos ipsius sancti Eligii Charta, qua ad calcem Act. sanctorum ord. Benedictini, II, pag. 1091. Alterius ecclesiæ eidem et alii tyribus dicatæ apud Santonas meminit G Magnus lib. v epist. 50. Sed plura de his vi Bollandianos, die 12 Maii.

expetere beati Pancratii, ut ejus severitatis censura publice discernente, aut veritatem audientes credant, aut pro fallacia judicium martyris beati experiantur.

CAPUT XL.

De Joanne episcopo et martyre.

Multi quidem sunt martyres apud urbem Romam, quorum historiæ passionum nobis integræ non sunt delatæ. De Joanne tamen episcopo, quoniam agon ejus ad nos usque non accessit scriptus[a], quæ a fidelibus comperi, tacere nequivi. Hic cum ad episcopatum venisset, summo studio hæreticos exsecrans, ecclesias eorum in catholicas dedicavit (*An.* 526, 27 *Maii*). Quod cum Theodericus rex comperisset, furore succensus, quia esset sectæ Arianæ deditus, jussit gladiatores per Italiam dirigi, qui universum quotquot invenisset catholicum populum jugularent. Hæc audiens beatus Joannes, ad regem ne hæc fierent deprecaturus accessit. A quo cum dolo susceptus alligavit eum, et posuit in carcerem, dicens: Ego te faciam, ne audeas contra **767** sectam nostram amplius mussitare. Positus vero sanctus Dei in carcere, tantis attritus est injuriis, ut non post multum tempus spiritum exhalaret; obiitque in carcere cum gloria apud urbem Ravennam. Domini autem misericordia statim ultionem super regem improbum irrogavit; nam subito a Deo percussus, plagis magnis exinanitus interiit[b], suscepitque protinus perpetuum gehennæ flammantis incendium.

CAPUT XLI.

De virtute fidei et nominis Christiani.

Magna[c] est enim dignitas nominis Christiani, si illa quæ confiteris fide, opere prosequaris. Nam sicut ait apostolus: *Fides sine operibus mortua est in semetipsa* (*Jac.* II, 17, 20 26). Sicut enim filios Abraham non carnalis nativitas, sed fides facit; ita et Christianos veros, non solum nominis gratia, sed opera præstant. Per hoc enim nomen illuminantur tenebræ, serpentes fugiunt, idola prosternuntur, cessat ariolus, tabescit sortilegus, cultores dæmonum propelluntur, sicut Prudentius noster in libro contra Judæos[d] meminit: quod procedens imperator (Diocletianus) ad immolationem fetidam dæmoniorum, adoratis diis, atque coram sigillis [*id est*, idolis] prostratus, exspectabat [*id est*, spectabat] sacerdotes simulacrorum mactantes turbas pecudum, quarum frons revincta lauro securibus cædebatur. Cumque senex cruentis manibus internorum tractaret viscerum partes, jocinoris[e] fibras, atque inter præcordia et exta animalium investigare aliquid tentaret divinum, turbata omnia cernit, nec ea quæ cupiebat scire poterat certus agnoscere. Exclamavit turbatus, et ait: Heu! heu! nescio quid hic agitur, quod diis nostris contrarium esse putatur. Video enim deos nostros a longe discedere, nec de præparatis sacrificiis aliqua prælibare. Et hic, ut res ipsa docet, de officiis quorumpiam deorum, qui nobis adversari sunt soliti. **768** Et mirum, si ad hanc fugam non aliqui de cultoribus Dei Christi, quem crucifixum asserunt, deos nostros impellant. Thuribula thymiamatis refrigescunt, aræ tepescit ignis[f], et ipsum quoque ferrum injectum victimis hebetari conspicitur. Require nunc, sacratissime Auguste, quis astet, qui ablutus balsamo unctus, et abscedat protinus, ut accedant dii quos invocamus. Et hæc dicens, ac si ipsum cerneret de his Christum ultorem, procidens ad terram exanimis, offensa proclamat numina. Tunc et ipse imperator, deposito diademate, ait: Quis est hic numinibus nostris contrarius, ac religionis Christianæ socius, qui frontem chrismatis inscriptione signatam ferat, lignumque crucis adoret? ne moretur edicere. Tunc unus de armigeris Augusti in medio positus, projecit arma solo, et ait: Ego sum, cujus Deus Christus est, et qui ejus baptismo ablutus, et cruce redemptus sum; qui semper ejus nomen invocabam, dum sacerdotes vestri dæmonis hæc quæ sunt apposita consecrarent. Ejus nomen fugiunt dii vestri, nec possunt in loco illo stare, ubi tantæ majestatis nomen fuerit invocatum. Hæc dicente puero, obstupefactus imperator et tremens, reliquit templum dæmoniorum[g], tantusque omnes astantes Dei timor accendit, ut nullus Augustum ad palatium sequeretur, sed cuncti, erectis ad cœlum palmis et oculis, Dominum Christum uno ore unoque consensu laudabant, atque ut eisdem adjutor existeret, voce supplici invocabant. Quæ[h] relatio, ne cui fortassis videatur incredula, paucos ex his subjiciam versus:

Principibus tamen e cunctis non defuit unus,
Quem puero[i] memini, ductor fortissimus armis,
Conditor et legum celeberrimus, ore manuque
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ

[a] Plura de sancto Joanne habent vulgati auctores. Cæteris præferendus est anonymus scriptor Historiæ Cæsareæ a Constantii Chlori principatu usque ad Theodorici Magni regis mortem, editus ab Henrico Valesio post Ammiani Marcellini libros. Ex hoc auctore patet Joannem post Justini imp. edictum de pellendis hæreticis, a Theodorico Ravennam accersitum, indeque Constantinopolim transmissum fuisse, ut imperatorem ab exsequendo edicto averteret; sed imperatore in suo proposito perseverante, pontificem ex itinere reversum in carcerem regis jussu detrusum fuisse, ibique ærumnis confectum animam egisse. Vide Bollandianos, ad diem 27 Maii.

[b] Eum fluxu ventris, quem triduo pertulit, obiisse tradit anonymus supra laudatus. Quidam eremita insulæ Liparitanæ testatus est eumdem in Vulcani ollam a Joanne papa et Symmacho patricio, quos occiderat, fuisse projectum, apud Gregorium Magnum lib. IV Dialog. cap. 30.

[c] Deest hoc caput in Clar. a. In aliis scriptis hunc habet titulum: *De Christiano qui coram pagano immolante stetit.*

[d] Dicitur vulgo Apotheosis, ex quo versus sequentes descripti sunt a 419 ad 502, aliquot omissis.

[e] Cod. Laud., *Lacinoris*. Colb. a, *viscerum fibras atque inter exta.*

[f] Cod. Laud., *ara tabescit.*

[g] Colb. a, *templum idolorum.*

[h] Quæ sequuntur ad finem capitis omittuntur in cod. Clar. b.

[i] In Colb. b. supra *puero* additur *me*, et quidem Prudentius habet: *Me puero ut memini.*

Relligionis, amans ter centum millia divum
769 Augustum caput ante pedes curvare Minervæ,
Ficilis et soleas Junonis lambere, plantis [a]
Herculis advolvi, genua incerare [b] Dianæ.
Forte litans Achaten [c] placabat sanguine multo,
Vittatus de more senex, manibusque cruentis
Tractabat trepidas letali frigore fibras,
Postremosque animi pulsus in corde tepenti,
Callidus interprès, numeris et fine notabat;
Cum subito exclamat media inter sacra sacerdos
Pallidus: En quid ago? majus, rex optime, majus
Numen nescio quod nostris intervenit aris:
Accitas [d] video longe dispergier umbras.
Nescio quis certe subrepsit Christicolarum
Hic juvenum: genus hoc hominum tremit infula et [omne
Pulvinar divum: lotus procul absit et unctus,
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, et exsanguis collabitur, ac velut ipsum
Cerneret exserto minitantem fulmine Christum.
Ipse quoque exanimis, posito diademate, princeps
Pallet, et astantes circumspicit [e], ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo [f],
Qui Loroastræos turbasset fronte susurros?
Armiger e cuneo puerorum flavicomantum [g],
Purpurei custos lateris deprenditur unus,
Nec negat, et gemino gemmata hastilia ferro
Projicit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosiluit pavidus, dejecto arbistite, princeps,
Marmoreum fugiens, nullo comitante, sacellum;
Dum [*Prud. ed.*, Tum] tremefacta cohors, dominique [oblita, supinas
770 Erigit ad cœlum facies, atque invocat Iesum.

Hos tantum versiculos ad hæc quæ narravi confirmanda [h], inserui lectioni, ostendens quid nomen Christianum, quid crucis vexillum prosit his qui fide credentes, opere perficiunt quæ crediderunt, sicut superius dictum est.

CAPUT XLII.

De templo beati Laurentii.

Templum [i] erat in quodam loco beati Laurentii, A et reliquiis et nomine consecratum, quod per incuriam longinqui temporis valde detectum erat (*An.* 358, 10 *Aug.*) Quod cum renovare loci incolæ vellent, silvas adeunt, incisa levigataque ligna, trabes efficiunt, impositasque plaustris ad locum exhibent. Quibus per humum ad ordiendum extensis, una brèvior est reperta: statimque sacerdotis animum qui ad hæc insistebat dolor maximus attigit, et flens valde, quid ageret, quo se verteret, ignorabat. Tunc intuens roborem breviorem, ait: O Laurenti beatissime, appositus igni glorifica te, semper pauperes fovens ac reficiens: cogita paupertatem meam, quia non est exiguitati nostræ facultas, qualiter hic alia exhibeatur. Illico, cunctis attonitis, trabs crevit in tanto spatio longitudinis, ut necesse esset partem B magnam incidi. De qua, industria plebis, beneficia perdere nefas putans, credens eam manu Martyris tactam ac prolongatam, partem quæ superfuerat frustatim decerpens, diversas infirmitates sæpe submovit. Quod Fortunatus presbyter his versibus prosecutus est:

Laurenti merito flammis vitalibus uste,
771 Qui fervente fide victor ab igne redis,
Dum tibi templa novant breviori robore plebes,
Creveruntque trabes, crevit et alma fides.
Stipite contracto tua se mercede tetendit,
Quantum parva prius, postea cæsa fuit;
Crescere plus meruit succisa securibus arbor;
Et didicit sicca longior esse coma,
Unde recisa fuit. Populis fert inde salutem;
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet.

Multo plures exinde scripsit versiculos [j], quos ego C prætermisi, hos tantum pro testimonio veri [*Al.* viri] scribens. Acta sunt autem hæc apud Brionas [k] Italiæ

[a] Colb. a, *plantas*. Quæ sequuntur ad finem c plis non habentur in cod. Bellov.; vox tamen *plantis* refertur ad versum sequentem. Soleæ sunt sandaliorum genus, de quibus in Actis sanctorum Fructuosi et aliorum, et in Vita sancti Fulgentii num. 18.

[b] Alii, *incurvare*. Nostra lectio melior est, ut monet Heinsius. Eadem voce utitur Prudentius in Hamartigeniis; et Juvenal. Satyra 10, *genua incerare deorum*.

[c] Lege *Hecaten*. Hæc est Diana, quæ in cœlis Luna, in infernis Proserpina dicebatur. Hecaten dictam putant, quod centum victimis placaretur, cui rei alludere videtur Prudentius. Infra dicitur *Persephone*.

[d] Aliquot Ed. Prudentii, *Ascitas video*. Melior lectio, ut monet Heinsius, esset *eccitas*, pro *excitas*, quæ vox apud veteres maxime erat in usu ad res magicas exprimendas. Ammian. Marcell., *infernis manibus excitis*, etc.

[e] Heinsius, *circum inspicit*.

[f] Mss. 3, cum Prudentio Heinsii, habent, *signaril... ligno*.

[g] Hinc Heinsius infert hunc armigerum e prætorianis militibus Germanis, aut aliis Septentrionalibus populis fuisse, quod illi solerent habere flavos capillos, et quidem promissos.

[h] Eadem ferme quæ hic Gregorius ex Prudentio narrat, habet Lactantius lib. IV Institutionum, et in aureo libello de Mortibus Persecutorum, cap. 10, ubi hæc Diocletiano imp. contigisse scribit. Quæ prima fuit persequendorum Christianorum occasio, cum antea Diocletianus optimo semper animo erga Christianos fuisset, ut fusius narrat Eusebius lib. VIII Hist. eccles. In Chronico autem persecutionem contra milites in Oriente a Veturio inchoatam anno 302 consignat. — Paulus Baudri Calvinianus, vir eruditus, qui Lactantii libellum de Mortibus persecutorum cum variorum notis edidit, suisque observationibus illustravit, occasione juvenis Christiani qui signo crucis edito sacrificia deorum perturbavit, fatetur consuevisse Christianos jam a primis Ecclesiæ sæculis Christi signaculo sese munire, profertque Tertulliani ea de re insignem locum ex lib. de Corona militis cap. 3, ubi legitur: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus*, etc. Paulo inferius laudat Theodoriti Hist. locum ex lib. III cap. 3, ubi Julianus Apostata dæmones crucis signo fugasse dicitur, aliaque ejusmodi exempla apud veteres passim haberi innuit. Sed cum exinde Catholicorum religionem in servandis primævæ Ecclesiæ moribus laudare D bulisset, rem alio vertit, contenditque sectam suam, quæ hunc morem abjecit, improbari non posse, quod iste signandi sese ritus nusquam in Scripturis compareat. Quasi vero liceat improbare quæ ab apostolis aut eorum discipulis accepta posteris Ecclesia commendavit.

[i] Deest hoc caput in Colb. tut. In Clar. b vero desideratur simul cum quatuor sequentibus.

[j] Est carmen 14 libri IX, quod viginti duos complectitur versus.

[k] *Regionem Brionum* in qua sanguis pluit memorat Paulus Diac. lib. IV Hist. Langob. cap. 4. De ead m lib. II cap. 13, sicut et Fortunatus in epistola ad Lo-strum Gregorium. *Breones* in comitatu Tirolensi nonnulli locant, de quibus auctor Vitæ sancti Corbiniani. *Brios prope Vercellas* habet Ortelius, ubi, ut ait, Carolus Calvus imp. interiit. At Carolus apud *Brios* quidem animam egit, sed jam Alpes ipsumque montem Cinisium, Roma in Gallias rediens, superaverat.

castrum. Nam vidi ego hominem, qui, graviter dentium dolore laborans, accepta de hoc ligno a sacerdote particula, statim ut dentem attigit, dolore protinus caruit. Sed nec illud silendum putavi, quod reliquiæ ejus ab incendio hostilitatis ereptæ, a quodam homine in Lemovicinum delatæ sunt. Qui cum sæpius admoneretur per visum, ut easdem Aredio abbati deferret, nec jussionem impleret, ipse cum conjuge et omni familia ægrotare cœpit. Tunc necessitate compulsus, ut eas viro sancto detulit, mox sanitati restitutus abscessit.

CAPUT XLIII.

De Cassiano martyre.

Cassianus [a] martyr Italiæ, puerorum magnificus doctor, adveniente persecutione, ipsi puerili ac tenero gregi persecutorum judicio traditur (*An.* ... 13 *Aug.*). At illi magistri sanguinem sitientes, ceratas in [b] caput illidunt tabellas, secantes latitudinibus stylorum, punctisque minutis transverberantes **772** membra magistri, dignum Deo martyrem effecerunt: in cujus honore hodieque tantus timor habetur, ut nullus penitus de ejus rebus aliquid sit ausus attingere. Quod si fecerit, aut arripitur dæmonio, aut morte repentina consumitur, non tamen immunis ab ultione recedit.

CAPUT XLIV.

De Agricola et Vitali martyribus.

Agricola [c] et Vitalis apud Bononiam Italiæ urbem pro Christi nomine crucifixi sunt (*An. circ.* 303, 4 *aut* 29 *Nov.*) : quorum sepulcra, ut per relationem fidelium cognovimus, quia nondum ad nos historia passionis advenit, super terram sunt collocata. Quæ cum a multis, ut fit, vel tangerentur manu, vel ore oscularentur, admonitus est ædituus templi ut immundi ab his arcerentur. Quidam audax atque facinorosus opertorium unius tumuli removit, ut scilicet aliquid de sacris auferret cineribus : missoque introrsum capite, oppressus ab eo, vix ab aliis liberatus, confusus abscessit : nec accipere meruit quod temerario ausu præsumpsit; sed cum majori deinceps reverentia sanctorum adivit sepulcra. Alius quoque tributa publica deferens, sacculum pecuniæ dum iter ageret, negligenter amisit. Appropinquans autem civitati, recognoscit se amisisse sacculum publicum quod ferebat. Tunc prostratus coram sepulcris Beatorum, cum lacrymis deprecatur ut perditum eorum virtute reciperet, ne ipse conjuxque ac liberi, ob id captivitati subigerentur. Egressus autem foris in atrium, virum qui hanc pecuniam in via jacentem repererat nactus est : scrutatusque diligenter **773** illius horæ tempore hic sacculum invenisse se dixit quo iste martyrum auxilium flagitavit. Horum reliquias Namacius [d], Arvernorum episcopus, devote expetiit, ut scilicet eas in ecclesia quam ipse construxerat collocaret : direxitque unum illuc presbyterum, qui, abiens cum Dei gratia, quæ petierat detulit. Regressusque cum sociis, in quinto ab Arverna urbe milliario revertentes, metatum accipiunt, et ad episcopum missos dirigunt, ut eis quid agant jubeat ordinare. Mane autem facto, sacerdos admonitis civibus, cum crucibus et cereis ad occursum sanctarum reliquiarum devotissimus properat. Cumque ei presbyter offerret ut beatas reliquias aspiceret, si juberet. Et ille : Mihi, inquit, magis est hæc credere quam videre; sic enim in Scripturis legimus sanctis, quia ipse Dominus beatos illos judicat, qui in eum cum non viderint credidissent (*Joan.* xx, 29). Hac itaque sacerdotis fide pollente, Dominus sanctos suos glorificat in virtute. Nam venientibus illis, subito contenebratum est cœlum : et ecce imber umbrosus atque teterrimus super eos descendit : et tanta pluvia ibidem est diffusa, ut flumina per vias illas currere cernerentur. Verumtamen circa sancta pignora per unum valde jugerum neque una gutta visa est cecidisse. Et abeuntibus illis, pluvia eos a longe, quasi præbens obsequium, sequebatur, populum fovens, gestatores autem pignorum non attingens. Hæc videns pontifex, magnificavit Dominum, qui, fidei suæ sic favens, talia ad Sanctorum gloriam operari dignatus est. Congregatis vero civibus cum magno gaudio atque devotione, sanctam ecclesiam his illustratam pignoribus dedicavit.

CAPUT XLV.

De sancto Victore martyre.

774 Magnificatur etiam apud Mediolanensium urbem Victor [e] inclytus martyr, quod sæpius vinctos ab ergastulis dissolvat, captivosque liberos abire permittat (*An.* 303, 8 *Maii*). Igitur quodam tempore

[a] Ejus martyrium describit Prudentius in libro Περὶ στεφάνων, hymno 9. Passus est Imolæ, quæ urbs alias *Forum Cornelii* seu *Syllæ* appellatur, in Romandiola, sub ditione pontificia et Ravennate metropoli. Ejus sacrum corpus in ecclesia cathedrali, quæ ab eo sancti Cassiani dicitur, asservatur sub majore altari. Ipsius festum agitur die 13 Augusti, sed incertum est quo anno, vel sub qua persecutione passus fuerit. Ejus martyrii historiæ compendium exhibet Beda in Martyrologio sincero.

[b] In Colb. a et Clar. a deest *in*. Nam hic, sicut et alias sæpe, quartus casus pro sexto adhibetur. Unde Colb. tut. habet, *ceratis caput inlidunt tabellis*.

[c] Istud caput et duo sequentia desunt in Colb. tut. Horum martyrum passionem descripsit sanctus Ambrosius initio libri de Exhortatione virginitatis, quorum sacra corpora sub altari deposuerat, ut narrat Paulinus in ipsius Vita. Eosdem laudant sanctus Paulinus poemate 24, et alii. Jovinus præfectus militiæ in Galliis, tum consul, haud multo post eorum martyrium Remis basilicam insignem sub sancti Agricolæ nomine construxit, in qua et ipse sepultus est. Hodieque subsistit sancto Nicasio sacra, quam incolunt monachi Benedictini e cong. sancti Mauri.

[d] De sancto Namacio et ecclesia ab eo ædificata Gregorius lib. II Hist. cap. 16, quod vide. Hæc ecclesia, cathedralis scilicet, primo sanctorum Vitalis et Agricolæ dicta est, tum sancti Laurentii, ac denique sanctæ Mariæ, quod nomen hodieque retinet. Vide Cointium, ad an. 534, num. 4. Est tamen altera item apud Clarummontem sancti Laurentii ecclesia. Adi Savaron., in lib. de Ecclesiis Clarom. cap. 1 et 3.

[e] Hunc martyrem laudat Ambrosius inter speciales Mediolani patronos, libro VII in Lucam. Narrat

Apollinaris cum Victorio duce [a] Italiam petiit, quem aiunt apud urbem Romam interfectum [b]. Apollinarem incolæ loci quasi captivum retinebant, dicentes : Non videbis patriam tuam, sed dignas ut satelles tuus pœnas exsolves. Hæc autem comminati, miserunt eum in exsilium apud urbem Mediolanensem. Factum est autem ut adveniente festivitate sancti Victoris, convenientibus populis, et hic vigiliis interesset, sub libera enim custodia absolutus attendebatur, prostratusque coram sacro sepulcro sancti Victoris, cum semper, tum impensius orare cœpit, ut eum virtus Martyris ab hoc exsilio liberaret. Circa medium vero noctis, egressus ab æde, audivit unum de egenis loquentem ad alium, atque dicentem : Quid putas, o compauper, quæ virtus sit hujus Martyris ? Verum dico, nec fallor, quia in hac nocte quisquis captivus domino per fugam dilabitur, absolutus in patriam accedit, nec prorsus ultra reperitur. Hæc Apollinaris verba, quasi auspicium ex Dei nutu missum accipiens, iterum atque iterum provolutus ad tumulum Martyris, orat ut, virtute ejus adjutus, absque impedimento possit abscedere. Moxque vocato puero, equum sterni præcepit dicens : Hodie absolvendi sumus a vinculo isto custodiæ. Et ascendentes ita Alpium juga congeriorum [c] oppleta multitudine pertransierunt, atque Arvernum perlati **775** sunt, virtute beati Martyris præeunte, ut a nullo interrogarentur quo tenderent, vel unde venirent : manifestumque est eos præsidio beati Martyris ab hac ærumna fuisse salvatos.

CAPUT XLVI.

De calice crystallino restaurato.

Est enim [d] apud eamdem urbem basilica sancti Laurentii levitæ, cujus supra meminimus, ibique admirabili pulchritudine calix crystallinus [e] habebatur. Acta vero quadam solemnitate, dum per diaconum ad sanctum altare offerretur, elapsus manu in terram ruit, et in frusta comminutus est. At diaconus pallidus et exsanguis, collecta diligenter fragmenta vasculi super altare posuit, non diffisus quod eum possit virtus Martyris solidare. Denique in vigiliis, lacrymis, atque oratione deducta nocte, requisitum calicem reperit super altare solidatum. Quæ virtus cum populis nuntiata fuisset, tanta animos d votione succendit, ut a sacerdote peterent nova in honorem ejus Dei solemnia celebrari. Tunc pontifex loci, suspenso super altare calice, ex tunc agens, et in posterum per singulos annos devotissime festa instituit celebrari.

CAPUT XLVII.

De sanctis Gervasio et Protasio, Nazario et Celso.

In hac enim [f] urbe beatorum martyrum Gervasii Protasiique victricia **776** corpora retinentur (*An. circ.* 66, 19 *Jun.*), quæ diu, sicut ipsa passionis narrat historia [g], sub fossa latuerunt, quæ beato Ambrosio revelata (*An.* 386), atque ab eodem reperta, in basilicam quam ipse proprio ædificavit studio ostensis miraculis sunt sepulta. De quorum reliquiis [h] quia maxime Turonica urbs seniores ecclesias continet illustratas, sed et per totum Gallicarum ambitum, Deo propitio, dilatatæ sunt. Sermo quadam vice de his quibusdam religiosis est habitus, vel qua de causa antedictæ reliquiæ tam condense fuerint per loca singula distributæ. Et quæ super his, quodam referente, audivi, absurdum non putavi inserere lectioni, quia non continentur in historia pas-

Ennodius, Ticinensis sæculo VI episcopus, epist. 24 lib. VIII, se ipsum in extremis agentem oleo B. Victoris perunctum sanitatem miraculo recuperasse, quod in Eucharistico repetit. Ejus martyrii Acta habentur, sed quæ nulla pollent auctoritate. Mediolani in ecclesia *sancti Victoris, Ad corpus* dicta, requiescit, in qua Benedictinis monachis Olivetani substituti sunt an. 1507. Anno autem 1576 ejusdem sancti corpus e veteri in novam ecclesiam transtulit sanctus Carolus Borromæus. Qua de re videsis Puricellum in Monumentis Ambrosianis, et Bolland. ad diem 8 Maii.

[a] Apollinaris sancti Apollinaris Sidonii filius fuit, de quo Gregorius lib. II Hist. cap. 37, et lib. III cap. 2. De Victorio autem lib. II, cap. 20 et 21.

[b] Edai et aliquot scripti, *quo, ut aiunt... interfecto.*

[c] Sic Clar. a. At Mart. et Laud., *juga, neque aliorum congeriorum*, etc. Colb. a et Mor., *neque alium.* Rom., *neque alium congeriosum.* Clict., *atque alium congerium montem oppleta.* Bad., *juga oppleta.*

[d] Hoc caput et quatuor seqq. desunt in Clar. a; supra autem, cap. 42, actum est de basilica sancti Laurentii, sed apud Brionas. Unde conjicio verba *cujus supra*, etc., revocanda esse ad ipsum sanctum Laurentium.

[e] Sanctus Hieronymus in epist. ad Rusticum laudans sanctum Exsuperium, qui omnia pauperibus erogaverat, ait : *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

[f] Sic etiam incipit in Colb. Aut., licet omissis capitibus tribus, in eo quod ibi præcedit non agatur de Mediolano. Ita etiam Clar. b, in quo tamen aliquis recentior detrita priori lectione reposuit, *In Mediolanensi.* Editi, *In hac etiam.*

[g] Historiam passionis sanctorum Gervasii et Protasii nullam novimus præter epistolam sub sancti Ambrosii nomine ad Italiæ episcopos, *Ambrosius servus servorum*, etc., sed quæ supposititia est, ideoque a nostris, cum antea, numero 53, recenseretur, in appendicem rejecta. Eorum vero inventionis a se factæ, et translationis historiam ipsemet sanctus Ambrosius narravit epist. 54 ad Marcellinam sororem suam, quæ in nova editione est 22. Videndi quoque ea de re Paulinus in Vita sancti Ambrosii, sanctus Augustinus, lib. XXII de Civitate Dei cap. 28, et lib. IX Confess. cap. 7. De eorumdem reliquiis per universum ferme orbem transmissis, et de diversis miraculis quæ per eas contigere, præter eosdem auctores, scripsere sanctus Paulinus Nolæ episc. epist. 12, sanctus Gaudentius, et alii. Passi creduntur sub Neronis persecutione; at detecti sunt anno 386, cum Mediolani ferveret Justinæ Augustæ et Arianorum adversus sanctum Ambrosium persecutio, die 17 Junii : die vero 19 sub majore altari basilicæ Ambrosianæ depositi fuerunt.

[h] Videtur hic locus librariorum errore corruptus, quem tamen ope Mss. sanare non licuit. Indicare forsitan vult principales Turonensis urbis ecclesias sanctorum Gervasii et Protasii reliquiis fuisse illustratas, quo nomine designaret dubio procul ecclesiam cathedralem et sancti Martini basilicam. Nam vix usquam invenies *senioris ecclesiæ* nomine alias a cathedralibus apud Gregorium donatas fuisse. Paulo inferius Editi et omnes fere Scripti, excepto Colbertino tut., habent, *reliquiæ tam condensatæ fuerint, per loca*, etc.

sionis. Aiebat enim quod quando hæc gloriosa corpora translata in ecclesiam illam fuerunt, dum in honorem ipsorum martyrum missarum solemnia celebrarentur, cecidisse e camera [*Id est*, fornice] tabulam unam, quæ illisa capitibus Martyrum rivum sanguinis elicuerit. De quo infecta linteamina, vel pallulæ, sive vela ecclesiastica, beatus cruor collectus est: qui usque adeo confluxisse fertur, quoadusque linteamina, qui susciperent, sunt reperta. Ex hoc enim eorum reliquiæ affatim collectæ per universam Italiam vel Gallias sunt delatæ. Ex quibus et sanctus Martinus multa suscepit, sicut Paulini beatissimi narrat epistola [a].

De [b] sancti vero Nazarii ac Celsi pueri artubus, quos apud Ebredunensem Galliarum urbem passos lectio certaminis narrat (*An*... 12 *Jun.*), ipsa corpora et ita clam, propter paganorum insecutionem, **777** sepulta sunt, ut in tempora secutura oblivioni darentur. Referre erat solitus vir ille, qui de supradictis sanctis quæ præfati fuimus enarravit, natam fuisse super hæc sepulcra pirum arborem, et fecisse quemdam pauperem hortulum in hoc loco, qui hanc arborem concludebat. Verum cum poma juxta morem tempore debito ferret, quicunque exinde infirmus, qualibet ægritudine detentus, pomum mordicus decerpsisset, mox, ablata infirmitate, convalescebat; unde magnum quæstum pauper ille habebat. Sed cum se revelantes Martyres, arborem incidi jussissent, pauper ille in magnis fletibus prorumpens, incidi arborem non sinebat. Quo remoto, succisa piro, basilica miro opere ædificata est, in cujus etiam altari beati Genesii Arelatensis martyris (*V. infra*, *cap.* 68) reliquiæ venerantur. Tantaque pauper ille fide prælatus est, ut sacerdotium in hac Ecclesia deinceps promereretur.

CAPUT XLVIII.

De sancto Saturnino.

Saturninus [c] vero martyr, ut fertur, ab apostolorum [d] discipulis ordinatus, in urbem Tolosatium est directus (*Post an.* 250, 29 *Nov.*). Qui impulsu paganorum, bovis petulci religatus vestigiis, per gradus Capitolii præcipitatus, præsentem finivit vitam, capitis compage dispersa. Cujus reliquiæ cum a quibusdam religiosis in regionem alteram transferrentur, itineris ordo contulit, ut Brivatensis pagi situm in Arverno territorio terminum præterirent. Sole quoque ruente, ad hospitium cujusdam pauperis divertunt, mansionis postulando necessitatem. Recepti quoque ab homine, quid exhibeant narrant. At ille humanitatis intuitu, et Dei timore commonitus, capsam cum reliquiis in cellam penariam ponit, ac super annonam, quæ erat in vase condita, locat. Mane quoque dato, viri, acceptis pignoribus, gratias agentes homini, iter **778** quod cœperant abierunt. Sequenti vero nocte admonetur vir ille, per visum dicente sibi quodam sene: Ne maneas in hoc loco; sanctificatus est enim a pignoribus martyris Saturnini. Ille quoque parvipendens visionem, nihil de his, ut habet rusticitas, quæ admonitus fuerat retractavit. Nec mora, irruit in tædium, ac parvitas facultatis ejus cœpit paulatim minui, uxor vero illius ab alio languore tabescere. Quid plura? infra unum annum in tantam redactus est exiguitatem, ut nihil ei unde alii aut tegi posset, sicut humana deposcit necessitas, remaneret. Tandem conversus ad se, dixit ad conjugem: Peccavi coram Deo et sanctis ejus, qui ab hoc hospitiolo, sicut sum admonitus, non recessi. Et scio quod ob hoc nobis mala quæ patimur accesserunt. Nunc autem pareamus visioni quam vidimus, et removeamus hoc hospitiolum a loco isto, ut salvemur. Tunc amoto tugurio, oratorium ex ligneis formatum tabulis collocavit; in quo quotidie orationem fundens, opem beati Martyris flagitabat. Tandem cessantibus plagis, aptanti manus ad operam tanta fructuum consequentia fuit, ut in modico temporis spatio amplius quam perdiderat, repararet. Hæc infra nostrum territorium gesta sunt. Sed nec hoc silebo ad comprimendam malorum superbiam, quod Plato quidam, Chlotharii regis tempore, ad Pauliacense monasterium accedens, in cujus oratorio hujus sancti reliquiæ continentur; et pro eo quod munus aliquod ab abbate non accepisset, dixisse fertur: Ego faciam de hac ecclesia domum regis, in cujus uno angulo equites [*Al.* equi ejus] alantur. Et cum furore discedens, dum ad principem abire disponit, comprehensus a febre, die tertia spiritum exhalavit; descendensque velociter ad infernum, domum Dei reliquit ad cultum ejus cujus prius fuerat nomine consecrata.

[a] De hac epistola vide Hist. lib. x cap. 31, n. 5.

[b] Quæ sequuntur sub alio capitis titulo in mss. habentur, omnino vero desunt in Clar. b. Nazarius et Celsus, qui hic a Gregorio apud Ebrodunum passi dicuntur, alii non esse plerisque videntur ab iis qui Mediolani martyrium consummasse dicuntur sub Nerone. Eos tamen Ado aliique diversos esse sentiunt. Celebris priorum fuit sæculo v memoria, ob sacras eorum reliquias a sancto Ambrosio an. 395 aut sequenti inventas, ut scribit Paulinus in ipsius Vita. Aliquid vero de rebus eorum gestis narrant Ennodius episc. Ticinensis sæculo vi et antiquus auctor sub nomine sancti Ambrosii vulgo editus. In Actis eorum vulgatis Nazarius Ebroduni Christi fidem prædicasse memoratur. Cæterum utriquè, sive diversi sint, sive iidem, die 12 Junii apud Adonem memorantur; quo die Martyrologium Romanum alium item Nazarium commemorat, Mediolanensem vero cum Celso 12 Julii.

[c] Deest hoc caput in Colb. tut., in Clar. b vero cum duobus seqq.

[d] Si eo nomine apostolos vere intelligit Gregorius, dissentit a se ipso in lib. I Hist. cap. 30, ubi, ex ipsiusmet Saturnini Actis, ejus Tolosani episcopatus initium *Decio et Grato coss.*, id est anno 250, consignat. Erat forte jam tunc, ut hodie superest, vulgi traditio sanctum Saturninum ab ipsis apostolis ordinatum fuisse episcopum, et in Gallias missum, quam hic secutus est Gregorius; quanquam ejus Acta, quæ sincera esse existimamus, aliud habeant. Vide Acta Mart. sincera, pag. 109, ubi plura de hoc sancto antistite observavimus. Ejus martyrium Apollinaris Sidonius, lib. IX epist. 16, et Fortunatus, lib. II carm. 8, celebrarunt.

CAPUT XLIX.

Passio et nomina quadraginta octo martyrum.

779 Quadraginta vero octo martyrum [a] nomina, qui apud Lugdunum passi dicuntur (*An.* 177, 2 *Jun.*), hæc sunt : Vectius, Epagatus, Zacharias, Macarius, Alcibiades, Silvius, Primus, Ulpius [*Al.* Alpius], Vitalis, Comminius, October, Philominus, Geminus, Julia, Albina, Grata, Æmilia, Posthumiana, Pompeia, Rodone, Biblis, Quarta, Materna, Elpenipsa, Stamas. Ili autem bestiis traditi sunt, Sanctus et Maturus, Alexander, Ponticus, Blandina. Ili sunt qui in carcere spiritum reddiderunt : Arescius, Fotinus, Cornelius, Zotimus, Titus, Zoticus, Julius, Æmilia [b], Gamnite, Pompeia, Alumna, Mamilia, Justa, Triflme, Antonia, et beatus Fotinus [c] episcopus. Quorum sancta corpora judex iniquus igni tradi præcepit, exustisque, in Rhodanum pulveres jussit spargi. Sed postquam hæc gesta sunt, cum Christiani mœrorem maximum haberent, quasi deperissent beatæ reliquiæ, nocte apparuerunt viris fidelibus in eo loco, quo igni traditi sunt, stantes integri ac illæsi. Et conversi ad viros dixerunt eis : Reliquiæ nostræ ab hoc colligantur loco, quia nullus periit a nobis. Ex hoc enim translati sumus ad requiem, quam nobis promisit rex cœlorum Christus, pro cujus nomine passi sumus. Hæc renuntiantes viri illi reliquis Christianis, gratias egerunt Deo, et confortati sunt in fide, colligentesque **780** sacros cineres, ædificaverunt basilicam miræ magnitudinis in eorum honorem. Et sepelierunt beata pignora sub sancto altari, ubi se semper virtutibus manifestis cum Deo habitare declaraverunt. Locus autem ille in quo passi sunt, Athanaco [d] vocatur, ideoque et ipsi martyres a quibusdam vocantur Athanacenses.

CAPUT L.

De sancto Fotino, Lugdunensi episcopo.

Igitur [e] martyrio consummatus gloriosus Fotinus episcopus, qui Lugdunensi præfuit urbi sacerdos, per certaminis nobilis meritum invectus est cœlo (*An.* 177, 2 *Jun.*). Cui et merito et sanctitate condignus Irenæus [f] successit episcopus, per martyrium et ipse finitus (*An.* 203, 28 *Jun.*). Hic in crypta basilicæ beati Joannis sub altari est sepultus. Et ab uno quidem latere Epipodius (*An.* 178, 22 *et* 24 *April.*), ab alio vero Alexander [g] martyr est tumulatus. De quorum monumentis si pulvis cum fide colligatur, extemplo medetur infirmis. Magna enim claritas in crypta illa continetur, quæ, ut credo, meritum Martyrum signat.

CAPUT LI.

De Benigno, martyre glorioso.

Benignus [h] autem domini nominis testis, apud Divionense castrum martyrio consummatus est (*An.* 178, 1 *Nov.*). Et quia in magno sarcophago post martyrium conditus fuit, putabant nostri temporis homines, et præsertim beatus **781** Gregorius episcopus [i], ibi aliquem positum fuisse gentilem. Nam rustici vota ínibi dissolvebant, et quæ petebant velociter impetrabant. Ad hoc ergo Beati sepulcrum quidam, dum exinde multa beneficia perciperet, cereum detulit; quo accenso, domum rediit. Puerulus enim parvulus hæc observans, illo abeunte, descendit ad tumulum, ut ardentem cereum exstingueret et auferret. Quo descendente, ecce serpens miræ magnitudinis de alia parte veniens, cereum circumcingit. Puer autem timens sursum rediit, et bis aut tertio cereum auferre tentans, obsistente angue non potuit. Talia et his similia beato pontifici nuntiata, nullo modo credebat, sed magis ne ibidem adorarent fortiter testabatur. Tandem aliquando Dei Martyr beato se confessori revelat, et dicit : Quid, inquit, agis? non solum quod tu

[a] Ili sancti fuere martyrum Gallicanorum primitiæ, si vera sit Eusebii, Sulpicii Severi et aliorum veterum sententia, qui occasione istorum martyrum Lugdunensium asserunt sub Marco Aurelio imp. primum visa esse in Galliis martyria. Egregia eorum certamina descripta sunt (a sancto Irenæo, ut putant viri eruditi) in epistola nomine ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis scripta ad Phryges et Asianos, quam nobis fere integram servavit Eusebius lib. v Hist. eccles. cap. 1. Eorum nomina cum antiquis Martyrologiis contulimus in Actis Mart. sinceris, pag. 47.

[b] Colb. tut., *Æmilius*. Cæteri Mss., *Æmelia*, ut supra.

[c] Alii, *Photinus*, melius ex Græco scriberetur *Pothinus*. Porro horum 48 martyrum nomina pollicitus est Gregorius, et nonnisi 45 exhibet. Omittit *Attalum* in epistola Lugdunensis Ecclesiæ celeberrimum. In vet. Martyrologiis habentur *Hogata*, *Apollonius*, *Geminianus*, *Julianus*, *Ausonia*, *Domna*. Ex Vita sancti Bernardi episc. Viennensis, parte II, sæc. IV Benedictini, *Severinus*, *Exsuperius et Felicianus*. Passi sunt variis diebus sub M. Aurelio.

[d] Colb. a, *Athenaco*, et infra *Athenacenses*, quæ lectio nominis etymologiæ magis congrua videtur; sic enim dictus est locus ille ab Athenis, quod ibi ara esset celebris apud veteres, ob certamina facundiæ Græcæ et Latinæ a Caio Caligula instituta. Celebrior postmodum fuit ob sanctos martyres, ibique basilica nobilis excitata est cum monasterio insigni ordinis Benedictini, quod nostris diebus ad canonicos sæculares transiit.

[e] Confer hoc caput cum 27 libri I Hist.

[f] Aliquot Mss., *Hereneus*. Ejus Acta jam sæculo VI perierant; passus esse videtur circa an. 203. Vide Acta Mart. sincera, pag. 59. De crypta in qua sanctus Irenæus cum aliis martyribus sepultus est, vide diem 6 Junii Bollandiani in Chifletii Illustrationibus Claudianis, cap. 4, pag. 676 et seqq. Calviniani hæretici, quos vulgo Huguenotos appellant, an. 1562, capto Lugduno, sancti Irenæi sepulcrum violaverunt, ejusque sacrum corpus dissipaverunt; capitis cranium ex eorum manibus casu ereptum hodie Lugduni religiose asservatur.

[g] Horum passionem dedimus inter Acta martyrum sincera, pag. 61. Vide lib. de Gl. Conf., cap. 64.

[h] Hoc caput deest in Colb. tut., laudatur in Chronico sancti Benigni. Omnes fere Mss. habent, *Benignus autem ac dominici*, etc. Hujus sancti martyris Acta supersunt, sed quæ non carent nævis. De eo, ipsiusque inventione, basilica insigni, ac monasterio Divionensi fuse agitur in Chronico ejusdem loci, tomo I Spicilegii Acheriani edito. Eum sub Marco Aurelio passum fuisse censemus, quod sancti Polycarpi discipulus dicatur in antiquioribus monumentis. Vide Acta Mart. sincera, pag. 68 et 69.

[i] Is est Gregorius episc. Lingonensis, cujus Vitam habes infra inter Vitas Patrum, cap. 7.

despicis, verum etiam honorantes me spernis. Ne facias, quæso, sed tegmen super me velocius præpara. De qua ille visione concussus beatum sepulcrum adit, ibique diutissime pro ignorantia cum fletu veniam deprecatur. Et quia crypta illa quæ ab antiquis inibi transvoluta [a] fuerat diruta erat, rursum eam beatus pontifex reædificavit, eleganti transvolvens opere. Sed sanctum sepulcrum, nescio qua causa faciente, foris evenit. Quod ille intus transferre cupiens, convocavit ad hoc opus et obsequium abbates atque alios religiosos viros ; in quo conventu grande miraculum beatus Martyr et populis et suo præstitit confessori. Erat quippe validum, ut supra diximus, illud sarcophagum, ut tale in isto tempore nec tria paria boum trahere possint. Cumque diutissime morarentur, nec invenirent qualiter ipsum intus inferrent, sanctus Gregorius illuminatis cereis cum grandi psallentio [b] apprehensum a capite Martyris sarcophagum, et duo presbyteri ad pedes, moventes illud, in cryptam habilissime detulerunt, et ubi ipsis fuit placitum composuerunt : quod **782** non minimum populis spectaculum fuit. Post paucos autem annos ab euntibus in Italiam passionis ejus historiam allatam beatus confessor accepit. Sed et deinceps sanctus Martyr multis se virtutibus manifestavit in populis. Nec moratus, super cryptam illam basilicam magnam jussit ædificari [c]. In proximo autem est et alia basilica, in qua Paschasia quædam religiosa veneratur. Nam visum est eo tempore structoribus quamdam anum egressam fuisse ab ipsa basilica, nigra veste, cigneo capite, vultuque decoro [*Al.* decora], quæ sic affata est structores : Eia, dilectissimi, perficite opus bonum : eleventur machinæ quibus erigitur hæc structura, et merito acceleretur quæ talem habet exsecutorem. Nam si permitteretur ut vestrorum oculorum acies contemplaretur, nempe videretis vobis operantibus sanctum præire Benignum. Hæc effata, basilicam de qua egressa fuerat ingrediens, nulli ultra comparuit. Autumabant enim ejus temporis homines, beatam ibi apparuisse Paschasiam [d]. Super lapidem vero illum in quo cum plumbo remisso pedes ejus confixi fuerunt, factis loculis, vinum aut siceram multi infundunt : unde si aut oculi lippitudine gravati, aut quælibet vulnera fuerint peruncta, protinus fugata infirmitate sanantur, quod ego evidenter expertus sum. Nam cum mihi nimia lippitudine oculi gravarentur, ex hoc sacrato unguine tactus, dolore protinus carui. Cum autem ad Arvernam regionem lues illa inguinaria adveniret, quæ sancti Galli episcopi oratione depulsa est [*V. Hist., l.* IV, *cap.* 5], et in subita contemplatione parietes domorum atque ecclesiarum signarentur, atque caraxarentur, matri meæ apparuit in visu noctis quasi vinum, quod in apothecis nostris habebatur, sanguis esset effectus. Cui lamentanti ac dicenti : Væ mihi, quia signata est plagæ domus mea ait ei vir quidam : Nosti, inquit, quod post pridie, quod erit in Kalendis Novembris, passio Benigni martyris celebrabitur? **783** Novi, ait. Vade, inquit, et vigila totam noctem in honore, ac revoca [e] missas, et liberaberis a plaga. Expergefacta autem a somno, implevit quæ sibi fuerant imperata, signatisque vicinorum domibus domus nostra inviolata permansit.

CAPUT LII.

De sancto Symphoriano.

Symphorianus [f] martyr apud Augustodunensem urbem martyrium consummavit (*An.* 179, 22 *Aug.*). De loco autem illo ubi gladio percussus est, et sanguis ejus effluxit, quidam religiosus tres lapillos cum pro sanguine levavit, et in capsa argentea reconditos in ecclesiam ligneis constructam tabulis, apud Tuigernum (*V. infra*, *cap.* 67) castrum urbis Arvernæ in altari sancto locavit. Tempore autem (*V. lib.* III *Hist. cap.* 12) quo Theodoricus rex Francorum regionem illam evertit, hoc castrum ab hostibus incendio concrematur. Cumque ab aliarum domorum exustione domus Dei, quæ, ut diximus, ligneis erat tabulis fabricata, igni apprehensa consumeretur, populi plangentes dicebant : Utinam vel beatæ reliquiæ non perlissent ! Interea cum prunarum magnus esset de incendio acervus effectus, subito aquilone flante atque urente, vehementer favillæ ab incendio relictæ, per diversa jaciuntur, et ecce capsa illa argentea illæsa refulgens, tanquam sidus præclarum apparuit. Colligentes autem eam qui tunc aderant clerici, requirentes, nihil de beatis pignoribus diminutum reperientes, mirati sunt inter tam valida incendia speciem tam tenuem sic fuisse salvatam, in qua, ut ita dicam, non solum hæc, sed etiam mille libræ argenti aut ferri potuissent sine mora dissolvi. Vere magna ibidem virtus apparuit, quæ populum ad Dei cultum et honorem sui nominis roboravit, qui **784** facta deinceps alia in eodem loco basilica, sanctas reliquias in altari posuerunt.

CAPUT LIII.

De beato Marcello Cavillonensi.

De beati vero Marcelli Cavillonensis [g] martyris

[a] Sic ædificii fornicem exprimit passim Gregorius.

[b] Colb. a, *choro psallentium*. De sepulcro sancti Benigni ejusque basilica, etc., vide notas in cap. 44 libri de Gloria Confessorum.

[c] Ibi etiam monachos sub Eustadio abbate a beato antistite institutos fuisse narratur in Chronico sancti Benigni. De Paschasia infra agitur in lib. de Gloria Conf. cap. 43.

[d] Quæ sequuntur ex hoc capite desunt in Clar. b.

[e] Id est, celebrari curato. Vide Liturg. Gallic. lib. I, cap. 6, n. 4.

[f] Deest hoc caput in edd. Colb. tut. Idem vero cum sequentibus ad cap. 57 inclusive deest in Clar. b; in altero Clar. ad cap. 56. Acta sancti Symphoriani edidimus inter sincera Martyrum, pag. 69, ubi pura de illo observavimus.

[g] Colb. tut. semper *Cabillonensis*. Sancti Marcelli Acta quæ edita sunt, illum e Martyrum Lugdunensium numero fuisse memorant, qui, furente persecutione, e carcere elapsus prope Cabillonum Prisco præsidi occurrit, a quo interrogatus, et se Christianum esse confessus, cingulo tenus in terra defossus tertio post die exspiravit. Ad cujus sepulcrum Guntramnus celebre monasterium construxit, de quo diximus ad cap. 1 Fredegarii in Chronico.

virtutibus pauca ad nos mittenda memoriæ monimenta venerunt. Quæ quamlibet parva censeantur in dictis, ad eum tamen referenda sunt qui hæc operatur in singulis. Causa quædam exstiterat, ut Fedamius, Eunomii quondam Arverni presbyteri filius, Cavillonensem urbem adiret (*An.* 179, 4 *Sept.*), idemque apud basilicam sancti martyris Marcelli hospitalem habebat, ab abbate loci victus stipendia capiens; ipse enim quæ loquor exposuit. Inter duos, inquit, viros orta fuit intentio [*Al.*, contentio]: hisque litigantibus, in hoc lis ipsa subiit, ut eam sacramento dirimerent. Ingressique basilicam sancti Martyris, elevatis homo manibus ad perjurandum, cum nomen Sancti voluisset ore patulo nominare, hæsit vox in faucibus, nec lingua poterat ad officium reflecti. Sed ne hoc quidem parum videretur ad beati athletæ gloriam, ipse cum elevatis manibus quasi æneus totus irriguit. Tunc oratio facta pro eo, absolvi diaboli arte vinctum obtinuit: ipse quoque post absolutionem sermone proprio opus suum confessus, quæ negligenter egerat emendavit.

CAPUT LIV.

De sancto Valeriano.

(*An* 179, 15 *Sept.*) Huic martyri adjungitur, et sanguine et agone propinquus, beatus athleta Valerianus [a], qui apud castrum Trinorciense, quadragesimo a Cavillonensi urbe milliario, consummato **785** certamine tumulatus est. Igitur Gallus, hujus urbis comes, cœliaci [b] morbi dolore gravatus, qui totam alvum non modo tortura, verum etiam tumore ita conflaverat, ut hydropicus putaretur, nihil edere, nihilque potus capere posset, flebatque juxta hoc contagium ut inediæ morbo deficeret, qui prope exanimis, cum se cerneret desperatum, rogat se deportari ad beati Martyris tumulum. Ubi cum projectus fuisset, accessit ad eum Epirechius [c] presbyter, qui tunc ipsam regebat ecclesiam, vir virtutum, et puræ mentis homo, sicut ipsi oculis nostris inspeximus, dixitque ei: Si vis sanus fieri, confide in virtute Martyris gloriosi, et vove ut unam trabem cum ligaturis suis ad hujus templi tecta recuperanda transmittas. Erit enim tibi præsidium, si ea devote impleveris quæ promittis. At ille attentius orans, vovit quæ presbyter indicavit; statimque sanus factus, trabem nullo commonente ad basilicam Sancti exhiberi præcepit. Ecce quid præstat Dominus Jesus Christus in terris martyribus sanctis, quos glorificatos ascivit in cœlestibus regnis. Nec immerito, quia sacrum nomen ejus corde credentes, in operibus invocantes, in tentationibus confitentes, non modo ut fideles servi Dominum sunt secuti, verum etiam et alios ut sequerentur suis exemplis incitaverunt.

CAPUT LV.

De Timotheo et Apollinari martyribus.

Timotheus et Apollinaris [d] apud Remensium urbem, consummato **786** martyrio, cœlestia regna meruerunt (*An*... 23 *Aug.*): quorum reliquias quidam, ædificata in eorum honore basilica, devotus expetiit. Pontifex vero qui aderat, cum honore per presbyterum dirigit. Cumque iter ageret, mulier importuna, et credo in ligna merito, in via procedit, salutatoque presbytero, deosculatur linteum quo sacræ tegebantur favillæ, rogans sibi de iis aliquid condonari. Tunc presbyter diu dubitans, et tribuere differens, victus tandem ab improbitate ejus, divisit [*Al.* dimisit] ei particulam. Ascendensque sonipedem [*id est*, equum], iter expedire cœpit injunctum: sed percutiens utraque equi latera, nequaquam poterat promoveri; ipse vero ita gravatus erat, ut vix caput valeret erigere. Intelligens autem Martyrum se virtute teneri, pœnitentia motus utiliter recepit quod negligentia intercedente largiri præsumpsit: restitutoque in capsa quod abstulerat, abire permissus est.

CAPUT LVI.

De sancto Eutropio.

Eutropius [e] quoque martyr Santonicæ urbis, a beato Clemente episcopo fertur directus in Gallias (*Sæc.* II *aut* III, 30 *April.*), ab eodem etiam pontifi-

[a] Valesianus, ut ejus Acta vulgata habent, simili modo ac Marcellus e Lugdunensi carcere elapsus, Trenorchii a Prisco præside tentus, post varia supplicia capite plexus est. Ecclesiæ ad ejus sepulcrum constructæ additum est percelebre monasterium ordinis Benedictini, quod tandem ad sæculares canonicos transiit. Castrum vero Trenorchium, seu *Tinurtium*, aut *Tornusium*, vulgo *Tournus*, nonnisi 20 circiter milliaribus, id est leucis sex, ab urbe Cabillono dissitum est. De quo vide Valesii notitiam.

[b] Colb. a, *cœlaci*. Bell., al. manu, *ciliaci*, id est colici.

[c] Colb. tut., *Epiricius*.

[d] Mss. duo, *Apollonaris*. Horum martyrum Acta illos cum Mauro presbytero aliisque multis, Nerone imperante, sub Lampadio præside passos fuisse commemorant: quæ sententia non placet iis qui nullos martyres in Galliis ante M. Aurelii tempora admittunt. Videntur tamen Maximiani temporibus antiquiores; nusquam enim sub Rictio Varo præside passi, ut cæteri Belgicæ Galliæ istorum temporum martyres, dicuntur. De his Marlot. lib. 1 Metrop. Remensis cap. 21. Frodoardus Acta fere integra exhibet, sed passionis tempus non exprimit; Timotheum vero ex Oriente Remos advenisse scribit, atque hoc caput Gregorii laudat. Eusebius, *vir spectabilis*, eorum in honorem basilicam construxit in qua, teste Frodoardo, sanctus Remigius sepeliri petierat. Exstat etiam nunc canonicorum collegio et parochiali titulo insignis, sed nobilior, quod in ea complurium martyrum reliquiæ asserventur. Haud procul ab illa visitur antiquum cœmeterium quod *Martyrum* vulgo appellatur, in quo et in vicinis locis, terra effossa, inveniuntur corpora, clavis magnis in capite et in brachiis confixa, quæ martyrum esse putantur. Nullo tamen publico cultu donantur, quod et nullis miraculis coruscent, nec sint, ut loquitur Optatus, ab Ecclesia vindicati.

[e] Laud., Bell. et Colb. a, *Eutropis*, et in capitis titulo, *De Eutrope martyre*. Et hic Gregorius martyrem admittit ante Marci tempora ex vulgari traditione. Sancti Eutropii ecclesia apud Santonas vetustate fatiscens a Leontio episcopo restaurata est, ut canit Fortunatus lib. 1 carm. 3. Is est Leontius qui circa sæculi VI medium Burdigalensis erat episcopus. Palladius eodem sæculo labente ejusdem sancti corpus

calis ordinis gratia consecratus est [a], impletoque hujus officii ordine, peracta incredibilis prædicatione, insurgentibus paganis, quos auctor invidiæ credere non permisit, illiso capite victor occubuit. Sed quia eo tempore instante persecutione, neque digno loco sepultus, neque a Christianis debito honore veneratus est, valde datum est oblivioni eum martyrem fore, quod hoc ordine traditur **787** revelatum. Post multa annorum spatia in ejus honore basilica ædificata est, expletoque opere Palladius [b], qui tunc sacerdotalis ordinis cathedram regebat, convocatis abbatibus, sacros cineres in locum quem præparaverat, transferri studuit. Quod cum factum fuisset, duo ex abbatibus reserato opertorio sanctum corpus aspiciunt, contemplanturque cicatricem capitis, qua in parte defixum fuerat securis acumen. Sed ne præsens visio duceretur in irritum, etiam spiritualis hæc doctrina commonuit, scilicet cum sequenti nocte stravissent sacerdotes membra quieti, apparuit per visum his duobus, dicens: Cicatricem quam contemplati estis in capite, scitote me per eam martyrium consummasse: et ex hoc quod martyr esset innotuit populis, quia non aderat historia [c] passionis.

CAPUT LVII.

De sancto Amarando.

Amarandus [d] autem martyr apud Albigensem urbem, exacto agonis fidelis cursu, sepultus vivit in gloria (*An.* 250, 7 *Nov.*). Cujus, ut historia passionis declarat, sepulcrum diu vepribus sentibusque [*Ed.*, sepibusque] contectum latuit, sed, Domino jubente, Christianis populis revelatum est, et crypta in qua quiescebat patefacta resplenduit. Sed cum hostilitate impellente locus ille ab habitatoribus fuisset evacuatus, a longinquo venientes incolæ, honorem beato Martyri quasi custodi proprio nitebantur impendere. Igitur cum cereos frequenter devotio Christiana deferret, quadam die contigit, ut quidam præ longinquitate itineris incrementum ignis, quo accenderetur **788** cereus, non exhiberet. Arreptumque silicem ferro verberat quasi ignem eliciturus: quod dum ageret, et crebris ictibus lapidem quatiens, nihil foci A posset excutere, cœlesti lampade cereus, qui jam beato sepulcro affixus erat, illuminatur; sicque factum est ut quæ humanæ non expleverant industriæ, peragerentur divini numinis majestate. Cessante humano studio cœlestis officia ministrantur, luminisque novi fulgore cereus clarificatur accensus. Quod cum populis manifestatum fuisset, incrementum loci ulterius ad accendendum lumen nullus exhibere præsumpsit. Postquam vero locus ille inhabitari ab hominibus assidue cœpit, atque ibi domus in quibus ignis accenderetur adessent, hoc miraculum non est ultra præstitum plebi, cum aliis miraculis frequentius illustretur.

CAPUT LVIII.

De sancto Eugenio.

B Huic [e] cryptæ sociatur et ille Honorificianæ [f] persecutionis martyr Eugenius, sacerdotalis insulæ maximum decus, quem in hac urbe detrusum exsilio, vel ipsius vel sociorum ejus passio narrat (*An.* 505, 13 *Jul.*). Hic cum magnis in sæculo polleret virtutibus, et jam victor de tormentis martyrialibus exsiliisset, tempus vocationis suæ, quo arcersiretur ad gloriam, Domino revelante, cognovit, illud præcipue quod populis occulebatur, manifestum noscens, se martyri Amarando socium esse futurum, ad ejus sepulcrum dirigitur, prostratusque solo, diutissime orationem fudit ad Dominum: dehinc expansis per pavimentum brachiis, spiritum cœlo direxit, qui a Christianis **789** collectus, in ipsa qua diximus cryC pta sepulturæ mandatus est. Ad cujus festivitatem cum tempore quodam innumeri populi convenirent, negotia multa in atrio protulerunt. Puella vero una ex habitatoribus loci stationem adit, quasi aliquid coemptura, speciemque sibi aptam aspiciens, a negotiatore suscepit. Et statim dicto citius porrectam alteri negat se accepisse. Negotiator vero intente aiebat: Mea eam tibi manu protuli, tuque rimandam sollicite suscepisti. Illaque negante, ait negotiator: Si tibi tanta est pertinacia, avaritia stimulante, negandi, judicet illud beatus martyr Eugenius. Ad cujus sepulcrum, si cum sacramenti interpositione

translatum, ibique perseveravit in ecclesia sui nominis cum adjuncto monasterio ordinis Cluniacensis, usque ad sæculum proxime elapsum, quo a Calvinistis concrematum est. Acta ejus habentur, sed fabulosa, quæ ideo omisit Henschenius ad 30 Aprilis Bollandiani. D

[a] Cod. Laud., *gratiam consecutus est.*

[b] Celebris est in Gregorii Hist. lib. VII et VIII ob ordinatum ab eo Faustianum episcopum Aquensem in Novempopulania. Interfuit concilio Paris. IV et Matisc. II. Litteras simul et sacras reliquias a Gregorio Magno accepit.

[c] Exstat hodie ejus passionis historia, imo potius fabularum consarcinatio, ut diximus, nulla fide digna. Sed non spernendus est liber de ejus Miraculis, sæculo XII scriptus, quem Bollandiani ad diem 30 Aprilis ediderunt.

[d] Amarandus, seu Amaranthus, Decii temporibus martyrium consummasse dicitur. Sepultus fuit apud Viancium vicum, haud procul ab urbe Albigensi, ibique corpus ejus sacrum remansit ad an. 1404, quo in ecclesiam sanctæ Cæciliæ urbis cathedralem a Ludovico de Ambesia translatum est. De Vianeii ecclesia et monasterio vide Hist. persec. Vandalicæ a nobis editam, cap. 8, num. 8. Sancti Amarandi passionis historiam, quam Gregorius laudat, aut aliam quamcunque nusquam vidimus.

[e] Sic et cod. Clar. b, quamvis ibi caput præcedens desit. In margine additum, *apud Albigensem urbem.* Mss. Eugenium in capitis titulo *martyrem* dicunt.

[f] Legendum *Hunericianæ.* Hic nempe celebratur sanctus Eugenius Carthaginensis antistes, qui tempore Hunerici Vandalorum in Africa regis fidem catholicam verbo, scriptis et miraculis, egregie adversus Arianos defendit. Sed tandem, jubente Trasamundo, in Gallias relegatus, Albigæ defunctus est, ac sepultus prope sanctum Amarandum, atque cum eo, ut ad cap. præced. diximus, in ecclesiam cathedralem translatus est. Colitur Albigæ die 6 Sept., in Martyrologiis vulgatis 13 Julii. Ejus epistolam Gregorius integram retulit Hist. lib. II cap. 3. De eo plura Victor Vitensis episcopus, quem vide, et Hist. persec. Vandalicæ, quam ei subjunximus, cap. 8.

edixeris te non accepisse, damni mihi nihil æstimo quod amisi. At illa pollicita se posse ex hoc exui sacramento, vadit ocius ad sepulcrum; elevatisque manibus ut juraret, extemplo membris dissolutis irriguit, plantæque ejus affixæ sunt pavimento; vox hæsit in gutture, tantum os patulum a sermone nudum hiabat. Quod negotiator cum reliquo populo cernens, ait : Prosit tibi, inquit, virgo, hæc species quam tulisti mihi, sufficit ulti[a] data per Martyrem. Et hæc dicens, a loco discessit. Illa vero in hoc tormento diutissime detenta, tandem Martyre jubente locuta, palam confessa est quod clam latere voluerat. Quid agis, o infelix avaritia? quid petendis rebus alienis [a] succumbis mens feminea, non virilis? Ut quid firmam loricam mentis modica transverberas sagitta cupiditatis? Quid congregas, o homo, auri rubiginosi talenta, cum iis arsurus in gehenna? Quid tibi prosunt peritura lucra, quæ æternæ vitæ pariunt detrimenta? juxta illud Domini verbum : *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Aut, quam dabit homo commutationem pro anima sua* (*Matth.* XVI, 26)?

A

B

CAPUT LIX.

De ultione cujusdam furis.

790 Ecclesia [b] est vici Icidiorensis, sub termino Turonicæ urbis, quæ plerumque sacris miraculis illustratur, fenestras ex more habens, quæ vitro lignis incluso clauduntur, quo præclarius ædi sacratæ lumen quod mundus meruerit subministrent. Quam ecclesiam fur nocturnus importunusque aggreditur, ingressusque noctu, cum omnia cerneret custodum cura tueri, et nihil de sacris ministeriis quod auferret adverteret, ait intra se : Si aliud, inquit, invenire non possum, vel has ipsas quas cerno vitreas auferam, fusoque metallo aliquid auri conquiram mihi. Ablatis igitur dissipatisque vitreis, metallum abstulit, et in pagum Biturigi territorii contulit. Missumque vitrum in fornace per triduum decoquens, nullum exinde opus potuit expedire : victusque crimine, divinum super se judicium intuens, nequaquam motus perdurat in malis. Ablatum autem a cacabo vitrum, quod in pilulis nescio quibus conversum fuerat, advenientibus negotiatoribus venumdedit, ut scilicet accepta pecunia, novus Giezi, lepram perpetuam compararet. Nam adveniente die post anni curriculum, quod [*Al.*, quo] hoc furtum fecerat, caput ejus tumori datur : oculi quoque inflantur, ut erui a suis locis autumentur. Hæc autem ei singulis annis eveniunt in die illa qua furtum admisit. Plangitque miser virum, quod ex itinere quo [*Al.*, quod] transmisit non potuit revocare.

C

CAPUT LX.

De Rogatiano et Donatiano martyribus, et Similino confessore.

Apud urbem vero Namneticam duo sunt martyres pro Christi nomine jugulati (*An.* 290, 24 *Maii*). Quorum unus Rogatianus, alter Donatianus [c] est vocitatus. Habetur ibi etiam et Similinus [d] **791** magnus confessor (*An.* 310, 16 *Jun.*). Igitur cum supra dicta civitas tempore Chlodoveci regis barbarica vallaretur obsidione [e] (*An. circ.* 510), et jam sexaginta dies in hac ærumna fluxissent, media fere nocte apparuerunt populis viri cum albis vestibus, radiantibus cereis, a basilica [f] beatorum Martyrum egredi : et ecce alius chorus huic similis de basilica procedere antistitis Similini. Cumque conjungentes se, data salutatione, orationi incubuissent, recesserunt unusquisque ad locum unde progressus fuerat, ac protinus omnis phalanga hostilis immenso pavore exterrita, ita subito impetu a loco discessit, ut facta luce nullus ex his reperiri posset. Apparuit ante dicta virtus Chilloni [*Clar. a*, Chillino] cuidam, qui tunc huic exercitui præerat. Qui necdum erat ex aqua et Spiritu sancto renatus, qui statim compunctus corde, conversus ad Dominum, iterata nativitate progenitus, Christum esse Filium Dei vivi clara voce testatus est.

D

CAPUT LXI.

De reliquiis beati Nazarii.

In territorio quoque urbis Namneticæ [g], in vico quodam supra alveum Ligeris, beati Nazarii reliquiæ continentur (*An.*... 12 *Jun.*). Igitur quodam tempore

[a] Mss. quatuor, *petendarum rerum alienarum*. In Colb. a emendatum, *appetentiæ rerum*, etc. Hæc vero ad finem cap. desunt in Clar. b.

[b] Hoc caput deest in Clar. a, et simul cum seq. in Clar. b. Colb. a, *Icioderensis*. De hoc loco egimus in notis ad cap. 12 lib. VI Hist.

[c] Sic Clar. a; cæteri Mss. et Editi vet., *Donatus*. Horum martyrum passionis historiam dedimus inter Acta Martyrum, pag. 295, et Henschenius die 24 Maii Bollandiani. Eorum martyrium ad annum usque 303 differt Baronius.

[d] Bell., *Similianus*, vulgo *saint Sambin*, tertius in Catalogis vulgatis episc. Namnetensium recensetur, sed nihil de ejus ætate compertum habemus.

[e] Hanc obsidionem ad extrema Chlodovei I tempora, id est an. 510 aut seq., revocat Cointius, sub cujus tamen potestate anno 511 exstabat urbs Namnetensium. Nam Epiphanius Namnetensis eo anno concilio Aurelianensi I subscripsit.

[f] Hæc basilica hodieque substitit, parochiali titulo ornata, sicut et basilica sancti Similiani, cujus titularis nominatur ab uno e canonicis ecclesiæ cathedralis, ideo sancti Similiani dicto. Diversa est ab illis abbatia sanctorum Rogatiani et Donatiani in pago Namnetensi, quæ memoratur in charta Odonis regis an 893, lib. VI de Re diplomat. num. 121.

[g] Aliquot Mss., etiam Clar. b, in quo caput præcedens deest : *In territorio quoque ipsius urbis, in*. Et hic ultimus in margine, *apud urbem Nannetticam*. Locus ille infra Namnetas hodieque nomen retinet Sancti Nazarii, ubi præter parochialem ecclesiam prioratus exstat monasterio sancti Albini Andegavensis subjectus, cui tempore Gregorii, uti ex hoc loco conjicio, abbas præerat virorum conventui. Quis vero ille sit Nazarius, divinare non licet, cum eodem die 12 Junii Nazarii tres colantur, primus Mediolani cum Celso puero a sancto Ambrosio Mediolani inventus, item duo martyres illis cognomines, si tamen diversi sint. Ebroduni; et tertius Romæ, cujus corpus anno 765 Chrodegandus, Mettensis episcopus, Roma in Gallias attulit, quæ occasio fuit condendæ celebris abbatiæ Laureshamensis in diœcesi Wormatiacensi.

homo devotus balteum ex auro purissimo cum omni apparatu studiosissime fabricatum, super altare basilicæ illius posuit [a], orans ut in causis suis Martyris virtus dignaretur adesse. Quo recedente, Britto quidam ex satellitibus Warochi Britannorum comitis [b], et primus cum eo adfuit, ablatoque violenter apparatu baltei, ipsum quoque balteum repetiit (*An.* 590). Renitente presbytero ac dicente : Dei res hæc sunt, **792** et ad reficiendos pauperes sancto Martyri sunt collatæ, ne famem pessimam patiantur, qui huic templo fideli devotione deserviunt : unde tu potius huc aliqua inferre, non auferre debebas. Non mollivit hominis avari animum abbatis illius prædicatio; sed potius succensus, minari ei cœpit, ac dicere : Nisi sine mora retuderis balteum, manu mea interimeris. Tunc victus abbas, speciem super altare quo sancta teguntur pignora collocavit, dicens : En ipsam quam petis reticulam; si metus de virtute Martyris nullus est, aufer. Erit enim, ut confidimus, de vestigio judex, si ea auferre præsumpseris. At ille nihil metuens, abstulit, jubens sibi equum ante ipsam basilicæ porticum præparari. Cui ait sacerdos : Nullus unquam in hoc loco equum præsumpsit ascendere. Da, quæso, gloriam Deo, et honora Martyrem, ne mali aliquid patiaris. Ille vero mandata negligens sacerdotis, ascenso in atrio sancto equite, ubi egredi venit [c], percusso ad portæ limen superius capite, ad humum testa disrupta corruit, manibusque suorum deportatus, ut tugurium cujusdam pauperculi, quod erat proximum, est ingressus, protinus spiritum exhalavit. Quod Warochus audiens, et res quas hic abstulit restituit, et de suo proprio multa contulit pavere perterritus.

CAPUT LXII.

De quinquaginta martyribus Thebæis.

Est [d] apud Agrippinensem urbem basilica, in qua dicuntur quinquaginta viri ex illa legione sacra Thebæorum pro Christi nomine martyrium consummasse (*An.* 286, 10 *Oct.*). Et quia admirabili **793** opere ex musivo quodam modo deaurata resplendet, Sanctos Aureos ipsam basilicam incolæ vocitare voluerunt. Quodam autem tempore, Eberegisili episcopi [e], qui tunc hujus urbis erat antistes, capitis medietas validis doloribus quatiebatur, erat autem tunc temporis in villa oppido proxima quo dolore, ut diximus, valde attenuatus, misit diaconem suum ad Sanctorum basilicam. Et quia in ipsius templi medio puteus esse dicitur, in quo Sancti post martyrium pariter sunt conjecti, collectum exinde pulverem detulit sacerdoti. Verum ubi exinde caput ejus tetigit, extemplo dolor omnis exemptus est.

CAPUT LXIII.

De sancto Malloso.

Ab hoc etiam sacerdote sancti martyris Mallosi corpus repertum est hoc modo (*An.* 286, 10 *Oct.*). Cum fama ferret hunc apud Bertunense [f] oppidum martyrium consummasse, occultum erat hominibus illis quo in loco quiesceret : erat tamen oratorium inibi, in quo nomen ejus invocabatur. Supradictus vero pontifex in honorem ejus basilicam ædificavit, ut scilicet cum aliquid revelationis de Martyre acciperet, in ea beatos artus, Domino annuente, transferret. Denique in latere basilicæ, id est, in pariete qui a parte erat oratorii, in absida collegit [g], præstolans Domini misericordiam quid juberet de Martyre revelari. Post hæc diaconus quidam Mettensis, per visum ductus, ubi Martyr quiesceret est edoctus. Post paucum autem tempus, veniens ad episcopum, et quasi certa signa, quæ per visum viderat, relegens, cum prius ibidem non fuisset, ait episcopo : Hic effode, et invenies corpus Sancti, id est, in medio absidæ. **794** At ille, cum fodisset quasi in septem pedes, attigit nares ejus odor immensi aromatis, et ait : Credo in Christo, quod ostendit mihi Martyrem suum, quando me hæc suavitas circumdedit : et fodiens, reperit sanctum corpus illæsum; et emittens vocem magnam, *Gloria in excelsis Deo* secum omnem clerum pariter psallere fecit. Dicto quoque hymno, corpus sanctum in basilicam transtulit, et cum laude debita sepelivit. Ferunt ibidem et Victorem martyrem [h] esse sepultum, sed non eum adhuc cognovimus revelatum.

CAPUT LXIV.

De Patroclo martyre.

Patroclus [i] quoque martyr, qui apud urbem Tricassinorum sepultus habetur, sæpius se amicum Dei

[a] Mos erat tunc temporis res Deo oblatas super altare deponere. Vide Bignon., in lib. I Marculfi form. 1.

[b] Id contigisse putant tempore belli quod anno 590 commotum est, de quo Gregor. Hist. lib. x capite 9.

[c] Alii, *ascenso equo*, etc. Mss. *at ubi egredi*. Clar. a, Colb. a et Clar. b, alia manu, *egredi voluit*.

[d] Quæ sequuntur ad hæc verba capitis 69, *Ferunt etiam*, etc., desunt in Clar. b. Complures martyres ex Thebæorum legione apud Coloniam Agrippinam, ac in vicinis locis passos fuisse vetus est traditio, de quibus Helinandus, seu quivis alius, multa congerit in sermone apud Surium edito die 10 Octobris. *Sanctos Aureos*, qui hic laudantur, interpretatur sanctum Gereonem sociosque ejus, quanquam multo plures quam quinquaginta fuisse dicantur. Eorum basilicam ab Helena Constantini Magni matre exstructam fuisse censet, eique ministros deputatos, qui divinas laudes persolverent. Monasterium sancti Gereonis appellat, quod hodie insignis est collegiata.

[e] Deputatus fuit a Childeberto rege anno 590, ad compescendas turbas monasterii Pictavensis, ut scribit Gregorius lib. x Hist. cap. 15.

[f] Cod. Colb. a, *Bertinensem*. Colb. tut. *Bertuntensem*.

[g] Clar. b, *absidam collegit*.

[h] In Colb. a deest hæc vox, *martyrem*. Si verum sit, ut aliqui sentiunt, hunc martyrem ex legione Thebæa fuisse, qui loco ubi cum multis aliis passus est, *Sanctos* nomen dederit, ex quo vulgus *Xantum*, quod Civiensis ditionis oppidum est, efformaverit, Bertuni oppidi situm invenimus. Nam Victor et Mallosus hic in eodem loco quievisse memorantur; et vetera quædam Martyrologia utrumque simul celebrant.

[i] Deest hoc caput in Colb. tut., cætera quoque ad 74 inclusive, in Clar. a.

virtutibus multis ostendit (*An.* 259 *aut* 273, 21 *Jan.*). Erat enim super eum parvulum oratorium, in quo unus tantum clericus serviebat. Loci enim homines parvum exhibebant Martyri famulatum, pro eo quod historia passionis ejus non haberetur in promptu. Mos namque erat hominum rusticorum, ut sanctos Dei, quorum agones relegunt, attentius venerentur. Quidam igitur de longinquo itinere veniens, libellum hujus certaminis detulit, lectori, quem in ipso loco servire diximus, prodidit ad legendum. Ille vero post decursam lectionem valde gavisus, nocturno sub tempore famulante lumine, velociter exemplavit. Hominibus quidem digressis, hic episcopo suo exhibet quæ repererat, putans se per hæc gratiam assequi sacerdotis. At ille non credens, nisi conflictum æstimans, cæsum increpatum clericum abscedere jubet, dicens : Te hæc juxta votum tuum dictasse manifestum est; nam nunquam ea cum ullo homine reperisti. **795** Post multum vero tempus, ut virtus Martyris non esset occulta, abiit exercitus in Italiam, et detulit passionis hujus historiam [a], sicut a clerico tenebatur scripta. Tunc confusus valde episcopus, cognovit vera esse quæ a clerico dicebantur. Populus autem ex hoc magis honorare cœpit Martyrem, constructaque super eum basilica, festivitatem ejus per singulos annos devote concelebrat.

CAPUT LXV.

De basilica sancti Antoliani martyris.

Antolianus [b] autem martyr apud urbem Arvernam martyrium consummavit (*An.* 255, 6 *Feb.*). In cujus honore Alchima soror et Placidina conjux Apollinaris episcopi templum ædificare cupientes [c], multa sanctorum corpora, dum fundamenta jacerent, removerunt, nescientes cujus meriti essent quorum sepulcra repererant : quæ cum viritim sepelire propter aliorum sepulcrorum multitudinem quæ locum illum ab antiquo repleverant non haberent, congregatam ossium massam in unam projicientes fossam humo operuerunt : idque, quod Deo vel sancto Martyri acceptabile non fuisset [d], per visum cuidam apparuit; viditque homo ille conquerentem beatum Antolianum cum reliquis sanctis, atque dicentem : Væ mihi, quia propter me multi fratrum meorum injuriati sunt : verumtamen dico, quia qui hæc cœperunt, ad effectum perducere non possunt. Quod ita gestum est. Erectis tamen parietibus **796** super altare ædis illius, turrem ac columnis [e], pharis, heracliisque transvolutis arcubus erexerunt, miram camerae fucorum diversitatibus imaginatam adhibentes picturam. Nam ita fuit hoc opus elegans et subtile, ut per longa tempora rimarum frequentatione divisum pene in ruinam pendere videretur. Quod periculum Avitus [f] pontifex cernens, anticipans futuram columnarum stragem, jussit tigna asseresque vel tegulas amoveri; quibus submotis nec adjutoriis columnis appositis, nutu Dei, discedentibus de machina structoribus ut cibum caperent, recedentibusque et reliquis a basilica, dato columnæ immenso pondere, cum magno sonitu super altare et circa altare diruerunt, completaque est ædes nebula de effracti calcis pulvere. At sacerdos exsanguis, duorum damnorum detrimenta suspirans, ne et marmora confregissent, et aliquis deperisset e populo, scire non poterat quid damni accessisset. Nullus enim propter nebulam pulveris illuc poterat accedere. Post duarum vero horarum spatium, recedente nebula, ingressi sunt vel defunctorum colligere corpora, vel columnarum fragmenta rimari. Nullum hominem periisse cognoscunt : altare quoque mirantur illæsum, in quod e tanta altitudine impactæ columnæ nihil læsionis intulerunt. Quid plura? invenerunt omnia integra, cuncta contemplantur esse salvata : glorificant Martyrem, conspiciunt Dei virtutem, qui sic altare columnasque servavit illæsas.

In hujus urbis territorio et Julianus martyr (*An.* 304, 28 *Aug.*) agonis palmam legitime decertando **797** promeruit. De cujus virtutibus quæ ad nos

[a] Frequentes istis temporibus fuere Francorum in Italiam expeditiones, quarum occasione quidam ex Italia Acta sancti Patrocli in Gallias afferre potuerunt. Incertum est autem an ea sint quæ ad nos usque pervenere, in quibus Patroclus Aureliani jussu cæsus memoratur. Aurelianus autem an. 273 et seq. in Gallias venit. Verisimilius tamen alii putant Aureliani nomine præsidem designari. Ejus sancti Martyris reliquias ab Ansegiso Trecensi episcopo obtinuit Bruno, Coloniensis episc., Ottonis Magni imp. frater, qui eas apud Susatum (*Soest*), Wesphaliæ oppidum, diœcesis Monasteriensis, deposuit, ubi hodieque servantur. Adi Bolland., die 21 Januarii. Translationis historiam ex Rotgero monacho descripsit Camuzatus Promptuarii fol. 434.

[b] De Antoliano egit Gregorius lib. I Hist. cap. 31, ubi inter alios martyres qui in Chroci Alemannorum regis in Gallias irruptione passi dicuntur, tempore Valeriani et Gallieni impp., Antolianum aliosque Arvernenses martyres recensere videtur. In libro de Ecclesiis Clarom. sanctus Antolianus in ecclesia sancti Galli quiescere dicitur; sed illa destructa, sacrum ejus corpus in ecclesiam sancti Illidii translatum est. Volunt tamen alii sancti Antoliani reliquias, destructa sæculo X sancti Galli ecclesia, in Cantogilense ordinis Benedictini cœnobium, hodiernæ sancti Flori diœcesis, translatas fuisse, ubi etiamnunc haberi dicuntur cum aliis multis sanctorum reliquiis, quæ hunc locum illustrant.

[c] Sic restituendum censet Sirmondus in notis ad Apollinaris Sidonii lib. III, epist. 13, idque exigit rerum veritas. Vide supra notas in lib. III Hist. capp. 2 et 12. Haud tamen diffiteor me nusquam hanc lectionem in Editis aut Scriptis invenisse. Sic quippe habent Editi Bad. et alii : *Alchima et soror Placidinæ conjux... cupientes.* Rom. et Colb. tut., *Alchima soror Placidinæ conjux... cupiens.* Laud., Bec., Colb. a, *cupientes.*

[d] Videant quale piaculum admittant, qui, posthabita omni religione, mortuorum cadavera adeo facile pro suo libitu effodere non verentur.

[e] Sic plerique Mss. alii cum Editis, *a columnis.* Et infra Mss. ut plurimum *eraclis*, seu *heraclis.* Hunc locum sic exponit Bolland. ad diem 6 Febr., ut arcus telamonibus, seu athlantibus, quos Gregorius *Heraclas*, quasi *Hercules* appellat, innixi fuerint. Pharos censet esse tigna quæ in modum phari assurgebant.

[f] Episcopus Arvernensis, de quo passim Gregorius

usque venerunt, in libro quem de ejus miraculis proprie scribere præsumpsimus declaravimus [a].

CAPUT LXVI.

De furto patrato in æde sancti Saturnini.

In ipso quoque territorio, tempore quo Chramnus [b] Arvernum abiit (*Post an.* 250, 29 *Nov.*), cum diversa scelera ab ejus gererentur ministris, quinque viri sacrosanctum oratorium domus Iciacensis [c] furtim appetunt : habentur autem in eo sancti Saturnini reliquiæ, irruptoque, ablatis palliolis vel reliquis ministerii ornamentis, nocte tegente discedunt. Sed presbyter recognoscens furtum, ac inter vicinos scrutans, nullum potuit ex his quæ ablata fuerant indicium reperire. Protinus vero latrones qui hæc admiserunt in Aurelianense se territorium transtulerunt : divisisque rebus, accepit unusquisque partem suam. Sed mox insequente ultione divina, quatuor in seditionibus interfecti sunt. Quintus vero totam sibi furti hujus hæreditatem superstes remanens vindicavit. Sed ubi hæc in domum suam contulit, statim obtectis sanguine oculis, excæcatus est. Tunc compunctus tam doloribus quam inspiratione divina, vovit, dicens : Si respexerit Deus miseriam meam, et mihi visum reddiderit, referam loco illi sancto quæ abstuli. Et hæc cum lacrymis orans, visum recepit. Accedens vero ad oppidum Aurelianense, providente Deo, diaconem Arvernum invenit. Cui traditis rebus, suppliciter exoravit ut easdem oratorio restitueret, quod diaconus devotus implevit.

CAPUT LXVII.

De sancto Genesio Arverno.

Nuperrimo autem tempore (*An*..... 28 *Oct.*) in hujus urbis Arvernæ territorio, **798** quod adjacet Tigernensi castello, Genesius [d] ejusdem loci sanctus se hoc modo revelavit. Pauper quidam boves, quos ad exercendam culturam habebat, casu ab oculis dilapsos perdidit, eosdemque sollicita indagine quæsitos, reperire non potuit. Consequenti vero nocte apparuit ei vir quidam per visum, dicens : Vade per viam quæ ad silvam ducit, et invenies boves quos sollicite requiris, juxta lapidem marmoris herbarum copiam decerpentes : junctisque ad plaustrum, marmor exhibe, et super sepulturam quæ viæ est propinqua compone. Ego enim sum, qui tibi hæc loquor, Genesius, cujus est tumulus ille, qui in albis positus per martyrium ab hoc mundo migravi. Consurgens autem homo ille diluculo, reperit boves juxta lapidem, fecitque sicut ei præceptum fuerat per visum. Sed nec in hoc defuit miraculum ; cum immensus lapis, quem multa boum paria movere vix poterant, a duobus tantum delatus est bobus. Ex hoc enim multi infirmi ibidem venientes, votorum promissa solventes, sanitatem recipiunt. Audiens hæc Avitus episcopus urbis illius, basilicam super tumulum Sancti magnam ædificavit [e], dedicatamque, festivitatem in ea excoli præcepit, in qua nunc multa frequentia populorum cum votis, ut diximus, veniens, cum sanitate regreditur. Hanc etiam basilicam sancti Genesii Arelatensis reliquiis illustravit.

CAPUT LXVIII.

De Genesio Arelatense martyre, seu, De moro reviviscente.

Hic vero martyr Genesius [f], decisione cervicis agonem pro Christi nomine, apud eamdem Arelatensem scilicet urbem, pollente fervore fidei, consummavit (*An*..... 25 *Aug.*). Est autem ibi arbor, ubi dicitur decollatus fuisse, genere morus, ex qua infirmis multa **799** plerumque beneficia, impertiente Martyre, sunt concessa. Sed decursis temporibus, cum rami cortexque ejus pro salvatione a multis detraherentur, arefacta est. Verumtamen adhuc fideliter petentibus vivit, similia præbens medicamina quod superest de columna.

CAPUT LXIX.

De miraculis per beatum Genesium factis.

Sed et pons quondam super Rhodanum fluvium, ubi beatus Martyr natasse fertur, in die solemnitatis ejus, disruptis catenis, quia super naves locatus erat, nutare cœpit, ac præ nimio pondere populorum ipsæ naves dehiscentes, in alveo fluminis po-

[a] Ipse est liber secundus quem infra habes.

[b] Colb. a, *Condramnus*. De his Chramni sceleribus vide lib. IV Historiæ capp. 15 et 16.

[c] Idem cod., in marg., al. manu, sed antiqua, *De oratorio Iciodorensi*. Iciodorum autem oppidum (*Issoire*) notum est apud Arvernos, ubi abbatia olim ob scholas, ubi sanctus Præjectus litteras didicit, celebris, de qua infra. Favet titulus in indice in Bell. et Laud. : *De oratorio Iciodorensi in Arverno, ubi sanctus Saturninus requiescit*. Colb. a : *De... Iciodorensi.... ubi sanctus Symphorianus*, etc. Retinendam esse vocem *Iciacensis* verisimilius est. Hic quippe designari videtur vicus *Issac* vulgo dictus, unica a Ricomago leuca distans, ubi hodieque ecclesia parochialis sanctum Saturninum Tolosatem episcopum patronum agnoscit.

[d] In Colb. tit., hic et in indice, dicitur *episcopus*, mendose, ut ex contextu patet, nam *in albis*, id est intra primam sui baptismi hebdomadam, martyrium complevit. Alius est Genesius episcopus Arvernensis labente sæculo VII, qui die 3 Junii colitur. Hujus sancti Acta habentur, sed quæ parvam merentur fidem. Dicitur e Græcia cum matre Genesia persecutionem fugiens Arelatem appulisse, ubi a sancto Trophimo baptizatus fuerit. Inde Arvernos veniens Austremonium ibi invenit, a quo ad sanctum Serenatum missus, prope Thigernum a paganis tentus et occisus est, anno ætatis 18. Dicitur vulgo Genesius infans (*saint Genez l'enfant*), ut ab aliis ejusdem nominis sanctis facilius distinguatur.

[e] Monasterium basilicæ adjunctum fuit, cui post sæculi VIII medium præfuit Joseph abbas, qui Pippini regis apocrysiarius fuisse dicitur in Historia translationis sancti Austremonii, tunc temporis factæ. Ordini Cluniacensi postmodum, retento abbatiæ titulo, unitum fuit, quod hodieque perseverat, vulgo *Thiern*, seu *Thiers*, in inferiori Arvernia.

[f] Hujus passionem sancto Paulino tributam dedimus inter Acta Martyrum sincera, pag. 603. Incertum est quo tempore passus sit. Festum ejus celebratur die 25 Augusti. Laudatur a Prudentio, Eucherio Lugdunensi episcopo, seu Eusebio Gallicano, Fortunato, et aliis.

pulum submergebant. Tunc omnes simul in discrimine positi, una voce clamaverunt, dicentes : Genesi beatissime, eripe nos propriæ sanctitatis virtute, ne pereat plebs quæ fideliter advenit tua devote solemnia celebrare. Mox flante vento vulgus omne ad littus reductum, miratur se virtute Martyris esse salvatum [a]. Nam et cancelli beati sepulcri sæpius a Langobardis vel reliquis hostibus confracti sunt. Sed arrepti a dæmone homines, aut comprehensi rabie, debacchantes, aut propriis se dentibus lacerantes, nihil de his quæ violenter ceperant abstulerunt. Ferunt etiam in hac urbe [b] fuisse mulierem, cui a viro crimen impactum, nec omnino probatum, a judice ut aquis immergeretur [c] dijudicata est. Cui cum ad collum lapis immensus funibus colligatus fuisset, in Rhodanum de navi præcipitata est. Illa vero beati Martyris auxilium precabatur, et nomen ejus invocans, aiebat : Sancte Genesi, gloriose Martyr, qui has aquas natandi pulsu sanctificasti [d], erue me juxta innocentiam meam : et statim super aquas ferri cœpit. Quod videntes populi, susceperunt eam in navi, et ad basilicam Sancti deduxerunt incolumem : nec ulterius a viro vel a judice est quæsita.

CAPUT LXX.

De quadam muliere injuste a marito adulterii accusata.

800 O quantum innocentia præstat, quantum mens pura meretur! Nam simili sorte alia mulier a viro suo adulterii crimen accepit. Quod coram judice diutissime denegans, cum propria confessione superari non posset, dijudicatur immergi. Dehinc concurrente ad spectaculum populo, ad pontem ducitur amnis Ararici, connexoque cum fune lapide molari collo ejus, præcipitaverunt eam in flumen, increpante desuper viro, atque dicente : Ablue nunc aquis abundantibus fornicationes immunditiasque tuas, quibus sæpe maculasti stratum meum. Sed Domini pietas, quæ insontes perire non patitur, providit stylum sub aquis, quem videre homo non poterat ; qui suscipiens funem, sustinuit mulierem, ne ad fundum fluminis perveniret. Et erant utraque sub aquis, mulier scilicet, et petra styli illius lance librata. Cumque jam sol occubitum peteret, propinqui feminæ illius deposcunt a judice, ut liceret per alveum torrentis cadaver parentis inquirere. Accepta itaque indulgentia, descenderunt ad locum in quo præcipitata fuerat mulier. Videruntque eam pendere cum lapide, missoque unco, abstraxerunt illam : intelligentesque eam esse vivam, velociter ad basilicam, quæ erat flumini proxima, transtulerunt ; timebant enim ne iterum mergi juberetur a judice. Interrogabant autem mulierem qualiter sub pelago vivere potuisset. Respondit : Non mihi aliter quam somnium visum est, nec amplius aquas sensi, nisi cum in his projecta descendi, aut ab his iterum sum resumpta, surrexi. Et mirabantur omnes non potuisse eam mori in tali discrimine ; salvavit enim eam puræ [*Al.* propriæ] conscientiæ fides, et Dominus, quem jugiter imprecata est. Deinde parentibus indulta, nec a **801** judice, nec a viro est amplius inquisita : sed ad virtutes martyrum redeamus.

CAPUT LXXI.

De Ferreolo et Ferrucione.

Vesonticorum [e] quoque civitas propriis illustrata martyribus, plerumque miraculis præsentibus gaudet. Huic in abdito cryptæ duo, ut passio [f] declarat, martyres, Ferreolus atque Ferrucio sunt sepulti (*An.* 211, 16 *Jun.*). Factum est autem quodam tempore ut vir sororis meæ invalescente febre graviter ægrotaret. Cumque jam quarti mensis spatio lectulo anhelus occumberet, ut nihil aliud conjux mœsta, nisi quæ sepulturæ erant necessaria cogitaret, Sanctorum basilicam flens ac tristis expetiit : provolutaque coram sepulcris, palmis ac facie rigente, opprimit pavimentum. Accidit autem fortuito ut, extensa dexteræ manus palma, folium herbæ salviæ, quod pro honore Martyrum in crypta conspersum fuerat, operiret. Postquam autem, fusa oratione, cum lacrymis surrexit a tumulis, putans aliquid de linteaminibus, quibus induta erat, manu prehendisse, ut assolet, volam continuit clausam ; egressaque basilicam, patefacta manu, folium herbæ miratur : obstupefacta vero quid hoc esset, munus cœleste indultum sibi divinitus recognoscit, ut scilicet per eum virtus Martyrum infirmo succurreret. Domum igitur jam lætior rediens, folium dilutum aqua viro porrexit ad bibendum. Qui ut hausit plenus fide, protinus sanitatem plenissimam meruit obtinere.

CAPUT LXXII.

De sancto Dionysio Parisiorum episcopo.

802 Dionysius vero episcopus, Parisiorum urbi datus est martyr [g] (*An.* 250, 9 *Oct.*) : tempore vero quo Sigibertus rex cum exercitu ad urbem illam venit, et maximam vicorum [h] ejus partem incendio

[a] De hoc miraculo vide homiliam sancti Hilarii Arelatensis episcopi apud Surium.

[b] Sic etiam Clar. b, omissis licet præcedentibus.

[c] Forte ad probationem sceleris, ut et cap. seq., quod examen judicium aquæ appellabatur, de quo passim auctores medii ævi. Vide Bignon., in tit. 55 Legis Salicæ.

[d] A ministris insecutus Rhodanum natando transiit, ut narrant ejus passionis auctor et Eusebius Gallicanus.

[e] Hoc caput et tria sequentia desunt in Clar. b.

[f] Edidit Surius istorum martyrum Acta. Eorum festivitas cum missa propria habetur in Missali Gothico apud Thomasum et Mabillon. Liturgiæ Gallicanæ lib. III, n. 53. Eorum martyrium sub initium Antonini Caracallæ contigisse censent viri eruditi. Vesontionem, ubi passi sunt, fidei prædicandæ causa a sancto Irenæo directi fuerant.

[g] Ex his quæ Gregorius in Hist. lib. I cap. 30, scripsit, Dionysius post an. 250 passus est. Si aliis monumentis fides sit, quæ eum a sancto Clemente in Gallias missum testantur, ejus passio sæculo II consignanda erit : quæ sententia fuit Patrum synodi Parisiensis pro sacris imaginibus an. 825. Vide Mabillon, tomo I Analect., pag. 63, et præceptum Theodorici IV regis, in appendice hujus operis.

[h] Ex hoc loco Launoius et ejus sequaces inferre voluerunt basilicam Dionysianam ac martyrum se-

concremavit (*An.* 574), quidam de primoribus ejus ad basilicam antedicti martyris properat, non orationis devotione, sed tantum ut aliquid fraudaret ab æde : qui scilicet ubi reserata ostia ac vacuum templum a custodibus reperisset, pallam holosericam, auroque exornatam et gemmis, quæ sanctum tegebat sepulcrum, temerario ausu diripuit, secumque sustulit. Veniens autem ad castra, fuit ei necessitas navigandi. Cumque puer ejus, quem tunc creditum habebat, suspensis ad collum ducentis aureis, navem cum eodem ascendisset, subito, a nullo tactus, de navi deruit, oppressusque aquis, nunquam potuit inveniri. Ille quoque judicium Dei in se cernens per pueri amissionem et auri, velociter littori de quo digressus fuerat, remeavit, pallamque sepulcri summa velocitate restituit. Et licet hoc fecerit, tamen diem in quo hæc admiserat, recurrente anni circulo, non attigit. Alius autem super sepulcrum sanctum calcare non metuens, dum columbam [a] auream lancea quærit elidere, elapsisque pedibus ab utraque parte, quia turritus [b] erat tumulus, compressis testiculis, lancea in latere defixa, exanimis est inventus. Id non fortuito contigisse, sed judicio Dei gestum, nullus ambigat.

CAPUT LXXIII.

De sancto Quintino Viromandensi.

803 Apud Viromanduense vero oppidum Galliarum, Quintinus martyr [c] quiescit, cujus beatum corpus a quadam religiosa, quæ dudum fuerat cæcata [d], reperitur (*An.* 287, 31 *Oct.*). Sed mox ut a fluminis fundo relevatum est (*An.* 342), miraculum protulit, cum mulieris facie [e], ubi primum illuxit, lumina cæcata restituit. In hac etiam urbe unus ex latronibus equum presbyteri furtim abstulit : inventus a presbytero, judici manifestatur; nec mora, apprehensus et in vincula compactus, supplicio subditur; opus suum ore proprio indicans, patibulo dijudicatur. Sed presbyter metuens ne ob sui damni causam anima hominis auferretur, judicem deprecatur, ut concessa illi vita, hic culpa reus absolveretur a pœna, dicens sibi satis esse jam factum, quod per tot tormentorum genera latro quæ gesserat declarasset : sed severitas judicis, cum nullis precibus potuisset inflecti, reum patibulo condemnavit. Tunc presbyter cum lacrymis prostratus ad beati Martyris tumulum, suppliciter deprecatur, dicens : Quæso, gloriosissime athleta Christi, ut eruas hunc pauperem de manu mortis iniquæ, ne mihi fiat in opprobrium, si per meam accusationem moriatur hic homo. Ostende, deprecor, virtutem tuam, ut quem asperitas humana nequit absolvere [f] lenis pietatis moderamine tu dissolvas. Hæc sacerdote cum lacrymis deprecante, disruptis vinculis patibuli, reus ad terram ruit. Quod audiens judex, timore perterritus, et divinam admirans virtutem, nihil ultra illi nocere præsumpsit.

CAPUT LXXIV [g].

De Genesio Beorritano martyre [h].

804 Est alius martyr infra terminum urbis Beorritanæ [i], presbyterii honore præditus, cujus passionis historia apud loci incolas legitur. Hic dum esset in corpore (*An.*....), castaneum diu aridum suis orationibus obtinuit in viriditatem redire : in cujus basilica cum plerumque super infirmos mirabilia ostendantur, illud præ cæteris est admirabile, quod lilium dudum collectum, et siccum, in ejus solemnitate denuo revirescit, ita ut intueantur illa die populi flores novos, quos pridem viderant arefactos. Ad hujus enim sepulcrum plerumque sacramentum mendax prolatum a perfidis virtute Martyris confutatur, ut qui temeritate elatus advenerat, emendatus abscedat.

CAPUT LXXV.

De sancto Sigismundo rege.

Sæpe enim Dominus arrogantiam contumacis mentis virga correctionis enervat, ut eamdem cultus sui

---

pulcra tunc in ipsa Parisiorum urbe exstitisse. Sed si hic locus cum libro IV Hist., cap. 44, conferatur, ubi *vici qui circa urbem erant* dicuntur a Sigiberti exercitu incensi, evanescet illa difficultas, potissimum cum passim *vicorum urbis* nomine loca ab urbe ipsa valde dissita apud Gregorium aliosque ejus ævi auctores intelligantur, ut probant invicte Cointius ad an. 574, num. 6, et fuse Had. Valesius in parte II Defensionis suæ contra Launoium, ubi de situ, statu monastico, et aliis ad basilicam Dionysianam spectantibus, disserit. Vide supra, col. 651, in notis ad cap. 79 Chronici Fredegarii.

[a] De ejusmodi columbis ad sepulcra appensis vide Mabillon., de Liturgia Gallic. lib. I cap. 9, ubi et de columbis altarium et baptisteriorum disseritur.

[b] Id est in modum pyramidis acuminatus, non quod turris ingens unquam supra sepulcrum erecta fuerit. Vide Vales. in Defensione adversus Launoium, parte I, cap. ult.

[c] Sanctus Quintinus sub Rictio Varo passus in Actis vulgatis memoratur, proindeque sub Maximiani persecutione. Viromanduorum urbi nomen suum tribuit, hodieque celebri sub sancti Quintini nomine, ubi insignis collegiata, quæ olim episcoporum Viromandensium sedes fuit, priusquam cathedram episcopalem Noviomum transferret sanctus Medardus. Lis est tamen inter viros eruditos an Augusta Viromanduorum sita fuerit ubi nunc Quintinopolis visitur ad Summonam fluvium, aut eo loco ubi superest abbatia ordinis Præmonstratensis cum vico *Viromandus*, etiamnunc *Vermand* dicto. Vide Cointium, ad an. 531, Valesium in notitia, Samsonem, Hemeræum, Vassorium, et alios.

[d] Hæc in Actis vulgatis Eusebia nobilis matrona Romana appellatur. Alteram sancti Quintini inventionem a sancto Eligio factam describit sanctus Audoenus in ejusdem sancti Vita, lib. II cap. 6.

[e] Aliquot Mss., *faciem*. Legendum *faciei*.

[f] Mss. duo, *humanæ nequitiæ absolvere nequit*. Colb. a, *absolvere noluit, tu dissolvas*.

[g] Istud caput invenimus in codice Floriacensi ab annis circ. 600 scripto, in quo non solum titulus ut in cæteris scriptis habet, *de Genesio Beorritano martyre*, sed et ejusdem martyris nomen, quod in aliis non occurrit, in ipso capitis textu his verbis exprimitur : *Est alius martyr Genesius infra terminum urbis Beorritanæ*, etc.

[h] Sic Mss. Editi vero, *De alio quodam martyre*. Quis vero ille Genesius fuerit, non licuit reperire.

[i] Id est territorii Bigorritani, ubi urbs Turba (*Tarbes en Bigorre*). Vide notas in Hist. lib. IX cap. 6.

veneratione [a] restituat, sicut quondam de Sigismundo [b] rege manifesta fides gestum profert (*An.* 523, 1 *Maii*). Hic etenim post interemptum per iniquæ consilium conjugis filium, compunctus corde Agaunum dirigit, ibique prostratus coram sepulcris beatissimorum martyrum legionis felicis [c] pœnitentiam egit [d], deprecans ut quæcunque deliquerat, in hoc ei sæculo ultio divina retribueret, ut scilicet habeatur in judicio absolutus, **805** si ei mala quæ gesserat, priusquam de mundo decedat, repensentur : ibique et psallentium [e] quotidianum instituit, locumque tam in territoriis quam in reliquis rebus affluentissime ditavit. Postea vero captus a Chlodomere rege cum filiis, interfectusque ejus jussu, ad eumdem locum delatus, sepulturæ mandatus est, quem in consortium Sanctorum ascitum ipsa res quæ geritur manifestat : nam si qui nunc frigoritici in ejus honore missas [f] devote celebrant, ejusque pro requie Deo offerunt oblationem, statim compressis tremoribus, restinctis febribus, sanitati pristinæ restaurantur.

CAPUT LXXVI.

De sanctis Agaunensibus, seu *De sancto Mauricio et sociis.*

Magna [g] est etiam virtus ad antedictorum martyrum sepulcra, de quibus relictis pluribus [h] pauca perstringere libuit. Mulier quædam filium suum unicum ad hoc monasterium adducens, abbati tradidit erudiendum, videlicet ut factus clericus, sanctis manciparetur officiis (*An.* 286, 22 *Sept.*). Verum cum jam spiritalibus eruditus esset in litteris, et cum reliquis clericis in choro canentium psalleret, modica pulsatus febre, spiritum exhalavit. Cucurrit mater orbata ad obsequium funeris plangens, sepelivitque filium. Verumtamen non suffecerunt hæ lacrymæ dolori, quæ in exsequiis sunt effusæ : sed per dies singulos veniebat, et super sepulcrum nati sui, emissis in altum vocibus, ejulabat. Cui tandem apparens per visum noctis beatus Mauricius, ait : Quid tu, o mulier, incessanter filii obitum plangens, nunquam desistis a luctu? Cui illa : Dies, inquit, vitæ meæ hunc planctum non explent; sed dum advixero, semper deflebo unicum meum, nec unquam mitigabor a lacrymis, **806** donec oculos corporis hujus debita mors concludat. Cui ille : Noli ita, ait, quasi mortuum flere, sed æquanimiter age, nam scias eum nobiscum habitare, et sedentem [i] vitæ perennis consortio nostro perfrui. Et ut veraciter credas certa esse quæ loquor, surge crastina die ad matutinum, et audies vocem ejus inter choros psallentium monachorum [j]. Et non solum die crastina, sed etiam omnibus diebus vitæ tuæ, cum veneris audies in psallentio vocem ejus; ideoque ne fleveris, eo quod gaudere te oporteat potius quam lugere. Surgit mulier, longaque ducit suspiria, nec obdormit in stratu suo, donec signum ad consurgendum commoveatur a monachis : quo commoto, accedit ad ecclesiam, aliqua de visione quam viderat probatura. Nihil enim præteriit de pollicitatione sancta, sed quæ fuerant divinitus nuntiata, mox impleta noscuntur. Verum ubi cantator responsorium [*Al.*, cantato responso], antiphonam caterva suscepit monachorum, audit genitrix, parvuli vocem cognoscit, et gratias agit Deo. Sed et illud quod Martyris ore promissum habebatur, prorsus impletum est, ut omnibus diebus vitæ suæ cum accessisset mulier ad psallentium, vocem audiret hujus infantuli inter reliqua modulamina vocum. Cum autem Guntchramnus rex ita se spiritalibus actionibus mancipasset, ut relictis sæculi pompis thesauros suos ecclesiis et pauperibus erogaret, accidit ut, misso presbytero, munera fratribus qui sanctis Agaunensibus deserviunt ex voto transmitteret, præcipiens presbytero ut ad eum rediens Sanctorum sibi reliquias exhiberet. Igitur dum, impleta regis præceptione, cum his regrederetur pignoribus, Lemanni laci, per quem Rhodanus influit, navigium petit. Extenditur autem lacus ille in longitudine quasi stadiis quadringentis, latitudine autem stadiis centum quinquaginta [k] **807**. Denique revertens presbyter, ut diximus, cum navigium hoc

[a] Sic Colb. a et Clar. a. Cæteri Mss., *veneratio*. Editi, *generatio*.

[b] Laud., Bell. et Colb. a, *Sigimundo*. De illo fusius agitur in Hist. lib. III capp. 5 et 6, ubi et de Agaunensi monasterio et de jugi psallentio in notis.

[c] Id est Mauricii, et aliorum martyrum de quibus cap. seq. De hoc nomine diximus in observationibus ad eorum Acta, inter sincera Martyrum, cap. 286.

[d] Sigismundum tunc vestem monasticam induisse scripserat Valesius lib. VII Rerum Franc., quod sub finem præfationis tomi II anno 523 factum dicit, quo anno, *Maximo consule*, ex Marii Aventicensis Chronico, ille a suis traditus et *in Franciam in habitu monachali perductus* occisus est.

[e] Colb. a, *psallentium chorum*, et sic semper. Præferenda tamen altera lectio, ut jam monuimus.

[f] Habetur hæc missa in vet. Sacramentario Gallicano Bobiensis monasterii a Mabillone edito; hanc in appendice dabimus. Oblatio autem pro requie sancti Sigismundi hic dicitur, id est ad gratias Deo referendas pro ejus requie, seu in ejus honorem, ut hic loquitur Greg. Sic in Missali Mozarabum *oro spiritibus pausantium* seu confessorum offertur.

[g] Hoc et tria quæ sequuntur capita desunt in Clar. b.

[h] Eorum passionem, a sancto Eucherio Lugdunensi episc. descriptam dedimus inter Acta Mart. sincera, pag. 289, ubi plura de iisdem sanctis martyribus observavimus, et de legione Felici pag. 286. Vide et Brouver. in Fortunat. lib. II carm. 14.

[i] Colb. a, *sedis*, alii, *sede*.

[j] Supra clericos appellabat, unde observa monachos qui canendis in choro Dei laudibus vacare consueverant a Gregorio clericos appellatos fuisse. Quod non hic solummodo fecit Gregorius, sed et passim eosdem modo monachos, modo clericos appellat; cujus rei varia exempla in aliis quoque auctoribus frequenter occurrunt, ut fusius ostendit noster Mabillon. in præfat. sæculi II Bened. num. 27. Vide Had. Valesium in disceptatione de Basilicis, et in ejus defensione, et Thomassin. Disciplinæ eccles. p. I, lib. III.

[k] Hunc longum sexaginta millia, latum viginti scribit Marius Aventicensis in Chronico. Vulgo dicitur Lacus Genevensis, ob celebrem urbem ipsi impositam.

fuisset aggressus, subito tempestas exorta fluctus tollit : ad sidera surgunt undarum montes, et nunc puppis naviculæ, prora dehiscente, fertur in altum ; nunc iterum, demersa puppe, prora tollitur in sublime. Turbantur nautæ, et nihil aliud nisi sola mors in hoc periculo præstolatur. Tunc presbyter cum videret se his fluctibus obrui, et spumis undarum ipsarum graviter operiri, extracta a collo capsula, quæ Sanctorum pignora continebat, undis tumentibus fidus objecit, ac Sanctorum præsidium clara invocat voce, dicens : Ne peream in his fluctibus, virtutem vestram deprecor, martyres gloriosi, sed potius qui jugiter pereuntibus præbetis auxilium, mihi, quæso, dextram salutis porrigere dignemini ; fluctus opprimite, nosque ad littus optatum vestri adjutorii ope reducite. Et hæc dicens, cessante vento, decedentibus undis, ad littus evecti sunt. Hæc ab ipso cognovi presbytero. In hoc etiam stagno ferunt tructarum piscium magnitudinem usque ad centum librarum pondera trutinari.

CAPUT LXXVII.

De sancto Victore Massiliensi.

Est [a] et ad sepulcrum sancti Victoris Massiliensis martyris mira virtus (*An.* 290 *aut* 303, 21 *Jul.*). Nam cum sæpius ad eum accedentes infirmi sanentur reliqui, energumeni tamen multum se collidentes, et Martyrem declamantes, ejectis dæmonibus liberantur. Aureliani autem patricii servus a dæmonio correptus, dolendo exitu cruciabatur, ita ut plerumque propriis se morsibus laceraret : **808** sed adductus ad basilicam Sancti, cum se exuri ejus virtute fateretur, debacchans per totam ædem, die tertia mundatus abscessit. Qui in tantum fidei merito roboratus est, ut deinceps, humiliatis capillis, abbatis sortitus ordinem monasterio uni præponeretur.

CAPUT LXXVIII.

De Baudillio martyre glorioso.

Est apud Nemausensis urbis oppidum Baudillii [b] beati martyris gloriosum sepulcrum, de quo sæpius virtutes multæ manifestantur (*An.*... 20 *Maii*). Ex quo sepulcro laurus orta et per parietem egressa, arborem foris fecit salubri coma vernantem. Quod A sæpe loci incolæ in multis infirmitatibus habere cœleste remedium sunt experti. Pro quibus virtutum beneficiis, cum plerumque nudaretur a foliis vel ipsa quodammodo cortice, arida est effecta. Unde quia morbos ab ea multarum infirmitatum diximus depelli, longum fuit singulos quosque memorari : ideo hæc sufficere putavi, quod ea medicamenta largiendo aridam effectam dixi. Etiam fertur celebre a negotiatore quodam in Oriente de his foliis deportatum pignus fuisse : sed priusquam portum negotiator attingeret, energumenus in ecclesia adire Baudillium martyrem Orientalem plagam, stupentibus populis, declamavit. Ostendit autem beatus Martyr et in aliis virtutem suam. Aram vero Theodorici regis Italici dux, dum in Arelatensi urbe resideret, exstitit ei B quidam archipresbyter parochiæ Nemausensis invisus. Tunc fervens felle, contra eum misit pueros, dicens : Ite quantocius, et ligatis pedibus ac manibus, adducite eum cum **809** vi, ut cognoscat quod sim dominus regionis hujus. At illi non intelligentes archipresbyterum, putaverunt quod archidiaconem jussisset adduci. Et ascensis equitibus venerunt ad urbem, interrogantesque de archidiacono, digito eis ostensus est. Erat enim hic Joannes nomine, valde religiosus, et in archidiaconatu suo studium docendi parvulos habens [c] : apprehensumque pueri ducis ligatis manibus ac pedibus sub alvo equi adduxerunt eum. Sed non desiit virtus Martyris alumno proprio subvenire. Pueri vero juxta ipsam portam cum eo mansionem habuerunt, quia jam obseratis pro nocte C portarum valvis, ingredi non potuerunt. In ipsa vero nocte, duce obdormiente, astitit ei archidiaconus per visum, dicens : Quid tibi, o homo, culpabilis exstiti, quod me in hanc humilitatem redactum cum tali jussisti injuria accersiri ? Vere dicam tibi, quia non effugies judicium Dei. At ille expergefactus, consternatusque metu, exclamat suis : Inquirite si pueri quos Nemausum direximus jam venerunt. Interrogantesque de muro urbis responderunt se adesse cum homine. Renuntiant nuntii quæ audierant. Confestimque dux ait : Exhibete ad me hominem quem adduxistis. Quod cum factum fuisset, aspiciens eum dux, timore perterritus, ait : Archipresbyterum ego adduci præceperam, non archidia-

[a] Hoc caput et duo sequentia non habet Colb. tut. in cod. vero Clar. a quæ sequuntur ad caput 88 inclusive desunt. Porro sanctus Victor passus est Massiliæ sub Diocletiani et Maximiani persecutione. Ejus Acta dedimus inter sincera Martyrum, pag. 292, cujus festum in Martyrologiis celebratur die 21 Julii, a Fortunato autem laudatur lib. VIII carm. 4. De basilica ipsius noster Gregorius lib. IX Hist. cap. 22, quæ etiamnunc celebris est cum insigni monasterio ordinis Benedictini, quod originem suam debet celebri Joanni Cassiano, qui sæculo V floruit. Hujus loci historiam sub titulo Cassiani illustrati edidit Guesnayus.

[b] Colb. a, *Baudelii*, et sic semper. Ejus Acta habentur die 20 Maii Bollandiani, sed non adeo antiqua ut integram mereantur fidem. Sedatis gentilium persecutionibus, Christiani supra ejusdem sancti sepulcrum ecclesiam construxerunt, quæ postea abbatiæ titulo decorata fuisse dicitur. Sæculo XI labente in prioratum redacta fuit, et Seguino Casæ Dei abbati subjecta, qui ibi monachos restituit. Sed anno circiter 1561, a Calvinianis hæreticis simul cum regularibus locis in favillas redacta fuit ; jacetque exinde sub ruinis beati Martyris sepulcrum, quod nondum detectum fuit. Imo cum nulla restaurandi veteris monasterii spes affulgeret, Casenses monachi vetus episcopale palatium pretio comparaverunt, ubi novum sub sancti Baudilii patrocinio monasterium excitatum est, in quod, favente ill. episcopo Nemausensi Spiritu Fléchier, monachi Benedictini congr. sancti Mauri, e Casa Dei monasterio introducti fuere die 23 Sept. an. 1689, qui ibidem perseverant. De ejus sancti reliquiis an Aurelianum translatæ fuerint vide Bollandianos. D

[c] Archidiaconi munia et prærogativas egregie describit sanctus Isidorus epist. ad Leudefredum episc. Cordubensem. Vide et lib. I Decretal. cap. 2, apud Bolland., 18 Martii, in elogio sancti Braulionis.

cnem. Et prostratus ad pedes ejus, ait : Indulge, quæso, injuriam delicti hujus, quia non est in conscientia mea, ut hæc passus fuisses. Et statim dignis honoratum muneribus remisit ad urbem, quem in tanto amore pro ipsa Martyris reverentia dilexit in posterum, ut decedente urbis illius sacerdote, ipsum sacerdotem mandaret institui [a]. Sed nec archipresbyterum amplius inquiri jussit. O magna virtus Martyris, quæ per innocentis injuriam noxium absolvit a pœna ! impletumque est illud Apostoli, quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28), cum hæc injuria gradum **810** huic construxit, quem scanderet ad regendam ecclesiam Dei.

CAPUT LXXIX.

De miraculis beati Andreæ apostoli in ecclesia Agathensi.

Ecclesia quoque Agathensis urbis, quæ sancti Andreæ apostoli reliquiis plaudit [b], plerumque gloriosis illustratur miraculis, pervasores rerum suarum sæpius arguit. Denique cum Gomacharius [c] comes agrum ecclesiæ ipsius pervaderet, tunc Leo episcopus [d] hujus ecclesiæ valde mœstus concurrit ad eum, dicens : Relinque, o fili, res pauperum quas ordinationi nostræ Dominus commendavit, ne tibi sit noxium, et a lacrymis egentium, qui de fructibus ejus ali consueverant, eneceris. Ille vero quia erat hæreticus, parvipendens de his quæ ab episcopo dicebantur, rem in sua dominatione retinuit. Interim, procedente die, arripitur a febre, cumque non modo ardore corporeo, verum etiam animæ vexaretur incommodo, misit ad episcopum nuntios, dicens : Dignetur pro me sacerdos orationem ad Dominum fundere, et ego dimittam agrum ejus. Quo orante, hic a valetudine qua gravabatur convaluit, factusque sanus, ait suis : Quid putatis, quid isti nunc Romani dicant? Aiunt enim me ob hoc fuisse febre gravatum, quia tulerim agrum eorum, quod mihi juxta consuetudinem humani corporis accidit, verumtamen non habebunt eum me vivente. Et dicto citius misit qui eum iterum auferret. Quod cum episcopus comperisset, venit ad eum, dicens : Num pœnitet te prius fecisse bene, quod hoc iterum conaris evertere? ne facias, quæso, ne ultioni divinæ subjaceas. Qui ait ad episcopum : Sile, sile, decrepite, nam infrenatum te loris, circuire urbem super asinum faciam, ut sis in ridiculo omnibus qui te aspexerint. At ille silens ad nota recurrit præsidia : prosternitur in oratione, **811** celebrat vigilias, ac noctem totam in lacrymis et psallentio ducit. Mane autem facto, accedit ad lychnos qui de camera ecclesiæ dependebant, extendensque virgam quam tenebat in manu, effregit cunctos, dicens : Non hic accendatur lumen, donec ulciscatur Deus de inimicis, et restituat res domus suæ. Hæc eo dicente protinus hæreticus ille in redivivam febrem corruit. Cumque in extremis ageret, misit ad episcopum, dicens : Oret pro me sacerdos ad Dominum, ut vivam, et restituam agrum, ac similem ejus conferam dominationi. Quibus pontifex respondit : Jam oravi ad Dominum, et exaudivit me. Misit et alios ac tertios ad eum nuntios. Sed sacerdos in uno responso persistens, non movebatur ad hæc, ut pro eo orationem daret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens, jussit se in plaustro componi, atque ad eumdem evehi, ac per se deprecari episcopum, dicens : Quia dupla satisfactione restituo agrum quem inique pervasi, tantum ut oret pro me sanctitas tua. Illo quoque recusante, compulit eum vi ut abiret ad ecclesiam, quo discedente, ut ecclesiam est ingressus, et hic spiritum exhalavit, recepitque confestim ecclesia rem suam.

CAPUT LXXX.

De approbatione fidei Christianæ per miraculum.

Semper enim catholicorum inimica est hæresis, et ubicunque potuerit tendere insidias, non obmittit : sicut illud est, quod quodam loco factum celebre fama profert. Mulier quædam erat catholica, habens virum hæreticum : ad quam cum venisset presbyter nostræ religionis valde catholicus, ait mulier ad virum suum : Peto charitati tuæ ut pro adventu hujus sacerdotis, qui me visitare dignatus est, lætitia haleatur in domo nostra, ac præparatum dignis impendiis prandium epulemur cum eo. Promittente autem viro ejus sic se, ut illa flagitabat, **812** facturum, advenit et alius hæreticorum presbyter, dixitque vir mulieri : Duplicata est lætitia hodie, eo quod sint sacerdotes utriusque religionis in domo nostra. Discumbentibus autem ad convivium, vir ille cum presbytero dextræ partis [e] cornu occupat, catholicum ad sinistram statuens, positaque ad lævam ejus sellula, in qua conjux ejus resideret. Dixitque vir ad presbyterum hæreticum : Si consenseris dictionibus

[a] Mirum est hunc Joannem in catalogis Nemausensium episc. desiderari. Locus ei dandus est inter Sedatum, qui an. 506 concilio Agathensi adfuit, et Pelagium, qui an. 589 interfuit concil. Narbon., anno vero præcedenti concilio Toletano.

[b] Juxta hanc ecclesiam monasterium construxit sanctus Severus, ubi trecentis fratribus præfuit, ex ejus Vita in appendice sæculi I Benedictini. Istud monasterium postea ad sæculares canonicos transiit. Ibi habita est synodus Agathensis an. 506, ex ejus præfatione.

[c] Cod. Laud., *Comacharius.*

[d] Leo Agathensem ecclesiam rexit inter Sophronium, qui an. 506 Agathensi concilio interfuit, et Tigridium, qui subscripsit concilio Narbon. an. 589.

[e] Multa exempla ex auctoribus sacris et profanis adducit in utramque partem Savaro in notis ad epist. 2 lib. I Apollinaris Sidonii, de nobiliori in mensa loco, an censeri debeat ad dexteram, an ad sinistram. Quæ forte opinionum diversitas ex eo procedit, quod alii alio modo dexteram aut sinistram partem acciperent. Dexteram hic Gregorius, nobiliorem appellat. Veteres icones sanctum Paulum a dextris sanctum Petrum a sinistris repræsentant. De modo accumbendi ad mensam plura habet Lambecius tomo IV Bibliothecæ Cæsareæ, additamento 8, ubi veteres ea de re picturæ repræsentantur. Vide Sirmondi notas in lib. I Apollinaris Sidonii epist. 2 et duas ejusdem ea de re epistolas tomo V novæ editionis.

meis, exerceamus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero, ut scilicet apposito ferculo, tu celerius signare festines; cumque ille manum non posuerit, illo tristante nos cum lætitia comedemus cibum. Cui ille : Faciam, inquit, quod præcipis. Denique venicnte disco cum oleribus, signavit hæreticus, posuitque primus manum suam. Quod cernens mulier, ait : Ne feceris, quia ingrate fero injuriam sacerdotis. Et exhibito alio cibo sumpsit catholicus. In secundo vero et tertio ferculo similiter fecit hæreticus. Quarto autem exhibito, cujus in medium sartago fervens advenerat, in qua compositus erat cibus ille, qui ex collisis ovis parumper mixta farina, dactylorum partibus olivarumque rotunditatibus assolet exornari, festinans hæreticus, priusquam ferculum illud vel mensam tangeret, elevata in obviam manu, signat, statimque positum cochlearium sumit, non intelligens an caleret, ferventemque cibum velociter inglutivit. Protinus, accenso pectore, æstuare cœpit, emissoque cum suspirio immenso ventris strepitu, nequam spiritum exhalavit : ablatusque de convivio, locatus in tumulo, terræ [*Al.*, terrenæ] molis congerie est opertus. Tunc exsultans presbyter nostræ religionis, ait : Vere ultus est Deus servos suos. Et conversus ad virum cujus erat convivium, dixit : Periit hujus memoria cum sonitu, et Dominus in æternum permanet (*Psal.* IX, 7). Tu vero appone quod comedam. Tunc homo ille perterritus, expleto convivio, provolutus est ad pedes presbyteri, conversusque ad fidem catholicam, credidit cum domo sua, qui in hac **813** perfidia tenebatur; et multiplicata est lætitia, sicut prius mulier flagitaverat.

CAPUT LXXXI.

De altercatione catholici diaconi cum presbytero hæretico.

Arianorum presbyter cum diacono nostræ religionis altercationem habebat, proferens contra Dei Filium ac Spiritum sanctum, ut mos est genti illi, venenosas assertiones. At ille cum diu multumque nonnulla de fidei nostræ ratione disseruisset, et hæreticus perfidiæ obcæcatus caligine, quæ erant vera respueret, juxta illud, quia *In malevolam animam non introibit Sapientia* (*Sap.* I, 4), adjecit, dicens : Quid longis sermocinationum intentionibus fatigamur? factis rei veritas approbetur : succendatur igni æneus, et in ferventi aqua annulus cujusdam projiciatur. Qui vero eum ex ferventi unda sustulerit, ille justitiam consequi comprobatur. Quo facto, pars diversa ad cognitionem hujus justitiæ convertatur. Intellige itaque, et tu hæretice, si hæc pars nostra Spiritu sancto adjuvante compleverit, nihil in sancta Trinitate dissonum, nihil esse dissimile fatearis. Consensit hæreticus huic diffinitioni, et inito usque mane placito, discesserunt; sed fidei fervor per quem hæc primum diaconus protulerat, cœpit inimico insidiante tepescere. Diluculo autem surgens, brachium infundit oleo, unguento conspergit. Sed tamen loca sancta circuit, et Dominum deprecatur. Quid plura? circa horam tertiam in foro conveniunt. Concurrit populus ad spectaculum. Accenditur ignis, æneus superponitur, fervet valde, annulus in unda ferventi projicitur. Invitat primum diaconus hæreticum, ut ipse eum a calore auferat. Sed statim recusavit, dicens : Qui hanc sententiam protulisti, debes auferre. Diaconus vero licet trepidus, tamen denudat brachium. Cumque ipsum vidisset unguentis hæreticus presbyter delibutum, exclamavit dicens : Magicis artibus te elitandum putasti, ut hæc unguenta diffunderes, nec valebunt ista quæ agis. Illis ita litigantibus, supervenit diaconus ab urbe Ravenna, Jacinctus **814** nomine, sciscitansque quæ esset hæc altercatio, ut veritatem cognovit, nec moratus, extracto a vestimentis brachio, in æneum dexteram mergit. Annulus enim qui ejectus fuerat, erat valde levis ac parvulus, nec minus ferebatur ab unda, quam vento possit ferri vel palea : quem diu multumque quæsitum, infra unius horæ spatium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille sub dolio, quo validius fervens non facile assequi possit annulus a manu quærentis, extractumque tandem, nihil diaconus sensit in carne sua : sed potius protestatur, in imo quidem frigidum esse æneum, in summitate vero calorem teporis modici continentem. Quod cernens hæreticus, valde confusus, injecit audax manum in æneo, dicens : Præstabit mihi hæc fides mea. Injecta manu, protinus usque ad ipsa ossium interiora omnis caro liquefacta defluxit, et sic altercatio finem fecit [a].

CAPUT LXXXII.

De clerico pro confessione Dominica cæso in Hispania.

Sed et nostro tempore, cum incredulitas ac iniqua Arianorum secta in locis Hispaniæ per malorum pessimas assertiones disseminata fuisset, quidam clericus apprehensus, Christianum se esse confessus est, asserens æqualem Patri Filium et Spiritum sanctum esse. Cui rex [b] qui præerat, oblatis muneribus, tanquam majorem se supplicter deprecabatur, ut scilicet compressa confessione de sanctæ Trinitatis æqualitate, minorem Patre Filium cum sancto Spiritu fateretur. Quod si faceret, et facultatibus ditaretur, et magnus haberetur in populis. Quod ille consilium, tanquam morsum viperæ fugiens, ac iniqui virus mortiferum respuens anguis, adjecit rex : Video, inquit, duram intentionem mentis insanæ, sed novi temperamentum tuum, ut quem munera non deflectunt, facile tormenta subjiciant. At ille : Utinam dignus habear, ait, in hac jugulari confessione, nam munera tua tanquam stercus exhorreo. Tunc iratus rex, jussit eum ad trochleas extendi, et fortiter **815** cædi, interrogans : Quid credis? Respondit :

[a] Vide notas in cap. 14 lib. de Gloria Conf.
[b] Is fuit, ut reor, Leuvigildus, qui persecutionem in Catholicos movit.

Jam dixi tibi : Credo Deum Patrem omnipotentem, et Filium ejus Jesum Christum. Post hæc cæsus est valde, sed semper durabat in confessione, nec unquam eum a fidei linea potuit hæc tortura deflectere. Nam in primordio cum cæderetur, tres tantum verborum ictus sensit, qui, ut ipse postea referebat, ipsam animam penetrarunt. Reliqua vero flagella, tanquam si aliquod velamentum dorso superpositum fuisset, ita non sentiens, magis fidem quam corpus inter tormenta positus prædicabat. Itaque cum regi satisfactum de ejus cæde fuisset, dimissus est, obtestante eo ne in terminis Hispaniæ unquam inveniretur. At ille lætus discedens, in Gallias est regressus [*Al.*, egressus]. Sed ut fides dictis adhibeatur, ego hominem vidi, qui hæc ab ipsius clerici ore audita narravit.

CAPUT LXXXIII.

De reliquiis plurium martyrum, Pauli scilicet, Laurentii, Pancratii, Chrysanthi, Dariæ virginis, Joannis et Pauli ejus fratris.

Per [a] hanc enim confessionem martyres gloriosi ineffabilia semper salutarium munerum beneficia meruerunt, ac petentibus se hoc præstiterunt virtute, quod eisdem a Domino imperitum est Creatore, sicut nobis nuper a diacono nostro relatum, ita gestum esse cognovimus. Hic autem diaconus [b] a papa urbis Romanæ Pelagio (*An.* 590), quorumdam martyrum confessorumque assumpta pignora, cum grandi psallentio vel clericorum officio, ac populi immensi obsequio, usque ad portum deductus est. Et ingressus navem, erectis velis, ac per illum antennæ quæ modulum crucis gestat apparatum extensis, flante vento, pelagus altum arripiunt. Qui dum navigant, ut Massiliensis urbis portum attingant, appropinquare cœperunt ad locum quemdam, de quo a littore maris lapideus mons exsurgens, ac paulatim decedens, summo tenus unda in mari distenditur. Cumque impellente vento carina magno **816** impetu ferretur in præceps, ut scilicet scopulo illisa quassaretur, ac nautæ discrimen intuentes, exitum vociferarent, diaconus, elevata cum sanctis pignoribus capsa, invocare nomina singulorum cum gemitu et voce maxima cœpit, deprecans ut eorum virtute ab hoc periculo perituri liberarentur. Jamjamque appropinquabat navis, ut præfati sumus, ad scopulum : et statim in sanctarum contemplatione reliquiarum, ab ipso loco commotus cum violentia majori ventus huic vento contrarius fluctum elisit, ventumque diversum repulit, ac nave in pelagus profundum revocata, cunctos a mortis periculo liberavit : sicque, gyrata mole periculi, portum quem desiderabant, cum Domini misericordia ac sanctorum patrocinio contigerunt. Erant enim reliquiæ sanctorum, quorum sacra vestigia Domini manibus sunt ablutæ [c], cum Pauli, Laurentiique, atque Pancratii, Chrysanthi, Dariæque virginis, Joannis, atque alterius Pauli fratris ejus [d], reliquiis, quorum certamina ac palmas victoriarum ipsa caput orbis urbs Roma devote concelebrat.

CAPUT LXXXIV.

De reliquiis quas pater meus habuit.

Quid vero et de his reliquiis quas quondam genitor meus secum habuit fuerit gestum, edicam? Tempore quo Theudebertus Arvernorum filios in obsidatum tolli præcepit, pater meus nuper junctus conjugio, voluit se sanctorum reliquiis communiri, petivitque a quodam sacerdote ut ei aliquid de eisdem indulgeret, quo scilicet in viam longinquam abiens, tali præsidio tutaretur. Tunc inclusos in lupino aureo sacros cineres circa eum posuit : sed ignarus vir nominum beatorum, referre erat solitus, se a multis tunc erutum periculis, nam et violentias latronum, et pericula fluminum, improbitates seditiosorum, et assultus sensuum [e], sæpius se evasisse horum virtutibus testabatur. Quid tamen ego de his viderim, non scribo. Post genitoris mei obitum, mater mea hæc **817** pignora super se habebat. Igitur segetum advenerat sectio, et congregati in areis frugum acervi fuerant magni. In illis autem diebus, cum jam semina triturarentur, et sicut Lemane [f] vestitum segetibus, nudum habetur a silvis, intercedente gelu, cum non esset unde ignis accenderetur, ab ipsis paleis focos sibi a hibuerant excussores. Interea recedunt omnes ad capiendum cibum. Et ecce inter incrementa sua, cœpit per paleas paulatim ignis spargi. Nec mora, flante Noto, acervi ab igne comprehenduntur : fit magnum incendium, insequitur clamor virorum, strepitusque mulierum, ululatus infantium. Hæc autem agebantur in agro nostro. Quod sentiens mater mea, quæ hæc pignora collo appensa gestaba, exsilit de convivio, elevatisque sacris pignoribus contra ignium globos, ita omne ce sit incendium de momento, ut vix inter moles exustarum palearum vel semina ignis invenirentur : nihil tamen frugibus quas apprehenderat nocens. Post multos vero annos has reliquias a genitrice suscepi : cumque iter de Burgundia ad Arvernum ageremus, orta est contra nos magna tempestas : cœpitque crebris ignibus micare cœlum, validisque tonitruorum fragoribus resonare. Tunc extractis a sinu beatis reliquiis, manum elevo contra nubem quæ protinus divisa in duas partes dextra lævaque præteriens, neque nobis, neque ulli deinceps nocuit. At ego, ut juvenilis fervor agere solet, vanæ gloriæ inflari supercilio cœpi, et tacitus cogitare, non hoc tantum sanctorum meritis, quam mihi proprie fuisse concessum, atque ad socios iti-

[a] Deest hoc caput cum duobus sequentibus in Clar. b.

[b] De eo lib. x Hist. cap. 1. Unde conjicimus hanc reliquiarum translationem ad an. circ. 590 esse revocandam.

[c] Id est apostolorum, quibus pedes Christus lavit.

[d] Ii sunt celebres fratres germani, Constantiæ eunuchi, qui sub Juliano Apostata Romæ passi dicuntur.

[e] Colb. 2, *assultus ensuum*, an legendum *ensium*?

[f] Alii codices, *Lemmane*, id est Limania Arvernica.

neris jactans, ac proferre quod innocentiæ meæ Deus præstiterit, ut hæc mererer. Nec mora, elapsus subito suo me equus, ad terram elisit; in quo casu tam graviter sum contractus, ut vix surgere possem. Intellexi enim mihi ista a vanitate evenisse, satisque fuit deinc observare, ne me ultra vanæ gloriæ stimularet aculeus. Nam si evenit ut mererer deinceps aliqua de sanctorum virtutibus contemplari, **818** Dei illa munera [*Laud.*, munere] per sanctorum fidem præstita præconavi.

CAPUT LXXXV.

De eo qui pedes in patena lavit.

In nullo est enim temeritas utilis, ut illud quisque appetat quod exercere non licet. Sic et Britannorum comes cum graviter a doloribus pedum affligeretur, et per medicos expendens substantiam suam, nihil commodius habuisset, dixit ei quidam de suis : Si enim ab ecclesia tibi aliquod vas ministerii quod in altari ponitur deferatur, in quo pedes ablueres, poterat tibi hæc causa ferre medelam : stulti et inertes non cognoscentes quod sacrata Deo vasa non debeant ad usus humanos aptari. At ille celeriter ad ecclesiam mittit, et patenam argenteam sacrosancti altaris de sacrario suscepit; ibique pedes abluit[a]; sed statim doloribus additis, ad plenum debilitatus, nunquam postea gressum facere potuit. Sed et Longobardorum ducem fecisse similiter comperi.

CAPUT LXXXVI.

De diacono cui turris inter manus effugivit.

Deflemus[b] enim scelera nostra et plangimus, cum nos mundos esse nescimus, et ad ipsum altare Domini accedentes, audenter sanctum corpus ejus et sanguinem, cum simus actu polluti, potius ad judicium sumimus quam ut veniam consequamur. Nam recolo quod in adolescentia mea gestum audivi. Dies passionis erat Polycarpi martyris magni, et in Ricomagensi vico civitatis Arvernæ ejus solemnia celebrabantur. Lecta igitur passione[c] cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre diaconus in qua mysterium[d] dominici corporis habebatur, **819** ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aera, et sic ad ipsam aram accedens, nunquam eam manus diaconi potuit assequi : quod non alia credimus actum de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia. Sæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admissa. Uni tantum presbytero et tribus mulieribus, ex quibus una mater mea erat, hæc videre licitum fuit, cæteri non viderunt. Aderam fateor et ego tunc temporis huic festivitati, sed hæc videre non merui.

CAPUT LXXXVII.

De Epachio, qui post sumptum jentaculum ausus est celebrare.

Sic et Epachius presbyter, dum temere, quæ indignus erat agere præsumpsisset, divino judicio solo projectus occubuit. Hic enim dum dominici Natalis vigilias celebrare ecclesiam expetisset, per singula horarum momenta egrediebatur de templo Dei, ac in domo sua pocula lasciva spumantibus pateris hauriebat, ita ut affirmarent multi eum post galli cantum in ipsa nocte vidisse bibentem. Sed cum esset ex genere senatorio, et nullus in vico illo Ricomagensi, superius memorato, juxta sæculi dignitatem haberetur nobilior, celebrare solemnia missarum expetitur. Nec dubitat miser vino madefactus appetere quod jejunus quisque non sine metu potest terrente conscientia explicare. Verum ubi explicitis verbis sacris, confracto corporis dominici sacramento, et ipse sumpsit, et aliis distribuit ad edendum : mox equini hinnitus ad modum vocem emittens, ad terram ruit, ac spumas cum ipsa mysterii sacri particula, quam dentibus comminuere non valuit, ab ore projiciens, inter manus suorum ab ecclesia deportatur. Nec earuit ultra hac epilepsiæ infirmitate, sed per singulos **820** lunares cursus incrementis decrementisque hæc semper pertulit, quia ab haustu nimio vini minime infelix abstinuit. Quo ergo honore, quave reverentia hæc nox celebrari debeat, præsens exemplum docet. Quodam tempore, cum in hac solemnitate de vigilia egressus, paululum obdormissem, venit ad me vir quidam, dicens : Surge et revertere ad ecclesiam; et ego expergefactus, signo crucis opposito, iterum obdormivi. Nec destitit, sed iterat priora verba eadem quæ prius persona[e]. Sed cum nec secunda admonitus vice consurgerem, et iterum obdormissem, advenit tertio, et alapam imponens maxillæ, ait : En tu reliquos ad vigilias admonere debes, et adhuc sopore opprimeris? Tunc pavore perterritus, cum grandi velocitate ad ecclesiam sum regressus. Hæc de Natalis dominici vigilia dicta sufficiant. Sed ad temeraries revertamur.

[a] Ex hoc loco recte colligit Mabillon., lib. I Liturgiæ Gallic. cap. 7, patenas tunc capacissimas fuisse. Confer caput 8 libri de Virtutibus sancti Juliani.

[b] Hoc caput deest in Colb. tut. In Editis hunc habet titulum : *Non esse tractanda sacra animo polluto.* Vox autem *sacra* Eucharistiam passim designat.

[c] Martyrum Acta publice olim in ecclesia lecta fuisse probavimus in præfatione ad Acta martyrum sincera pag. 14. Etiam in missa recitabantur ex hoc loco, cui consentiunt Hilduinus in epistola ad Ludovicum Pium Areopagiticis prælixa, Braulio in Vita sancti Æmiliani, et alii.

[d] Sic omnes Mss. quos licuit videre, cum Clict. Alii Editi posteriores, *ministerium.* Nostra lectio confirmatur ex sancto Odone qui hunc Gregorii locum referens lib. II Collationum capite 32, hæc verba interpretatur *capsam cum corpore Domini.* Et quidem Felix episc. Bituricensis laudatur a Fortunato, lib. III carm. 23, quod ejusmodi turrem fieri curavisset,

Quam bene juncta decent, sacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.

Hinc egregie confirmatur sententia Mabillonii nostri, in Liturgia Gallicana et in Commentario in Ordinem Romanum, § 20, scribentis morem olim in ecclesia fuisse ut pontifici ad altare procedenti præferretur Eucharistia. Qui mos, uti ex hoc loco patet, non solum Romæ, sed etiam in Gallia receptus erat. Ejusmodi turris benedictionem vide infra in appendice.

[e] Editi et aliquot scripti, *eademque personat.*

CAPUT LXXXVIII.

De Jordane fugiente coram muliere facinorosa.

Mulier erat adultera ab Hierico civitate, cujus hæc erat consuetudo teterrima, ut quoties a scorto concipiens partum edidisset, statim suffocatum terræ reconderet, ut scilicet fieret occultum hominibus, quod Deum et ejus angelos non latebat. Scilicet cum dies sanctus Epiphaniorum advenisset, et omnes in Jordanem descenderent abluere tam vulnera corporis (*Vid. supra, cap.* 17) quam animæ cicatrices, hæc cum reliquo populo ad littus accessit. Cumque levatis usque ad geniculum vestimentis, ut amnem ingrederetur, mirum dictu! fugit aqua ante pedes ejus : illa quoque insequente, fluvius ad ripam aliam premebatur [a]. Hæc videntes populi, mirati sunt tale factum in die celeberrimo contigisse : cognoscentesque mulierem esse facinorosam, interrogant **821** quid mali fecerit, ut hæc ei in tali frequentatione populi evenissent. At illa conversa ad populum crimen fatetur, dicens : Septem jam a me parvulos editos interfeci, quos de incestu concipiens, metui publicare, octavum adhuc die prætereita suggillavi. Rogo ergo ut fundatis pro me orationem ad Dominum, quatenus remissa iniquitate, peccare jam desinam, ne me cœlestis ira consumat. Hæc ea loquente, omnis populus prostratus ad terram, precem fudit ad Dominum, ut ei misericorditer ignosceret, quod adminiculante ignavia deliquisset. Post orationem vero mulier, extensis per terram brachiis, spiritum exhalavit. Quod ob hoc contigisse reor, ne crimen indultum iteraretur ulterius. Cognovit autem populus delictum, cur aquæ fluminis ante faciem mulieris recessissent. Impletumque est illud Salomonis proverbium, quia *Spiritus Domini fugit fictum* (*Sap.* I, 5). Miraculum hoc ab ore Joannis diaconi (*V. supra, cap* 19) factum ita cognovi; asserebat enim se tunc temporis fuisse præsentem.

CAPUT LXXXIX.

Non potuisse cadaver Antonini scelerati in æde sancti Vincentii quiescere.

Apud [b] urbem enim Tolosatium ferunt fuisse quemdam, Antoninum [c] nomine, iniquum in Deum, et omnibus hominibus odibilem, eo quod multa perpetraret scelera. Factum est autem, ut, impletis diebus, migrans a sæculo, in basilica beati Vincentii sepeliretur, in qua ipse sibi vivens vas deposuerat. Verum ubi cunctos sub alta noctis silentia sopor arripuit, et omnes blandiente somno dedissent membra quieti, sarcophagus ille a sancta basilica per fenestram projicitur, et in medio deponitur atrii. Mane autem facto, ibi repertus est effractum **822** super se opertorium habens. Denique propinqui illius non intelligentes virtutem Dei, neque sentientes Sancti injuriam, in cujus templo indignum temere sepelierant, iterum deposito sarcophago in loco in quo prius fuerat, altius suffoderunt. Altera vero illucescente die invenerunt eum iterum foris ejectum in medio esse atrii, et sic intellexerunt magnalia Dei. Ex hoc enim a nullo tactus, usque hodie in loco quo ejectus est in testimonium reservatur [d]. Hæc de temerariis dicta sufficiant.

CAPUT XC.

De Vincentio martyre glorioso.

Vincentius [e] autem vel levita, vel martyr Hispanus [f] martyrium consummavit (*An.* 304, 22 *Jan.*). Apud terminum vero Pictavum vicus est in Arbatilico [g], nomine Becciaco, in quo ejus habentur reliquiæ. Cujus solemnitas duodecimo Kalendas mensis undecimi [h] celebratur. Sed incolæ loci, et præcipue archipresbyter errorem nescio quem passus, ante diem eam voluit celebrari. Dictis igitur missis, cum ad convivium residerent, ecce unus ex energumenis clamare cœpit, ac dicere : Currite, cives, egredimini a vico, exite obviam beato Vincentio : ecce ad vigilias venit, ecce festa ejus crastino habituri eritis die. Hæc eo dicente, renovant solemnia, et tota nocte in vigiliis excubant. Mane autem facto, dum missarum mysteria celebrarentur, et hic energumenus, qui adventum Sancti prædixit, et alii cum eodem duo, mundati sunt : sed et duo paralytici ipsa die directi sunt, et sic a festivitate cum lætitia est discessum. Cum autem reliquiæ ejus a quibusdam peregrinis deferrentur, ad Ceratensem Turonicæ urbis vicum [i] accesserunt, ibique ad tugurium cujusdam pauperis deferentes, suscepti sunt : **823** in crastino autem duo paralytici super hæc pignora acceperunt gressum, unusque cæcus lumen recepit. Haud procul autem ab illo vico est alius, quem Orbaniacum vocant, in cujus ecclesia hujus Sancti habentur reliquiæ : quæ cum a furibus ablatæ fuissent, et ipse qui eadem abstulerat in Biturigo cuidam abbati accept-

[a] Simili fere modo Maria Ægyptiaca ingredi ecclesiam divinitus prohibebatur, donec pœnitentiam spopondisset. Vide ejus Vitam die 2 Aprilis apud Bollandianos.

[b] Hoc caput et duo seqq. desunt in Clar. b.

[c] Colb. tut. et Clar. a, *Antonium*.

[d] Simile miraculum contigit monacho, qui parentes suos invisens defunctus fuerat, apud Gregor. Magnum, lib. II Dialog. cap. 24. Vide et lib. IV cap. 53, ubi Valentinus in ecclesia sancti Syri sepultus Mediolani nocte sequenti turpiter ejectus est.

[e] Hoc caput deest in Colb. tut.

[f] Clar. a, Colb. a et Editi plerique, *Hispaniis*, alii *Hispanis*. De celeberrimo hoc martyre plura congerere superfluum esset. Videsis Acta martyrum sincera, pag. 387.

[g] Arbatilicus, seu Herbatillicus pagus, in Namnetum Pictonumque confinio situs, ab Herbadilla urbe sic dictus, quæ terræ hiatu absorpta fuisse dicitur circa annum 580. Diu tamen postea pagus priscum nomen retinuit cum comitatus titulo (*le Comte d'Herbauge*). Lege Valesii notitiam, et Mabillonii notas in Vitam sancti Amandi, sæc. II Benedictino ad an. 679.

[h] Hic aperte Gregorius Januarium mensem undecimum appellat, contra Scaligeri opinionem. Vide et cap. sequens, lib. II cap. 29, et lib. IV de Mirac. sancti Martini cap. 4. Aliter tamen numerare videtur infra, lib. II cap. 35.

[i] De hoc et Orbaniaco in notis ad cap. ult. lib. X Historiæ actum est.

pretio reliquisset, revelatum est abbati, ut eas loco unde dimotæ [*Al.*, demptæ] fuerant restauraret. Nihilominus et archipresbytero huic monasterio propinquo per visum manifestatum est, ne penitus moras innecteret ad restituendum. Quas acceptas cum psallendo deferret, homo quidam qui per annum integrum oppressus gravi ægritudine decubabat, inter suorum deportatus manus, ut velum quo sanctæ tegebantur favillæ [*Al.*, reliquiæ] adorans suppliciter osculatus est, mox compressa infirmitate sanatus, exsequiis martyrialibus [a] cum reliquis est secutus.

CAPUT XCI.

De sancta Eulalia.

Eulalia gloriosa apud Emeritam urbem passa [b] (*An.* 304, 10 *Dec.*), magnum miraculum in die immolationis suæ populis profert. Sunt igitur ante ejus altare, quo sancta membra teguntur, tres arbores, sed ignarus ego cujus sint generis: cumque jam medio mense decimo, quando ejus passio celebratur, sint ab omni foliorum decore nudatæ, ea die illucescente cœlo, in modum columbæ aliis flores proferunt suavitatis, scilicet quod sanctus ejus spiritus in columbæ [c] specie penetraverit cœlos, et quod beatum ejus corpusculum, jam exanime vestibusque indutum, nix cœlitus decidua molli vellere contexisset. Quod miraculum si solita arbores protulerint libertate, scit populus sibi annum vel pressuris vacuum, vel frugibus plenum. Quod si tardius flores ex more paruerint, cognoscit plebs sua hoc fieri noxa; nam priusquam erumpant, querula **824** ad sepulcrum Martyris ac mœsta decumbit, deprecans ut solitam promereatur conspicere gratiam. Sed nec psallendo procedit, si hæc manifestata non fuerint. Si placatur Martyr a lacrymis plebis, emergunt protinus ex arboribus gemmei flores, qui odorem nectareum respirantes, animi mœstitiam et adventu lætificent, et reficiant suavitate. Dehinc diligenter collecti, et in basilicam sacerdoti delati, processio cum gaudio celebratur, nam et hos flores sæpius infirmis prodesse cognovimus.

CAPUT XCII.

De basilica sancti Felicis.

Quodam [d] tempore Felicis martyris basilica a furibus est effracta (*An.* 304, 1 *Aug.*). Hic vero martyr in Gerunda Hispaniæ passus est urbe. Fur vero apprehensis palliis sericis, textis auro, monilibusque exornatis, cum reliquis ornamentis abscessit. Quo cunte, conjungitur ei homo ignotus, interrogans quo pergeret. Cui ille respondit: Si sermo meus occuleretur tecum, ostenderem tibi thesaurum magnum. Et ille: Ostende, ait, quæ volueris, totis a me obtegetur viribus. At ille ostendit ei species illas, dicens: Si in aliis hæc regionibus venundantur, utrique nostrum lucrum inferent multum. Et ille: Ego sum, inquit, homo, cui in diversis regionibus multi habentur amici, et est mihi domus magna atque secreta: si hæc in ea posueris, deinceps cum libuerit, venundabis. Et præcedens, sequebatur homo cum sarcina, putans se ad aliam duci urbem; concluserat enim Deus oculos ejus, et non cognoscebat quia per viam qua venerat regrediebatur. Quid multa? Pervenitur ad basilicam Sancti, et ait ad eum vir: Ecce domum de qua locutus sum tibi; ingredere et depone sarcinam tuam. Ille quoque ingressus est. Verum ubi deposita sarcina cœpit aspicere, ad se reversus, cognovit basilicam Sancti, de **825** qua res illas abstulerat. Vir autem jam recesserat ab eo. Et sic cuncta quæ cum viro illo gesserat populis enarravit: unde indubitatum est ipsum ei Martyrem beatum apparuisse. Hujus [e] reliquiæ apud Narbonensem basilicam retinentur. Sed cum hujus ædis altitudo, ne Liguria [f], quod est locus amœnissimus, a palatio regis cerneretur arceret, contulit hæc cum Leone [g] consiliario rex Alaricus. Qui ait: Deponatur ex hoc ædificio una structura machinæ [h]; et rex quæ placuerit liberius contemplabitur. Et statim vocatis operariis, idem consiliarius humiliavit basilicam Sancti, ædificiis non meritis. Sed ille protinus lumine caruit oculorum.

CAPUT XCIII.

De Hemeterio et Chelidonio martyribus.

Calagurris [i] autem urbs Hispaniæ Hemeterium Chelidoniumque martyres gestat, et sæpe ab eorum virtute miracula cernendo, diversarum ægritudinum medicamina capit. Hi etenim martyres a persecutore comprehensi, et ad supplicium rapti (*An.*... 3 *Mart.*), dum diversis pœnis afficerentur ob divini nominis

[a] Clar. a et Colb. a emend. *exsequias martyriales.*

[b] Cum ipsius Acta vulgata non adeo certa sint, ejus martyrii historiam ex Prudentio retulimus inter Acta martyrum sincera, pag. 497, ubi plura observavimus. Vide missam in ejus Natali, lib. III de Liturgia Gallic., num. 18 Missalis Gothici. Emerita olim Lusitaniæ metropolis hodie in Extremadura excisa jacet, sede ejus Compostellam translata.

[c] Hoc miraculum, et sequens de nive, habet Prudentius hymno 3 Περὶ στεφάνων.

[d] Deest hoc caput in Colb. tut. Sancti Felicis Acta in Mss. Codd. passim occurrunt, et quidem non spernenda, in quibus sub Daciano præside passus dicitur. Eum laudant Prudentius, sanctus Eulogius, et alii. Gerunda autem, ubi passus est, vulgo *Gironne*, urbs est celebris in Catalaunia ad Sambrogam fluvium (*le Ter*), titulo ducatus et sede episcopali insignita.

[e] Quæ sequuntur non habentur in Clar. b.

[f] Aliquot Mss., *non cerneretur.* Mart., *altitudine Liguria... non cerneretur.* Locus ille postmodum appellatus est Livoria, vulgo *la plaine de Livière*, ut monet Valesius. — Situs locorum etiam hodierunus hujus historiæ veritatem firmat. Nam destructa licet sub Ludovico XII rege sancti Felicis basilica, ne urbis munitionibus noceret, superest sacellum ipsi substitutum, sub nomine sancti Felicis, cum prioratus titulo, quod inter Livoriam (*la plaine de Livière*) interjacet et locum ubi palatium olim situm erat. Capitolium olim nuncupabatur, hodieque vulgus *le Capduell* appellat.

[g] Is est ipse Leo, cui, tunc Evarigis regis consiliario seu quæstori, scripsit Apollinaris Sidonius epist. 3 libri VIII et epist. 22 lib. IV. Eumdem laudat Ennodius in Epiphanii Vita.

[h] Alii Scripti et Editi, *structuræ machina.*

[i] Hoc caput et sequens desunt in Clar. a. Aliquot

confessionem, excepta ultimæ damnationis sententia, deducuntur ad decollandum. Cumque eorum capita lictor incideret, miraculum populis magnum apparuit. Nam unius annulus, orariumque alterius nube susceptum est, et in cœlos evectum. Viderunt hæc omnes qui aderant, et usquequo acies oculorum intendere potuit, fulgorem auri candoremque lintei suspectu sequebantur attoniti [*Al.* attoniti]. Præbet hujus rei testimonium Aurelius Clemens[a] in libro Coronarum, his versibus, dicens :

Illa laus occulta non est,
Nec senescit tempore.
Missa quod sursum per auras
Evolarunt munera,
826 Quæ viam patere cœli
Præmicando o tenderent.
Illius fidem figurans
Nube fertur annulus;
Hic sui dat pignus oris
Ut ferunt orarium.
Quæ superno rapta flatu
Lucis intrant intimum,
Per poli liquentis axem
Fulgor auri absconditur.
Ac diu visum sequacem
Textilis candor fugit,
Subvehuntur usque in astra
Nec videntur amplius.

CAPUT XCIV.

De beatissimo Cypriano.

Cyprianus[b] beatissimus Carthaginensis et antistes et martyr (*An.* 258, 15 *Sept.*), salutem sæpius infirmis supplicantibus præstat, in cujus basilica analogius, in quo libro supra posito cantatur aut legitur, mirabiliter compositus esse refertur. Nam ex uno lapide marmoris totus sculptus asseritur : id est mensa desuper, ad quam per quatuor gradus ascenditur; cancelli in circuitu, subter columnæ, quia et pulpitum habet sub quo octo personæ recipi possunt. Qui nunquam ibi ullo ingenio potuit exhiberi, nisi virtus Martyris præstitisset.

CAPUT XCV.

De septem Dormientibus apud Ephesum.

Septem vero germanorum, qui apud urbem Ephesum requiescunt (*An.* 250, 27 *Jul.*), hæc est ratio. Tempore Decii imperatoris, cum persecutio in Christianos ageretur, septem viri comprehensi sunt, et ducti coram principe; horum nomina hæc sunt : Maximianus, Malchus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Joannes, Serapion[c]. Qui diversis verbis tentati ut cederent, nequaquam **827** acquieverunt. Imperator vero pro elegantia eorum, ne in momento perirent, spatium tractandi indulget. At illi in unam se speluncam concludunt, ibique per multos dies habitaverunt. Egrediebatur tamen unus ex eis, et comparabat victus, et quæ necessaria erant exhibebat. Revertente autem imperatore in eamdem civitatem, isti petierunt ad Dominum ut eos ab hoc periculo dignaretur eruere, factaque oratione prostrati solo obdormierunt. Cumque imperator didicisset eos in hoc antro morari, nutu Dei jussit os speluncæ magnis lapidibus oppilari, dicens : Ibi intereant qui diis nostris immolare noluerunt. Quod dum ageretur, quidam Christianus in tabula plumbea nomina et martyrium eorum scribens, clam in aditu cavernæ priusquam oppilaretur inclusit. Post multorum vero annorum curricula, cum, data Ecclesiis pace, Theodosius[d] Christianus obtinuisset imperium (*An.* 447), surrexit hæresis immunda Sadducæorum, qui negant resurrectionem futuram. Tunc quidam civis Ephesius, dum caulas ovibus secus montem ipsum facere destinat, ac lapides divolvit ad coaptanda earum septa, ignarus quæ agerentur introrsum, patefecit ingressum ejus; non tamen cognovit arcanum quod habebatur intrinsecus. Dominus autem immisit septem viris spiritum vitæ, et surrexerunt, putantesque quod una tantum nocte dormissent, miserunt puerum unum ex se qui cibos emeret. Cumque veniens super portam civitatis vidisset crucis gloriosæ signaculum, audissetque per Christi nomen jurare populum, obstupuit : prolatisque nummis, quos a tempore Decii habebat, a mercatore comprehenditur, dicente sibi : Quia absconditos antiquitus thesauros reperisti. At ille negans deducitur ad episcopum[e] ac judicem civitatis. Cumque ab his argueretur, **828** compellente necessitate, absconditum mysterium revelavit, et deduxit eos ad speluncam in qua viri erant. Cumque ingrederetur episcopus, invenit tabulam plumbeam, in qua omnia quæ pertulerant habebantur scripta, locutusque cum eis, nuntiaverunt hæc cursu rapido imperatori Theodosio. At ille veniens adoravit eos pronus in terra, qui tali colloquio cum eodem usi sunt principe : Surrexit, gloriose Auguste, hæresis, quæ populum Christianum a Dei promissionibus conatur evertere, ut dicant non fieri resurrectionem mortuorum. Ergo ut scias quia omnes, juxta apostolum Paulum, repræsentandi erimus ante tribunal Christi, idcirco jussit nos Dominus suscitari, et tibi ista loqui. Vide ergo ne seducaris et excludaris a regno Dei. Hæc audiens Theodosius imperator glorificavit Dominum, qui non permisit perire populum suum. Viri autem iterum prostrati in terram, obdormierunt, quibus

Codd., *Emeterius et Celedonius*. Horum Acta jam tempore Prudentii perierant : passi sunt Calagurri, vulgo *Calahorra*, urbe episcopali Castellæ Veteris. Vide Bolland., ad diem 3 Martii.

[a] Prudentius, hymno 4 libri Περὶ στεφάνων.

[b] Hoc caput deest in Colb. tut., licet sit in indice. De sancto Cypriano nihil satius quam pauca dicere juvat. Ejus Acta et Vitam a Pontio scriptam, etc. dedimus in Actis mart. sinceris, ad an. 258.

[c] Paulo aliter a Græcis referuntur eorum nomina. Primus omnium, quos quidem novimus, hos martyres celebravit noster Gregorius. De his apud Photium, Cod. 253, Constantinum Manassem et alios. Vide Baronium, ad 27 Julii.

[d] Is est Theodosius junior, Arcadii filius, sub quo, ut aiunt, Theodorus episcopus Egarum seu Æginensium resurrectionem mortuorum futuram negabat De hac re consulendus Theophanes ad annum 25 Theodosii.

[e] Hunc Marum seu Marinum appellat Photius, Stephanum Metaphrastes apud Surium : prior ignotus est, alter vero Bassianum e sede sua exturbaverat an. 448, et ipse vicissim exauctoratus fuit in synodo Calcedonensi an. 451. In uno Cod. Marinus episc. et proconsul Antipatus appellantur.

cum Theodosius imperator sepulcra ex auro fabricare vellet, per visum prohibitus est ne faceret. Viri autem usque hodie palliolis sericis aut carba inis cooperti, in ipso loco requiescunt : quod passio [a] eorum, quam Syro quodam interpretante in Latinum transtulimus, plenius pandit.

CAPUT XCVI.

De quadraginta octo martyribus Armeniæ.

Ferunt [b] autem fuisse apud Armeniam quadraginta octo viros (*An.* 320, 9 *Mart.*), qui in ipsos montes Armeniæ, in quibus, præ altitudine nimia, magno frigore aquæ et terra restringuntur, passi sunt. Quorum montium celsitudinem non parvam esse Legislator exponit, cum super eos arcam a Noe fabricatam requievisse ait (*Gen.* VIII, 4). Ibi effossa persecutor
829 terra, cisternam magnam efficiens, aqua repleri jubet : nudatosque viros, ligatis post tergum manibus, in lacum gelu concatenatum [c] præcipit poni, succenso e regione balneo, dicens : Eligite e duobus unum. Aut in isto frigore Christum vestrum confessi deficite; aut negantes, oblato diis sacrificio, ad balneum convolate, ut possitis vivere, et non male propter crucifixum hominem mori. Negantibus quoque cunctis sacrificare dæmoniis, videt custos eorum quadraginta octo coronas pretiosissimas e cœlo dilapsas descendere super capita virorum, et unam quoque earum revocari ; defecerat enim fides viri unius, et protinus relictis satellitibus velociter ad balneum convolavit ; immolatisque victimis, honoratus a præside, in balneo tepenti ablutus est, excepturus in posterum perpetui ignis supplicium. Hæc custos ille, ut diximus, cernens, voce magna proclamat se Christianum esse, dicens : Cum iisdem mori desidero. Nec mora, diversis pœnis affectus spoliatur veste, non fide : et in lacum ponitur, frigorá cum reliquis perpessurus, sed adepturus coronam, quam miser ille perdiderat. Jam enim virorum emortua erant frigore corpuscula, et dentibus in se collisis, ipse quoque vocis sonitus claudebatur : unum tantum murmur orationis cœlo ab arcanis pectoris illabebatur notum soli Deo, qui novit occulta cordis. Tremebant fessi artus tam inedia quam pruina ; erat spes cœlo intenta, jam carne præmortua. Interea judex iniquus, amotis lymphis, balneum succendi septuplum jubet, ut scilicet quos algor non laxaverat, incendia sæva dissolverent. Producuntur viri e lacu, confessi Christum : mittuntur inter æstuantes ignium vapores ; sed sustinent patienter illata supplicia, ut majorem accipiant palmam. Denique in his relinquentes corpora, animas Christo tradentes, martyrium consummaverunt in pace. Tunc præses victum se eorum constantia cernens, putans vel mortuos posse **830** vincere, qui viventes superare nequiverat, jussit ipsa deinceps exuri corpuscula, et in flumen propinquum jactari. Quod cum factum fuisset, miraculi novitas flentibus Christianis apparuit. Restitit igitur unda, nec ossa semiusta absorbuit, sed super se tanquam commendata sustinuit : et sic collecta a Christianis gaudentibus, cum honore dignissimo tumulata sunt.

CAPUT XCVII.

De glorioso martyre Sergio.

Sergius [d] quoque martyr (*An.* 303, 7 *Oct.*) multa signa in populis facit, curans infirmitates, sanansque languores fideliter deprecantium. Unde agitur ut ex hoc ingentia basilicæ vel promittantur vota, vel munera deferantur, ex quibus nihil omnino licet subtrahere aut auferre. Quod si quis fecerit, mox judicium aut noxæ [*Al. Mss.*, notæ) aut mortis incurrit. Ob hanc vero defensionem multi res suas Sancto devovent, scilicet ut ejus virtute munitæ non diripiantur a malis. Denique anus erat exigua, et credo evangelicæ illius pauperculæ similis, quæ quondam duo minuta, cum nihil aliud haberet, in gazophylacium devote jactavit (*Marc.* XII, 41 ; *Luc.* XXI, 1). Ergo hæc pauculos gallinarum pullos habebat, quos ex voto basilicari ditioni subdiderat, datura in domo ipsius cum necessitas flagitasset. Igitur cum ad festivitatem Sancti multi populi advenissent, duo, conventione facta, qui hos pullos olim viderant, unum furto subtrahunt, incisoque capite, detractis plumis, truncatisque pedibus, positumque in vase cum aqua super ignem levant, instanterque succendunt. Fervet autem latex validissime, sed caro furtiva non coquitur : etiam fervendo aqua consumitur, nec prorsus pullus ille mollitur. Tentant crebro manibus, et unguem conantur infigere, sed duriorem sentiunt quam mississent. Interim adsunt convivæ evocati ad epulum, nullatenus sumpturi de apparatu. Exstat mensa **831** niveis velata mantilibus, opere plumario exornata. Conversis cibis in novam duritiem, catinus lymphis

[a] Habetur ex Simeone Metaphraste apud Surium die 27 Julii ; sed aliam esse ab ea quam Gregorius in Latinum transtulit, vel ex eo solo manifestum est, quod nomina ibi aliter quam apud Gregorium recenseantur. Aliam invenimus in Mss. in qua nomina sicut hic recenset Gregorius habentur ; sed cum incertum sit an ea sit ipsa quam Gregorius transtulit, nihilque novi habeat, eam edere superfluum fuisset.

[b] Deest hoc caput cum sequenti in Colb. tot. Hic, sicut et lib. x Hist. cap. 21, Martyres quadraginta octo dicuntur, quamvis certum videatur eos non plures quam quadraginta fuisse. Passi sunt apud Sebasten in Armenia sub Licinii persecutione, quorum martyrium sancti Patres pluribus celebrarunt. De his in Actis martyrum egimus pag. 880. Vide et Bollandianos, die 10 Martii.

[c] Lacum illum jam antea exstitisse verisimilius est ex sanctorum Patrum testimoniis, hodieque supersiat. Cæterum Gregorius sanctos martyres in ipso lacu congelato frigore enectos cum aliis antiquis memorat, quos tamen Basilius non in lacu, sed in media urbe passos fuisse testatur ; at Vossius antiquissimum Cod. Ms. Græcum in Cryptæ ferratæ monasterio se vidisse testatur, ubi pro ἐν μέσῃ τῇ πόλει, legitur ἐν μέσῃ τῇ λίμνῃ. Vide Bollandianos.

[d] Hoc caput et duo seqq. desunt in Clar. b. Sergius cum Baccho sub Maximiano martyr occubuisse dicitur. Ejus Acta Surius refert 7 Octob., quo die ejus festivitas celebratur. De eo vide notas in cap. 31 lib. VII Historiæ. Celebris est et antiqua in suburbio Andegavensi abbatia ord. sancti Benedicti cong. sancti Mauri, sub sancti Sergii nomine.

sæpe diluitur, sed nihil coctum quod in eo exhibeant, invenitur; sicque novo miraculo epulis redactis in saxum, confusis invitatoribus, verecundantibus invitatis, a cœna cum pudore discessum est.

CAPUT XCVIII.

De Cosma et Damiano.

Duo vero gemini, Cosmas scilicet et Damianus [a], arte medici, postquam Christiani effecti sunt (*An.* 3 3, 27 *Sept.*), solo virtutum merito et orationum interventu, infirmitates languentium depellebant; qui diversis cruciatibus consummati, in cœlestibus sunt conjuncti, multa miracula incolis ostendentes. Nam si quis infirmus ad eorum sepulcrum fide plenus oraverit, statim adipiscitur medicinam. Referunt etiam plerique apparere eos per visum languentibus, et quid faciant indicare: quod cum fecerint, sani discedunt. Ex quibus multa audivi, quæ insequi longum putavi, hoc existimans posse sufficere quod dixi. Cuneti fideliter deprecantes sani discesserunt.

CAPUT XCIX.

De inclyto martyre Foca.

Focas [b] quoque martyr, et ipse his martyribus regione conjunctus, apud Syriam requiescit (*An.*.... 5 *Mart.*), qui post multas, quas pro nomine Redemptoris est passus injurias, qualiter de antiquo illo serpente triumpharerit, hodieque populis declaratur. Denique si in quempiam in his locis coluber morsum stringens venena diffuderit, extemplo qui percussus est, ut januam atrii quo Martyr quiescit, attigerit, compresso tumore, **832** evacuata virtute veneni, salvatur. Ex quibus nonnulli, ut celebre vulgatum est, jam tumidi malæ bestiæ ictu, jam toto corpore incrassante veneno in hoc perflati, ut spiritum exhalarent, inter manus delati, et in atrio positi, sunt sanati: nec unquam ob hoc virus obire hominem fas est, si sacrum limen fide plenus attigerit.

CAPUT C.

De egregio martyre Domitio.

Domitius equidem alius martyr in hac [c] habetur regione, qui cum multa beneficia incolis præstet, sciaticis tamen veloci virtute medetur (*An.*.... 5 *Jul.*). Nam fertur ab hoc Sanctus fuisse, dum in corpore esset positus, dolore detentus. Denique cum multis, ut diximus, in hac necessitate laborantibus mederetur, quidam Judæus ab ipsa infirmitate correptus Sancti basilicam, quanquam Christo non crederet, devotus tamen expetiit, seque ad januam atrii deponi præcipiens, indignum se esse vociferans qui sanctum limen ingrederetur. Aiebat enim: Scio me quidem, gloriose martyr, legis velamine obcæcatum, cui tu impartiri misericordiam dedigneris: sed nunc ad te confugio, et supplex tuam misericordiam posco, ut, aversa prius infirmitate corporea, languorem incredulitatis avellas. Hæc cum ante portam aulæ fateretur, adveniente nocte obdormivit: sed Martyr beatus non longi spatio temporis distulit misereri. Igitur ea nocte visitans ægrotum per somnium, jussit recedere sanum. At ille expergefactus sentit se redditum incolumitati, confessusque Christum Filium Dei esse Salvatorem mundi, sanus abscessit. Quod videntes Christiani, qui in ipsa tenebantur infirmitate, querimonias Sancto inferunt, dicentes: Ecce nos bene Deum confessi, **833** necdum meruimus liberari, et incredulus hic in Christum Regem, circumcisus carne non corde, sanus abscedit. Et hæc dicentes cum ira lychnos basilicæ, qui ex camera dependebant, comminuere cœperunt. Sed nec his defuit misericordia postulata: nam ipsa die sanati ad propria sunt regressi.

CAPUT CI.

De insigni et glorioso martyre Georgio.

Multa [d] de Georgio martyre miracula gesta cognovimus (*An.* 284, 23 *April.*), de quibus pauca locuturus sum. Hujus enim reliquiæ cum reliquorum sanctorum a quibusdam ferebantur: sed cum portitores ad locum quemdam Lemovicini termini advenissent, ubi jam pauci clerici, conserto ligneis tabulis oratorio, Dominum assidue precabantur, mansionem postulant. Susceptique benigne noctem cum cæteris fratribus psallendo deducunt. Mane autem facto, apprehensam capsulam levare penitus non valebant. Denique cum iter agere sine pignore sancto penitus nequirent, et eis maximus dolor animi insedisset, intelligunt, inspirante (*Al.* imperante) Deo, sibi aliquid ex his in loco relinquere oportere. Tunc inquisitis ligaturis divisisque particulis, seniori qui cellulæ præerat largiuntur, relinquentes partem patrocinii, sumentes facultatem quo voluerant abeundi.

[a] Varia horum martyrum Acta circumferuntur, sed dubia. Certiora sunt quæ de eorum cultu et miraculis veteres passim scribunt. De his in synodo generali VII, act. 4. Missa in eorum Natali habetur in Sacramentario Gregoriano. Sanctus Sabas paternam domum in ecclesiam eorum memoriæ sacram commutasse dicitur. Duas ecclesias ipsis ædificavit Justinianus, ex Procopio, et unam Romæ Felix IV, sancti Gregorii atavus. Vocantur a Græcis ἀνάργυροι, quod medicinam absque lucro exercuisse dicantur.

[b] Deest hoc caput in Colb. tut. Hujus Phocæ martyris Natale apud Antiochiam celebrant vulgata Martyrologia die 5 Martii. An idem sit qui hortulanus apud Synopem vixit, quique a sancto Asterio Amaseno laudatur, non adeo certum est. Vide Acta mart. sincera, pag. 627, et Bolland., ad 5 Martii.

[c] Sic et Clar. b, in quo præcedentia capita desunt, unde aliquis substituit *in Syria*. Domitium in Syria passum memorant Latinorum Martyrologia, quem Baronius, nescio qua de causa ab isto quem hic Gregorius laudat distinguit. Græci Dometium, seu Dometionem, in Phrygia martyrem sub Juliano Apostata, celebrant die 23 Martii.

[d] Hoc caput deest in Colb. tut. et cum sequente in Clar. b. Plura quidem de sancto Georgio vulgat auctores habent, sed ejus Acta plane sunt fictitia Varies cruciatus quos pertulit narrat Fortunatus lib II carm. 15. Celebrem ejus memoriam fuisse in Oriente et Occidente probant complures basilicæ in ejus honorem jam sæculo sexto constructæ, et plerique istius ævi auctores, de quibus fuse Bollandiani ad diem 23 Aprilis. Ejus martyrium anno 284 consignamus, quo *Carino* scilicet II *et Numeriano coss.* passus dicitur in Chronico Alexandrino seu Paschali. Alii eumdem sub Decio passum fuisse volunt.

Habentur etiam ejus reliquiæ in vico quodam Cenomanensi, ubi multa plerumque miracula ostendantur. Nam cæci, claudi, frigoritici, vel reliqui infirmi, sæpius ibi sanitatum gratia munerantur.

CAPUT CII.

De Isidoro sanctissimo martyre.

834 Isidorus [a] martyr in insula Chio quiescit (*An.* 250, 15 *Maii*), sic enim nomen est insulæ, puteum in basilica Sancti habens, in quo et fertur injectus, de cujus aqua energumeni febricitantesque, vel reliqui infirmi, sæpius potati salvantur. Dicitur ibi etiam lumen, quasi cereus ardens, a fidelibus sæpe videri. Sed et ego vidi presbyterum qui se affirmabat hoc lumen de ore putei crebrius contemplatum esse. In hac enim insula et granum colligitur masticis ab arboribus celebre, quæ, ut ferunt, aliis non inveniuntur in regionibus.

CAPUT CIII.

De sancto Poliocto Martyre.

Apud Constantinopolim vero magno cultu Poliectus [b] martyr colitur (*An.* 250, *aut* 252, 13 *Feb.*), pro eo præcipue quod cum magnis virtutibus polleat, in perjuris tamen præsens ultor existit [c]. Nam quicunque, ut assolet, occultum scelus admiserit, et data suspicione ad hoc perductus fuerit templum, aut statim quod admisit virtute Martyris perterritus confitetur, aut si perjuraverit, protinus ultione divina percellitur. Hujus basilicæ cameram Juliana quædam urbis illius matrona [d] auro purissimo texit hoc modo. Cum ad imperatorem Justinianum fama facultatis ejus multis narrantibus pervenisset, ad occursum illius properare celerius non tardavit, dicens : Latere te **835** non puto, o venerabilis mater, qualiter a specie auri thesauri publici sint exhausti, dum vos quietos esse volumus, dum patrias defensare studemus, dum gentes nobis placamus, dum solatia diversorum dando conquirimus. Ergo quia tibi potentia Majestatis divinæ, multum contulit auri, quæso ut nobis manum porrigas, atque aliquid pecuniæ commodes, ut scilicet cum tributorum publicorum fuerit summa delata, illico tibi quæ commodaveris reformentur, ac in posterum, laudis tuæ titulo præcurrente, sanatur urbem Constantinopolitanam a Juliana matrona fuisse pecuniis sublevatam. At illa intelligens imperatoris ingenium, sapienter obtegit quæ Deo devoverat, dicens : Parvitas redituum meorum tam de tributis, quam quod de fructibus speratur, per ipsas adhuc residet domos ; si ergo gloria vestra recipiendi spatium tribuerit, cum collectum fuerit, conspectui vestro repræsentabitur. Cumque oculis propriis cuncta contemplati fueritis, quæ placuerint et relinquetis, et auferetis. Erit mihi ratum quod voluntas cordis vestri censuerit. His ita delusus imperator verbis, ad palatium gaudens rediit, putans se hanc pecuniam jam in thesauris publicis retinere. At illa vocatis artificibus, quantum reperire auri in promptuariis potuit, tradidit occulte, dicens : Ite, et factis juxta mensuram tignorum tabulis, beati ex hoc Poliocti martyris cameram exornate, ne hæc avari imperatoris manus attingat. Illi vero perfecta omnia quæ matrona præceperat, cameræ affixerunt, texeruntque ex auro mundissimo. Quo opere explicito, vocat mulier imperatorem, dicens : Parvitas pecuniolæ, quam conjungere potui, adest : veni ad contemplandum eam, et quod libuerit facito. Surrexit gavisus imperator de solio, nihil percepturus ex auro : pergit ad domum mulieris, putans se copiosos thesauros palatio deportare. Cui cum **836** mulier occursum humiliter reddidisset, invitat in templum Martyris ad orationem ; erat enim proximum domui ejus, et hæc quæ habere potuerat loco illi delegaverat sancto. Apprehensa autem imperator manu mulieris, eo quod esset senex, ingreditur ædem, prosternitur ad orationem. Qua expleta, ait mulier : Suspice, quæso, cameram hujus ædis, gloriosissime Auguste, et scito quia paupertas mea in hoc opere continetur. Tu vero quod volueris exinde facito, non adversor. Ille vero suspicieus atque admirans, erubuit, et ne pudor ejus manifestaretur, collaudans opus, et gratias agens, abscedere cœpit. Sed ne rediret vacuus a munere, extractum mulier annulum a digito, cujus gemmam vola conduserat, qui non amplius auri pondus quam unius semiunciæ continebat, obtulit ei, dicens : Accipe, imperator sacratissime, hoc munusculum de manu mea, quod supra pretium hujus auri valere censetur. Erat enim in eo lapis Neronianus [e] miræ viriditatis

[a] Codd. Mart. et Colb. a, *Isidorus*. Celebris est martyr apud Græcos et Latinos, quamvis ejus Acta quæ habentur nævis scateant, etiam et Græca, quæ Bollandiani ediderunt ad diem 15 Maii. Martyrium consummasse dicitur sub Decio an. 252 ; sed jam tunc Decius defunctus erat : unde Bollandiani eorum martyrium ad an. 250 maluerunt revocare. Aliam vitam antiquiorem se reperisse monent in supplementis, quam se daturos pollicentur. Ibi et quædam habent de ejusdem sancti translatione per Venetos facta. Chio celebris est insula maris Ægæi, inter Samum ac Lesbum sita.

[b] Passus est Melitinæ in Armenia, cujus Acta habentur, sed non adeo sincera, ut absque nævis dici possint. Ilium sub Decio et Valeriano passum asserunt, unde nascitur de ejus martyrii tempore difficultas, cum hi duo impp. simul non regnaverint. Vide Bolland. ad diem 13 Februarii, et Tillemontium tomo III Hist. eccles. Celebris erat Melitinæ sæculo v sancti Polieucti basilica, uti patet ex Vita Magni Euthymii, quem ipsius parentes a Deo ejusdem martyris precibus obtinuerant.

[c] Ob hoc etiam apud Francos erat celebris. Vide supra lib. VII Hist. cap. 6.

[d] Huc forte revocandus Codini in Originibus CP. locus, ubi narrat Julianam Valentiniani filiam, uxoris vero Theodosii Magni sororem, quatuor et amplius annos in exstruenda CP. sancti Polyeucti basilica insumpsisse, accersitis etiam ex urbe Roma artificibus. Vide Cangii descriptionem urbis CP. lib. IV

[e] Id est smaragdus gemma. *Smaragdus* nempe *Neronianus* ex Epiphanio lib. XII de gemmis cap. 3, apud Bollandum, est *parva forma, viridis valde, pellucidus et splendens*. Sic dictum idem auctor asserit, quod Nero hunc lapidis colorem olei cujusdam ope vividiorem reddere consueverit : aut certe ab artifice quodam, Nerone appellato, qui ejus usum maxime commendaverit. Certe Neronem smaragdo de-

ac splendoris : qui cum fuisset ostensus, omne aurum quasi in viriditatem visum est convertisse a pulchritudine gemmæ. At ille accipiens, et iterum atque iterum gratias agens, et collaudans matronam, in palatium est regressus. Unde non est dubium, etiam in hac re Martyris hujus intercessisse virtutem, ne opes locis sanctis et pauperibus delegatæ, in illius transferrentur dominationem, cujus non fuerant studio congregatæ.

CAPUT CIV.

De Felice Nolano insigni martyre.

De [a] Felice Nolano martyre (*An.* 269, 14 *Jan.*), quia historia passionis non est in promptu, juxta id quod beatus Paulinus versu conscripsit, pauca huic lectioni oblectat inserere. Illic enim a Maximo [b], prædictæ urbis pontifice, **837** presbyterii honore præditus, quantæ fuerit sapientiæ eruditionisque, non modo Christianis, verum etiam ipsis quoque paganis occuli non potuit. Cum autem imperatorum decreta Christianos insequi præcepissent, Maximus pontifex jam senio prægravatus, putans se non posse ferre supplicia, silvarum saltus adivit. Quos dum turbidus de hac persecutione pererrat, affectus fame, gelu attritus solo corruit semivivus. At Felix presbyter captus, cum multa de deorum portentis, quod nihil fuerint, disputasset, percursis diversorum suppliciorum generibus, carceri dijudicatur, in quo non mediocribus vinculis tenebatur astrictus. Nocte autem media venit ad eum angelus Domini, et confractis catenis, scissaque trabe qua pedes ejus conclusi erant, ait : Surge, et sequere me. Qui surgens egressus est cum eo januam carceris ; dixitque ei angelus Domini : Conscende ad montana, et require sacerdotem tuum ; inventumque ac refocillatum reduc ad urbem, et in loco absconde secreto, ne inedia ac rigore depereat, donec desinat persecutio a Christianis. Accepto Felix mandato, pergit quo nesciebat : sed, providente Deo, reperit sacerdotem solo prostratum, clausis oculis, strictisque dentibus, in quo nihil aliud, quam tenuis anhelitus inspirabat : interpellatoque nullum sermonem potuit elicere, tactoque, sensit ejus membra hieme rigida, et absque ullo vitali tepore præmortua. Anxius autem cum nullum alimentum esset, quod periclitanti porrigeret, neque quo ignis accenderetur haberet, dum staret attonitus, quasi de æthereis sedibus dilapsum, quod ita erat, munus contemplatur angelicum. Ecce enim de sente quæ erat proxima, uvam pendere admiratur, de qua granis in os confessoris expressis, paululum senior refocillatus, erectus est ; quem A humeris impositum tanta velocitate detulit, ut putaretur magis ille ferri quam ferre. Sic tugurio cuidam viduæ commendato alimentum præbuit, donec insecutio Christiana discessit. Quo sacerdote migrante, Felix electus a populo, ut cathedræ ecclesiasticæ superponeretur, noluit acquiescere : Quintus [c] **838** nomine, presbyter episcopus ordinatur. Orta igitur persecutione Catholicorum, cum Felix presbyter in platea populum moneret, ne a recto itinere deviaret, persecutor missus adfuit, et Ignotus Felici presbytero, sollicitus ipse cœpit esse, quisnam esset Felix. Dextra ille innuens, ait : Hanc in partem abiit. Quo discedente, hic latebram petiit, seque inter parietes dirutos per modicum ingressus aditum occuli voluit. Nec mora, persecutor insequi- B tur, sed Deus sollicitudinem quærentis elusit. Nam jussu Divinitatis araneæ per aditum quo Martyr ingressus fuerat telarum prætendunt stamina. At illi per vestigium persequentes, dum locum explorare nituntur, exordia telæ conspiciunt, dixeruntque ad semetipsos : Putasne per hæc fila homo pertransiit, quæ sæpius tenuitas muscarum erumpit? Et illusi providentia Dei discesserunt. Beatus quoque Felix data nocte, secessit ad alium locum, in quo per tres menses a muliere quadam ciborum alimenta suscipiens, data pace, ecclesiæ suæ ac populo restauratur : nunquam tamen mulieris ministrantis faciem vidit, aut ab ea suspectus est, dum in latibulo moraretur. Igitur in pace quiescens, sepultus est juxta urbem, multis se declarans virtutibus in populis, de C quibus pauca perstringam [d]. Erat enim quidam pauper habens duos boves ad exercendam culturam suam, nec ei erat alia possessio, nisi quod ab his potuisset tellurem scindens vomere laborare. Accidit autem ut die quadam lassus de hoc opere veniens, his dimissis se hospitiolo reconderet. Nec mora, fur rapax adfuit, qui eos clam capiens secum abduxit : egressusque pauper in crastino, nihil invenit. Deinde quærit per devia, circuit silvas, scandit montium ardua, sed nec vestigium quidem deprehendere potest. Redit ad propria, dat voces in fletu, atque cum uxore ac liberis plangit, dicens : Væ mihi, quia juvencis defectis (*Rom.*, defraudatis) hoc anno fame moriemini. Quid plura? Accedit lamentans ad sepulcrum beati Felicis martyris, dat cum fletu gemi- D tum, exorat ut ei virtus ejus quæ perdiderat reddi obtineret a Domino. Egressus autem a templo, **839** ante ipsam atrii januam agnoscit boves suos, et ait : O magna virtus Martyris, quæ mihi perditum tam velociter restitui fecit! Ingressusque iterum, proster-

lectatum patet ex Plinio lib. xxxvii cap. 5, ubi dicitur *gladiatorum pugnas spectasse smaragdo*. Idem habet Marbodeus lib. de Lapid. pret. cap. 54.

[a] Deest hoc caput in Colb. tot. Sancti Felicis laudes celebravit B. Paulinus carminibus seu poematibus 15, quæ non semel edita sunt : sed in duobus potissimum, id est 4 et 5, res ejus gestas prosecutus est. Incertus est ejusdem mortis annus. Ecclesia ab eodem sancto Paulino Nolæ in sancti Felicis honorem structa hodieque superest. Vide Acta mart. sincera, pag. 255, et Bolland., die 14 Januarii.

[b] Laud., Rom. et Clar. b, *Maximiano*, quæ varietas occurrit quoque in Martyrologiis. Colitur Nolæ die 7 Februarii. Ad quem diem vide Bollandianos.

[c] Hunc *sancti* titulo donat Ughellus in catalogo episcoporum Nolanorum.

[d] Reliqua hujus capitis omittuntur in Clar. b, proindeque data opera, et interrupto sensu.

d pavimentum, et gratias agens, cum rebus us est suis, oculumque hominis hujus, quem habebat, Martyris virtus illuminavit. Ad huque cellulæ parietem, quo beatum corpus tuonditum requiescit, adhæret appendens porn qua dependens fune lychnus lumen loco verat ministrare. Ille autem cui hoc erat offiontueri ad ejus compositionem, accedens, func discessit, quasi oleum petiturus. Cumque tenebris nocturnalibus tenerentur operta, et um uncinulis in medio porticus submissior eret, quidam de astantibus in vigilia Sancti, cellulæ, quæ de exusta surrexerat papyro, is, foris egreditur. Cumque per porticum illam ret, unus de uncinulis funis faciem excepit s venientis, illato acumine transfigens oculum At ille dolorem sentiens, extensis celeriter vultum periclitantem cum ipsis obtegit ocumans non mediocri ejulatu, ac dicens : Sucdeprecor, sancte sacerdos, et proximum te fareunti, qui loco proximus astas. Emitte sacras ulta medicamina manus, et extrahe malum dversatur lumini, ne lumine viduatus absceui lumen miraculorum tuorum cernere veni. is lamentabilem vociferationem, exhibito qui lumine, advertunt hominem transfixo oculo pendere. Cumque, profluente sanguine, nuium ad eruendum auderet apponere, Martyris dfuit immensa beati, quæ sic uncum abstraxit, oculum erueret, nec visum penetraret, et is decurrentis fluentum stringeret. Sic eruto e oculo, dolore palpebrarum resedato, virtus is sancti declaratur in populo. Energumenos ad hanc sacratam athletæ Christi ædem 840 s atque purgatos sæpius scripsit hic auctor. Galliarum martyres recurramus.

CAPUT CV.

De Vincentio Agenensi.

eptius [a] autem Agenensis urbis, et ipse mar-. 257, 9 *Jun.*), cujus passionis historia [b] ab retinetur, leviticæ stolæ candore in Ecclesia micans, magnis sæpissime virtutibus fulget, asoribus rerum suarum plerumque ultor seexistit. Tempore autem illo quo contra Gunm commotus exercitus ad Conveniensem urrectus est, ab hujus hostilitatis multitudine ejus vallatur tota. Erat enim in ea plebs nium rerum suarum præsidio [c], confidens de itia Martyris, quod nullus ea præsumptione temeraria auderet attingere, et obseratis ostiis, se ab intus cum rebus incluserat. Circumdantes autem hostes [*Mss.* 3, postes], cum aditum per quem ingrederentur invenire non possent, ignem ostiis ædis subjiciunt, quam diu multumque succendentes, non apprehendebantur valvæ, donec iis impulsu securium comminutis ingressi sunt, diripientes res, populumque inclusum in ore gladii trucidantes. Sed non diu hæc res remansit inulta. Nam alii a dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumnæ necati, multi etiam a frigore [*Id est*, febri] occupati, diversis in partibus diversorum morborum genere vexabantur. Nam vidi ex eis multos in Turonico territorio, qui in hoc fuerant mixti scelere, graviter trucidari, et usque ad vitæ præsentis amissionem intolerabilium dolorum cruciatu torqueri; multi enim ex his confitebantur se judicio Dei ob injuriam Martyris fuisse morti pessimæ destinatos. Ecce quantum Deus præstat martyribus suis; ecce qualibus eosdem laudibus Christus Dominus bellorum fidelium inspector honorat; ecce quantum præstat ipsius nominis 841 dignitas Christiani, si non gentilium more, aut inhiemus [*Al.*, inani] cupiditati, aut luxuriæ serviamus.

[a] est hoc caput in Clar. b.

[b] rc est, uti videtur, historia quam edidit Franc. tus Hist. eccles. Gallicanæ lib. v. Celebris n beati hujus martyris memoria, quam tamen ipsi cognominis, Cæsaraugustani scilicet diama paulo obscurasse videtur; ita ut, si viris eruditis credamus, pleræque basilicæ, quæ Vincentium Cæsaraugustanum patronum corimitus sub Vincentii Agennensis titulo fuerint atæ. Vide Tillemont., tome IV Hist. eccles. 6 et in notis, pag. 753, ubi et de ejusdem martyris loco sepulturæ, tumulo, etc., agit, et Broweri notas in Fortunati lib. I carm. 8 et 9, quæ sunt de ejusdem sancti basilicis a Leontio Burdegalæ episc. excultis.

[c] Sic. Colb. tut.; cæteri vero, *plebs omnia rerum suarum præsidia*. Eamdem historiam narrat Gregorius lib. VII Histor. cap. 35, ubi de sancto Vincentio et ejus basilica diximus.

CAPUT CVI.

Stupendum miraculum in avaros.

Nam [d] audivi præteritis annis gestum in Galliis. Mulier quædam sub specie religionis vacabat jejuniis, orationibusque insistebat, vigilabat pertinaciter, ac loca sancta devotione simulata circuibat assidue. Cumque in hoc colore justæ vitæ duraret, immensas opes a multis suscipiebat; congregabat aurum quotidie, et quod devotio Christiana pro redimendis porrigebat captivis, loculis abdebatur occultis; et quæ dabantur inopum necessitatibus profutura, iniquis marsupiis condebantur. Nam effossa mulier humo in medio cellulæ ollam immensam imposuit, ibique cum aliquid datum fuisset, recondebat diligenter, et lapide superposito claudens, ut nulli pateret occultum. O terque quaterque et obiter exsecranda cupiditas, quæ luce fraudans homines demergis in tenebras! Quid plura? Cum olla impleta fuisset nummis, huic mulieri tempus resolutionis advenit: mortua vero Deo, migrans in inferno sepulta est. Post cujus exsequias sacerdotes qui aderant, puellam ejus familiarem interrogant, quid de tanta fecisset pecunia, aut si ad eam erogandam temporis sui permisit spatium. At illa respondit nunquam se vidisse quod ulli inopum manum misericordiæ porrexisset; aut quid pecunia data devenisset, ignorare

[d] Ed., *Etium*. Titulus hujus capitis sic in Mss. habetur: *De muliere quæ pecuniam abscondit.*

se confitetur. Unum tantum scio, ait, quod in cellula deportatum, regressum foris ultra non vidi. Hæc audientes clerici, stupent auditu, et quid ex hoc factum fuisset diligenter inquirunt; totumque crebris ictibus pavimentum tundent bus, locus in quo occulta [a] jacebat pecunia tinnitum dedit impulsus, cavoque resonans prodidit quæ latebant, et statim remoto lapide invenitur auri congeries. **842** Et clerici stupentes tantæ subtilitatis perversitatem, episcopo quid actum fuerat, indicant. Ille vero commotus, jussit reserato sepulcro pecuniam super corpus exanime projici, dicens: Sint tua tibi quæ congregasti [b], pauperibus vero Christi non deerit unde sustententur. Nec mora, cum prima quies nocturno tempore data fuisset, audiuntur voces a tumulo, fletus et ululatus immensus: inter quas voces hoc maxime resonabat, se miseram, se infelicem, quæ auri consumebatur incendio. Denique cum per triduum hæ voces adveniente nocte resonarent, populis non durantibus, ad sacerdotem venitur. At ille accedens, iubet tumuli opertorium amoveri, submotoque videt aurum quasi in fornace resolutum, in os mulieris ingredi cum flamma sulphurea [c]. Tunc sacerdos oravit ad Dominum, ut quia malitia ejus populis fuerat declarata, tandem Dominus pœnam cessare juberet a corpore, et operto tumulo discessit, vocesque mulieris amplius non sunt auditæ [d]. Vides ergo quantum distat inter conversationem cœlestem et opulentiam sæcularem, quantum distat inter martyrum divitias et sæculi pompas; vides qualia martyribus sint collata præmia ad vitæ religiosæ compendia. Et tu, o homo mortalis, non declinas a sceleribus, non cessas a vitiis, non agonizas cum concupiscentiis sævis! Te illicit oculus, dum contemplaris aliena, cum sanctum martyrem non deflexit divitiarum oblatio opulenta! Tu cogitationibus iniquis fluctuaris, et cædis, cum ille martyr non cessit flammis et ungulis! Te unum desiderii pessimi jaculum sauciat, cum Christi martyrem exturbare a justitiæ tramite, nec turbo verberum prævaluit, nec catasta! hæc martyr sustinuit, visibili, ut tu, usus corpore, et tu invisibiles non refrenas corporis commotiones! Et licet juxta Apostolum, caro concupiscat adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, et hæc invicem adversentur sibi, ut non quod volumus illud geramus (*Gal.* v, 17), tamen vide quid ait idem doctor: **843** *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati* (*Rom.* VII, 23). Ergo si te senseris captivum abduci in lege peccati, tuta frontem tuam signo crucis insigni, quo propellas jaculum hujus insidiæ, quia juxta Prudentium [e],

> Crux pellit omne crimen:
> Fugiunt crucem tenebræ.
> Tali dicata signo
> Mens fluctuare nescit.

Nam qualis sit hujus vexilli sacratissimi fortitudo, quid contigerit nuper, evolvam.

CAPUT CVII.

De Pannichio presbytero [f].

Pannichius Pictaviensis termini presbyter, dum ad convivium cum amicis quos evocaverat resideret, poculum poscit. Quo accepto, musca importunior circumvolans inquinare poculum nitebatur. Quam cum sæpius manu presbyter abegisset, et illa paululum se elevans rursus reverti niteretur, sensit esse insidiam inimici, susceptoque læva poculo de dextera signum crucis facit: mox in quatuor divisus partes liquor qui inerat, elevata in excelso unda, terræ diffunditur [g]. **844-847** Patuit namque manifestissime hoc insidiam fuisse inimici. Ergo et tu, si viriliter et non tepide signum vel fronti, vel pectori salutare [*Laud.*, Salvatoris] superponas, tunc resistendo vitiis martyr habeberis, quia et ipsi martyres ea quæ vicerunt, non suis viribus, sed Dei hæc auxiliis, per signaculum crucis gloriosissime peregerunt, in quibus, ut sæpe diximus, ipse Dominus et dimicat, et triumphat. Unde oportet et nos eorum patrocinia expetere, ut eorum mereamur suffragiis adjuvari, vel, quod nostris digni non sumus meritis obtinere, eorum possimus intercessionibus adipisci, ut adjutorio sacratæ Trinitatis usi, effici mereamur martyres Christi, carnalibus desideriis abdicatis, ut dicit ipse [h], qui pro se fideliter dimicantes lapidibus pretiosis coronat in cœlo, alumnos cultoresque amicorum suorum protegere dignetur in sæculo; ac præstet, ut assistant martyres invocati a suis, quos post victoriam paradisus beatitudinis retinet immortales; ut in illo examinationis tempore, cum illos gloria æterna circumdat, nos aut excuset mediatrix venia, aut levis pœna pertranseat [i]; nec damnet reos pro criminis actione in perpetuum, quos pretiosi sanguinis commercio reparavit. Amen.

Explicit liber primus.

[a] Colb. a, *tunsoque crebris ictibus pavimento, locus in quo occulta.*

[b] Sic Gregorius Magnus lib. IV Dialog. cap. 55. Justi monachi proprietarii corpus cum ejus argento in sterquilinium projici mandavit.

[c] Sic de sepulcro curialis cujusdam facinorosi flamma per aliquot dies exire visa est, ut narrat Gregorius Magnus lib. IV Dial. cap. 32. Vide et cap. 51, et infra lib. de sancto Juliano cap. 15.

[d] Hic desinit caput, et liber primus, in Colb. tut., in quo deinde, omisso libro de Miraculis sancti Juliani, sequitur, ut ibi dicitur: *liber II de Miraculis sanctorum confessorum*, etc.

[e] Lib. Cathaemerinon, carm. 6, vers. 133.

[f] Bell. et alii: *De importunitate muscæ signo episcopi aversa.*

[g] Sic, uti narrat sanctus Greg. lib. II Dialog. cap. 3, vas pestiferi potus signum crucis a B. P. Benedicto efformatum ferre non potuit.

[h] Colb. a, altera manu, *ut ipse dux, qui.*

[i] Igne scilicet purgatorio, aut quovis alio modo ad diluendas defunctorum leves maculas destinato.

LIBER SECUNDUS.

PASSIONE, VIRTUTIBUS, ET GLORIA SANCTI JULIANI MARTYRIS[a].

INCIPIT PRÆFATIO GREGORII.

§8 Magnum in nobis quodammodo igniculum ad justitiæ suæ adipiscendam semitam pietas divina am dicit : *Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces* [Bell., *in precem*] *eorum* (*Ps.* XXXIII, 16); quod qui justitiam ex toto corde dilexerit, cum deprecatus fuerit, audiatur a Domino. Utinam trum cum hæc cantare [b] cœperit, statim spretis mundi scandalis, neglectis concupiscentiis vanis, e semitis pravis, justitiæ viam expeditus, et sine impedimento sæcularium actionum, conaretur er hanc enim viam Abel justus suscipitur, Enoch beatus assumitur, Noe reservatur, Abraham ac benedicitur, Jacob (Natatur, Joseph custoditur, Moyses sanctificatur, David prædestinatur, tatur, tres pueri in er incendia rorulenta vaticinantur, Daniel inter nocuas [c] bestias pascitu . am apostoli diriguntur, martyres beati glorificantur. Et qualiter, inquis? Scilicet dum infirma tuos [d] suscitant, præsentia contemnunt, futura desiderant, tortores despiciunt, pœnas non senlestia regna contendunt [*Laud.*, conscendunt]. Quod proculdubio virtute propria non obtinerent, m justitiæ rectis ine incedentes a Domino audirentur.

CAPUT PRIMUM.

passione sancti Juliani martyris.

clytus martyr Julianus, qui Viennen-i orvernis datus est martyr, ab hoc igne succ concupivit ac mente tota desideravit [e]. esset apud beatissimum Ferreolum, jam rii odore flagrabat. Qui relictis divitiis ac tantum ob solius amorem **849** martyrii advenit. Sed nec hoc sine divino mandato m tunc persecutio in Viennensi urbe ferer.t enim Dominum prædixisse : *Si vos erint in ista civitate, fugite in aliam* (*Matth.* tulit ergo se hic in Arvernum territorium, nortis, sed ut relinquens propria, facilius ad palmam : metuebat enim ne ei parea- bvii, si inter eos hoc certamen iniisset ; miles Christi coronam gloriæ, si legitime set. Igitur instante persecutione ad Brivam, in quo fanatici erroris næniæ colevenit. Et cum insequi adversarios nutu A Dei sensisset, a vidua quadam se occuli deprecabatur. Quem illa tegens, illico Martyre poscente, detexit, qui suis insecutoribus ita infit. Noto, inquit, diutius commorari in hoc sæculo, quia sitio totæ animi aviditate jam Christum. At illi eductam vibranti dextera framcam, deciso capite in tres, ut ita dicam, partes, gloriosus dividitur Martyr. Nam caput Viennam defertur, artus Brivate [f] reconduntur, felix anima a Christo conditore suscipitur. Senes quoque qui sacrosanctum corpus mancipaverant sepulturæ, ita redintegrati sunt, ut in senectute summa positi tanquam juvenes haberentur. Caput quoque ejus Ferreolus martyr [g] accepit, completoque certamine, tam illius membra quam istius caput in unius tumuli receptaculo collocantur. Quod ne cuiquam fortassis videatur incredibilis esse narratio, quæ audivi gesta fideliter prodam [*Al.*, pandam]. B

CAPUT II.

De revelatione capitis ejus.

Quodam autem tempore dum ad occursum beati

est anno Christi 304, die 28 Aug.
tentare. Colb. c, *tantare*.
lb. a; cæteri cum Ed., *innocuas*.
ò Mai. m., Germ. et Gem.; alii, *mortua*.
s. duobus Mai. m., Colb. tut., Germ. et
ræmissa brevi præfatione, refertur integra
passio, quam nonnulli existimabunt forgorio fuisse huic libro insertam. Et quicapitis seu libri titulus, qui in omnibus
ss. habet : *De passione*, etc. Cum tamen
passio illa desideretur, visum est satis eam
oluminis calcem proferre.
um martyrem Brivate passum fuisse et semo est qui inficiatur. Sed cum duplex ejus
cus sit, vetus scilicet et nova Brivas, lis

est quo in loco primitus sanctus Martyr fuerit depositus. Savaro, Sirmondus et alii censent illum in veteri Brivate sepulcrum fuisse, hodieque *Vieille-Brioude* appellata, de qua Gregorium, Fortunatum, Apollinarem Sidonium in Propemptico, seu carm. 24, aliosque veteres locutos fuisse volunt; alii vero hæc de nova Brivate intelligunt, ubi etiamnunc sancti Juliani corpus asservatur in perelebri basilica, quæ nobili canonicorum, qui comites nuncupantur, collegio illustratur. Ibidem habentur reliquiæ sanctorum Illidii et Ascontii, qui ipsi senes duo fuisse dicuntur, de quibus infra agitur, et cap. 4. C

[g] Sancti Ferreoli passionem dedimus in *Acta martyrum sincera*, pag. 500.

Nicetii antistitis **850** usque Lugdunum processissem, iibuit animo, non aliter nisi orationis causa, Viennam adire, et præcipue sepulcrum visitare Ferreoli martyris gloriosi (*An.* 304, 18 *Sept.*); insederat enim menti propter antiquam dilectionem eorum, me sic esse ejus alumnum ut Juliani. Denique oratione facta, erigo oculorum aciem ad tribunal [a], conspicioque in eo versiculos hoc modo conscriptos :

Heroas Christi geminos hæc continet aula :
Julianum capite, corpore Ferreolum.

Cumque hæc legens, æditnum consulerem, cur hæc scripta sic fuerint, respondit : Basilica sancti martyris Ferreoli super ipsum Rhodani littus ab antiquis fuerat collocata ; denique cum impulsante violentia amnis porticus, quæ ab ea parte erat locata, corrueret, providus [b] sacerdos, Mamertus nomine, qui tunc Viennensem regebat Ecclesiam, ruinam futuram præveniens, aliam basilicam eleganti opere, et in ipsa mensura sagaci intentione construxit, illuc sancti [*Al.*, sanctum] Martyris transferre cupiens corpus. Advenit autem ad hoc opus abbatum atque monachorum magnus numerus, vigilataque nocte, accepto sarculo fodere cœperunt. Cumque in profundum descenderent, tria sepulcra reperiunt, ac confestim stupor mentes spectantium invadit : nec quisquam erat certus quisnam esset beati Martyris tumulus. Igitur cum starent omnes in hebetitate [c] mentis attoniti, inspirante, ut credo, Divinitate, unus ex circumstantibus, exclamat, dicens : Antiquitus referri solitum erat, et celebri per populos sermone vulgatum, caput Juliani martyris [*Al.*, confessoris] in sepulcro retineri martyris Ferreoli. Si opertorio amoto unusquisque consideretur, potest quæ sint membra Ferreoli martyris protinus inveniri. Hæc audiens sacerdos, cunctos jubet in oratione prosterni : qua impleta, **851** procedit ad tumulos, detectosque duos, singulos in iis quiescentes invenit viros. Cumque aperuisset et tertium, invenit in eo virum jacentem illæso corpore, integro vestimento, qui deciso capite, caput amplexus aliud brachio retinebat. Erat enim ac si nuper sepultus, neque pallore faciei demutatus, neque capillorum decisione turpatus, neque ulla putredine resolutus, sed ita integer et illæsus, ut putares eum adhuc sopore cor-

A porco detineri. Tunc antistes gaudio magno repletus, ait : Hoc esse cadaver Ferreoli, hoc esse caput Juliani martyris dubium non habetur. Tunc cum magno psallentio, plaudente populo, in loco ubi nunc adoratur, Domino annuente perducitur [d]. Hæc autem ut ad sepulcrum martyris ab ipso æditno cognovi, fideliter retuli. Præbet tamen huic operi testimonium Sollius [e] noster, ipsi Mamerto scribens his verbis, « Tibi soli concessa est in partibus orbis Occidui, martyris Ferreoli solidi translatio, adjecto nostri capite Juliani : unde pro compensatione deposcimus, ut nobis inde veniat pars patrocinii, quia vobis hinc rediit pars patroni. »

CAPUT III.

De virtute fontis, ubi caput ejus ablutum est

B In [f] loco autem illo, quo beatus Martyr percussus est, fons habetur splendidus, lenis, dulcibus aquis uberrimus, in quo et a persecutoribus caput amputatum ablutum est, de quibus aquis multæ sanitates tribuuntur infirmis. Nam sæpe cæcorum oculi ab his tacti illuminati sunt ; tertianarum quartanarumque febrium ardore accensi, ut potati qui patiuntur fuerint, **852** conquiescunt. Nam et si quis gravi laborans incommodo, inspirante Martyre, desiderium habuerit hauriendi, protinus ut hauserit convalescit ; et ita velociter exstinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogum projectis undis incendia universa restingui.

CAPUT IV.

C *De senibus et matrona, cujus vir carcere tenebatur.*

Post passionem vero beati Martyris, ac fama præeunte de senibus, qui dum sanctos artus sepultura mandarent, fortitudini pristinæ fuerint restituti, multa ibi beneficia expetentes, credentesque indulgente Martyre consequuntur. De quibus pauca perstringenti deprecor veniam condonari, quod me minus vel idoneum, vel peritum ad hæc narranda cognosco, nec imbutum grammaticis artibus, nec litteris liberalibus eruditum : sed quid facio, quod impellit me amor patroni ut nequeam hæc silere? Vinctus quidam ab Hispaniis, et carceri deditus apud imperatorem Trevericum [g], capitali dijudicatus sententia detinebatur. Quo conjux illius cognito, dum tumulare

[a] Sic appellat Cyprianus pulpitum in quo diaconus legebat evangelium in ecclesia. Hodie ambonem appellamus.

[b] Colb. a, cum aliquot Mss. et Ed., *providens*.

[c] Mss. et Ed. plerique, *hebitate*, seu *hebetate*.

[d] Hujus translationis memoria Viennæ celebratur die 13 Decembris.

[e] Gem., mendose, *Solilius*. Is enim est Caius Sollius Apollinaris Sidonius, qui verba hic relata habet epist. 1 libri VII, ad ipsum Mamertum Viennensem episcopum scribens, ubi eum Ambrosio comparat, quod sicut ille Gervasii et Protasii martyrum corpora transtulerat, sic Mamerto Ferreoli *solida*, id est totius corporis, et Juliani capitis *translatio concessa* fuisset. Basilica sancti Ferreoli, quam Mamertus exstruxerat, a Saracenis incensa, Wilicarius episcopus, ut habet Ado in Chronico, eorumdem martyrum reliquias in urbem transtulit. Qua occasione Brivatenses dicunt se caput sancti Juliani cum B. Ferreoli

D brachio recepisse. De Mamerto et Litaniis ab eo institutis, vide, supra, Hist. lib. II, cap. 34, et Aviti homiliam de Rogationibus, etc. De eodem plura Bollandiani die 11 Maii.

[f] Codd. in quibus sancti Juliani passio integra refertur, non habent hoc caput, quod in iis in passionis historia interseratur. Locus autem in quo B. Martyr occubuit, olim *Vincella* dictus, ab utraque Brivate haud multum dissitus, nunc Sancti Ferreoli appellatur ; ubi hodieque visitur fons ille miraculis clarus, in quo sancti Juliani caput lotum fuisse dicitur, priusquam deferretur Viennam.

[g] Quanquam ex eo tempore quo barbari ex septentrionalibus plagis exorti Gallias appetierunt, plerique imperatores Treviris sæpius morati fuerint, imperatoris tamen Trevirici nomine hic specialiter Maximum tyrannum intelligi puto, qui Treviris regiam habuit.

viri membra festinat, ad Brivatensem vicum pervenit, repertosque viros, dum diversa studio intento rimaretur, cognoscit quid in eo loco vel de Martyre, vel de senibus fuerit gestum; fidelique insinuationi credens, ad sepulcrum beati Martyris deliberat properare, ut causas suggerat, casus reseret, vel cunctum laborem sui doloris exponat. Asserentibus tum præterea hominibus: Absque dubio pollicemur, domina, tibi a Martyre reddi lætitiam, qui senum quondam decrepitæ ætatis membra rigentia antiquo vigori restituit. Impletaque hac oratione, promittit ut **853** si sospitem reciperet conjugem, Martyris sepulcrum, in quo posset spatio [a], cæmento contegeret. Fide plena, et de Martyris pietate secura Treveris est ingressa, inventumque virum gratia imperiali receptum, læta regreditur; inquisitumque tempus quo vir relaxatus esset e carcere, hæc fuit absolutionis hora, qua illa Martyris est auxilium imprecata: dehinc pollicitationem quam promiserat cum immensis muneribus adimplevit.

CAPUT V.

De eo qui alium in basilica accidere voluit.

Erat autem [*Al.* enim] haud procul a cellula quam supra sepulcrum Martyris hæc matrona construxerat grande delubrum, ubi in columnam altissimam simulacrum Martis Mercuriique colebatur. Cumque delubri illius festa a gentibus agerentur, ac mortui mortuis thura deferrent, medio e vulgo commoventur pueri duo in scandalum, nudatoque unus gladio, alterum appetit trucidandum. At ille cernens nihil veniæ reservari, cum a diis suis non defensaretur, nostræ religionis custodiam, nostræ confessionis veniam, nostræ contagionis medelam, cellulam expetiit Martyris gloriosi. Tunc ille qui sequebatur, cum in assultu gladii eum non potuisset attingere, et hic super se ostium reserasset, atque ille arreptum utrumque postem, ostium conaretur infringere, illico adhærentes manus tabulis dolore maximo quatiuntur, et tanta afflictione miser torquetur, ut ubertim fluentes lacrymæ qualis esset dolor intrinsecus extrinsecus nuntiarent. Interea stupente vulgo, inclusus qui fuerat progreditur liber: parentes quoque illius qui virtute Sancti retinebatur, cognoscentes Martyris sepulturam, devotis multis muneribus pro filio exorabant.

CAPUT VI.

De conversione incolarum.

Factum est autem dum hæc agerentur, ut presbyter quidam via **854** illa descenderet. Qui cum didicisset quæ acta fuerant, pollicetur parentibus ut si a gentilitate discederent, filium reciperent sanum. Ipse quoque sacerdos sequenti nocte videt per somnium simulacra illa quæ a gentilibus colebantur numine divino comminui, atque in pulverem redacta solo prosterni. Quarta autem die cum gentilitas vellet iterum diis exhibere libamina, mœstus presbyter ad sepulcrum Sancti prosternitur, et cum lacrymis exorat, ut tandem gentilitatem hanc quæ jacebat in tenebris splendor divinæ potentiæ visitaret, nec sineret ulra Martyr beatus alumnos proprios ista caligine detineri, cum ille perennis claritatis gaudia possideret. Confestim ad ejus orationem commoventur tonitrua, renident [*Al.* renitent] fulgura, descendit imber igne mixtus et grandine, turbantur omnia. Concurrit vulgus ad cellulam, prosternitur coram sacerdote omnis caterva gentilium, et mixto cum lacrymis ululatu, cuncti Domini misericordiam deprecantur, pollicenturque sacerdoti, si grando recederet, et Martyrem patronum expeterent, et ad Deum ejus relictis simulacrorum cultibus integro de corde transirent. Porro ille, fusa oratione, cuncta quæ petiit meruit obtinere. Recedente autem tempestate, puer cum parentibus credens ipsa die a doloribus liberatur: gentiles in Trinitatis nomine baptizati, statuas quas coluerant confringentes, in lacum vico amnique proximum projecerunt. Ab eo enim tempore in loco illo et fides catholica, et Martyris virtus est amplius declarata.

CAPUT VII.

Qualiter Hillidius populum ab hostilitate liberabat.

Post hæc venientes quidam de Burgundionibus ad Brivatensem vicum, eum cum armorum multitudine copiosa circumdant, captoque populo, direpto ministerio sacrosancto, ultra amnem transeunt, et viros gladio interficere, reliquum vulgus sorte dividere parant. Tunc Hillidius [b] quidam a Vellavo veniens, et, ut aiunt, **855** commonitione columbæ alitis incitatus, super eos irruit [c]. Hortatusque socios ita hostes ad internecionem cæcidit, ut, captivis laxatis, triumphans in laude Martyris, amne transmisso, ad beatam cellulam tanquam novus Moyses cum omni populo canendo revertitur: nec minor, ut arbitror, exsultatio fuit ereptis, quam quondam Israelitis demersis fuit Ægyptiis. Quod ne quis dubitet hanc beati Martyris fuisse victoriam, sed insinuatio columbæ aliquod ministerium [d] fuisse creditur virtutis divinæ. Nam veniente Hillidio, hæc in obviam venit: cum ille, ut assolet, aliquid demoraretur, hæc in circuitu illius volitabat; illoque progrediente, ista præcedebat, et revertebatur in obviam, quasi accelerare deprecans iter. Dum hæc agerentur, adveniens puer captivitatem annuntiat, et sic iste viam acceleravit. Sed et ipso pugnante, columba semper circa eum visa est decurrere. Quod ne quis invideat conflictum de columba, et homini præstitum Christiano, cum Orosius (*Lib.* III, *cap.* 6) consulem Romanum [e], id est Marcum Valerium, a corvo alite scribat adjutum.

[a] Germ., *in quantum posset spatiato, cæmento fideque plena.*

[b] Alii, et sic infra, *Itlidius... Velauno*, quo nomine Vellavorum regio intelligenda (*le Velay*).

[c] Hic desinit alter Cod. Mai. m., cæteris avulsis.

[d] Sic Germ. et Colb. c. At Colb. a, Mart. et alii, *aliquod mysterium*. Nonnulli, *aliis quod mysterium*.

[e] Alii, *Romanorum*. Hic, qui inde *Corvinus* appellatus est, pugnabat tunc contra Gallum unum e Senonibus. Celebris est apud Romanæ Hist. scriptores.

CAPUT VIII.

De interitu eorum qui ministerium basilicæ exportaverunt.

Prostratis ergo ab Hillidio hostibus, quatuor ex his per fugam lapsi patenam et urceum, qui anax dicitur, in patriam deferunt, et divisam in tantis, ut erant, partibus patenam, urceum regi Gundobado ob gratiam exhibent conquirendam. Reliquum vero argentum reginæ [a] sagacitas reperit, cui additis multis muneribus, loco illi sancto restituit, fideliter insinuans regi non oportere eum ut gratiam Martyris sancti propter argenti parvitatem amitteret.

CAPUT IX.

De Fedamia paralytica.

856 Pro quibus ac talibus virtutum ornamentis magna ibi basilica fabricata a fidelibus, virtutibus, ut præfati sumus, Martyris beati refulget, in qua paralyticorum, claudorum, cæcorum et aliorum quoque morborum sæpius petita remedia conquiruntur. Fedamia quædam mulier paralysis humore constricta, cui nullum corporis membrum sine dolore vigebat, exhibita est, deferentibus propinquis, ad beatam basilicam, ut vel stipem a largientibus mereretur. Quæ dum in porticu illa quæ sanctæ basilicæ conjungitur decubaret noctem dominicam, dum sacrosanctis vigiliis populi fides devota concelebrat [b], et illa quiescens lectulo paululum obdormisset, a viro quodam per visum correpta atque increpita est, dicente sibi, cur, reliquis excubias nocturnas Deo exhibentibus, illa deesset? Respondit se ab omni membrorum parte debilem, nec penitus gressum agere posse. Tunc quasi sustentata a viro qui loquebatur ei, et ad sepulcrum usque deducta, dum in sopore fundit orationem, visum est ei quasi multitudo catenarum ab ejus membris solo decidere: a quo etiam sonitu expergefacta, sensit omnium artuum recepisse plenissimam sanitatem. Protinus surrexit a lectulo, et stupentibus cunctis, cum gratiarum actione vociferans, sanctam est ingressa basilicam. Ferunt etiam quidam, solitam fuisse eam referre habitum viri qui eam fuerat allocutus: dicebat eum statura esse procerum, veste nitidum, elegantia eximium, vultu hilarem, flava cæsarie immixtis canis, incessu expeditum, voce liberum, allocutione blandissimum, candoremque cutis illius ultra lilii nitorem fulgere; ita ut de multis millibus hominum quæ sæpe vidisset, nullum similem conspicasset. Unde multis non absurde videtur ei beatum Martyrem apparuisse. Quæ mulier **857** post decem et octo annos sanata est.

CAPUT X.

De eo qui percussorem suum de basilica conabatur extrahere.

Quidam dum in seditione quam commoverat oculum amisisset, hominem qui ictum intulerat de basilica conabatur extrahere: quod dum agit, non modo amissi oculi non recipit lumen, verumetiam sentit alium, quem sanum habuerat, obcæcari. Porro cum peccata sua confiteretur, dicens: Merito mihi evenit judicium sine misericordia, qui non feci misericordiam, prostratus coram sancto sepulcro cum populo, qui tunc ad festivitatem advenerat, indulgens lædenti, et visum recepit et gratiam. Sicque factum est, ut is qui Sancti auxilium expetierat tutaretur, ille vero qui non credebat arguereturque, et sic uterque lætus emendatusque discessit.

CAPUT XI.

De contracto, qui die Dominica boves junxit.

Alius quoque ausu temerario die Dominica jungens boves agrum sulcare cœpit, apprehensaque securi, ut aliquid emendaret in vomere, protinus contractis digitis manubrium in dextera ejus adhæsit. Cumque præ dolore nimio cruciaretur, post duos annos veniens ad beati Martyris basilicam, vigilias fideliter celebravit: statim in ipsa die Dominica, reserata manus lignum, quod invitus tenebat, amisit; magnam inferens populo disciplinam, ut quod die Dominica fuerat perpetratum, ipsa quoque die Dominica purgaretur. At ille magnificans gloriam Martyris, recessit incolumis, nec ultra die resurrectionis dominicæ [c] quidquam ausus est operari.

CAPUT XII.

De Anagildo muto, surdo et cæco.

858 Sic et Anagildus [d] quidam mutus et surdus et cæcus, vel omnium membrorum compage debilitatus, ad limina sacrosancta projectus est, scilicet ut vel ab stipe pasceretur devotorum [e], qui victus alimoniam propriis manibus laborare non poterat. Igitur cum per annum integrum ante sanctam ædem decubasset, tandem visitatus a virtute beati Martyris, ab omni infirmitate sanatus est.

CAPUT XIII.

De his qui Theoderici regis tempore basilicam irruperunt.

Videtur mihi, ut sicut Sancti virtute curata morbida retexuntur, ita et infidelium pravitates orationi illius confutatæ, ad emendationem aliorum, ne similia appetant, declarentur: quia utraque Sancti

[a] Hæc fuit Caretenes, quæ anno 506 obiit, conditaque est Lugduni in basilica sancti Michaelis, quam exstruxerat. Adi Valesium, lib. VI Rerum Franc. Gundobaldus satis est aliunde notus.

[b] Colb. a, *sacrosanctas vigilias populi fide devota concelebrant*. Colb. c et Germ., *nocte dominica*, etc. Certe his temporibus non solum clerici, sed et laici omnes vigiliis nocturnis intererant, ut ex hoc aliisque passim locis facile probatur. Vide Thomassin., Disciplinæ eccles. parte I, lib. II, cap. 79.

[c] Hic et passim manifeste dies quælibet Dominica resurrectionis dominicæ dies appellatur.

[d] Laud. cum Clict. et Sur., *Anagilus*. Gem., *Sed et*, etc.

[e] Hic Gregorius et alibi passim *devotorum* nomine intelligit personas pias, quæ, etiam in sæculo degentes, bonis operibus magis sollicite quam cæteri incumbebant. Qui loquendi modus hodieque viget. Eodem sensu *devotos* appellat Augustinus serm. 52 n. 5, Cassiodorus passim, Hincmarus lib. de Prædest. cap. 2 et in epist. ad Nicolaum papam, Flodoardus, etc.

gloria præstat, ut et hos sanitati reddat ne amplius crucientur, et illos arguat ne in futuro judicio condemnentur. Et quia nullum latere credo aliquid de hostilitate Theoderici regis [a] ac infirmitatibus Sigivaldi, quæ ei in Arverno posito contigerunt, propter virtutem tamen beati Martyris est diligentius exponendum, quo facilius fides dictis adhibeatur. Igitur cum ad direptionem Avernorum rex antedictus festinaret (*An.* 525), et ingrediens terminum vastationi cuncta subigeret, pars aliqua ab exercitu separata ad Brivatensem vicum infesta proripuit, fama vulgante quod in basilica essent incolæ cum multis thesauris adunati. Cumque pervenissent ad locum, inveniunt multitudinem promiscui sexus, obseratis ostiis, in templo ipso cum propriis facultatibus residere. Cumque intrare non possent, unus effractam ceu fur in altario [b] sancto **859** fenestram vitream, ingreditur, quia qui non intrat per januam hic latro est: debinc, reseratis ædis illius valvis, exercitum intromittit. At illi direptam cunctam pauperum supellectilem cum ministris [c] ipsius basilicæ, reliquum quoque populum qui infra erat eductum foris diviserunt haud procul a vico. Quæ cum ad regem delata fuissent, comprehensos ex his aliquos diversis mortibus condemnavit. Fugiens vero ille qui irrupta æde caput fuit hujus sceleris, igne de cœlo delapso consumptus interiit: super quem cum multi acervum lapidum congregassent, a tonitruis et coruscationibus detectus terrena caruit sepultura. Qui vero de consentaneis latentes regem in patria sunt regressi, correpti a dæmone diversis exitibus hanc vitam crudeliter finierunt. Hæc audiens rex, omnia quæ exinde sunt ablata reddidit. Præceperat enim ne in septimo a basilica milliario quis vim inferret.

CAPUT XIV.

De Sigivaldo pervasore.

Tunc Sigivaldus cum rege præpotens cum omni familia sua in Arverna regione ex regis jussu migravit [d]: ubi dum multorum res injuste competeret, villam quamdam quam gloriosæ memoriæ Tetradius [e], episcopus Biturigensis, basilicæ sancti Juliani reliquerat, sub specie obumbratæ commutationis, avidus pervasit: sed mense tertio postquam aggressus est, correptus a febre, et sine sensu effectus, declinavit caput ad lectulum. Cujus uxor dum de hoc exitu mœsta penderet, a quodam sacerdote commonita est, ut eum si videre vellet incolumem, auferret a villa. At illa hæc audiens, præparatis carrucis, compositoque plaustro, quo eum veheret, mox ut prædium sunt egressi, protinus divina sunt pariter gratia munerati. Nam iste sospitate [*Leg.* sospitatem], illa meruit ex hujus incolumitate lætitiam. Ferunt etiam in oratorium prædii illius **860** sanctum Julianum martyrem cum Tetradio episcopo colloquentem cuidam religioso revelatum fuisse, promittentem se episcopo villam, quam pro animæ suæ remedio sibi reliquerat, recepturum. Sed et habitum beati Martyris in eodem modo esse, ut quondam paralytica exposuerat (*Supra cap.* 9), referebat.

CAPUT XV.

De Pastoris malitia.

Pastor vero quidam, non strenuitate, sed nomine Ingenuus, dum in multis rebus contra basilicam sancti Martyris injuste ageret, ad hoc levitas ejus inimico ingrassante convaluit, ut colonias [f] basilicæ concupiscens, quæ agro ejus erant proximæ, pervadere non timeret. Ad quem sacerdos loci, cum aliquos de clericis quasi legatos mitteret, ut, accepta ratione, quod male pervaserat relaxaret, ille quasi contra iniquum hostem telis correptis prosiluit, fugatisque sagittis clericis, res Sancti in sua dominatione retinuit. Factum est autem ut in proximo adveniret dies passionis Martyris gloriosi: ad quam ille immemor pervasionis suæ atque injuriæ, quam intulerat clericis, ante quinque dies solemnitatis ad vicum Brivatensem advenit. Qui cum in domo hospitalitatis suæ convivio cum lætitia et exsultatione fungeretur, subito, coruscatione facta, tonitruum sonuit; rursumque iterato, jaculo igneo de cœlis elapso, percussus est, nullo tamen de reliquis pereunte: deinde ad exemplum omnium, tanquam rogus flammeus ardens, paulatim consumebatur (*V. supra, lib.* I, *c.* 106). Ad quod miraculum populus qui ad Beati festa convenerat, hæc cernens cum admiratione, metuebat; satisque illi fuit, ne de rebus Sancti aliquid ultra contingeret. Quod ne fortuito actum quis putet, cernat inter multos innoxios unum interfuisse sacrilegum.

CAPUT XVI.

De contumacia Beccononis.

861 Quid etiam ad Beccononis comitis confutandam superbiam beatus Martyr sit operatus, evolvam. Hic cum actiones [g] ageret publicas, et elatus jactantia

[a] Hoc caput laudatur in Vita sancti Stramonii, tomo II Bibliothecæ Labbeanæ, pag. 498. Theoderici autem regis in Arvernos expeditionem narrat ipse Gregorius lib. III Hist. cap. 12. — Hic idem auctor laudare ibidem videtur Gregorii nostri Historiam, aut certe nescio quod opus ex illa excerptum, quod appellat *Gesta Germanorum*, ex quo Theoderici regis Arvernicam expeditionem, sed parum accurate, narrat.

[b] Sic Germ., Gem. et Colb. c, id est in presbyterio, ut jam observavimus; cæteri habent *altari*.

[c] Legendum dubio procul *ministeriis*.

[d] Idem habet Gregorius lib. III Hist. cap. 15, ubi Sigivaldus dicitur ex *regis parentibus* fuisse. In cap. 16 ejusdem libri agitur de ejus administratione.

[e] Interfuit concilio Agathensi an. 507, et Aurelian. I an. 511. De eo Bollandus die 16 Februarii.

[f] Colonias pro colonicas scribebant plerique medii ævi auctores. Colonica autem est villa cum modo agri quantum unus colonus colere potest. Idem porro fere sonant hæ voces, colonica, mansus, villa, et apud Germanos, *hoba* et *hobunna*. Vide Bignonii notas in lib. I Marculfi form. 30.

[g] Actionis nomine officium designatur. Hinc apud Marculfum lib. I form. 8, *actiones comitatus*, *ducatus*, *patriciatus* dicuntur. Et Hunericus, apud Victorem Vitensem, lib. II, vetuit ne quis catholicus in palatio militaret, aut *actiones ageret publicas*. Vide Bignonii notas in lib. I Marculfi cap. 11.

multos contra justitiam aggravaret, casu contigit ut dimissum accipitrem diu per diversa vagantem perderet : similiter, ut unus de servientibus basilicæ sancti Juliani accipitrem alium, dum per viam ambularet, quasi vagum invenit. Erat enim puer ille pincerna in domo basilicæ. Quod cum ad Becconem pervenisset, quod scilicet puer repertum teneret accipitrem, calumniari cœpit ac dicere : Meus ille erat, inquit, et hic furto eum sustulit. Deinde, succendente avaritia, misit illum vinctum in carcere, deliberans eum in sequenti patibulo condemnare. Tunc sacerdos mœstus valde ad sepulcrum Sancti properat, reseratisque cum gemitu capsis, apprehensis decem aureis per fideles amicos Becconi obtulit. Quod ille pro nihilo respuens, cum juramento asseruit nunquam se puerum dimissurum, nisi exinde aureos triginta acciperet. Quod presbyter desuper sepulcro Sancti accipiens, Becconi transmisit, quos acceptos, satiata avari [a] cupiditate, puerum restauravit incolumem. Sed Deus omnipotens, qui permanet ante solem, secundum bonitatis suæ divitias humiliavit calumniatorem. Nam ipsius anni transacto curriculo, veniens ad Sancti festivitatem cum caterva satellitum, ingressus est limen sanctum. Procedente vero lectore, qui beatæ passionis recenseret historiam, ut revolvit librum, et in principio lectionis sancti Juliani protulit nomen, confestim Becco voce nescio qua teterrima ad terram corruit, cruenteque spumans dare voces diversas cœpit : inde inter suorum manus sublatus a basilica, domum reducitur. Nec fuit dubium pueris ejus hæc ob injuriam basilicaris **862** famuli evenisse : omnem quoque ornatum, quod super se tunc habuit, tam in auro quam in vestimentis, basilicæ contulit, et multa deinceps munera misit ; sed usque ad diem obitus sui sine sensu duravit.

CAPUT XVII.

De diacono qui oves basilicæ abstulit.

Fuit etiam quidam diaconus qui, relictam ecclesiam [b], fisco se publico junxit, acceptaque a patronis potestate, tanta perpetrabat scelera, ut vix posset a vicinis circumpositis sustineri. Accidit autem quadam vice ut saltus montenses, ubi ad æstivandum oves abierant, circumiret, atque pascuaria [c] quæ fisco debebantur inquireret. Cumque diversos spoliaret injuste, conspicit eminus greges qui tunc sub nomine Martyris tuebantur, ad quos levi cursu evolans, tanquam lupus rapax diripit arietes. Conturbati atque exterriti pastores ovium, dicunt ei : Ne, quæsumus, contingas hos arietes, quia beati martyris Juliani dominio subjugati sunt. Quibus ille hæc irridens respondisse fertur : Putasne quia Julianus comedit arietes? Dehinc ipsis verberibus affectis, quæ voluit abstulit : ignorans miser quod qui de domibus sanctorum aliquid aufert, ipsis sanctis injuriam facit, ipso sic Domino protestante : *Qui vos spernit me spernit* (*Luc.* x, 16) ; et, *Qui recipit justum, mercedem justi accipiet* (*Matth.* x, 41). Contigit autem ut post dies multos, non religione, sed casu conferente, ad vicum Brivatensem properaret, projectusque humo ante sepulcrum, mox a febre corripitur, et tanta vi caloris opprimitur, ut neque consurgere, neque puerum evocare posset. Famuli vero cum vidissent eum extra solitum plus occumbere, accedentes : Quid tu, inquiunt, in tanta diuturnitate deprimeris ? non enim tibi tam longus mos erat orandi, aut devotio [d]. Ferebant autem de eo, quod quandoquidem in ecclesia fuisset ingressus, parumper immurmurans, nec [*Al.*, ac] capite inclinato, **863** regrediebatur. Tunc interpellantibus pueris, cum responsum reddere non valeret, ablatus manibus e loco, in cellam quæ erat proxima lectulo collocatur. Igitur invalescente febre, proclamat se miser incendi per Martyrem ; et quod primo siluerat, admotis animæ judicii facibus, crimina confitetur, jactarique super se aquam, voce qua poterat, deprecabatur. Delatis quoque cum vasculo lymphis, et in eum sæpe dejectis, tanquam de fornace ita fumus egrediebatur e corpore. Interea miseri artus, ceu combusti, in nigredinem convertuntur, unde tantus procedebat fetor, ut vix de astantibus possent aliqui tolerare. Innuens enim dehinc manu, indicat se esse leviorem ; mox illis recedentibus, hic spiritum exhalavit. De quo haud dubium est qualem illic teneat locum, qui hinc cum tali discessit judicio.

CAPUT XVIII.

De eo qui caballum in vigilia Sancti [e] furatus est.

Alius autem per vigiliam festivitatis equum alicujus, qui tunc forte ad eamdem solemnitatem venerat, furto comprehendit, ascensoque velociter properat : scilicet ut qui lumen perdiderat veritatis, non inveniretur a luce, et cujus pectus cupiditatis tenebræ obsederant, ejus et furtivam fraudulentiam nox celaret. De talibus enim Dominus dicebat in Evangelio : *Omnis qui male agit, odit lucem* (*Joan.* III, 20). Albescente igitur cœlo dicebat : Jam securus sum, nam triginta leucas a Sancti basilica elongatus sum, jam seeus propriam domum esse me credo. Dum hæc tacitus revolveret infra se, demotis ex axe tenebris, cognoscit se ipsi vico propinquum inter populos divagari ; timensque ne scelus suum patefieret publico, cum cautela grandi caballum in loco unde digressus fuerat reformavit. Sic miser virtute Martyris tota nocte detentus in circuitu vici, et, ut ego credo, ab auctore qui eum obsederat est delusus, ut viam quam apprehendere voluit non valeret. O scelerata cupiditas, quid agis ! semper amatores tuos in confusionem præcipitas.

[a] Sic Germ. Alii, *auri*. Mart. et Gem., *auro*.

[b] Germ., *relicta ecclesia*, sed Gregorius accusandi casum passim loco sexti assumit.

[c] Pascuarium dicitur vectigal ex animalium pastione, ut agrarium illud quod agris imponitur. De his Bignon. in Marculfum, form. 35 lib. I.

[d] Plerique Mss., *tam longa mos erat orand. devotio.*

[e] Laud. cum Clict., Bal. et Mor., *sancti Petri.*

CAPUT XIX.

De eo qui propter triantem pejeravit.

864 Quidam alteri triantem præstiterat, quem interpositis paucis diebus recepit. Post annum vero in atrio Sancti convento homine, rem suam quasi non recepisset sibi reddi deposcebat. At ille detestans, asserebat se reddidisse susceptum. Cumque diutissime altercarentur, ille qui reddiderat ait ad socium : Usquequo uterque contendimus? sub judicio hoc omnipotentis Dei ponamus. Eamus ad tumulum Martyris, et quod sub sacramenti interpositione dixeris, discernat virtus sancta Patroni. At ille nec dubitans, ingressusque sepulcrum, dum audacter elevat manus ut pejeraret [*Al.*, perjuret], infeliciter miser irriguit. Hæret vox in gutture, lingua coarctatur in fauce, vibrat labia vacua a sermone : ipsa quoque brachia, quæ ad adjutorium frustrati sacramenti erexerat, prorsus retrahere non valebat. Ad hæc vulgo admirante, publicato scelere, multitudo cuncta populi, una voce prorumpens, Domini misericordiam ac beati Martyris auxilium deprecatur. Post quatuor vero aut eo amplius horas ad sensum regressus, quod injuste repetebat publica confessione patefecit, et sic sanus abscessit.

CAPUT XX.

De eo qui basilicam sanctam furto spoliavit.

Sæpe hæc ille audierat qui basilicæ sanctæ violentiam intulit, sed iniquam mentem semel obsessam vitio, bonitas mollire non potuit, Salomone obtestante : *In malevola anima non ingreditur sapientia* (*Sap.* I, 4). Advenerat festivitas Sancti, et ecce quidam e populo conspicatur ornamentis immensis beatam basilicam effulgere. Concupiscit iniqua mente quod adipiscens non poterat occultare. Igitur discedente populo a basilica post gratiam vespertinam, hic se in angulo basilicæ reprimens latitavit, ac dato cunctis nocturna quiete silentio, vel operiente umbrosa caligine mundum, consurgit ab angulo, **865** et nihil dubitans, utique quia satellite Satana impellebatur, super cancellum beati sepulcri cursu prosiliit rapido, detractamque a summo unam gemmis coruscantibus crucem [a], ad terram dejecit, collectisque velulis ac palliolis de circuitu parietum pendentibus, unum voluclum facit, imposuitque humeris, ac elevata cruce manu, locum unde discesserat repetit, ac posita capiti sarcina, peccati sopore compressus, obdormivit. Media vero nocte circumeuntes custodes sanctam basilicam aspiciunt in angulo unam gemmam crucis, tanquam jubar cœleste refulgere : obstupefacti accedunt cominus cum timore, admotoque cereo, inveniunt personam cum rebus furatis, quas auferre non potuerat, inibi decubare. Denique sub custodia eum illa nocte detentum, mane facto, cuncta quæ fecerat patefecit, asserens se A lassum obdormisse, eo quod diutissime circumiens cum fasce [*Al.*, face] basilicam, ostium unde egredoretur reperire non potuit.

CAPUT XXI.

De eo qui caballum in festivitate perdidit.

Multa quidem et alia in prævaricatoribus ostendit : sed satis sint ista ad coercendam desidiam eorum. Nunc vero ad gaudia prosperitatum, quæ larga pietate præstat populis, revertamur. Sed prius illud non arbitror postponendum, quod expertum valde cognovimus, quid in rebus perditis apud hunc patronum fidelis deprecatio consequatur : ex quibus unum tantum commemorare studui. Ad festivitatem beati Martyris devotus pauper advenerat, laxatoque B equite, sacram ingressus est ædem, ac vigili's immobilis instans, noctem cum cæteris orando deduxit. Illucescente vero cœlo ad metatum regressus, caballum quem reliquerat non invenit : quæsitumque diutissime, nec signa quidem quam in partem discessisset agnovit. Transacto igitur biduo, recurrit iterum per saltus, perscrutans locorum **866** incolas, si forte a'iquis aut teneret captum, aut capi vidisset ab aliquo. Nullum debinc indicii genus reperiens, anxius atque mœstus ad sepulcrum Sancti regreditur, ibique causas doloris ac mœroris exponens, aiebat : Ad tua, Sancte, limina veni, nihil aliud quam parvitatis meæ vota deferre : nihil injuste abstuli, nihil gessi indignum tua solemnitate; cur, inquam, perdidi rem meam? Rogo ut restituas amissum, ut necessarium reddas. Hæc fletu addito aiens, C ut egressus est templum, conspicit eminus a quodam viro suum equitem retineri. Ad quem accedens, dum discutit unde sit, aut unde venerit, aut ex quo tempore hunc habeat equum, didicit ipsa hora eum fuisse repertum, qua ille beati Martyris imploravit auxilium.

CAPUT XXII.

De cæco illuminato.

Cum autem quidam ab eo loco per incursum diabolicum oculum perdidisset, et ad hospitiolum suum viduatus lumine infeliciter resideret, ac manibus propriis nihil laborare prævalens, spem ullam alimonii non haberet; apparuit ei vir in visu noctis, commonens ut ad beati basilicam ambularet; ibique, si D devote suggerat, promittit auxilium inveniri. At ille nihil moratus, arrepto baculo, adminiculante puero, sanctum ingressus est locum. Qui post complet:am orationem archipresbyterum [b], qui tunc locum ipsum regebat, nomine Publianum, adivit, supplicans ut oculis cæcis Christi crucem imponeret. Erat enim valde religiosus. Quod ille dum jactantiam evadere cupit evitans, tenetur a cæco, nec omnino dimittitur, nisi quæ petebat adimpleret. Tunc ille prostratus ante sepulcrum diutissime Martyris est suffragium

[a] In ciboriorum quæ supra altaria aut sanctorum tumulos construi solebant summitate crux imponebatur, qua de re plura habet Mabillon. lib. I Liturg. Gallic. cap. 8, n. 7.

[b] Jam itaque tunc erant in vicis archipresbyteri. De eorum officiis, etc., fuse disserit Thomassinus Disciplinæ eccles parte I, lib. II, cap. 3 et seqq.

deprecatus : deinde, admotam oculis cæcis manum, protinus ut signum crucis imposuit, visum iste recepit. Admiramini, quæso, virtutem Martyris, cui cum parum sit per se exercere miracula, nunc etiam per manus discipulorum, astipulante virtutis **867** suæ favore, publice operatur. Sed nec meritum discipuli fuit exiguum, cui hæc præstita esse cernuntur.

CAPUT XXIII.

De pede Galli, postmodum episcopi, sanato.

Erat enim tunc temporis apud urbem Arvernam patruus meus, Gallus episcopus (*Vid. Vit. Patrum cap.* 6), de quo non videtur omitti qualiter in adolescentia sua fuerit a Sancti virtute juvatus. Et quia sæpius commemoravi quale excidium Arvernæ regioni rex Theodericus intulerit, cum neque majoribus, neque minoribus natu aliquid de rebus propriis est relictum, præter terram vacuam, quam secum barbari ferre non poterant ; his ergo temporibus gloriosæ memoriæ patruus meus, qui postea, ut dixi, sacerdotali fasce Arvernam rexit Ecclesiam, puellus erat, cujus facultates ita direptæ sunt ab exercitu, ut nihil prorsus remaneret in promptu. Ipse quoque cum uno tantum puerulo usque ad Brivatensem vicum plerumque itinere pedestri discurrebat. Accidit autem quodam tempore, dum hoc iter tereret, ut laxatis præ calore solis calceamentis, nuda incedens planta, sudem calcaret spineam, qui [a] tunc fortassis incisus adhuc terræ hærens, erecto acumine inter herbas virides latitabat. Qui defixus plantæ et superegressus, effractusque deorsum extrahi nequibat. Igitur defluente sanguinis rivo, cum gressum facere non valeret, beati Martyris implorat auxilium, paululumque dolore compresso, licet claudicando, iter quod cœperat expedivit. Tertia vero nocte, computrescente vulnere, dolor maximus incitatur. Ille vero ad experta dudum præsidia confugiens, sepulcro glorioso prosternitur ; expletisque vigiliis regressus ad lectulum, dum virtutem Martyris præstolatur, somno incumbente deprimitur. Deinde consurgens, nullam doloris sentit injuriam, aspectaque planta, pars sudis quæ ingressa fuerat, non videtur, evulsam tamen sentiebat a pede. Quod lignum diligenter inquirens in stratu suo reperit, **868** admirans qualiter fuisset egressum. Solitus namque erat in episcopatu suo locum vulneris ostendere, in quo magna adhuc fossa conspiciebatur, obtestans in hoc beati Martyris fuisse virtutem.

CAPUT XXIV.

De febre Petri fratris mei.

Post multum vero tempus advenerat festivitas beati Martyris, et pater meus cum omni domo sua ad hujus solemnitatis gaudia properabat. Nobis vero iter agentibus, Petrus frater meus senior ab ardore febrium occupatur, et tam graviter agit [b], ut neque vigere, neque cibum sumere posset : totumque illud iter cum grandi agitur mœrore, et in discrimen res vertitur, utrum convalescat aut [*Al.*, an] pereat. Denique cum isto labore pervenitur ad locum : ingredimur basilicam, adoramus sacrosancti Martyris sepulturam ; prosternitur et ægrotus in pavimento, deprecans medelam a Martyre glorioso. Post completam vero orationem, ad metatum regressus, febris paululum conquievit : veniente autem nocte, nobis ad vigilias properantibus, rogat se et ille deferri, incumbensque ante sepulcrum, tota nocte Martyris suffragium deprecatur. Exactis deinde nocturnis excubiis, rogat ut de pulvere qui circa beatum erat tumulum collecto vel potui darent, vel collo suspenderent. Quo facto, ita omnis ardor febrium conquievit, ut ipsa die et cibum caperet incolumis, et ubi delectatio vertisset animum ambularet.

CAPUT XXV.

De mei capitis dolore.

Sequenti vero festivitate, dum iterum cum magno gaudio ad sanctam properaremus basilicam, mihi caput a sole percussum graviter dolere cœpit : qui dolor accrescens, febrem intrinsecus generabat, ita ut nec cibum me capere, nec loqui permitteret. Cumque per duos dies ab hoc dolore consumerer, die tertia ad basilicam **869** sancti Ferreoli, cui fons ille de quo superius meminimus (*Cap.* 3) est contiguus, advenimus. Distat autem basilica a Brivatensi vico quasi stadiis decem. Cumque in loco illo venissemus, libuit animo ad fontem usque procedere, confidens de virtute Martyris, quod si me exinde levis unda perfunderet, mox sanarer. Adveniens vero orationem fundo, aquam haurio, os refrigero, caput infundo : statimque decidentibus lymphis, fugato dolore sanus abscedo, et usque ad sepulcrum Martyris gloriosi lætus ingredior, admirans et gratias agens Martyri, quod prius me virtute sua dignatus fuerit visitare, quam ipsius mererer cernere sepulcrum.

CAPUT XXVI.

De febricitante ad fontem sanato.

Est enim ad hunc fontem [c], quia ibidem martyr percussus est, virtus eximia. Quidam a febre correptus, dum in extremis ageret, desiderium habuit de aqua fontis haurire, ad quam etiam se deportari fideliter exoravit : qui a suis inter manus apprehensus, et in loco depositus, protinus ut aquæ haustum accepit, et faciem caputque perfudit, recipere meruit sanitatem ; et aliorum manibus illatus, propriis

[a] Sic omnes Scripti cum Clict. et cæteris. Alii Editi, *quæ*, etc., fomineo genere expressa.

[b] Colb. a, Germ. et cæteri, *agitur*. Aliquot Ed., *angitur*, *ut neque bibere*. Petri fratris sui, tunc diaconi, necem narrat Gregorius lib. v Hist., cap. 5. Is erat sancti Galli, de quo cap. præced., nepos, quod Mss. in hujus capitis titulo exprimunt.

[c] Sic Colb. a, cum Sur. et Clict. At Colb. c, et Germ. : *Est enim fontis virtus eximia, quia*, etc. Mart. et plerique Ed., mendose : *Et enim ad Hunoronem.* Laud. et Bell., *Unoronem.* Germ. : *Est enim ad fontem, in quo beatissimi Juliani ablutum est caput, virtus eximia, quia ibidem Martyr percussus est. Quidam*, etc.

gressibus est regressus. Fuit autem incola hujus vici, sed excidit nomen ejus.

CAPUT XXVII.

De tonitruo in basilica facto, et coruscatione.

Quadam autem die orta tempestas cum magno venti impetu super vicum Brivatensem rapide descendebat; micabant enim de nubibus fulgura, ac tonitrua terribiliter voces dabant. Quatitur terra fragore, et exuri a coruscatione pene omnia putabantur : sola erat exspectatio in virtute Martyris gloriosi. Nec mora, dato cum fulgore gravi sono tonitrui, jaculum **870** igneum per aditum quo funis ille signi dependet ingreditur; percussisque duabus columnis, frusta excussit : inde repercutiens per fenestram quæ super sanctum habetur tumulum est egressum, nullum tamen per Beati custodiam de populo læsit. O quam magnus circa alumnos proprios beati Martyris amor ! columnas sustinuit percuti, non sinit [a] phalangas; confringi passus est vitream, non catervam; permisit super sepulcrum proprium præterire coruscum, ne fieret multitudinis totius interitus. Igitur expulsum a basilica sancti Martyris jaculum acervos fœni combussit, interfecit pecora, jumenta delevit. Quod si hæc fortuita quis putat, admiretur magis et stupeat inclyti potentiam Martyris, quod præteriens ignis per medium populi, neminem nocuit, sed ibi tantum explevit vota, ubi se cognovit habere licentiam.

CAPUT XXVIII.

De eo qui præ multitudine populi ad sepulcrum non valebat accedere.

Clericus autem quidam Aridii Lemovicini abbatis ad festivitatem veniens, præ multitudine populi non modo ad sanctum tumulum accedere, verum etiam nec in ipsam basilicam potuit introire. Cumque mœstus metatui se reddidisset, recubans in lectulo obdormivit. Protinus astitit ei vir in visu, dicens : Quid tu, inquit, sopore deprimeris? Vade celerius ad templum Martyris, et omnia invenies reserata. At ille metu territus exsurgens, credulus dictioni, properat velociter experiri si vera essent quæ sibi fuerant indicata. Cumque venisset ad ostium, reperit, remotis undique populis [b], usque ad sanctum altare vel ipsum tumulum viam factam nullo obsistente : et sic sine ulla impressione accedens, fusa oratione, cum gaudio est regressus. Quod ne quis dubitet, testor omnipotentem Deum, quia ab **871** ipsius abbatis hæc ore cognovi, apud cujus monachum [c] gesta sunt.

CAPUT XXIX.

De festivitate ejus.

Hujus festivitatis tempus ignara plebs mœsta pecdebat, nesciens diem in quo Martyr beatus deberet pro virtutis ac passionis gloria honorari, et hæc ignorantia usque ad beatam Germanum Autissiodorensem antistitem est protracta. Factum [d] est tantum ut antedictus pontifex Brivatem adveniret, sciscitatusque ab incolis quo tempore hujus sacra celebrarentur, se nescire respondent. Tunc ille : Oremus, inquit, et fortassis nobis hæc Domini potentia revelabit. Quod cum fecissent, mane orto, convocatis scnioribus loci, ait v Kalendarum mensis septimi [e] celebrandam esse festivitatem. Ex hoc nunc devotus adveniens populus, vota præsuli reddens, refert et animæ et corporis medicinam.

CAPUT XXX.

De energumenis.

Energumeni vero cum advenerint, plerumque evomunt in Sanctum Dei convicia, cur sanctos alios ad sua convocet festa, ipsosque nominatim confitentes, eorum fatentur virtutes et merita. Aiunt enim : Sufficiat tibi, Juliane, nos propria virtute torquere. Ut quid reliquos provocas? quid invitas extraneos? Ecce Martinum Pannonicum, inimicum jugiter nostrum, qui tres a nostris cavernis repulit mortuos. Adest Privatus ex Gabalis [f], qui oves suas barbaris, nostra instigatione commotis, tradere noluit. Advenit Ferreolus collega tuus ex Viennensibus, qui nobis in te supplicium, **872** incolis præsidium misit. Quid Symphorianum Æduum, quid Saturninum vocas Tolosanum? Aggregasti concilium, ut nobis ingeras infernale tormentum. Hæc et his similia dicentibus, ita sanctos Dei humanis mentibus repræsentant, ut nulli sit dubium eos inibi commorari : multi tamen ab his infirmi curantur, et sani recedunt.

CAPUT XXXI.

De mansuetudine pecorum.

Sed et illud est memoratu dignissimum, quæ sit mansuetudo pecorum in hac basilica votivorum [g] : qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunnientes suillæ [*Al.*, sues], cum limen sanctum ingressi

[a] Sic Germ. et Gem. Colb. c, *sustulit*. Sur., *Martyris affectus*, etc. Colb. a, *magna... martyris virtus, columnas sustulit percuti, non phalangas.*

[b] Ed., *remotos populos*. Germ., *populos et usque... nullum obsistere.*

[c] Observa monachum hic a Gregorio dici quem prius clericum appellarat, quod et passim occurrit apud alios quoque ejus ævi auctores. Vide notas in lib. I de Gloria Mart. cap. 76, supra, col. 806.

[d] Id narrat Constantius in ipsius sancti Germani Vita, lib. I, cap. 25.

[e] Et hic Gregorius annum a Martio incipit, Septembrem appellans septimum mensem.

[f] In Chroci Alamannorum regis irruptione passus est, ut narrat Gregorius lib. I Hist. cap. 32, idque circa an. 265, si hæc clades Gallieno imperante contigit : malunt quippe alii eam sæculi V initio consignare. Vide Tillemontii Hist. eccles. tom. IV. Ejus acta habent Monbritius et Surius ad 21 Augusti, sed quæ post nostri Gregorii ætatem videntur scripta. De aliis sanctis hic memoratis fusius suis locis egimus.

[g] Votiva dicebantur animalia quæ Deo aut sanctis oblata fuerant; a nonnullis etiam appellabantur *sacrina*, quod ejusmodi apud ethnicos sacrificiis fuissent destinata. De his in lege Salica tit. 2, in quem locum vide Bignonii notas. Equos in trajiciendo flumine Rubicone a Julio Cæsare consecratos, ideoque sine custodibus dimissos, memorat Suetonius lib. I num. 81.

fuerint, conquiescunt. Nam vidimus sæpe cotburnosos tauros, qui a quindecim aut eo amplius viris alligati, funibus ducebantur, talem in hominibus impetum dare, ut putares eos ipsos quoque dirumpere funes : sed cum ædem sanctam ingressi sunt, ita quieverunt, ut arbitreris eos tanquam agnos mansuetos haberi. Vidimus etiam [*Al.*, et nunc] per medias turmas multos ingredi, inclinato capite populos amoventes rostro, non cornibus; et tanquam tribunal adirent judicis, aliquem sensum habere timoris; non calcem mittere, non aliquem cornu petere, non oculis torvis aspicere, sed in omni mansuetudine usque ad sanctum properantes altare, osculantesque, rursus in ipsa qua ingressi fuerant patientia repedare. Sic et reliquorum jumentorum petulantia, cum illuc accesserit [*F. leg.* accesserint], deposito cuncto furore, mitescit, ut ea in mansuetudine columbarum cum grandi admiratione conspicias. De his vero quæ votiva sunt, nulli penitus quidpiam subtrahere licet; nullus priusquam ad basilicam veniat, aut commutare præsumit, aut emere. Nam qui fecerint, sæpius ultione divina graviter 873 quatiuntur. Nam aut febris imminet, aut malum aliquod obrepit, aut damnum grave succedit, aut hoc quod abstulit morbus aufert. Difficile tamen sine præsenti ultione res præterit.

CAPUT XXXII.

De reliquiis ejus in Campaniam translatis.

De illis [a] dixisse virtutibus sufficiat quæ circa sanctam basilicam aut gesta sunt, aut geruntur : nunc pauca de locis illis in quibus ejus habentur reliquiæ disserentes, finem hujus libelli facere placet, devotione commonente. Quidam apud Belgicæ secundæ provinciam, id est suburbano Rhemensis urbis, basilicam in honore beati Martyris studiose construxit, cujus reliquias post perfectam fabricam expetiit fideliter ac devote. Quas acceptas dum viatim psallendo regreditur, Rhemensem est ingressus Campaniam. Erat enim haud procul a via ager cujusdam divitis Campanensis, ad quem scindendum magna multitudo convenerat. Igitur appropinquante viatore cum his pignoribus, cœpit quidam de aratoribus male torqueri, et quasi in excessu mentis dicere : En, inquit, beatissimum Julianum appropinquantem, ecce virtutem ejus, ecce gloriam ejus. Currite, viri, relinquite boves, dimittite aratra, caterva omnis eat in obviam. Stupentes illi, et quid narraret ignoti [*Al.*, ignari], dum hebetati admirantur tam voces quam dicta personæ, protinus miser, relicto in arvis vomere, elidens se in terram, verberansque palmas, in parte qua vir ille beati Martyris veniebat, cursu celeri rapitur, clamans : Ut quid me, Sancte, sic crucias? ut quid me, gloriose Martyr, incendis? cur regionem tibi non debitam aggrederis? cur habitacula nostra perlustras? Talia eo dicente, ad locum ubi jam sacerdos tabernaculum erexerat, turbulentus advenit, prostratusque 874 coram Sancti reliquiis, diutissime humo [*Al.*, homo] incubuit. Tunc presbyter capsulam illam sanctam super eum ut posuit, illico erumpente ex ore ejus sanguine, ab incursione diabolici erroris mundatus est; ac deinceps virtutem Sancti prædicans, comes fuit hujus itineris.

CAPUT XXXIII.

De reliquiis ejus in Oriente exhibitis.

Quid [b] de ejus reliquiis in Oriente fidelium fratrum relatio signat, edicam. In quadam Orientis civitate, dum in ecclesia a dæmonio quidam torqueretur, in navi beati Martyris prædixit esse reliquias. Cumque navis portum fuisset adepta, hic ad eam saltuatim prosiliit, ac provolutus solo coram navi, erumpente ab ore et naribus tabe, persona purgata est. Quæ cum episcopo nuntiata fuissent, commovet [c] populum cum accensis cereis ad portum usque procedere. Igitur nauclerus audiens, flensque præ gaudio, in occursum episcopi properat, nihil se aliud asserens de Beati sustulisse basilica, nisi parumper pulveris qui circa sanctum jacebat tumulum : sed Deus omnipotens comprobans fidem viri, oculi virtutem Martyris non permisit. Dehinc episcopus sublatas reliquias usque ad sanctam ecclesiam cum magno honore deportat. Negotiator vero tanta cernens mirabilia, basilicam in honore Martyris ædificavit, in qua beatas reliquias collocans, multa deinceps ibi miracula vidit operari.

CAPUT XXXIV

Qualiter Turonis in basilica ejus reliquiæ sunt locatæ.

Hæc ego dudum expertus sum [d]. Contigit ut post ordinationem meam Arvernos accederem : profectusque beati basilicam adivi, expletaque festivitate, diruptis a palla quæ 875 sanctum tegit tumulum fimbriis, in his mihi præsidium ferre credens, impleta oratione discessi. Apud Turonicam vero urbem monachi in honore ipsius Martyris basilicam [e], qualem possibilitas eorum habuit, ædificaverunt, cupientes eam ejus virtutibus consecrari. Audientes autem hæc pignora a me fuisse delata, rogabant ut dedicata

[a] Hoc caput laudat Frodoardus lib. I Hist. Rhemensis cap. 23, ubi de basilica hic memorata agit, in qua Atolus *vir præclarus* ejus, ut creditur, conditor sepultus est. Cujus epitaphium, quod hic auctor *titulum* appellat, *summo templi pinnaculo* erat insculptum, in quo laudatur ob duodecim xenodochia in honorem sancti Remigii ab eo exstructa. Cæterum basilica sancti Juliani Rhemis etiamnunc superest archimonasterio Rem giano subjecta, cum parochiali titulo.

[b] Germ., Gem. et Colb. : *Simile huic gestum in... signat. Quod in quadam Orientis civitate dum in ecclesiam dæmoniacus adduceretur, in navi*, etc.

[c] Alii, *commonet*, seu *commonuit*.

[d] Mart. et Colb. a : *Hæc ego dudum experta*, pro *his... expertis*, ut habet Pithœus. Germ., Gem. et Colb. c, *Hæc... habens experta*.

[e] Monasterium sancti Juliani Turon., olim de Scalariis dictum, a Normannis dirutum, restauratum fuit, anno circiter 958, a Tetolone archiepiscopo, qui ipsum sancto Odoni abbati Cluniacensi reformandum commisit. Quo in opere desudans vir sanctus ibidem obiit, ac sepultus est prope ipsum Tetolonem. Vide ejus elogium in sæc. v Act. sanctorum ord. Benedicti, numm. 25, 41 et seqq. Monasterium sancti Juliani hodieque subsistit regulæ Benedictinæ addictum sub congr. sancti Mauri.

ædes iisdem augeretur exuviis. At ego, apprehensam secretius capsam, ad basilicam beati Martini incipiente nocte propero. Referebat autem mihi vir fidelis, qui tunc eminus astabat, cum nos basilicam sumus ingressi, vidisse se pharum immensi luminis e cœlo delapsam super beatam basilicam descendisse, et deinceps quasi intro ingressa fuisset. Cum enim nobis hæc in crastinum a fidelibus relata fuissent, conjicimus eam a virtute beati Martyris processisse. Depositis ergo super altare [*Al.*, altarium] sacrosanctis reliquiis, vigilata nocte, cum grandi psallentia ad antedictam deferebantur basilicam. Et ecce unus ex energumenis, manibus in se collisis, ore patulo, cruenta projiciens sputa [a], aiebat : Ut quid te, Martine, Juliano junxisti? Quid eum in his provocas locis? Satis nobis erat præsentia tua supplicium, similem tui ad augenda tormenta vocasti. Cur hæc agis? quare nos cum Juliano sic crucias? Hæc et alia misero declamante, expletis missarum solemnitatibus, dum se ante sanctum altare diutissime collidit, profluente sanie ex ore ejus, ab infestatione furoris diabolici liberatus est.

CAPUT XXXV.

Quod vinum ea nocte creverit.

Sed nec hoc silere [b] puto quid in nocte illa, priusquam sanctæ reliquiæ ibidem collocarentur, sit gestum. Monachus ipsius loci, dum de adventu solemnitatis gauderet, et singulos **876** quosque ad cellariolum basilicæ promptissimus invitaret, hortans ut omnes in basilica fideliter vigilarent, extracto a vase vino, cœpit eis causa devotionis cum gaudio propinare, dicens : Magnum nobis patrocinium in beatum Martyrem pietas divina largitur. Idcirco rogo charitatem vestram, ut unanimiter vigiletis mecum; eras enim sanctæ ejus reliquiæ in hoc loco sunt collocandæ. Exacta quoque cum sacris hymnis modulisque cœlestibus nocte, celebratis etiam Missarum solemniis, festivitate ovans clericus [c] cœpit eos iterum, quos prius invitaverat, rogare ad refectionem, dicens : Gratias vobis ago quod sic ad vigilandum immobiles perstitistis. Sed nec Martyr diu distulit bonum voluntatem virtutis suæ gratia munerare. Nam ingressus promptuarium clericus, reperit cupellam, quam pene mediam reliquerat, per superiorem aditum redundare, in tantum ut copia defluentis vini rivum per terram ad ostium usque deduceret. Quod ille admirans, posito deorsum vase, sæpius extulit plenum : sed et de ipso cum satis abundeque fuisset expensum, nihil prorsus defuit, sed usque in crastinum mirantibus cunctis semper stetit plenum. Erat autem in Kalend. mensis quinti [d]. O admirabilis virtus Martyris! cum produxit de vase sine li re vindemiam, cum sit solitum ut collecta vina condantur in vascula, protulit dolium musta, in quo non uva [e], sed virtus sola defluxit : turgescit vasculum a liquore, fructus non illatus est, sed creatus. Agit hoc ille Dominus ad glorificandum Martyrem, qui implens uterum Virginis sine semine, permanere præstitit matrem in castitate : sed tamen hic novo magis [f] exuberat fructu, cum sine caudicibus falerna porrigit ad libendum. In aliis vineis vix adhuc erumpunt gemmæ, in hoc vero vase vinum defluit. A virtute [g] æquatur Maius Octobri, cum nova **877** porrigit pocula, et plus habet quam ille, cum in promptu non ostenditur vinea, et in domo gignuntur falerna. Itadis etenim venit sine torculari vindemia, quæ non in palmitibus, sed in occultis mysteriis est reperta; acervus acinorum non premitur ab arbore, et vini defluunt undæ; hauriuntur falerna, cum in torculari non cernuntur impressa; vitis ecce non aspicitur, et pocula large complentur. Sed quid inquam? non enim deest fidelibus virtus illa cœlestis. Nam qui quondam in nuptiis de aquis præstitit vina, nunc suis eadem large porrigit sine ullius elementi natura; et qui geminis piscibus quinque millia hominum satiavit, nunc bonæ voluntati multiplicata restituit. In ipsius enim ortus tempore angelica vox testata est, dicens : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Sed jam ad sequentia virtutum opera veniamus.

CAPUT XXXVI.

De contracto in eodem loco sanato.

Serviens [h] ejusdem monasterii diu contractus, infeliciter trahebatur. Adveniens autem ad ipsam Sancti basilicam, vigilias celebrat. Quibus expletis, mane dum ad stratum suum regreditur, inter portantium manus resolutis sanatus est nervis.

CAPUT XXXVII.

De puella lippa [i].

Puella quædam lippis erat oculis, et nimio imbre lacrymarum profluente pene cæcata : cujus pater, audita virtute Martyris gloriosi, cum ea ad basilicam sanctam properat, celebratisque vigiliis, mane pauperibus qui ad matriculam illam erant cibum potumque protulit. Epulantibus vero illis, subito puella capitis dolore se torqueri proclamat, et ut modico sopori indulgeatur implorat. Qua quiescente, cum convivæ epulum explicarent [j], **878** illa surrexit, et ad sanctum se altare duci deposcit : antequam [k] solo prostrata fuisset, et attente Domini misericordiam deprecaretur, restrictis lacrymis, purga-

[a] Mart., Rom., Germ. et Colb. 2, *cruentos... sputos.*
[b] Alii, *sileri.* Edit., *silendum.*
[c] Gem., *monachus*, et sic infra, sed perinde est.
[d] Ilic contra suum morem Gregorius mensem quintum videtur Maium appellare; proindeque inchoare annum a Januario. Vide supra notas ad cap. 90 lib. I de Gloria Mart.
[e] Aliquot Scripti cum Editis, *non vina;* et infra, *liquore quo fructus.* Germ., *in quo fructus.*
[f] Gem., *majus*, forte pro *Maius.*
[g] Legendum forte, *defluit a virtute. Æquatur.*
[h] Germ., *servus.* Editi, *servientes hujus*, etc.
[i] Mss. plerique, *De cæco illuminato.*
[j] Sic Germ. et Colb. c. Alii, *applicarent.*
[k] Germ., Gem. et Colb. c, cum Sur., *ante quod cum solo.*

tis lippitudine oculis, læta surrexit : tunc patre gaudente domi redditur [a] sana.

CAPUT XXXVIII.

De alio contracto.

Alius quidam puerulus parvulus, cujus parentes haud procul ab ipsa basilica commanebant, in secundo ortus sui anno membris totis contractus, sine spe alicujus boni nutriebatur. Qui ita contractus erat, ut genua ab ejus ore penitus separari non possent. Cujus parentes, cum ad sanctam basilicam vigilassent, et projectum infantulum coram sacrosanctis reliquiis dimisissent, post paululum reperiunt eum sedentem, membris omnibus esse directum. Dehinc, fusa oratione, gaudentes ad domum suam regressi sunt.

CAPUT XXXIX.

De perjuris.

Est etiam in Turonico vicus, cui Gaudiaco [b] nomen est, in quo beati Martyris reliquiæ continentur, qui cum magnis virtutibus crebro illustretur, in perjuris tamen plerumque agitat ultionem. Nam cum ibidem quis, inimico humani generis suadente, perjuraverit, ita ultio divina prosequitur, ut protinus aut in successione damni, aut in amissione proximi, aut in consumptione morbi manifesta patescat : non tamen causam remanere inultam Martyr prorsus indulget; sed nec jnibi tam [*Al.*, jam] ausu temerario perjurat barbarorum cruda rusticitas. De quo negotio ista sufficiant, quia longum est singula quæ de his acta sunt per ordinem memorare.

CAPUT XL.

De reliquiis ejus, quas Aridius presbyter sustulit.

879 Cum autem ad me Aridius presbyter ex Lemovicino venisset, vir valde religiosus, cujus etiam in secundo virtutum beati Martini libro (*Cap.* 39) memini, dum sollicite vitam ejus perscrutarer, et actionem inquirere cœpi quæ ibidem beatissimus Julianus in miraculis prodidisset. In honore enim beati Martyris basilicam ædificavit, quam et ejus reliquiis illustravit. Sicut ergo est verecundissimus, diu cunctatus, tandem hæc et valde invitus exposuit. Quando, inquit, primum beati Juliani adivi basilicam, parumper ceræ a sepulcro sustuli : inde veniens ad fontem in quo beati Martyris sanguis effusus est, abluta aquis facie, parvam ab his pro benedictione complevi ampullam. Testor omnipotentem Deum, quia antequam ad domum accederem, colore, spissitudine atque odore in balsamum commutata est. Veniens vero sacerdos ad dedicandam ædem, cum hæc exposuissem, nihil aliud pro reliquiis in sanctum altare condere voluit, nisi vasculum cujus aqua in balsamum commutata fuerat, dicens : Hæ sunt certæ reliquiæ, quas Martyr paradisiacis virtutibus illustravit.

CAPUT XLI.

De paralytico sanato.

Multa quidem et alia sunt, de quibus plurima prætermittens, aliqua pando. Infirmus quidam, omnibus membris debilis, plaustro impositus ad ejus monasterium est adductus. Qui cum ante ipsam basilicam in hoc vehiculo nocte [c] jaceret, videt eam subito magno splendore fulgentem ; vocesque in ea psallentium tanquam multorum hominum audiebat. Dum hæc agerentur, et ille orationem funderet, quasi stupens factus [*Al.* stupefactus] nec memor dolorum, eo appropinquante, splendor quem viderat præleriit ante **880** oculos ejus. At ille, fulgore demoto, in se reversus, sensit se pristinæ saluti recuperatum.

CAPUT XLII.

De cæco illuminato.

Cæcus quoque, adminiculo deducente, ad sacrosanctum altare ejus accedens, dum de opertorio sanctarum reliquiarum oculos attigit, lumen recepit. Sed et energumeni ab hac palla cooperti, sæpe mundati sunt : et potestas judicum, quotiescunque in eo loco superflue egit, confusa discessit.

CAPUT XLIII.

De cruce altaris furata.

Pendebat autem super ipsum altare crux [d] holocrysa, eleganti opere facta : et erat tam præclara visu, ut eam putares ex auro esse mundissimo. Advenientibus vero barbaris, a quodam esse aurea æstimata direpta est et sinu recondita. At is qui eam sustulerat, tanto subito pondere prægravatur, ut eam penitus sustinere non posset, statimque compunctus virtute Martyris, ac pœnitentia motus, de itinere transmissam loco sancto restituit.

CAPUT XLIV.

Qualiter expetita sunt ejus pignora.

Quæ postquam gesta sunt, misit [e] clericum suum, dicens : Vade, inquit, ad beati Juliani basilicam, et

jicimus :

> Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
> Compositisque sacra cum cruce martyribus
> Cuncta salutiferi cocunt insignia Christi,
> Crux, corpus, sanguis, martyris ipse Deus.

Inde etiam lux aliqua afferri videtur canoni tertio concilii II Turonensis, quo cavetur : *Ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Adi Mabillon., lib. I Liturg. Gallic. cap. 9.

[a] Iidem, *reducitur*. Rom., *redit*.

[b] Habetur apud Turones ad Carim fluvium locus Joyacum dictus, vulgo *Joué* aut *Jouay*, qui forte hic designatur. In libro autem V Hist. cap. 14 memoratur *domus Jocundiacensis*, quam nonnulli putant esse hunc ipsum locum *Jouay*, alias Gaudiacum, aut Joyacum, nuncupatum. Ursinus in Vita sancti Leodegarii Gaudiacum memorat, cap. 22, sed *in parochia Carnotensi*.

[c] In Colb. a deest *nocte*.

[d] De cruce in summo altaris posita disserit Mabillon. lib. I Liturgiæ Gallic. cap. 8, num. 8, et cap. 9, num. 24, ubi insignem ea de re locum sancti Paulini episc. ad Severum scribentis laudat, quem sub-

[e] Germ., Gem. et Colb. c, *misit supra dictus Aredius clericum*.

fundens orationem, supplica ut tibi aliquid ceræ vel pulveris de sepulcro jacentis largiri dignentur ædituí, ut delatum a me cum benedictione suscipiatur. Ille vero veniens, quæ sibi fuerant imperata flagitat ac suscipit. Et cum suscepta ferre vellet, tanto gravatur pondere, ut vix cervicem posset erigere. Unde tremore magno concussus, pavimento prosternitur, et iterum cum lacrymis orationem fundens, surrexit incolumis, et acceptam sensit abeundi habere se libertatem. **881** Igitur arrepto itinere, incandescente nimium sole, siti corripitur. Veniens autem ad villam viæ proximam, unam casulam adit aquam deposcens : de qua egrediens juvenis dare responsum, ut eum vidit in terram corruit, factusque est sicut mortuus. Concurrentes autem parentes ejus calumniabantur hominibus, asserentes parentem suum eorum magicis artibus fuisse peremptum, et apprehensum puerum elevaverunt eum semivivum. At ille de manibus eorum elapsus, percussis palmis, cœpit debacchando clamare vel dicere quod martyris Juliani virtute exureretur. Clericus vero hæc audiens, posita super caput ejus capsula cum pignoribus sanctis, fide plenus orare cœpit attentius : ipse quoque cum vomitu sanguinem dæmoniumque projiciens, purgatus abscessit. Dehinc firmatus in fide portitor, iter totum cum psalmis et gratiarum actionibus carpens ad locum præoptatum, Martyre ducente, pervenit. Jam exinde, tempore procedente, quanti ibi energumeni, frigoritici, vel diversis morbis oppressi, Martyris virtute sanati sunt, nec nomina retineri, nec numerus potuit colligi.

CAPUT XLV.

De puero ad ariolos ducto, et alio per virtutem Sancti sanato.

Inter reliqua vero insignia suscipiendorum miraculorum, ponimus et istud, quod insipientes corrigat et roboret sapientes. Igitur Cautini episcopi tempore, quo, ingruentibus peccatis populi, Arverna regio ab excidio luis quam inguinariam vocant devastabatur (*Vid. Hist. l.* IV, *c.* 31), ego Brivatensem vicum expetii, scilicet ut qui meritis tutari nequibam, beati martyris Juliani salvarer præsidio. In quo dum commorarer vico, unus puer ex nostris ab hoc morbo corripitur, reclinatoque ad lectulum capite, graviter ægrotare cœpit. Erat autem febris assidua cum stomachi pituita, ita ut si aliquid acciperet, confestim rejiceret; nec erat ei cibus confortatio, sed magis exitus putabatur. Denique mei cum viderent eum in extrema vexari, ariolum quemdam **882** invocant. Ille vero venire non differens accessit ad ægrotum, et artem suam exercere conatur. Incantationes immurmurat, sortes jactat, ligaturas collo suspendit, promittit vivere quem ipse mancipaverat morti. Hæc autem me nescio agebantur; quæ cum mihi delata fuissent, amarissimus reddor, et cum gravi suspirio illud commemoro, quod Dominus per Eliam prophetam Oziæ regi pronuntiat, dicens : *Quia dereliquisti Dominum Deum Israel, et consuluisti deum Acharon ; ideo de lectulo in quo ascendisti non consurges, sed morte morieris* (*IV Reg.* I, 16). Nam iste post adventum arioli validius febre succensus, spiritum exhalavit, cujus post obitum interpositis paucis diebus, puer alius simili laborare cœpit incommodo. Tunc ego eis inquio : Accedite ad Martyris tumulum; et aliquid exinde ad ægrotum deportate, et videbitis magnalia Dei, atque cognoscetis quid sit inter justum et injustum, et inter timentem Deum et non servientem illi. Accedentes autem, parumper pulveris circa sepulcrum jacentis sustulerunt. De quo ut hausit infirmus cum aqua, protinus assecutus est medicinam, recuperatisque viribus ac restincta febre convaluit. Intelligite ergo nunc, o omnes qui insipientes estis in populo, et postquam ista discusseritis, scitote quia nihil sunt quæ ad seducendum humanum genus diabolus operatur. Ideo moneo ut si quis vexillo crucis signatus, si quis baptismi ablutione mundatus, si quis vetustate deposita in novo nunc homine viget, talia postponat ac negligat; quærat autem patrocinia martyrum, per quos sanitatum miracula celebrantur : postulet adjutoria confessorum, qui merito amici sunt dominici nuncupati; et quæ voluerit, obtinebit.

CAPUT XLVI.

De rosis ad sepulcrum ejus divinitus ostensis.

Eo tempore, cum post obitum Proserii martyrarii [a], Urbanus diaconus, hujus basilicæ ordinatur ædituus, mira res ad sepulcrum Sancti apparuit. Nam vigilante diacono in **883** lectulo suo auditus est sonitus, quasi ostium basilicæ panderetur. Post multarum vero horarum spatium, audivit ipsum iterum claudi. Post hæc surgens de strato, præcedente lumine accedit ad tumulum Sancti : mirum dictu, vidit pavimentum rosis rutilantibus esse respersum! Erant autem magnæ valde, cum fragrantia odoris immensi. In [b] ipsas quoque cancelli celaturas, mirabatur rosas intus, nonus enim erat mensis; et hæ ita erant virides, ac si easdem ipsius putares horæ momento [c] ramis virentibus esse decerptas. Tunc cum grandi reverentia collectas secretius posuit, multis exinde infirmis medicamenta distribuens. Nam energumenus quidam ex Turonico veniens, ut exinde delibutum potum sumpsit, ejecto dæmone purgatus abscessit.

CAPUT XLVII.

De muliere illuminata.

Mulier erat a nativitate cæca, quæ se exhiberi a parentibus ad beati Martini tumulum deprecata est : ubi cum venisset, prostrata per triduum ad cancellos, qui ante sepulcrum sancti Antistitis habentur extrinsecus, responsum accepit per somnium, dicente sibi sancto viro : Si lumen recipere desideras, require

[a] De martyrario jam diximus, hic idem esse videtur ac basilicæ ædituus seu custos, sive etiam rector. Hinc quandoque abbates se martyrarios dixere, et ædituos.

[b] Hæc, usque ad *mensis*, desunt in Colb. 2, Germ., Gem., Laud. et Bell.

[c] Editi, *eadem... hora et momento.*

basilicam sancti Juliani, in qua dum præsidium Martyris expetens [*Al.*, expetieris], ille conjunctus Martino visum tibi necessarium, simul orationum suarum suffragiis, revocabunt. Exsurgens autem mulier, et ignorans quod in Turonico hujus martyris reliquiæ tenerentur, ad Santonicam urbem dirigit. Victorina [a] etenim materfamilias, ex nobili stirpe progenita, in villæ suæ territorio basilicam construxerat, reliquiasque beati Martyris condiderat. Ad hanc ergo ædem mulier accedens, orat per triduum. Die autem tertia advenit natalis Baptistæ dominici : stante autem populo, **884** et lectionum dogmata auscultante, subito murmur magnum oritur. Presbyter vero qui solemnia celebrabat, comprimere voces cupiens, interrogat quid hoc esset. Cui unus ex astantibus ait : Murmur mitescere non potest, quia virtus Domini miraculum prodidit. Ecce enim mulier illa quæ se cæcam testabatur ortam, erumpente ab oculis sanguine, visum recepit. Tunc omnes benedixerunt Deum, cognoscentes pariter quæ fuerant gesta.

CAPUT XLVIII.

De reliquiis quas Nanninus presbyter detulit.

Nanninus [b] igitur presbyter domus Vibriacensis, Martyris hujus gloriosi reliquias expetivit, quas ex jussu beati Aviti pontificis assumptas, cum psallentio tulit usque ad basilicam sancti Ferreoli, quæ [*Adde non*] procul ab ipso vico sita est : et cum ad eam pervenisset, unus ex energumenis est mundatus. Procedens autem psallendo, cum ad medianam pervenisset horam [c], hoste improbo virtute Sancti depulso, puella alia purgata discessit.

CAPUT XLIX.

Quod de ejusdem reliquiis multi infirmi sanati sunt.

Accedens autem ad locum ubi oratorium, quod in honorem Sancti construxerat, posuit hæc pignora in altari sancto. Accedens [d] autem ad eum unus cum amissis oculis, alius manu debilis, impleta oratione, hic lucem recepit post tenebras, manus ille usum post otia diuturna. Mulier etiam, nomine Æterna [*Gem.* Acerna], cum filia ab hoste iniquo vexata, ad hoc altare curata, cum prole sospes abscessit. Frisorici etiam in illo loco nonnulli salvati sunt.

CAPUT L.

De alio cæco illuminato.

885 Sed quoniam non est absurdum, si beatus Julianus cum Joanne aut Martino dona sanitatum impertiat, cum quibus victor sæculi in cœlo tripudiat, referam adhuc qualiter cum Nicetio Lugdunensi simili virtute floruerit. Igitur infra terminum territorii Turonici, Litomeris quidam in honore sancti Martyris basilicam ædificavit, in qua nos ex more ad benedicendum evocati, sancti Juliani martyris, cum Nicetii Lugdunensis, reliquias collocavimus. Sed non multo post tempore cæsus adveniens, dum **886-890** fideliter orationem fudit, visum recipere meruit. Memini hujus cæci in libro Vitæ sancti Nicetii (*Vitæ Patrum cap.* 8), quia dignum est ut communis virtus utriusque sancti scripta [*Laud.*, scriptura] connectat. Ergo his miraculis lector intendens intelligat, non aliter nisi martyrum reliquorumque amicorum Dei adjutoriis se posse salvari. Ego autem Domini misericordiam per beati martyris Juliani patrocinia deprecor, ut advocatus in causis alumni proprii, coram Domino assistens obtineat ut absque impedimento maculæ ullius hujus vitæ cursum peragam, atque illa quæ confessus sum in baptismo irreprehensibiliter teneam, fideliter exerceam, ac viriliter usque ad consummationem hujus vitæ custodiam. Amen.

Explicit liber secundus, de Gloria sancti martyris Juliani peculiaris patroni nostri.

[a] Colb. a, *Victuriana*. Laud., *Victurina*.

[b] Alii, *Manninus*, aut *Naninus*. Porro nomine Vibriaci Veterem Brivatem, vulgo *Vieille-Brioude*, hic designari censet Savaro in Originibus Clarom., et quidem basilica exstat in honore sancti Ferreoli haud procul a Veteri Brivate sita. Verum Nanninus reliquias sancti Juliani e nova ad Veterem Brivatem deferens, sancti Ferreoli ecclesiam habere obviam non potuit : si quidem Brivas Nova inter Veterem sita est et ecclesiam sancti Ferreoli. Forte *Vibriacensis domus* hic appellatur *Vibrac* seu *Vibrat*, vicus diœcesis Claromontensis, aut certe *Vebret* in eadem diœcesi.

[c] Sic Germ. et Colb. c. Gem., *ad meridianam pervenisset horam*. Cæteri cum Edit., *pervenisset, coram hoste*. Sur., *palam hostæ*.

[d] Gem. : *Veniensque ad eum unus amisso oculorum usu.*

SANCTI GEORGII FLORENTII GREGORII
EPISCOPI TURONENSIS
LIBER
DE GLORIA BEATORUM CONFESSORUM.

Præfatio.

891—892 Pudet insipienti [a], reprobo imperitoque atque inerti, illud aggredi quod non potest

[a] Laud., cum Edit. plerisque, *insipientem*, etc., in quarto casu. Ed., infra, *quod non possum*.

adimplere : sed quid faciam? quod occuli non patior, quæ de beatorum virtutibus vel ipse sæpius inspexi, vel per relationem bonorum virorum et certæ fidei evidenter gesta cognovi : sed timeo ne cum scribere cœpero, quia sum sine litteris rhetoricis et arte grammatica, dicat mihi aliquis [*Al.*, alter] : Ausu rustico et idiota, ut quid nomen tuum inter scriptores iudi æstimas? Aut opus hoc a peritis accipi putas, cui ingenium artis non suppeditat, nec ulla litterarum scientia subministrat? qui nullum argumentum utile in litteris habes, qui nomina discernere nescis; sæpius pro masculinis feminea, pro femineis neutra, et pro neutris masculina commutas, qui ipsas quoque præpositiones, quas nobilium dictatorum observari sanxit autoritas, loco debito plerumque non locas. Nam pro ablativis accusativa, et rursum pro accusativis ablativa ponis [a]. Putasne videbitur ut bos piger palæstræ ludum exerceat, aut asinus segnis inter sphæristarum [b] ordinem celeri volatu discurrat? Aut certe numquid poterit corvus nigredinem suam albentium columbarum pennis obtegere, aut obscuritas picis, liquoris lactei colore mutari? Nempe ut ista fieri possibile non est, ita nec tu poteris inter scriptores alios haberi. Sed tamen respondebo illis, et dicam : Quia opus vestrum facio, et per meam rusticitatem vestram prudentium exercebo. Nam, ut opinor, unum beneficium vobis hæc scripta præbebunt [c] : scilicet, ut quod nos inculte et breviter stylo nigrante describimus, vos poteritis lucide **893** ac splendide stante versu in paginis prolixioribus dilatare. Igitur in primo libello inseruimus aliqua de miraculis Domini ac sanctorum apostolorum, reliquorumque martyrum, quæ hactenus latuerunt, quæ Deus ad corroborandam fidelium fidem quotidie dignatur augere, quia valde molestum erat ut traderentur oblivioni. In secundo posuimus de virtutibus sancti Juliani martyris. Quatuor vero libellos de virtutibus sancti Martini. Septimum de quorumdam feliciosorum [d] vita. Octavum [e] hunc scribimus de miraculis confessorum, specialius legentem poscentes, ut quia nobis, ut sæpe testati sumus, nec artis ingenium suppeditat, nec sermonum facundia juvat, veniam temeritati libenter indulgeat : quem non jactantia mundialis erigit ut scribat, sed deprimit pudor ut sileat, amor timorque Christi impellit ut referat. Et quoniam primum libellum de Domini miraculis inchoavi, velim et huic libello de sanctorum angelorum virtutibus adhibere principium.

[a] Mss. plerique : *Nam ablativis..... rursum accusativis ablativa præponis.*

[b] Sic dicebantur qui sphæra seu pila ludebant. Vide Apollinarem Sidonium, lib. II epist. 9, et lib. V epist. 17. Hic porro ludus agilitatem exigit, qua asinus caret, unde manavit adagium quod hic laudat Gregorius.

[c] Clar. a. et Colb. a. cum Edit., *scriptura præbebit.*

[d] Laud. et Bell. cum Bal., *religiosorum.*

[e] Octavo hic loco recenset Gregorius librum de Gloria Conf., quia etsi ante librum quartum de sancto Martino, et nonnulla capita de Vitis Patrum conscriptus fuerit, eum tamen post cæteros recognovit: unde et in vetustioribus Mss. ultimum locum occupat. Certe ipse Gregorius in prologo ad Vitas Patrum librum de Confessoribus laudat. Quare satius visum est ordinem in Editis jam admissum sequi.

CAPUT PRIMUM.

De virtutibus angelorum.

Igitur dum in Arverno territorio commorarer, vir mihi fidelis retulit, et scio quia vera narravit, quia evidenter cognovi gesta fuisse quæ dixit. Jubet [a], inquit, fieri ex annonis aqua infusis atque decoctis, messoribus poculum præparari. Hanc autem coctionem Orosius a coquendo ceriam [b] vocari narravit : quod cum præparatum fuisset, et in vase recondi- tum, atque ille apud urbem moras innecteret, ut nos servorum est, maxima parte exhausta, exiguam dominicis usibus reliquerunt. Ille quoque fidus de jussione invitare messores jubet, ut eo ab urbe redeunte hos segetem decidere reperiret. Quo facto jam operariis in **894** segete collocatis circiter septuaginta, advenit dominus fundi, perscrutansque qualitatem quantitatemque potus, perparum reperit. Tunc pudore confusus, et sibi factum ad verecundiam reputans, ne potus deficeret operariis, quod ut ipse arbitrabatur, super quinque modiorum mensuram non erat, quid ageret, quo se verteret, in ambiguo dependebat. Tandem inspirante Domino, conversus ad vascalum, nomina angelorum sanctorum, quæ sacræ docent lectiones, super aditum ejus devote invocat, orans ut virtus eorum parvitatem hanc in abundantiam convertere dignaretur, ne operariis deficeret quod hauirent. Mirum dictu! tota die ab hoc extractum nunquam defuit bibentibus; sed usquequo nox finem operandi fecit, omnibus fuit in abundantia ministratum.

[a] Colb. tut., *Jubeo.* Clar. a, *Jubet, inquit, fieri quidam ex.*

[b] Sic Laud. Cæteri Mss. cum Bad., *cœliam.* Alii Editi, *coctiam.* Ceria autem genus est potus ex frugibus confectum, quo Hispani utuntur, ut ex Plinio observat Passeratius.

CAPUT II.

De sancto Hilario episcopo Pictaviensi.

Hilarius [c] beatissimus quarto exsilii anno ad urbem propriam est regressus, impletoque operis boni cursu, migravit ad Dominum (*An.* 368, 13 *Jan.*). Ad cujus beatum sepulcrum multæ quidem virtutes ostensæ narrantur, quas liber vitæ ejus continet. Sed tamen duo leprosi in eodem loco mundati sunt.

[c] Sanctum Hilarium laudat Gregorius lib. I Hist. cap. 36. Ejus Vita, quæ infra laudatur, a Fortunato scripta dicitur, qui et alterum librum edidit de ejusdem sancti Miraculis. Ejusdem sancti Vitam fusiorem ex ipsiusmet scriptis collectam præfixit noster Petrus Constant novæ ipsius operum editioni, quæ anno 1693 in lucem prodiit, ubi et habentur pleraque sanctorum Patrum et aliorum scriptorum de ejusdem sancti scriptis et virtutibus testimonia.— Habentur in Missali Francorum, num. 14, orationes et preces de Natali sancti Hilarii, prout in Missa, et fortasse in aliis officiis, tunc temporis dicebantur.

Mons enim erat in Gabalitano territorio, cognomento Helanus [a], lacum habens magnum : ad quem certo tempore multitudo rusticorum, quasi libamina lacui illi exhibens, linteamina projiciebat, ac pannos qui ad usum vestimenti virilis præbentur; nonnulli lanæ vellera; plurimi etiam formas casei ac ceræ, vel panis, diversasque species, unusquisque juxta vires suas; quæ dinumerare perlongum puto. Veniebant autem cum plaustris potum cibumque deferentes, mactantes animalia, et per triduum epulantes. Quarta **895** autem die, cum discedere deberent, anticipabat eos tempestas cum tonitruo et coruscatione valida; et in tantum imber ingens cum lapidum violentia descendebat, ut vix se quisquam eorum putaret evadere. Sic flebat per singulos annos, et involvebatur insipiens populus in errore. Post multa vero tempora, quidam sacerdos ex urbe [b] ipsa episcopatu assumpto accessit ad locum, prædicavitque turbis ut absisterent ab his, ne cœlesti ira consumerentur : sed nequaquam ejus prædicatio a cruda rusticitate recipiebatur. Tunc inspirante Divinitate, sacerdos Dei basilicam in honore beati Hilarii Pictaviensis [c] eminus ab ora stagni ædificavit, in qua reliquias ejus locavit, dicens populo : Nolite, filioli, nolite peccare ante Deum; nulla est enim religio in stagno. Nolite maculare animas vestras in his ritibus vanis, sed potius cognoscite Deum, et amicis ejus venerationem impendite : adorate autem sanctum Hilarium Dei antistitem, cujus hic reliquiæ sunt conditæ; ipse enim potest pro vobis apud Dei misericordiam intercessor assistere. Tunc homines compuncti corde, conversi sunt : et relinquentes lacum, omnia quæ ibidem projicere erant soliti, ad sanctam basilicam proferebant; et sic ab errore quo vincti fuerant relaxati sunt. Sed et tempestas deinceps a loco illo prohibita est; nec ultra in hac solemnitate, quæ Dei erat, nocuit, postquam beati Confessoris ibidem sunt reliquiæ collocatæ.

CAPUT III.

De sancto Eusebio Vercellensi episcopo.

Eusebius vero Vercellensis episcopus [d] (*An.* 370, 1 *Aug.*) magnum huic Hilario adjutorium **896** contra hæreses fuit, qui vivere se post tumulos præsentibus virtutibus manifestat. Nam in die natalis sui cum multi infirmi salventur, energumeni tamen rotatu valido per totam ecclesiam debacchantes, et nimio confitentes se torqueri cruciatu, elevati in aera, lychnos qui ad officium luminis succenduntur, manu verberantes effringunt; de quo perfusi liquore, illico discedente dæmone, personæ purgantur; scitque tunc populus tot infirmos esse mundatos quot viderit lychnos effractos. Sed et omnia quæ sub ditione basilicæ ejus habentur ita pia protectione conservat, ne exinde quidquam auferatur ab aliquo. Nam videas inter hostes iniquos greges pecorum jumentorumque et ovium, nec penitus a quoquam attingi, cum vox sonuerit. Confessoris sunt hæc Eusebii. Hujus sancti reliquias mater mea in oratorio domus suæ locavit. Factum est autem quadam die per hiemem dum collocutione hilari pro longinquitate noctis diutius ante focum, qui multa lignorum strue compositus fuerat, resideret, familia jam dormitante, surrexit, et se lectulo haud procul ab ipso igne locavit. Dormientibus autem cunctis, scintillæ flammarum ad trabes usque conscendunt, de quibus apprehensa una earum, valide cœpit flammas spargere : sed credo virtute Sancti illius, cujus reliquiæ propinquæ erant, flamma contra naturam desursum incurvata retorquetur. Nec ad tectum, ut mos est, extenditur, sed deorsum fluit; ut putares non flammam, sed vellera lanæ de trabe pendere : nec exurebat trabem, nisi tantum ardens per ipsam vagabatur, donec expergefacta materfamilias, vocatis servientibus, aqua superposita, restinxit incendium, **897** quo facile omnis domus cunctis dormientibus exuri potuisset, si virtus Beati defuisset.

CAPUT IV.

De sancto Martino Turonico episcopo, et sepulcro sancti Gatiani.

Gatianum [e] etiam episcopum a Romanis episcopis ad urbem Turonicam transmissum, primumque Turonicis pontificem datum, fama ferente cognovimus (*Post an.* 250, 18 *Dec.*). Ad cujus tumulum beatus Martinus cum ad orationem venisset, post effusas

[a] Colb. 2, *Hilarius*. Clar. a, *Elarum*. Bad., *Helarum:* quæ vox in Laud. detrita est.

[b] Id est episcopus Gabalitanus, hodie Mimatensis.

[c] Suspicantur nonnulli falsum fuisse in hac narratione Gregorium, qui Hilarum Gabalitanum cum Hilario Pictavensi confuderit : sed ejus rei nullam afferunt rationem, nisi quod re ipsa exstiterit episcopus Gabalitanus, nomine Hilarus, qui uti sanctus colitur; verisimiliusque sit ejus sancti reliquias apud Gabalitanos exstitisse, quam Pictaviensis. Verum si sancti Hilarii Pictaviensis aliquot reliquiæ apud Lemovices tunc habebantur, ut certum est ex sancti Aredii Vita, quidni et nonnihil ex iis potuerit obtinere episcopus Gabalorum, qui eas, ut pote acerrimi fidei defensoris, infidelium superstitiosis ritibus opposuerit. Reliquiæ autem tunc ut plurimum non ossa, sed vestes, pulvis e sepulcro erasus, oleum lampadis, aut quid simile, dicebantur.

[d] Inter eos, qui adversus Arianos sæculo IV dimicarunt, celebris fuit sanctus Eusebius ob animi constantiam, morum suavitatem, et immensos labores, quos pro fidei defensione sustinuit. Alii martyrem dicunt, alii confessorem, utrumque titulum merito adeptus est, quanquam eum post longum martyrium in pace quievisse communior videatur esse veterum sententia. Ab Arianis tamen lapidibus obrutum et enectum tradit ejus Vitæ, quæ in vetustis Mss. occurrit, auctor, quem plerique secuti sunt, maxime e recentioribus; idem habent sermones aliquot sub sancti Ambrosii nomine vulgati, quod veteri Ecclesiæ Vercellensis traditione firmatur. De his vide Ferrerium episc. Vercell. fuse et erudite disserentem, qui multa de sancto Eusebio et ejus successoribus collegit. Sepultus fuit in ecclesia sancti Theonesti martyris, quæ exinde, ob miraculorum frequentiam, sancti Eusebii dicta fuit. Ejus festum Martyrologium Bedæ, et alia, commemorant die 1 Augusti.

[e] Colb. tut., Vict. et Clar. m., *Gratianum*. Colb. a, Clar. b. et Bad., *Catianum*. Clar. a, *Gazianum*. Laud., Bell. et Colb. a, in indice, *Catiani*.

etiam capitello, ait : Benedic, inquit, Hæc co dicente, vox ad eum delapsa s : Te etiam deprecor benedicas mihi, i. Et data iterum oratione discessit. autem qui aderant eo tempore, et di- abitare tunc in Martino, qui quondam vit ex monumento.

CAPUT V.

em, et sepulcro Vitalinæ virginis.

: facto apud Arthonam [a] Arvernensem sæpius senes viros audivi (*An.* 390, italina quædam religiosa in hoc loco ujus beatus Martinus tumulum veniens, onem. Et illa ut sibi dignaretur bene- vit. Postquam autem expleverunt ora- ersus vir beatus : Dic, ait, sanctissima Domini præsentiam meruisti? Quæ ait : una causa, quæ facilis in sæculo vide- enim feria, qua Redemptorem mundi nus, aquis ablui caput. Recedens autem ssor a tumulo Virginis, ait suis : Væ hoc mundo versamur! si hæc virgo ta hinc offendiculum meruit, quod sexta aput, quid nos faciemus quos quotidie æculum peccare persuadet? Multa etiam r beatus operatus est, quæ insequi lon- Egressus autem vir Dei ab Arthonensi m Arvernam gressum direxit. Audien- natores urbis, qui tunc in loco illo no- anæ stemmate refulgebant, quod scilicet ppropinquaret urbi, egressi sunt in oc- cum equitibus et carrucis, cum curribus : at ille asello impositus, super stratum residens, cum advenisset in cacumen atensis [b], de quo vici Ricomagensis po- platur, vidit hos cum his pompis ad se xitque : Quid sibi volunt hi, qui nobis paratu appropinquant? Respondit unus cesserat, quia senatores Arverni veniunt tui. Cui ille : Non est meum, inquit, ut ctantia ingrediar in urbem eorum. Et etorto retrorsum aselli freno, viam qua redi cœpit. At illi consequentes, eum leprecabantur, ut ad urbem accederet, udivimus famam sanctitatis tuæ, multi firmi quos te oporteat visitare. Cumque n possent, impositis manibus super in- dvenerant, sanitati restituit, et ad vi-

A cum Arthonensem regressus est. Exstat nunc in hoc loco cancellus, in quo Sanctus dicitur stetisse. Post hæc accedens ad tumulum Virginis, ait : Gaude nunc, Vitalina soror beatissima; post triduum enim majestati dominicæ præsentaberis. Et discessit ab eo loco. Posthæc multis per visum Virgo ostensa est, et beneficia petita præbuit, et diem obitus sui in quo commemoratio ejus celebraretur edixit. Quod non aliter sentiendum est, nisi quia beati Antistitis obtentu, dominicæ majestatis præsentiam meruisset, ut hæc deinceps ageret. Quodam [c] autem tempore celebratis in ejus honorem vigiliis, cum archipresbyter loci Eulalius clericos convivio invitasset, Edatius vero alius presbyter **899** viduis ac pauperibus reliquis edulium præpararet, et uni pisces deessent,
B alteri vinum bonum, commonitus piscator quidam per visum a Virgine est ut archipresbytero piscium copiam deferret. Surrexitque e lectulo, invenitque immanem esocem [d] in lapsum suum, quem ubi jussus fuit exhibuit. Edatio autem presbytero apparuit similiter per visum, dicens : Vade, et sub una arbore atrii invenies unum triantem; ipsum donans, vinum dignum epulis pauperum comparabis. At ille nulli quæ viderat narravit : abiit, inquisivit, reperit; coemptoque vino, pauperes Christi refecit. Sicque virtus Virginis utrique apparens, de speciebus quæ minus erant utrumque locupletavit.

CAPUT VI.

De lapide in quo Sanctus sedit.

C Plurima quidem fecit in hoc sæculo, de quibus scriptores ejus Vitæ multa præterierunt, dum fastidium arcere detrahentium adnisi sunt, ne non crederentur ab his qui bonorum sanctitatem linguis veneficis impugnare sæpius volunt. Sed nos qui quotidie, indigni quidem, ejus miracula cernimus ad sepulcrum, quia non est opus sanis medicus, sed qui male habent, absurdum duximus si ea quæ evidenter ab eo prius gesta cognovimus sileamus. Quod si quis est adhuc infidelis et æmulus, ut hæc non credat, accedat ad basilicam, et videbit quotidie et nova agi, et quæ facta dudum fuerant iterari. Et quia tertium de ejus operibus libellum [e] scripsimus, ne et hic liber ab ejus virtutibus sit immunis, scribere in eodem aliqua de his quæ nobis evidenter sunt
D comperta tractavimus, quia multa sunt, sicut sæpe testati sumus, quæ hactenus latuerunt. Exstat nunc in ipsa superius memorata basilica, quam in ejus honore fideles ædificaverunt, lapis, super quem vir

rchiona. Hodieque priscum nomen reti- *Artonne*, ubi collegium canonicorum in ti Martini, cujus fundationis litteras, an. refert Labbeus tomo I Bibl. novæ. De oratorio in honorem sancti Gabrielis agit lib. x carm. 1 et 15, quanquam ibi Editi anensi, pro Artonensi. Vitalina, in ali- *Vitaliana*, colitur 25 Maii. De ea Bolland. rii.

nontis situs satis ex hoc Gregorii loco in- ui aliunde vix notus est, et hodie incolis us. Sic dictus a Beleno deo, id est Apol- potissimum cum Mercurio et Marte Galli venerabantur. De Ricomago, vulgo *Riom*, alibi diximus.

[a] Quæ sequuntur et cap. seq. desunt in Clar. a.

[d] Editi plerique, *piscem*. Eadem vox apud Severum Sulpicium occurrit, quæ salmonem piscem notissimum (*un saumon*) apud Britones nostros seu Armoricanos denotat. Vide Cangii Glossarium. Lapsus autem ex Alteserra est sinus amnis, in quem pisces veluti lapsi coire solent. Sic retia appellantur in auctoribus mediæ ætatis, ut jam observavimus. Vide Vitas Patrum infra, cap. 17.

[e] Bal. cum Vict. et Clar. m., *quatuor.... libellos.*

beatus dicitur resedisse. Post multum autem tempus, Leo quidam presbyter, **900** ut sibi sepulcrum deponeret, lapidem sanctum a loco demovit : nec mora, ad domum suam cum tremore rediens, correptus a febre, die tertia exspiravit, cognitumque est offensum Antistitem habuisse. Hoc igitur nostro tempore gestum recolimus.

CAPUT VII.

De arbore erecta.

Fuit et in Nobiliacensi [a] pago urbis Turonicæ arbor, quæ ab impulsu venti ruens, viam publicam impediebat. Quod iter cum vir beatus ageret, viantium motus misericordia, facto desuper signo crucis, erexit eam. Quæ usque nunc stare juxta viam erecta visa est, etiam præmortua : quia spoliata cortice, vivebat tamen honore viri Dei [b] ; de quo cortice multi fideliter eradentes, ut dilutam aqua [*Ed.*, aquam] sumebant, mox medicamina capiebant. Vidimus etiam nos hanc arborem erectam.

CAPUT VIII.

De oratorio Martiniacensis prædii.

Igitur Turonico oppido oratorium erat propinquum, situm in villa Martiniacensi [c], in quo celebre ferebatur sæpius orasse Martinum. Denique Guntharius abbas [d] dum gregi monasteriali præesset, si viam quæ haud procul ab oratorio inceditur casu conferente tereret, oratione facta transibat. Post assumptum vero episcopatum, aggerem ipsum præteriens, venit ante oratorium, sed distulit ad orationem in loco descendere : illico equus conversum habens caput ad oratorium, in media restat via. Dehinc verberatur calcibus, loris agitur, urgetur stimulis : sed tanquam æneus non movetur. Tunc sacerdos sensit se virtute divina teneri; et descendens, facta oratione, equite ascenso præteriit. Velim, o sonipes, si tibi os Dominus, uti quondam fecit asinæ, reseraret, diceres quid **901** vidisti spectabile, ut non incederes; quid amabile, ut ostium cellulæ contemplareris; quid formidabile, ut ascensorem orare compelleres. Nempe altiore voce clamares quia claritatem Martini cernens movere non es ausus, nisi tuus occursum debitum præponeret dominus.

CAPUT IX.

De oleo sepulcri ejus.

Aredius [e] autem presbyter ex Lemovicino, vir summæ bonitatis ac sanctitatis, quadam vice dum mecum resideret in cellula, sollicitus esse cœpi, si aliqua in oratorio miracula ubi reliquias beati Antistitis collocaverat ostenderentur. Qui ita retulit, quod tempore quo beatus Eufronius erat episcopus, ad Turonicam urbem venit, in qua diu commoratus plenam ampullulam olei de sepulcro sancti Antistitis abstulit. Regressusque ad domum, dum fatigatus ex itinere resideret, et viæ labores matri referret, subito ficta percutitur tam graviter, ut nec anhelitum resumere posset. Conversus vero ad oratorium in quo beati Antistitis reliquiæ tenebantur, deductaque in vigiliis nocte, mane de oleo quod attulerat, locum infirmitatis inunxit, sedatoque dolore convaluit. Post hæc quidam manum inflatam ab spina percussam detulit, quæ protinus ut de oleo delibuta est, incolumitati donatur. Mulier quæ sensum perdiderat, et quibusdam horis dæmonium putabatur habere, de hoc oleo tacta, sanata est. Nam et alius abbas [f], ejusdem cellulæ proximus, de hoc oleo cæci oculos attigit, qui protinus visum recepit. Sed et cum multos energumenos exinde restituisset sanitati, uni qui atrociorem, ut credo, dæmonem habebat, super caput de oleo posuit : illico dæmonem per fluxum ventris egessit; et alteri in ungula pollicis dæmonium descendit. Quo viso presbyter super digitum oleum infudit, moxque disrupto corio, sanguine defluente, discessit. Hæc ille de oleo retulit.

CAPUT X.

De uva vitis, quam ipse plantavit, et de cera sepulcri.

902 De uva quoque ex vite quam Sanctus plantaverat adjecit, quod assumptam eam in ampullulam recondidit, quam aqua complevit. Non post multum vero tempus, venit ad eum homo, cujus os a pustula mala tumefactum, caputque et oculi inflati ob nimium venenum præcludebantur. Cui ille infusa in os aqua de ampulla uvæ [*Bal.*, oris], omnis tumor ac dolor gutta decedente discessit. Asserebat etiam grana uvæ illius in ipsa aqua post quatuor annos adhuc viridia perdurare. De cera vero quam de sepulcro tulerat, adjecit. Surda et muta, quæ, ut credo, dæmonium habebat, ad eum accessit, in cujus aure de ipsa cera posuit : alia vero die veniens, gratias pro accepta sanitate retulit sacerdoti.

CAPUT XI.

De Virtutibus ejus Ternodorensibus ostensis.

Infra terminum autem Ternodorensis castri, quod ad Lingonicam civitatem pertinet, erat presbyter gressu debilis : cumque per viam pergeret, quæ ad Dei ecclesiam ducit, obvium habuit senem cum puero. Erat autem uterque clericus, datoque sibi invicem salutationis occursu, dixit senex ad presbyterum : Vis sanus fieri ? Cui ille : Et quid humanum genus amplius concupiscit habere, nisi ut sospes vivat in corpore ? Et senex, facto beatæ crucis signaculo super poplitem, dixit presbytero : In nomine Domini nostri Jesu Christi, extende pedem tuum. Quem presbyter sine mora extendens, sanum ad se reduxit : et gratias agens, iter quo pergebat agere cœpit. Vocatoque eo, puer qui cum sene erat, ait :

[a] De Nobiliaco vide notas in lib. x Hist., cap. ult. num. 15.

[b] Laud., Bell. et cæteri, *viri : de quo*. Alii, *viridi, de quo*.

[c] Hodieque priscum nomen retinet, vulgo *Martigny*, tribus aut quatuor leucis ab urbe dissita.

[d] De eo Gregorius lib. iv Hist. capp. 4 et 11, et lib. x cap. ultimo.

[e] Hoc caput et seq. desunt in Clar. a.

[f] In Colb. a. deest vox *abbas*.

Et scis presbyter quis est qui te reddidit sanitati? Ignoro, ait. Cui ille : Sanctus Martinus Turonicæ urbis antistes, ipse te virtute sua sanitati restituit. Tu vero in loco in quo Sanctum stare vidisti, oratorium sine mora ædifica; erit enim populis salubre, si quæ loquor expleveris. Nec **903** moratus presbyter, oratorium in eodem situ construxit; in quo nunc nuper multi paralytici gressum, cæcique visum recipere meruerunt [a]

CAPUT XII.

De monasterio ejus in Hispania.

In Hispaniis autem nuper factum cognovi (*An.* 583). Cum Leuvieldus rex contra filium suum ambularet, atque exercitus ejus, ut assolet, graviter loca sancta conculeret, monasterium erat sancti Martini inter Sagunthum atque Carthaginem Spartariam [b]. Audientes autem monachi, quod hic exercitus ad locum illum deberet accedere, fugam ineunt, et se, relicto abbate sene, in insulam maris abscondunt. Advenientibus autem Gothis [c] ac diripientibus res monasterii, quæ sine custode remanserant, abbatem senio incurvatum, sed sanctitate erectum offendunt. Extractoque unus gladio, quasi amputaturus cervicem ejus, resupinus ruit, ac spiritum exhalavit. Reliqui vero hæc videntes timore perterriti fugerunt. Quod cum regi nuntiatum fuisset, cum testificatione præcepit omnia quæ ablata fuerant monasterio restaurari.

CAPUT XIII.

De hæretico qui hominem illuminare voluit, sed excæcavit.

Cernens autem præfatus rex tanta miracula per servos Dei qui nostræ religionis erant fieri, vocavit unum episcoporum suorum, dixitque secretius ad eum : Quamobrem vos, ut isti qui se Christianos dicunt, non ostenditis signa in populos secundum fidem vestram? Dicit ei episcopus : Sæpius ego cæcis lumen reddidi, et surdis auditum, nunc autem hæc possum facere quæ dicis. Et vocato ad se uno de hæreticis, clanculo ait ad eum : Accipe quadraginta aureos, et clausis oculis reside in loco unde nobis est transitus; et prætereunte me cum rege, **904** exclama in virtute ut perditum lumen mea tibi credulitate restituam. Cumque hic accepta pecunia fecisset quod sibi fuerat imperatum, procedit novus Cirula [d] regis ad dexteram, constipatus hæreticorum caterva : exclamat et iste cæcatus pecunia, ut fide episcopi reciperet oculos suos. At iste cum non minima arrogantia imponens manus super oculos ejus, ait : Secundum fidem meam fiat tibi. Hæc eo dicente, ita obserati sunt oculi hominis cum dolore, ut non solum visum perderet, verum etiam dolum, quem avaritia impellente finxerat, publicaret.

CAPUT XIV.

De altercatione hæretici cum catholico.

Retulit alius vir fidelis spectasse se Christianum cum hæretico pro fide nostra certantem. Altercantibusque diu de divinis Scripturis, cum flecti non posset hæreticus, ut agnosceret veritatem, ait : Si nostræ religionis, si Scripturarum sacrarum testimonia te ad credendum minime movent, vel virtutem individuæ Trinitatis miraculis experire. Est digito meo annulus aureus : ego eum in ignem jacio, tu candentem collige. Projectumque inter prunas annulum, ita igniri permisit, ut eis similis cerneretur. Conversusque ad hæreticum ait : Si vera est prosecutio tua, sume eum ab igne. Illo autem resistente, ait vir : Immensa Trinitas Deus, si aliquid indignum te credo, ostende. Certe si recta est fides mea, nihil mihi prævaleant hæc incendia sæva. Et ablatum ab igne annulum diutissime palma sustinuit, et nihil est nocitus : sed magis confuso hæretico, catholicos reliquos fervore suæ fidei roboravit [d]. Hactenus hinc.

CAPUT XV.

De Venantio abbate.

Haud [e] procul vero a basilica beati Martini, Venantius abbas requiescit (*Sub fin. sæc.* v, 13 *Oct.*), **905** vir magnificæ sanctitatis, qui multis infirmis in corpore positus opem accommodavit : qui impleto tempore a sæculo migrans, jugiter se in æternum vivere virtutibus propriis manifestat. Nam si quis typos frigoriticos incurrens nocte una ad ejus tumulum deprecans vigilaverit, mox, compresso accessu, adipiscitur medicinam. Nam inter reliqua quæ ibidem gesta vel vidimus, vel audivimus, mulierem [f] quamdam a quartano typo correptam, sanatam aspeximus. Quæ diuturno tempore ab hoc detenta contagio, neque cibum, neque somnum capere poterat, sed ita omni corpore deciderat, ut vix in ea vel illud vitale spiraculum remaneret. Ad hujus sepulcrum in gemitibus et oratione pernoctans, usque ad lucis adventum perduravit immobilis; mane vero sopori se collocans, cum expergefacta fuisset, nihil mali sentiens, sanata discessit. Hujus autem sancti vitam nos scripsimus (*Vit. Patrum cap.* 16).

CAPUT XVI.

De sancta Papula.

Fuit et beata Papula [g] valde religiosa (*An.* 500,

[a] Locum hoc in capite memoratum volunt esse Chableum, oppidum Burgundiæ, ubi hodieque habetur ecclesia collegiata sub jurisdictione sancti Martini Turonensis.

[b] Saguntum urbs Tarraconensis Hispaniæ, celebris ob excidium quod ab Annibale perpessa est. In eadem provincia est Carthago Nova seu Spartaria, vulgo *Carthagène*, hodieque ob portum amplissimum celebris.

[c] Alludit ad similem historiam, quæ Cyrolæ episc. Ariano in Africa contigit, quamque retulit lib. II Hist. cap. 3. Confer caput 15 libri IX.

[d] De ejusmodi judiciis plura observavit Bignonius in notis ad tit. 55 Legis Salicæ. Postmodum variis tam civilibus quam ecclesiasticis legibus proscripta fuere. Vide, supra, lib. I de Glor. Mart. cap. 81.

[e] Deest hoc caput in Clar. a. et Colb. tot.

[f] Laud., *gesta vidimus, mulierem.*

[g] Clar. a. cum Edit., *Pappula.* Alii, *Pappola.* Nihil certum de ejus Actis habetur. Perro celeberis est

31 *Jan.*), quæ cum sæpius a parentibus flagitaret se in monasterio locari puellarum, eo quod in domo parentum, curis sæculi impedientibus, Deo servire non posset; et illi præ amore nollent eam a se separari, totondit comam capitis sui, indutaque virili habitu, Turonicam diœcesim adiens, in congregationem se contulit monachorum; ibique in jejuniis orationibusque degens, virtutibus deinceps multis emicuit. Erat enim tanquam vir inter viros, nec ulli erat cognitus sexus ejus. Parentes autem requirentes eam, nunquam reperire potuerunt. Interim abbate monasterii ad quod venerat defuncto, monachi propter virtutes assiduas hanc eligunt, ignorantes sexum, quod illa totis viribus renuit. Triginta autem annos in monasterio fuit a nullo agnita quid esset. **906** Ante tertium autem diem quam ab hoc mundo migraret, id monachis patefecit; et sic defuncta, ab aliis mulieribus abluta, sepulta est, multis se deinceps virtutibus manifestans esse ancillam Dei. Nam et frigoritici, et aliis morbis oppressi, sæpe ad ejus tumulum sanitati redduntur.

CAPUT XVII.

De opertorio cujusdam sepulcri.

In alio autem pago Turonico erat inter vepres et rubos sepulcrum positum (*An.... 28 Jun.*), in quo ferebatur episcopum quemdam fuisse sepultum : nomen ignorabant [a]. Contigit vero ut cujusdam pauperis filius moreretur. Quo sepulto, cum pater opertorium sarcophagi non inveniret, ad hunc locum accessit, ablatoque de hoc sepulcro cooperculo, quod tam immane erat ut tribus duceretur paribus boum, texit corpusculum filii furto alterius sepulcri. Quod cum fecisset, surdus, mutus, cæcus ac debilis est effectus; mansitque in hoc supplicio integrum fere annum. Dehinc apparuit ei quidam sacerdos per visum, dicens : Quid, inquit, tibi tuisque vim intuli, o vir, quia detexisti me, auferendo opertorium tumuli mei? Vade nunc, si vis sanus fieri, jube ipsum velociter revocari; quod si nolueris, protinus morieris. Ego enim sum Benignus episcopus [b], qui in hanc urbem peregrinus adveni. At ille suis innuens, accessit ad monumentum filii sui, elevatumque lapidem plaustro imposuit, reportatumque ut sarcophago reddidit, illico sanus effectus est. Nam in redeundo [c] ita lapis levis erat, ut quem tria paria boum evexerant, boves deinceps duo revocarent.

CAPUT XVIII.

De duarum virginum tumulis.

Infra ipsum etiam terminum Turonicum erat mons

A parvulus, sentibus, **907** rubis, vitibusque repletus agrestibus, et tanta densitate labruscæ contextus, ut vix aliquis intro posset irrumpere (*An.... 27 Jan.*). Ferebat enim fama duas Deo sacratas virgines in illo loco quiescere. Scilicet [d] cum in vigiliis dierum festorum lumen accensum divinitus a fidelibus sæpius cerneretur, unus audacior, et animi fretus auctoritate, ad locum accedere sub obscura nocte non metuit; atque cereum miri candoris immenso lumine fulgurantem aspiciens, admiratusque diu, discessit, aliisque quæ viderat nuntiavit. Tunc uni de incolis loci se Virgines per visum ostendunt; exponunt se ibidem esse sepultas, ac sine tecto imbrium injuriam diutius ferre non posse; hic vero si sibi vellet esse consultum, incisis vepribus, tegumen tumulis B adhiberet. Expergefactus vero, irruentibus aliis cogitationibus, tradidit oblivioni quæ viderat. Alia vero nocte apparuerunt ei iterum, vultu minaci terribiliter comminantes, nisi locum tegeret, anno præsenti ab hoc sæculo migraret. Territus igitur vir ille visu, accepta secure, stirpe succisa, tumulos detexit, invenitque validas de cereis guttas in modum libani odore necnon et fragrare. Tunc deputatis bobus et plaustro, lapides congregat, et data æstate oratorium superædificat : explicitoque opere beatum Eufronium, qui tunc Turonicam regebat ecclesiam (*An.* 572), ad benedicendum invitat. Sed ille jam defessus senio, excusat abire dicens : Vides, inquit, fili, quod senuerim, et hiems solito asperior ingruat : descendunt pluviæ, ac venti cuncta turbine perflant, in C flantur flumina, et ipsæ quoque viæ a frequentatione imbrium effusæ, pene in lutum sunt dissolutæ; et nunc non convenit ætati meæ ista modo properare itinera. Hæc audiens vir ille, discessit a conspectu sacerdotis, abiens valde mœrens. Verum ubi sacerdos membra quieti laxavit, vidit duas Virgines astare sibi, quarum senior tristi vultu sic infit : Quid tibi ingratæ exstitimus, beatissime pontifex? quid molestiæ intulimus regioni tibi a Deo commissæ? Cur nos despicis? cur **908** ad consecrandum locum quem nobis vir fidelis ædificavit venire dissimulas? Veni nunc, obsecramus per nomen omnipotentis Dei, cujus nos sumus ancillæ. Hæc effata, genas lacrymis rigabat obortis. Expergefactus vero senex, vocat ecclesiasticæ domus rectorem, dicens : Peccavi, non D eundo cum homine. Ecce enim vidi duas virgines me ob id increpantes, et vereor Dei offensam incurrere, si illuc distulero ambulare. Acceleransque iter viam ingreditur. Igitur eunte illo quievit pluvia, austrorumque violentia sæva succubuit. Ipse quoque

Eugenia virgo et martyr, quæ pariter sub virili habitu in monasterio virorum habitasse dicitur. Vide ejus Vitam apud Roswcydum libro I de Vitis Patrum. Eamdem pluribus commendat Avitus lib. VI de Virginitate, vers. 503 ad 534.

[a] Colb. a, *nominis tamen ignari erant*. Sic et Colb. tut., et Clar. a, sed non habent *tamen*.

[b] Hunc esse putat Baronius Benignum episcopum, in Martyrologio Rom., die 28 Junii memoratum, cujus sacræ reliquiæ postmodum Trajectum ad Rhenum translatæ fuerunt. Eumdem nonnulli recentiores Carnotensem episcopum fuisse volunt, sed refragantur antiqui catalogi, qui nullam Benigni mentionem faciunt. Est alius Benignus apud Turones notus, filius sanctæ Mauræ, sed martyr, non episcopus.

[c] Colb. a. et Clar. a, *ad redeundum*.

[d] Cob. a, *hilicet*. Clar. a, *hilico*. Colb. tut., *qui cum in.... luminibus accensus*.

ciens iter, benedicto loco cum pace re- A lam referebat plerumque vultum inces- inum : et unam quidem dicebat pro- ram minorem statu, non merito, utram- ve candidiorem ; quarum unam Mauram, am vocitabat [a], dicens se ab earum ore cognovisse.

CAPUT XIX.

Eufronius de Chariberto rege prædixit.

que pontifex cum a multis crebrius ur- ad occursum Chariberti regis deberet innectens moras ire differret, tandem suis, ait : Ite, præparate iter, ut eamus regis, quem visuri non sumus. Igitur austris necessaria, et caballis ad iter B amque in hoc stante ratione ut deberet e, ait : Revertantur plaustra, laxentur ndo hoc iter incedimus. Dicentibus au- esset hæc levitas, ut quæ tam instanter at, tam facile deturbaret, ait secretius : quem nos ire compelliris, obiit, nec abierimus, inveniemus. Stupefacti au- notant, et Sancti verba taciti servant.

Advenientibus autem ab urbe Parisiaca hominibus, ea hora regem transiis-e nuntiant qua sacerdos plaustra de itinere jusserat revocari [b].

CAPUT XX.

De dedicatione oratorii nostri.

909 De oratorio autem nostro, in quo reliquiæ sancti Saturnini martyris ac Martini antistitis cum Illidio confessore vel reliquorum sanctorum collocatæ sunt, pro instructione credentium narrare aliqua non pigebit, qualiter se virtus beati Martini revelatione revelavit, ita ut appareret multis ignitus globus ille terribilis, qui quondam solemnia celebranti emerserat paucis visibilis, a capitis arce [d] prorumpens. Concepit enim inspirante divinæ pietatis instinctu animus, ut cellulam valde elegantem, quam sanctus Eufronius ad usum promptuarii habuerat, ad opus orationis fideliter dedicarem. Qua diligenter composita, et altari ex more locato, ad basilicam sanctam vigiliis noctem unam ducentes [e], mane vero venientes ad cellulam, altare quod erexeramus sanctificavimus. Regressique ad basilicam, sanctas ejus reliquias cum Saturnini Julianique martyrum, vel etiam beati Illidii exinde solemniter radiantibus cereis crucibusque admovimus. Erat autem sacerdotium

ie sub his nominibus coluntur apud Tu- Januarii : in oppido autem quod ab illis t Sanctæ Mauræ, die præcedenti. An iendæ sint a sanctis Maura et Brigitta cesi Bellovacensi celebres sunt, verbis ris patet. — Celebres sunt in Bellova- rio virgines duæ ac martyres, Maura et , ut habet eorum Vita in cod. ms. ec- giatæ Cridoliensis, in Scotia natæ ex t patris et matris obitum, abjecto regno servandæ studio, Romam abiere cum rum fratre ; atque post varias peregrina- iatis sibi Ursicino Romæ, et Joanne ua ex pago Andegavensi, tandem in Bel- adam appulere, ubi apud Baligniacum llovacensis vicum a latronibus spoliatæ i cum beatissimis virginibus vim inferre entassent, eas sociosque earum, excepto ciderunt. Harum virginum corpora Ba- ma regina in monasterium Calense trans- s miraculo impedita fuit. Quare deposita ovigentum, *virginum* ab iis dictum ; ubi uiescere dicuntur in ecclesia sub priora- camnensi monasterio subjecta, haud pro- io oppido ad Isaram fluvium. Hanc vero compluribus nævis scatentem, erroribus- ogicis, quos persequi non vacat, asper- issent nonnulli viri pii et eruditi apud , in animum sibi induxerunt ambas istas s non esse a Maura et Britta, quas Gre- r in sua Turonensi diœcesi inventas com- juæ sententia Saussayo in Gallicano Mar- n displicuit, nec plane rejecta fuit a Bol- 15 Januarii. Quare visum est rem paulo nucleare : quod ut præstarem, semel et nos scripsi. Responsum mihi est Mau- am virgines in Turonensi diœcesi cele- , quarum festivitas die 28 Januarii cele- tare vero septem circiter leucis ab urbe pidulum sub sanctarum Mauræ et Brittæ colle positum, cujus situs ei loco con- Gregorius descripsit ; ibique in ecclesia chiali religiose asservari thecam amplam , in qua, cum anno 1656, permittente Victore Buticulario, archiepiscopo Turonensi, ab ejus vicario generali apeita fuisset, inventa sunt viginti quinque majora ossa cum pluribus aliis minoribus, linteis et sericeo panno decenter involuta, eisque superposita instrumenta varia in pergameno descripta et sigillis munita, quæ fidem faciebant ea in theca beatarum Mauræ et Brittæ sacras reliquias contineri. Ex his instrumentis, ut ex viri venerabilis hujus loci parochi epistola ad nostrum D. Carolum *Lopin* scripta didici, unum est Vincentii, archiepiscopi Turonensis, quo testatur se anno 1267 post Dominicam *Reminiscere* thecam sanctarum Mauræ et Brittæ reseravisse, indeque ad preces Guilelmi sanctæ Mauræ toparchæ capita earum extraxisse, cæteros ossibus in arca remanentibus. Ex alio constat earumdem sanctarum reliquias a Joanne archiepiscopo visitatas fuisse, præsentibus Ricardo Constantiensi episcopo, abbate Nuceriarum, Joanne loci toparcha, aliisque plurimis viris illustribus, die 30 Junii 1454. Quæ quidem omnia, ut mihi videtur, satis superque probant Mauram et Brigittam Bellovacenses virgines a Turonensibus, quas noster Gregorius laudat, esse distinguendas, sicut et aliam Mauram, quæ cum septem aliis suis tempore sancti Martini a Gothis in territorio illidem Turonensi martyrium pertulisse dicitur. Istorum Vitam, sed viliatam, ex cod. ms. majoris monasterii accepimus.

[b] Deest hoc caput cum duobus seqq. in Clar. a.

[c] Ex hoc loco colligi potest Charibertum Parisiis defunctum, ibi quoque sepultum fuisse. Vereor quippe ne ii qui cum auctore Gestorum Franc. ipsum apud Blavium Aquitaniæ castrum sepultum fuisse volunt, eum cum alio Chariberto, Dagoberti fratre, confundant.

[d] Sic Bad. Alii Editi, *a capite arcæ* ; Scripti *arce*. Miraculum narrat Sulpicius Severus, dialogo 2.

[e] Observa ritus jam tunc in ecclesiarum dedicatione adhibitos in Ecclesia Gallicana. Confer Sacramentarium Gregorianum Menardi, p. 155, 156, etc. Luminaria vero plurima in reliquiarum delationibus adhibita passim apud veteres occurrunt. Vide libros Evodii de miraculis sancti Stephani apud Augustinum.

ac levitarum in albis vestibus [a] non minimus chorus, et civium honoratorum ordo præclarus, sed et populi sequentis ordinis magnus conventus. Cumque sacrosancta pignora palliis ac nasis [b] exornata in excelsum deferremus, pervenimus ad ostium oratorii. Ingredientibus autem nobis, subito replevit cellulam illam fulgor terribilis, ita ut præ timore et splendore nimio astantium oculi clauderentur. Discurrebat autem per totam cellulam tanquam fulgur, non parvum nobis ingerens 910 metum : nec quisquam scire poterat quid hoc esset, et omnes pavore prostrati solo jacebant. Tunc ego : Nolite, inquam, timere. Virtus est enim sanctorum quam cernitis ; et præsertim rememoramini librum Vitæ beati Martini, et recolite qualiter verba sacrata promenti de capite globus ignis egressus, usque ad cœlos visus est conscendisse ; et ideo ne terreamini, sed ipsum nos cum sanctis reliquiis credite visitasse. Tunc timore postposito, magnificavimus Deum, dicentes : *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis* (*Psal.* CXVII, 26). Sed illud anterius miraculum visum est paucis, istud apparuit populis universis ; in illo fuit virtutis indicium, in isto gratiæ supplementum ; illud fuit tunc occultum propter jactantiam, istud manifestum est cunctis ad gloriam ; ibidem ore festiva [c] fideliter acta Domino nuntiantur, hic in novitate oratorii quod ad laudem Domini proficeret illustratione sanctorum pignorum consecratur. Ergo fideliter, ut oportet, a nobis quærendus est et orandus, ut ille visitet hunc populum, qui plerumque orationis vota per hunc sacrum ignem sustulit in excelsum. Hunc enim ignem vel cum de monacho orante narravi [d], vel cum Brachionem abbatem a pignoribus sanctorum vidisse egressum ignem exposui, mysticum esse puto, eo quod non exurat, sed illuminet ; sed nec sine divinæ majestatis gratia, quæ vel se prodere [e], vel apparere quibusdam potest.

CAPUT XXI.

De sepulcro sancti Solemnis.

Et licet de Turonica urbe aliqua jam scripserimus, tamen quoniam 911 nuper sancti Solemnis [f] sepulcrum aspeximus, silere nequivimus quod factum sit apud Malliacense monasterium, quod in cacumine montis est constructum [g], ab antiquis vallatum ædi-

[a] Vide lib. II Hist. cap. 23, Hieronymum lib. I adv. Pelagianos, et alios. Cæterum alba indutos fuisse ministros non majores solum, sed et minores, cum divinis intererant, probat can. 12 concil. Narbon. an. 589, quo cavetur ne presbyter aut diaconus de altario egrediantur, et ne subdiaconus ac lector albam exuant, ante missæ consummationem. Ex can. seq. subdiaconus, ostiarius, etc., senioribus vela ad ostia sublevabant.

[b] Sic Colb. a., Colb. tut. et Bell. Ed. vero, *mappis*. Pithœus in Glossario ad legem Salicam, tit. 17, ad hæc verba *homo sepultus in nauſa, aut in petra*, etc., nauſi nomine intelligit sarcophagum ligneum. Hinc nata vulgaris vox *nau*, seu *noue*.

[c] Sic Laud. et Bell. Editi, *ibi de more festiva*. Colb. tut., *ibidem moræ festivæ*. Pith., *festivo*.

[d] Id tamen habet solummodo cap. 38 hujusce libri, et cap. 39 de Brachione loquitur. An quod in libri revisione capitum ordinem mutaverit ? — De eodem igne loquitur Gregorius in Vita sancti Brachionis, cap. 12 Vitæ Patrum. Utrumque vero locum laudat sanctus Odo Cluniacensis abbas in sermone *Quod sanctus Martinus par apostolis dici* potuerit, ubi hæc habet : *Non dissimiliter Gregorio Turonensi ejus reliquias in novam basilicam inferenti apparuit. Brachio quoque oratorium ingrediens, globum igneum per ecclesiæ superiora discurrere sæpius videre consuevit.*

[e] Sic SS. ; at Bell. et Colb. 2, *quam vel prodere*. Laud., *qui*. Col. et alii Ed. : *Sed nec divinæ majestatis vacare putem gratia, quæ vel se prodere*. Bad., *qui vel se*, etc.

[f] Alii *Solennis*, vulgo dicitur *saint Soulein*. Laudatur a Sigiberto ad an. 6 Chlodovei his verbis : « Solennis episc. Carnotensis claret, qui in prædicando Francis Christum non seguiter institit. »

[g] Sic Colb. a. Editi vero : *Nequivimus quod apud Malliacense monasterium comperimus, quod... constitutum*. Colb. duo non habent *comperimus quod*. Malliacum apud Turones duplex est : unum ad Vingennam fluvium, vulgo *Maillé-Lallier* dictum ; alterum vero tribus leucis infra Turonos supra Ligerim, quod hodie mutato nomine notum est sub Luini nomine (*Luines*), ducatus titulo insigne, et canonicorum collegio, quod paucis abhinc annis in monasterium canonissarum regularium sancti Sepulcri dictarum conversum est. Eo in loco vixit et defunctus est sanctus Solemnis in monasterio quod nunc in prioratum redactum Majori monasterio subjectum est. Ecclesiæ prioratus, quæ sancto Venantio sacra est, adjunctus est parochiæ titulus : inde corpus sancti Solemnis Blesas translatum est, atque in ecclesia sancti Petri depositum, quæ ab eo deinceps sancti Solemnis nomen tulit cum parochiæ titulo, donec hoc anno in cathedralem erecta, mutato nomine, sancti Ludovici dici cœpit. Sacrum ejus corpus, paucis ossibus exceptis, Calviniani sæculo superiori combusserunt. Ejus Vitam, inventionis a Gregorio nostræ factæ et Translationis historiam ac miracula vidimus in Ms. Cod. bibliothecæ regiæ. — In hac Vita sanctus Solemnis Flavio Carnotensi episcopo successisse dicitur, tempore Chlodovei, quem adversus Gothos proficiscentem catechumenum fecisse dicitur. Eumdem, uti narrat ille auctor, in altera expeditione contra Gothos secutus est Turonos usque ; ubi cum in morbum incidisset, apud Malliacum castrum a rege relictus obiit, et sepultus est in vetusta basilica sanctæ Mariæ, in montis cacumine sita, qua postea a paganis destructa, corpus sancti antistitis remansit ignotum usque ad Gregorii nostri tempus, quo corpus ejus cum Carnotum deferretur, Blesis in ecclesia sancti Petri depositum fuit, unde sequenti die nunquam potuit efferri, ibique deinceps miraculis compluribus fuit illustratum, quæ idem auctor, sæculo XI labente, scripsit. Quæ vero de Gregorio nostro habet, huc referre visum est : « Beatus etiam Gregorius, tunc temporis Turonorum episcopus, cognitis, quæ ad sepulcrum sancti gerebantur virtutibus, abiit ad locum, ea quæ jam a multis audierat per [se] visurus. Videns quoque mira et assidua per virum Dei fieri opera Domini insignia, collaudans Deum, quod hæc est omnibus sanctis gloria, lætabundus recessit ad sua. Unde et inter cætera, quæ de sanctorum confessorum laude scripsit miracula, de beato Solemni pontifice Carnotensi locutus est ita : Licet de Turonica urbe aliqua jam scripserimus, tamen quoniam nuper sancti Solemnis sepulcrum venerabile aspeximus, quid de eo cognovimus silere nequivimus. Castellum namque, cui antiquitus Malliacum nomen est, ab urbe Turonorum versus occidentalem plagam duodecim ferme milliariis distat, juxta quod ad solis ortum mons eodem vocitatus nomine, cujusdam vallis interposita concavitate, præeminet, in cujus ca-

feriis jam erutis (*An.* 519, 25 *Sept.*). Nam ferunt quod in eo loco cum crypta adhuc haberetur occulta, et nulli Christianorum locus ille esset revelatus, per singulas Dominicarum solemnitatum noctes ab habitatoribus lumen cernebatur accensum, sed nullus sciebat quid sibi hoc vellet mysterium : tantum suspicio retinebat homines aliquid ibidem retineri divinum. Interea advenerunt duo energumeni ex basilica sancti Martini, qui collisis in se palmis, clamare cœperunt, dicentes : Hic requiescit Solemnis beatissimus in crypta abdita. Reserate igitur sepulcrum amici Dei. Quod cum repereritis, velis tegite, lumen accendite, cultumque debitum ei exhibete : erit regioni huic salubre, si quæ loquimur ad impleveritis. Et hæc dicentes cum clamore magno, effodere tellurem ungulis nitebantur. Tunc videntes incolæ quæ gerebantur, accepto sarculo, effodientes aperuerunt cryptam, in qua per seriem graduum descendentes, repererunt sepulcrum magnum, de quo testabantur illi adhuc mente infirmi hoc esse sepulcrum Solemnis beatissimi, qui mox sensu discesserunt recepto. Post hæc autem cœperunt ad eum diversorum morborum ægroti confluere, et accepta sanitate redire incolumes. Sed et Lithomeris urbis ipsius [a] indigena, cum ab quartani typi ægrotatione fatigaretur, **912** acceptis ex hospitiolo suo cereis, surrexit cum uno tantum puero, accessitque ad locum. Fusa vero oratione, accensis cereis, manuque propria per totam noctem detentis, vigilias celebravit. Dato igitur mane redivit ad propria, nec ultra ab hoc morbo frigoritionis [b] vel confractionis ullius pertulit gravitatem.

CAPUT XXII.

De Maximo abbate.

Fuit [c] autem quidam religiosus (*An.* 400... 20 *Aug.*), et virtutibus et nomine Maximus, et, ut liber Vitæ [d] ejus docet, quam versu conscriptam legimus, nostri fuit Martini discipulus. Qui occulere quod erat cupiens, apud Insulam Barbaram [e] monasterii Lugdunensis peregrinari expetit : manifestatus autem et ibi, ad patriam redire disposuit. Denique dum Ararim fluvium transire cuperet, nave impleta demergitur, ac ipse sacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evangeliorum libro ministerium quotidianum [f], id est patenulam parvam cum calice. Sed pietas divina non perferens perire quod suum est, ita de hoc periculo Domino jubente restitutus est littori, ut nec vitæ damna perferret, nec rerum detrimenta lugeret. Impletumque est illud quod Psalmographus Spiritu sancto influente cantavit : *Cum ceciderit justus non collidetur, quia Dominus firmat manum ejus* (*Ps.* XXXVI, 24). Et iterum : *Non necabit Dominus animam justi* (*Prov.* X, 3). Deinde ad castrum **913** Caimonense urbis Turonicæ veniens, monasterium collocavit : quod castrum cum ab Ægidio obsideretur [g], et populus pagi illius ibidem esset inclusus, hostis adversus effossum a latere montis puteum, quem obsessi ad usum habebant bibendi, obturat. Quod cum antedictus Dei famulus, qui tunc cum reliquis infra castri munitionem conclusus erat, cerneret, videretque populum consumi sitis injuria, orationem nocte tota fudit ad Dominum, ut respiciens populum hostes improbos effugaret, et non pateretur eos sitis ardore

cum ine monasterium prisca Christianorum construxit religio. Ibi etenim Solemnis beatissimus, Clodoveo rege regi Alarico bellum ingerente, præsentis vitæ terminum clausit. Et quoniam pro suis meritis divina ad ejus tumulum pietas virtutes operabatur plurimas, ejusdem loci homines super venerabiles ipsius cineres mirificis ædificiis honorificum fabricaverunt sepulcrum, quod postea non parvo tempore evoluto ab impiissima pagahorum gente ita desolatum fuerat, ut jam tunc nec signum cerni potuisset illic fuisse ædificii. Nam ferunt ejusdem castri indigenæ, quod dum crypta sepulturæ ipsius adhuc haberetur occulta, nemini Christianorum certum loci illius patebat mysterium : et tamen suspicabantur, atque ex veritate asserebant ibi aliquid teneri sacrosanctum, donec per Dei misericordiam patuit revelatum. Sancti enim Solemnis episcopi Carnotensis ibi habebatur mausoleum, quod multis languidorum curationibus Domino propitiante fidelibus populis exstat notificatum. Hæc sanctus de sancto in testimonium. » Idem auctor sanctum Solemnem VIII Kalendas Octobris obiisse memorat, ejus tamen festivitas sequenti die in variis Martyrologiis celebratur.

[a] Sic Mss. cum Bad. Cæteri Editi et SS., *Lithomerus urbis Pictavensis*.

[b] Colb. tut., *frigoris*. Colb. a et Bell. *frigoræ*. Frigoritio autem est accessio febris, sic dicta, quod a frigore incipiat ; confractio vero est intermissio ipsius quod sic frangi videatur febris.

[c] Hoc caput et seq. desunt in Colb. tut.

[d] Hanc Vitam nusquam vidimus ; aliam vero habemus ex Cod. Ms. Majoris monasterii, a quodam monacho, seu clerico Caimonensi collectam : sed pauca habet præter ea quæ hic a Gregorio proferuntur. — V. C. Stephanus Baluzius Maximum hic memoratum eum esse putat *Maximinum*, quem Leidradus in epistola ad Carolum Magnum imperatorem recenset inter Insulæ Barbaræ abbates, quibus Lugdunenses episcopi vices suas commendaverunt. Et quidem Eucherius in epistola ad Philonem, quam idem Baluzius in appendice ad Agobardi opera edidit, hunc presbyterum rogat, ut esse *ad monasterium Insulæ Barbaræ* conferat, *videatque et adhortetur fratrem*, inquit, *nostrum Maximum abbatem, qui præest ipsi monasterio, quia pervenit ad nos quod velit ex eo discedere et fratres suos deserere, eo quod multi propter metum gentium oblationes suas subtraxerint, quas pro Dei intuitu dare consuerant... Domum peregrinis, quam jussimus fieri, nobis præparet et membranas, quia, si Deus annuit, Quadragesimam in Insula cum eo tenere disponimus*, etc. Tum mandat pontifex ut trecenti annonæ modii aliaque victui necessaria ad monasterium devehantur, plura esse oblaturum spondens post reditum suum.

[e] Insula Barbara vetustissimum est agri Lugdunensis monasterium, in ipso Araris fluvii meditullio supra Lugdunum urbem situm, quod cum per complura sæcula Benedictino ordini fuisset addictum, ad sæculares canonicos transiit an. 1549. Ejus loci historiam Gallice scripsit *D. le Laboureur*, sub titulo Rudorum Insulæ Barbaræ.

[f] Clara est hic vocis hujus significatio, de qua passim jam diximus. Vide Menardi nostri notas in Sacramentarium Gregorianum, pag. 155.

[g] Hoc circa annum 463 contigisse putant, quo Ægidius seu Gillo Romanæ militiæ præfectus Caimonis obsidionem solvere coactus fuit.

consumi. Tunc, revelante sibi Spiritu sancto, ait ad plebem : Quisquis habet vasculum, ejiciat foras in plateam, et deprecetur Dominum. Dabit enim vobis hodie largitas ejus aquas in abundantia, ut non deficiatis vos et parvuli vestri. Hæc eo dicente, nubes subito texerunt cœlum, et descendit imber magnus de cœlo, cum tonitruis et coruscationibus, super castrum, duplum populis beneficium præbens, pluvia arcens sitim, fragoribus effugans hostem. Completaque sunt vasa omnium, et satiati sunt cuncti. Sicque obtentu sacerdotis, fugatis adversariis, populus salvatus a castro discessit. In monasterio [a] autem loci illius plenus dierum transiit, ibique sepultus est : ad cujus sepulcrum sæpius infirmi sanantur. Puerulus autem unus ex familia ecclesiæ Turonicæ in valetudinem corruit. Is cum anhelus occumberet, ac in extremis positus putaretur spiritum exhalare, ad ejus basilicam deportatus, protinus exstincta febre sanitati est redditus. Sed et puella de his mancipiis simili sorte febricitans, cum ante cancellos monumenti fuisset exposita, in ipsa die incolumitati est restituta. Ad nos vero cum horum notitia devenisset, puerum humiliatis capillis huic monasterio cessimus : puellam [b] vero mutata veste cœtui sanctimonialium conjungi præcepimus, ad serviendum Deo.

CAPUT XXIII.

De Joanne reclauso.

914 Requiescit haud procul ab hac basilica Joannes quidam presbyter [c] (*An.* 400... 5 *Maii*), natione Britto, in summa religione degens, per cujus manus Dominus multa signa sanitatum dignatus est operari : qui ob amorem divinum ab aspectibus se hominum cohibens, parvulam oratorii cellulam habebat ante ipsam Cainonensis vici ecclesiam. Ibique in viridariolo, quod manu propria excolebat, lauros arbores plantaverat, quæ nunc vastis columnarum fomitibus jucundarum frondium amœnitate tenduntur; sub quarum umbraculo vir sanctus considens, aut legebat aliquid, aut scribebat. Cujus post obitum cum arbores illæ, ut diximus, patulis diffusæ ramis obumbrarent locum viridarii, una ex his vetustate senescens exaruit. Tunc custos loci effossa cum radicibus columne, incisis ipsis cum ramis suis scamnum adaptat, in quo interdum aut resideret laesus, aut aliquid secure decideret, cum necessitas exegisset. Quod cum per duos annos aut fere amplius scamnum in hoc usu habuisset, tactus, ut credo, inspiratione divina, dolore cordis, ait : Væ mihi quia peccavi, ut arborem quam talis sacerdos propria manu plantavit, ego ad diversas necessitatum utar sessiones [*Mss.*, incisiones]. Et hæc dicens, accepto sarculo, effossa humo, et incisis scamni pedibus, posuit ipsum sub terra, replevitque fossam humo. Mirum dictu ! adveniente verno tempore, sicut reliquæ arbores florescunt, ita et hæc columna, quæ viri manu, ut ita dixerim, sepulta fuerat, rediviva in sospitate virescens, novas frondes emisit. Exstant de ea hodie quoque virgulta in quinum senumque aut fere amplius pedum altitudine, quæ annis singulis incrementum sumentia, a Domino sublevantur.

CAPUT XXIV.

De Monegunde religiosa.

915 Apud [d] ipsam vero urbem Turonicam beata Monegundis [e] obiit (*An.* 570, 2 *Jul.*). Fuit autem ex Carnoteno territorio. Quæ relinquens tam patriam quam parentes, ad hoc tantum Turonis expetiit, ut orationi vacaret : per quam Deus crebro miracula ostendere est dignatus. Nam si quis pusulam [f] malam incurrisset, et ad eam veniens orationem precabatur; confestimque illa prosternebatur ad supplicandum Dominum, et colligens folia cujuslibet oleris aut pomi, saliva illiniebat, faciensque crucem super ulcus imponebat foliam : confestimque ita omne venenum evanescebat, ut nihil digitum læi ægrotus ultra perferret. Quartanariis quoque et gulam dolentibus, data benedicta aqua sæpius medebatur. Ad cujus nunc sepulcrum assidue infirmi confluunt et sanantur. Nam quanti frigoras passi, quanti a pusulis malis veneno increscante prærmortui, quanti a dysenteria ibi sunt sanati, viritim non potest explicari. Sed quoniam multa ex his in libro quem de ejus Vita conscripsimus (*Vitæ Patr. c.* 19) memoravimus, quæ deinceps gesta sunt tacere nequivimus. Probati archidiaconi nostri famula graviter a quartano typo quatiebatur, et jam prope annum in hac febre ægrotabat : quæ inter manus parentum deposita super tumulum sanctum, domum incolumis est relata.

CAPUT XXV.

De Senoch abbate.

Senoch abbatis Vita dudum a nobis scripta fuit [g] (*An.* 576, 24 *Nov.*). In quo libello multis ejusdem virtutibus memoratis finem fecimus : sed quoniam ad ejus tumulum virtus apparuit, sileri a nobis absurdum fuit. Nantulfus autem puer nimia cæcitate detentus, et ipsam adhuc **916** adolescentiam ætatis in suo proposito confirmasse dicitur. Exstat hodieque sub titulo sanctæ Radegundis oratorium hoc in capite memoratum, in quo visitur beati Joannis tumulus, sed reliquiis vacuus, quas nempe Calvinistæ eodem an. 1563 combusserunt.

[a] Istud monasterium hodieque subsistit apud Cainonem (*Chinon*), sed in collegiatam ecclesiam jampridem conversum, ubi servatæ sunt sancti Maximi, vulgo *saint Meisme*, reliquiæ ad an. 1563, quo a Calvinianis hæreticis combustæ fuerunt. Aiunt tamen canonici sancti Maximi, *saint Maxe*, apud Barrum Ducis (*Bar-le-Duc*), in diœcesi Tullensi, corpus sancti Maximi, nescio quo modo ab hæreticorum furore Cainone creptum, ad se delatum fuisse, eumdemque sanctum patronum agnoscunt.

[b] Hæc ad finem cap. desunt in Colb. a.

[c] Joannes *Reclausus* appellatur in Vita sanctæ Radegundis per Baudonivium, num. 4, ubi B. reginam

[d] Hoc caput cum duobus seqq. deest in Clar. a.

[e] Colb. tut. et Bell., *Monagundis*; alii, *Monigundis*.

[f] Colb. et alii, *pustulam*. Et sic passim Scripti et Editi. Alii habent *pusulam*; alii *pustulam*.

[g] In libro de Vitis Patrum cap. 15. De eodem egit quoque in lib. v Hist. cap. 7.

primæ ab hoc contagio deturpatam jugiter deflens, hujus sancti expetiit tumulum, atque prostratus, et humili prece subnixus, flagitat sibi ejus suffragio lucem perditam revocari. Quatriduum in hoc precatu perdurans, reseratis oculis illuminatus abscessit. Sed et nunc multi frigoriticorum aliorumque morborum detenti incommodo, ut pallii ejus aut decerpserint fimbrias, aut contigerint, mox sanantur. Hactenus de Turonicis.

CAPUT XXVI.

De sancto Simeone a Columna.

Simeon [a] vero confessor, qui in columna pagi Antiochensis dicitur stetisse [b], frequenter incolis tribuit sanitates (*An.* 400, *aut* 463, 5 *Jan.*). Et quia, ut legitur in ejus Vitæ libro, nullam unquam mulierem post conversionem oculis attentis inspexit; postquam vero columnæ editiori se sanctitate fervens invexit, non modo extraneæ mulieri, verumetiam nec propriæ matri se videndum permisit, et nunc etiam locum ipsum ab hujus sexus defensat accessu. Nam ferunt quamdam mulierem indutam fuisse veste virili, et in basilicam ingredi voluisse columnæ. Tractans secum misera agere posse per indumentum quod latere posset Altissimum: ignorans illud Apostoli, quia *Deus non irridetur* (*Gal.* VI, 7). Hicet ibi [c] veniens ad templum, erexit pedem, ut sanctum ingrederetur limen: tamen protinus retrorsum ruens, cecidit, et mortua est; satisque fuit populis, ne hæc ultra mulier ulla præsumeret, cum in istam cerneret ultionem pessime irrogatam.

CAPUT XXVII.

De sepulcris presbyterorum in basilica sancti Martialis.

Igitur sanctus Martialis episcopus a Romanis missus episcopis (*An.* 250, 30 *Jun.*), in urbe 917 Lemovicina prædicare exorsus est; eversisque simulacrorum ritibus, repleta jam credulitate Dei urbe, migravit a sæculo. Erant [d] tunc temporis cum eo duo presbyteri, quos secum ab Oriente adduxit in Galliam: verum ubi completi sunt dies eorum, ut et ipsi vocarentur de hoc sæculo, conjunctis sarcophagis, in eadem crypta in qua sanctus episcopus sunt sepulti; et unus quidem parieti proximus, alter vero huic contiguus erat. Super terram tamen utrique stabant: sed non poterat alteri propter illum qui primus erat honor impendi, hoc est non ibi [e] palla expandi poterat, non lumen accendi. Quod cum incolæ loci moleste ferrent, quodam mane accedentes ad cryptam, invenerunt sepulcra diversis parietibus esse locata; et sic accessus liber ad utrumque sepulcrum patuit, et qualiter beatus antistes ut cultor Dei veneraretur enituit.

CAPUT XXVIII.

De miraculis ad sepulcrum ejus factis.

Puella [f] quædam cui, nescio quo existente peccato, manus una diriguit, ac digiti palmæ defixi erant, ad ejus sepulcrum advenit, confisa de virtute Confessoris, quod posset ejus intercessio manum aridam absolvere, cujus prædicatio populum vanis superstitionum ritibus irretitum absolvit. Celebratis ergo vigiliis in ipsa nocte festivitatis, dum attente juxta sepulcrum orat, manum suam directis digitis populo teste sanatam miratur attonita.

CAPUT XXIX.

De [g] eo qui loquelam a sacerdote recepit.

Quidam eloquium emeruit hoc modo. Hic etenim, ut cruda 918 operatur rusticitas populorum, juramentum mendax in ecclesia protulit. Mox rigente lingua, mutus effectus est, ita ut non vocis humanæ, sed bidentis mugitum simulare videretur. Adveniens autem ad hujus confessoris tumulum, prosternitur ad orationem, sensitque, ut postea asserebat, tanquam si aliquis guttur ejus tangeret: quod, ut credo, virtus erat dominici Confessoris Egressusque, presbyterum qui aderat nuto deprecabatur, ut signum crucis faucibus clausis imponeret. Quod cum presbyter fecisset, iterum prosternitur ad orationem; protinusque elevatus, vocis officio reddito, omnia quæ pertulerat proprio patefecit eloquio.

CAPUT XXX.

De sancto Stremonio episcopo Arverno.

Per sanctum enim Stremonium [h], qui et ipse a

[a] Hoc caput cum duobus seqq. deest in Colb. tut. Illustris est apud Græcos et Latinos Simeonis Stylitæ memoria, quam Theodoritus, Evagrius, Theodorus Lector aliique celebrarunt. Vitam ejus habes apud Rosweydum in Vitis Patrum, lib. I, et die 5 Januarii Bollandiani.

[b] In Laud. add., alia sed antiqua manu, *in ecclesia quæ vocatur Pœnitentiæ.*

[c] Pith., *Ilico ubi.* Ed., *Et licet.* Infra, in Mss., deest *tamen.*

[d] Hæc verba, usque ad *verum*, desunt in Colb. a; sed supra, post *missus episcopis*, additum est, alia manu, *cum duobus presbyteris.* Porro illi duo presbyteri, alia, sed fere æquali manu, in Bell. dicuntur *Alpinianus et Stratoclianus;* et in Martyrol. Rom. die 30 Junii, *Albinianus* et *Austriclinianus.* Vide Bernardi Guidonis Sanctorale, apud Labb., tomo II Bibl. novæ pag. 265. De sancti Martialis in Gallias missionis tempore fusius agere non vacat. Eam Gregorius Decii et Grati consulatu, id est an. 250 contigisse scribit lib. I Hist. cap. 28. Eumdem vero a Romanis episcopis missum hic dicit, quem paulo inferius innuit ex Oriente in Gallias adventasse. Vide Bosqueti historiam. Ipsius Acta, quæ circumferuntur, nullius videntur auctoritatis, nec majorem merentur epistolæ ipsi attributæ. De ejusdem apostolatu, discipulis et percelebri sub ejus nomine monasterio apud Lemovicas, quod sæculo XI Cluniacenses obtinuerunt, ac tandem ad canonicos sæculares transiit, plura habentur passim in tomo II Bibliothecæ novæ Labbeanæ. Parisiis vero jam sæculo VII habebat ecclesiam, quam sanctus Eligius dotavit.

[e] Clar. a, *non sibi*; Ed., *non nisi.*

[f] Hoc caput et duo seqq. non habet Clar. a.

[g] In Colb. tut. *De sancto Martiali Lemovicensi episcopo*, Bell. et Laud. nullum habent titulum.

[h] Colb. tut., *Austremonium.* Vulgo appellatur *saint Austremoine.* Ejus in Gallias adventum temporibus Decii consignat noster Gregorius lib. I Hist. cap. 28.

Romanis episcopis cum Catiano [*Mss.*, Catanno] beatissimo et reliquis, quos memoravimus, est directus, primum Arverna civitas verbum salutis accepit, eoque prædicante Salutare mundi Redemptoremque omnium Christum Dei Filium credere cœpit (*An.* 250, 1 *Nov.*). Hujus autem sepulcrum apud Iciodorensem vicum habetur : ad quod eruda rusticitas, licet sciens quod quiesceret, nullum tamen ibi exhibebat honoris cultum. Post longinqua vero annorum curricula, Cautinus qui ipsius Arvernæ urbis episcopus datus est, in diaconatu suo ecclesiam vici illius rexit. Igitur dum nocte quadam in lectulo cellulæ suæ, quæ huic basilicæ adhærebat, decumberet, audivit psallentium quasi parum resonantibus vocibus : et surgens vidit templum magno splendens lumine, et obstupefactus aspicit intrinsecus, erat enim cellula illa in superiore contra fenestras templi ; et vidit, 919 et ecce circa tumulum multitudo albatorum tenentium cereos, et psallentium. Quod diutissime cernens, cum discessissent, statim facto mane, jussit tumulum cancello vallari, ac palliolis nitentibus obvelari, præcepitque reverentiam loco illi impendi. Ex hoc enim oratio super tumulum funditur, et auxilia Antistitis impetrantur. Hæc ab ipsius episcopi ore audivi.

CAPUT XXXI.

De eo qui eulogias accepit a sacerdote.

Magna enim gratia est, si sacerdotium digne custodiatur in actu. Si enim homini iniquo ac persecutori justitiæ tantum contulit sacerdotium, ut prophetiam mereretur, id est Caiphæ, qui prophetavit unum oportere mori de populo, ne gens tota periret (*Joan.* XI, 50) ; quanto magis timentibus Deum, et sancte ac pure sacerdotium custodientibus, tribui potest a majestate divina, ut etiam, juxta Jacobum, prosit infirmis cum oratione visitatio sacerdotis (*Jac.* V, 15), et plerumque conferat præsidium sola tantum eulogiarum porrectio ejus ex manu, secundum illud quod apud Arvernos gestum in adolescentia mea in veritate cognovi. Quidam presbyter solitarius iter carpens, ad hospitiolum cujusdam pauperis Limanici mansionem expetiit. Qua accepta, juxta morem sacerdotum [a], nocte a stratu suo consurgens, orationi astitit ; sed et homo, quem necessitas compellebat lignum ex silvis evehere, valde mature surrexit ; et sicut mos rusticorum habet, nondum inchoante luce, postulat cibum a conjuge, quæ sine mora porrexit. Acceptum vero homo ille panem, non prius comedit quam a sacerdote benediceretur, aut ab eo eulogias acciperet. Quibus acceptis, sumpsit et abiit. Cumque ad amnem adhuc ante lucanum venisset, imposito plaustro cum bobus in ponte, qui super navem locatus erat, alterum transmeare cœpit in littus : verum 920 ubi in medium amnis devenit, audivit vocem dicentem : Merge, merge, ne moreris. Cui respondens vox alia ait : Sine tua enim admonitione quæ proclamas fecissem, si res sacra meis conatibus non obstaret. Nam scias eum eulogiis sacerdotis esse munitum, ideo ei nocere non possumus. At ille voces audiens, et personam nullius cernens, ac de se verba jactari cognoscens, consignans se cruce dominica gratias Deo egit, quod ei pars adversa prævalere non potuit. Tunc in littus ulterius progrediens, cum optato onere domum regressus est salvus.

CAPUT XXXII.

De Duobus Amantibus.

Duos fuisse apud Arvernum, virum scilicet et puellam, refert antiquitas, qui conjuncti conjugio, non coitu, et in uno stratu quiescentes, non sunt ab alterutro polluti in voluptate carnali (*An.* 500,... 25 *Maii*). Post multos vero annos cum eis esset latenter vita castissima, ex consensu pari, vir tonsuratus ad clericatum, puella vero religiosum induit vestimentum. Factum est autem ut impletis diebus puella migraret a sæculo ; denique vir ejus præparata sepultura, exhibuit corpusculum ad sepeliendum. Cumque eam sepulcro reconderet, arcanum quod inter eos convenerat, elevatis manibus ad cœlum pandit, dicens : Gratias tibi, rerum omnium artifex, ago, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis contagio impollutam. At illa subridens, ait : Sile, sile, vir Dei, quia non est necesse ut fatearis nostrum nemine interrogante secretum. Post hæc obtecta opertorio recessit, Non post multum vero tempus et ipse migravit a sæculo, sepultusque est in loco suo. Erant autem in una quidem basilica, sed e diversis parietibus utrumque sepulcrum habebatur ; et unum quidem ad meridiem, alterum ad aquilonem. Mane autem 921 facto, inventa sunt pariter esse sepulcra, quæ usque hodie sic perdurant. Idcirco nunc incolæ Duos Amantes vocitant, et summo venerantur honore [b].

CAPUT XXXIII.

De Amabili presbytero.

Fuit etiam in supradicta Arverna urbe admirabilis sanctitatis Amabilis quidam, vici Ricomagensis pres-

Quem alii unum e septuaginta discipulis Christi, aut certe a sancto Petro directum fuisse volunt. Urbico sibi in successorem ascito secessit Iciodorum, ubi sepultus est. Ejus Vitam, sed fabulis scatentem, edidit Labbeus tomo II Bibl. novæ pag. 482. Iciodorum, vulgo *Issoire*, ubi sanctus Præjectus, postea Arvernorum episc. et martyr, litteras et vitæ monasticæ præcepta didicerat, ex ejus Vita, hodieque celebre est ord. sancti Benedicti monasterium e cong. sancti Mauri, sancto Stremonio dicatum. Sed ejus reliquiæ inde Volovicum, tum Manziacum, (*Volvic, Mozac*), loca ob monasteria ord. Benedictini insignia, translatæ sunt, ut fusius apud Labb., loco laudato, pag. 500 et seqq., refertur.

[a] Notanda patrum nostrorum religio in persolvendo, etiam privatim, statis horis nocturno officio. Vide notas in lib. IX Hist. cap. 6.

[b] De his vide, supra, lib. I Historiæ cap. 42, et quæ ibi observavimus. Tertullianus in libro de Anima memini cujusdam corporis in cœmeterio positi, quod alteri juxta ipsum collocando spatium dimisit. Vide et Vitam sancti Joannis Eleemosynarii, cap. 50, in libro I de Vitis Patrum.

exter, qui virtutibus magnis præcellens, sæpe serpentibus dicitur imperasse (*Sæc.* v, 19 *Oct.*). Nam ad hujus tumulum cum dux Victorius despexisset orare, affixo e regione equo, nequaquam poterat amovere. Quem cum flagris stimulisque urgeret, et ille quasi aneus staret immobilis, tandem aliquando dux a suis commonitus, qui, ut ita dicam, ipsi pecudi similis erat factus, ad orationem descendit; cumque fideliter orasset, quo voluit ivit. Ad hujus sepulcrum energumenum vidi mundatum; perjurantem dirfuisse ut ferrum, crimen confessum, illico absolutum [a].

CAPUT XXXIV [b].

De Georgia religiosa.

Fertur etiam fuisse in ea urbe puella quædam, religiosa atque devota Deo, quæ in rure commanens, quo ab urbica populatione submota liberius dignas Deo laudum hostias exhiberet, quotidie autem jejuniis et orationibus insistebat (*An.* 500, 15 *Feb.*). Factum est igitur, ut migrans ab hoc mundo, ad baquorum ædificiorum ruinis, quas sub Normannis passi sunt Arverni, obruti fuerint. In ecclesia sancti Cassii visitur hodieque ad latus Evangelii arca lapidea, quæ corpus sanctæ Georgiæ continebat cum his versibus lapidi marmoreo incisis, quos referimus eo modo quo in ipsa inscriptione habentur, nulla metri seu versuum ratione habita :

HOC. IACET. IN. TVMVLO. SACRATA
GEORGIA. CHRISTI. ET. DIVOTA
BONIS. MENTE. FIDE. MERITO
OB. QVAM. MAGNA. PATREM
PREMERET. CVM. TVRBA
PROCORVM. ILLA. DEVM
LEGIT. FELICIORE. TORO

In ecclesia sancti Venerandi nulla inscriptio, præter unam infra martyrum sepulcra insculptam, apparet, quam alicujus esse conjicio, qui ut sibi sanctorum patrocinia conciliaret, prope eos sepeliri postulavit. Fugientibus ac semidetritis litteris hæc solummodo legi potuerunt:

.... ETVM NATVRE QVIDEM CO... P.. VE..... FRAGELE VMEDA TERRA SVMIT NON TENIT AB... HIC ANTRA SEPVLCRI SED HACELOS QVEM JVSTA... FELICEM CONDETVM HOC TOMOLO LEVITA DNI... HEM INNOCENCIVS ILLI NOMEN AB AVO PROTRA... BEATVS IN MOREBVS VITAM BENIGNA T... ... .. VIX GESSERAT ANNVS CVM S..... CO..... NEPOTINS. CEDASPEC..... ..... R... X KL ABRILIS

In oratorio quod sanctæ Mariæ inter Sanctos nomen retinuit, altare habetur marmoreum, sub quo visitur crux in marmore albo sculpta, ad cujus pedes duæ sunt inscriptiones, quas hic referimus.

✠

† IN HAC. PARTE HVIVS. TVMVLI. REQVIESCVNT CORPORA SCORVM. QVORV NOMINA. DS. SCIT CVM QVIBVS. CORPVS CORVI. PATRV. I.

† IN HAC. ALTERA PARTE HVIVS. TVMVLI REQVIESCVNT. CORPORA. SCORVM. SEPTEM INNOCENTVM. QVORVM NOMINA SUNT. APVD SCI. ILIDII. REQVIESCIT. DEVM.

In sacello ecclesiæ Illidianæ, quod hodie S. P. Benedicto sacratum est, visuntur marmoreæ tabulæ, exhibentes miraculum Christi Domini panem multiplicantis, in quorum una hæc habetur inscriptio:

HIC. REQVIESCVNT. CORPORA. SANCTORVM
QVORVM. NOMINA. DEVS. SCIT.

In sacello sancti Justi similis habetur tabula marmorea cum variis liguris et hac inscriptione.

HIC. REQVIESCIT. SANCTVS
JVSTVS. ARVERNICAE
VRBIS. EPISCOPVS

Hunc porro Justum alium esse a Justo sancti Illidii archidiacono, de quo Gregorius lib. I Hist. cap. 40, præter *episcopi* titulum, qui hic Justo attribuitur, suadet historia translationis sancti Illidii factæ anno 1511, ubi Arbertus episcopus dicitur post elevatas sanctorum Illidii et Venerandi reliquias, cæterorum sanctorum corpora, et potissimum B. Nepotiani episcopi, et Justi archidiaconi et discipuli sancti Illidii, dimisisse in suis locis *propter difficultatem quærendi*. Certe Justos duos habet libellus de Ecclesiis Claromontensibus. Unde Savaro et post eum Sirmondus, in lib. IV epist. 11 Apollinaris Sidonii, Justo inter episcopos Claromontenses locum dederunt inter Avolum et Cæsarium.

[a] Legitur in libro de Ecclesiis Clarom. a Savarone edito, cap. 12 : « In ecclesia sancti Hilarii.... ubi sanctus Amabilis in corpore requiescit. » Visitur ejus sepulcrum in ecclesia sanctæ Mariæ Magdalenæ de Croso in suburbio Claromontensi, quæ, uti conjicere licet, eadem est quæ olim sancti Hilarii dicebatur, hodieque ecclesiæ sancti Amabilis Ricomagensis subjecta. Inde tamen a multis sæculis hujus sancti viri corpus Ricomagum translatum est, ubi ecclesiam abbatiali titulo insignem suo nomini dicatam habet, quæ anno 1548 ex canonicis regularibus ad sæculares transiit. In theca ipsa, ubi sacræ ejus exuviæ servantur, inventa est aliquot abhinc annis vetus hæc inscriptio, marmoreæ tabulæ insculpta : HIC. JACET. CORPUS. S. AMABILIS. CONFESS. QUI. OBIIT. REGNANTE... Ricomagi, uti præcipuus oppidi patronus colitur die 19 Octobris, quo ejus festum in variis Martyrologiis memoratur. Qua item die Surius ejusdem Vitam exhibet, sed quæ compluribus mendis respersa est.

[b] Cum in hoc capite et sequentibus de antiquis monumentis agat Gregorius, quæ suo tempore prope sancti Illidii basilicam habebantur, visum est de iisdem paulo fusius agere; quorum nonnulla hodieque supersunt in monasterio nostro Illidiano, prope Claromontensem urbem sito. Complures martyres apud Arvernum passos, atque juxta urbem sepultos fuisse testis est Gregorius lib. I Hist. cap. 31; unde non tantum episcopi urbis, sed et cæteri quoque Christiani in eodem loco sepeliri voluerunt. Certe jam tempore Apollinaris Sidonii, id est sæculo V, locum illum *sepulcrorum multitudo* repleverat, in quibus *multa sanctorum corpora* requiescebant, quæ cum Alcima et Placidina incaute a loco dimovissent ad ponenda ecclesiæ fundamenta, id magnopere sancto Antoliano, cui nova illa ecclesia parabatur, displicuit, ut narrat Gregorius lib. I Mirac. cap. 65. Ibidem, si veteri Arvernorum traditioni credamus, Austremonius primus eorum antistes, ecclesiam in honore Virginis Deiparæ construxit, quæ *sancta Maria inter sanctos* appellata est, quod in cœmeterii medio sita multis sanctorum sepulcris circumcingeretur. Novam in honorem sancti Clementis a sancto Illidio adjunctam fuisse volunt, cui ipse, postea in eadem sepultus, nomen suum dedit. Alii alias in vicinia adjunxere. Et quidem certum est tempore Gregorii tres ibi basilicas exstitisse, cum plurimis sanctorum sepulcris, quorum alia in illis basilicis, alia extra ipsas exstabant, ut narrat infra, cap. 36. Tres illæ basilicæ hodieque supersunt, et quidem duæ priores sub his nominibus quæ Gregorius refert, nempe sancti Illidii, quæ monasterii principalis est, et sancti Venerandi, in hodiernis monasterii hortis; tertia vero, cujus nomen non exprimit Gregorius, sancti Cassii dicitur, haud procul ab aliis sita, quæ etiam parochiæ titulo insignitur. In iis visuntur antiqui sanctorum aut saltem Christianorum tumuli, quales eos describit Gregorius, sed potissimum in ecclesia sancti Venerandi, ubi plures habentur, in quibus Christi Domini prædicatio, panum pisciumque ab eodem facta multiplicatio, aliæque sacræ historiæ repræsentantur, juxta modum priscorum illorum temporum, uti videre est in Roma subterranea, aliisque antiquis ecclesiæ monumentis. At nulli extra ecclesias illas nunc exstant, sive quod in ecclesias fuerint translati, sive quod in anti-

silicam oppidi [a] causa sepeliendi portaretur : verum ubi levato feretro corpus per viam 922 ferri cœpisset, advenien- grex magnus columbarum super eam volare cœpit, atque illuc volitando sequi quo hæc a proximis ferebatur. Qua in basilicam delata, grex totus super tectum ædis ipsius visus est consedisse; illaque sepulta, ad cœlos evolavere columbæ. Unde non immerito Georgia nuncupata est, quæ sic exercuit mentem cultura spirituali, ut adepto virginitatis sexagesimi fructus proventu, egrediens de sæculo, cœlestibus honoraretur exsequiis.

CAPUT XXXV.

De sepulcro effracto in basilica sancti Venerandi.

In basilica autem sancti Venerandi [b], quæ sancti Illidii est proxima, transvoluta [*id est*, fornice instructa] cellula a parte occidentis fuit in qua multa ex marmore Pario sepulcra sculpta sunt, in quibus nonnulli virorum sanctorum ac mulierum religiosarum quiescunt. Unde non ambigitur eos esse Christianos, quia ipsæ historiæ sepulcrorum de virtutibus Domini et apostolorum ejus expositæ sunt. Eo quoque tempore, quo Georgius Vellavorum civis Arvernæ urbis comitatu potiebatur (*Circ. an.* 569), pars transvolutionis illius, quæ per longinquæ incuriæ negligentiam pluviis erat infusa, super unum eorumdem sarcophagum ruit, opertoriumque ejus impulsum in frusta comminuit : in quo apparuit puella jacens, ita membris omnibus solidata, quasi nuper ab hoc sæculo fuisset assumpta. Nam facies manusque ejus cum reliquis artubus integræ erant, cum ingenti cæsariei 923 longitudine, sed credo eam aromatibus fuisse conditam : vestimentum autem, quod artus tegebat exanimes, agnarum erat [c], illæsumque, nulla putredine resolutum, ac nigredine quacunque fuscatum. Quid plura? ita apparebat integra, ut dormiens potius quam mortua putaretur. Autumabant autem quidam nostrorum ob candorem vestimenti holoserici in albis eam transiisse. Aiebant enim annulos aureosque armillas circa eam repertas, et clam ne episcopus sentiret, ablatas : nulla tamen ætas temporis nostri cujus meriti, generisque, aut nominis fuerit, aut opinione, aut lectione cognovit. Dum autem hoc corpusculum per anni unius spatium detectum jaceret, nec esset, qui respectu humanitatis huic adhiberet sepulcro tegumen, contigit ut uxor antedicti comitis post obitum viri graviter ægrotaret, ac diuturna valetudine obtenta, oculorum lumine molestaretur. Quæ laxata a febre, vocat medicos, diversa adhibet studia, largitur et præmia : sed nullis potuit modis ab eisdem elicere medelam; donec tandem aliquando pietas Domini commota respiceret. Apparuit enim ei persona quædam per visum noctis, dicens : Si vis visioni pristinæ restaurari, perge quantocius, et require lapidem mundum, ac sarcophagum puellæ quiescentis, quod in basilica sancti Venerandi detectum habetur, citius tege : mox detectis vigibus oculorum tuorum, clare cuncta prospicies. Quo facto, ut vas illud clausit opertorio, protinus apertis oculis lumen recepit ex integro. Unde non ambigitur esse eam nobilis meriti [d], quæ talia præstare potuit ægrotanti.

CAPUT XXXVI.

De aliis sepulcris sanctorum in eadem basilica.

Sunt [e] autem in hoc loco multa sepulcra quæ, ut diximus, fidelium 924 esse probantur. Habetur enim ibi tumulus huic a læva contiguus, longitudine, latitudine, altitudine, omnique positione consimilis. In hujus fronte superiore habetur scriptum : Sanctæ. Memoriæ. Gallæ (*An.*...., 31 *Maii*). Est et illud nihilominus sepulcrum sculptum [f] meritis gloriosum, inter egressum basilicæ sancti Illidii et ingressum templi beati Venerandi in edito positum, in quo ferunt Alexandrum quemdam religiosum fuisse sepultum; de quo frequens infirmorum necessitas, eraso pulvere, hausta dilutione, extemplo consequitur sospitatem; unde tam frequens exigitur [*Al.*, exsequitur] medicamentum, ut pro assiduis beneficiorum commodis transforatum ab aspicientibus cernatur. E regione autem hujus sepulcri, si ingrediaris per ostium in basilicam sancti Venerandi, dextra de parte sepulcrum parvulum contemplaberis super terram situm, rusticiori formatum lapide, sed ignotum est omnibus quis quiescat in eo. Nam haberi in eo divinum aliquid res ipsa quam dicturus sum pandit. Mendicus quidam, ut ipsi oculis nostris inspeximus, super ipsum erat solitus considere, sed credo eum, ut fragilitas humana præbet, in aliquod indignum facinus obvolutum; quia virtute quiescentis cum sonitu magno excussus, longe projectus est, sepulcrumque medium crepuit, quod usque nunc ita cernitur. Indignum quippe se hominem humatus existimavit [g], qui super hos artus deberet facere ses-

[a] Sepulta est in ecclesia sancti Cassii, ex libello de Ecclesiis Clarimont. a Savarone edito, cap. 9, ubi sacrum ejus corpus quievit usque ad nostram ætatem in arca lapidea, cum inscriptione veteri quam supra, not. *, dedimus. Primo sacrum ejus caput exinde extractum an. 1551 a Guillelmo *du Prat* episcopo Illidianis monachis datum est; tum integrum corpus in eamdem sancti Illidii ecclesiam fuit illatum, an. 1653, a Ludovico *de Stein* episc. Clarom., ubi reliquiæ asservatur.

[b] Basilica sancti Venerandi, 21 circiter pas ibus ab Illidiana, et paulo amplius ab ecclesia sancti Cassii dissita, etiamnunc superest in hortis monasterii Illidiani. De hac agitur in lib. de Eccles. Clarom. cap. 10, ubi complurium millium sanctorum corpora in ea quiescere dicuntur. Vide superius. Venerandum ex Paulino laudat Gregorius lib. II Hist. cap. 13.

[c] Sic omnes Mss. At Editi, *ejusdem vi erat illæsum, nullaque*, etc.

[d] Hodieque nomen ejus ignotum est.

[e] Hoc et sequens caput desunt in Clar. a.

[f] Sic SB. At Colb. a, Bad., Mor. et Chol., *Sculpti*; alii, *sculptis*. Bal., *multis*. Cæterum nulla jam extant inter has basilicas sepulcra. Vide cap. 34 not. *. Hanc porro Gallam confundit Baronius in notis ad 5 Octobris cum Galla sancti Eucherii uxore, cujus festum Ado 16 Novembris commemorat.

[g] Sic Edili. Laud. : *Indignum sibi, ut puto, hominem humatus existimans*. Colb. 2, *ut pote hominem.... his artubus*.

sionem. In hac enim basilica et beatus martyr Limi- A batur scandere : et quanquam coma [f] in sublimi producta excrevit, non tamen erat noxia capiti. Stupens visu abbas, compressit se paululum : ille vero completa oratione ad monasterium rediit. Abbas autem per viam aliam est secutus, multis postmodum opprobriis monachum arguens ad vanam gloriam coercendam [g], non tamen indicans quæ vidisset.

nius [a] est sepultus (*Circ. an.* 258, 29 *Mart.*) : cujus agonis historia cum ab incolis teneatur, nullus tamen ei cultus venerationis impenditur. Sunt enim ibi, ut diximus, illustrium meritorum viri, quorum nomina ignota incolis, scripta tamen, ut credimus, retinentur in cœlis [b].

CAPUT XXXVII.

De sanctorum Venerandi Nepotianique episcoporum sepulcris.

925 Est ibi et sepulcrum ipsius sancti Venerandi episcopi (*An.* 400, 18 *Jan.*), a quo hæc ædes nomen accepit, sub analogio compositum, super quod caput per fenestellam quicunque vult, immittit, precans quæ necessitas cogit, obtinetque mox effectum, si juste petierit [c]. Ibi et sanctus Nepotianus episcopus requiescit (*An.* 388, 22 *Oct.*), qui fuit in sæculo summæ vir sanctitatis, obtinens nunc cum Domini potentia, quæ ab eo fuerint implorata. Sæpe enim super hæc sepulcra [d] frigoriticorum oratio fusa desideratam obtinet medicinam.

CAPUT XXXVIII.

De monacho, quem orantem abbas spectabat.

Magna quondam fuerunt mundi luminaria quæ, ut sol radiis, ita mundum virtutibus illustrabant. Aiunt ergo in quodam monasterio fuisse monachum, qui cum apud alios juxta regulas monasteriorum orationi et lectioni insisteret, secretius tamen atque peculiarius omnipotenti Deo sacrificia reddebat orationum. Nam post impletum in oratorio cursum, elabebatur C clam a præsentia fratrum : et abiens inter condensas rubos, buxosque, et ilices, ubi jam spes erat quod a nullo nisi a solo inspiceretur Deo, prosternebat se in orationem. Verum postquam decumbens Dominum diutissime deprecatus fuisset, elevans se ab humo, erectis ad cœlum palmis atque luminibus, psalmorum tacite seriem recitabat : et in tanta compunctione cœlo erat intentus, ut rivi lacrymarum ab ejus oculis vehementer effluerent. Quod cum unus fratrum, cautius prosequens, prævidisset, abbati non siluit. Ille vero attentus quando ad hæc agenda properaret, **926** prosecutus est a longe, et prostratus solo spectabat [*Al.*, exspectabat] quid fidelis discipulus exerceret. At vero attentus a longe, vidit miraculum magnum. Nam ab utraque parte oris ejus flamma D processerat, et in longo paulatim deducta, quasi funiculus [e] super eum ascendit, conjunctaque simul pharum magnam effecit, quæ usque ad cœlos vide-

CAPUT XXXIX.

De igne qui a reliquiis sanctorum sæpe prorupit.

Mysticum, ut opinor, hic ignis continet sacramentum, et tenebræ sensus mei eum intelligere non queunt, qualiter apparens lumen tantum præbet, nec quidquam adurit : unum tantum scio, quod justis aut super justos apparent ista. Nam Moysi in rubo B reliquisque patribus apparebat in holocausto. Beati quoque Martini prorumpens e capitis vertice, cœlorum ardua penetravit [h]. Nam et Brachionem abbatem sæpius audivi referentem, sicut in libro (*Vit. Patrum cap.* 15) Vitæ ejus scripsimus, dum in antelicti pontificis basilica nocturnas excubias celebraret, et reliquiæ sanctorum a peregrinis delatæ super altare haberentur, subito globus ignis ab eisdem emergens usque ad cameram templi visus est conscendisse, sed non multis, ut ipse aiebat, ostensus est. Sic et in dedicatione oratorii nostri apparuit, sicut supra memoravimus (*Cap.* 20).

CAPUT XL.

De visionibus pro patris mei infirmitate habitis.

927 Sed [i] nec illud absurdum est credere, quod sæpius per visiones expertas Dominus revelare dignatur, qualiter aut honorentur sancti, aut infirmi medicamina consequantur. Nam recolo gestum in infantia, cum pater meus ab infirmitate humoris podagrici laboraret, et ardore febrium ac doloribus multis attenuatus, lectulo decubaret, vidisse me in visu noctis personam, dicentem mihi : Legisti, ait, librum Jesu Nave? Cui ego : Nihil aliud litterarum præter notas agnovi, in quarum nunc studio constrictus affligor. Nam hic liber prorsus an sit ignoro. Et ait : Vade, inquit, facitoque hastulam parvulam ex ligno, quod hoc nomen recipere possit, scriptumque ex atramento sub paterni capitis fulcrum colloca; erit enim ei præsidium, si quod loquor impleveris. Mane autem facto, matri quæ videram indicavi; jubet impleri visionis præcepta. Quod cum fecissem, statim genitor ab infirmitate convaluit. Decurso quoque alterius anni curriculo, iterum ab hoc incommodo

[a] De eo Gregorius lib. I Hist. cap. 31. Vide et Savaronis notas in cap. 10 libri de ecclesiis Clarom. Passus creditur in Chroci irruptione, quam Gregorius Valeriani et Gallieni temporibus, alii sæculi V initio consignarunt.

[b] Id indicat vetus inscriptio a Savarone laudata. Vid. cap. 34 not. *.

[c] De sancto Venerando egit Gregorius lib. II Hist. cap. 15. Ejus sacræ reliquiæ anno 1311 ab Arberto episcopo translatæ sunt in capsam simul cum sancti Ilidii corpore, rogante Guidone Scoto abbate monast. Ilidiani. Transl. festum recolitur 22 Decembris. De eodem sancto Bollandus die 18 Januarii.

[d] Corpus sancti Nepotiani ab Arberto episcopo diu frustra quæsitum inveniri non potuit : quare ejus sacri cineres, in ipso sepulturæ suæ loco remansisse creduntur. In vetustis tamen ecclesiæ Ilidianæ reliquiarum catalogis habetur corpus sancti Nepotiani. Hic autem B. Ilidio successerat ex Greg. Hist. lib. capp. 40 et 41.

[e] Colb. 2, Clar. a et Mor., *funiculus*. Confer cum cap. 20, supra.

[f] Colb. a, *coman... producta excrescerat*.

[g] Confer. cap. 54 libri IV Historiæ.

[h] Id narrat Sulpicius Severus, dialogo 2.

[i] Deest hoc caput cum seq. in Clar. a.

capitur : accenditur febris, intumescunt pedes, dolore pessimo nervi intorquentur. Hæc illo perferente, dum cum magno gemitu in stratu decumberet [*Al.*, decumberem], vidi iterum personam in visione interrogantem me, si librum Tobiæ cognitum nunc haberem. Respondi, quod non legerim. Qui ait : Noveris hunc fuisse cæcum, cujus filius, angelo comite dum iter ageret, in flumine piscem cepit, cujus, indice angelo, cor jecurque sustollens, patris subfumigat oculis, qui statim fugatis tenebris lumen recepit. Vade igitur tu, et fac similiter, et accipiet refrigerium dolorum genitor **928** tuus. Hæc matri cum referrem, confestim pueros ad amnem dirigit : piscis capitur, subtracta sunt de extis [a] quæ jussa fuerant, et prunis imposita. At ubi primum fumus odoris patrem attigit, protinus tumor dolorque discessit.

CAPUT XLI.

De sancto Germano Autisiodorensi.

Germanus [b] autem gloriosus confessor in urbe Roma [c] obiit (*An.* 448, 31 *Jul.*) : inde vero levatus post dies sexaginta, ad civitatem Autisiodorum delatus, sepulturæ mandatus est [d]. Tempore autem Teudechildæ [e] reginæ, Nunninus [*Al.*, Numnius] quidam tribunus, ex Arverno de Francia post reddita reginæ tributa revertens, Autisiodorensem urbem adivit, causa tantum religionis : provolutusque ad beati sepulcrum, cum diutissime orasset, extracto de vagina tigre [f], lapidem qui super venerabile sepulcrum habebatur, nemine videnti percussit. De quo excussa particula modica, tanquam æneus diriguit, ita ut nullum membrum posset ullatenus judicare, aut vocem emittere. Videntes autem eum pueri sic jacere, nesciebant quid ei evenisset. Accedens vero unus eorum, cum eum interpellasset, nullum ab eodem responsum accepit [g]. Tunc ille, ut erat rigidus, in corde intelligens se damnatum, vovit dicens : Scio me præsumptuosum exstitisse, beatissime Confessor, sed devotio exegit ut præsumerem : et ideo si me dignaris absolvere, et ad propria cum tua gratia redire permiseris, in basilica has reliquias condens, festivitatem tuam devotissime annis singulis celebrare curabo. Cujus clausum murmur vir Sanctus intelligens, eum absolvit, et abire eum permisit incolumem. Qui veniens reliquias illas in ecclesia posuit, et Sancti festa per singulos **929** annos fideliter celebravit. Quodam autem tempore ad supradictam basilicam, in qua reliquiæ conditæ sunt, cum Avito episcopo accessimus. Quo cum sanctus pontifex jejunus ingressus fuisset hora quasi decima, omnes qui cum eo eramus, odorem liliorum et rosarum naribus hausimus, quod nobis beati pontificis præstitum merito non ambigimus. Erat enim mensis nonus. Actum in vico Musiacas [h].

CAPUT XLII.

De Hilario Divionensi senatore.

Apud castrum Divionense Hilarius [i] quidam ex senatore, a Calminio senatore, ut scribit Savaro, conditam, et a Pippino rege restauratam. Hæc dicta vulgo *Mauzac* seu *Mozac*, in pago Ricomagensi sita, postea Cluniacensi ordini subjecta est, hodieque subsistit sancti Austremonii corpore illustrata.

[i] Laud., Bell. et Colb. a, *Helarius*, et sic passim, aut *Elarius*. Hoc caput laudat Chronicon sancti Benigni Divionensis ex Gregorii *libro de Viris illustribus* ubi Hilarii conjux appellatur *Quitta* ; ibique dicuntur *sancti*, et parentes fuisse sancti Joannis abbatis Reomaensis, de quo infra, cap. 87. Quod diserte traditur in ejusdem sancti Vita, ab auctore subpare scripta, in sæc. II Benedictino ad an. 539. Inficiatur tamen Cointius, ad an. 534, Joannem ab his natum fuisse. Eorum translatio memoratur in Martyrologio ms. die 1 Julii. —In cap. 42 et duobus sequentibus memorantur quidam sancti apud Divionem celebres, in variis basilicis prope urbem sepulti. Ibi autem cœmeterium primitus exstitisse constat, ubi sanctus Benignus sepultus fuerat. Et licet crypta super ejus tumulum exædificata fuisset, ignotus tamen erat loci incolis, imo et ipsi episcopo sancto Gregorio, qui revelatione divina didicit inibi jacere beatum martyrem, quod, uti habet Gregorius libro de Gloria mart., cap. 51, occasionem præbuit *magnæ* super cryptam basilicæ exædificandæ, in qua beatus antistes monachos constituisse dicitur sub Eustadii abbatis regimine. Vicina erat huic basilicæ alia sub sanctæ Paschasiæ patrocinio, ubi ipsa jacebat. Nec procul aberat baptisterium sub utriusque sancti Joannis, Baptistæ scilicet et Evangelistæ, patrocinio, ab ipso Benigno, ut ferebant, consecratum, ubi et sanctimonialium congregationem exstitisse affirmat Chronici Benigniani auctor. Hac in ecclesia sepulti fuere sanctus Urbanus aliique complures Lingonum episcopi, ex quibus celebres exstitere ipsemet Gregorius, et Tetricus ejus filius et successor. Qua autem in ecclesia sepultus fuerit primitus Hilarius cum ejus conjuge Quitta, et sancta Florida, non exprimit Gregorius, qui has omnes ecclesias uno nomine *basilicas* appellavit lib. IV Hist., cap. 16, in quas admissus fuit a Tetrico episcopo Chramnus, qui, Chlotarii patris metu fugiens, *intra muros Divionenses intrare permissus non fuerat*. Ex his hodieque duæ aut tres perseverant, sed intra urbis muros inclusæ. Quarum, et cæterarum urbis, princeps est basilica sancti Benigni cum adjuncto monasterio ordinis Benedictini ex cong. sancti Mauri. Altera sancto Joanni dicata est, paro-

[a] Colb. a, *sublatisque de... imposuit.*

[b] Deest hoc caput in Colb. tut. Ipsum tamen et sequens sub nostri Gregorii nomine refert integrum Hericus de Mirac. sancti Germani, cap. 29 et 30.

[c] In Colb., a emendatum est antiqua manu *Ravenna*. Sic et habet Bad. cum Herico, et quidem sanctus Germanus Ravennæ obiit.

[d] In percelebri monasterio, quod sub ejus nomine hodieque subsistit Autisiodori. Ejus sacrum corpus a Calvinianis hæreticis sæculo superiori combustum est. Superest lapideum sepulcrum cum aliquot ossibus, sicut et sudarium aquilis imperialibus ornatum, in quo a Placidia Augusta beatus ille pontifex sepultus fuerat. Ejus Vitam scripsit Constantius presbyter ejus discipulus, quam habes apud Surium. Plerique ejus sedis successores juxta ipsius tumulum sepeliri voluerunt, quorum sepulcra hodieque in crypta subterranea visuntur, cum sacris eorum reliquiis. Missa de sancto Germano primo loco habetur in Missali Gallicano, apud Mabillon. lib. III Liturgiæ Gallicanæ.

[e] De hac vide notas in cap. 26 libri IV.

[f] Bad., *ense*. In Bell., al. manu, sed antiqua, sic emendatum est : *extractumque gladium de vagina tigre*, etc. Quartum pro sexto casu adhibet.

[g] Laud. Bell. et Ed., *et nullum ab... accepisset.*

[h] Sic Hericus de Miraculis sancti Germani, cap. 30. At Laud. et Bel. cum ipso Herico in cod. Vindocinensi, habent *Musciacas*. Videtur esse locus hodieque percelebris ob insignem abbatiam ord. sancti Bened.

natoribus habitavit, habens conjugem, ex qua et filios dicitur suscepisse (*Sæc.* v, 28 *Nov.*). Sed omnem domum suam ita in castitate atque omni puritate tam animi quam corporis excolebat, ut nullus ibi adulterium exercere præsumeret, essetque impletum in hac domo, quod dudum sancto repletus Spiritu Apostolus prædicavit : *Honorabile connubium, et torus immaculatus* [a] (*Heb.* XIII, 4). Illic itaque tam inter dominos, quam inter famulos castitate pollente, obiit vir ille : qui qualis quantusque fuerit juxta sæculi dignitatem, sepulcrum ejus hodie patefacit, quod marmore Pario sculptum renitet. Quo defuncto, et juxta humanam consuetudinem sepulturæ mancipato, mulier deducto anni circulo ægrotavit, obiitque atque abluta est. Et quoniam sepulcrum illud tam immensum erat, ut ipsam juxta imperium viri susciperet, amoto operto- B rio, dum locaretur in tumulo, subito elevata viri [*Al.* vir] dextera conjugis cervicem amplectitur. Quod admirans populus, deposito secessit **930** opertorio cognovitque quæ eis castitas, qui timor in Deum, quæ etiam inter ipsos dilectio fuisset in sæculo, qui se ita amplexi sunt in sepulcro.

CAPUT XLIII.

De sancta Florida et Paschasia.

In hac autem basilica et sancta Florida [b] quiescit (*An.*...., 10 *Jan.*), quæ, ut ferunt incolæ, veste mutata, religiosa valde fuit. Est haud procul et alia basilica, in qua Paschasia [c] sancta quiescit (*An.* 177, 9 *Jan.*). Hæc fertur apparuisse structoribus basilicæ sancti Benigni martyris, qui secus habetur, hortans C ut ad opus cœptum insisterent, scirentque se Martyris adjutorio adjuvari. Quæ in basilicam suam regressa nusquam comparuit.

CAPUT XLIV.

De sancto Tranquillo episcopo.

In [d] hoc loco et Tranquillus beatus confessor requiescit, super terram sepulcrum habens, de quo magnum beneficium præstatur petentibus (*Sæc.* VI, 15 *Mart.*). Nam de mussulis [e] supernatis medicamina populi promerentur, unde ego valde experimentum tuli. Namque cum manus meæ minutis efferbuissent pusulis, et dolores pessimos ob hoc graviter sustinerem, de hac mussula tactas, quiescente humore, protinus retuli sanas.

CAPUT XLV.

De Severino Burdegalensi episcopo.

Habet [f] et Burdegalensis urbs patronos venerabiles (*An.* 400, 23 *Octob.*), qui sæpius **931** se virtutibus manifestant, sanctum Severinum episcopum suburbano murorum summa excolens fide : et licet jam dixerimus in prologo libri hujus, ut ea tantum scriberemus quæ Deus post obitum sanctorum suorum eis obtinentibus est operari dignatus, tamen non puto absurdum duci, si de illorum vita memoremus aliqua, de quibus nulla cognovimus esse conscripta. Sanctus igitur Severinus, ut ipsorum Burdegalensium clericorum fidelis ratio profert, de partibus Orientis [g] ad eamdem destinatur urbem. Dum autem iter ageret, et ecclesiam Burdegalensem Amandus [h] episcopus regeret (*An.* 400, 18 *Jun.*), apparuit ei Dominus in visu noctis, dicens : Surge, et egredere in occursum famulo meo Severino : et honora eum sicut C honorari Scriptura sancta docet amicum Divinitatis; melior est enim te, meritisque sublimior. Exsurgens autem Amandus episcopus, accepto bacillo in manu sua, perrexit in occursum ejus, nihil de viro sancto

chiali titulo insignita, sicut et tertia, hodie sub sancti Philiberti nomine nota, Benignianæ proximior, sed cujus origo incerta est. Benigniana autem basilica restaurata fuit anno 1003 a Willelmo pliissimo abbate, cujus descriptionem habes in sæpe laudato ejusdem loci Chronico. In illius parte orientali visitur crypta cum oratorio sancti Joannis Baptistæ terno columnarum ordine fulto, cui supereminet octogoni operis ædicula beatæ Mariæ nuncupata, sexaginta octo columnis subnixa. Quo autem ordine sæculo XI sanctorum corpora in ea basilica disposita fuerint, ex eodem Chronico discimus, ubi hæc leguntur : « Eustadius... meruit sepulturam juxta corpus sancti Benigni martyris. Cui successit Tranquillus, (qui) sepultus est ad D dexteram partem sepulcri sancti martyris Benigni, juxta sanctam Paschasiam, juxtaque eum posita fuit sancta Florida. Ex altera vero parte juxta sanctum Eustadium sepulcrum fuit sancti Hilarii senatoris conjugisque ejus sanctæ Quittæ. » Hodie vero in ipsa inferiori crypta visitur sepulcrum lapideum sancti Benigni cum aliis tumulis circumpositis, sed ignotorum. Sancti vero Martyris corpus in theca ditissima inclusum asservatur; at cæterorum sanctorum reliquiæ, excepto sanctæ Paschasiæ capite, vel hactenus in terra sepultæ jacent, aut certe cum aliis ignotis permixtæ sunt in capsis duabus ligneis auro finitis, quæ in monasterii sacrario asservantur.

[a] Colb. a, *honorare... et toros immaculatos.*

[b] Ejus corpus prope sancti Benigni sepulcrum jacuisse testis est auctor Chronici sancti Benigni. Nullum fit de ea officium. Vide cap. 42, not. c.

[c] Idem habet Gregorius supra, lib. I de Gloria Mart., cap. 51. Hæc autem dicitur in Chronico sancti Benigni *virgo et martyr, per ignem martyrio* consummata, postquam a *sancto Benigno edocta ac baptizata* fuisset. Altare in ejus honorem construxit B. Guillelmus abbas sancti Benigni sæculo XI. Ejus translatio consignatur die 1 Julii in Martyrologio ms., ubi et ejus festum die 9 Januarii memoratur, qua die colitur in variis Burgundiæ ecclesiis.

[d] Hoc caput deest in Clar. a. Laudatur tamen in Chronico sancti Benigni, ubi Tranquillus Eustadio monasterii Benigniani primo abbati successisse dicitur. Festum ejus nusquam celebratur, nec fuit episcopus. De ejus sepultura vid. cap. 42 (in fine notæ *i*).

[e] Bel., *mussulis.* Bad. et infra, *musco;* vulgo dicimus *de la mousse.*

[f] Hoc caput et quatuor seqq. desunt in Clar. a.

[g] Hunc tamen Severinum ipsum esse putant, qui Coloniensi ecclesiæ præerat tempore sancti Martini. Cujus obitum divinitus, licet absens, cognovisse dicitur lib. I de Mirac. sancti Martini, cap. 4. Quæ omnia fuse describuntur in sermone ab antiquo auctore edito apud Surium die 23 Octobris, ubi plura de ejus morte, sepulcro, et translationibus habentur. Quidam autem Severinum hic memoratum e Trevirensi episcopo ad sedem Burdigalensem transiisse volunt, quos refellit Cointius ad an. 397, n. 9. Vide Lopesii Historiam.

[h] Hunc ex Paulini epistola laudat Gregorius inter sanctissimos præsules lib. II Hist. cap. 13. Sed et ad eum scripsit aliquot epistolas idem Paulinus, quæ exstant. Ejus reliquiæ in ecclesia sancti Severini conquiescunt.

sciens, nisi quæ Dominus revelasset. Et ecce sanctus Severinus veniebat quasi obviam ei. Tunc appropinquantes sibi, ac propriis se nominibus salutantes, ruunt pariter in amplexus, osculatique, fusa oratione, ecclesiam cum magno psallentio sunt ingressi. Quem deinceps in tantum dilexit ac veneratus est Amandus episcopus, ut eum in locum suum substitueret, ac ipse quasi junior haberetur. Denique post paucos annos, obiit beatissimus Severinus : quo sepulto, Amandus episcopus recepit locum suum, quem ei non dubium est per obedientiam redditum, quam in Dei Sanctum exercuit. Ex hoc incolæ, cognita ejus sanctitate, patronum sibi asciscunt, certi quod si quandoque urbem aut morbus ebrepat, aut hostilitas obsideat, aut aliqua querela percellat, protinus concurrentes populi ad basilicam [a] Sancti 932 indictis jejuniis, vigilias celebrant, devotissime orationem fundentes, et mox ab imminenti calamitate salvantur. Vitam tamen hujus, postquam hæc scripsimus, a Fortunato presbytero conscriptam [b] cognovimus.

CAPUT XLVI.

De Romano ejusdem urbis presbytero.

Habetur in hoc territorio et sanctus Romanus presbyter, quem, ut scripta Vitæ ejus edocent, Martinus noster sepulturæ locavit (*An.* 382, 24 *Nov.*). Est autem sepulcrum ejus contiguum Blaviensi castello [c] super littus amnis Garonnæ, in quo sæpius naufragio perituros virtutis quæ salvat occursu, proclamantes inter fluctus torrentis undosi : Miserere nostri, sancte Romane confessor Dei. Sed mox sedata tempestate, optato littore potiuntur. Nec fas est tamen ullum perire naufragio, qui ejus basilicam amnis de medio contemplari meruerit. Quod et nos valde in grandi necessitate experti sumus. Nam cum imber creberrimus per multos defluens dies, amnem Garonnam extra littora ejecisset, atque impellente vento validis fluctibus exundaret, elevarenturque fluctuum montes validi, qui non parvum intuentibus ingererent metum, exoratus beatus Confessor obtinuit, sicut credimus, virtutis suæ suffragio, ut compressis fragoribus, planum præberet fluminis alveum : et sic ingressi navem, ad ripam alteram sine periculo sumus devecti.

CAPUT XLVII.

De duobus presbyteris psallentibus.

Sunt etiam sub ejusdem territorii vico sepulti duo presbyteri (*An.*....), ut res 933 ipsa declarat, egregiæ sanctitatis viri. Nam eos post sepulcra vivere, ipsius rei miraculum quæ geritur manifestissime docet. In una quidem sunt sepulti basilica, sed e diversis parietibus. Nam unius eorum sepulcrum a parte Austri, alterius habetur ad Aquilonem. Igitur cum ad implendum officium clerici psallentium cœperint exercere, et, choris a se factis, Domino turba canora concinere, misceatur publice [*Al.*, publica] vox utriusque psallentio : et unus quidem chorus unius vocis adjutorio adjuvatur, alius vero alterius vocis modulamine convalescit. Tantusque est suavitatis hujus concentus, ut audientium sæpe mulcent attentos audibus. Probantur et cum his pleraque indulgeri beneficia, si fidelis oratio præmittatur. Agitur autem hoc in vico Vo[illegible]ellacensi [d]

CAPUT XLVIII.

De Ecclesia Reontiensi.

(*Sæc.* v.) Haud secus et Reontio [e] villa est in qua cum esset ecclesia Catholica, advenientibus Gothis, ad suam sectæ immunditiam eam transtulerunt. Est autem secus eam domus magna, cumque adveniret vigilia Paschæ, hic cum hæreticorum sacerdotibus parvulos in ecclesia nostra tinguebant [*Mss.*, tingebat]; ut negato scilicet sacerdoti aditu baptizandi, facilius ad hanc sectam populus implicaretur. Sed ille sagaci intentione, dum ii in ecclesia nostra essent, hic præparato ministerio, in domo eorum baptizare cœpit, illis in ecclesia baptizantibus : sed præcurrente divina 934 ultione de infantulis quos ibi hæretici tinxerant, id est bis denos, nullus ad Clausum [f] pertingere potuit vivens. Quod videntes hæretici, et domum suam ecclesiam fieri timentes, presbytero suam ecclesiam reddiderunt. De his vero quos ille baptizavit, nullus eo tempore est defunctus, nisi quem Dominus post legitimam ætatem vocare dignatus est.

CAPUT XLIX.

De Justino et Misilino [Al., *Similino*] *presbyteris.*

Infra terminum autem Beorretanæ urbis, in vico Sexciacensi, sanctus Justinus [g] presbyter quiescit

[a] Exstat etiamnunc apud Burdegalam, abbatiæ titulo decorata, quam olim canonici regulares Augustiniani, hodie vero sæculares obtinent.

[b] Hanc deperditam esse dicit Brouverus in ejusdem Fortunati Vita cap. 5.

[c] Ibi etiamnunc visitur abbatia sancti Romani, quam Augustiniani canonici regulares possident. De castro Blavio, vulgo *Blaye*, infra confluentes Garumnæ et Duranii, in diœcesi Burdigalensi, vide Valesii notitiam Galliarum. Sigibertus ad annum 385, quem penultimum Gratiani imp. fuisse dicit, ac proinde annum 382, hæc habet : *In Gallia sanctus Romanus Blaviensis obiit...*

[d] An vicus *Bouliac*, seu, ut illi pronunciant, *Vouliac*, vulgo dictus, qui est inter duo maria, id est Garumnam et Dordoniam?

[e] Castrum est hodieque notum, vulgo Riuntium, *Rions*, dictum, ad Garumnam positum supra Burdegalam.

[f] Bal., *claustrum*, mendose. Nam Clausum Paschæ, id est Dominica in Albis, in Octava Paschæ hic designatur.

[g] Bel., *Justissimus*; alterum vero Laud., Col. a et Bell. Similinum in indice appellant. Sanctum Justinum episcopum cum sociis tribus *Begorra civitate* celebrant vetera Martyrologia die 1 Maii. Quin et Justini confessoris, cujus corpus apud vicum Partiniacum in partibus Wasconiæ servatur, vitam exhibet sed fabulosam, Labbeus tomo II Biblioth. novæ, pag. 579. Cujus festum ibi dicitur 3 Maii celebrari; eumque eumdem esse cum Bigorritano censet Papebrochius die 1 Maii Bollandiani. Justinum et Similinum laudat Ferrarius die 17 Septembris ex Molani additionibus, quos in agro Turonensi ex Gregorio nostro celebres esse scribit. Hunc secutus est Saussayus in supplemento Martyrol. Gallicani, ubi et commemorat die 24 Maii Missolinum, qui in Tarbensi ecclesia colitur. — Hujus Misselini, vulgo *saint Mesclin*, sepulcrum marmoreum visitur pone majus altare ecclesiæ parochia-

1 *Maii*). Qui cum multis virtutibus polleat, sæ- ad sepulcrum ejus energumeni declamantes antur. Hujus meritis ac sanctitate propinquus silinus, qui ejusdem ordinis officium in Ecclesia t: qui apud Talnam vicum hujus territorii it, similibus florens virtutibus.

CAPUT L.

De sancto Severo presbytero.

urbe et termino sociatus [a] sanctus Severus [b], s presbyter ordinatus, nobili stirpe progenitus 00, 1 *Aug.*). Nam in rure domus Sexciacen- iod in ejus sessione subsistebat, ecclesiam ædi- : exinde iterum in alia villa aliud ædificavit im Dei, utrumque tamen sanctorum [c] reliquiis nivit. Cum autem dies [d] **935** Dominicus ad- et, celebratis missis uno in loco, ad alium per- Erat autem inter utrasque ecclesias spatium, millium viginti. Hoc ei erat opus per singulos ieos dies. Factum est autem quadam Domini- m hoc iter tereret, et velocius cornipedem calce ans properaret, caput ejus ramus mespoli [e] s percuteret. At ille injuriam sentiens, ait : ere te jubeat Deus, cujus nutu de terra egressa t confestim aruit arbor usque in ipsis virtutis idicibus. Ille vero accedens quo ibat, celebratis iis, fuit in eodem loco tribus diebus. Quarta die regressus, cum vidisset arborem aridam, æ mihi qui in amaritudine cordis maledixi huic . Et ecce enim qualiter aruit. Et descendens avit se ad radices ejus, et ait ad Dominum : omnipotens, cujus nutu omnia gubernantur, imperio non nata creantur, creata vivunt, mor- eformantur : cujus salubre præceptum te- , vivere nos post mortem corporis hujus credi- per futuram resurrectionem, tu præcipe ut re- at hæc arbor, et sit sicut antea. Et statim quasi

A per aliquam venarum dispositionem humor a terra consurgens, per totos arboris patulæ ramos uberi irrigatione diffunditur, laxansque nodos arentes, prorumpentibus foliis, revixisse ab astantibus est mirata. Magna enim illi fuit virtus ac eleemosyna, ita ut, sicut superius dictum est, de domibus suis ecclesias faceret, ac facultates suas in cibos pauperum erogaret. In una vero earum sepulcrum suum deposuit, in quo et sepultus est. Solitus erat namque flores lilliorum tempore quo nascuntur, colligere ac per parietes hujus ædis appendere [f].

CAPUT LI.

De lilio sepulcri ejus.

Unde qualis fuerit vita ejus in hoc sæculo, ita Domino cooperante **936** claruit, ut evidentibus nunc prodigiis designetur. Igitur lilium, quod diximus ab eo collectum, atque in basilica sepulcri ejus positum, prætereunte tempore, laxatis deorsum florum foliis, arente coma emarcescit : et ita siccatum videtur, ut si contingatur manu, putetur in pulverem extemplo resolvi, totumque annum in hac ariditate perdurat. Adveniente vero die, quo Confessor migravit a corpore, in rediviva viriditate resurgit. Videasque foliis paulatim revirentibus ipsos flores attolli, et sine ullo aquæ ac telluris humore, in ea specie qua quondam fuerat, renovari. Et sic beatus Confessor profert novos flores e tumulo, qui cum sanctorum reliquis [*Al.* reliquiis] ut palma floret in cœlo.

CAPUT LII.

De sepulcris quæ elevantur.

Sub termino quoque Vici Juliensis sunt tres presbyteri consepulti, ut fertur per antiquam relationem (*An...*), nullius consanguinitatis propinqui vinculo nisi tantum in amore Dei socii, e cœlo fratres effecti, qui unius loci spatium, sepulcris juxta posi-

ncti Joannis apud Tarbam quod, cum a biennio riis generalibus illust. episcopi fuisset apertum, m omnino repertum est. Supplicatio generalis cleri ipsius die festo 24 Maii celebratur. De o autem et vico Sexciacensi hæc accepimus dita quæ ad librum de Gloria Confessorum obrimus. Haud procul a parochiali ecclesia vici ici seu Sexciacensis, ut appellat Gregorius, *Sers*, visitur in monte edito vetus oratorium destructum cum cellulis duabus, sub Justini e Deo sacrum ; ubi fortasse idem sanctus Gretemporibus quiescebat. Taluæ vicum nescio ; icum autem in valle Baregiensi situm est in co- Bigorritano, sex circiter leucis ab urbe Tarba am.

Clar. a, detrita priori scriptura, id substitui- æ æquali manu, *Infra terminum Beorritanæ* Quod scilicet, uti videtur, relictis his verbis : *rbe*, etc. Nullus esset sensus omisso præcedente . Hinc tamen patet ipsum data opera fuisse um.

d., *Severinus*. Hunc nonnulli post Rosweydum t esse Severum Sulpicium beati Martini discii, qui præter Historiam sacram, et alia opuscua ejusdem sancti Vitam descripsit. Exstat in si Tarbensi, *Tarbes en Bigorre*, monasterium Severi, de Rostagno dictum, ut putant, a Severo hic memorato. Et quidem lilii revives-

centis miraculum apud se patratum probant loci incolæ, non ex veteri solum traditione, sed etiam quod sculptum fuerit super veterem conchiam, in qua sacrum beati viri corpus, post primam ejus elevationem, ante annos 700 depositum est. Idem sancti Severi corpus cum aliis reliquiis combusserunt Calviniani an. 1573; monasterium vero hactenus subsistit ord. Benedictino sub congr. sancti Mauri addictum, ubi sancti Severi festum celebratur die 1 Augusti. — Unus e nostris monuit me miraculum arboris quæ sancti Severi precibus aruit, et postea ad pristinum statum eodem orante restituta est, repræsentatum videri in sepulcro sancti supra memorato.

[a] Sic Bell. et Colb. 2; cæteri vero, *duas ecclesias ædificavit, templum Dei sanctorum*, etc.

[b] Nota ab uno presbytero binas missas Dominicis singulis dictas fuisse.

[c] Bad., *mespuli*. Cæteri editi, *mespili*, quod re ipsa est hujus arboris nomen.

[d] Mos fuit etiam primis Ecclesiæ sæculis ædes sacras, ac martyrum sepulcra floribus adornare. Ea de re Nepotianum laudat Hieronymus in ejus epitaphio, et Radegundem Fortunatus lib. VIII epigram. 9. Ad id invitat fideles Paulinus poemate 14, et Augustinus miracula narrat, lib. XXII de Civ. Dei cap. 8, quæ per ejusmodi flores reliquiis sancti Stephani admotos facta fuerant.

tis, assiduitate miraculorum illustrant. Qui cum multorum annorum curricula in his ubi sepulti sunt loculis quiescerent, scissum nuper pavimentum, quod calce atque comminuta testa quasi silex durissima fusum erat, unius sepulcri cacumen apparuit. Quo paululum elevato, tellus scissa apicem alterius patefecit. Illoque emicante, secutus est tertius tumulus, qui nunc juxta initium ostensionis suæ gradatim elevantur super terram [a]. Sed nunc jam primus liber a mole terrena, liberum se visibus præstat humanis; duo adhuc sequuntur, sed annis singulis proficiunt ad egressum. O admirabile mysterium Deitatis! quod artuum sepultorum puritatem manifestat sæculo, dum prodit e pavimento, et præparat ad **937** resurrectionem non vermi non morituro [b] dandos, sed luci solis claritati æquandos, ac dominici corporis conformatione clarificandos. Sunt autem hæc sepulcra infra terminum quem superius diximus, apud vicum Atroam [c].

CAPUT LIII.

De sepulcro Thaumasti episcopi.

Thaumastus [d] quoque, juxta expositionem nominis sui, admirabilis sanctitate, Momociacensis urbis fuisse fertur episcopus: de qua urbe nescio qua causa demotus, Pictavum oppidum petiit, ibique præsentem vitam, in bona perdurans confessione, finivit (*An...* 1 *Jan.*). Cui quæ sit merces in cœlo, ad ejus ostenditur tumulum; eumque inhabitare paradisum prodit virtus egrediens de sepulcro: illudque in eo veraciter ostenditur, quod Dominus Jesus Christus in Evangelio Marthæ dicit: *Qui credit in me, etiam si moriatur, vivit* [e]: *et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum* (*Joan.* XI, 25, 26). Hic ergo super terram sepulcrum habet ante ipsum atrium beati Hilarii. De quo tumulo erasus a multis pulvis, et haustus, ita dolori dentium febriumque medetur, ut qui hauserit, miretur effectum. Nam ita hæc benedictio assidue expetitur, ut jam in uno loco sarcophagus appareat transforatus.

CAPUT LIV.

De Lupiano confessore.

Infra ipsum Pictavorum terminum, qui adjacet civitati Nemeticæ **938** id est, in vico Ratiatensi [f], Lupianus quidam in albis transiens requievit (*Sacr.* IV, 11 *Oct.*). Hic fertur a beato Hilario antistite donum baptismatis suscepisse; sed mox, ut diximus, migravit a corpore. Cui a Deo bonorum omnium largitore tanta est gratia attributa, ut ad ejus sepulcrum cæcus visum, paralyticus gressum, mutus mereretur eloquium.

CAPUT LV.

De Melanio Rhedonensi episcopo.

Melanius [g] autem Rhedonicæ urbis episcopus, post innumerabilium signa virtutum, jugiter intentus cœlo emicuit sæculo: super cujus sepulcrum miram Christiani fabricam celsitudine levaverunt (*An.* 530, 6 *Nov.*). Sed instinctu maligni, qui semper bonis adversatur operibus, quodam tempore ab igne comprehenditur. Palla etenim erat linea [*Ed.* lignea], quæ sanctum Confessoris tegebat sepulcrum: illicet, ubi lignorum congeries flamma dominante truncatur, ruunt tegulæ cum ligaturis, et reliquo tecti apparatu. Una tamen e trabibus flammato capite impetu ruinæ propulsa, super tumulum Sancti ruit. Quæ non modo succendere pallam, verum etiam conterere inter se et lapidem sepulcri potuerat. Ruit insuper et immensa multitudo carbonum. Alia quoque vela, quæ vel parietibus vel ostiis dependebant, ad primum flammæ flatum exusta sunt. Hæc vero palla non solum non usta, verum etiam nec summo tenus ab igne decolorata est [h]. Igitur expleto incendio, ingrediuntur populi cum ejulatu magno, et usque ad **939**

[a] Canonizatio olim per elevationem corporis defuncti a terra fiebat, super quod altare erigebatur. Unde magnum sanctitatis indicium erat, si miraculo alicujus sepulcrum a terra absque hominum ministerio elevabatur. Quod sancto Droctoveo primo sancti Germani a Pratis abbati contigit, ex ejus Vita, num. 18, sæc. 1 Act. sanctorum ord. Bened., pag. 257: « Urna ejus tumuli per aliquot annos commota paulatim super terram exegit altare. Habitationem quippe in terra viventium adeptus fuerat, morari inter sinibitum terræ morientium penitus non debebat. »

[b] Clar. a, cum Ed.: *Non vermi morituros dandos.*

[c] Forte legendum *Atora*, seu *Atura*, unde nomen Vicus Julii acceperit, quod hodieque retinet, vulgo *Aire*.

[d] Hoc caput et quinque seqq. non habet Clar. a. Mss. omnes cum Bad., *Theomastus*, præter Antuerpiensem, qui habet *Thomastus*. Nominis etymon quod Gregorius affert, nostram lectionem exigit. Mirum est hunc sanctum nequidem in ecclesia sancti Hilarii Pictavensis celebrari, nec in litaniis Pictonicis Ludovici Castanæi, ubi solummodo in addendis habetur ex hoc Gregorii loco. Sepulcrum tamen ejus visitur in oratorio sancti Bartholomæi prope sancti Hilarii basilicam, et quidem celebre ob colicos dolores, quos in pueris sedare dicitur. De urbe vero Momociacensi diximus ad lib. IX Hist. cap. 29, quam Mogontiacensem esse plerique volunt, Labbeus et Castanæus Mimatensem. In tabulis geographicis veteris Galliæ supra Mosam fluvium habetur in Rhemorum finibus, *Momoriacum*, eo loco, ubi situs est Mosomagus, oppidum jam tunc temporis celebre, vulgo *Mouson*. At nusquam legitur ibi episcopum sedisse.

[e] Ed., *mortuus fuerit vivet.*

[f] Celebris fuit locus ille, qui pago nomen dedit, indeque nonnulli Pictonum antistites *Ratiatensis episcopi* titulum tulere. Variæ autem sunt sententiæ de hujus loci situ. Vide notitiam Gall. Valesii. Lupiani festum aliquot Martyrologia die 1 Januarii celebrant et translationem apud Clarummontem die 1 Julii, quem ideo suspicantur nonnulli fuisse Arvernum, et alium a sancti Hilarii discipulo.

[g] Hoc caput deest in Colb. tut. Sanctus Melanius subscripsit concilio Aureliau. an. 511. Obiit an. 530, die 6 Novembris, quo apud Rhedones colitur, aut certe an. sequenti, si verus obitus dies in Martyrologio Romano assignatur VIII Idus Januarii. Vide Continuum ad an. 530, num. 7 et seqq., et Bollandum ad diem 6 Januarii, ubi ejus Vita exhibetur. Sacrum ipsius corpus asservatur in monasterio ejus nomini dicato ord. sancti Benedicti et cong. sancti Mauri, cujus loci, uti videtur, abbas fuit Bertulfus, qui conc. Cabilonensi, an. 650, pro Dur.otero epi c. Redonensi subscripsit.

[h] Laud. cum Ed., *dedecorata est.*

sepulcrum Antistitis properant, inter fletus et lacry- A mas nova gaudia percepturi : removent desuper tumulum ligna cum flammis, apprehensumque tumuli velum, excussis prunis, mirantur omnes illæsum.

CAPUT LVI.

De Victorio Cenomanorum episcopo.

Victorius [a] Cenomanorum episcopus, magnis se virtutibus sæpius declaravit (*An.* 490, 1 *Sept.*). Nam ferunt quadam vice, dum civitas ipsa cremaretur incendio, et validis globis flammæ huc illucque impellente vento propellerentur, hic quasi pastor bonus non perferens ecclesiasticas caulas ab insidiis Satanæ devastari, obviam se turbini obtulit, elevataque manu, facto signo crucis e contra, illico omne cessavit incendium, liberataque civitas gratias Pastori B retulit, eo quod non permiserit res suas ab imminenti igne vorari. Et ad hujus sepulcrum sæpius infirmi sanantur.

CAPUT LVII.

De Martino abbate Santonicorum.

Martinus Santonicæ urbis abbas, Martini, ut ferunt, nostri discipulus, apud vicum urbis ipsius, in monasterio [b] quod ipse post magistri dogmata ædificavit, in pace quievit (*An.* 400, 7 *Dec.*) : ad cujus tumulum quidam [*Ed.*, quædam] e plagensibus manus contractas deferens, retulit sanas. Alius qui exustis humoris febre nervis, poplitibus intortis, gressu caruerat, ut ad sepulcrum sanctum prostratus est, novum robur sumens, ariditate sublata, incolumis C relatus est, **940** multos ibi deinceps serviens annos. Hujus sepulcrum Palladius episcopus, cum non valuisset cum multis, opitulante adjutorio Confessoris, cum quinque abbatibus movit, composuitque quo voluit.

CAPUT LVIII.

De Bibiano ejusdem urbis episcopo.

Suburbano quoque urbis hujus Bibianus antistes quiescit [c] (*An.*... 28 *Jul.*) : cujus virtutum moles liber qui jam de ejus Vita scriptus tenetur enarrat : nunc autem exoratus, crebro languentibus tribuit sospitatem. Unde videtur ut de tantis miraculis vel unum fari præsumam. Mulier enim cujus manus arueraut, unguibusque jam sauciatæ [*Colb.* 2, sauciata], contractis nervis, opus operandi perdiderant, ad Beati sepulcrum devota prosternitur, factaque oratione, manus redintegratas, laxatis digitorum filis, ad agendas Domino gratias meruit elevare.

CAPUT LIX.

De Trojano ipsius civitatis episcopo.

Trojanus item pontifex ipsius civitatis, huic conjunctus cœlo, vicinus est tumulo [d] (*An.* 532, 30 *Nov.*). Magnæ enim virtutis fuisse dicitur hic sacerdos. Quodam vero tempore, dum inter obscura noctium tempora loca sancta, quæ tunc in circuitu urbis habebantur, uno tantum subdiacono comite circuiret, apparuit ei globus magnus luminis, quasi de cœlo descendens. Cognita autem vir Dei re, ait comiti : Ne sequaris penitus, donec ego te vocem. At ille terræ devolutus, spectabat haud procul quidnam **941** miraculi ageret Dei servus ; erat enim ager publicus in quo constiterat. Appropinquante vero lumine, cucurrit sacerdos ad occursum ejus, et usque ad terram se humilians, ait : Benedic, quæso, mihi, beate pontifex. Cui ille qui advenerat, ait : Tu mihi benedic, sacerdos Dei Trojane. Et dato sibi osculo, facta oratione, locuti sunt diutissime simul. Subdiaconus vero attonitus, spectans vidit lumen quod apparuerat, eadem qua venerat via reverti. Vocatoque ad se subdiacono, ait : Accede nunc, ut explicemus

[a] Victuro patri suo successit, a sancto Martino, cujus discipulus fuerat, ordinatus. Sedit annos unum et quadraginta, menses sex, dies decem, ante et post obitum miraculis clarus, ut testatur auctor Gestorum episc. Cenomanensium, cap. 6, tomo III vet. Analect. Mabillon. editus, qui vetus auctor Vitam ejusdem sancti viri a se scriptam laudat. Interfuit concilio Andegav. pro ordinatione Talasii an. 453, et Turon. I, an. 461. Scripsit epistolam cum Leone et Eustochio ad episcopos Lugdunensis Ecclesiæ quæ exstat. Obiit Kal. Septemb. Fausto juniore et Longino his consulibus.— Pater vero ipsius obiit die 25 Augusti. Uterque sepultus est in ecclesia de Prato, quæ hodieque celebre est monasterium virginum Benedictinarum, ubi in crypta subterranea, quæ aliquot abhinc annis muro obstructa est, visebantur plerorumque priscorum Cenomanensium episcoporum sepulcra, qui ibi circa sancti Juliani tumulum quiescebant. Sanctum Victurium *peculiarem* suum *patronum* appellat sanctus Bertrannus episc. Cenomanensis, in Testamento suo, tomo III Analect. Mabillon. pag. 142, ubi et sancti Victurii basilicam memorat, eam ipsam, nisi fallor, quæ hodieque haud procul ab abbatia de Prato videtur, parochiali titulo donata.— Hoc caput a sancto Odone Cluniacensi abbate laudatur in sermone : Quod Martinus dici potuerit par apostolis, his verbis : *Hinc est quod sancto Trojano Santonensi episcopo in igne* sanctus Martinus *ostensus est.*

[b] Saliginense appellat Cointius ad an. 752.

[c] Sancti Bibiani, seu Viviani aut Vibiani festum colitur die 28 Julii. Fortunatus lib. I, carm. 12, Leontium Burdegalensem laudat ob consummatam ejusdem sancti basilicam, quæ ab Eusebio, tum ab Emerio Santonum episcopis incœpta fuerat. In ea erat sancti Bibiani sepulcrum, quod argento auroque tectum fuisse Leontii et Placidinæ sumptibus idem auctor attestatur. Ecclesia sancti Viviani cum suburbio cognomini hodieque subsistit. Exstat in vet. Ms. sancti Petri Carnutensis epistola sub nomine sancti Augustini ad Bibianum episc. Santonensem data, quæ edita est a nostro Mabillon. in append. ad Litu giam Gallicanam ; ubi respondet Augustinus literis quas ei Bibianus per Trojanum diaconum suum transmiserat. Secundus est in vulgatis catalogis Santonum episcopus.

[d] Ed. : *ipsius Sanctonicæ civitatis sancto Bibiano huic.* Apud Colb. tat. dicitur *Trofianus*, et *Trophianus*. Ipse est, uti videtur, qui ad Eumerium Namnetensem episc. scripsit epistolam de puero, qui an baptizatus esset nesciebat. Unde colligit Cointius, ad an. 508, Trojanum Chlodoveo e prælio Vogladense revertenti non occurrisse, quod nonnulli dicunt, cum Petrus Trojani decessor conc. I Aurelian. subscripserit an. 511. Alius est a Trojano diacono sancti Bibiani in præced. nota laudato.

cœptum iter ad visitanda sanctorum loca. Tremens vero subdiaconus ait : Queso, domine, ne despicias humilitatem meam, sed indica mihi quæ videris, animadverti enim nescio quid fuisse divinum. Cui ille : Dico tibi, sed tu nemini dixeris. Nam scito quod in quacunque die hæc publicaveris, ab hoc mundo migrabis. Sanctum, inquit, Martinum Turonicum vidi, et ipse locutus est mihi. Cave ergo ne cui vulgare audeas arcana Dei. Igitur sacerdos impleto vitæ hujus cursu obiit. Subdiaconus vero plenus dierum, ægre ferens quod virtus sancti Trojani occulteretur, convocato episcopo cum clericis, ac civibus [*Al.*, quibusdam] senioribus, omnia quæ a Sancto audierat, et qualiter mysterium luminis viderat, quod manifestissime fidem Trojani Martinique gloriam patefecit, ex ordine reseravit : nec quidquam ex his occuluit, adjiciens hæc : Et ut probetis vera esse quæ loquor, finito sermone finem facio vitæ. Et his dictis, clausis oculis, obiit, non sine admiratione astantium [a]. Magnæ enim, ut diximus, virtutis fuit beatus Trojanus antistes, et honorabilis inter cunctos cives urbis suæ. Ille fertur dum esset in corpore, si novum, ut assolet, amphibolum [b] induisset, cum quo processurus diœcesim circumiret, fimbriæ hujus vestimenti a diversis diripiebantur, salubre omnis homo computans quidquid ab eo rapere potuisset. Qui sepultus in terris, cœlis se vivere multis virtutibus manifestat. Nam energumeni, frigoritici, cæterique infirmi, plerumque ad ejus tumulum exorantes accepta incolumitate recedunt.

CAPUT LX.

De sepulcro divinitus amoto in eadem urbe.

942 Haud [c] procul ab hujus confessoris æde, erat oratorium parvulum, et in angulo unde arcus oriebatur erat magnus sarcophagus, in quo ferebatur sepultos fuisse duos, sponsum scilicet et sponsam [d], qui post baptismum, in albis positi, a sæculo discesserant : hos etiam affirmabat antiquitas fuisse ex genere sancti Pictavensis Hilarii. Hoc ergo sepulcrum tali in loco situm, non modo pervium arcebat ingredientium, verum etiam qualiter paries, qui a latere ejus infusus fuerat, emendaretur, quia esset contiguus, inhibebat. Qua de causa Palladius pontifex civitatis, qui ex genere quondam divitis Palladii descenderat, removere ipsum a loco summo nitebatur studio (*An.* 580), ita ut, conjunctis amplius trecentis viris, cum funibus trahere et vectibus impellere conaretur, pontis jam lapidibus, super quos hic sarcophagus locaretur. Denique impendantur totæ vires trahentium, sed non valent mutilare sepulcrum : frons cuncta sudore perfunditur, sed opus validum non impletur; voces dantur hortantium atque dicentium : Eia, age, trahe funem, sed non movetur omnino sepulcrum. Quid plura ? Lassantur omnes in opere, et intercedente nocte petunt cuncti dare quietem. Ilicet ubi, transactis nocturnis tenebris, novum illuxit mane, anxius cogitatione sacerdos, rogat iterum procedere suos ad oratorium, ipse anticipans cunctos, ingrediensque invenit ipsum super ipsos quos composuerat lapides, omni firmitate subsistere. Admiransque Dominum glorificat, qui potenti virtute perfecit quod manus humana nequiverat. Horum tamen nomina nulli sunt revelata.

CAPUT LXI.

De sancto Nicetio Lugdunensi episcopo.

943 Nicetius [e] quoque confessor in urbe Lugdunensi, vir totius sanctitatis, conversationis castissimæ, charitatis eximiæ, vita perfunctus est (*An.* 573, 2 *April.*) Cujus eleemosynæ atque humanitates [*Ed.* humilitas] nec investigari tantum, nec enarrari a nobis possunt. Qui postquam beatum spiritum præmisit ad cœlos, positus in feretro, ad basilicam in qua sepultus est ferebatur. Et ecce unus puerulus diuturna cæcitate gravatus, cum reliquis, plangens, adminiculo sustentante, sequebatur. Factum est autem cum graderetur, perlata est vox in aure ejus, secretius dicens : Appropinquare feretro, et cum subter ingressus fueris, protinus recipies visum. Ille vero interrogabat hominem qui eum trahebat quis esset qui hæc verba auribus suis inferret. Negat ille quemquam videre qui ei loquatur. Cumque bis et tertio hæc vox aures illius verberasset, cognovit aliquid novi gerendum, et se ad feretrum postulat duci. Accedensque, et inter albentium diaconorum turbam perlapsus, quo jussus fuit ingreditur. Denique ut nomen Sancti invocare cœpit, illico, reseratis oculis, lumen recepit. Post hæc puer erat assiduus in basilica ad sepulcrum Sancti deserviens, et lumen accendens : sed a quibusdam civitatis majoribus opprimebatur atque fatigabatur, ut nec victus alimoniam posset habere. Cumque sæpius hæc ad beatum implorasset sepulcrum, apparuit ei Sanctus per visum, dicens : Vade ad Gunthchramnum regem, et ei quid patraris diligenter enarra. Ipse enim tibi præbebit vestitum et alimentum, eripietque te de manu inimicorum. Denique hac admonitione firmatus puer, ad regem accedens,

[a] Simili modo referente Joanne Diacono in libro IV Vitæ sancti Gregorii Magni cap. 69. Petrus diaconus cum videret invidos homines sancti pontificis memoriam obscurare velle, et jam iis instigantibus quosdam ex ejus libris combustos fuisse, reliquos vero simili sorte brevi damnandos, contestatus est publice in ecclesia se Spiritum sanctum sæpius vidisse beati viri libros suos scribentis capiti in modum columbæ insidentem. Quod ut verum probaret, ait sese in hujus rei testimonium mox animam efflaturum, quod re ipsa contigit. Vix enim verba compleverat, cum in ipso ambone absque ullo dolore defunctus est.

[b] Amphibalus, seu birrus, vestis erat villosa quæ assutum habebat capitium. Vide Cangii Glossarium. Et quidem sanctus Martinus tunicam suam amphibalo suo, id est veste superiori, retento, pauperi dedit, apud Sever. Sulpic. dialogo 1.

[c] Deest hoc cap. in Clar. a.

[d] Nulla est horum apud Santonas memoria, ignoratur quoque oratorii situs, sicut et ecclesiæ sancti Trojani, cujus nullum superest vestigium.

[e] Deest hoc caput cum seq. in Colb. usq. Sancti Nicetii Vitam infra hanc inter Vitas Patrum. cap. 8.

quæ suggessit obtinuit. Sed et nunc ad sepulcrum beati Confessoris multa miracula Christo auspice tribuuntur. Nam et miserorum **944** ibi cæcæ rumpuntur, cæci illuminantur, dæmones effugantur, sanitati redduntur paralytici, perferentes accessus febrium liberantur. In quo loco tam frequenter ostenduntur miracula, ut ex ordine scribi longum sit. Tamen retulit mihi vir fidelis quatuor ibi cæcos ante paucos dies fuisse illuminatos, et quod hominem quem claudum olim noverat, incolumem nuper aspexit.

CAPUT LXII.

De sepulcro Helii ejusdem urbis episcopi.

Dum quadam vice ad occursum supradicti pontificis ambulassem, et loca sancta Lugdunensis oppidi circuirem, vir ille qui nos præcedebat, ad cryptam beati Helii [a] invitat ad orationem, dicens, quia magnus sacerdos in hoc loco quiescit (*An.* 218). Cumque oratione facta Sancti tumulum admirarer, et tacitus de meritis ejus aliquid interrogare cogitarem, aspicio in ostio esse scriptum qualiter sepulcri violator cadaver spoliarit exanime. Inquirens vero causam, si hæc vera essent quæ in ostio picto cernebantur, vir mihi talia retulit : Sanctus Helius tempore paganorum in hac urbe fuit episcopus, qui defunctus sepultus est a fidelibus. Nocte autem sequenti veniens quidam paganus, lapidem qui sarcophagum tegebat revolvit, erectumque contra se corpus Sancti conatur spoliare. At ille, extensis lacertis, constrictum ad se hominem fortiter amplexatur, et usque mane, populis spectantibus [b], tanquam constipatum loris, ita miserum brachiis detinebat. Igitur judex loci violatorem sepulcri jubet abstrahi, ac legali [c] pœnæ sententia condemnari; sed non laxabatur a Sancto. Tunc intelligens voluntatem defuncti, facta judex de vita promissione, laxatur, et sic incolumis redditur. O vere sanctam ultionem pietate permistam ! Retinuit hominem ut argueret, sed tradi non permisit supplicio, **945** quem jam reddiderat emendatum.

CAPUT LXIII.

De filia Leonis imperatoris.

Leonis [d] autem Romani imperatoris filia, cum a spiritu vexaretur immundo, et per loca sancta duceretur, assidue clamabat nequam spiritus : Non hinc egrediar, nisi archidiaconus Lugdunensis advenlat; et nisi ipse me de hoc vasculo, quod acquisivi, ejiciat, nullatenus hinc sum egressurus. Audiens hæc imperator, dirigit suos in Gallias. Quem illi repertum suppliciter exorant, ut cum eis ad visitandam puellam Romam dignaretur accedere. Ille vero contradicens, et se indignum per quem Christus miracula ostenderet esse vociferans, admonitus episcopi sui consilio, cum eisdem missis iter dirigit [e] et ad imperatorem veniens cum honore suscipitur. Audiens autem de infirmitate puellæ, se ad basilicam beati Petri apostoli confert : ibique, continuato cum vigiliis et orationibus triduano jejunio, quarta die per invocationem Domini nostri Jesu Christi, et crucis vexillum, immundum spiritum a corpore puellæ depellit. Qua sanata, tria ei centenaria auri imperator offert : sed ille vir altioris spiritus caducas divitias pro nihilo respuit, dicens : Si me tuis muneribus locupletare desideras, illud quod cunctæ proficiet civitati largire. Tributum, ait, in tertio circa muros milliario populis cede, hoc utrisque animabus salubre beneficium erit. Aurum vero tuum necessarium non habeo, pauperibus illud pro tua tuorumque felicitate dispensa. Quod ille non abnuens, aurum pauperibus erogat, et tributum petitum civitati concedit. Unde usque hodie circa muros urbis illius in tertio milliario tributa non redduntur in publico. Post discessum vero beati archidiaconi, ait imperator suis : Si iste, inquit, Deum plusquam pecuniam diligit, digne ecclesia illa, cui talis minister obsequitur, nostris muneribus illustratur. **946** Tunc capsam ad sancta Evangelia recludenda, patenamque et calicem ex auro puro pretiosisque lapidibus præcepit fabricari. Quod, miro perfectum opere, per hominem creditum dirigit ecclesiæ. Sed nuntius ille inter Alpes positus, qui hæc exhibebat, ad aurificis cujusdam domum divertit; cumque ab eo artifex sciscitaretur quid negotii gereret, rem secretius ac simpliciter pandit. Et ille : Si, inquit, meo consilio conniventiam præbueris, multa nobis hæc ratio poterit lucra deferre. Ad hæc ille, diabolo instigante, seductus, et, ut fertur inter rusticos sermo vulgatus, quod inhianti auro ac circumventionis fallacias inferenti sæpius animi conjunguntur, statim hujus consilii effectus est consentaneus. Tunc ille deceptor fecit similes de argento species, ut nihil aliud quam aurum purissimum putaretur, et sic opera quæ cum gemmis filisque aureis fuerant superposita studiosissime cum clavis affixit. Verumtamen calicem non comminuit, quia cataclyza [f] in ipso fuerant solidata.

[a] Laud. et Clar. a, *Heliæ*. Colb., *Elii;* et infra, *Helias*. In vulgatis catalogis locum habet ante Faustinum quem sanctus Cyprianus laudat in epist. 67, novæ edit. 68, an. 254 scripta, ad Stephanum papam contra Marcianum Arelatensem, qui sese Novatiano conjunxerat. Heliam et Faustinum in unum conflat Severus in Chronologia episc. Lugdunensium.

[b] Ed. plerique, *exspectantibus*. Simile miraculum narrat Joannes Moschus Prati Spirit. cap. 78, ubi fur a virgine mortua quam spoliaverat dimissus non est, quin se monasticam vitam amplexurum spopondisset. Ibidem, cap. 77, alius sepulcri violator cæcitatem incurrit. Vide et Gregorii Magni Dialog. lib. III cap. 22.

[c] Colb. a, et Clar. b, *legalis*. Sepulcri violatores capite plectendos passim leges civiles pronuntiant. Complures ea de re videsis in Cod. Theodosiano.

[d] Inter imperatores qui Romæ regnarunt, nullus Leo est appellatus. An hic Leo fuerit qui post sæculi V medium CP. imperavit, an quivis alius, divinare non licet.

[e] Colb. a, *missis dirigit*. Clar. et Colb. tut., *dirigitur*.

[f] Clar. b, *Cataclipha*. Hic locus sic exponendus est, *quia lapilli pretiosi solidius vasi inserti erant*. Sic et vestes ex *cataclysis*, seu potius *catacl sis* dicebantur, in quibus gemmæ et lapides erant intexti, aut quæ opere phrygio adornatæ erant. Vide Cangii Glossarium.

Denique portitor cum hac fraude Lugdunum advenit, oblatisque muneribus, ab episcopo muneratur : regressusque ad socium, aurum de speciebus figuratum recipere flagitat. Artifex vero adhuc non esse totum paratum pronuntiat, sed sub ipsa expliciturum se nocte pollicetur. Exacta igitur cœna, cum in cellula qua hæc operabatur, pariter residerent, concussa subito a terræ motu super eos diruit, disruptaque terra sub pedibus eorum, ipsos pariter cum pecunia deglutivit, descenderuntque viventes ac vociferantes in tartarum, ultusque est Deus velociter de fraude Ecclesiæ suæ. Ego vero has species in ecclesia Lugdunensi sæpissime vidi. Sit hoc populis documentum, ut nullus res ecclesiæ aut appetere, aut fraudare nitatur. Nam aliter, videbit Dei judicium super se velociter imminere.

CAPUT LXIV.

De muliere quæ Epipodii martyris calceamentum collegit.

947 Requiescit in suburbano murorum urbis ipsius mulier (*An.* 178), quæ dicitur collegisse calceamentum beati martyris Epipodii [a], quod de pede ejus cecidit, cum ad martyrium duceretur : ad cujus tumulum sæpius frigoritici cæterique infirmi sanantur. Erasum de tumulo ipso pulverem hauriunt incolumesque discedunt.

CAPUT LXV.

De alia muliere, cui vir pro oblatione apparuit.

Duos in hac urbe fuisse ferunt, virum scilicet et conjugem ejus, senatoria ex gente pollentes, qui absque liberis functi, hæredem Ecclesiam dereliquerunt; sed vir prius obiens, in basilica sanctæ Mariæ sepultus est. Mulier vero per annum integrum ad hoc templum degens, assidue orationi vacabat, celebrans [b] quotidie missarum solemnia, et offerens oblationem pro memoria viri : non diffisa de Domini misericordia, quo l haberet defunctus requiem in die qua Domino oblationem pro ejus anima delibasset, semper sextarium Gazeti vini præbens in sacrificium basilicæ sanctæ. Sed subdiaconus nequam, reservatum gulæ Gazetum [c], acetum vehementissimum offerebat in calice, muliere non semper ad communicandi gratiam accedente. Igitur cum fraudem hanc Deo placuit revelare, apparuit vir mulieri, dicens : Heu, heu, dulcissima conjux, in quid [d] **948** defluxit labor meus in sæculo, ut nunc acetum in oblatione delibem ! Cui illa : Vere, inquit, quia charitatis tuæ non immemor, semper Gazetum potentissimum obtuli pro requie tua in sacrario Dei mei. Expergefacta autem admiratus visionem, eamdemque oblivioni non tradens ad matutinum secundum consuetudinem surrexit. Quibus expletis, celebratisque missis, accedit ad poculum salutare : quæ tam fervens acetum hausit ex calice, ut putaret sibi dentes excuti, si haustum segnius deglutisset. Tunc increpans subdiaconem, emendata sunt quæ nequiter fuerant [e] defraudata. Sed nec hoc miraculum sine operis boni merito gestum puto.

CAPUT LXVI.

De Memmio Catalaunensi episcopo.

Catalaunensis [f] vero urbis proprius exstat patronus Memmius antistes, qui cum adhuc maneret in corpore mortali, mortuum dicitur suscitasse (*Sæc.* II, *vel* III, 5 *Aug.*). Ad cujus nunc sepulcrum sæpius confractas miserorum catenas atque compedes vidimus, sed et nos proprie virtutem ejus experti sumus. Quodam enim tempore, dum in urbe illa commoraremur, puer unus ex nostris a febre corripitur, fatigatur vomitu, ac cibum potumque simul exhorret : nobis vero magna consumptio generatur, quod hujus pueri infirmitas itineri nostro moras innecteret. Nec mora, basilicam Sancti adeo, sepulcro prosternor pro puero, effusis lacrymis deprecor, ut qui laborantibus vinctis, disruptis compedibus, respectu pietatis plerumque consolationem exhibuit, huic febricitanti medelæ refrigeria ministraret. **949** Mirum dictu : in ipsa nocte a Sancti virtute visitatus infirmus mane facto incolumis surrexit a lectulo.

CAPUT LXVII.

De Lupo Tricassinorum episcopo.

Lupum [g] antistitem apud Tricassinorum Campaniæ urbem sepultum (*An.* 479, 29 *Jul.*), nulli ha-

[a] De Epipodio egit Gregorius lib. I de Glor. mart. cap. 50. Ejus vero Acta dedimus inter sincera martyrum ad an. circ. 178. In his mulier hic memorata dicitur Lucia.

[b] Nota loquendi modum, quo missa etiam a muliere *celebrata* dicitur. Observa etiam locum insignem ad probandum sacrificium pro requie defuncti procuranda. Denique ex hoc loco patet, non omnes qui offerebant, aut sacrificiis intererant, semper Eucharistiam sacram in ea missa percepisse. Hinc merito Mabillonius, lib. I Liturg. Gallic. cap. 6, observationem in tractatum sancti Cypriani de oratione Dom. editoris Oxoniensis reprehendit, asserentis ignotam olim fuisse solitarii sacerdotis communionem ex his sancti Cypriani verbis : « Quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, etc. » Celebrare enim missam dici potest etiam laicus, si solummodo missæ interesit, ut ex hoc et aliis Gregorii nostri locis patet.

[c] Id est, *reservato... Gazeto*. De hoc vino vide notas in lib. VII Hist. cap. 29.

[d] Colb. a et Clar. b, *inquit*, Colb. tut. *in quo*. In Ed. et aliquot Scriptis absolute, *defluxit*.

[e] Clar. a, cum Ed., *excuti, quæ nequiter fuerat*.

[f] Hoc caput deest in Clar. a. Auctor est Frodoardus, Memmium simul cum sancto Sixto Rhemorum primo episcopo a sancto Petro in Gallias missum fuisse. Hanc missionem sancto Petro tribuit quoque vetus auctor ejus Vitæ, qui sæculo VII floruisse dicitur; Almannio tamen monacho Altivillaris in diœcesi Rhemensi, qui sæculo IX floruit, visum est satis eam ad sanctum Clementem revocare. Vide Mabillon. Analect. tom. II pag. 86 et seq., ubi et de ejus inventione sub Carolo Calvo an. 868 agitur. Abbatia sancti Memmii, vulgo *saint Menge*, hodieque persistat prope Catalauni muros, primum a monachis, nunc a canonicis regularibus inhabitata.

[g] Lupus e monacho Lirinensi factus episcopus Trecarum cum sancto Germano Antissiodorensi in Britanniam transmisit contra Pelagianos decertaturus, ubi Verolamii synodo interfuit. Suam urbem, cui Attila Hunnorum rex excidium minabatur, libe-

betur incognitum : ad cujus basilicam Mauri [a] cujusdam servus, negligentia admissa, confugit; frendens vero dominus ejus, de vestigio prosecutus, ingressus basilicam, nec oratione prostratus, blasphemias [*Al.* blasphemans] in Sanctum evomere cœpit, ac dicere : En tu, Lupe, servum meum auferes, et propter te non licebit mihi in eum ultionem debitam exercere? Et injecta manu servum trahere cœpit, dicens : Non mittet hodie hic Lupus manum suam de sepulcro, ut eruat te de manibus meis. Hæc dicente misero, extemplo lingua quæ in Sanctum blasphemias effudit, divinitus obligatur : atque mutatus [*Al.*, mutus] homo debacchare cœpit per totam ædem, dans mugitum ut pecus, sermonem ut homo non proferens. Cumque hæc suis nuntiata fuissent, apprehensum duxerunt ad domum suam. Uxor vero ejus multa munera in basilicam posuit; sed hic tertia die cum gravi cruciatu vitam finivit. Quo defuncto, mulier quæ dederat recepit, servus tamen permansit ingenuus.

CAPUT LXVIII.

De Aventino ministro ejus.

Huic antistiti famulabatur Aventinus [b] quidam religiosus (*An.* 537, 4 *Feb.*), ad quem post hujus obitum captivi fecere **950** confugium, quorum domino Aventinus pretium obtulit. Sed ille obligans se sacramento ait : Nunquam hæc nisi in pago meo sum accepturus. Deditque dexteram suam, quod si illuc pecuniam transmitteret, iste confestim captivos a vinculo servitutis absolveret. Transmisso itaque pretio, oblitus dominus fidei suæ, dum captivos absolvere dissimulat, ipse ligatur. Nam statim summitas digiti de manu quæ fidem fecerat dolere graviter cœpit : deinde paulatim dolor accrescens, per manum brachiumque totum extenditur. Quid plura? Truncatum ad ipsam junctnram cubiti brachium cum (*sic*) cecidit, et hic spiritum exhalavit. Uxor vero ejus post hæc voluit eos iterum ad servitium revocare; sed capitis dolore percussa, virum secuta est. Et sic hi in ingenuitate perpetua absque ullius scripturæ munitione manserunt.

CAPUT LXIX.

De Marcellino episcopo.

Habet [c] et Ebredunensis urbs patronum proprium, Marcellinum antistitem, per quem dum adhuc in corpore moraretur, multa Christus miracula operatus est (*Sæc.* IV, 20 *April.*). Hic enim fecisse dicitur lavacrum ad baptizandum, in quo Natale Domini dominicæ [d] cœnæ aqua diciter divinitus exoriri. De quo etiam ad aliud lavacrum, in quo consuetudo prisca baptizari instituit, aqua defertur. Non tamen cumulatur, ut de illis fontibus Hispaniæ supra retulimus (*Cap.* 24 *de Glor. mart.*). Ad hujus ergo sancti sepulcrum lychnus assidue lumen præbet : sed accensus semel multis noctibus sine ullo additamento perdurat; et plerumque contingit ut exstinctus a vento, **951** divinitus iterum accendatur. Ex quo oleo plerumque infirmi medicamenta suscipiunt.

CAPUT LXX.

De Marcello episcopo Deensi.

Fuit etiam et Marcellus Deensis [e] urbis episcopus

---

pravit. Complures ei epistolas Sidonius scripsit, a quo *episcopus episcoporum, Galliæ pontificum facile princeps, vir sanctus*, etc., non semel dicitur. Eumque laudat epist. 1 libri VI, *ob novem quinquennia in apostolatu decursa*. Ejus Vitam habet Surius die 29 Julii. Sepultus est in suburbana ecclesia sanctæ Mariæ, postmodum sancti Lupi dicta, ob crebra miracula quæ ad ejus sepulcrum fiebant. — Hac ecclesia, sæculo IX labente, a Normannis destructa, nova intra urbem sub ejusdem sancti Lupi nomine paulo post exstructa est, in qua beati pontificis reliquiæ depositæ fuerunt. Sacello vero sancti Martini, quod e prima ecclesia supererat, clerici aliquot præfecti fuerunt, qui anno 1104 canonicorum regularium institutum suscepere, quos anno 1135 imitati sunt canonici novæ ecclesiæ sancti Lupi in urbe, jam quippe ibi monachi defecerant. Et hæc fuit utriusque abbatiæ canonicorum regularium origo in urbe Trecensi. Videsis Camuzati Promptuarium. Porro non liquet quis fuerit extremus beati Lupi annus.

[a] Sic Mss. et Bad.; cæteri Ed., *Maurus*.

[b] Hujus Vitam edidit Camuzatus in Promptuario Tricassino, et Bollandus die 4 Febr.; ubi sub sancto Cameliano beati Lupi successore floruisse dicitur, et ab eo ecclesiæ promptuariis præpositus. Hic vero extra urbem secessit, ut sibi paulo liberius vacaret; dein ad locum, Insulam dictum, quod Oza fluvio (*l'Oze*) circumdaretur, ibique abbatis munere functus, tandem sancto Fidolo (*saint Fale*) sibi substituto, circa an. 534, in solitudinem prope Verrerias secessit, ubi anno 537 defunctus est. — Monasterii Insulæ situs adeo incertus est, ut neque Camuzato, neque aliis viris eruditis, qui loca lustravernnt, probe notus sit. Celebre tamen olim fuit, ut patet ex Vita sancti Leonis abbatis Mentuniaci, ibique sepultus fuit sanctus Melanius episc. Trecensis. Præferenda videtur eorum sententia qui putant esse oppidulum duobus circiter leucis dissitum ab urbe, hodieque Insula (*l'Isle*) dictum, ubi visitur prioratus monasterii Molismensis. Cæterum sancti Aventini corpus beatus Vincentius, tunc Trecarum episcopus, in ecclesia suburbana a se constructa in loco ubi vir sanctus aliquandiu vixerat, deposuit, ubi et ipse postea sepultus est. Hodie parochiæ titulo sub sancti Aventini nomine gaudet, ejusque reliquias possidet, quas tamen in cathedrali ecclesia alii asservari contendunt. Vide Cointium ad ann. 486 et 537.

[c] Deest hoc caput in Colb. tut. Sancti Marcellini Acta post Monibritium edidere Bollandiani 20 Maii, ubi dicitur a sancto Eusebio Vercellensi consecratus episcopus, Ebredunensem ecclesiam, quæ Alpium Maritimarum metropolitana est, instituisse. Socios habuit Domninum et Vincentium, qui apud Diniam quiescunt. Eos Wandelbertus simul jungit in Martyrologio, in aliis tamen variis diebus celebrantur.

[d] Editi, *Domini et dominicæ*. Pith., *Natale dominicæ cœnæ*, id est, in solemnitate Cœnæ domlulcæ. Codex tamen ad quem editum suum contulit, ut cæteri, habet *Domini, dominicæ*. Unde suspicor id solummodo ex conjectura emendatum a Pithœo fuisse.

[e] Colb. 2, Clar. a et Bad., *Diensis*. Utraque lectio bona, dicitur hodieque *Die* in Delfinatu sub metropoli Viennensi, cujus sedes diu Valentinæ unita, paucis ab hinc annis divisæ sunt, et utrique urbi suus datus est episcopus. Marcellus vero circa sæculi VI initium floruit. Ejus basilica cum monasterio sibi adjuncto Cluniacensis ord. extra urbem sita, sæculo proxime elapso a Calvinianis hæreticis destructa est. Inde monachi in urbem translati ibi hodieque perseverant. Sancti Marcelli Vitam sanctus Ulfinus, qui sæculi VIII initio Diensem ecclesiam rexit, soluta oratione scripsisse dicitur. De eo Martyrolog. Romanum et Bollandiani ad d em 9 Aprilis.

magnificæ sanctitatis, ad cujus nihilominus tumulum lychnus accensus diuturno spatio lucere solet : præstat ex eo oleo virtus Domini medicinam infirmis (*An.* 500, 9 *April.*).

CAPUT LXXI.

De Metria Aquensium confessore.

Aquensibus (vulgo *Aix*) etiam est concessus inclytus athleta Metrias [a], vir in corpore, juxta historiam actionis (13 *Nov.*) magnificæ sanctitatis, et licet conditione servus, liber tamen justitia : qui, ut ferunt legentes certaminis ejus textum, peracto cursu boni operis a sæculo victor abscessit, sæpius se in cœlis degere virtutibus manifestis ostendens. Tempore igitur quodam cum Franco episcopus hujus municipii ecclesiam gubernaret (*An.* 566), Childericus, qui tunc primus apud Sigihertum regem habebatur, villam ejus competit [b], dicens, quia injuste ab Aquensi ecclesia retineretur. Et dicto citius convenitur episcopus : datisque fidejussoribus, in præsentia regis adsistit, clamans et obsecrans ut rex ab hujus causæ audientia præsentiam suam averteret [c], ne cœlesti judicio condemnetur, addens : Scio enim virtutem Metriæ viri beati, quod velociter in pervasorem suum irrogat ultionem. Denique conjuncti auditores [d] causam discutiunt. Insurgit Childericus, atque improperans criminibus exacervatum [e] episcopum, quod res fisci ditionibus debitas iniquo ordine retineret, extrahi eum vi a **952** judicio jubet; et tentum, ablata per judicium præsentium villa, trecentis aureis condemnavit. Favebant ei omnes, nec quisquam contra voluntatem ejus audebat decernere, nisi quod eidem libuisset. Denique condemnatus spoliatusque sacerdos ad urbem rediit, atque prostratus in orationem coram sepulcro Sancti, dicto psalmi capitello, ait : Non hic accendetur lumen [f], neque psalmorum modulatio canetur, gloriosissime Sancte, nisi prius ulciscaris servos tuos de inimicis suis, resque tibi violenter ablatas Ecclesiæ sanctæ restituas. Hæc cum lacrymis effatus, sentes cum acutis aculeis super tumulum projecit; egressusque clausis ostiis similiter in ingressu alias collocavit. Nec mora, corripitur pervasor a febre, decumbit lectulo, exhorret cibum, fastidit et potum, profert æstuans juge suspirium. Cui etiam si ab ardore febris interdum sitis accederet, aquam tantum, nihil aliud hauriebat. Quid plura ? In hac ægrotatione integrum ducit annum ; sed mens prava non flectitur. Interea labitur cæsaries cuncta cum barba, et ita omne caput remansit nudum, ut putares eum olim sepultum, nuper ejectum fuisse post funera de sepulcro. His et talibus miser afflictus malis sero recogitat, dicens : Peccavi, eo quod exspoliaverim Ecclesiam Dei, atque episcopo sancto intulerim injuriam. Nunc autem ite quantocius, et reddita villa, sexcentos aureos super tumulum Sancti deponite ; est enim mihi spes quod res reddita tribuat ægrotanti medelam. Quod audientes homines ejus, accepta pecunia, fecerunt sicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, solidosque super sepulcrum servi Dei posuerunt. Sed cum hoc fecissent, statim ille in loco quo erat spiritum exhalavit ; lucratusque est detrimentum animæ per adeptionem acquisitionis iniquæ. Episcopus autem obtinuit ultionem de inimico **953** Ecclesiæ, quam promiserat futuram per Athletæ Dei virtutem.

CAPUT LXXII.

De sancto Arvatio Trajectensi episcopo.

Arvatius [g] vero Trajectensis episcopus, tempore Chunorum, cum ad irrumpendas prorumperent Gallias, fuisse memoratur (*An.* 450, 13 *Mai*); qui et sepultus refertur juxta ipsum pontem aggeris publici [h] : circa cujus sepulcrum quamvis nix defluxisset, nunquam tamen marmor quod super erat positum humectabat; et cum loca illa nimii frigoris gelu ligentur, et nix usque in trium et quatuor pedum crassitudinem terram operiat, tumulum ullatenus non attingit. Datur enim intelligi verbum Israelitam hunc esse. Nam illis [*Forsan*, illi] inter muros aquarum aquæ non sunt perniciei, sed saluti ; et circa hujus justi tumulum nix decidens, non humoris causa est, sed honoris. Videasque in circuitu montes niveos elevari, nec tamen attingere terminum monumenti; et non miramur si terra operiatur nive, sed admiramur quod attingere ausa non est locum beati sepulcri. Nam plerumque devotio studiumque fidelium oratorium construebant de tabulis ligneis levigatisque : sed protinus aut rapiebantur a vento, aut sponte rue-

[a] Alii, *Mitrias*. Clar. b, *Menas;* et infra, *Metrii*.

[b] Competere est rem alienam occupare. Unde Gregor., lib. IV, cap. ult., *rerum alienarum competitor* dicitur qui eas invadebat.

[c] Colb. tut. et aliquot Ed., *ad..audientiam... averteret*. Bal., *atverteret*.

[d] Sic Colb. 2 et Clar. b; cæteri, *adjutores*.

[e] Colb. a, et Clar. a, *exacerbatum*. Bell., *criminibusque exacerbatum*.

[f] Idem fecit sanctus Eligius ex ejus Vita a sancto Audoeno, lib. I, cap 30. Cereos ante sancti Stephani reliquias accensos memorat Evodius in libris de Miraculis sancti Stephani apud Augustinum.

[g] Sic habent Mss. et Editi, quos vidi, excepto unico Clar. a, qui habet *Servatius*, cui consentit Codex sancti Laurentii Leodiensis, qui huic ecclesiæ oblatus est in ejus dedicatione a Reginardo Leodiensi episcopo, facta an. 1034, ut observat Henschenius in Exegesi de episcopatu Trajectensi, ubi *Servatii* nomen esse retinendum pluribus contendit. Codex tamen sancti Dionysii sæculo VIII scriptus, quem penes se habebat, *Aravatius* exhibet, ut monuit me vir Cl. Daniel Papebrochius. Sic et habet Codex Floriacensis, in capitum indice : *De Aravatio Trajectensium episcopo*. Vide quæ observavimus ad caput 5 libri II Hist. et ad cap. 1 Fredegarii Epitom. Porro hac prima occasione Tungrorum episcopum Trajectensem nuncupatum fuisse observat Valesius; Ital. tamen, et Clar. a, alt. manu, hic habent *Tungrensis*.

[h] Aggeris publici nomine designari viam publicam seu militarem lapide vel silice stratam probat Alteserra in cap. 5 lib. II Hist. ex l. 4 et 5 Cod. Theodos. Sulpicius Sever., dial. 2, cap. 4, sic loquitur : « Per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat. » Agger dicitur quoque sepis genus viis publicis aut fluviis impositum ad continendas ripas. Servio est media pars viæ paulo elevata, et lapide strata. Unde et viæ militares stratæ dictæ sunt

bant. Et credo idcirco ista fieri, donec veniret, qui dignam ædificaret fabricam in honorem Antistitis gloriosi. Procedente vero tempore adveniens in hanc urbem Monulfus [a] episcopus (*An.* 550), templum magnum in ejus honorem construxit, composuit, ornavitque, in quod multo studio et veneratione translatum corpus magnis nunc virtutibus pollet.

CAPUT LXXIII.

De cœmeterio Augustodunensis urbis.

954 Cœmeterium apud Augustodunensem urbem Gallica lingua vocitavit [b], eo quod ibi fuerint multorum hominum cadavera funerata : inter quæ quod sint quorumdam fidelium dignarumque Deo animarum sepulcra, frequens occulti psallentii mysterium docet; cum plerumque multis appareant, in ipso vocum præconio reddentes omnipotenti Deo gratiarum debitam actionem. Nam audivi quod duo ex incolis loci, dum loca sancta orandi gratia circumire disponerent, audiunt in basilica sancti Stephani, quæ huic conjungitur cœmeterio, psallentium sonum : admirantesque dulcedinem moduli, appropinquant ad ostium templi, autumantes a quibusdam religiosis vigilias celebrari. Ingredientes autem, et orationi diutissime incumbentes, consurgunt, psallentii chorum conspiciunt; nihilque lucere per templum, nisi propria claritate cuncta prospiciunt splendere : de personis vero nullam prorsus agnoscunt. Denique cum essent attoniti et stupore perculsi, unus de psallentibus accedit ad eos, dicens : Exsecrabilem rem fecistis, ut nobis arcana orationum Deo reddentibus adesse præsumeretis. Discedite ergo, et a domibus nostris [c] abscedite, alioquin ab hoc mundo migrabitis. Ex quibus unus discedens ablit; alter vero qui in loco remansit, post non multos dies a sæculo commigravit.

CAPUT LXXIV.

De sepulcro Cassiani episcopi.

955 In hoc cœmeterio vidi beati Cassiani sacerdotis magni sepulcrum [d] a multis infirmis erasum, quod pene transforatum eo tempore putabatur (*Sæc.* IV, 5 *Aug.*). Abluuntur enim ex hoc pulvere ægroti, sed protinus virtutis magnitudinem sentiunt. Ibi et Simplicius (*Vid. cap.* 76) ipsius, ut aiunt, urbis episcopus est sepultus, cui crimen adulterii sæva populorum objecit insania.

CAPUT LXXV.

De Riticio episcopo.

Sed quia, de his aliquid proloqui juvat, prius de sancto Riticio [e], quia prior obiit, sermo habendus est. Fuit autem nobilissimis parentibus et litterarum acumine clarus (*An.* 314, 19 *Jul.*), qui, transacta adolescentia, uxorem simili morum honestate præclaram sortitus est cum qua spiritalis dilectionis conhibentia, non luxuria copulatur. Concurrunt eleemosynæ, vigiliæ celebrantur, et opus Dei per eos incessabiliter exercetur. Igitur longa post tempora mulier declinans caput ad lectulum, beati viri auribus extrema profert verba, dicens : Deprecor, piissime frater, ut post discessum meum, percurso ævi tempore, in illo quo ego collocor sepulcro ponaris, ut quos unius castitatis dilectio uno conservavit in toro, unius retineat sepulcri consortium. Hæc effata, lacrymans spiritum emisit ad cœlos. At Riticius episcopatum Augustodunensis urbis populo eligente **956** sortitur : qui talem se præbuit in religione, ut morum bonitas pontificatus gratiæ æquaretur, et ad diem obitus per diversos gratiarum spiritualium gradus plena perfectione consummationeque veniret. Quo abluto et super feretrum posito, movere ipsum non queunt officia famulantium. Tunc in stupore mentis defixi, audiunt a quodam sene, virum dominam conjurasse ut eos unius sepulcri amplitudo susciperet : sermone vero percurso, confestim sustollitur feretrum, allatoque eo prope sepulcrum, resumit sacerdos spiritum. Alloquitur sociam dicens : Recordare, dulcissima conjux, quæ nobis fueras deprecata. Nunc suscipe exspectatum diu fratrem, et conjungere artubus impollutis, quos non luxuria polluit, sed castitas vera mundavit. Hæc eo dicente, mirum in modum commotum sepulcrum, uno in loco ossa virginis conglobantur : beatus vero Sacerdos, receptus in pacis somno hujus sepulcri tectus est operculo [f]. Huic Cassianus, cujus supra meminimus, successit. Post hunc Egemonius cathedram pontificatus assumpsit [g].

[a] Sedit inter sanctos Domitianum et Gundulfum, de quo plura Herigerus, Ægidius Aureævallis, etc. Vide Ile ischenium in præmissis ad tom. VII Maii Bollandiani, et Cointium ad an. 550.

[b] Est tamen vox e Græco derivata κοιμητήριον, quasi dormitorium. Mss., *cimiterium*. Porro hodieque haud procul ab Ædua urbe visitur cœmeterium, ubi ingens lapideorum sepulcrorum numerus superest, cum ecclesia, aut potius ecclesiæ sancti Stephani muris, absque tecto. Ibi Petrus Ladoneus sanctorum Rheticii, Cassiani, Simplicii aliorumque Augustoduni episcoporum tumulos exstare scribit. Vide notas in capp. seqq.

[c] Sic Colb. tut. At Colb. a et Clar. a, *vestris*. Cæteri Mss. et Ed., *ad domos vestras*.

[d] Vidit et illud sanctus Germanus episc. Antissiodori, cui cum sanctus Cassianus gloriam suam revelasset, ejus sese ac plebem precibus commendavit beatus Antistes, ut narrat Constantius Vitæ lib. II, cap. 6. In hoc autem cœmeterio hodieque sancti Cassiani sepulcrum habetur in oratorio ipsius nomini sacrato. At nulla ibi sancti Simplicii memoria, cujus forte sepulcrum cum cæteris commistum est.

[e] Colb. tut., *Aricio*, et infra *Aricius*. Celebris est Rheticius in Historia ecclesiastica, qui a Constantino Magno in causa Donatistarum judex datus fuit. Subscripsit conc. Arelatensi I, anno 314. Eum ejusque opera passim laudant Hieronymus, Augustinus, Optatus, etc.

[f] Juxta cœmeterium capp. præced. laudatum habetur ecclesia parochialis sancti Petri de Strada (*de l'Etrier*) dicta, in qua visitur sepulcrum beati Antistitis sub fornice parvo in muro ecclesiæ cavatum, cum hac recenti inscriptione : SCS RHETITIUS EPS ÆDUENSIS CCCXIV.

[g] Habemus in vetustis Mss. Codd. Vitam sancti Cassiani, soluta et stricta oratione descriptam, in qua Rheticio Egemonius, et huic Simplicius successisse

CAPUT LXXVI.

De Simplicio episcopo.

Quo decedente, beatus Simplicius ecclesiæ ipsi præponitur [a] (*An.* 361, 24 *Jun.*). Fuit autem de stirpe nobili, valde dives in opibus sæculi, nobilissimæ conjugi sociatus : his fuit castissima, obtegente sæculo, vita, soli Deo cognita, mortalibus tamen ignota. Erant enim ambo justi et in eleemosynarum semina ac vigiliarum tolerantiam valde promptissimi. Interea propter illam, ut diximus, **957** sæculi dignitatem, Simplicius, decedente Egemonio, a populis eligitur, sed a Deo pro castitatis et sanctitatis gloria destinatur. Accepto quoque pontificatus ordine, beata soror, quæ prius fuerat non libidine, sed castitate viro conjuncta, non passa est a stratu pontificis submoveri; sed in illa puritatis castitate, qua prius, viri castissimi torum adibat, secura de conscientia mentis sanctæ, sciens se uri non posse ab incentivi ignis ardore. Sed sæva dæmonis invidia contra sanctos Dei probrosa excitat bella, et quæ instincta suo destruere non potuit, nititur verbis subdolis infamare. Quid plura ? In illo dominici Natalis die commoventur cives in scandalum, et ad beatam Virginem rapido cursu concurrunt, dicentes : Incredibile est mulierem viro junctam pollui non posse, sed nec vir poterit artubus mulieris junctus a coitu abstinere. Sic etenim Solomonis proverbia proferunt: *Nemo*, ait, *tangens picem mundus poterit esse* (*Eccli.* XIII, 1). Neque enim in sinu ignem quis gestiens non cremabitur. Ergo videmus vos uno in toro recumbere, et suspicari aliud non possumus, nisi misceamini simul. His commota Virgo sanctissima, aggreditur Pontificem simili castitate pollentem, replicatisque coram omni populo sermonibus quos audierat, puellam, quæ tunc plenam, ut assolet, pro injuria hiemis arulam cum carbonibus retinebat, vocat [b]; expansoque pallio prunas ardentes suscipit, et fere horæ unius spatio tenens, sacerdotem evocat, dicens: Accipe mitiorem solito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum, ut ostendant in nobis hæ flammæ exstinctas flammas esse luxuriæ. Suscipiente vero Pontifice, nihil nocitum est velamen ejus ab igne. Hoc miraculo populus, qui erat tunc incredulus, credidit Deo, et inter septem dies amplius quam mille homines sacri innovatione lavacri sunt renati. Quos A suscipiens Ecclesia, gaudens cœlesti regno per hos millies copulavit.

CAPUT LXXVII.

De simulacro Berecynthiæ.

958 Ferunt etiam in hac urbe simulacrum fuisse Berecynthiæ, sicut sancti martyris Symphoriani passionis declarat historia [c]. Hanc cum in carpento pro salvatione agrorum ac vinearum suarum misero gentilitatis more deferrent, adfuit supradictus Simplicius episcopus, haud procul aspiciens cantantes atque saltantes [d] ante hoc simulacrum : gemitumque pro stultitia plebis ad Deum emittens, ait : Illumina, quæso, Domine, oculos hujus populi, ut cognoscat quia simulacrum Berecynthiæ nihil est. Et facto B signo crucis contra, protinus simulacrum in terram ruit : ac defixa solo animalia quæ plaustrum quo hoc vehebatur trahebant, moveri non poterant. Stupet vulgus innumerum, et deam læsam omnis caterva conclamat : immolantur victimæ ; animalia verberantur, sed moveri non possunt. Tunc quadringenti de illa stulta multitudine viri conjuncti simul aiunt ad invicem : Si virtus est ulla deitatis, erigatur sponte, jubeatque boves qui telluri sunt stabiliti procedere. Certe si moveri nequit, manifestum est nihil esse divinitatis in ea. Tunc accedentes, et immolantes unum de pecoribus, cum viderent deam suam nullatenus posse moveri, relicto gentilitatis errore, inquisitoque antistite loci, conversi ad unitatem Ecclesiæ, cognoscentes viri [*Leg.* veri] Dei magnitudinem; C sancto sunt baptismate consecrati.

CAPUT LXXVIII.

De episcopo super cujus pectus agnus apparuit.

Sed quoniam superiore capitulo exposuimus qualiter castitas diligentes Deum ornaverit, venit in memoriam quæ Felicem [e] Namneticum referentem, dum de his confabularemur, audivi. Habebat enim fuisse antistitem **959** in civitate sua cum conjuge : sed cum ad honorem sacerdotii accessisset, lectulum juxta ordinem institutionis catholicæ sequestravit [f], quod mulier valde molestum tulit. Cumque diebus singulis cum eo ageret, ut in uno stratu quiescerent, nec acquiesceret pontifex rem tam improbam, quam canonum decreta non admittebant, quadam die accensa furore, ait intra se : Non puto esse absque D

dicuntur. Cassianus vero in Ægypto natus, ibique Ortensis episcopus factus tempore Joviani imp. relicta sede in Gallias venit, ubi a Simplicio Æduensi episcopo susceptus est, eique successit, Obiit sæc. IV labente. Unde emendandus videtur hic Gregorius, qui Cassianum Egemonio et Simplicio præponit. Et quidem Simplicius inter episcopos recensetur, qui anno 346 concilio Coloniensi contra Euphratam ejusdem urbis episcopum dicuntur interfuisse; proindeque ante Cassiani adventum sedebat, qui Joviani tempore, id est an. 363, factus est episcopus. Si tamen quis maluerit Cassiani Vitam ex Gregorio reformare, non refragabor.

[a] *Vir summæ simplicitatis atque charitatis* appellatur a Constantio in Vita sancti Germani Autissiod., lib. I, cap. 3.

[b] Sic Colb. 2 et Bell. Ed. vero, *audierat, arculam puella tunc... hiemis cum... vocat puellam.*

[c] Hanc dedimus inter Acta mart. sincera, ad an. circ. 180, ubi locus hic laudatus habetur num. 2. Gallorum veterum morem fuisse observat Sulpicius Severus in Vita sancti Martini deorum simulacra per agros circumferendi. Sed et passim ejus rei occurrunt exempla in Hist. Romanæ scriptoribus.

[d] Sic Clar. a., SB. et Pith. At Bell. et Colb. 2, *psaltantes*. Ed., *psallentes*.

[e] De Felice Namnetico episc. passim egit Gregorius in Historia. Vide lib. V, cap. 5.

[f] Hoc nempe canonibus compluribus sancitum erat. Vide lib. I Historiæ cap. 39, et Greg. Magni lib. IV Dialog. cap. 28. Hinc natæ voces, episcopa, presbytera, diacona.

aliqua conscientia viri mei quod ab amplexu ejus taliter sum repulsa; sed ibo et videbo, ne forte alia mulier cum eo decumbat, pro cujus me amore despiciat. Et statim adfuit in cubiculo episcopi, invenitque eum post meridiem dormientem. Accedensque ante lectulum ejus, vidit agnum immensæ claritatis super pectus ejus quiescentem. Tunc timore perterrita, velociter se a lectulo sancti removit, nec adjecit ultra quærere quid vir Deo plenus ageret in occultis; sed cognovit manifestissime illud cum servis Dei impleri, quod ipse Dominus suis fidelibus est polliceri dignatus, dicens: *Ecce ego* [a] *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20).

CAPUT LXXIX.

De Remigio Rhemensium episcopo.

Remigius vero Rhemensis urbis episcopus [b] (*An.* 533, 13 *Jan.*), qui, ut ferunt, septuaginta aut eo amplius in episcopatu annos explevit, et oratione sua defunctæ cadaver puellæ obtinuit suscitari, plerumque infirmis sanitatum gratiam porrigit, et in pervasores sæpissime ultor exsistit. Erat autem haud procul a basilica [c] campus tellure fecundus, tales enim incolæ olcas [d] vocant, et hic datus basilicæ sanctæ fuerat; quem unus ex civibus pervadit, despiciens hominem qui eum loco sancto contulerat. Qui cum ab episcopo ac loci **960** abbate crebro conventus fuisset, ut quæ injuste pervaserat, redderet; parvipendens verba quæ audiebat, pertinaci direpta defensabat intentione. Denique causa exstitit et non devotio, ut Rhemensem urbem adiret: properat ad Sancti basilicam. Arguitur iterum ab abbate pro invasione campi, sed nihil dignum ratione respondet. Explicitisque negotiis, ascenso equo, ad domum redire disponit: sed obstat nisui ejus sacerdotis injuria. Nam sauciatus a sanguine [e], diruit in terram: obligatur lingua quæ locuta fuerat campum tolli; clauduntur oculi qui concupierant, manus contrahuntur quæ apprehenderant. Tunc balbutiens, et vix sermonem explicare potens, ait: Deferte me ad basilicam Sancti, et quantumcunque super me auri est, ad sepulcrum ejus projicite. Peccavi enim auferendo res ejus. Aspiciens autem dator campi hunc cum muneribus venientem, ait: Ne accipias, quæso, Sancte Dei, munera ejus quæ nunquam accipere consuevisti; ne sis, deprecor, adjutor ejus qui, inflammante concupiscentia, rerum tuarum nequam possessor exsistit. Nec distulit Sanctus audire vocem pauperis sui. Nam homo ille, licet dedisset munera, rediens tamen domum, emisit [f] spiritum, recepitque Ecclesia res suas. Sed nec illud sileri placuit quod illo gestum est tempore cum lues inguinaria populum primæ Germaniæ [g] devastaret (*An.* 546). Cum autem omnes terrerentur hujus cladis auditu, concurrit Rhemensium populus ad Sancti sepulcrum, congruum hujus causæ flagitare remedium. Accensis cereis lychnisque non paucis, hymnis psalmisque cœlestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto quid adhuc precatui desit in tractatu rimatur; reperiunt etenim, revelante Deo [h], qualiter oratione præmissa, **961** adhuc majori propugnaculo urbis propugnacula munirentur. Assumpta igitur palla [i] de Beati sepulcro, componunt in modum feretri; accensisque super cruces cereis, atque ceroferalibus [j], dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis. Nec prætereunt ullum hospitium, quod non hac circuitione concludant. Quid plura? non post multos dies fines hujus civitatis lues aggreditur memorata. Verumtamen usque ad eum locum accedens, quo Beati pignus accessit, ac si constitutum cerneret terminum, intro ingredi non modo non est ausa, sed etiam quæ in principio pervaserat, hujus virtutis repulsu reliquit.

CAPUT LXXX.

De sancto Ursino Biturigum episcopo.

Bituriga vero urbs primum a sancto Ursino [k], qui

[a] Alii cum Ed.: *Ecce enim vobiscum*, etc.

[b] Hoc caput ferme integrum Historiæ suæ inseruit Frodoardus libro I, cap. 19 et 20. De sancto Remigio plura habet Greg. in Hist., potissimum libro II, cap. 31. Ejus Vitam scripsit Hincmarus ejus sedis sæculo IX successor, quam apud Surium habes. Obiit Idibus Januarii, quem tamen pleraque Martyrologia die 1 Octobris commemorant. Ejus festivitatem sub apostoli Francorum titulo celebrari decreto sancivit sanctus Leo IX, summus pontifex, quod decretum Clerus Gallicanus in generali conventu anno 1657 renovavit.

[c] Basilica Remigiana etiamnunc superest, sed intra urbis muros ab aliquot sæculis inclusa, archimonasterii titulo aliisque prærogativis donata, ob beati Pontificis corpus, quod ibi in magnificentissimo mausoleo incorruptum asservatur. Illanc incolunt monachi Benedictini e cong. sancti Mauri.

[d] Vulgo *une ousche*, vel *osche*, certa terræ portio. Vide Cangii Glossarium.

[e] Id est apoplexi correptus; vide lib. V Hist. c. 5.

[f] Clar. a, Colb. tut. et Frodoardus, *amisit*.

[g] Sic appellabant provinciam sub Moguntia metropoli constitutam.

[h] Cod. Remigianus addit: *Qui sanctum suum mirificari apud homines voluit, quem apud se mirificatum habebat.*

[i] Non solum superest illa palla quæ in basilica Remigiana religiose asservatur, vulgo sancti Remigii sudarium dicta; sed et perseverat illa pia consuetudo, eam *in modum feretri* compositam, cum ingruit aliqua necessitas, per urbis compita defeendi. Quam quidem consuetudinem a Gregorii nostri ævo interruptam non fuisse probant vetera aliquot monumenta. Ex his est Codex ms. ab Hincmaro bibliothecæ Remigianæ datus, ubi ejusmodi supplicatio in icone repræsentatur; alia ejusdem rei descriptio habetur in veteribus aulæis quæ similem supplicationem repræsentant.

[j] Bell., *crucem... atque ceroferariis*. Rem., *atque super ceroferariis*. Ex hoc autem loco Menardus in notis ad Sacrament. sancti Gregorii, pag. 202, infert olim in publicis processionibus cereos accensos ipsis crucibus affixos fuisse, idque a sancto Joanne Chrysostomo institutum fuisse probat ex Socrate lib. VI et Sozomeno lib. VIII.

[k] Sancti Ursini missionem varii variis temporibus assignant. Eum Gregorius hic ab apostolorum discipulis missum dicit, quod de sancto Clemente nonnulli intelligunt. Quo pacto discipulus ille septem episcoporum, qui Decii temporibus apud Biturigas ecclesiam instituit, uti narrat Gregor. lib. I Hist.

a discipulis apostolorum episcopus ordinatus in Gallias destinatus est, verbum salutis accepit, atque ecclesiam Biturigensem primum instituit rexitque, qui migrans a sæculo, in campo [a] inter reliqua sepulcra populorum sepulturæ locatus est (*Sæc.* II, 9 *Nov. aut* 29 *Dec.*). Non enim adhuc populus ille intelligebat sacerdotes Domini venerari, eisque reverentiam debitam exhibere. Unde factum est ut, increscente terra, plantata desuper vinea, omnem memoriam de primo urbis sacerdote convelleret, et usque ad tempus illud **962** quo Probianus [b] episcopus urbis ejus est subrogatus, nullus de eo sermo haberetur. Fuit autem quidam, Augustus nomine, de domo Desiderati [c] quondam episcopi, cujus manus ac pedes ita contraxerant, ut non aliter nisi de genibulis atque cubitis sustentaretur, si alicubi processurus vellet incedere. Is, inspirante Deo, de eleemosynis devotorum apud Brivas [d] vicum in honore sancti ac beatissimi Martini antistitis oratorium ædificavit : cujus cum in ipsum reliquias detulisset, statim directis membris sanus effectus est. Deinde collectis secum paucis monachis, sub regula monasterii degens, semper orationi vacabat. Unde factum est ut in sequenti accersitus ab episcopo, abbas ordinaretur in basilica sancti Symphoriani, quam memoratus pontifex fabricaverat ante conspectum muri Biturigi. Nec tamen monachos quos prius congregaverat relinquens, sed instituens eis præpositum, ipse utrasque cellulas gubernabat. Denique cum apud hanc basilicam moraretur, apparuit ei sanctus Ursinus per visum noctis, dicens : Defossa humo, inquire corpusculum meum (*An.* 560). Ego enim sum Ursinus hujus urbis primus episcopus. Qui ait : Quo ibo, aut ubi quæram sepulcrum tuum, cum ignorem locum ubi sis positus? At ille, apprehensam ejus manum, duxit ad locum, et ait : Sub harum vitium radicibus corpus meum habetur. Expergefactus abbas narravit hæc sacerdoti suo; sed ille parvipendens quæ **963** a presbytero dicebantur, nullum inquirendi studium potuit. Interea beatus Germanus Parisiacæ urbis episcopus adfuit, susceptusque ab episcopo, post cœnam domus ecclesiasticæ cum se sopori dedisset, apparuit utrique per visum, episcopo simul scilicet et abbati, duxitque eos ad locum sepulcri, deprecans ut auferrent eum a loco illo. Expergefacti simul ad vigilias conveniunt in ipsam sancti Symphoriani basilicam; explicitisque officiis matutinis, refert episcopus abbati quæ viderat, confessusque est et ipse vidisse similiter. Igitur insequenti nocte accedentes illuc cum uno tantum clerico, qui cereum ferret, venerunt ad indicatum locum, eumque fodientes usque in profundum, sepulcrum reperiunt : quo detecto, amotoque opertorio, viderunt sanctum corpus tanquam dormientis hominis, nulla putredine resolutum. Quod admirantes, et iterum opertorium componentes, indicarunt episcopo, data die, quæ viderant. Tunc ille convocatis abbatibus et clero, cum honore atque psallentio levaverunt beatum sepulcrum : et quia vectes illi quibus ferebatur valde longi erant, cum venissent ad porticum, non poterant deflecti in ingressu ejus, ut ad ostium ædis sine labore accederent. Tunc beatus Germanus, elevata voce, ait : Sancte Dei sacerdos, si voluntas tua est in hanc basilicam ingredi, sentiamus levamen adjutorii tui. Et statim, amisso pondere, ita in summa levitate factus est sarcophagus, ut, relictis vectibus, pauci manibus ferrent quem usque ad locum illum multi detulerant. Et sic, celebratis missis, gaudente populo, juxta altare sepelitur [e], multis se deinceps virtutibus manifestans.

CAPUT LXXXI.

De Mariano recluso.

964 Fuit autem in ipso termino [f] Marianus quidam eremita (*An.* 513, 19 *Aug.*), cui non erat aliter

cap. 29, alius esset a beato Ursino, Senicianus fortasse, qui secundus Biturigum episcopus fuisse dicitur.

[a] Extra urbes in campis et agris sepeliendi consuetudo antiquissima est, quæ legum auctoritate sæpius firmata et renovata fuit etiam ab imperatoribus Christianis. Hanc præ cæteris religiose coluerunt Galli, ut patet ex can. 56 Conc. I Bracarensis, etc. Vide Savaronis notas in epist. 12, lib. III Apollinaris Sidonii.

[b] Laudatur a Fortunato in Vita sancti Germani Paris. ubi hæc ipsa translationis historia habetur. Puer sancti Hilarii meritis a gravi morbo liberatus fuit, ex lib. II Mirac. Sancti Hilarii; presbyter factus conc. IV. Aurelian. nomine Arcadii episc. Bituric. subscripsit an. 541. Cujus successor post Desideratum factus, interfuit conc. Paris. II an. 555, et III an. 557. Romam profectus ibi obiit ac sepultus est.

[c] Probiani decessor, cujus Vitam ab abbate Boviensi scriptam ferunt. Sed ipsa est sancti Audoeni Vita per Fridegodum scripta, quam aliquis nebulo in patriarchio Bituric., mutato Audoeni in Desideratum nomine, ipsi attribuit, ut ex utriusque collatione probat Cointius ad an. 549 n. 70 et seqq. Subscripsit conc. Aurelian. V et Arvern. II an. 549. Obiit an. 570, die 8 maii, quo ejus festum celebratur. Augustus vero, qui postmodum abbas fuit, in Molani additionibus ad Usuard., 7 octob., uti sanctus laudatur.

[d] Laud. cum Ed., *Brias*. Habetur in archipresbyteratu Exoldunensi locus *de Brivis* (*Brives*) dictus, ubi cum ecclesia parochiali exstat prioratus, Dolensi olim monasterio subjectus, qui fortasse hic designatur.

[e] Ibi hodieque asservatur. Vide Patriarchium Bituric. Hæc vero ecclesia nunc intra urbis muros, mutato nomine, sancti Ursini appellatur, collegio canonicorum et parochiæ titulo insignis.

[f] Colb. a, *ipso tempore*. Colitur in Martyrologio Rom. die 19 Augusti. Ejus tamen festum celebratur die 19 Septembris in ecclesia Bituricensi, cujus vitam ex vetustissimo Breviario edidit Labbeus tomo II Bibl. novæ, pag. 432, ubi dicitur annis sex in monasterio Principiaco, sub sancto Faterio abbate vixisse, tum secessisse apud Spinolaium vicum, ibique 44 annis eremiticam vitam transegisse. Nihil habet de ejus morte. Tetradius episc. Bituric. qui ecclesiam ejus dedicasse dicitur, interfuit concilio Agathensi an. 506, et Aurelian. I an. 511. Unde colligimus Marianum regnante Clodoveo I floruisse. Neptem habuit beatum Animium, et Terentia abbatissa ejus barbam pro reliquiis diu servavit.

poma agrestia : et si ei aliquoties a qui- A ante se cum caballo ex itinere lasso prosequens
ei delatum fuisset, aut si ipse reperire adducebat. Turbatus enim fuerat a via, et quasi
i silvis, hoc ei erat cibus. Qui cum ple- amens factus in illam partem de qua egressus fuerat,
sitaretur a plurimis, quodam tempore a mente turbata, redibat. Cognoscitque vir ille boves
s non poterat inveniri. Investigantes de- quos perdiderat : hos recipiens, hominem absque
viri qui venerant, deprehenso vestigio, calumnia redire permisit, quia cognovit hoc sibi per
locum in quo flexo genu aquam hau- virtutem sancti Mariani præstitum, cum in illa hora
io ; et exinde progressi reperiunt eum reperit perditum, cum ejus adivit plenus fide sepul-
bore malo jacentem mortuum. Unde cre- crum : quæ postquam gesta sunt, diligentiore cura
atur in populo eum elisum ex arbore spi- Confessorem Dei plebs cœpit excolere Bituriga.
alasse ; sed evidenter non est cognitum,
nullo refertur visum. Tunc viri qui adve-

CAPUT LXXXII.

vantes, attulerunt ad vicum Evaunensem [a]:

De Eusitio recluso.

itum dignisque indutum vestibus sepelie-
lesia, festa obitus ejus per singulos cele-
nos : ad quæ [b] convenientes populi, B
infirmitatibus sanabantur. Quidam autem
annonas diu infectas aqua ac germine pro-
latas, facto igne, super vimina contexta
rat ad pocula facienda. Accedens autem
orum ejus, ait : Quid tu, o homo, hoc
n opere ? An ignoras quod solemnitas est
ni ? Qui cum furore respondit : Putasne,
ec loqueris, quod homo elisus ex arbore
mpendia gulæ, angelorum sit relatus con-
sanctus debeat adorari ? Melius est enim
ssarium in domo exercere, quam talem
xcolere. Quod ille audiens discessit, et
is ad basilicam sancti abiit, relicto domi vi-
re laborante. Nec **965** mora, flante vento,
itur domus, incendio exuritur omnis, nec C
de substantia restat hominis. Exinde ele-
flammarum super hospitiola aliorum quæ
ita erant, transilientes [*], hujus hominis
es, tuguriola vel porcorum vel animalium,
quæ ad eum pertinebant, flamma per-
quidquam remansit huic misero, quod
t igni succensum. Quod si evenisse quis
itat, admiretur quod nulli vicinorum cir-
itium nocuit. Quid nunc agis, o cruda
, quæ semper in Deum et ejus amicos
, ut tibi exinde damnum acquiras? Alte-
hominis malitia furis boves abstulerat,
rehenso vestigio, et inter infusos aqua
mites ac profundas luti voragines perdito,
recurrit sepulcrum, fusaque oratione, D
asilica fuisset egressus, advertit hominem
em publicum venientem, qui boves illos

Fuit in hoc territorio et Eusitius [d] vir virtutum (*An.* 532, 27 *Nov.*), qui, tanquam eremita, inter spinarum condensitatem ab hominum se familiaritate removerat, qui aurum vel divitias mundi hujus tanquam stercora exhorrebat. Ad hunc cum diversi propter diversas infirmitates irruerent, plerumque ei infantes **966** quibus fauces intumuerant deferebantur : quos ille tactu blandissimo pertractans, aiebat, quasi spiritali joco delectans : Merito, inquit, hæc gula doloribus quatitur, quæ inglutire non sinit [*]. Sed in Trinitatis nomine signum crucis imponens, infirmas fauces a doloribus et tumoribus liberabat. Quartanariis vero tam præsens beneficium erat, ut aquam tantum benedictam ad bibendum tribuens, continuo eos redderet sanitati. Habebant clerici ejus duo vasa apum : cumque unus ex vicinis ejus quartani typi vexaretur ardore, ad eum veniens solitam ab eodem accipiens medicinam, sanus est redditus ; et redire domum cupiens, vasa illa eminus cernit in arbore. Inflammante protinus cupiditate, quæ radix omnium malorum esse describitur, cogitat ea furtim auferre. Inventoque simili sibi satellite, nocte arborem illam petit. Cumque in eam ascendisset, ut socio porrigens vasa deponeret, ecce ab alia parte senex advenit. Quo viso ille qui ad terram erat, fugam petiit, nec socio quid caveret exposuit. Senex vero sub arbore stetit, et vas unum quod fur porrexit, mutuo accepit : cumque et alterum vellet auferre, ait Sacerdos : Sufficiat nunc, fili, istud ; alterum vero ei qui ipsum laboravit reserva. Qua ille voce perterritus, se deorsum jactat. At ille apprehensum eum ad cellulam deducens, ait : Cur, inquit, fili, diabolo præcedente tu sequeris? Nonne hesterno die ad me veniens, benedictionem Domini accepisti? Si, inquit, ex melle delectabaris,

est diœcesis Lemovicensis, vulgo dictus
i sepultus fuit Marianus, qui in vicina silva
d'Antraigues en Combrailles) mortuus re-
erat. Sacrum ejus corpus in ipso pariete
quam hodie incolunt canonici regulares
gustini, depositum fuerat, sed exinde trans-
t in capsam argenteam a Reginaldo *de la*
oise. Lemovicensi, an. 1300, ut refert Ber-
uido apud Labbeum, tomo I Bibl. novæ,

olb. a, alt. manu ; cæteri, *atque*.
vox *transilientes* est in solo Colb. a, al.
i et infra *aream incenderent*.
Eusicius. Bell., in titulo, *Usichius*. Ed.,

Eutichius multarum vir. Primum in monasterio Patriciaco vixit, tum in eremum secedens initium dedit monasterio celebri, quod hodie ex ejus nomine Cella sancti Eusicii (*Selles en Berry*) appellatur. Eusitii Vitam et observationes edidit Labbeus tomo II Biblioth. novæ, pag. 371, miracula autem pag. 463. Alterius vero Vitæ fragmenta Chesnius tomo I Hist. Franc. exhibet. Quo autem pacto cum Gregorii textu, et inter se ipsas componi debeant, exponit Cointius ad an. 531. Ejus mortis annus incertus est. Senex erat an. 531, quo Childebertus bellum in Wisigothos movit.

[*] Bell., *quæ in gutture non sinet*.

a me petisses, et ego sine ullo improperio et tuo impedimento, ut tibi fuerat copia, tribuissem. Tunc et aliis multis verbis arguens eum, favum ei mellis largitus est, et illæsum abire permisit, dicens : Cave ne ultra repetas, quia furtum Satanæ pecunia est. Ad hunc ergo senem Childebertus in Hispaniam abiens, venit (*An.* 531); cumque ei quinquaginta aureos obtulisset, ait senex : Quid mihi ista profers? illis qui ea pauperibus largiantur attribue, **967** mihi autem hæc necessaria non sunt. Sufficit mihi, ut pro meis peccatis Dominum merear deprecari. Et adjecit : Vade et victoriam obtinebis, et quod volueris ages. Tunc rex aurum pauperibus erogans, vovit ut si eum Dominus cum sua gratia de itinere illo reduceret, in honore Dei basilicam in eo loco ædificaret, in qua senis membra quiescerent. Quod postea adimplevit.

CAPUT LXXXIII.

De Maximo Regiensi episcopo.

Maximus Regiensis episcopus atque confessor [a] (*An.* 460, 27 *Nov.*) sæpius se incolis in multis virtutibus manifestat; ad cujus sepulcrum non solum cæci illuminantur, sed etiam et alia morborum genera ejus virtutibus depelluntur. Nuper autem quæ gesta cognovi referam. Puerulus erat quasi annorum trium, adhuc ad matris dependens ubera. Hic a febre correptus, dum genitricis manibus bajulatur, taliter est addictus, ut nec papillam, nec alium cibum sumere posset. Interea dum per triduum graviter agens, amatorum bajularetur in ulnis, ait quidam ex famulis : Utinam ad sepulcrum beati Maximi hic parvulus deferretur. Confidimus enim de ejus meritis, quod possit eum sanitati pristinæ restaurare. Qui dum defertur inter amatorum manus, spiritum anhelus emisit : quod cernentes parentes ejus, flentes ac clamantes, projecerunt eum ante sepulcrum beati Maximi confessoris, clausisque ostiis reliquerunt corpus exanime. Nocte vero in lamentatione deducta, cum redditus terræ dies alius illuxisset, reseratis ædis sacratæ ostiis, infantulum erectum per cancellos sepulcri trahentem se, atque ambulare conantem aspiciunt. Nondum enim ei erat ætas perfecta, ut recte posset incedere. Quod admirantes **968** parentes gavisi sunt : suscepitque eum mater mœsta cum gaudio, ac domui restituit sanum. Ipsum autem puerum jam adultum vidi, qui nobis hæc retulit.

CAPUT LXXXIV.

De Valerio episcopo.

Valerius beatus confessor, Consoranensium primus episcopus [b] (*An.*..... 5 *Jul.*), hoc se revelavit modo. Nam oratorium super se constructum prius habuit; sed per incuriam ruens, oblivioni datum est quo in loco quiesceret : hoc tantum ab incolis ferebatur, quod fuisset ante sanctum altare sepultus. Adveniens autem Theodorus episcopus [c] (*An.* 550), oratorio ipso in majori spatio ampliato, magnam effecit basilicam : deinde sanctum venerabilis viri corpus inquirens, reperit duo sepulcra, sed nesciebat quis esset sacerdotis illius e duobus. Tunc, convocato clero, vigilias tota celebrat nocte, deprecans ut sibi beatus Confessor quo in loco jaceret exponeret, implevitque duas ampullas vino, et posuit super unumquemque tumulum, dicens : In quo falerna fuerint ampliata, ipsam manifestum sit esse Valerii antistitis sepulturam. Data vero luce egressus de basilica, et ostiis sigillis munitis, dedit membra sopori. Surgens autem ad horam tertiam, venit ad sanctam basilicam, reseratis ostiis, cum clero et populo : reperit ampullam unam parumper vini habentem; alteram vero in tantum ore patulo exundare, ut totum beati Pontificis ablueret monumentum. Per hoc itaque cognovit sacerdos quis esset Valerii episcopi tumulus. Sed evidentius adhuc scire cupiens, detegit monumentum, amotoque operitorio, reperit venerabile corpus valde integrum, de quo non cæsaries decidua, non barba fuerat diminuta, neque aliquid in cute corruptum aspiciebatur **969** aut tetrum : sed erant omnia illæsa, ac si nuper fuissent recondita, tantusque odor suavitatis fragrabat e tumulo, ut non dubitaretur ibi quiescere Dei amicum. Lauri etiam folia sub se habebat strata, de quibus assumens Episcopus, multis infirmis præbuit medicinam. De vestimentis igitur ejus reliquias sumpsit : rursumque operto tumulo venerandum deinceps Antistitem honoravit, multaque miracula de his pignoribus cernens in posterum.

CAPUT LXXXV.

De Silvestro Cabillonensi episcopo.

Beatissimus [d] vero Silvester Cabillonensem

[a] Factus est ex abbate Lirinensi episcopus Regiensis (*Riez en Provence*) sub Aquensi metropoli, anno 433. Interfuit concilio Regiensi an. 439, Arausicano I an. 441, et Arelatensi III occasione jurisdictionis monasterii Lirinensis an. circiter 455. Faustus ei primum in abbatiæ Lirinensis regimine, tum in episcopatu successit, ut canit Sidonius in Eucharistico. Miraculis ante et post mortem claruit. Ejus laudes istorum temporum scriptores plurimum commendaverunt. Vitam vero ipsius scripsit Dynamius Patricius, quæ omnia Vincentius Barralis in Chronologia sanctorum Lirinensium refert. Vitam quoque Surius habet die 27 Novembris, quo ad superos abiit. Sepultus est in ecclesia sancti Petri a se constructa. Aliquot homilias scripsit, quæ inter eas quæ sub Eusebii Emisseni, seu Gallicani, sive Eucherii Lugdunensis nomine editæ sunt, habentur.

[b] Quo tempore vixerit sanctus Valerius, incertum est. Glicerius ejus, in catalogis vulgatis, successor subscripsit concilio Agathensi an. 506. Consoranensium urbs a Licerio quinto ejus episcopo nomen habet *Saint-Lizier de Conserans*, in Wasconia sub Auxitana metropoli.

[c] Eleutherius archidiaconus a Theodoro episc. Consorannicæ ecclesiæ missus subscripsit concilio v Aurelian. an. 549.

[d] Hoc caput cum sex seqq. deest in Clar. a. Refertur tamen integrum cum sequenti in historia elevationis sanctorum Silvestri, etc., quam e veteri Ms. post Perrium et Cussetum edidere Bollandiani ad diem 17 Martii. Ex hac historia discimus sanctorum Silvestri, Agricolæ et Desiderati Vitas jamdudum, si unquam scriptæ fuerunt, deperditas fuisse. Sed hanc jacturam resarcire conatur ille auctor ei

[a] rexit Ecclesiam (*An.* 514,20 *Nov.*), qui, quadraginta duobus annis sacerdotio ministrato, plenus dierum atque virtutum migravit ad Dominum. Habuit autem lectulum funibus subtilibus innexum : sub quo cum semel atque iterum infirmi, sive quartanarii, sive variis febribus oppressi subderentur, statim, virtute divinitus indita, sanabantur. Idcirco hic lectulus in ecclesiæ sacrarium deportatus, simili virtute nitescit. Multi enim, sicut oculis propriis inspexi, abscissis de funibus illis particulis, in longinquum deferebant, ipsisque super infirmos locatis, sanitatis adesse beneficium contuebantur. Nam mater mea ab hoc decisa particula, ut puellæ a frigoribus febricitanti collo dependi fecit, morbo extemplo depresso, puellam sanam aspexit.

CAPUT LXXXVI.

De Desiderato ejusdem territorii recluso.

970 In hac urbe fuit et Desideratus presbyter, quem ego apud monasterium Gurthonense [b] vidi (*An.* 570,30 *April.*), virum sanctitate magnificum, qui sæpius frigoriticis, dolore dentium laborantibus aliisque morbis, orando finem imposuit. Nam [c] usque quoque reclusus erat, hoc est non egrediebatur e cellula : sed qui voluisset videbat eum in cellula. Hic, ut diximus, eximiis illustratus virtutibus emicuit sæculo. Quod audiens benedictus Agricola [d] episcopus, misit archidiaconum suum, ut beatum urbis cœmeterio deferret : sed resistentibus monachis, quod jussus fuerat non implevit. Posthæc, ædificato xenodochio leprosorum sacerdos suburbano, in ejus basilicam collectis abbatibus et omni clero, beatum corpus transtulit, et in basilica superius memorata summo studio sepelivit [e] : qui se nunc vivere cum Christo magnis virtutibus manifestat.

CAPUT LXXXVII.

De Joanne abbate.

Fuit [f] in Tornodorensi pago in parochia Lingonicensi vir sanctitate præcipuus Joannes abbas, juxta sui nominis etymologiam divina gratia præventus (*An.* 539, 28 *Jan.*). Denique fertur quia cum monasterium ædificare vellet, quod Reomatis nuncupatur, et fratres nimiam aquæ penuriam paterentur, reperit **971** puteum immani profunditate altum, ubi pessimus serpens basiliscus habitabat. Hic itaque divina invocatione perempto serpente, ac mundato puteo, puteum potabilem fratribus reddidit : de qua aqua et nos cum Lugdunum pergeremus a fratribus illius monasterii benigne suscepti, causa miraculi hausimus, cujus etiam haustu plurimi frigorit ei curantur. Fertur et de præfato viro tale miraculum. Quidam fratricida, pro enormitate criminis ferreis circulis alligatus [g], præceptum habuit ut septem annis loca sanctorum peragrando circuiret. Hic cum Romam venisset, revelatione divina comperit non aliter se posse absolvi, nisi ad sancti corporis reliquias Joannis Reomaensis abbatis perveniret. Hic ergo passim lustrando loca, tandem devenit ad basilicam, ubi haud longe a monasterio [h] sacratissimum corpus ejus locatum est : ibique orationibus ac vigiliis incubans, vinculis omnibus absolutus est. Vixit vir hic justus et vir religiosus, sicut legislator Moyses, centum viginti annis, cujus nec oculus caligavit, nec dens motus est : fuit autem institutor viri memorabilis (*Forsan*, sancti Sequani, *cap. seq.*), de quo in suo loco narrabimus.

CAPUT LXXXVIII.

De Sequano abbate.

Magnæ autem virtutis fuit et ille Sequanus [i] Lin-

laudatis Gregorii nostri capitibus, et historia Inventionis eorum reliquiarum, quam suo tempore factam describit. Hanc procuravit Girbaldus seu Girboldus, labente sæculo IX, Cabillonensis episcopus, qui post elevatum e terra an. 877 sancti Lupi episc. Cabillonensis corpus in sancti Petri basilica suburbana, de sanctis Silvestro, Agricola et Desiderato, qui apud sanctum Marcellum jacebant, transferendis in animum induxit. Quod anno 878 aut sequenti exsecutus est pridie Nonas Maii. Joannes vero VIII papa paulo post Cabilonem veniens annuam solemnitatem in eorumdem sanctorum honorem celebrandam instituit.

[a] Laud., Colb. tut. et Bell., al. manu, *Cabillonensem ;* et infra Scripti omnes, *quadragesimo secundo anno.* Subscripsit Silvester conc. Epaonensi an. 509, et Lugdun. I an. 517. Festum ejus recolitur die 20 Novembris.

[b] In historia inventionis supra laudata, *Guerdonensi.* Hodie dicitur *Gourdon*, vicus in pago Cadrellensi (*le Charolais*).

[c] Plerique Mss. : *Non enim usquequaque.*

[d] De sancto Agricola Cabillonensi episcopo Gregorius agit lib. V Historiæ cap. 46, ubi plura de eo diximus. Scripsit ad sanctum Germanum. episc. Paris. pro obtinenda cubicularii sui sanitate ex Vita sancti Germani cap. 1. De voce *benedictus* vide notas ad cap. 16 lib. III Hist.

[e] Hist. inventionis supra laudata, quæsitum quidem corpus sancti Desiderati in sancti Marcelli basilica memorat ; sed nusquam dicit ipsum fuisse repertum.

[f] Hoc caput deest in Mss. Sancti Joannis vitam scripsit monachus anonymus Reomaensis ipsius suppar, quam Jonas interpolavit, eique librum de ejus Miraculis adjunxit. De his vide Mabillon. Acta sanctorum ord. sancti Bened., sæc. I, ad an. 539 ; Bollandum die 28 Januarii ; et Cointium ad an. 539, num. 18. Monasterium Reomaense quod condidit, ex ejus nomine vulgo *Moutier-saint-Jean*, hactenus perseverat sub ordine sancti Benedict. et cong. sancti Mauri in agro Tornodorensi, cujus historiam edidit Petrus Roverius.

[g] Id pœnitentiæ genus passim in libris de sanctorum miraculis occurrit, quod ab episcopis ac presbyteris pœnitentiariis ob crimina graviora imponi solebat. Vetitum est in lib. I Capitul. Caroli Magni. Ejus tamen non pauca exempla sæculis sequentibus occurrunt, ut observat Mabillonius. Vide Roverii notam 75, aut Bolland. tomo II Januarii, pag. 806.

[h] Hæc basilica hodie parochialis est vici, cui exinde nomen inditum est Corporis sancti, haud procul ab ipso monasterio. Varias ejusdem sancti translationes memorant laudati auctores, quos si lubet consule. Lapideum ejus sepulcrum hodieque ibi visitur.

[i] Sancti Sequani Vitam habes sæc. I Act. sanctorum ord. Benedictini. Monasterium Segestrense, quod ab eo conditum, nunc vulgo Sancti Sequani (*Saint-Seine*), cum adjuncto oppido, quinque leucis infra Divionem, appellatur, hactenus perseverat sub ordine sancti Benedicti et cong. sancti Mauri, ubi ejus sacræ reliquiæ asservantur.

gonici abbas territorii, qui vivens sæpe homines a vinculo diabolici nexus absolvit, et post obitum ad sepulcrum suum ergastulari catena revinctos liberos meritis suis abire permisit (*An.* 580, 19 *Sept.*). Denique Guntchramnus rex cornu [a], cujus voce vel molossos colligere, vel illa corneorum **972** arboreorum armenta effugare consueverat, furto ablatum perdidit : quæ res multos in vincula conjecit, nonnullos facultate privavit. Ex quibus tres viri memorati Confessoris monumentum petierunt : quo rex comperto, jussit eos catenis atque compedibus necti. Factumque est ita. Media nocte vero lux in basilica humana luce clarior oritur : dissiliunt ferrearum pedestrium repagula, catenarumque disruptis baccis [b] vincti laxantur. Quo audito, rex exterritus velocius eos liberi arbitrii potestate donavit.

CAPUT LXXXIX.

De Marcello Parisiorum episcopo.

Marcellus vero Parisiacæ urbis episcopus, qui quondam, ut in ejus Vita [c] legitur, serpentem immensum hoc depulit ab oppido, et nunc in ipsius civitatis vico quiescit (*Sæc.* IV, 1 *Nov.*). Ad cujus tumulum cum Ragnimodus presbyter, qui nunc ejus municipii habetur sacerdos [d], quartano typo veniens decubasset, totaque die jejunio et orationi vacasset, facto jam vespere obdormivit. Expergefactus vero post paululum a somno, incolumis surrexit a tumulo.

CAPUT XC.

De Germano ejusdem urbis episcopo.

Ingrediente autem Chilperico rege in urbem Parisiacam, sequenti die quam rex ingressus est civitatem (*An.* 576, 28 *Maii*), paralyticus, qui in portico basilicæ sancti Vincentii, in qua beatus Germanus [e] requiescit in corpore, residebat, dirigitur : mane autem facto, exspectante populo, gratias beato Antistiti referebat. **973** Nam sæpe ibi et gressus paralyticorum et cæcorum visus virtute Sancti restituuntur, et raro advenit ejus solemnitas quin ibi ejus virtus ostendatur.

CAPUT XCI.

De Genovefa virgine sanctissima [f].

Est ibi et sancta Genovefa [g] in basilica sanctorum sepulta apostolorum (*An.* 509, 3 *Jan.*), quæ in corpore posita tantum in virtute prævaluit, ut mortuum suscitaret. Ad cujus tumulum sæpius petitiones datæ suffragium obtinent ; sed et frigoriticorum febres ejus virtute sæpissime restinguuntur.

CAPUT XCII.

De sepulcro beati Lusorii.

In Dolensi autem Biturigi termini vico beatus Lusor, Leucadii quondam senatoris filius, requiescit (*An.* 255, 4 *Nov.*), qui fertur in albis migrasse a sæculo : in crypta vero positus super pavimentum, sepulcrum habens ex marmore Pario mirabiliter exsculptum [h]. Factum est autem ut quadam vice

[a] Reges cornibus in venationibus, in præliis vero tubis semper usos fuisse observat Valesius in defensione sua contra Launoium, parte I. Vide Rigordum in Gestis Philippi Augusti.

[b] Omnes Scripti, *bacis*. Hanc vocem eodem sensu usurpat Fortunatus in Vita sancti Germani, cap. 30.

[c] Sancti Marcelli Vitam a Fortunato presbytero scriptam refert Surius die 1 Novembris. Sepultus est in ecclesia suburbana, quam Launoius tunc temporis cathedralem fuisse contendit, Valesio et aliis reclamantibus. Eam sub prima regum nostrorum stirpe jam celebrem fuisse nemo inficiabitur. Illustri collegio canonicorum a compluribus sæculis gaudet : sancti tamen Antistitis corpus inde majorem ecclesiam translatum est, ubi in ditissima theca asservatur.

[d] Id est, episcopus Parisiensis. De eo passim in Historia Gregorii.

[e] Sanctum Germanum passim laudat noster Gregorius in Hist. libris. Ex abbate Augustodunensi factus episcopus subscripsit concil. Paris. III an. 557, Turon. III anno 567, et Paris. IV an. 573. Ejus epistolam ad Brunichildem in appendice dabimus. Ante et post mortem miraculis clarissimus fuit, ita ut vulgo ab antiquis auctoribus *Sanctissimi* ac *Beatissimi* titulo designaretur. Ejus nomini paulo post obitum ecclesiam cum monasterio Bertramnus exstruxit ; sepulcrum vero ipsius auro, argentoque et gemmis exornavit sanctus Eligius, ut refert sanctus Audoenus lib. I, cap. 32. Beda in sincero Martyrol. de eo ait : « Tantæ virtutis fuit, ut eau as infirmitatum hoc esset curare quod tangere. » Sepultus est in oratorio sancti Symphoriani, majori basilicæ monasterii, quod ipso hortante Childebertus rex construxerat, adhærente, ubi etiamnunc visitur ejus tumulus. Sacrum corpus sæculo VIII translatum est in majorem ecclesiam. Servatur in theca auro argentoque fabricata ac gemmis exornata. Ejus Vitam a Fortunato scriptam edidere Surius, Mabillon. sæc. I Bened., ac Bollandiani ad diem 28 Maii, ubi et sæc. III Benedictino habentur plura de ejusdem sancti translatione, miraculis, ac monasterio, quod hodieque, cum toto suburbio maximis urbibus æquali, ab eo Sancti Germani a Pratis dicitur. Epitaphium quod a rege Chilperico factum dicitur, iidem auctores exhibent ex Aimoino.

[f] Laud., Bell. et Colb. a : *De Genovefa religiosa.*

[g] Eam Gregorius *Beatissimam* appellat lib. IV cap. 1, cujus Vitam Surius et Bollandus die 3 Januarii referunt. Interpolata est ea quam Chifletius edidit. Ejus virtutes laudat Constantius in Vita sancti Germani Antissiodor. episcopi, a quo Virgo beatissima Deo sacrata fuit ; cujus memoriam jam celebrem paulo post ipsius obitum fuisse non vetera solum Martyrologia probant, sed et missa propria, quam in Liturgia veteri Gallicana habes apud Mabillon., lib. II, num. 16. Sigibertus, in Chronico, ad an. 512, Theodosii junioris 20, quem 28 Clodovei appellat (qui fuit 509) cuique concilium I Aurelian. anno 511 habitum illigat, hæc habet : « Genovefa virgo Parisiensis octogenaria transit ad Dominum. » Basilicam in ipso loco, ubi sepulta fuit, exstruxit Clodoveus, quæ post varias fortunas canonicis regularibus sancti Augustini concessa est, sæculo XII agente, Sugerio abbate Sancti Dionysii, qui ibi etiamnunc perseverant sub abbate regulari, totius Gallicanæ congregationis strictioris observantiæ præside generali. De variis sanctæ Genovefæ translationibus, quarum Acta refert Bollandus, fuse disserit R. P. Gerardus Bubois in Hist. Paris. lib. I, cap. 9. Ejus sacrum corpus, quod in publicis calamitatibus solemniter per urbem deferri solet, in eodem monasterio religiose asservatur in theca ditissima, quam idem auctor describit.

[h] Visuntur etiamnunc in crypta subterranea ecclesiæ sanctorum Stephani et Saturnini Dolensis, vulgo *Bourg-Déols*, apud Bituriges, duo sepulcra vetustissima variis figuris decorata, in quorum uno

sanctus Germanus, **974** Parisiacæ urbis episcopus, ad hunc tumulum vigilias celebraret, haud procul formulam habens, in qua genua, cum necessitas cogeret, deflectebat. Factum est autem in una vigiliarum nocte, dum psalmos lectionis Davidicæ decantarent, stationis labore lassi clerici, quasi pro aliquo relevamine, se super sepulcrum Sancti defixis ulnarum compagibus sustentarent. Contremuit illico beati tumulus Confessoris, et sibi injuriam irrogari præsenti vibratione fatetur. At Germanus pontifex, pavore perterritus, amoveri desuper præcepit somnolentos, dicens : Absistite, o segnes, procul a tumulo, ne sancto Dei molestia inferatur. Quibus amotis, tremorem illum deinceps non senserunt. Sed nec illud placuit præteriri, quod cuidam pauperi idem Lusor beatus per visum apparuit, præcepitque cellulam emundari, in qua, ut ferunt, infantiæ vagitus exegerat : sed cum pauper ille bis commonitus agere jussa differret, apparuit ei tertio, dicens : Si feceris quæ præcipio, unum triantem pro obedientiæ famulatu recipies. Ille vero consurgens, cellula scopis mundata, abluta aqua, herbisque respersa, stabat attonitus, pollicitam promissionem opperiens, donec nutu Dei advertit **975** triantem in pavimento lucere, quem colligens lætus abscessit.

A manus super sanctum sepulcrum, dixit : Hujus sancti virtute opprimar, si aliquid falsi loquor de his quæ prosecutione mea contra hunc Francum insisto. Fremente autem barbaro, et quasi contra Sanctum Dei furibundo, egressi sunt de basilica : cumque per viam pariter pergerent, subito delapsus presbyter solo pessumdedit, et mortuus est. Laudavitque deinceps barbarus virtutem Sancti, cui prius detraxerat. Sicque archidiaconus urbis ipsius, cum a Nicetio episcopo pro adulterii crimine pulsaretur, sacramento se ad hujus sancti sepulcrum purificari expetiit : ingressusque primum cryptæ limen, restitit quasi stupens; dehinc descendens per gradus ad aliud ostium venit; cumque ad tertium accedere vellet, protinus febre correptus, gressum amplius figere B non audens, crimen quo imputabatur, in discrimine **976** mortis positus, est confessus, deprecans populum ut pro se vel sancti Antistitis, vel episcopi sui suffragia flagitaret. Sed statim ut confessus fuit, ab impulsu febris erutus, sui antistitis est in charitate receptus.

CAPUT XCIII.

De Maximino Treverorum episcopo.

Est et apud urbem Trevericam suburbano sanctus Maximinus [a], magnus cum Domino populi illius advocatus, ad cujus tumulum sæpe cernuntur miracula gloriosa (*An.* 349, 29 *Maii*). Tempore enim Theodoberti regis Arboastes [b] quidam presbyter cum Franco quodam intendebat, rege præsente. At dum hæc agerentur, rex loca sancta urbis, quæ sub urbis illius vicis habentur, causa visitabat orationis. Cum autem videret rex prosecutionem presbyteri esse callidam, conversus ad eum : Si vera sunt, inquit, quæ prosequeris, hoc super tumulum Maximini antistitis sacramento confirma. Audeo, ait, hæc, presbyter, quæ præcipis adimplere. Et statim ponens C

CAPUT XCIV.

De Nicetio ipsius urbis episcopo.

Nicetius [c] autem, ut supra diximus, ipsius urbis episcopus, eleemosynæ, charitatis sanctitatisque totius refulsit merito, dum in corpore commoratus est (*Circ. an.* 566, 5 *Dec.*). Hic a sæculo migrans, ad basilicam sancti Maximini prædecessoris sui sepultus est. Ad cujus nunc tumulum vinctorum catenæ franguntur, energiam incursionis diabolicæ patientes extrusis dæmonibus liberantur, cæcorum oculi plerumque remotis tenebris lumine infunduntur. Jam de perjuris [d] quid dicam? Si quis enim ibi falsum juramentum proferre ausus fuerit, illico divina ultione corrigitur : nec quisquam hæc vel loqui audet, si, conscientia torquente, reum se esse cognoverit, quod ibi sacramentum præsumat exsolvere.

CAPUT XCV.

De Medardo Noviomensi [*Al., Suessionensi*] *episcopo.*

Medardus vero gloriosus confessor juxta urbem Suessionis [e] quiescit (*Circ. an.* 560, 8 *Jun.*). Ad cu-

marmoreo sanctus Lusor sepultus fuisse dicitur, et in altero lapideo Leocadius ejus pater, quem ex Vettii Epagati martyris Lugdunensis stirpe prodiisse scribit Gregorius lib. I Hist. cap. 29. Lusoris, vulgo *saint Ludre*, qui *in altis*, id est intra primam sui baptismi hebdomadam, defunctus est, festum non recentiora solummodo, sed et Flori Martyrologium recolit die 4 Novembris. Hinc mirum est ipsius nomen ab aliquot annis e breviario Bituricensi fuisse resecatum. Vide Labbei Biblioth. novam, tomo II, pag. 426 et 427. Quo tempore sanctus Lusor vixerit non liquet. Gregorius loco laudato ait Leocadium primis Biturigum Christianis domum suam in ecclesiam convertendam concessisse. Eos autem Christianos a septem episcoporum, quos sub Decio advenisse censet, discipulis fide imbutos scribit. Unde Leocadium ac Lusorem labente sæculo III vixisse conjicimus.

[a] Celebris est sanctus Maximinus, qui Athanasium Treviros exsulem suscepit, a quo et ipsius fides laudatur in apologia ad Constantium, et in libro I adv. Arianos. Hieronymum in Chronico, Gregorium nostrum lib. I, cap. 35, et alios omitto. Ejus Vitam a Lupo episcopo sæc. IX scriptam edidit Surius; aliam vero, ut putant, ducentis annis vetustiorem Bollandiani edidere ad diem 29 Maii. Recensetur inter eos qui concilio Sardicensi interfuerunt, an. 347, et conc. Colon. anno præcedenti contra Euphratam, seu ejus decessorem, uti contendit Henschenius. Obiit die 12 Septembris in Aquitania, relatusque Treviros 29 Maii sepultus est in monasterio suburbano sancti Joannis, quod exinde sancti Maximini appellatum est, hodieque perstat sub hoc nomine celeberrimum ord. Benedictini, ubi in crypta subterranea sub altari majori requiescit cum sanctis Agroetio, et Nicetio, ejusdem urbis episcopis.

[b] Plerique, *Arboastis*. Colb. tut., *Arbogastis*.

[c] Ejus Vitam habes infra inter Vitas Patrum, cap. 17.

[d] Aliquot Scripti et Ed., *perjuriis*.

[e] Alii, *Sessionis*, *Sessiones*. Ed., *Suessionicam*. Fuit sanctus Medardus episc. Viromandensis, sedemque Noviomum translulit (*Noyon*), ubi hactenus perseverat, comitatus urbis, et pariatus Franciæ titulo

jus sepulcrum sæpe compe les miserorum confractos aspeximus. Post scriptum de mirabilibus ejus librum, mulier manu debilis devote expetiit beati præsidia Sacerdotis : denique cum reliquis vigilias fide integra celebrat, confisa ab ejus virtute manus humore ligatas posse dissolvi, qui infelicium catenas potentia virtutis **977** eximeret. Factum est autem dum missæ celebrarentur, resolutis nervorum arentibus ligaturis, gratias Confessori referens, atque ad sanctum altare accedens, gratiam benedictionis accepit incolumis. Et quia priusquam templum ædificaretur, erat super sepulcrum Sancti cellula minutis contexta virgultis, et dedicato templo hæc fuit amota, dignum est ut de ipsius ligni tenuitate magnum aliquid proferamus. Nam sæpius de eo hastulæ factæ parumper acutæ dolori dentium remedia contulerunt. Hæc audiens Charimeris [a], qui nunc referendarius Childeberti regis habetur, dum de hoc dolore laboraret, basilicam Sancti expetiit, ut sumpturus ex ligno a virtute Sancti medicinam mereretur accipere ; sed veniens ostium reperit obseratum. Confisus ergo quia virtus Beati ubique sit præsens, extracto cultro hastulam excutit ab ostio. Statimque ut dentes attigit, noxius dolor abscessit. Habetur apud nos et baculus ejus, de quo plerumque infirmi medicamina sunt experti.

CAPUT XCVI.

De Albino Andecavorum episcopo.

Albinus autem confessor (*An.* 550, 1 *Mart.*), cujus nuper Vitæ liber [b] a Fortunato est conscriptus presbytero, obtinet et ipse impertiente merito suum ostendi miracula ad sepulcrum. Aderat igitur dies solemnitatis, in quo paralyticus membris omnibus debilis, evectus plaustro, ante vitream absidæ qua sancta concluduntur membra sedebat, datusque sopori vidit virum ad se venientem, et dicentem sibi : Quousque dormitas, et sanus fieri non desideras? Qui **978** ait : Utinam merear sanus fieri! Dixitque ei vir : Cum signum ad cursum horæ tertiæ audieris insonare, surge continuo, et ingredere basilicam ad quam venisti. Futurum est enim ut ipsa hora beatus Martinus cum Albino contribule ingrediatur basilicam, ut, oratione facta, ad ejus solemnitatem Turonis accedere debeat. Si enim eo momento adpræsens fueris, sanus efficieris. Nec moratus ille, commoto signo, accedit ad tumulum Sancti. Cumque Davidici carminis laudationem clerici canere cœpissent, odor suavitatis in basilica Sancti advenit, et hic directis pedibus incolumis est erectus. Quod non a paucis, sed a plerisque visum regio testatur alumna. Sic et apud Croviensem [c] vicum mulier a nativitate cæca, invocans nomen Sancti, ipsa die illuminata est.

CAPUT XCVII.

De Hospitio confessore.

Fuit in regione Nicensi Hospitius [d] magnus Dei famulus (*An.* 581, 21 *Maii*), qui multis virtutibus præditus, ab hoc mundo migravit. Cumque sepeliretur, quidam juxta ipsum sepulcrum manum ponens parumper pulveris elevavit, quod in linteo involvens rudi secum sustulit. Progressusque postridie [e] navem quæ Massiliam ire parabat, offendit in littore : sed hic Lirinense monasterium expetere cupiebat. Viri igitur quorum erat navis, Judaica erant a stirpe progeniti. Qua existente causa, noluit vir indicare naucleris quæ ferebat. Denique postquam progressi contra Lirinense monasterium devenerunt, navis in medio pelagi restitit, flantibusque ventis nulla movetur in parte. **979** Stupentibus vero Judæis quid hoc esset, homo ille veritatem aperuit, dicens : Reliquias beati Hospitii mecum habeo, et nunc Lirinum adire desidero, quod vobis indicare metui. Nunc autem scio quia ejus virtute retinetur navis vestra : nec hinc moveri prorsus poterit, nisi consensum illuc præbeatis quo ego ire disposui. Quod audientes viri, stupore permoti, mutatis velis flante vento secundo, viro in insula Lirinensi deposito, quo voluerunt libere abierunt.

CAPUT XCVIII.

De eremita, cui caldaria lignea fuit.

Ecce quales quantasque suis congregat divitias mundi paupertas, ut eis non solum quæ voluerint Redemptor, qui cuncta ex nihilo condidit tribuat, verum etiam ipsa eis elementa jubeat famulari. Nam

decorata. De sancti Medardi obitu et monasterio diximus in cap. 19 libri IV Historiæ. Dicitur *Suessionensis* in capitis titulo ob ejus sepulcrum et ecclesiam prope Suessionas. Hoc caput integrum suæ Historiæ inseruit auctor Vitæ secundæ sancti Medardi tomo VIII Spicilegii.

[a] Is sancto Agerico in episcopatu Virodunensi successit, de quo supra lib. IX Historiæ cap. 23. Cæterum auctor Vitæ sancti Medardi supra laudatus habet : « Qui tunc referendarius Childeberti regis habebatur. » Ex voce tamen *nunc* Cointius intulit hunc librum scriptum fuisse antequam Gregorius Historiam scriberet. Sed forte hic auctor Gregorii textum suo tempori adaptavit.

[b] Hic liber editus est sæc. I Act. sanctorum ord. Benedictini, sicut et apud Surium et Bollandianos, die 1 Martii. Albinus ex abbate Trincillacensi, seu Cincillacensi, factus episc. Andegavensis subscripsit concilio Aurelian. III an. 538, et per Sapaudum abbatem Aurelian. IV an. 549. Ad ejus celebrandam festivitatem Fortunatus, mutante Domitiano episcopo, Andegavum perrexit, quod iter expressit versibus, carm. 24 lib. II. Quiescit in abbatia nomini suo dicata, quæ etiamnunc sub ord. sancti Benedicti et cong. sancti Mauri celebris est. Non desunt tamen aliæ Ecclesiæ quæ hujus sancti viri reliquias se habere gloriantur. Vide Gaufridi Vosiensis Chronicum, cap. 15, et Bollandianos ad diem 1 Martii.

[c] Sic Mss. omnes, ut et infra non semel in mirac. sancti Martini, quamvis Editi habeant ut plurimum *Croniensis* vicus, quem putant esse Credonem Andegavorum oppidum, vulgo *Craon*, ubi prioratus conventualis Benedictinorum cong. sancti Mauri. In charta Adalbergæ cujusdam pro monasterio sancti Sergii Andegav., tomo IV Galliæ Christ., memoratur villa *Nubiliacus* in pago Andegavensi, in vicaria Croniacensi.

[d] Vide ad cap. 6 lib. VI Historiæ, et Bollandianos ad diem 21 Maii.

[e] Clar. a, *post triduum*. De Lirinensi monasterio

recolo me audisse ante hos annos exstitisse quemdam in eremo regionis cujusdam, ad quem requirendum cum frater e proximo prompta devotione venisset, exceptus est ab eo plena animi charitate. Tunc ingressi parvulum quodammodo tugurium, oratione facta, resederunt. Conferentesque plurima de verbo Dei, surgit senex a sellula [*Ed.*, cellula] : ingreditur hortulum, olera decerpit ad cibum. Accensoque foco, ponit caldariam [a] ligneam super ignem impletam [b] aqua cum oleribus, urgensque ignem ita vehementer fervere coegit, ut putaretur ænea esse. Hoc autem videns vir qui advenerat, stupore commotus, interrogat quid hoc esset. Respondit senex : Multis jam in hac eremo annis inhabito, sed semper in hac caldaria cibos, Domino jubente, ad reficiendum fragile corpusculum præparavi. Coctisque cibis, redditis Deo debitis hymnis, ambo ex hujus vasculi ministerio sunt refecti. Hæc olim audivi. Nam nuper vidi abbatem, **980** qui eum Ingenuum [*Colb. a*, Ingenium] nominabat, asserens eum intra Augustodunensem terminum commoratum fuisse, et sæpius in hoc vasculo vel olus vel crumelum coctum cum illo sumpsisse. Confirmabat autem cum juramento vidisse se caldariam flammis superpositam validissime fervere, et ita semper fundum ejus humidum exstitisse, ut putaretur jugiter ab aliquo humectari.

CAPUT XCIX.

De Avito confessore Aurelianensi.

Avitus abbas [c] Carnoteni pagi, quem Pertensem vocant, sæpius imminere dissolutionem sui corporis Spiritu sancto revelante prædixit (*An.* 530, 17 *Jun.*). Qui recedens a corpore, honorifice apud Aurelianensem urbem humatus est : super quem fideles Christiani ecclesiam [d] construxerunt. Post cujus obitum, cum anniversarius assumptionis ejus dies cum summo coleretur honore, unus e civibus, aliis ad missarum spectanda solemnia euntibus, accepto rastro, vineam pastinare direxit ; increpatusque a multis, cur huic festivitati deesset, redire noluit, dicens : Et hic quem colitis operarius fuit. Verum ubi ingressus vineam primo ictu terram aperuit, protinus, retorta cervice, facies ejus ad tergum conversa est [e]. Tunc tremens, spectantibus populis, cum flatu magno basilicam Sancti ingreditur. Post paucos vero dies, orans in eodem loco assidue, directa cervice, convaluit.

CAPUT C.

De Cypriano Petragorico abbate.

Cyprianus abbas Petrocorici oppidi magnificæ sanctitatis vir fuit [f], per quem Deus multa miracula in hoc mundo operari dignatus est (*An.* 580, 9 *Dec.*). Nam manus **981** debiles frequenter redintegravit, paralyticis gressum, cæcis restituit visum ; tresque leprosos inunctos oleo pristinæ reddidit sanitati. Sed et nunc crebro super infirmos sanitates ostendit si fideliter ejus tumulum expetant, aut exorent.

CAPUT CI.

De Eparcho Equolesinensi recluso.

Sed et ad Eparchi Equolesinensis [g] urbis reclusi sepulcrum sæpius infirmi sanantur (*Anno* 581, 1 *Jul.*). Nam et frigoriticorum febres et alia incommoda ejus meritis restinguuntur. Cæcus vero de Petrocorico territorio, ut se sepulturæ illius projecit, fusa oratione, lumen recipere meruit. Comes autem antedictæ urbis Equolesinensis, fure invento ac suppliciis dedito, patibulo condemnari præcepit. At ille cum duceretur ad mortem, invocare hujus sancti nomen cœpit ; et adductus ad stipitem, fusa oratione super terra, patibulo appensus relictus est. Quod cum monachi præsensissent, simul projecti ad tumulum Sancti, orare cœperunt, dicentes : O sancte Confessor, si tibi vita superstes esset in sæculo, eruere potueras hunc pauperem de manu mortis, sicut plerumque tali supplicio addictos liberasti ; sed nunc non diffidimus de tua oratione, ut quod vivens fecisti in sæculo, possis renovare sublimatus in cœlo. Et data nocte misit abbas usque ad furcam. Accedente autem monacho, statim disruptis ligaminibus terræ delapsus est ; et sic sustentatus a monacho, vivens adducitur ad monasterium, haustoque parumper vino convaluit, vitaque a judice obtenta, liber abscessit.

CAPUT CII.

De Felice Biturigum episcopo.

982 Post transitum autem Felicis [h] Biturigi epi-

dicere superfluum esset. Etiamnunc subsistit, quod Benedictini cong. Casinensis possident. Insula vulgo dicitur sancti Honorati, quæ hodie cum vicinis insulis ad diœcesim Grassensem pertinet.

[a] Colb. 2 et Bad., *lebetem ligneam... fervere cœpit.*

[b] Hic desinit Cod. Clar. a, cæteris avulsis.

[c] Hunc Avitum Cointius eumdem esse cum sancto Avito abbate Miciacensi, qui Chlodomeris interitum prædixit, putat : sed eos distinguendos esse censet Baronius, quod plusquam probabile videtur Mabillonio in Actis sanctorum ord. Benedictini, sæc. I pag. 613. Distinguuntur in Adonis Martyrologio, ubi abbas Miciacensis XIV Kal. Januarii, alter XV Kal. Julii memoratur. In titulo hujus cap. Colb. tut., *Carnotensi.*

[d] De hac Ecclesia diximus in notis ad lib. VIII Hist. cap. 2.

[e] Colb. tut. : *Facies ejus ad terram ruit.*

[f] Vitam monasticam egisse dicitur in monasterio Genoliaco, diœcesis Petragoricensis, sub abbate Savalo, tempore Clotarii regis : inde secessit in locum Dordoniæ fluvio (*la Dordogne*) vicinum, ubi hodieque vicus sub sancti Cypriani nomine exstat. Floruit tempore Charterii episc. Petragoricensis, qui an. 585 conc. II Matisc. interfuit. Labbeus, tomo II Bibl. novæ edidit Vitam sancti Sori, et fragmentum Vitæ sancti Amandi, qui fuerunt sancti Cypriani sodales.

[g] Al., *Equolencnsis, Engolismensis*, etc. De sancto Eparchio vide lib. VI Hist. cap. 8 et notas.

[h] Ordinatus fuit a sancto Germano episc. Parisiensi an. 568, et interfuit concilio Parisiensi IV, an. 573. Eum laudat Fortunatus lib. III, carm. 23, ob turrim ab eo fabricatam ad servandam Eucharistiam, quod his verbis exprimit :

Quam bene cuncta decent sacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant chrysolithis Salomonia vasa metallis,
Ista placere magis ars facit atque fides.

Quiescere dicitur in ecclesia collegiata sancti Austregisili de Castro, in suburbio Bituricensi, sed nullo cultu publico celebratur.

scopi (*An.* 575, 1 *Jan.*), cum ad ejus tumulum, quod marmore exsculptum Pario super terram erat positum, cæcus quidam lumen oculorum, fugatis tenebris, recepisset : cognovissetque plebs amicum Dei, quem in corpore positum, obsistentibus mundanis caliginibus, cognoscere ad plenum non meruit, cœpit in orationum assiduitate ejus limina penetrare. Sed quoniam, ut diximus, sarcophagus marmoreus viliori lapide obtectus erat, sagacitas civium, et præsertim episcopi [a], meliori sarcophagum operiorio texit, id est ex marmore Heracleo. Amoto ergo viliore lapide, post annum fere duodecimum, invenerunt corpus beati Confessoris ita illæsum, ut nulla dissolutio in corpore, nulla putredo reperiretur in veste : sed ita erant cuncta integra, ac si, ut ita dixerim, ea hora tumulo putarentur ingesta. Sed nec ibi quidem misericordia Domini defuit, ut lapis repulsus non remaneret inglorius. Ferunt enim quod multi, eraso potoque ex eo pulveris modico, tam a quartanis quam tertianis sive quotidianis febribus celeriter liberantur.

CAPUT CIII.

De Juniano Lemovicorum recluso.

Fuit et Junianus [b] reclusus infra Lemovicinæ urbis territorium (*An.* 530, 16 *Nov.*), qui vivens multa populis ostendit miracula ; sed et nunc ad sepulcrum ejus sæpe morbi curantur. Nam vidi multos, quos dinumerare putavi longum, qui cæcis **983** oculis ibidem evecti [c] lumen receperunt, paralyticique directi sunt. Testisque est ipse populus hodieque, qui cum sanitatem recipiunt, statim se tributarios loco illi faciunt, ac, recurrente circulo anni, pro redditæ sanitatis gratia tributa dissolvunt. Ex quibus plurimi sunt qui ad basilicam sancti Martini nostri antistitis pertinere videntur.

CAPUT CIV.

De Pelagia Lemovicina.

Pelagia vero genitrix beati Aredii abbatis [d] (*An.* 570, 26 *Aug.*), cujus supra meminimus, valde religiosa. cum urgeretur febribus et esset in transitu, petiit filium, dicens : Quæso, fili dulcissime, ne me ante diem quartum sepelialis, ut venientes famuli famulæve omnes videant corpusculum meum, nec ullus frustretur ab exsequiis meis de his quos studiosissime enutrivi. Et hæc dicens, emisit spiritum. Abluta juxta morem, collocatur in feretro, atque in ecclesiam deportatur. Quarto vero die, priusquam sepeliretur, tantus odor suavitatis effragravit a corpore, ut omnes admirarentur. De nocte vero globus ignis magnus apparuit, qui ab Oriente consurgens, ac per cœli circulum currens, super ecclesiam stetit, in qua corpus defunctæ jacebat. Ex hoc enim ita cunctam ædem subitus splendor obtexit, ut putarent se diem medium contemplari. Et statim energumeni multi exclamaverunt, dicentes quod Martinus venit ad transitum Pelagiæ. Succedente vero Dominica die postquam sepulta est, posuerunt cereum ad caput ejus, dicentes : Parum nobis est ceræ, et jam nox prolixior habetur, cum ad matutinum consurgimus tunc accendatur cereus iste. Et, clauso ostio, abierunt. Expleto autem somno, ingressi basilicam, invenerunt cereum ardentem, quem exstinctum reliquerant. Sed et sanitates infirmorum sæpius aguntur **984** ad hujus religiosæ sepulcrum.

CAPUT CV.

De sepulcro Crescentiæ Parisiorum.

Tumulus erat in vico Parisiorum haud procul a loco in quo senior, ut aiunt, ecclesia nuncupatur, nullo opertus tegmine ; ibique in lapide habebatur scriptum : HIC REQUIESCIT CRESCENTIA SACRATA DEO PUELLA. Sed nulla ætas recolere poterat quale ei fuerat meritum, vel quid egisset in sæculo [e]. Nuper autem a quodam clerico hoc epitaphium legitur. Instigante vero fide, suspecti sunt habiti homines [f], quod aliquid cum divina majestate Virgo potuerit obtinere. Dum vero in hac suspicione penderent, quidam, quem ardor tertianæ febris cum gravi tremore vexabat, erasi a tumulo parum pulveris hausit, moxque, sedato tremore, convaluit. Vulgatumque

[a] Is fuit Sulpicius Severus post Remigium Felicis successor, jam quippe sedebat anno 585, quo concil. Matisc. II subscripsit, duodecimo anno post conc. Paris. IV, cui Felix interfuerat.

[b] Ejus Vitam refert Gononus lib. IV Vitarum Patrum Occid. ; sed eum a Juniano abbate Mariacensi non distinxit, qui floruit apud Pictones, ubi hodieque colitur in monast. Nobiliacensi, quo translatus est an. 850, ex Chronico sancti Maxentii : alter vero, quem hic Gregorius laudat, in diœcesi Lemovic. floruit. Locum discimus ex Chronico Gaufridi prioris Vosiensis, cap. 15, de sanctis apud Lemovices præclarioribus, ubi habet : « Comodoliacenses Juniano jubilant cum Amando præceptore suo ; quod videlicet monasterium cum ecclesia sancti Petri de Quadrivio Josfredus quondam thesaurarius a jure sancti Martialis fraude abstulit. » Idem repetit cap. 59. Ecclesiam in qua sepultus fuit construxerat Ruricius junior episc. Lemovic., quem Vir sanctus a dæmone liberaverat. Floruit cum sancto Amando eremita sub Clodoveo I et ejus filiis. Vide Bernardum Guidonem, tomo II Bibl. Labb. p. 277, in opusculis hist., ubi ejus festum XVII Kal. Novemb. consignat. Monasterium Cõmodoliacense in canonicorum sæcularium collegium conversum est, quod simul cum oppido circum posito, vulgo *Saint-Junien* appellatur.

[c] Ed., *eo perducti.*

[d] De sancto Aredio passim agit Gregorius, cujus Vitam habes infra post Vitas Patrum. In Chronico Gaufridi Vosiensis, cap. 15, quod est de sanctis illustribus Lemovic., legitur : « Apud sanctum Aredium sancta Pelagia mater ejus. » Unde patet eam in monast. Atanensi fuisse sepultam, quod diserte tradit Bernardus Guido in opusculis histor., apud Labb., tomo I Biblioth. novæ, p. 631. — Hoc caput laudat sanctus Odo Cluniacensis abbas in sermone : Quod sanctus Martinus par sit apostolis, ubi habet : « Ad exsequias Pelagiæ, matris beati Aredii abbatis, globus igneus totam illustrans ecclesiam de cœlo venit, clamantibus energumenis ad defunctæ exsequias venisse Martinum. »

[e] Ita oblitterata est hujus Crescentiæ memoria, ut nihil de ea prorsus sciatur, nec notum sit ubi fuerit ejus sepulcrum.

[f] Colb. a, *sunt illi homines.* Bell., Laud et Colb. tut. *hebetes homines.*

verbum plerumque profuit multis in hac infirmitate detentis. Succedente deinde tempore, monetarius urbis graviter ægrotare cœpit, cui in visione puella apparuit, dicens : Vade, ait, quantocius, et tumulum Crescentiæ virginis tege. Erit tibi hoc adjutorium, ne a morbo quo captus es diutius fatigeris. At ille confisus calces inquirit, oratorium desuper construit, protinusque ab infirmitate laxatur. Sed ut virtus [*Pith.*, tumulus] Virginis in majoribus efferretur honoribus, cuidam ex urbe dens indoluerat, ita ut, intumescente maxilla, vix vel tenuis cibi parumper capere posset. Pergit fide plenus ad tumulum, factaque hastula [a] una de parte acuta, ut in humanis usibus ad purgandos dentes fieri solet, super sepulcrum puellæ ponit. Statimque ut exinde dentem qui dolebat attigit, omnis dolor obstupuit. Ex hoc autem accepto experimento, quos hic dolor vexat, hujus Virginis, ut expetunt præsidia, mox sanantur.

CAPUT CVI.

De beata Radegunde Pictaviensi.

985 Beata vero Radegundis [b], cujus in initio libri (*An.* 587, 13 *Aug.*) Martyrum meminimus, post emeritos vitæ labores ab hoc mundo migravit (*Cap.*5) : de cujus transitu accipientes nuntium, ad monasterium Pictavensis urbis accessimus, quod ipsa instituerat. Reperimus autem eam jacentem in feretro, cujus sancta facies ita fulgebat, ut liliorum rosarumque superneret pulchritudinem. Stabat enim circa feretrum multitudo immensa sanctimonialium, ad numerum circiter ducentarum, quæ per illius prædicationem conversæ vitam sanctam agebant, quæ, secundum sæculi dignitatem, non modo de senatoribus, verum etiam nonnullæ de ipsa regali stirpe hac religionis forma florebant. Stabant autem plangentes atque dicentes : Cui nos orphanas mater relinquis? cui nos desolatas commendas? Reliquimus parentes, facultatesque, ac patriam, et te secutæ sumus. Cui nos relinquis, nisi perpetuis lacrymis, et nunquam finiendo dolori? Ecce tuque nunc majus nobis erat hoc monasterium, quam villarum aut civitatum spatia. Quæ quocunque loco accedebamus, contemplantes gloriosam faciem tuam, ibi inveniebamus aurum, ibi argentum; ibi suspiciebamus florentes vineas, segetesque comantes; ibi prata diversorum florum varietate vernantia. A te carpebamus violas; tu nobis eras rosa rutilans et lilium candens : tua nobis verba quasi sol resplendebant, et quasi luna tenebris conscientiæ nostræ lucidam veritatis lampadem accendebant. Nunc autem contenebrata est nobis omnis terra, angustatum est spatium hujus loci, dum tuam faciem non meremur aspicere. Heu nos derelictas a sancta matre! felicesque illas quæ te superstite ab hoc sæculo migraverunt! Et scimus quidem te choris sanctarum virginum et Dei paradiso esse conjunctam : sed cum ex hoc consolamur, **986** illud nobis est lamentabile, quod te corporeis oculis intueri non possumus. Hæc et alia inter lamenta dicentibus, cum a lacrymis temperare non valeremus, conversus ad abbatissam [c], aio : Sinite parumper ab his fletibus, et ea potius quæ sunt necessaria pertractate. Ecce frater noster Maroveus hujus urbis episcopus non est coram, eo quod illum causa visendarum parœciarum elongaverit. Nunc autem habete consilium, ne sanctum corpusculum injuriam patiatur et gratia quam Deus beatis artubus præstitit auferatur, dum tempus sepulturæ differtur : accelerate debitas exsequias, ut sepulcro cum honore reddatur. Ad hæc abbatissa respondit : Et quid faciemus, si episcopus nobis non advenerit, quia locus ille quo sepeliri debet, non est sacerdotali benedictione sacratus? Tunc cives et reliqui viri honorati, qui ad exsequias beatæ reginæ convenerant, imperant parvitati meæ, dicentes : Præsume de charitate fratris tui, et benedic altare [d] illud. Confidimus enim de ejus benevolentia, quod molestum non ferat si feceris, sed magis gratiam referat. Præsume, precamur, ut caro sancta sepulturæ reddatur. Et sic ab illis injunctus altare in cellula ipsa sacravi. Verum ubi sanctum corpus moventes, psallendo deducere cœpimus, mox energumeni declamantes, et sanctam Dei confitentes, torqueri se ab ea fatebantur. Transeuntibus autem nobis sub muro, iterum caterva virginum per fenestras [e] turrium et ipsa quoque muri propugnacula, voces proferre ac lamentari desuper cœpit, ita ut inter sonos fletuum atque collisiones palmarum, nullus posset a lacrymis temperare; sed et ipsi quoque clerici, quorum erat psallendi officium, vix inter singultus et lacrymas antiphonam poterant explicare. Dehinc accedimus ad sepulcrum. Nam providentia abbatissæ capsam ligneam fecerat, in qua corpus aromatibus conditum incluserat, et ob hoc fossa sepulturæ spatiosior erat : ita ut, ablatis duorum sepulcrorum singulis spondis, ac de latere juncta capsa cum **987** sanctis artubus locaretur. Tunc facta oratione discessimus, reservantes episcopo loci ut ab eo celebrata missa, tegeretur operculo. Redeuntes vero ad monasterium, ducebat nos abbatissa cum virginibus per loca singula, in quà Sancta aut legere consueverat, aut orare, lugens ac dicens : Ecce ingredimur in cellulam, et matrem amissam non reperimus. Ecce spatium in quo flectens genua cum lacrymis Dei omnipotentis misericordiam precabatur, et a nobis non videtur. Ecce librum in quo legebat,

[a] Frequens est hujusmodi hastularum mentio apud Gregor. Vide supra, cap. 97, et Vitam sancti Theodulfi abbatis Rhemensis, num. 7, tomo I Act. sanctorum ord. S. Bened.

[b] Hoc cap. deest in Colb. tut. Sanctam Radegundem passim laudat Gregorius. Vide notas in lib. III Hist. cap. 7, et lib. IX cap. 2.

[c] Adhuc supererat Agnes prima abbatissa, de qua passim Gregorius. Ejus festum die XIII Maii colitur.

[d] Hinc colligimus cœmeteria antiquitus, non solum sacerdotali benedictione sacrari debuisse, sed etiam nunquam fuisse absque altari, ubi pro defunctis sacrum fieret. Radegundis in Vitæ lib. II num. 27 sepulta dicitur in ecclesia sanctæ Mariæ, quam hodie, ut jam observavimus, canonici sæculares possident, sed sub beatæ Radegundis titulo.

[e] Moniales ex sancti Cæsarii regula egredi non poterant.

et vox spiritali sale condita non verberat aures nostras. Ecce fusa, in queis per longa jejunia et profluas lacrymas nectere solita, et almi sanctitate digiti non cernuntur. Hæc illis dicentibus, renovantur lacrymæ, suspiria proferuntur, et ipsa quoque viscera ab affectu plorantium resolvuntur in fletum. Tantusque mœror pectus meum obsederat, ut a lacrymis non desisterem, nisi scirem beatam Radegundem ablatam monasterio corpore, non virtute; et assumptam a mundo, collocatam in cœlo.

CAPUT CVII.

De Tetrico episcopo.

Licet Mss. omnes hæc tria capita in indice habeant, nullum tamen invenire licuit qui præter nudos titulos quidquam de illis repræsentet. Ut tamen eorum sanctorum quos indicant aliqua habeatur notitia, pauca quæ de iis observavimus huc proferre visum est.

[*Sanctus Tetricus episcopus Lingonensis sancto Gregorio patri suo successit* (*An.* 572, 18 *Mart.*). *De quo passim Gregorius loquitur. Plura de eo observavimus ad lib.* IV *cap.* 16, *quæ hic repetere non vacat.*]

CAPUT CVIII.

De sancto Orientio episcopo.

Sancti Orientii Vitas duas habes apud Bolland., die 1 *Maii. Ex priori, quæ vetustior est, colligimus eum circa sæculi* V *medium Auxitanam ecclesiam rexisse* (*An.* 430, 1 *Maii*), *eo scilicet tempore quo Litorius dux Romanus a Gothis captus atque occisus est. In posteriori Vita dicitur sancto Ursiniano successisse. Ejus corpus in ecclesia suo nomini consecrata* 988 *cum adjuncto celebri monasterio ordinis Cluniacensis in ipsa urbe Ausciensi* (Auch) *asservatur.*

CAPUT CIX.

De Quiteria virgine.

Quiteriæ Acta habentur, sed omnino fabulosa. Colitur potissimum Aduræ in Wasconia (*An...* 22 *Maii*), *cujus ecclesia in Manso sanctæ Quiteriæ juxta urbem sita concathedralis privilegio et abbatiæ titulo gaudet, ejusque abbas idem est ac episcopus. Ejus ossa, quæ in monasterio sancti Severi, in capite Wasconiæ, ord. sancti Bened. et cong. sancti Mauri, servabantur, a Calvinianis in rogum conjecta, Catholici semiusta, ut potuere, ab incendio eripuerunt. Colitur die* 22 *Maii, ad quem diem vide Bollandianos, et Gononum lib.* III. *Tamayus vero de ea multas habet fabulas.*

CAPUT CX [*Al.* CVIII].

De sancto Paulino episcopo Nolano.

Fuit vitæ venerabilis Paulinus Nolanæ urbis episcopus [a] (*An.* 431, 22 *Jan.*), ex nobili stirpe ortus, Tarasiam similem sibi sortitus est conjugem, habens divitias multas, et tam in fundorum possessione quam in præsidio domorum valde dives erat ac lo-

A cuples. Sed cum primum aures ejus Evangeliorum lectio illa penetravit, in qua Dominus adolescentem propter divitias arguit, dicens: *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21); et illud: *Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem introire in regnum Dei* (*Ibid.*, 24); statim, venditis omnibus quæ habebat, pauperibus erogavit. Exoneratus a cunctis cupiditatibus, Magistrum liber sequitur, per hæc se putans paradisi divitiis locupletari, si videretur nihil de transitoriis possidere. Cui Majestas divina tribuit, ut quod impossibile dixerat per Evangelium, hic possibiliter adimplere mereretur per actum. Quadam vero die venit ad eum qui stipem peteret, et ait conjugi: Vade, et da ei
B quod habet necessarium. Quæ respondit: Non est nobis amplius quam 989 unus panis. Cui ille: Vade, inquit, porrige eum. Dominus enim dabit nobis victum. Sed illa quasi strenua reservari cupiens, ne aliquid deesset, porrigere noluit. Interea advenerunt quidam dicentes, missos se a dominis suis, ut illi annonæ ac vini deferrent speciem: sed per hoc se moratos, quod orta tempestas unam eis cum tritico abstulerit navem. Tunc vir Dei conversus ad mulierem, ait: Intellige te nunc pauperi unum panem fuisse furatam, et ideo hanc navem esse mersam. Perrexit ergo cum conjuge quasi pergrinaturus in aliam regionem, nihil habens præter statum proprium. Post multum vero
C tempus, cum ab incolis regionis suæ requireretur, nec posset penitus reperiri, negotiator de civitate illa ad hanc urbem advenit, in qua vir beatus cœlesti Domino serviebat. Cumque vidisset eum, statim projiciens se solo, et pedes sancti amplectens, ait: Hic est beatus Paulinus toto vulgatus orbe, qui multum a suis civibus quæsitus, prorsus non potuit inveniri. Et narrans omnes actiones ejus, obstupuerunt hæc audientes. Nec mora decedente sacerdote apud Nolanam urbem, ipse in locum episcopi subrogatur. Habebat autem ecclesia illa multas divitias, implevitque in eum Dominus quæ per Evangelium promittere est dignatus; quia: *Qui reliquerit omnia propter me, centuplum in hoc sæculo accipiet; in futuro autem vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29). Verum
D assumpto episcopatu semper se humilem proferebat, quia sciebat se apud Deum excelsum futurum, si humilitatem sectatus fuisset. Pecunia vero de reditibus ecclesiæ, quæ manus ejus attingebat, confestim pauperibus erogabatur. Castissima enim conjux ejus non discedebat ab eo. Erat autem vir sanctus miræ prudentiæ, rhetoricis litteris eruditus. Quod opus ejus quando ad nos pervenit, valde patefecit. Nam cum ad diversos tam versu quam prosa scriberet, de virtutibus beati Martini sex versu conscripsit libros [b]: scripsit et alios versiculos in

[a] Hæc vox *episcopus* est in solo Colb. a, et quidem alia manu. Paulini laudes celebrarunt Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magnus et plerique Patrum, quorum testimonia, simul cum B. viri scriptis, Vita, etc., summa cum diligentia edidit Parisiis an. 1685, vir cl. *Le Brun*. Vide et Chifletii Paulinum illustratum. Sepultus est Nolæ in ecclesia sancti Felicis quam construxerat. Inde translatus Romam dicitur, ubi ostenditur in ecclesia sancti Bartholomæi.

[b] Hæc omnia non Paulinus Nolanus, sed alter, qui in Mss. nonnullis Petricordiensis appellatur, composuit, cujus opuscula non semel edita sunt.

laudem ejus. Viditque eum in corpore positum, et oculum suum ab eo illuminatum recepit. Qui tantum in virtute 990 multiplicata gratiarum spiritalium charismata [a] resplenduit, ut ante obitum suum ipsum Martinum, Januariumque [b] Italicum, priusquam spiritum redderet, corporeis oculis contemplaretur. Prius enim ab eo de hoc mundo migraverant: et quia de hujus Beati vita nihil legeramus, idcirco ea quæ per relationem fidelium cognovimus, dum de eleemosynis proloqui voluimus, memoravimus. De transitu autem ejus est apud nos magna lectio [c], ideo eum ex ordine prosecuti non sumus. Ecce quid tribuit eleemosyna, ecce quales thesauros sanctis suis qui se in pauperibus diligunt, Deus indulget. E contrario avaritiæ malo inhiantibus quæ nequiter concupiscunt aufert, juxta illud Evangelii sancti oraculum, quia: *Qui habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, quod videtur habere auferetur ab eo* (*Matth.* XIII, 12; XXV, 29).

CAPUT CXI [*Al.*, CVIII].

De negotiatore qui eleemosynam non fecit.

Sic et quodam loco in portu maris gestum fuisse multorum confirmat relatio. Quidam pauper et senex, marsupiis oneratus, venit ad littus maris; et accedens ad portum petere eleemosynam a nautis cœpit, atque illi qui primus carinæ erat, importunior assistebat, dicens: Da mihi aliquid. Tunc ille commotus ait: Absiste, quæso, decrepite, et noli a nobis quærere quidquam. Nihil enim hic aliud præter lapides habemus. At ille ait: Si lapides dicis esse quæ in tuis ditionibus navis hæc continet, omnia vertantur in lapides. Et statim cunctum navis onus, quod mandi potuit, in saxum conversum est. Ego enim ex his et dactylos vidi, et olivas aspexi marmore duriores. Nam cum in lapidis duritiam conversa fuissent, nunquam tamen colorem quem habuerant perdiderunt: illis eadem forma eademque species erat. Dominus autem navis pœnitentia motus, inquisitum senem nusquam potuit reperire: et, sicut ferunt, per multas civitates de iis quæ in saxum mutata fuerant ad videndum direxit, ut scilicet exemplum 991 esset omnibus, ne similia perpetrarent. Ecce quid agis, impudens avaritia: fecisti hominem pauperem, qui non porrigendo pauperi putavit se posse fieri ditiorem.

CAPUT CXII [*Al.*, CIX].

De alio qui vinum adulteravit.

Quid etiam et alii contigerit, qui per adulteria multiplicare terrena studuit lucra, non sileam. Quidam apud Lugdunensem urbem vix ita laborans, ut unum triantem posset habere, accensus auri exsecrabilis sacra fame, voluit per eum sæculi ora replere, juxta illum Prudentii nostri versiculum:

Auri namque fames parto conquiritur auro.

Igitur de hoc [d] triante vinum comparat, admixtisque aquis, iterum per argenteos venumdans, duplat pecuniam. Hoc iterum atque iterum agit, et tam diu turpis lucri sectator est factus, usquequo centum solidos de hoc triante lucraretur. Sed judicium Dei conflavit lucra diaboli. Congerens enim avarus negotiator aurum in sæculum, possessurus pecuniam unius horæ momento, alterius negotiatoris nundinas adit. Extractoque triante quasi aliquid negotiaturus, colloqui cum socio cœpit; erat autem sæculus ex pelle Phœnicia [e], sicut his manu gestare mos est. Et ecce subito adveniens milvus rapit eum pedibus, atque decerpere tentat, putans a colore partem aliquam carnis esse. Sed cum nihil pinguedinis 992 sentiret in eo, evolans super alveum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miscuerat, laxatum sæculum dejecit in flumen. At ille apprehensis capillis, elidens se ad terram, spargensque pulverem super caput suum, aiebat: Væ mihi qui judicio Dei oppressus perdidi pecuniam quæ inique fuerat aggregata, nam ex uno triante centum erexi solidos: Nunc perditis centum solidis, unus mihi tantum remansit trians. Væ mihi! sicut feci sic recepi: et qui e nihilo eos habui, ad nihilum rediisse conspicio. Talis pecunia, diabole, tua est, per tale lucrum deducis tibi obedientes [f] in tartarum. Tale enim commercium et in præsenti damni notam ingerit, et in futuro diversarum pœnarum genera parit. Absistite ab his, quæso, qui hæc legitis, absistite et nolite talibus participes esse. Sint lucra vestra divinæ majestatis gratia: sint exercitia vestra, Scripturæ sanctæ doctrina. Fiat congregatio vestra in marsupiis pauperum, quæ æternæ gehennæ flagrans restinguat incendium; et hoc ipsum a Domini est misericordia poscendum, non propria virtute quærendum, qui nobis præstare dignetur illorum intercessione sancta, quorum hic liber sacra prodit miracula, ut non solum de terrenis divitiis, sed etiam de talentis verbi sui bonam facientes rationem, multiplicationis mercede recepta, audire mereamur ab ipso: *Euge! serve bone, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21). Amen.

[a] Quartum casum pro sexto adhibet.

[b] Mss., *Genuarium*. Hæc Florus in Martyrologio exscripsit, ad diem 22 Junii. Hic porro celebris Januarius inducatur episcopus Beneventanus, qui cum aliis martyribus apud Puteolos passus est in Diocletiani persecutione die 19 Septembris. Corpus ejus Neapolim translatum est. Hanc vero visionem narrat Uranius presbyter in epistola quam de beati Paulini obitu scripsit ad Pacatum.

[c] Habetur Uranii epistola de transitu sancti Paulini, quæ non semel edita fuit.

[d] Hic desinit Colb. a, cæteris avulsis.

[e] Pelles Babylonicas ad libros ornandos memorat Hieronymus in epistola ad Lætam.

[f] Ed., *deduxisti Deo inobedientes*.

Explicit liber de Gloria Confessorum.

In Codice membraneo, qui olim fuit monasterii Dionysiani prope Parisios, nunc autem est Antuerpiæ penes RR. PP. Bollandianos, in fine libri Gregorii Turonensis de Gloria Confessorum clausula habetur de Pippini, cujus temporibus Codex scriptus est, in Francorum regem consecratione, facta post abdicationem Childerici, ultimi Merovingum famu-

liæ regis. Quam clausulam, ex ipso codice descriptam, et ab illis editam hic exhibere visum est, ad confirmanda ea quæ superius, col. 685, in notis ad Fredegarii tertium continuatorem ea de re observavimus.

Si nosse vis, lector, quibus hic libellus temporibus videatur esse conscriptus, et ad sacrorum martyrum pretiosam editus laudem, invenies anno ab Incarnatione Domini septingentesimo sexagesimo septimo, temporibus felicissimi atque tranquillissimi et catholici Pippini, regis Francorum et patricii Romanorum, filii beatæ memoriæ quondam Caroli principis : anno felicissimi regni ejus in Dei nomine sexto decimo, indictione quinta, et filiorum ejus, eorumdemque regum Francorum Caroli et Carlomanni (qui per manus sanctæ recordationis viri beatissimi domni Stephani papæ, una cum prædicto patre, domno viro gloriosissimo Pippino rege, sacro chrismate, divina providentia, et sanctorum Petri et Pauli intercessionibus consecrati sunt) anno tertio decimo. Nam ipse prædictus dominus florentissimus Pippinus, rex pius, per auctoritatem et imperium sanctæ recordationis domni Zachariæ papæ, et unctionem sancti chrismatis, per manus beatorum sacerdotum Galliarum, et electionem omnium Francorum, tribus annis antea in regni solio sublimatus est. Postea per manus ejusdem Stephani pontificis, die uno in beatorum prædictorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii ecclesia (ubi et venerabilis vir Fulradus archipresbyter et abbas esse cognoscitur) in regem et patricium, una cum prædictis filiis Carolo et Carolomanno in nomine sanctæ Trinitatis unctus et benedictus est. In iosa namque beatorum martyrum ecclesia, uno eodemque die nobilissimam atque devotissimam, et sanctis martyribus devotissime adhærentem Bertradam, jam dicti florentissimi regis conjugem prædictus venerabilis pontifex regalibus indutam cycladibus, gratia septiformis Spiritus benedixit : simulque Francorum principes benedictione et Spiritus sancti gratia confirmavit ; et tali omnes interdicto et excommunicationis lege constrinxit, ut nunquam de alterius lumbis regem in ævo præsumant eligere ; sed ex ipsorum, quos et divina pietas exaltare dignata est, et sanctorum apostolorum intercessionibus per manus vicarii ipsorum beatissimi pontificis confirmare et consecrare disposuit. Hæc ideo charitati vestræ breviter in novissima paginula libelli inseruimus hujus, ut per succedentium temporum et vulgi relatione propago in ævo valeat cognoscere posterorum.

SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS

EPISTOLA IN QUATUOR LIBROS

DE VIRTUTIBUS SANCTI MARTINI EPISCOPI.

993-994 Dominis sanctis, et in Christi amore dulcissimis [a] fratribus ac filiis Ecclesiæ Turonicæ mihi a Deo commissæ, Gregorius peccator.

Miracula illa [b] quæ Dominus Deus noster per beatum Martinum antistitem suum in corpore positum operari dignatus est, quotidie ad corroborandam fidem credentium confirmare dignatur. Ille nunc exornans [*Al.*, exornat] virtutibus ejus tumulum, qui in eo operatus est cum esset in mundo ; et ille præbet per eum beneficia Christianis, qui misit tunc præsulem gentibus perituris. Nemo ergo de anteactis virtutibus dubitet, cum præsentium signorum cernit munera dispensari, cum videt claudos erigi, cæcos illuminari, dæmones effugari, et alia quæque morborum genera ipso medicante [c] curari. Ego vero fidem ingerens libri illius [d] qui de ejus Vita ab anterioribus est scriptus, præsentes virtutes, quantum [*Al.*, de quanto] ad memoriam recolo, memoriæ in posterum, Domino jubente, mandabo. Quod non præsumerem, nisi bis et tertio admonitus fuissem per visum. Tamen omnipotentem Deum testem invoco, quia vidi quadam vice per somnium [e] media die in **995-996** basilica domni Martini debiles multos, ac diversis morbis oppressos sanari, et videbam eos, spectante matre mea [f], quæ ait mihi : Quare segnis es ad hæc scribenda quæ prospicis? Cui aio : Non te latet [g], quod sim inscius litterarum, et tam admirandas virtutes stultus et idiota non audeam promulgare? Utinam Severus, aut Paulinus viverent, aut certe Fortunatus adesset, qui ista describerent! Nam ego ad hæc iners notam incurro, si hæc adnotare tentavero. Et ait mihi : Et nescis quia nobiscum propter intelligentiam populorum si quis loquitur, sicut tu loqui potens es, eo habetur magis præclarum? Itaque ne dubites, et hæc agere non desistas : quia crimen tibi erit si ea tacueris. Ego autem hæc agere cupiens, duplicis tædii affligor cruciatione, mœroris pariter et terroris. Mœroris, cur tantæ virtutes, quæ sub antecessoribus nostris factæ sunt, non sunt scriptæ ; terroris, ut aggrediar opus egregium rusticanus. Sed spe divinæ pietatis illectus, aggrediar quod monetur. Potest enim, ut credo, per meæ linguæ sterilitatem [*Al.*, officium] proferre ista qui ex arida cote [*Al.*, petra] in eremo producens aquas, populi sitientis exstinxit ardorem ; aut certe constabit eum rursum os asinæ reserare, si labia mea aperiens, per me indoctum [*Ed.*, indignum] ista dignetur expandere. Sed quid timeo rusticitatem meam, cum Dominus Redemptor et Deus noster, ad destruendam mundanæ sapientiæ vanitatem, non oratores, sed piscatores ; nec philosophos, sed rusticos præelegit? Confido ergo orantibus vobis [h], quia etsi non potest paginam sermo incultus ornare, faciet eam tamen gloriosus Antistes prædaris virtutibus elucere.

[a] Germ. cum Editis, *dilectissimis*.

[b] Plerique Mss., *miracula quæ*. Hic incipit Cod. Beccensis.

[c] Editi cum aliquot Scriptis, *mediante*. Bell., *medificante*.

[d] Sic Codd. Mart. Colb. a, Germ., Rom., Laud., Bell., alii plerique, *fidem gerens*. Colb. b, *ingeminans*. A Editi, *fidem gerens libro huic*.

[e] Aliquot Mss., *per somnum*. Et infra, *a diversis... et vidi hæc*.

[f] Bec., *vidi exspectantem matrem meam*.

[g] Clar. et alii Mss. : *Num te latet... inops litteris*.

[h] Editi, *orationibus vestris*. Bec., *credamus ergo*, etc.

SANCTI GEORGII FLORENTII GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

DE MIRACULIS

SANCTI MARTINI EPISCOPI

LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod Severus Vitam sancti Martini conscripsit.

999 Multi sunt, qui virtutes sancti Martini, vel stante versu, vel stylo prosaico conscripserant. De quibus primus ille Severus Sulpicius [a], cui tantus fervor amoris fuit in Sanctum Dei, ut eo adhuc degente in sæculo, unum librum de Mirabilibus vitæ ejus scriberet, exinde post transitum beati viri duos libros scripsit, quos Dialogos [b] voluit vocitari. In quibus nonnulla de virtutibus eremitarum, anachoretarumve, referente Posthumiano, inseruit. Sed in nullo inferiorem nostrum **1000** potuit reperire Martinum, quem apostolis [c] sanctisque prioribus exæquavit, ita ut etiam diceret, « felicem quidem Græciam, quæ meruit audire Apostolum prædicantem; sed nec Gallias a Christo derelictas, quibus donavit Dominus habere Martinum. »

CAPUT II.

Quod eamdem vitam beatus Paulinus versu composuit.

Paulinus quoque beatus, Nolanæ urbis episcopus [d], post scriptos **1001** versus [*Al.*, versu] de virtutibus ejus, quas Severus prosa complexus est, quinque libros, illa comprehendit miracula quæ post ejus gesta sunt transitum, id est, in sexto operis sui libro. Ait enim : Cum energumeni per cancellos basilicæ veherentur volatu aereo, et sæpe in puteum qui in ipsa habetur basilica, impulsu dæmonis jactarentur abstracti, exinde illæsi, populis spectantibus, sunt resumpti. Idque in eodem puteo, et nostris temporibus vidimus gestum. Alius quoque dæmon acquisitum vasculum præcipitem duxit ad amnem, quasi prædam, quam ceperat, demersurus [*Ed.*, dimissurus]. Sed non defuit perituro beati Confessoris auxilium. Nam ingressus in flumen, et ulteriorem ripam petens, nihil nocumenti accepit, sed siccis [e] est etiam

[a] Sic et Gennadius in Catalogo, cap. 29 : *Severus cognomento Sulpicius.* Alii tamen malunt scribere *Sulpicius Severus.* Et quidem in Mss. Sulpicii nomen quandoque alteri præmittitur, alias postponitur, ut in uno Cod. sancti Germani a Pratis, num. 652, ab annis 800 scripto, observavimus.—Hunc nonnulli putant eumdem esse ac Sulpicium Severum Bituricensem episcopum; et e contrario alii volunt Sulpicii Bituricensis nomen in Martyrologium Romanum loco nostri Sulpicii fuisse invectum. Vide Bolland. ad 29 Januarii, et supra notas ad cap. 50 de Gloria confessorum.

[b] Tres scripsit dialogos Severus, sed duobus solummodo posterioribus præfigitur titulus *De sancti Martini virtutibus*, quamquam et in primo quoque de eo agat.

[c] Editi habent, *apostolis ac sanctis martyribus, sanctisque*, etc. Et infra, *apostolum Paulum.* Quam vocem *Paulum* nec Severus habet in fine dialogi 3, unde hic locus descriptus est.

[d] Sic omnes Mss. et Editi hic et in lib. de Gloria conf., cap. 110. Et tamen Paulinus ille a Nolano episcopo distinguendus est. Nolanus quippe sancto Martino æqualis fuit; at is cujus hic laudantur opera, miraculorum indiculum, ut ipse Gregorius paulo inferius scribit, a Perpetuo Turonensi episcopo receperat, et initio et in fine libri sexti Perpetuum laudat, quod sibi certa et indubitata miracula narrasset. Qui quidem Perpetuus post Martini obitum ecclesiæ Turonensi sextus præfuit episcopus. Deinde idem auctor Paulinum Nolæ episcopum sæpius laudat. Dicitur in Codd. mss. *Paulinus Petricordiæ*, quo nomine Vesunna Petrocoriensium urbs, vulgo *Périgueux*, nonnunquam designatur. Cæterum Gregorio fortasse fucum fecit Severi locus ex Dialogo 3, ubi Posthumianus monetur ut Paulinum Nolanum adeat, eique narrata communicet, ut sicut jam de priore libello fecerat, et alios etiam per Italiam et Illyricum divulgaret. Fortunatus, lib. 1 de Vita sancti Martini, videtur quoque in eumdem errorem cum Gregorio impegisse : sed tamen cum sanctus Paulinus plura passim de sancti Martini laudibus scripserit, huc Fortunati verba revocari possunt. Porro Paulini libri quos Gregorius laudat, sæpius recusi fuerunt; sed ut plurimum sub Paulini Nolensis nomine.

[e] Mss. fere omnes, *nihil nocitus, siccis.*

vestimentis egressus : cumque ad cellulam Majoris monasterii pervenisset, mundatus apparuit. Hunc etiam testatur [a] multas voces emittere solitum, ac lingua gentium incognitarum sæpissime loqui, venturaque fateri, et crimina confiteri. Sed, ut diximus, postquam limen Sancti [b] attigit, sanus abscessit. Egidius [c] quoque cum obsideretur ab hostibus, et excluso a se solatio, turbatus impugnaretur, per invocationem beati Viri, fugatis hostibus liberatus est. Idque dæmoniacus in medio basilicæ, ipsa hora qua gestum fuerat, est professus sancti Martini obtentu hoc fuisse concessum. Puella quædam paralysis humore gravata, et, quod pejus est, errore cultus fanatici involuta, Beati sepulcrum expetiit, vigiliisque celebratis, sanitati est reddita. **1002** Rursum autem ad idololatriæ vomitum revocata, languorem, quo obtentu beati Pontificis caruerat, iterato incurrit. Chunus [d] quidam rabidus, instinctu dæmonis actus, coronam sepulcri quæ Sancti meritum declarabat, violenter arripuit. Mox lumine privatus, prædam, cogente dolore, restituit, lumenque quod perdiderat recepit. Quidam [e] vero a tentatore commotus, prolato gladio, cum quemdam ferire conaretur in atrio Confessoris, protinus ira in se retorta, veloci judicio Dei prosequente, ipso se mucrone perfodit. Denique cum populus ad Beati templi ornatum columnas deferre cuperet gaudens, quidam vir, qui operi huic invidus et contrarius fuit, in alveum exclusum [f] multa minabatur, pro eo quod solatium aliquod ad plaustra petentibus non præberet [g]. Cumque superbus equum feriret, in parvo fluviolo præcipitatus, in sinu aquarum gurgitis, ictibus suis suffocatus interiit. Tunc juvene [h] præcedente, columnæ usque ad beatum templum delatæ sunt. Quoties etiam ad beatum sepulcrum oleum fuisset positum, referunt illud vidisse adauctum. Sanctus vero Perpetuus episcopus, merito Beati discipulus prædicandus, ampullam cum oleo ad sanctum tumulum detulit, ut eum [*Id est*, id ; *Ed.*, eam] virtus justi infusa sanctificaret. Et eraso a marmore, quo sancta membra teguntur, pulvere, ac liquori permixto, ex quo in tantum oleum redundavit, ut vestimentum sacerdotis nectareo effragrans odore, oleagina unda perfunderetur. Multique **1003** ex hoc infirmi experiere salutem. Sed et procellæ ab agris hoc liquore purificatis [i] sæpe prohibitæ sunt. Cum autem ad templum sanctum quidam devotus fide plenus accessisset, et gratiam Sancti sitiens, cogitaret quid de beata æde raperet ad salutem, prope sepulcrum accedens, ædituum supplicat, ut sibi parumper benedictæ ceræ largiretur e tumulo. Quam accipiens lætus abscessit; et agro, cui frugem severat, confisus imposuit. Adveniens autem tempestas sævissima, quæ vicinium [j] in annis præcedentibus sæpe vastaverat, ab hac est prohibita benedictione, nec ibidem ultra, uti consueverat, nocuit. Magnifica vero atque desiderabili paschali festivitate adveniente, populus ad Beati cellulam, in qua commoratus sæpe frequenter erat cum angelis, devotus advenit. Et singula loca allambens oculis, vel irrigans lacrymis, in qua vir beatus ante sederat, aut oraverat, sive ubi cibum sumpserat, vel corpori quietem post multos labores indulserat, classe navium præparata, amnem transire parat, ut beatum sepulcrum adeat, et cum fletu veniam deprecans, coram Confessore se prosternat. Navigantibus autem illis, tentatoris impulsu commoto vento, classis [k] in profundo demergitur, et sexus uterque ab amne diripitur. Cumque inter procellas fluctuum rotarentur, et spes omnis evadendi deperisset, una omnium vox in clamore profertur, dicens : Miserator Martine, eripe a præsenti interitu famulos famulasque tuas! His dictis, ecce afflatus auræ placidus artus submersorum subvehens ab undis illæsos, omnes littori, quod desiderabant, unda famulante, restituit : nec ullus deperiit; sed cuncti salvati, paschalia festa summa cum exsultatione perfuncti sunt. Non enim defuit illa virtus, quæ Jordanem scindens, populum sub aquarum molibus margine arente traduxit, cum de fundo fluvii duodecim lapides ablatos signa apostolica gestientes Josue littori cui advenerat consecravit; vel illa quæ Petrum pereuntem pia **1004** amplectens dextera, ne periret, eripuit; vel quæ nautam submersurum, Martini Dominum invocantem [l], de profundo pelagi ad littus quod optabat elicuit. Quidam pro benedictione aliquid de sancta æde assumere flagitans, aliquid [*Ed.*, parum] ceræ de sepulcro Sancti accepit,

[a] Aliquot Mss. cum Edit., *testantur*. Sed loquitur Gregorius de Paulino, qui id ipsum versibus expresserat.

[b] Mss. plerique, *ut limen sanctum*.

[c] Is est magister militiæ in Galliis, qui postea dicitur Childerico Francorum regi substitutus. Arelate tunc inclusus erat, cum invocato sancti Martini auxilio ex urbe erumpens Wisigothos fugavit. Quæ victoria Majoriano imperatori securitatem et Galliæ pacem præstitit. Id contigisse anno 459 testatur Valesius, lib. IV Rerum Francicarum.

[d] Sic legendum esse ex Paulino certum est, cui omnes fere Mss. consentiunt. Aliqui, mendose, *scianus*, et Editi, *Thimus*. Aliquot etiam Mss. pro *rabidus*, habent *rapidus*.

[e] Ex eadem Chunorum seu Hunnorum gente, qui tunc in Gallias eruperant, ut dicit Paulinus.

[f] Alii, *in alterum exclusum*. Nonnulli, *contrarius erat, multa*.

[g] Hic locus in Mss. et Editis est corruptus, pleri- D que habent *petentibus præberet*. Ex Paulini textu sic restituendum puto : *Contrarius fuit, multa in uxorem minabatur, pro eo quod solatium*, id est opem, *ad plaustra* vehenda *petentibus præberet*. Et infra, *ictibus suis suffocatus*, quod vix aqua in rivulo exsistente ipse arenam premens fuisset suffocatus, ut habet Paulinus. Totus vero hic numerus deest in Cod. Gat.

[h] Sic plerique Mss. Alii habent *populo*. Editi, *juventute*.

[i] Edit., *potiti sunt salute... sanctificatis*.

[j] Sic Gat., Vinc. et Bec. Plerique alii Mss., *vicinia*. Nonnulli, *vicina*. Editi, *omnia*.

[k] Rom., *navis*. Et infra Ed., *et populus undique ab amne*.

[l] Pith., *Martino Dominum invocante*. At refragatur cum cæteris Mss. Paulinus, qui memorat nautam in periculo constitutum, invocato Deo, quem Martinus colebat, incolumem evasisse..

penetralia domus tanquam thesaurum cœle- A
posuit. Factum est autem, ut invidia tentato-
issum incendium domus voraci flamma cir-
retur, et sparsum per aridas tabulas cuncta
t. Interea clamor ad cœlum tollitur, et beati
auxilium imploratur. Meminit [a] ille etiam
rticulæ a Sancti templo delatæ. Quæ reperta,
injecta, protinus cunctum restinxit incendium,
e miraculo cera, quæ ignem alere erat solita,
lam ignis vi sanctitatis oppressit. Hæc Pauli
sexto operis sui libro versu conscripsit, ac-
sancto Perpetuo episcopo de his indiculo.
cum ad eum hujus indiculi charta venisset,
ejus gravi tenebatur incommodo. At ille con-
virtute Sancti : Si tibi, inquit, placet, beate
e, ut aliquid in tua laude conscribam, appa- B
per hunc infirmum. Impositaque charta pectori
xtemplo recedente febre sanatus est, qui erat
is [b]. Sed et Fortunatus presbyter omne opus
jus in quatuor libris versu conscripsit. His nos
lis illecti, etsi imperiti, tentabimus tamen ali-
virtutibus sancti et beatissimi Martini, quæ
jus obitum actæ sunt, quantum invenire pos-
, memoriæ replicare : quia hoc erit scribendi
m, quod in illo Severi aut Paulini opere non
tur insertum.

CAPUT III.

De ordinatione et transitu beati Martini.

idus, et toto orbe renitens gloriosus domnus
us, decedente jam mundo, sol [c] novus exo- C
, sicut anterior narrat Historia, **1005** apud
iam Pannoniæ ortus, ad salvationem Galliarum,
lante Deo, dirigitur. Quas virtutibus ac signis
ans, in urbe Turonica episcopatus honorem
is, populo cogente, suscepit : in quo gloriosam,
ne inimitabilem agens vitam, per quinquennia
ue bis insuper geminis mensibus cum decem
s, octogesimo primo ætatis suæ anno, Cæsario
ttico consulibus, nocte media quievit in pace.
osum ergo, et toti mundo laudabilem ejus trans-
in die Dominica fuisse manifestissimum est,
in sequenti certis testimoniis comprobabimus.
non parvi meriti fuisse censetur, ut illa die
Dominus in paradiso susciperet, qua idem Do-
s et Redemptor, victor ab inferis surrexisset; D
qui Dominica solemnia semper celebraverat
lluce, post mundi pressuras Dominica die loca-
in requie.

[a] Perque Mss., *meminiturque ceræ*. Alii, *ceram*. Et id miraculum refert idem Paulinus, in versibus in gratiarum actionem ea de re edidit.

[b] Alii, *decidente jam sole mundo*.

[c] Hoc caput et sequens desunt in Colb. b, Vinc., et Germ. In Codd. vero Clarom. et Colb. tut. ntur solummodo eorum initia, lectorem mo- alio esse requirenda in ipso Codice ubi extra em descripta sunt sub nomine sermonum, aut mum, sive epistolæ, quod in officiis divinis sub ulo legerentur. Et sane sic etiam descripta sunt ., Vinc. et Colb. b, et in al ero Germ. annor. er 7.0. In Cod. autem Corbe ensi ab annis 900 ipto sub hoc titulo ex tat, *Versicolus de trans-*

CAPUT IV.

Qualiter sancto Severino episcopo psallentium de ejus transitu revelatum est.

Beatus [d] autem Severinus Coloniensis civitatis episcopus, vir honestæ vitæ, et per cuncta laudabilis, dum die Dominica loca sancta ex consuetudine post matutinos hymnos [e] cum suis clericis circumiret, illa hora qua Beatus obiit, audivit chorum canentium in sublimi. Vocatumque archidiaconum interrogavit si aures ejus percuterent voces quas ille attentus audiret. Respondit : Nequaquam. Tunc ille : Diligentius, inquit, ausculta. Archidiaconus autem cœpit sursum collum extendere, aures erigere, et super summos articulos, baculo sustentante, stare. Sed credo eum non fuisse æqualis meriti, a quo hæc non merebantur audiri. Tunc prostrati terræ, ipse pariter et beatus episcopus, Dominum **1006** deprecantur, ut hoc ei divina pietas audire permitteret. Erectis autem, rursum interrogat senex : Quid audis? Qui ait : Voces psallentium tanquam in cœlo audio, sed quid sit prorsus ignoro. Cui ille : Ego tibi quid sit narrabo. Dominus meus Martinus episcopus migravit ex hoc mundo; et nunc Angeli canendo eum deferunt in excelsum. Et ut parumper moræ esset, ut hæc audirentur, diabolus eum cum iniquis angelis retinere tentavit, nihilque suum in eodem reperiens, confusus abscessit. Quid ergo de nobis peccatoribus erit, si tanto sacerdoti voluit pars inimica [*Al.*, iniqua] nocere? Hæc sacerdote loquente notavit tempus archidiaconus, et Turonos misit velociter, qui hæc diligenter inquireret. Qui veniens, eo die et hora manifestissime cognovit transisse beatum Martinum, quo sanctus Severinus audivit psallentium chorum. Sed et si ad Severi [f] recurramus Historiam, ipsa hora cum sibi scripsit in [*Al.*, cum] libro vitæ suæ fuisse revelatum.

CAPUT V.

Qualiter beato Ambrosio idem transitus est ostensus.

Eo namque tempore beatus Ambrosius, cujus hodie flores eloquii per totam Ecclesiam redolent, Mediolanensi civitati præerat episcopus. Cui celebrandi festa Dominicæ diei ista erat consuetudo, ut veniens lector cum libro suo non antea legere præsumeret quam Sanctus nutu jussisset. Factum est autem ut illa die Dominica, prophetica lectione recitata, jam lectore ante altare [g] stante, qui lectionem beati Pauli proferret, beatissimus antistes Ambrosius super sanctum altare obdormiret. Quod videntes multi, cum

itu sancti Martini, et ibi sanctus Severinus dicitur *Colossensis* episcopus. Tota porro hæc visionis historia refertur quoque in Vita sancti Severini Coloniensis episcopi, quæ die 23 Octobris habetur apud Surium.

[d] In Codd. Laud., Bell., Gat., Mart. et Colb. a, desunt hæc verba *post matutinos hymnos*. Alii habent *post matutinos*, seu *matutinas*.

[e] Cod. Mart., *Severini*. Loquitur, ni fallor, Gregorius de visione quam se habuisse scribit Sulpicius Severus in epistola ad Aurelium diaconum.

[f] Sic Corb.; alii, *lectione jam lecta*, *ante altare*, al., *altarium*. Si vera sit hæc Gregorii narratio, aut

nullus eum penitus excitare præsumeret, transactis fere duarum aut trium horarum spatiis, excitaverunt eum, **1007** dicentes : Jam hora præterit. Jubeat dominus lectori lectionem legere; exspectat enim populus valde jam lassus. Respondens autem beatus Ambrosius : Nolite, inquit, turbari. Multum enim mihi valet sic obdormisse, cui tale miraculum Dominus ostendere dignatus est. Nam noveritis fratrem meum Martinum sacerdotem egressum fuisse de corpore, me autem ejus funeri obsequium præbuisse, peractoque ex more servitio, capitellum tantum, vobis excitantibus, non explevi. Tunc illi stupefacti, pariterque admirantes, diem et tempus notant, sollicite requirentes. Qui ipsam diem tempusque transitus Sancti repererunt, quod beatus Confessor dixerat se ejus exsequiis deservisse. O beatum virum, in cujus transitu sanctorum canit numerus, angelorum exsultat chorus, omniumque cœlestium virtutum occurrit exercitus : diabolus præsumptione confunditur, Ecclesia virtute roboratur, sacerdotes revelatione glorificantur; quem Michael assumpsit cum angelis, Maria suscepit cum virginum choris, paradisus retinet lætum cum sanctis! Sed quid nos in laudem ejus tentamus, quod non sufficimus adimplere? Ipse est enim laus illius, cujus laus ab ejus ore nunquam recessit. Nam nos utinam vel simplicem possimus historiam explicare [a].

CAPUT VI.

De translatione beati corporis sancti Martini.

Operæ pretium [b] est enim etiam illud inserere lectioni, qualiter sanctum ejus corpusculum in locum ubi nunc adoratur [c] fuerit, angelo annuente, translatum. Anno sexagesimo quarto post transitum gloriosi domni Martini, beatus Perpetuus Turonicæ sedis cathedram sortitus est dignitatis. Adeptusque hunc apicem, cum magno **1008** devotorum [d] consensu, fundamenta templi, ampliora quam fuerant, super beata membra locare disposuit; quod sagaci insistens studio, mirifice mancipavit effectui. De qua fabrica multum quod loqueremur erat; sed quia præsens est, conticere exinde melius putavimus [e]. Adveniente ergo optato tempore Sacerdoti ut templum dedicaretur, et sanctum corpusculum a loco ubi sepultum fuerat transferretur, convocavit beatus Perpetuus ad diem festum vicinos pontifices, sed et abbatum ac diversorum clericorum non minimam multitudinem. Et quia hoc in Kalendis Julii agere volebat, vigilata una nocte, facto mane, accepto sarculo, terram quæ super sanctum erat tumulum eœperunt effodere. Quo detecto, manus, ut eum commoverent, injiciunt, ibique multitudo tota laborans, nihil prorsus per totam diem profecit. Vigilata denique alia nocte, mane tentantes, nihil omnino agere potuerunt. Tunc conturbati atque exterriti, quid facerent nesciebant. Dicit eis unus ex clericis : Sciatis [*Al.*, scitis] quia post hoc triduum natalis episcopatus [f] ejus esse consueverat : et forsitan in hac die se transferri debere vos admonet. Tunc jejuniis, ac orationibus, et jugi psallentio [*Ed.*, silentio] die noctuque insistentes, triduum illud continuatim duxerunt. Quarta autem die accedentes, ponentesque manus, non valebant penitus movere sepulcrum. Pavore autem omnes exterriti, jam in hoc stantes, ut terra vasculum quod detexerant operirent, apparuit eis veneranda canitie senex, ad instar nivis candorem efferens, dicens se esse abbatem, et ait eis : Usquequo conturbamini, et tardatis? Non videtis dominum Martinum stantem vos juvare paratum, si manus apponitis? Tunc jactans pallium, quo utebatur, posuit manum ad sarcophagum cum reliquis sacerdotibus, crucibus paratis, ac cereis, impositaque antiphona, dederunt cuncti **1009** voces psallentium [g] in excelso. Tum ad senis conatum protinus sarcophagum cum summa levitate commotum, in loco, ubi nunc adoratur, Domino annuente, perducitur. Quo ad voluntatem [*Al.*, votum] sacerdotis composito, dictis etiam missis, ut ventum est ad convivium [h], requirentes sollicite senem, nequaquam reperiunt. Sed nec homo quidem exstitit, qui eum de basilica exire vidisset. Credo aliquam fuisse virtutem angelicam, quæ et beatum virum se vidisse pronuntiavit, et deinceps nulli comparuit. In quo loco ex illa die multæ virtutes factæ sunt, quæ per negligentiam non sunt scriptæ. Nos vero quantum tempore nostro aut fieri vidimus, aut factum certe cognovimus, silere nequivimus.

Ambrosii obitus ultra an. 397 differendus est, excessit nempe mense Aprili; aut verum non est Martinum hoc ipso anno mense Novembri obiisse. Hæc porro historia opere musivo depicta ab annis fere 900 habetur in altari basilicæ Ambrosianæ Mediolani, cujus icon habetur apud Puricellum, vol. I, pag. 133.

[a] In Corb. hæc clausula subjungitur : *Finit versiculus sancti Ambrosii de transitu sancti Martini episcopi et confessoris.* Bec. : *Recessit Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit*, etc.

[b] Deest hoc caput in Colb. b. In Vinc. autem et Bec. habetur extra ordinem, et quidem in Vinc. sub titulo sermonis de translatione, etc. In Clar. et Corb. tut. solummodo adsunt prima verba.

[c] Sic plerique Mss., sicut et infra. Alii vero cum Editis, *veneratur*. Perinde est. Hanc nempe vocem *adorare* Gregorius ad reverentiam illam exprimendam qua res sacras pertractamus, aut cultum quo viros sanctos prosequimur, sæpius adhibuit.

[d] Mss. aliquot cum Editis, *cum magno votorum*.

[e] De hac vide lib. II Hist. cap. 14, et lib. X cap. 31. In Chronico Malleacensi cremata fuisse dicitur anno 903, et ab Herveo thesaurario restaurata. — Videsis notam *e* col. 211. Edit.

[f] Id est anniversarium ejus ordinationis in episcopum. Quod etiamnunc in Martyrologiis simul cum ejus translationis festivitate recolitur die 4 Julii. Vide Mabillonii Liturgiam Gallic., lib. II, num. 72. Beda in Martyrologio sincero tria hæc festa simul commemorat.

[g] Editi, *psallentes*. Gat., *cuncti psallentium*.

[h] De ejusmodi conviviis in sanctorum natalitiis celebratis, quæ postea ob abusus prohibita fuerunt, multa congerit Savaro in epist. 15 Apoll. Sidonii lib. IV, quem consule. Vide Augustini epist. 22 et 29.

CAPUT VII.

De Theodemundo muto.

Adveniens juvenis quidam, Theodemundus [a] nomine, audiendi loquendique obstructo aditu, quotidianis diebus ad sanctam basilicam recurrebat, et inclinans se ad orationem, labia tantum movebat. Nam nullam poterat vocem emittere sensu integro, sed erat multatus vocis officio. Qui tam prompte videbatur orare, ut flere cerneretur inter ipsa tacita verba plerumque. Cui si quis pro mercedis respectu aliquid eleemosynæ contulisset, continuo hoc similibus pauperibus erogabat, et stipem ab aliis nutu postulans, stipendia indigentibus porrigebat. Cumque in loco illo sancto in hac devotione per trium annorum spatia commoratus fuisset [*Bel.*, horarum], quadam die a divina pietate commonitus, venit ante sanctum altare; et stans oculis ad cœlum elevatis et manibus, erupit ab ore illius rivus sanguinis cum putredine. Et conspuens in terram, cœpit graviter gemere, et excreare partes nescio quas cum sanguine, ita ut putaretur quod **1010** aliquis ferramento guttur ejus incideret. Sed et tabes ex ore illius tanquam fila sanguinea dependebat. Tunc disruptis aurium ac faucium ligaturis, elevans se, et erigens iterum [*Gat.*, interim] oculos et manus ad cœlum, ore adhuc cruento in hanc primum vocem prorupit: Gratias tibi magnas refero, beatissime domne Martine, quod aperiens os meum, fecisti me post longum tempus in tuas laudes verba laxare. Admirante autem omni populo, et stupente de tali miraculo, interrogant si et auditum pariter recepisset. Qui libere omnia audire, populo testante respondit [b]. Sanitati ergo sic redditus, a Chrodechilde regina pro virtute reverentiaque sancti Martini collectus est, et ad scholam positus, omnem psalmorum seriem memoriæ commendavit. Quem Deus perfectum efficiens clericum, per multos in posterum annos in servitio Ecclesiæ commorari permisit.

CAPUT VIII.

De Chainemunda muliere cæca.

Mulier quædam, nomine Chainemunda [c], oculorum luce privata, nesciens visu tenere viam, nisi alio ducente, devota valde et fide plena, venit ad venerabile templum beati Martini antistitis. Erat autem non solum, ut diximus, cæca, sed etiam toto corpore ulceribus [*Al.*, vulneribus] plena. Obsederat enim omnia membra ejus putredo cum pustulis, et erat miserabili facie, et horribilis ad videndum, ut tamquam leprosa putaretur a populo. Cumque palpando diebus singulis ad ædem gloriosi Præsulis cursitaret [d], post tres fere annos, stante ea ante sepulcrum, aperti sunt oculi ejus, ita ut cuncta clare prospiceret. Amotoque omni languore membrorum, atque siccato humore qui fluebat a corpore, nova cute superveniente, taliter est **1011** pristinæ reddita sanitati, ut nec indicium quidem infirmitatis in ejus corpore resedisset. Quæ multos in posterum vivens annos, gratias omnipotenti Deo referebat assidue, quod eam per beatum Confessorem suum sic instaurasset incolumem.

CAPUT IX.

De beato Baudino episcopo.

Quam [e] præsens invocatio nominis ejus mare procellosum compescuerit, non omittam. Cum beatus Baudinus [f] episcopus Turonicæ civitatis in villam [g] navigio subvehente transiret, subito adveniente cum violentia venti nimbo teterrimo, mare placidum commovetur impulsu flaminis, navisque undarum mole turbatur. Tollitur caput primum in fluctus, secundum declinatur inter undarum hiatus. Ili in scena [h] montis aquosi dependent, hi apertis undis in ima dehiscunt: sed nec antenna residet, quæ beatæ crucis [i] signaculum præferebat. Tunc resolutis timore membris, et omnibus sine spe vitæ jam mori paratis, prosternitur senior in oratione cum lacrymis, et geminas tendens palmas ad astra, beati Martini auxilium precabatur, et ut sibi dignaretur adesse velociter proclamat. Unus autem ex perfidis dixit: Martinus ille, quem invocas, jam te dereliquit, nec tibi in hac necessitate succurrit [*Al.*, succurret]. Vere credo hanc vocem ab insidiatore fuisse prolatam, ut beatum sacerdotem ab oratione turbaret. Sed ille hoc jaculum fidei lorica repellens, magis ac magis sancti viri præsidium flagitabat, simulque cohortabatur, ut omnes orarent. Cumque hæc agerentur, subito supervenit odor suavissimus quasi balsamum in navi, et tanquam si cum thuribulo aliquis circuiret, odor

[a] Laud., Vinc., Rom., Bec. et Colb. duo: *Adveniens quidam Theodomundus.* Gat., *Theodmundus.*

[b] Sic Bec., Gat. et Rom. Alii vero, *populo teste.* Editi, *populo testatus est.* Et quæ sequuntur sic sunt in Editis: *Post sanitatem ergo rediit ad Chrodechildem reginam*, etc. Bal., *Throdechildem.* Chrodechildis erat Clodovei Magni relicta, quæ post viri obitum Turonos secessit, ubi et obiit, uti narrat Gregorius in Historiæ libro IV, cap. 1. Schola vero in unaquaque ecclesia erat, in qua clerici canendi arte aliisque disciplinis erudiebantur. Hinc in libris Pontificalibus et Ritualibus *scholæ* nomine designatur quidquid a clericis in communi cantari debet. Vide Menardi notas in Sacrament. Gregorianum.

[c] Colb. tut. et Gat. cum Editis, *Chamemunda.* Clar., *Chanemunda.* Colb. et Bec., *Camemunda.*

[d] Sic Mss. fere omnes. At Edit.: *Ante ædem gloriosi Præsulis eum fide staret*, Mart., *consistet.*

[e] Editi, *quod.* Clar., *quantum.*

[f] Sic et appellatur lib. x. Hist. cap. ult., ubi num. 16 recenseatur. Hic tamen Gat. habet *Baudevenus.* Colb. b, *Bladenus.* Bec., *Blandenus*; Editi, *Baudenus.*

[g] Sic omnes Mss., præter Mart., qui habet, *de villa in villam.* Editi, *de urbe in urbem.* Infra, Rom., *commoveretur.* Bec., *fluminis.* Ed., *fluctuum.*

[h] Gat., *hi uncenam.* Colb. tut., *hi in-inscena.* Colb. a, *hi in tescenam.* Bec., *hi in cena.* Sed retinenda est vox *scena*, quæ faciem exteriorem alicujus rei designat, similitudine ducta a scena theatri, atque eo modo sumitur a Tertulliano in libro de Anima; Apollinari Sidonio lib. VII epist. 1; Apulcio lib. II et V; Eumenio, etc.

[i] Codd. Laud. et Colb. a, *quæ beati regis.* In velo antennæ appenso pictum erat haud dubie sacræ crucis signum, aut ipsa antenna crucem referebat.

thimiamatis effragravit. Quo odore 1012 advenientes cessit violentia sæva ventorum, elisisque aquarum astantium molibus, redditur mare tranquillum. Mirantur omnes morti jam dediti fluctuum pacem, et protinus data serenitate redduntur in littore. Quod nullus ambigat, beati viri adventu hanc tempestatem fuisse sedatam. Tunc omnes in commune Domino gratias referunt, quod eos per invocationem Antistitis sui dignatus sit de hoc periculo liberare.

CAPUT X.

De eo, qui Sancti reliquias Camaracum detulit.

Hujus tempore quidam de Camaracense ecclesia reliquias beati Martini expetiit. Quibus jam vespere acceptis, cum psallendo proficisceretur, et dum Ligerim fluvium transisset [a], sero factum est, et subito contenebratum est cœlum; et ecce fulgura magna ac tonitrua magna descendebant. Dum hæc agerentur, duæ puerorum lanceæ, emissas flammeas pharos, lumen [b] euntibus præbuerunt. Ibantque fulgurantes hastæ, non minus miraculi quam beneficii viatoribus præferentes [c], virtutemque beati Antistitis ostendentes.

CAPUT XI.

De rege Galliciæ populoque converso, sive, *De Suevis.*

Deficit lingua sterilis tantas cupiens enarrare virtutes. Charrarici [d] cujusdam regis Galliciensis filius graviter ægrotabat, qui tale tædium incurrerat, ut solo spiritu palpitaret. Pater autem ejus fœtidæ se illi Arianæ sectæ una cum incolis loci illius subdiderat. Sed et regio illa plus 1013 solito quam aliæ provinciæ lepra [e] sordebat. Cumque rex videret urgeri filium in extremis, dicit suis : Martinus ille, quem in Galliis dicunt multis virtutibus effulgere, cujus, quæso, religionis vir fuerit, enarrate? Cui aiunt : Catholicæ fidei populum pastorali cura in corpore positus gubernavit, asserens Filium cum Patre et Spiritu sancto æquali substantia vel omnipotentia venerari debere : sed et nunc cœli sede locatus, assiduis beneficiis non cessat plebi propriæ providere. Qui ait : Si hæc vera sunt quæ profertis, discurrant usque ad ejus templum fideles amici mei, multa munera deportantes; et si obtineant mei infantuli medicinam, inquisita fide catholica, quæ ille credidit credam. Pensato ergo auro argentoque ad filii sui pondus [f], transmisit ad venerabilem locum sepulcri. Quo perlati [g], oblatis muneribus exorant ad Beati tumulum pro ægroto. Sed insidente adhuc in patris ejus pectore secta, non continuo integram recipere meruit medicinam. Reversi autem nuntii narraverunt regi se multas virtutes ad Beati tumulum vidisse, dicentes : Cur non sanatus fuerit filius tuus, ignoramus. At ille intelligens, non ante sanari posse filium suum, nisi æqualem cum Patre crederet Christum, in honorem beati Martini fabricavit ecclesiam; miroque opere ea expedita, proclamat : Si suscipere mereor [h] viri justi reliquias, quodcunque sacerdotes prædicaverint, credam. Et sic iterum suos dirigit majore cum munere : qui venientes ad beatum locum, reliquias postulabant. Cumque eis offerrentur ex consuetudine [i], dixerunt : Non ita faciemus, sed nobis quæsumus licentia tribuatur ponendi, quæ exinde iterum assumamus. Tunc partem pallii serici pensatam super beatum sepulcrum posuerunt, dicentes : Si invenimus gratiam coram expetito patrono, quæ posuimus 1014 plus insequenti pensabunt, eruntque nobis in benedictionem posita, quæsita per fidem. Vigilata ergo una nocte, facto mane, quæ posuerant pensitabant. In quibus tanta beati viri infusa est gratia, ut tandiu elevarent in sublime æream libram, quantum habere poterat quo ascenderet momentana. Cumque elevatæ fuissent reliquiæ cum magno triumpho, audierunt voces psallentium qui erant in civitate detrusi in carcerem, et admirantes suavitatem sonorum, interrogant custodes quid hoc esset? Qui dixerunt : Reliquiæ domni Martini in Galliciam transmittuntur, et ideo sic psallitur. Tunc illi flentes invocabant sanctum Martinum, ut eos sua visitatione de ergastulo carceris liberaret. Exterritisque custodibus, et in fugam versis, disruptis obicibus retinaculorum, liber populus surgit a vinculo, et sic usque ad sancta pi-

[a] Ed., *transit*. Aliquot Mss., *transiret, et sero factum esset, subito*, etc.

[b] Alii Mss., *emissis flammis lumen*.

[c] Mart., *præviantibus ferentes*.

[d] Plerique Mss. habent *Chararici*. Nullus fuit eo nomine rex in Gallæcia. Sed is ipse est, uti ex historia certum est, quem alii *Theodemirum*, seu *Ariamirum* appellant, sub quo Suevi, qui Gallæciam ab initio sæculi v occupabant, ejurata hæresi Ariana, catholicæ Ecclesiæ adjuncti sunt. Filius vero regis qui hic memoratur, fuit, uti patet ex libro iv, infra, cap. 7, Miro, qui patri in regno anno 570 successit.

[e] Colb. a, *a lepra sordebat*. Quod ansam præbuit Pithœo Codici suo apponendi *hac lepra*, ita ut *lepræ* nomine hæresis Ariana designaretur. At de lepra corporis loqui Gregorium ex fine hujus capitis patet.

[f] Qui minoris erant conditionis, cereum qui pondere ægrum coæquaret, aut ad staturam ipsius mensuratum, offerre ad sanctorum opem implorandam ut plurimum consueverant.

[g] Bec., *quo perlato*. Ed., *qui profecti*.

[h] Bec., *Suscipere merear*, etc.

[i] Lintea scilicet seu panni, qui aliquandiu super beati viri tumulo impositi fuerant; quomodo Romæ fiebat ad Apostolorum sepulcra, ut ex Gregorii Magni epistolis notum est, qui ejusmodi lintea *brandea* appellabat. — Fallitur, ut vel ex sola Gregorii narratione patet, Mariana libro v de rebus Hispaniæ cap. 9, ubi scribit Theodemiri legatos a Turonensibus *Pallii, quo Martinus superstes utebatur, partem* obtinuisse. Nec aliud quam ejusmodi pallium aut linteum fuisse puto celebrem sancti Martini cappam, quam reges nostri e tumulo sancti antistitis allatam secum in itineribus, potissimum in bellicis expeditionibus deferri curabant a clericis, qui exinde capellani dicti fuerunt. Porro ecclesiam sancti Martini, quam hic Gregorius in Gallæcia exstructam commemorat, nonnulli, ut loco laudato Mariana observat, ad Aquas calidas, hodie Auriam, seu Orensem, constitutam fuisse volunt, sed nullo firmiori argumento, quam ejus urbis templi maximi, quod a sancto Martino nomen habet.

[j] Plerique Mss., *eruntque nobis in benedictionem quæsita*. Confer cum cap. 28 lib. i de Gloria mart.

plebe inspectante [a], venerunt, osculantes beatas reliquias, simulque et gratias beato pro sui absolutione reddentes, quod eos dimiserit sua pietate salvare. Tunc obtentis per tem [b] a judice culpis, incolumes dimissi sunt. identes gestatores reliquiarum, gavisi sunt dicentes : Nunc cognovimus quod dignatur Antistes nobis peccatoribus propitium se). Et sic gratias agentes, navigio prospero, ente patroni præsidio, undis lenibus, tempetibus, velo pendulo, mari tranquillo, velociortum Galliciæ pervenerunt. Tunc commo- Deo quidam, nomine Martinus [c], de regione na, qui ibidem nunc sacerdos habetur, adve- nec hoc credo sine divina fuisse providend eo die se commoveret de patria quo beatæ de loco levatæ sunt, et sic simul cum ipsis ius Galliciæ portum ingressus sit. Quæ pium summa veneratione suscipientes, fidem miraculis firmant. Nam filius regis, dimissa egritudine, sanus properat ad occursum. autem Martinus sacerdotalis gratiæ accepit tum [d], Rex unitatem Patris et Filii, et Spiritus confessus, cum omni domo sua christ. Squalor lepræ a populo pellitur, et omnes salvantur, nec unquam ibi postea usque nunc liquem lepræ morbus apparuit. Talemque ibi in adventu pignorum beati patroni Doribuit, ut virtutes, quæ ibidem illa die factæ narrare perlongum sit. Nam tantum in Christi nunc populus ille promptus est, ut omnes um libentissime susciperent, si tempus peris adesset.

CAPUT XII.

De Ultrogotha Regina.

et Ultrogotha [e] regina, auditis miraculis quæ m fiunt quo sancta membra quiescunt, tani sapientiam Salomonis veniret audire [f], exA petiit ea corde devoto prospicere. Abstinens ergo se a cibis et somno, præcurrentibus etiam largissimis eleemosynis, pervenit ad locum sanctum, ingressaque basilicam, timens et tremens, nequaquam audebat beatum adire sepulcrum, indignam se esse proclamans, nec ibidem posse, obsistentibus culpis, accedere. Tamen deducta in vigiliis et orationibus ac profluis lacrymis una nocte, mane oblatis muneribus multis, in honorem beati Confessoris missas expetiit revocari [g]. Quæ dum celebrarentur, subito tres cæci, qui ad pedes beati Antistitis longo tempore privati lumine residebant, **1016** fulgore nimio circumdati, lumen, quod olim perdiderant, receperunt. Quo facto, clamor in cœlum attollitur magnificantium Deum. Ad istud miraculum B currit regina, concurrit et populus, mirantur omnes fidem mulieris, mirantur gloriam Confessoris : sed super omnia collaudatur Deus noster, qui tantam virtutem præstat sanctis suis, ut per eos talia operari dignetur, tale inter reliqua luminaria huic mundo beatum Martinum immensum sidus attribuens, per quem ejus tenebræ refulgerent [*Al.* refulgeant] : qui vere sicut oliva fructifera, per singulos dies fructus exhibet Domino de conversionibus miserorum [h].

CAPUT XIII.

De eo qui a pustula in extremis [i] positus laborabat.

Sed nec prætereundum est [j], quod venerabilem conservum meum Fortunatum presbyterum retulisse commemoro. Quidam in Italia, dum veneno pustulæ [k] C pervasus in discrimine sic ageretur, ut vivere desperaret, aliquos interrogat ad templum beati Martini quis fuerit [l]. Tunc quidam ex astantibus asserit se fuisse. Requirit ægrotus quid inde pro benedictione detulerit. Qui negat se aliquid præsumpsisse. Quem iterum interrogat qua tunc veste indutus sit, cum ad templum Sancti occurrerit. Respondit, quod ea qua super se ipso tempore utebatur. Tunc abscissam fideliter indumenti partic ulam imposuit super pustulam.

---

a., *populo exspectante;* alii, *spectante.*
ist, episcopum, scilicet Turonensem, ubi hæc ur.
. : *Tunc commonitus a Deo beatus Martinus.* quæ in Historiæ libro v cap. 38 de eo dicumnotas ibidem appositas. Cæterum hæc Sueconversio anno circiter 560 contigit, sub heodemiri regis. Martini Elogium vi e apud n in libro de Viris illustribus, cap. 35.
mo quidem Dumiensis monasterii, quod sub Benedictina condiderat, episcopus fuit, postea ropolim Braccarensem evectus est. Utrique Suevorum conversionem tribuit Fortunatus tota ad lib. v. Carm. præmissa, quæ est ad a Martinum cum Carm. 1 seq. illumque non lias laudat.
. fere omnes, *Ultrogotho.* Sic quoque dicitur ortunat., et in can. 15 concilii v Aurelian. *Ultrogodis.* Hæc fuit Childeberti I uxor, de qua us ejus filiabus Greg. l. iv Hist. cap. 20, et ntus lib. vi carm. 8. Sepulta est in sancti Ger- Pratis monasterii basilica. Eam inter sanctas laudat auctor Vitæ sanctæ Balthildis, his : « De Ultrogotha fertur regina, Childeberti t christianissimi regis conjuge, quod nutrix esset orphanorum, consolatrix pupillorum, sustentatrix pauperum et Dei servorum, atque adjutrix fidelium monachorum. »
f Mss. fere omnes, *tanquam si sapientiam Salomonis audiret.* Alludit Gregorius ad reginam Saba, quæ Jerosolymam accessit audiendi Salomonis gratia.
g Editi cum Clarom., *celebrari.* Retinenda cæterorum omnium Codicum lectio: ea enim loquendi forma alias usus est Gregorius. Vide lib. I de Gloria mart. cap. 51. Hanc etiam adhibuit non semel Fortunatus, uti a nostro Mabillonio observatum est lib. I Liturgiæ Gallic. cap. 6, ubi ea retractat vir erud tus, quæ do *missa revocata* alias scripserat, nihil aliud hac voce significari monens quam *missa celebrata.* Quod et ex hoc loco confirmari potest.
h S c omnes Mss., præter Clar., qui habet, *de conversatione miserorum.* Editi vero, *dies factis exhibet gloriam Domino, et conversionibus justorum.*
i Mss. plerique, *in exercitu positus.*
j Mss., *sed nec hoc prætorito.*
k Mss. plerique, et quidem antiquiores, *pustula*, et sic fere semper quoties ista vox recurrit.
l Id est, *accesserit.* Quo sensu verbum *esse* frequenter apud Gregorium occurrit.

Mox ut ægri membra tetigit, vulnus pustulæ veneni vim perdidit : quæ tali medicamine et virtutem **1017** Sancti protulit, et infirmum refert incolumem. Hanc apud Italos asserens specialem vigere medelam, ut si quis pustulæ percutiatur vulnere, ad propinquum quod fuerit beati Martini oratorium habeatur [*Al.*, abeatur] perfugium, et aut ex velo [a] januæ, aut palliolis, quæ pendent de parietibus, quidquid primum raptum fuerit, si ægro superpositum adhæserit, fit salubre. Hæc medela genitorem suum carnalem ab interitu pustulæ, ut ipse patris sui testis asserit, liberavit.

CAPUT XIV.

De castello Italiæ, Tertio nomine.

Idem his verbis retulit, in cacumine castelli regionis Italiæ, quod dicitur Tertium, oratorium beati Martini fundatum est ; ibique turri vicinæ, quoties incursione barbarorum per fraudem [b] hostis accederet nocturnis insidiis, quisquis de vigilantibus habuisset in turre lanceam, aut spatam, vel cultellum, seu grafium protulisset ex theca, fere per [c] horæ spatium tale lumen reddebatur ex universo gladio, tanquam si illud ferrum verteretur in cereum. Et mox ex ipso signo custodes admoniti, magis intenti vigiliis, hostes latebrantes lapidibus exturbabant. Quod ope sancti Martini recto judicio reputatur, qui vicinitate sua sibi devotis populis sedulam exhibuit præsentemque custodiam. Et hanc virtutem a supra dicto cognovimus Fortunato.

CAPUT XV.

De oleo cicendilis super pictura Beati.

1018 Sibi quoque in Ravenna [d] atque in rhetorica socio suo Felici, ex oleo, quod sub imagine picturæ beati Martini in cicendili ardebat, dum tetigerunt oculos, lumen redisse [*Forsan*, reddidisse] confessus est.

CAPUT XVI.

De Placido procuratore.

Similiter in prædicta urbe dum Placidus procurator, desperatus a medicis, ad aliud [e] puellarum oratorium sibi vicinum confugeret, et in atrio recubaret, venit noctu ad abbatissam beatus Martinus per somnium, quam requirens quid faceret, ait, se requiescere. Dicit Sanctus ad illam : In Gallias habui jam redire, sed propter istum, qui foris jacet in atrio, me remoratum profiteor. Tunc surgens abbatissa, et referens visionem, fidem fecit homini quia de periculo liberaretur, quod certe meruit obtinere. Sed ut [*Forsan*, et] prædictus presbyter asserit, multum desiderabilius in locis Italicis Martini gloriam venerari quam, si licet dici, quo [f] propria membra recubant tumulata : in tantum ut frequentia miracula nec sparsa colligantur in verbis, nec tam infinita recondantur in paginis.

CAPUT XVII.

De his quæ Ambianis gesta sunt.

1019 In porta Ambianensi, in qua quondam vir beatus pauperem algentem chlamyde decisa contexit [g], oratorium a fidelibus est ædificatum, in quo nunc puellæ religiosæ deserviunt ob honorem sancti Antistitis, parumper habentes facultatis, nisi quod eas devotorum alit sæpe devotio. Erant tamen eis quodam tempore pauca apium alvearia, quæ eis fuerant data, quæ cum quidam invidus conspexisset, ait intra se : Utinam aliquid de his vasis possem auferre! Secuta autem nocte instigatus a dæmone, ablatis tribus vasis, navim onerat, ut scilicet transito amne sibi facilius quæ abstulerat vindicaret. Sed, credo, ei impedimentum fuisse hoc furtum, sicut postea manifeste probatum est. Igitur cum sole oriente ad portum fluminis causa transmeandi homines properarent, navim ad littus aspiciunt, apesque ex alvearis

[a] Laudat Nepotianum Hieronymus ob studium in ecclesias impensum, et inter alia recenset vela quæ in ostiis erant. *Velum sacrarii* memorat Gregorius noster libro IV Histor. cap. 31. De quo et concilium Narbon. can. 13. De his quoque passim Anastasius in Vitis pontificum. In majoribus ecclesiis etiamnunc in Gallia certis diebus velum extensum chorum a sacrario seu loco in quo est altare majus separat; et vela circa altare, cortinas vulgo appellamus, pendent. Sic et parietes velis etiam tegebantur, quæ hic Gregorius *palliola* appellat; et in his ut plurimum sacræ aliquot historiæ depictæ erant, ad rudium eruditionem.

[b] Cod. Colb. a, *pro fraude.*

[c] Mss. quinque, *super horæ spatium.*

[d] Hoc caput deest in Colb. b et Bec. Lectionem Gat., Clar. et Vinc., retinuimus. Alii Mss. habent : *Sibi in Ravenna... socii sui Felicis.* Editi, *et Felici et Rhetorico sociis suis.* Sed locus iste facile illustrari potest ex Paulo Diacono, qui capite 13 libri II de Gestis Langob. idem miraculum narrat, quod contigisse ait Ravennæ cum ibi Fortunatus cum Felice, postea episcopo Tarvisiano, ut cap. præcedenti dixerat, rhetoricæ studiis incumberet : « Hic, inquit, cum oculorum dolorem vehementissimum pateretur, et nihilominus Felix iste ipsius socius pari modo oculos doleret, uterque ad basilicam beatorum Pauli atque Joannis, quæ intra eamdem urbem sita est, perrexerunt, in qua etiam altarium in honorem beati Martini confessoris constructum propinquam habet fenestram, in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta; de cujus oleo mox sibi isti, Fortunatus scilicet et Felix, dolentia lumina tetigerunt. Illico dolore fugato, sanitatem quam optabant, adepti sunt. » Atque occasio hæc fuit Fortunato, ut Paulus prosequitur, qui in loco dicto *Duplavillis*, haud procul a *Cenitensi castro*, seu *Tarvisiana civitate*, ortus, et Ravennæ educatus fuerat, in Gallias accedendi ad sancti Martini tumulum. Debine Pictavum profectus primum presbyter, tum episcopus ejusdem urbis creatus est.

[e] Plerique Mss., *alium.* Mart., *arium.* Ed., *ad illud.* Vetus erat monasterium Ravennæ sub titulo sancti Martini, quod a Theodorico rege constructum fuisse dicebatur, postea sancti Apollinaris Novi dictum. Illi fortasse Gregorii tempore habitabant sanctimoniales, quibus monachi ordinis nostri, qui hunc locum diu possesserunt, successerint. Tandem anno 1514 [illegible] Franciscanis cessit, reditus vero abbatiæ sancti [illegible] Romæ attributi fuerunt.

[f] Editi : *Italicis veneratur quam ubi propria membra recubant; in tantum.*

[g] Facinus istud tantopere in Ecclesia celebratum erat Severus Sulpicius in Vita beati Martini; hunc vero ille ubi id contigit, nunc a RR. PP. Cœlestinis habitatur, in quorum ecclesiæ chori medio erecta columna, cum inscriptione quæ rem gestam exponit. Ambianum urbs est notissima, vulgo *Amiens*, Belgicæ caput, sub metropoli Rhemensi.

m emergere, hominemque seorsum jacere A mabat. Tunc quasi manibus aliorum de jumento suo
ım. Sed putantes eum a somno occupatum, excussus, super arbores, quæ vallī inerant, dejicitur.
licerant jam a puellis furtum factum, quan- Et sic paulatim per singulos ramos descendens, sine
roperant ad alligandum eum, sed accedentes mortis periculo ad terram usque pervenit. Tamen
n reperiunt. Statimque puellis notum faciunt ut opus insidiatoris non usquequaque videretur cas-
et quod furto raptum [*Al.*, furatum] fuerat satum, quod fuerat inchoatum, unum pedem ejus
restituunt, admirantes tam velociter in ho- leviter lædit. Sed veniens ad gloriosi domni Martini
rinæ ultionis accessisse sententiam. templ'um, orationi incumbens, omnem vim doloris
amisit.

CAPUT XVIII.

De Siroialense oratorio.

apud Siroialense [a] oratorium, cujus altarium CAPUT XXI.
confessoris manus alma sacravit, dum pleri- *De alio appenso.*
eficia expetita mererentur, quidam paralyticus Non credo haberi superfluum, si inseratur le-
ne, et cereum **1020** in status sui altitudi- tioni qualiter invocatio nominis ejus vitam præstiterit mo-
cte tota vigilans retinuisset, mane facto, ut rituro. Quodam loco unus propter furti scelera com-
dita est mundo, ipse absolutis gressibus, po- B prehensus, atque gravibus verberibus actus, ductus
te, incolumis exsilivit. est ad patibulum, ut condemnaretur suspendio. Cum-
que in hunc exitum, morte jam appropinquante, ve-
nisset, orandi spatium petiit. Tunc sicut erat ligatis
post tergum manibus, jactavit se pronus in terram,
et cœpit cum lacrymis invocare nomen beati Mar-
tini, ut etsi in hac necessitate ei non succurreret,
vel a culpis eum in posterum excusaret. Cumque
completa oratione suspensus fuisset, recesserunt mi-
lites [*Cat.* ministri] a loco illo: ipse autem ore se-
miaperto parumper labia movens, sancti Martini
semper nitebatur auxilium implorare. Discedentibus
tamen illis, statim solutæ sunt manus et pedes ejus.
Et sic per biduum pendente eo, revelatum est cu'dam
religiosæ [d] ut eum tolleret. Quæ veniens invenit eum
adhuc viventem. Tunc adjutorio beati Martini de
patibulo depositum, incolumem adduxit ad eccl siam:
ibique eum videntes stupescebant, et admirabantur,
dicentes: Quomodo vivit? Et interrogabant eum
qualiter liberatus esset. Ille autem dicebat: Beatus
Martinus me de præsenti morte liberavit, et hucusque
perduxit. Vere hanc ego virtutem **1022** in hoc ho-
mine ostensam, juxta sensus mei intelligentiam, non
inferiorem censeo, quam mortuum suscitatum: quem
sic beatus Confessor, confracto, ut ita dicam, mortis
hiatu, et ejus ab ore retractum vitæ restituit. Qui
usque hodie ad testimonium virtutis beati viri vivus
habetur in sæculo.

CAPUT XIX.

De Bella cæca.

oc silebo, quid cæcitati contulerit, cum beati
um devota mulier expetisset. Quædam de
o territorio femina, Bella nomine, amisso
m lu..ine graviter laborabat. Et cum die no-
incessabilibus doloribus urgeretur, dicit suis:
asilicam domni Martini ducta fuissem, conti-
nitatem recepissem. Confido etenim, quod
culis meis lumen infundere, qui potuit pau-
pram osculo libante sanare [b]. Deinde, admi-
deducente, venit ad sanctum locum, ibique C
et orationibus crebris insistens, visum quem
ut reci;ere meruit. Et ita sanata est, ut quæ
enerat alio perducente, cæcis affatim dux fu-
gressa sit. Quæ postea virum accipiens, et
enérans, recuperatori gratias rependit inco-

CAPUT XX.

De Ammonio præcipitato.

uia bis aut tertio de sola gloriosi nominis in-
né, et virtutes factas, et pericula sedata nar-
s, qualiter cuidam perenati in ipso mortis
itio beatus Pontifex invocatus sustentaculum
set, evolvam. Ammonius quidam agens [c]
basilicæ, dum de cœna madefactus vino ve-
de rupe excelsa, quæ viæ conjungitur, inimico D
ente, præcipitatur. Erat autem profundum
ius fere ducentorum pedum. Cumque per pro-
tem **1021** præcipitii illius rotaretur, et deor-
ine alarum remigio volitaret, sancti Martini
m per singula descensionis suæ momenta cla-

CAPUT XXII.

De Leomere contracto.

Quid etiam in Condatensi dioc.esi [e] actum sit, non
præteribo. Locus autem ille crebris virtutibus illu-
stratur. Ab hoc enim vir beatus, sarcina carnis ab-
jecta, migravit ad Dominum. Leomeri ergo quidam
nomine, servus cujusdam hominis Andecavini a san-

c Mss., præter Colb., qui habet *Sirmalense*. *Sirmalensim*; et Victor., *Sirogalense*, quam em etiam Bell., Colb. a et Colb. tut. habent ce capitum libro præfixo, ubi Gat. *Sirolialensi*; *Sirojarensi*. Editi vero hic *Sirojabense*. Hunc Marollius putat esse *Siran la Late*, haud pro- Severiaco et Bellismo apud Turones; aliis t - ridetur esse *Saint-Ciran du Sambot*, vicus ad em inter Castellionem et Luccas.
in Parisiacæ urbis porta contigisse testatur Severus Sulpicius in beati viri Vita. Quod miraculum postea occasionem præbuit oratorii in ejus honorem construendi, de quo alibi dictum est.

[e] Editi, *vices agens*. Sed melior est Mss. lectio. Agentes quippe sæpius memorat Gregorius, eos scilicet qui sic et hodie appellantur, gerendis ecclesiæ aut virorum illustrium negotiis deputati.

[d] Mss. aliquot cum Editis, *cuidam religioso....qui*.

[e] Id est vico. Hanc vocem sæpius usurpat Gregorius ad designandum pagum seu parvam regionem.

guine [a] percussus, contracta manu, ligataque lingua rigebat; multoque tempore in hac debilitate detentus, neque sibi, neque domino aliquid operis exercebat. Hic fide commonitus, cum ad beati basilicam vigilasset, directa manu, deliberataque ab omni impedimento lingua, beati Martini miraculum populis testabatur, dicens : Ecce quid in hac nocte sanctus Dei operatus est, me teste, probate. Reversus autem ad dominum suum narravit ei omnia quæ acta fuerant. Sed ille minime virtutem gloriosi Pontificis credens, ad solitum eum adaptat servitium. Qui cum operari cœpisset, rursum in debilitatem redigitur. Intelligens autem dominus ejus Dei hoc esse mysterium, transmisit eum iterum ad locum sanctum, ad quem prius abierat, in quo ille cum maxima devotione pernoctans, dato die, sanitati quam prius meruerat instauratur.

CAPUT XXIII.

De Wiliachario soluto a catenis.

Dignum existimavi et illud non omittere in relatu, quid Wiliacharium presbyterum referentem audivi Tempore quo idem Wiliacharius per perfidiam Chramni Chlotarium **1023** regem iratum incurrerat [b], ad basilicam sancti Martini confugit, atque ibidem in catenis positus custodiebatur, sed virtute beati Præsulis comminutæ catenæ stare non potuerunt. Nescio autem qua imminente negligentia foris atrium comprehensus est. Quem oneratum ferro, vinctisque post tergum manibus, ducebant ad regem. At ille voce magna clamare cœpit, et ut sibi beatus Martinus misereretur orare, nec eum sineret abire captivum, cujus devotus expetierat templum. Statimque in ejus vocibus, orante beato Euphronio episcopo de muro civitatis contra basilicam, dissolutæ sunt manus ejus, et omnes baccæ catenarum confractæ ceciderunt. Perductus autem usque ad regem, ibi iterum in compedibus et catenis constrictus retinebatur. Sed invocato nomine sæpe dicti patroni, ita omne ferrum super eum comminutum est ut putares illud fuisse quasi lutum figuli. Hoc tantum erat in spatiis, ut non solveretur a vinculo, quoadusque nomen illud sacratissimum invocasset; invocato autem, omnia solvebantur. Tunc rex altioris ingenii, videns virtutem sancti Martini ibidem operari, et ab onere vinculorum absolvit eum, et pristinæ restituit libertati. Hæc ab ipsius Wiliacharii presbyteri ore coram multis testibus factum esse cognovi. Utinam se mihi in tali virtute dignaretur manifestare beatus Confessor, ut sic absolveret meorum ligamina peccaminum, sicut super eum contrivit vasta pondera catenarum.

CAPUT XXIV.

De Alpino comite debili.

Alpinus quoque comes Turonicæ civitatis cum per totum annum graviter ab uno pedis dolore consumeretur, et die noctuque requiem non haberet, atque inter ipsas torturæ **1024** suæ voces beati Martini jugiter auxilium imploraret, apparuit ei beatus Confessor in visu nocte, hilari vultu arridens, et consueta deferens arma; ut beatum signaculum sanctæ crucis super pedem infirmum imposuit, mox omni dolore fugato, sanus surrexit de lectulo.

CAPUT XXV.

De Charigisilo contracto.

His expertis Charigisilus [c] referendarius regis Clotarii, cui manus et pedes ab humore contracti erant [d], venit ad sanctam basilicam, et orationi incumbens per duos aut tres menses, a beato Antistite visitatus, membris debilibus sanitatem obtinere promeruit : qui postea antedicti regis domesticus [e] fuit, multaque beneficia populo Turonico vel servientibus beatæ basilicæ ministravit.

CAPUT XXVI.

De Aquilino amente.

Narrabo et illud, qualiter diabolicæ artis insaniæ ad ejus basilicam denudentur. Quidam, Aquilinus nomine, dum venationem cum patre suo in silvis Franciæ exerceret, pavorem pessimum, inimico insidiante, incurrit. Erat enim ei tremor cordis, et interea videbatur exsensus [f]. Parentes vero ejus intelligentes eum diaboli immissione turbari, ut mos rusticorum habet, a sortilegis et ariolis ligamenta ei et potiones deferebant. Sed cum nihil valerent ex more [g], illi sancti Martini auxilia prompti, dolore cogente, requirunt, dicentes : Potest hic insidiarum nudare malitiam, qui detexit umbram multam, ut audivimus, falso religionis nomine adoratam [h]. Quem de regione commotum miserunt ad **1025** sanctam basilicam, ibique in oratione cum summa parcitate se continens, opem Sancti poscebat assidue. Cumque in hac fide diutius commoratus ibi fuisset, omni pavore dempto, sensum ut habuerat ante, recepit, oblitisque parentibus in eo loco usque hodie pro beneficio accepto deservit.

[a] Sic Mss. omnes, id est apoplexi correptus. Editi tamen, *ab angue*.

[b] Hunc locum sic ex Gat., Mart., Bec., Colb. tut. et aliis restituimus. Editi, cum Clar. et aliquot aliis : *Tempore quo propter perfidiam Chramnus*, seu *Chranius iram Clotarii regis incurrerat*, et in capitis titulo, *de Chramno*, seu *Chranio*, etc. Wiliacharium, aliquot Codices *Wilicharium*, seu *Viliatharium*, nonnulli *Miliatharium* appellant.

[c] Bec., *Charigilius*; Editi, *Charigisitus*.

[d] Mss. aliquot, *contraxerant*. Quæ vox in sequioris ævi auctoribus passim occurrit pro, contracti erant.

[e] Ex hoc loco probat Labbeus in Miscellaneis historicis domestici et referendarii dignitates omnino diversas fuisse.

[f] Id est amens, quasi extra sensum, quod ejus priores editiones curarunt non attendentes, hic et alias sæpe ubi hæc vox repetitur, posuere *extensus*.

[g] Alii Mss. cum Ed., *valeret mos ille*.

[h] Alludit ad historiam quam Sulpicius Severus narrat in beati viri Vita, ubi detexisse dicitur fabi martyris larvam, qui cum fuisset latro et ob scelera supplicio affectus vitam finisset, pro martyre tamen a populo habebatur. Sed beati viri oratione preces sub *umbræ sordidæ et trucis* specie apparens impostura fateri coactus est. In plerisque Mss. deest vox *multum*.

CAPUT XXVII.

De Charivaldo debili.

Sed et Charivaldus quidam per venationem similes incurrens insidias, latus unum, debilitata manu ac pede, perdiderat. Qui ad gloriosum templum famulorum manibus deportatus, jejuniis et orationibus se subdens assiduis, per totum ferre annum. Quod cum fecisset, omnium membrorum sanitate recepta, gaudens remeavit ad propria. Et ideo monemus ut nullus sollicitetur ab ariolis, quia nihil unquam proderunt infirmis. Plus enim valet parumper de pulvere basilicæ, quam illi [*Al.*, mille] cum medicamentis insaniæ.

CAPUT XXVIII.

De fune abscisso.

De pulvere, aut cera loci illius, vel quidquid rapere quis potuit de sepulcro, quantæ virtutes aut assidue fiant, aut factæ sint, quis unquam poterit investigare aut scire? Unum tamen manifestum miraculum, quod a fidelibus comperi, putavi crimen ducere taceri. Unus fide plenus expetiit ut aliquid pignoris de Sancti basilica secretius deportaret; et multis conatus vicibus, nunquam potuit, dum publice non præsumpsit. Reverti autem cupiens, nocte ad funem illum de quo signum commovetur advenit; ex quo fune decisam cultro particulam, secum detulit. Regressusque ad domum, multis exinde infirmis sanitatem accommodavit, ita ut non dubium esset ægrotum evadere, qui pignus illud meruisset fideliter osculari. Ecce quod, Sancte, præstas fidelibus qui tua mœnia expetunt [a] pie. Per te salvantur, qui pignora votive detulerint, et **1026** subsequente tuo auxilio, liberantur. Sed hæc omnia fides strenua operatur, dicente Domino : *Fides tua te salvum fecit* (*Luc.* XVIII, 42).

CAPUT XXIX.

De Chariberto rege, qui res ecclesiasticas pervasit.

Videtur nec illud sileri, qualiter vir beatus præsidia famulis ad res suas defendendas quaqua jubet accommodet. Charibertus rex, cum, exosis clericis, ecclesias Dei negligeret, despectisque sacerdotibus, magis in luxuriam declinasset, ingestum est ejus auribus locum quemdam, quem basilica sancti Martini diuturno tempore retinebat, fisci sui juribus redhiberi. Loco autem illi Navicellis [b] nomen prisca vetustas indiderat. Qui accepto iniquo consilio, pueros velociter misit, qui reiculam illam in suo dominio subjugarent. Cumque hæc recte non possidens, videretur habere, jussit in locum illum stabularios cum equitibus [*Idest*, equis] dirigi, ibique sine æquitatis ordine præcepit equos ali. Accedentes ergo pueri fenum quod coacervatum fuerat accipiunt in equorum expensas. Cumque injunctum studiose ageretur servitium, atque equites appositum fenum cœpissent expendere, corripiuntur a rabie. Et fremen-

A tes ad invicem, disruptis loris, per plana prosiliunt, et in fugam vertuntur; et sic male dispersi, alii excæcantur [*Bec.*, exnecantur], alii rupibus præcipitantur, alii se sepibus ingerentes, palorum acuminibus ultro transfodiuntur. Tandem stabularii iram Dei intelligentes, paucos extra terminum loci, quos assequi potuerunt, expellunt, sanosque recipiunt, nuntiantes regi rem illam injustissime retineri. Et ideo hæc cum fuissent perpessi, dixerunt : Dimitte eam, et erit pax tibi. Qui furore repletus sic dixisse fertur : Sive juste, sive injuste reddi debeat [c], regnante me, hanc basilica non habebit. Qui protinus divina jussione transitum accipiens requievit. Adveniente autem glorioissimo Sigiberto rege in ejus regnum, ad suggestionem beati Eufronii
B episcopi hoc in dominio **1027** sancti Martini restituit, quod usque hodie ab ejus basilica possidetur. Audite hæc omnes potestatem habentes. Sic vestite alios, ut alios non spolietis : hoc adjungite vestris divitiis, unde damnum [*Al.*, ut damna] non inferatis ecclesiis. Vindex est enim Deus velociter servorum suorum. Et ideo monemus ut qui de Potestatibus hæc legerit, non irascatur. Nam si irascitur, de se confitebitur dictum.

CAPUT XXX.

De Eustochio Pictavensi.

Simili conditione beatus Confessor in rebus sibi injuste ablatis apparuit. Eustochius quidam cum
C plerumque contra injustitiam sanctum Eufronium episcopum de hæreditate Baudulfi cognati sui pulsaret, qui hæredem basilicam sancti Martini instituerat, commotus ab eo per assiduas injurias beatus pontifex aliquid ei de rebus illis reddidit. Portante autem illo hoc ad domum suam, protinus filius ejus unicus in febrem corruit, unaque die et nocte graviter exæstuans, exspiravit. Cui tam præsens fuit mortis occursus, quam velociter pater ejus de rebus sibi non debitis effectus est dominus. Qui in exemplum Giezi possedit aurum, et argentum, sed, quod illi erat pretiosius, acquisita animæ lepra, amisit et filium : nec unquam meruit deinceps alium adipisci.

CAPUT XXXI.

De eo qui in sancta portica perjuravit.

D Quam præsens et super alium ultio divina processerit, qui in sancta porticu perjuraverat, ad comprimendam perfidorum audaciam non silebo. Cum ad matraculam illam quam Sanctus suo beneficio de devotorum eleemosynis pascit quotidie a fidelibus necessaria tribuantur, consuetudinem benedicti pauperes habent, ut cum multi ex his per loca discesserint, custodem inibi derelinquant, qui quod fuerit oblatum accipiat. Quidam ergo **1028** devotus unum triantem mercedis intuitu detulit, quem custos loci collectum fratribus occultare non metuit.

[a] Mss. fere omnes, *proprie*.

[b] Locus est ad Sicerum (*la Cisse*) fluvium, vulgo dictus *Nazelles*.

[c] Bell., Clar. et Laud., *redhibeatur*. Bec., Colb. tres, Victor. et cæteri, *retineatur*.

Convenientes autem pauperes ad sextam, sciscitati sunt antedictum custodem quid sibi beatus pastor solita pietate respiciens transmisisset, audierant enim ibidem aliquid fuisse largitum. Qui ait cum sacramento : Per hunc sanctum locum, et virtutes domni Martini, quia hic amplius non venit, quam unus argenteus. Necdum enim verba compleverat, sed adhuc in ore sermo pendebat, cum statim tremens corruit in terram, suoque lectulo aliorum manibus redditus, cœpit graviter singultire. Interrogatus autem a circumstantibus quid sibi esset, respondit : Triantem illum quem pauperes requirebant, perjuravi, et ideo me præsens vindicta flagellat : sed rogo ut eum accipientes reddatis matriculæ. Quo reddito, statim emisit spiritum. O infelix [a], qui sic ab iniqua cupiditate præventus perlit, ut et lucrum vitæ perderet, nec damna adeptæ pecuniæ possideret. Sed ad quid non mortalia pectora cogit exsecranda cupiditas? Quæ invida quondam viduæ duobus minutis cœleste regnum mercanti fueras [b], modo hunc per unum triantem ad ima præcipitas. Et quæ Judam appendisti laqueo in Magistri pretio, hunc per parvum numisma demergis in tartara. Satis ergo hæc ad comprimendam malorum temeritatem dicta sufficiant.

CAPUT XXXII.

Qualiter me virtus ejus ab infirmitate restauravit incolumem.

Ergo his exactis, quæ circa alios gesta sunt, aggrediar quæ circa me indignum virtus præsentis est operata patroni. Anno 163 post assumptionem sancti ac prædicabilis viri beati Martini antistitis, regente ecclesiam Turonicam sancto Eufronio episcopo anno 7, anno 2 Sigiberti gloriosissimi regis [c], irrui in valetudinem cum pustulis **1029** malis et febre, negatoque usu potus atque cibi, ita angebar, ut amissa omni spe vitæ præsentis, de solis sepulturæ necessariis cogitarem. Obsidebat enim membra febris assidua [d] cum ardore, animam cupiens expugnare de corpore. Tunc jam valde exanimis, invocato nomine beati Martini antistitis, parumper convalui, et lento adhuc conamine iter incipio præparare; insederat enim animis ut locum venerabilis sepulcri visitare deberem. Unde tanto desiderio affectus sum, ut nec vivere me optarem [e], si tardius direxissem. Et qui vix evaseram ex ardore incommodi, cœpi iterum desiderii febre succendi. Nec mora, adhuc parum fortis iter cum meis arripio, actisque vel duabus vel tribus mansionibus ingressus silvas, corrui rursus in febrem, et tam graviter agere cœpi, ut omnes me autumarent vitam amittere. Tunc accedentes amici, et videntes me valde lassum, dicebant : Revertamur ad propria; et si te Deus vocare voluerit, in domo tua morere; si autem evaseris, votivum iter facilius explicabis. Satius est enim reverti ad domum quam mori in eremo. Ego vero hæc audiens, vehementer lacrymabar; et plangens infelicitatem meam, locutus sum cum eis, dicens : Adjuro vos per omnipotentem Deum, et reis omnibus metuendum judicii diem, ut ad ea quæ rogo consentiatis. De cœpto itinere non desistite; et si mereor sancti Martini videre basilicam, gratias ago Deo meo; sin aliud, vel exanime corpus deferentes ibidem sepelite, quia deliberatio mea est, non reverti domum, si non ejus sepulcro meruero præsentari. Tunc una pariter flentes, iter quod cœperamus aggredimur. Præcedente ergo præsidio gloriosi domni, ad basilicam ejus advenimus.

CAPUT XXXIII.

De clerico nostro amente.

Eo tempore unus ex clericis meis, Armentarius nomine, bene eruditus **1030** in spiritualibus Scripturis, cui tam facile erat sonorum modulationes apprehendere, ut eum non putares hoc meditari, sed scribere, in servitio valde strenuus, et in commisso fidelis. Hic vero, inficiente veneno, a pustulis malis omnem sensum perdiderat, et ita redactus fuerat, ut nihil penitus aut intelligere posset, aut agere. Tertia autem nocte postquam advenimus ad sanctam basilicam, vigilare disposuimus, quod et implevimus. Mane autem facto, signo ad matutinas commoto [f], reversi sumus ad metatum [*Ed.*, dormitum] : qui lectulis quiescentes, usque ad horam prope secundam dormivimus. Expergefactus ergo, amota omni languoris et cordis amaritudine, sentio me pristinam recepisse sanitatem, et, gaudens, puerum familiarem, qui mihi serviret, evoco. Exsurgens autem Armentarius velociter coram me stetit, et ait : Domine ego parabo [g] quod jusseris. At ego existimans adhuc esse eum exsensum [h] : Vade, aio, si potes, voca puerum. Et ait : Ego quæcunque præceperis adimplebo. Obstupefactus interrogo quid hoc esset. Qui ait : Intelligo me valde sanum, sed unus error est animo, quod nescio de qua parte huc advenerim. Et incipiens ita mihi impendit servitium, sicut erat solitus ante tædium [i]. Tunc ego exsultans et flens pre

[a] Quæ sequuntur ad finem capitis desunt in Colb. b.

[b] Editi cum aliquot Mss., *mercandi causa fueras, hunc per*, etc.

[c] Annus Sigiberti regis secundus est æræ vulgaris 563 et juxta hunc calculum annus 400 fuit beati Martini extremus. Nulla quippe est in Editis aut scriptis hoc loco lectionis varietas : unde Cointius legendum censet supra *an.* 166 *post assumptionem*, etc.

[d] Sic Germ. Alii vero : *Obsidebat enim me mors assidua*. Pith., ex Colb., sed recent. manu : *Obsidebat enim me vis assidua*.

[e] Cod. Laud., *oporteret*. Pith., ut supra, manu rec., *putarem*.

[f] Codd. Gath. et Colb. tut. : *Signo matutinis horis commoto*. Laud., Bel. et Colb. a, *commonito*. Bec., *commorato*. Nota hic Matutinas a Vigiliis nocturnis distingui. Vigilias hodie Matutinas appellamus, Matutinas vero Laudes dicimus. Easdem, ut hic Gregorius, distinguit S. P. Benedictus in Regula sua.

[g] Cod. Laud., Clar. et Bec., *parebo aut quod jusseris*.

[h] Aliquot mss., *exsensim*, et sic cum ista vox repetitur.

[i] Editi, *triduum*. Cod. Clar., *sicut erat solitus ante. Tunc*.

gaudio, gratias omnipotenti Deo tam pro me, quam pro ipso refero, quod intercedente patrono incolumem me corpore, illum mente reddiderit, et unus occursus ex fide etiam alteri amenti, qui nec petere noverat, salutem præstitisset. Sed nec hoc præteribo, quod post dies quadraginta eodem die primo vinum delectatus sum bibere, cum illud, faciente incommodo, usque tunc exosum habuerim.

CAPUT XXXIV.

Quod virtus ejus ab agro nostro tempestatem prohibuit.

Nos vero revertentes tres cereolos pro benedictione beati sepulcri **1031** portavimus : de qua cera quam multæ virtutes factæ sunt super frigoriticis et aliis infirmis, longum est enarrare. Sed unum e multis miraculum proferam. Agrum quemdam possessionis nostræ grando annis singulis vastare consueverat, et tam graviter sæviebat, ut nihil ibidem cum venisset relinqueret. Tunc ego in vineis illis arborem unam, quæ erat excelsior cæteris, eligens, de sanc a cera super eam posui. Post illam autem diem usque in præsens tempus nunquam ibidem tempestas cecidit, sed veniens, locum illum tanquam timens præterit.

CAPUT XXXV.

De ligno beati cancelli ad nos delato.

Fide commonente, quidam [a] ex nostris lignum venerabile de cancello lectuli, quod est ad monasterium sancti Domni, me nesciente, detulerat, quod in hospitiolo suo pro salvatione retinebat. Sed, credo, quia non sic honorabatur, aut diligebatur, ut sibi decuerat [b], cœpit familia ejus graviter ægrotare. Et cum penitus nesciretur quid hoc esset, nec emendaretur aliquid, sed quotidie ageretur deterius [c], vidit in visu noctis personam terribilem, dicentem sibi : Cur sic tecum agitur? Qui ait : Ignoro prorsus unde hoc evenerit. Dicit ei persona . Lignum, quod de lectulo domni Martini tulisti, negligenter tecum hic retines, ideo hæc incurristi. Sed vade nunc, et defer illud Gregorio diacono, et ipse illud secum retineat. At ille nihil moratus mihi exhibuit. Quod ego cum summa veneratione collectum loco digno repo-ui. Et sic omnis familia in domo ejus sanata est, ita ut nemo ibidem deinceps aliquid mali perferret.

CAPUT XXXVI.

Quod virtus ejus nobis inimicos inhibuit.

Factum est autem quodam tempore, ut visitationis studio ad venerabilem **1032** matrem meam in Burgundiam ambularem. Cum autem silvas illas quæ trans Berberem [d] fluvium sitæ sunt præterirem, latrones incurrimus. Qui circumdantes nos, volebant spoliare et interficere. Tunc ego ad auxilia consueta confugiens, sancti Martini præsidium flagitabam. Quod mihi protinus dignanter assistens, ita eos conterruit, ut nihil contra nos agere possent. Sed versa vice qui venerant ut timerentur, timere cœperunt, et cursu velocissimo fugere. Sed ego, non immemor Apostoli dicentis, inimicos nostros potu ciboque debere satiari (*Rom.* XII, 20), potum eis offerri præcipio. Qui nequaquam exspectantes, quantum poterant, fugiebant. Crederes eos fustibus agi, aut invitos contra possibilitatem caballorum suorum currere cogi; et sic, tribuente Domino, et juvante patrono, quo dirigebamus [e] advenimus. De quantis me tribulationibus et ærumnis eripuit, in quantis mihi necessitatibus sua pietas astitit, vel quantas in me amaritudines sua virtute compescuit, non dicam ad scribendum, sed etiam ad referendum perlongum est.

CAPUT XXXVII.

De dysentericis.

Quid de dysentericis dicam, ubi tam velociter invenitur medela, quam fideliter fuerit inquisita? Nam vidi mulierem a dysenteria per quinque menses graviter laborantem, ita ut cum necessitas commoveret, inter manus ad loca necessaria transferretur, quæ simul et confortationem cibi, et virtutem corpusculi superflue digerendo perdiderat; me indice novi hanc ad basilicam vigilasse. Reddito autem post nocturnas tenebras die, abraso beati tumuli pulvere [f], et remedium hausisse simul et poculum; eamque domi propriis gressibus fuisse redditam, quæ veniens ab aliis fuerat sustentata.

CAPUT XXXVIII.

De energumenis et frigoriticis.

1033 Vel quid ego de energumenis vel frigoriticis referam, quibus si vere fuerint parcitas et fides conjunctæ, mox adminiculante patrono, cunctæ [*Ed.*, mente] submoventur insidiæ? Sic multi ex frigoriticis, dum vi febris pessime quatiantur, tota die inter altarium et sanctum tumulum decubantes [*Al.* debacchantes], ad vesperum autem hausto ex beati sepulcri pulvere, continuo promerentur accipere sanitatem. Nam Paulus energumenus, qui legionem dæmoniorum dicebatur habere, insistente inimico, machinam, quæ sanctæ cameræ erat propinqua, conscendens, dixisse fertur : Pereat vasculum, quod exustus [g] inhabito. Et exæstuans, et præcipitans se deorsum, ita beati virtute leviter in pavimentum depositus est, ut nullum membrorum damnati corpusculi collideret.

[a] Germ. : *Inde quidam ex nostris.* Voce *lectuli* hic tumulum designari observat Mabillon. lib. I Liturg. Gall. c. 8, n. 11. Nonnunquam altare significat, ibid., num. 5.

[b] Editi, *decorabatur, ut decuerat.*

[c] Codd. aliquot cum Editis, *nec emendaretur aliquid, sed quotidie augeretur deterius.*

[d] Aliquot Mss., *Verberem*; alii *Berberim.* Dicitur a nonnullis *Barberus*, vulgo *le Barberon*, qui in Delphinatum Delphinatus observat Cointius ad annum 574. Vide notas in cap. ultimum libri III, infra.

[e] Sic plerique Mss. Et quidem sæpius occurrit in medii ævi scriptoribus hoc verbum sic expressum. Alii habent, *ubi dirigebamur.* Mart., *diligebamur.*

[f] Plerique Mss., *Abrasum pulverem.* Addit Colb. b *ferunt et remedium*, etc.

[g] Sic plerique mss. Editi : *Parcatur vasculo quod exutus inhabito.* Codd. Colb. a, Laud., et cæteri, simpliciter, *fertur. Vasculum quod exustus inhabito. Et præcipitans.*

CAPUT XXXIX.

De Leomeris casu.

Leomeris [*Bec.*, Beomeus] quædam cæca atque contracta, longo tempore miserabiliter vivens, dum iter illud per manus aliorum crebris occursibus utitur, quo ad Beati basilicam itur, tandem ab ejus pietate respecta, jacens ad sanctum ostium, lumen pariter gressumque recepit. O si totum proderetur in publicum, quod singuli quique, dum fideliter precant, latenter accipiunt, et retinet occultum multorum conscientia, quod fideliter precando clam quæsita sanitas est adepta! Quod si hæc, ut diximus, cuncta publicarentur, non solum 1034 libros, sed nec ipsum mundum, ut ait evangelista de Domino, arbitror potuisse recipere (*Joan.* XXI, 25).

CAPUT XL.

De Securo contracto.

Et quoniam sermo clausulam petit, unum adhuc præclarum miraculum priusquam liber finem accipiat, enarrabo. Adolescens quidam, nomine Securus, ex utero matris egrediens, manum aridam pedemque protulerat, et ita omnium membrorum sic-

A cata compage dirigerat, ut monstrum aliquod timularet: erat autem et jugo servitutis innexus. Quem cum viderent domini sui jam per septem annos nihil omnino posse proficere, manibus deportantes posuerunt eum ante beatum sepulcrum, ut vel a pretereuntibus posceretur, qui habere proprie alii non poterat. Jacente autem eo in loco illo per multos dies, directus est pes ejus qui fuerat debilis, manusque ejus sicca, infectis sanguine venis, sanata est: et ita omni corpore, accepta beati Confessoris ope, formatus est [*Ed.*, sanatus], ut putares eum denuo fuisse renatum. Qui parvulus a Justino comite redemptus, et ingenuus dimissus est: et postea baptismum consecutus, usque hodie sub patrocinio sancti ecclesiæ persistit incolumis. Quis unquam ista sic ex ordine

B inquirere, aut referre poterit, ut ex æquo laudare sufficiat? Tamen nos, quantum investigare potuimus, scribere fideliter studuimus, hanc speramus retributionem mercedis accipere, ut dum hæc leguntur in laudem sanctissimi Sacerdotis, nobis fortasse tribuatur refrigerium pro delictis [a], dicente porta:

Forsan et hæc olim meminisse juvabit.

[a] Cod. Germ.: *Pro delictis, eo præstante, qui judicaturus est vivos et mortuos in sede supernæ majestatis. Amen.* Et hic desinit codex.

Explicit liber primus.

LIBER SECUNDUS.

DE VIRTUTIBUS QUÆ FACTÆ SUNT POSTQUAM VENIMUS NOS.

Prologus.

1037 Quoniam perscriptis virtutibus sancti Martini, quas vidimus, vel a fidelibus viris de antacto tempore reperire potuimus, ardentes valde in hac siti, ut non traderetur oblivioni quod Dominus exercere dignatus est in laudem Antistitis sui [a], libellum primum explicuimus; narrare etiam ea cupimus quæ nostro tempore agi miramur, relinquentes non parvam materiam eloquentioribus, sumentes autem magnalia virtutum in nostris operibus, ut quod peritia non dilatat in paginis, numerositas virtutum extendat in numeris.

CAPUT PRIMUM.

Qualiter a febre et dysenteria erutus sum.

Anno 572 post transitum beati Martini 1038 antistitis, Sigiberto gloriosissimo rege duodecimo anno [b] regnante, post excessum sancti Eufronii episcopi, non meo merito, cum sim conscientia terribilis, et peccatis obvolutus, sed tribuente fideli Deo, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, onus episco-

C patus indignus accepi. Mense autem secundo ordinationis meæ, cum essem in villa [c], incurri dysenteriam cum febre valida, et taliter agi corpi, ut imminente morte vivere omnimodis desperarem. Emittebam autem assidue digestionum officia, quæ accipere non poterant inexpensa, et erat horror cibi; cumque ab inedia deficeret virtus stomachi, febris tantum erat victus corpori [d]. Nam nullatenus accedebat confortatio

[a] Colb. b, *superest ea narrare quæ nostro.* Plerique alii mss., *Antistitis sui, narrare*, etc., ut Editi.

[b] Si hos omnes numeros referunt omnes Mss. et Editi. Porro Sigiberti annus 12, vulgaris æræ fuit 573. Et hos calculos secuti sunt clerici Turonenses, seu potius Odo abbas in Vita beati Gregorii. Cointius tamen Sigiberti annum 12 vult cum anno 176 post sancti Martini transitum debere illigari.

[c] Sic omnes omnino Mss. Editi tamen, *cum essem in urbem.* Et quidem ex hujus capitis fine patet ipsam eodem in loco a presbytero rusticano fuisse celebratam.

[d] Aliquot Scripti cum Edit. s, *virtus corporis.*

sumptuosa : erat autem et dolor gravis totam alvum penetrans, et descendens ad ilia, non me minus consumens tortura sua quam febris exegerat. Cumque sic ageretur mecum, ut non remansisset spes vitæ, **1039** sed cuncta deputarentur in funere, nec valeret penitus medici antidotum, quem mors mancipaverat ad perdendum, ego ipse de me desperans, vocavi Armentarium archiatrum, et dico ei : Omne ingenium artificii tui impendisti, pigmentorum omnium vim jam probasti, sed nihil proficit perituro res sæculi. Unum restat quod faciam, magnam tibi theriacam ostendam. Pulverem de sacratissimo domui Martini sepulcro exhibe, et exinde mihi facito potionem. Quod si hoc non valuerit, amissa sunt omnia evadendi perfugia. Tunc misso diacono ad antedictum beati Præsulis tumulum, de sacrosancto pulvere exhibuit, dilutumque mihi porrigunt ad bibendum. Quo hausto, mox omni dolore sedato, sanitatem recepi de tumulo. In quo tam præsens fuit beneficium, ut cum id actum fuerit hora tertia, incolumis procederem ad convivium ipsa die hora sexta[a].

Visum est et hoc inserere lectioni, qualiter me Deus arguerit, ne ante me permitterem stultos et faciles de beatis[b] solemnibus obtrectare. In crastino autem postquam convalui, die Dominico ad missam veniens, nolensque me fatigare, uni presbyterorum gloriosa solemnia celebrare præcepi. Sed cum presbyter ille nescio quæ rustice festiva verba depromeret[c], mul i eum de nostris irridere [*Ed.*, increpare] cœperunt, dicentes : Melius fuisset tacere, quam sic inculte loqui. Nocte autem insecuta, vidi virum dicentem mihi : De mysteriis Dei nequaquam disputandum. Testor enim Deum, quia hoc a me non est compositum, sed ipsa verba quæ audivi, vobis exposui. Unde, dilectissimi, nullus de hoc mysterio [*Mart.*, ministerio], etiam si rustice videatur dici, disputare præsumat, quia apud Dei majestatem magis simplicitas pura quam philosophorum valet argutia.

CAPUT II.

De infirmitate Justini.

Gratum arbitratus sum et illud non omittere, quod mihi in libro anteriore excidit. Nam cum retulerim **1040** de cereolis illis quos de sepulcro beati Antistitis sustuli[d], a quibus et tempestates sedatas, et alias infirmitates prohibitas dixi, hoc cum mecum deputarem, Justinus vir sororis meæ in valetudinem irruit. Nam, invalescente febre, cum doloribus membrorum omnium, valde ad extremum agi[e] cœpit. Nuntius hæc ad me delatus retulit, efflagitans ut si quid medicamenti reperire possem, morituro transmitterem, ne obiret. At ego in virtute beati Antistitis confisus, unum ex cereolis transmitto per puerum, dicens : Accendite illum coram eo, et in contemplatione luminis orationem fundat ad Dominum, et deprecetur omnipotentiam [*Rom.*, potentiam] Antistitis, ut ei succurrat. Missus autem puer quod dederam deportavit. Quo accenso ante lectum ægroti, favillam scirpi, quem jam ignis consumpserat, cultro eradunt, dilutumque aqua ægroto porrigunt ad bibendum. At ille ut hausit, sanitatem protinus recepit, incolumisque redditus est. Nobis postea qualiter sibi virtus beati Antistitis subvenit, exposuit. Nam referre erat solitus, quod ubi primum oculis ejus jubar luminis progressum a cereo pepulit tenebras noctis, protinus in contemplatione flammæ febris recessit a corpore, ac stomachus qui diu langueral inedia, cibum consolationis efflagitat, et qui tantum aquam puram ad restinguendum febris ardorem haurire consueverat, nunc vinum desiderat. Facit hæc virtus Antistitis, quæ sæpe miseris opem proflua miseratione tribuit, et infirmis medicamenta largitur.

CAPUT III.

De Maurusa chiragrica.

Vereor ne nimium progredi præsumens, obsoleat paginam sermo rusticior. Maurusam quamdam graviter chiragrici humoris dolor affecerat, ita ut retortis ad crura pedibus, nullatenus se erigere posset. Erat enim et oculorum luce muletata ; quæ longo tempore graviter agens, tanquam mortua putabatur superstes, nec erat ei **1041** spes alimoniæ, nisi aliquis ei manum misericordiæ porrexisset. Quotidie autem respectum intuens devotorum, victus necessaria deposcebat. Factum est autem ut quodam tempore extra solitum gravius ageret, nec poterat quemquam judicare membrorum, nisi tantum in pectore flatus spiraminis discurrebat[f]. Quæ jam valde exanimis rogavit ut eam ad pedes sancti Martini deferrent. Ad quem locum cum manibus fidelium fuisset illata, dolore cogente, vociferans beati Viri auxilium, ut sibi misereretur orabat. Tandem pietas illa respiciens, quæ pauperes dimittere nunquam consuevit inanes, in festivitate sua laxata sunt fila nervorum arentium, et sic de dextera, quam per sex annos non judicaverat[g], signum lætæ crucis ad os faciens, in pedibus restituta est, ita ut ad hospitiolum suum nullius usa adjutorio remearet, oculorum lumine non recepto. Post annos autem duos iterum veniens ad beati patroni tumulum, cœpit attentius, sicut erat opportunum, orare : mox apertis oculis, in rediviva luce surrexit. Hanc virtutem ideo hic scripsimus, quia postquam huc advenimus, illuminata est. Nam antea a debilitate sanata fuerat.

CAPUT IV.

De servo Simonis presbyteri.

Simonis fidelissimi compresbyteri nostri servus,

[a] Mss. fere omnes, *ipsa die ad sextam*. Hora tertia, secundum nostrum computandi morem in æquinoctio, horæ, ut vocamus, nonæ matutinæ respondet, sexta vero meridiei.

[b] In Ed. deest, *de*. Bec., *de Beati*.

[c] Bec., *nescio quid rustice depromeret festiva verba*.

[d] In libro præced., cap. 34.

[e] Aliquot Mss., *valetudo ad extrema age e ;* alii : *vergere* cœpit.

[f] Sic omnes omnino Scripti. Editi vero habent : *Quoquam modo juvari membrorum officio, nisi quod.. decurrebat*. Judicare paulo inferius item sumitur pro movere, seu levare, et sic alibi.

[g] Id est, *levaverat*, ut Editi. Colb. b, *eraserat*. Pith *moverat*. Bec., *dicaverat*.

Veranus nomine, qui erat ei in commissis promptuariis probatus [a], dum ad custodiam sibi dispositam [b] resideret, superveniente humore podagrico, pedum gressu mulctatur. Qui cum per totum annum talibus doloribus vexaretur, ut etiam viciniam in proximo positam commoveret, contractis subito nervis, ad plenum debilitatur. Quod videns dominus ejus, dolens exitum fidelis vernaculi, jussit eum ad pedes beati Antistitis deportari, promittens votum, et dicens : Si eum reddideris sanitati, piissime **1042** domne Martine, in illa die absolutus a mei servitii vinculo, humiliatis [*Ed.*, incisis] capillis tuo servitio delegetur. Positus ergo ad pedes pretiosissimi Domni, cum per quinque dies ibidem jaceret immobilis, sexta die sopore comprimitur; et obdormienti visum est ei, tanquam si in lectulo solitus sit homo pedem extendere [c]. Expergefactus autem sanus ab omni debilitate surrexit. Qui tonsurato capite, et accepta libertate, ibidem beati Domni usibus nunc deservit. O admirabilem beati viri redemptionem! Quis unquam de mille talentis sic redemit, sicut præsens nostrorum criminum suffragator? qui uno ictu, unoque momento, sine numismate auri, et corpus a debilitate, et conditionem absolvit ab onere.

CAPUT V.

De paralytico Autisiodorensi.

Quidam ex Autisiodorensi oppido, Manulfus [d] nomine, deferentium manibus ad beati Martini sepulcrum jactatus est. Qui jugi oratione et jejunio incumbens, pedes quos introrsus exhibuerat, reddita subito sanitate retulit in usum consuetum directos; et ita Sancti virtute, quod immodo reformatus est, ut qui aliorum manibus deportabatur, propriis firmatus vestigiis, præsentibus nobis, consurgeret sospes.

CAPUT VI.

De paralytico Aurelianensi.

Alius autem paralyticus ex Aurelianensi territorio carruca devectus, venit ad sanctam basilicam : qui diebus multis jacens ad ostium illud, quod secus baptisterium ad medium diem [*Al.*, meridiem] pandit egressum, beati Antistitis implorabat auxilium. Factum est autem, ut una die jacens gravius extra solitum torqueretur, ita ut vicini de proximo ad ejus voces concurrerent [e]. **1043** Dissolvebantur autem ligaturæ nervorum ejus, et dirigebantur, propterea erat dolor intolerabilis; et sic, tribuente patrono, erectus super plantas, flens præ gaudio, populo teste surrexit. Qui continuo clericus factus, et in sospitate firmatus, ad domum regressus est.

CAPUT VII.

De paralytico ex Biturige.

Sed et alius gressu debilis, nomine Leubovens, jam clericus adveniens, super terram se trahens, quia paupertate faciente non habebat qui eum ferret, de die in diem beati Martini limina requirebat. Qui dum quadam die a foris ad Sancti pedes fleret, directis genibus atque pedibus, spectante populo sanitatem recepit. Tres virtutes istas ipsa die factas fuisse constat quo Sigibertus gloriosissimus rex, Sequanam transiens, sine collisione [f] exercitus pacem cum fratribus fecit (*An.* 574). Quod nullus ambigat hunc etiam [*Ed.*, tertiam] beati Antistitis fuisse victoriam.

CAPUT VIII.

De cæco illuminato.

Eo quoque tempore cæcus quidam ab eleemosynariis postulans stipem, cui non erat aliud in vicu, nisi aliquis ei manum porrexisset pietatis intuitu, nec erat domi præsidium, nisi miseratio devotorum, die una, dum ante sanctum sepulcrum fixis staret vestigiis, subito corripuit eum dolor in oculis; et cum graviter ab hoc dolore consumeretur, cœperunt ejus oculi spumam emittere. Et sic erumpente a palpebris ejus sanguine, in redivivam lucem renascens, lumen, quod olim perdiderat, videre promeruit.

CAPUT IX.

De alia cæca.

1044 Gunthedrudis [g] quædam, de Viromandense [h] territorio, oculorum lumen perdiderat : quæ relinquens domum et patriam, fide commonente, venit ad sanctam basilicam, ibique diebus multis deserviens, unius oculi meruit recipere visum. Quæ mox oblita virum et filios, vesteque mutata, ad religionem ecclesiasticam, Domino inspirante, transivit.

CAPUT X.

De muliere a profluvio sanguinis liberata.

Sed nec hoc silebo, qualiter velut ex veste Redemptoris nostri, ad beatum sepulcrum fluxus sanguinis sit siccatus [i]. Mulier quædam ex Arverno

[a] Editi cum aliquot Mss., *prælibatus*. Bec., *promptuarii*. Observa hic Simonem presbyterum a Gregorio episcopo compresbyterum appellari. Vide conc. Turon. II can. 7.

[b] Plerique Mss. cum Edit., *depositam*. Bec. et Colb. b, *commistam*.

[c] Sic Mss. omnes, excepto Colb. b, qui habet : *Ei tanquam si in lectulo solitus erat pedem extenderet*. Editi : *Visum est sibi quasi in lectulo suo solito pedes extendere*.

[d] Laud. et Bell., *Malulfus*; alii, *Mallulfus*.

[e] Aliquot Codices, *vicinia... concurreret*.

[f] Bec., *sine consilio*, utraque lectio vera est. Hanc historiam narrat ipse Gregorius lib. IV Historiæ cap. 50, ubi etiam et ista tria miracula commemorat, et pacem hanc beati Martini patrocinio tribuit.

[g] Alii, *Gundetrudis*, vel *Gunthetrudis*.

[h] Veromandui, olim populi celebres Belgicæ, hodiernæ Picardiæ partem occupant, vulgo *le Vermandois*, quorum caput est Augusta Viromanduorum, vulgo dicta *Saint-Quentin*. Vide lib. de Gloria mart. cap. 75. Cæterum Mart. cum Clict. habet *in vico Mandense*, et Chol. *Vico Modense*. Bign., *Vicomedensi*. Sed librariorum est error.

[i] Alludit ad mulierem hæmorrhoissam, quæ ad tactum vestimenti Domini nostri curata est, uti narrant Matthæus cap. IX, et alii evangelistæ.

veniens cum viro suo, de pago Transaliensi [a], profluvio sanguinis ægrotabat, secus autem atrium basilicæ mansionem habebat. Quæ diebus singulis ad sancti Confessoris limina jacens, prostrata opem sanitatis poscebat. Factum est autem ut quadam die accedens ad sanctum sepulcrum, orans, et osculans, de palla quæ super erat posita, aures et oculos sibi tangeret. Protinus siccato rivo sanguinis, ita sanata est, ut putaret se Redemptoris fimbriam contigisse. Cujus vir in valetudinem irruens, ad ostium basilicæ manibus depositus aliorum, fideliter exorans, restincta febre, convaluit. Et sic pariter hic ab incommodo, hæc a profluvio sanata, magnificantes Deum ad propriam domum regressi sunt.

CAPUT XI.

De muliere claudâ.

Conjux Animi [b] tribuni, nomine Mummola [c], nocte conterrita a **1045** pavore, usum unius pedis perdiderat; et ita in debilitatem corruerat, ut aliorum manibus sustentaretur erecta, sicubi disponeret progressura [d]. Quæ ad beati Martini pedes deposita, nocte tota cereum manu pro voto detinuit, nobis in basilica vigilantibus. Mane autem facto, moto ad matutinos signo, super pedem debilem constitit, ita ut omni debilitate sedata, ad metatum suum propriis gressibus, nullo sustentante, libera remearet.

CAPUT XII.

De dysenterico sanato.

Quodam autem tempore cum beatus Germanus, Parisiacæ urbis pontifex, ad festivitatem Antistitis gloriosi accederet, Ragnimodus [e] tunc diaconus, nunc episcopus, in servitium ejus accessit, graviter a dysenteria laborans. Sed beatus Germanus prius ad villam ecclesiæ suæ [f], quæ in hoc territorio sita est, venit. Igitur cum ante noctem vigiliarum solemnitatis ejus Turonis advenire cœpisset, diaconem in villa residere jubet, dicens : Ne forte fatigeris eundo, et aliquid tibi deterius contingat. At ille : Potestas, inquit, Dei est, quæ nos jubeat juxta meritum pati : nam ego non exeo aliter, nisi ad basilicam beati Antistitis eam ; confido enim quod si tumulum ejus attigero, salvus ero. Et statim, ascenso equite [*id est*, equo], ad basilicam venit. Mane autem accepta potione de pulvere sepulcri, sedata protinus infirmitate, convaluit.

[a] Sic vetustiores Codices scripti. Aliquot, *Trasaliensi*. Editi cum Clar., *Transiliensi*. Victor., *Trasalerensi*.

[b] Sic Mss. omnes præter Bell. et Clar., qui habent *Animii*. Editi tamen *Aniani*.

[c] Sic plerique Mss. Bec. et Colb. b, *Nummela* ; Vinc., *Nummola* ; et Clar., *Nummula*. Editi vero *Unimola*.

[d] Editi duo, *si quo propo sis et accelere*.

[e] Editi, *Ragnimundus*, vel *Ragiamundus*. Is ipse est qui beato Germano in Parisiensi sede successit.

[f] Hæc est, ut quidem mihi videtur, *Sevriacum*, vulgo *Sevray* in Turonibus, de qua Fortunatus in Vita sancti Germani, cap. 65, ubi pro *villam sanctæ Ecclesiæ*, etc., sic legendum puto : *Cum de basilica sancti Martini ad villam suæ Ecclesiæ Severiaco recurreret*. Bal., *ad urbem suæ*, etc., *urbe residere*.

[g] Clar., *Ursulfus*. Vinc., Bec. et Colb. b, *Ursulfus*.

CAPUT XIII.

De cæco illuminato.

Ursulfus [g] autem quidam ex Turonica civitate, de pago trans Ligerim, cæcus, beati Martini suffragia devotus expetiit. Qui duobus assidue mensibus ad ejus templum deserviens, in jejuniis orationibusque perdurabat. Factum est autem in una **1046** die resurrectionis dominicæ [h] dum esset ad pedes Domni, et cum reliquo populo missarum solemnia spectaret [i], subito apertis oculis cuncta clare cernere cœpit, ita ut ad sanctum altare communicandi gratia, nemine ducente, veniret. Quæ autem fuerit causa cæcitatis, edicam. Primo die Paschæ jussus est a domino suo ut agrum circuiret, inventumque aditum unde pecora introibant observaret. Dum eum claudere conatur, excæcatus est. Tunc, ut diximus, ad sepulcrum veniens, flens et ejulans, visum, quem perdiderat, flagitabat. Die autem illa dum populo gratia dominici corporis traderetur, et ei beatus Antistes lumen reddere dignatus est, ac elucente sole luminum suorum refulserunt stellæ. Quis unquam, rogo, talis medicus poterit inveniri, qui in una infirmitate duas contulerit medicinas? Ecce in uno cæco duæ virtutes ostensæ, cui corporales oculos ad contemplanda terrena prius aperuit, et nunc cordis oculos ut ea non concupiscat illuminavit; et ad suum dignatus est dicare servitium, quem, ut ita dicam, renasci denuo fecit in mundum.

CAPUT XIV.

De puella paralytica.

Sed neque hoc reticebo quid in sua festivitate operatus sit hic patronus. Palatina quædam puella, paralysis humore percussa, usum gressuum male redacta perdiderat, ita ut contractis in poplitibus nervis, calcaneos ad crura conjungeret. Quam pater Turonis deferens, ante pedes beati Martini devotus exposuit, ibique tribus mensibus jacens, stipem a prætereuntibus postulabat. Factum est autem in die insignis solemnitatis beati Viri, ut illa, nobis missam dicentibus, in loco quem superius nominavimus fideliter exoraret. Cumque nos rite sacrosancta solemnia celebrantes, **1047** contestationem [j] de sancti domni virtutibus narraremus, subito illa vociferari cœpit, et flere, indicans se torqueri. At ubi, expedita contesta-

ulfus.

[h] Sic omnes dies, ut vocamus, Dominicas ejus ævi auctores frequenter nuncupabant, quod sic a præcipua Dominica, qua resurrectionis solemnitas in Ecclesia celebratur, appellatæ fuerint.

[i] Aliquot Mss., *expectaret*. Sed hoc ex modo pronuntiandi *s* quasi *es*. Nam alias frequenter Gregorius missas spectare pro iis interesse scripsit. Unde nihil refert quod ille cæcus fuerit.

[j] Alias illatio seu immolatio dicebatur, hodie præfationem appellamus. Olim cuique festo sua erat propria, in qua sancti cujus erat festivitas præclare gesta recensebantur. Vestigium hujus rei superest etiam nunc in majorum festivitatum præfationibus, in quibus mysteria quæ celebrantur paucis verbis exponuntur. Contestationem quam hic laudat Gregorius dabimus in appendice.

tione, omnis populus *Sanctus* [a] in laudem Domini proclamavit, statim dissoluti sunt nervi qui ligati erant, et stetit super pedes suos, cuncto populo spectante, et sic, propitiante Domino, usque ad altare sanctum ad communicandum propriis gressibus nullo sustentante, pervenit : quæ usque hodie incolumis perseverat.

CAPUT XV.

De cæco illuminato.

Merobaudus [b] quidam ex pago Pictavensi, dum esset laborans in opere, cæcitate pessima, insidiatore immittente, percussus est. Qui cum per sex annos male agens in hac infirmitate duraret, advenit ad sanctum templum beati Martini, ibique assidue orationi incumbens, in crastina die de sancta festivitate, dum ad pedes beati Martini staret, subito visum est ei, circa se tanquam coruscatio resplenderet ; et statim, apertis oculis, cuncta prospexit. Qui continuo clericus factus in eodem loco, sanus abscessit.

CAPUT XVI.

De his quæ nauta retulit.

Fuit et illud insigne miraculum, cum Dominus in die Epiphaniorum obtentu beati Antistitis ex aquis Falerna produxit, ac de alvei fundo vinum elicuit pauperi, qui quondam latices in vina mutavit. Igitur cum quodam tempore iter ageremus [c] in pago Balbiacensi [d] ad Ligerim usque fluvium pervenimus. Cumque a nauta, qui nos ripæ alteri transponere debebat, sollicite requireremus loca in quæ piscaturi procederemus, locum indicat, **1048** dicens : Sit vobis beatus Martinus in adjutorium. At nostri ingrate hæc susceperunt, dicentes quod in ejus nomine nunquam visa est evenisse captura. Ille autem : Haud dubium sit, quia præstat hoc virtus ejus. Nam referam, inquit, vobis quæ mihi hoc anno contigerunt, vel qualiter per invocationem nominis ejus, opitulante Domino, quod optavi promerui. Denique dies erat Epiphaniorum, et ingressus in promptuario, nihil potus quod haurirem inveni, egressusque oravi, dicens : Sanctissime Martine, transmitte mihi in hac sacra solemnitate aliquid vini, ne epulantibus aliis, ego jejunus remaneam. Dum autem hæc tacitus orarem, vocem in ulteriori ripa audivi me vocantem, ut navim homini qui iter agebat adducerem. Verum ubi, acceptis contis, eo versus impetum [e] fluminis sulcare cœpi, et ut in medio amne perveni, subito excussus magnus ex gurgite piscis in navim cecidit : quo confestim oppresso, transpositis hominibus, domum regressus sum, venditoque pisce uno vini modio, cum cæteris sum refectus. Ergo noveritis quam velociter in illud quod invocatus fuerit, si petatur fideliter, apparebit. Testor autem Deum quia hæc ab ipsius nautæ ore cognovi.

CAPUT XVII.

De Gunthramno duce.

Quodam die dum Gunthramnus Boso contra vicum Ambasiacensem [f] Ligerim fluvium transmearet, ac irruentibus jam tenebris mundum nox horribilis retineret, subito adversante vento nautæ turbantur in pelago, separatisque navibus quæ pontem illum sustinebant, et aqua usque ad summum repletis, descendunt cuncti usque ad cingulum cum ipsis navibus in profundum, nequaquam tamen navibus subductis **1049** a pedibus. Exterritis autem omnibus, Boso non rauce vociferans beati Martini auxilium proclamabat, et ut eis ad liberandum festinus occurreret, precabatur, dicens fidenter suis : Nolite timere, scio enim quod dextera sancti Viri ad auxilium porrigendum maxime in necessitatibus sit parata. Hæc eo dicente, directis a Deo navibus, mutatoque vento contrario in secundum, nullo pereunte, pervenerunt in littus, ubi tam præsens occurrit beati Confessoris suffragium, ut etiam argentum quod rapiente fluvio perdiderant, ipso denique fluvio in littus restituente, reciperent.

CAPUT XVIII.

De Landulfo lunatico.

Quidam ex Viennensi [g] territorio Landulfus nomine, graviter a lunatici dæmonii infestatione vexabatur, ita ut plerumque ab hoste se vallari putans in terram corrueret, cruentasque ex ore spumas emittens, tanquam mortuus habebatur. Quod genus morbi epilepticum [h] peritorum medicorum vocavit auctoritas ; rustici vero cadivum [i] dixere, pro eo quod caderet. Cumque se antedictus in hoc exitu videret affligi, audita beati Præsulis fama, sanctam ejus adiit basilicam, ut sibi præsentia cunctis suffragia subvenirent. Sed cum eodem in loco plenus fide veniret, ardentius eum sævi dæmonis pulsat audacia : nec ei licebat atrium egredi propter publicam dæmonum infestationem : in atrio tamen nihil nocebatur. Nam visibiliter cum magno armorum strepitu venientes, conabantur eum cassis telorum acuminibus perfodere. Quod si se subderet terræ, ranarum super eum multitudo horribilis desilire videbatur. Sed et voces publice ab eo audiebantur exprobrantium, et dicentium : Martinus, quem expetisti, nihil poterit tibi subvenire, quia nostris es ditionibus mancipatus. Sed ille ad hæc fideliter et immobilis **1050** signum

[a] Id statuerat an. 529 conc. Valense II can. 3.

[b] Mss. aliquot, *Merobaudis*. Colb. b, *Geroblandus*. Clar., *Gerobaudus*. Bec., *Meroblandus*.

[c] Hæc et quæ sequuntur in singulari persona plerique Mss. efferunt.

[d] Sic omnes Mss., editi autem *Belvacensi*. Est forte locus *Beauvau* dictus haud procul a Cainone et Ligeri. Savaro, in Sidon. lib. II, ep. 14, ex pancharta nigra sancti Martini : *Beluacus ad calciamenta fratrum*, etc., *pro qua subdole decepti Martiacum villam in pago Arvernensi in concambium fratres dederunt.*

[e] Plerique Mss., *contis, tunsorum etiam impetu fluctus secare.*

[f] Plerique Mss., *Ambiacensem*, vulgo *Amboise*. De Guntramno Bosone plura habet Gregorius in Historia, ubi etiam de Ambaciacensi oppido diximus.

[g] Editi, *Vianensi territorio Landulphus*. Bec., *Landulfus*.

[h] Plerique Mss., *ephilenticum*.

[i] Sic Mss. At Editi, ut hodie loquimur, *caducum*.

crucis opponens, terribiliter eos per aerem tenuem [a] effugabat. Post has autem vacuas et inanes immissiones, cum videret inimicus eum sibi vindicare non posse, dolis eum tentavit illudere. Componens namque se in specie veterani [b] venit ad eum, dicens: Ego sum Martinus, quem invocas; surge, et adora coram me, si vis recipere sanitatem. Cui ait ille: Si tu es dominus Martinus, fac super me signum crucis, et credam. At ille audito nomine signi sibi semper contrarii, tanquam fumus evanuit. Post hæc autem stans ad pedes gloriosi Domni factus est in stupore mentis, et vidit beatam basilicam novo lumine effulgere; ex qua egrediens Sanctus dixit ad eum: Exaudita est oratio tua, et ecce eris sanus ab infirmitate quam pateris. Et sic beatæ crucis signaculum super caput ejus faciens abscessit. Ille vero in se reversus, amotis omnibus insidiis, salutem se sensit integram recepisse. Tamen post receptam sanitatem, cum cœpisset vino uti superflue, corpusque ejus diu abstentum imbre maduisset [c] latus ei cum uno pede manuque contrahitur. Sed parcimoniæ se iterum deputans, caputque tonsurans, rursum Beati virtute redditur sanitati.

CAPUT XIX.

De Theudomere diacono cæco.

Dum [d] singula quæque miracula beati Viri succincte scribimus, nec ea in ampliorem sermonem expandimus, verendo valde, atque timendo iter carpimus inchoatum, ne forte dicatur a prudentioribus: Multum hæc poterat peritus extendere [e]. Sed nobis in ecclesiastico dogmate versantibus videtur ut historia quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertinet, postposita verbositate, brevi atque simplici sermone texatur, ut et virtutem beati Antistitis prodat, et sapientibus fastidium non imponat. Quo facto et lector provocetur in lectione, et Sanctus prodatur **1051** in opere. Theudomeris [f] diaconus cum præ humore capitis, decidentibus [*Al.*, claudentibus] cataractis, oculorum aditus haberet per quatuor annos graviter obseratos, venit ad cellulam Condatensem, in qua vir beatus transiit. Prostratusque ad ejus lectulum, nocte tota lacrymis et orationibus deducta, immobilis madefecit terram fletibus, tepuitque suspirils ejus venerabile ligneum cancelli; lucescente autem die, reseratis cataractis luminum, lumen videre promeruit. Quid unquam tale fecere cum ferramentis medici, cum plus doloris negotium exerant quam medelæ, cum distento transfixoque spiculis oculo, prius mortis tormenta figurent quam lumen aperiant? In quo si cautela fefellerit, æternam misero præparat cæcitatem. Huic autem beato Confessori voluntas ferramentum est, et sola virtus unguentum.

CAPUT XX.

De Desiderio energumeno.

In qua cellula cum Desiderius energumenus ex Arverno veniens, nocte integra debacchasset, mane facto, cœpit declamare quod eum beatus Martinus incenderet. In his vocibus evomens purulentum nescio quid cum sanguine, dæmone ejecto, purgatus est; infectumque sanie pulverem derelinquens, cellulam egressus est sanus.

CAPUT XXI.

De homine manum contractam habente.

Quidam in eodem loco manum debilem contractis digitis detulit, ita ut ungues in palma ejus affixi, decurrente interdum sanguine, dolorem ei nimium generarent. Ilic projiciens se ad antedictum gloriosi domni lectulum, flens et deprecans, tam dolore instigante quam fide, postera die directis digitis, manum recepit incolumem.

CAPUT XXII.

De Remigia matrona.

1052 Similem infirmitatem Remigia matrona incurrens, ad beatam cellulam valde devota pervenit. Quæ vigiliis et orationibus insistens, cum matriculam, quæ ibidem congregata est, pasceret, aridum brachium cum contractis digitis sanum extulit ad miscendum [g]. Et sic tota die benedictis pauperibus deserviens, sospes remeavit ad propria. Hæc in posterum annis singulis antedictis fratribus alimentum sufficiens exhibebat. Factum est autem, ut quadam vice una puellarum suarum male a quartani typi febre quateretur. Dum autem secundum consuetudinem veniens, pauperibus illis exhibebat victum, sancti Viri imploravit auxilium. Et per quatuor dies ad beatam cellulam continuatione orationis atque jejuniis [h] decubans, ab omni febre sanata puella, cum familia [i] magnificans Deum domum regressa est.

CAPUT XXIII.

De Vinaste cæco.

Talia exercens quidam, [j] Vinastis nomine, lumen recepit, dum scilicet pauperibus illis victus necessaria ministravit. Ilic autem cæcitate maxima per annos plurimos aggravatus, habebat in consuetudine, ut veniens de regione sua ad antedictam Sancti cellulam,

[a] Sic Colb. a; alii *per aera tenerum*.

[b] Militis, scilicet: quod jam forte tunc temporis beatus vir, ut nunc fit, in militis chlamydem suam cum paupere dividentis speciem deplingeretur, ob præclari facinoris celebritatem.

[c] Sic Cold. Gat., Rom., Colb. tut. et Vine. At Mart. et Clar., *diu absente imbre maduisset*. Bell., Laud., Colb. a, *abstento imbre maduisset*. Vict., *absentum maduisset*. Colb. b, *diu attenuatum imbre maduisset*. Editi Cloh., Cluet. et Col., *diu absente imbre aduisset*. Ratesb., *abluisset*.

[d] Hæc usque ad verba *Theudomeris diaconus*, etc. Desunt in Bec. et Colb. b.

[e] Editi, *multum hoc poterat peritius extendi*.

[f] Alias, *Theodomeris* seu *Theudomerus*.

[g] Hoc est ad præbendos vini haustus, id quippe significat vox *miscere*, ut fusius probatur in præf. ad partem primam Sæc. IV Act. sanctorum Benedictinorum.

[h] Editi cum aliquot Mss., *continuæ orationi atque jejuniis*. Colb. b et Bec., *continua oratione in jejuniis*.

[i] Plerique Mss., *sanata, cum famula magnificans*.

[j] Sic vetustiores Mss. alii, *Vinastus*, aut *Vinastus*.

pauperibus illis amplissimum alimentum exhiberet, vigiliisque devotissime celebratis, eos in satietate reliceret : quibus ipse, juxta possibilitatem, tanquam famulus serviebat. Dum igitur hæc per multos, ut diximus, annos impenderet, quadam vice impleto voto, servitioque simul, prosternitur ad cancellum sancti lectuli, et orans ac valedicens, regredi cupiebat. Post completam autem orationem exsurgens, apertis parumper oculis, intuetur cortinam sericam de cancello pendere ; et ait : Video tanquam pallium sericum hic appensum. **1053** Cui aiunt sui : Veritatem te videre cognoscimus. Ipse autem cœpit iterum flere atque orare, ut beatus Confessor opus cœptum dignanter expleret. Qui dum orat attentius, obdormivit ; apparuitque ei vir per visum, dicens : Vade ad basilicam domni Martini, et ibi plenam obtinebis sanitatem. Qui nihil moratus, famulorum manibus deductus, ut limina beati Confessoris attigit, lumen integrum, opitulante fide, recepit.

CAPUT XXIV.

De homine omnibus membris contracto.

In Biturigo quoque fuit quædam mulier, quæ concipiens peperit filium, cujus poplites ad stomachum, calcanei ad crura contraxerant [a] : manus vero ejus erant adhærentes pectori, sed et oculi clausi erant. Qui magis monstrum aliquod quam hominis speciem similabat. Qui cum non sine derisione multorum aspiceretur, et mater argueretur cur talis ex illa processerit filius, confitebatur cum lacrymis, nocte illum Dominica generatum. Quem interimere non audens, ut mos matrum est [b], tanquam sanum puerum nutriebat. Adultum vero tradidit mendicis, qui eum accipientes posuerunt in carrucam, et trahentes ostendebant populis, multum per eum stipendia accipientes. Dum hæc per longa tempora gererentur, anno ætatis suæ undecimo [*Bec.*, quadragesimo] advenit ad festivitatem beati Martini, projectusque a foris ante sepulcrum miserabiliter decubabat. Transacta autem festivitate, visum auditumque recepit. Inde reductus ad solitam consuetudinem, postulabat stipem. Post annum fere aut eo amplius venit iterum ad solemnitatem, positusque est in loco in quo prius jacuerat, decursisque solemnitatis festis, directis omnibus membris, plenissimam obtinuit sanitatem. Quæ ne incredibilia fortasse videantur, ego eum sospitem vidi : nec audita ab aliquo, sed ab ejus ore narrata cognovi [c]. **1054** Sed quia dixi, parentibus ejus hoc ob peccatum evenisse per violationem noctis Dominicæ ; cavete, o viri, quibus sunt conjuncta conjugia. Satis est aliis diebus voluptati operam dare ; hanc autem diem in laudibus Dei impolluti deducite. Quia [d] qui in ea conjugem simul convenerint, exinde aut contracti, aut epileptici, aut leprosi filii nascuntur. Sitque hoc quod diximus, documentum, ne malum quod una nocte committitur, per multorum spatia annorum perferatur [e].

CAPUT XXV.

De Paralytico sanato.

Illud præ cæteris admirandum miraculum, vobis orantibus [f], explicabo, quod post immensum mœroris cumulum magnum nobis gaudium patefecit, dum et virtutem Beati protulit, et quod titubabat erexit [g], cordaque nutantia populorum larga stabilitatis firmitate munivit. Nam cum in venerabili dominicæ Nativitatis nocte sacrosanctis deducta excubiis, procedentes de ecclesia [h], ad basilicam Sancti ire disponeremus, quidam ex energumenis, atrocior cæteris, cœpit nimium debacchari, et discerpens se, atque collidens, clamabat : Frustra appetitis limina Martini, casso ejusdem ædem aditis, quia vos propter multa crimina dereliquit, et ecce vos abhorrens, Romæ mirabilia facit. Ibi cæcorum oculis lumen infundit, ibi paralyticorum gressus dirigit ; sed et aliis quoque morbis sua virtute finem imponit. Ad hanc diaboli vocem omnis populus exturbatur, et non solum obruta membrorum [i] minorum corda, sed etiam nosipsi pavore concutimur. Ingredientibus autem nobis cum fletu magno basilicam, omnes pavimento prosternimur orantes, ut sancti Viri præsentiam mereamur. Et ecce unus, Bonulfus nomine, cui ante tres annos præ nimia multitudine febris [j], manus ambæ cum **1055** uno pede contraxerant, et ad festivitatem beati Viri manibus directis, pede adhuc debili claudicabat, ante sanctum altare sternitur, orans ut qui sibi manus aridas restituerat, pedem quoque contractum simili virtute dirigeret. In hac autem oratione a febre nimia circumdatur, et tanquam extensus in eculeum nervorum dolore torquetur. Interea de supplice dolor excitat contumacem, et qui venerat inquirere medicinam, cœpit inferre calumniam. Aiebat enim : O domne Martine, sanitatem a te, non tormenta quæsivi. Quam si non mereor, vel doloribus non affligar. Cumque nos cum fletibus circumstantes beati præstolaremur adventum, et inter hæc dum sancta solemnia agerentur, oblatis super altare sacris muneribus, mysterioque corporis et sanguinis Christi palla ex more cooperto, molliuntur contracturæ nervorum, et disrupto post infirmi poplitis corio, defluente sanguinis rivo, per-

[a] Editi, *contracti erant.*
[b] Bal., *ut monstrum, tanquam.*
[c] Hic Colb. b. habet *Explicit liber II Miraculorum sancti Martini ;* nec habet sequente, sed sequitur Vita Pelagiæ pœnitentis.
[d] Vict., Colb. tut. et alii, *quia plerumque evenit, ut exinde aut*, etc.
[e] Hic desinit Bec., sicut et Vinc., cum hac clausula, *Explicit de Miraculis sancti Martini episcopi et Confessoris.*
[f] Ed., *nobis*, etc. Rom., *vobis orationibus.*
[g] Gal., *et quod timebatur avertit.*
[h] Id est de majori ecclesia seu cathedrali, ubi ex Perpetui instituto, ut dicitur lib. x Historiæ cap. ult., vigiliæ celebrabantur, ad basilicam sancti Martini.
[i] Plerique Codices non habent *membrorum.* Aliquot, *Non solum bruta minorum corda*, etc
[j] Rom., *per nimiam valetudinem febris.*

dem extendit incolumem. Quod videns ego, Deo omnipotenti gratias agens, liminaque fletibus madefaciens [a], in hac ad populum voce prorupi : Timor a cordibus vestris omnis abscedat, quia beatus Confessor nobiscum inhabitat, nec omnino credite diabolo, qui nihil unquam protulit verum. Ille ab initio mendax est, et in veritate non stetit (*Joan.* VIII, 44). Me autem ita dicente, omnium luctus laxatur in gaudium. Ipse etiam infirmus coram nobis assurgens, in pedes constitit absolutus. Videns autem hæc omnis populus, in cœlum clamore prolato, plaudebat dicens : Gloria in excelsis Deo, qui sicut quondam pastores angelico lumine, ita nos hodie præsentia Confessoris beati clarificavit, et eum nobis adesse præsenti virtute monstravit. Et sic a timore inimici omnes erepti, Christi præsidio roborati sunt.

CAPUT XXVI.

De Piolo muto.

Nec dissimili in virtute per sanctum Epiphaniorum diem vir beatus apparuit, cum os muti cujusdam obstrusum coram populo reseravit. Piolus [b] quidam Condatensis clericus, a **1056** nativitate procedens manus clausas laborioso mundo protulit, in usu laboris inertes. Et hoc cur acciderit, utrum hic, aut parentes ejus peccaverint (*Joan.* IX, 2), ut sic manous nasceretur, non est nostræ discretionis exsolvere. Unum tantum scimus, quod in eo, sicut et in reliquis infirmis, est ostensa gratia Sacerdotis. Nam cum factus esset decem annorum, accrescentibusque unguibus graves dolores manuum pateretur, eosdemque ferre non toleraret, limina beati Confessoris adivit. Ibique diebus multis cum summa parcimonia demoratus, digitos directos, manusque retulit sanas. Post annos autem fere quinque pessimum incurrit incommodum, et dum vi nimiæ febris atteritur, vocis elocutione mulctatur, ereptusque a febre sine loquelæ officio permanebat : sed taliter fuerat aditus oris ejus obstructus, ut nec qualemcumque mugitum posset emittere; sed annectens cum corrigia tres tabulas manu ferebat, easdem inter se collidens, sonumque, quem ab ore non dabat, tabulis proferebat. Hoc opus vinitoribus utile est, cum vineta ab infestantium avium catervis defensare conantur. Cum autem venisset antedictus ad Sancti basilicam in ea nocte in qua Dominus noster Jesus Christus fluenta laticum hauriens Falerna porrexit, ad Beati pedes vigilare disposuit. Transacto autem tempore mediæ noctis, obdormivit. Qui cum nescio quid per visum periculi cerneret, pavore conteritus, in hanc vocem primum obseratum aperuit os : Domne Martine, libera me. Et sic erumpens ab ore et faucibus ejus sanguis, auditum pariter et eloquium recepit.

CAPUT XXVII.

De muliere paralytica.

Cum vero interempto Sigiberto rege (*An.* 575), Chilpericus regnum, exemptus ab imminenti morte, cepisset, Ruccolenus cum Cenomanicis graviter civitatem Turonensem opprimebat [c], ita ut cuncta devastans, nullam spem alimoniæ in domibus ecclesiæ, vel pauperum hospitiolis relinqueret. Postera autem die legatos ad civitatem mittit, **1057** ut homines qui propter culpam minime nobis incognitam ad Sancti basilicam residebant extraherentur a clericis : quod si differretur fieri, universa promittit incendio concremare. Et nos hæc audientes, mœsti valde basilicam sanctam adimus, et Beati auxilia flagitamus. Statimque paralytica, quæ per duodecim annos fuerat contracta, dirigitur. Ipse vero Ruccolenus ulteriorem ripam aggressus, morbo confestim regio sauciatur, atque ab infirmitatibus Herodianis, quas enarrare longum videtur, allisus, et sicut cera a facie ignis guttatim defluens, quinquagesima die ab hydrope inflatus interiit. Sed nec hoc silebo, quod illo tempore alveus fluvii nutu Dei, vel [*Id est*, et] virtute beati Viri, absque pluviarum inundationibus repletus, hostem, ne civitatem laederet, transire prohibuit.

CAPUT XXVIII.

De muliere cæca.

In die autem illa recurrentis solemnitatis, qua Dominus pro salute mundi mox passurus [d], confuso proditore discipulo, epulum apostolis ministravit, cum omnes ad ecclesiam properarent desiderabilia Domino vota dissolvere, quædam mulier diuturna cæcitate gravata, cum esset in villa, flere cœpit, et dicere : Væ mihi, quia cæcata pro peccatis non mereor hanc festivitatem cum reliquo populo spectare. Tunc cum fletu magno solo prostrata, nomen beati invocat Confessoris : completa autem oratione luci pristinæ restituitur. Porro recepto lumine, ob reddendas Deo gratias ad beatam basilicam cum admirabili oculorum claritate pervenit. Sed et unus ex energumenis die illa Sancti virtute curatus est.

CAPUT XXIX.

De duobus cæcis.

Duo cæci ex Biturigo venientes, arefactis palpebris, et glutine conjunctis, ad pedes beati Domni orantes decubabant. Factum est autem in die festivitatis suæ astante populo, **1058** dum virtutes de vita illius legerentur (*Vid. infra*, *cap.* 4 [?]), factus est super illos splendor corusco similis, et confractis ligaturis quæ palpebras observaverant, defluente ex oculis sanguine, lateque visu patente, cuncta cernere meruerunt.

CAPUT XXX.

De muliere muta.

Mulier quædam, cujus os patulum humor [*Ed.*, dolor] nimius cum febre ligaverat, ut nec linguam regere posset, sed tantum mugitum ut animal, non vocem ut homo poterat emittere, fide instigante,

[a] Aliquot Mss., *luminaque... madefacta*, pro, *luminibus* vel *limini us... madefactis*.

[b] Sic omnes Mss., præter Clar., qui habet *Piolius*. Editi vero, *Paulus*, et sic in titulo.

[c] Vide quæ habet Gregorius lib. v Historiæ cap. 2 et 4, ubi hæc fusius enarrantur.

[d] Sic Mss. Colb. tut. et Vict. Alii, *perpessus*. Editi, *propensius*.

cum magna animi confidentia, atria beati Confessoris aggredi tur; ibique multis diebus residens, et stipem simul atque oris apertionem postulans, tandem a sancti virtute respicitur. Nam quadam die Dominica dum missarum solemnia celebrarentur, hæc in sancta basilica cum reliquo populo stabat. Factum est autem cum Dominica oratio diceretur, et hæc aperto ore cœpit sanctam orationem cum reliquis decantare [a]. Ipsa autem cum jugo servitutis haberetur vincta, de rebus beati Confessoris redempta est: et nunc cum vocis officio ingenua perseverat.

CAPUT XXXI.

De alia muliere debili.

Nec minori miraculo se beatus Vir adesse invocatum ostendit. Apra [*Al.*, Abra] quædam religiosa, vi febrium oppressa, omnem usum membrorum, sola tantum lingua famulante, perdiderat. Nam cum manibus simul ac pedibus contractis jaceret, et die noctuque Beati flagitaret auxilium, visum est ei quadam nocte venisse ad se senem, qui molli tactu membra ejus cuncta attractaret. Expergefacta mane sentit pedes cum una manu redditos sanitati, et stupens ignorabat qui casus hæc fecerit. Alia vero die admonita per soporem, ad beatam basilicam nihil retardans proficiscitur. Nox autem illa erat vigilia de transitu Confessoris. Mediæ autem noctis tempore jam transacto, **1059** vigilans nescio quo terrore concutitur, et subito manus ejus contracta dirigitur. Stupente autem populo, cuncta quæ prius pertulerat enarrabat: cognoscens ipsius eamdem fuisse virtutem prius in illa erectione pedum, quæ nunc in manus suæ directione clarebat.

CAPUT XXXII.

De oleo ad sepulcrum Sancti crescente.

Cum talia miracula, quæ scripsimus, quotidie cernamus, quid illi miseri sunt dicturi qui Severum in Vita sancti Antistitis mentitum esse pronuntiant? Nam audivi quemdam, nequam, ut credo, spiritu repletum, proloquentem non potuisse fieri ut oleum sub Martini benedictione crevisset. Sed nec hoc, quod elapsa ampulla super stratum marmoris corruens, perstitisset illæsa [b]. Quod ergo nuper actum est, multos in testimonium exhibens, declarabo. Quidam de diaconibus nostris male a quartani typi febre cruciabatur, quem cum plerumque arguerem, cur segnis ad basilicam Sancti non proficisceretur, nec ex corde oraret, ut ei virtus Pontificis subveniret; tandem a nobis compunctus, ad beatum tumulum provolvitur tremens. Dehinc cum paulisper ignis febrium quievisset, rogat sibi exhiberi ampullam cum rosaceo oleo semiplenam. Jam enim ad ipsam febrem, exinde licet parum profecisset, multum tamen expenderat, et erat valde media. Perungensque ab hoc liquore frontem et tempora, postulat ut et vasculum secus Beati tumulum poneretur. Quarta vero die cum cum febris urgeret, basilicam petit, provolutusque diutissime oravit. Apprehensam autem ampullam, quam reliquerat mediam, invenit plenam, admiransque virtutem beati Antistitis, eam domum cum timore et veneratione reportat. Ex qua rursus cum esset perunctus, protinus omnis ardor quievit incommodi, nec ab eodem ultra confractus est. Quid etiam de eadem ampulla post hæc actum sit, non sine gravi suspirio atque miraculo memoramus. Nam cum in antedicti diaconis hospitiolo de pariete penderet, incursantibus insidiis inimici, percussa est, atque **1060** in frusta decidit comminuta, effusumque oleum velociter terra absorbuit. Tamen puer qui aderat, cum vidisset factum, accepto vasculo, ipsam terram exprimens parumper olei elicuit, resumptoque quæ effusa fuerat, cum effracto vitro colligens, nobis exhibuit. Quod ego accipiens, diligenter in vasculum alterum transmutavi. Erat enim mensura olei quasi dimidii calicis parvuli: et tamen in vasculo duorum digitorum tantum altitudinem fecit. In crastino autem prospiciens, erat altitudo olei quasi quatuor digitorum. Obstupefactus ego ob virtutem sancti liquoris, hoc signaculo meo munitum atque coopertum reliqui. Post dies autem septem iterum prospiciens, plus ibi quam unum sextarium reperi. Advocans autem diaconem, et hoc ei ostendens admirabar. Ille vero affirmabat cum juramento, tantum tunc in effracta perisse ampulla, quantum tunc in ista cerneretur. Quæ usque hodie in Dei nomine beneficium petentibus præstat. Ipse quoque postea ab hoc unguento similem infirmum perungens, oleo crescente, sanavit, et multos deinceps per illud sanitati restituit.

CAPUT XXXIII.

De Allomere contracto.

Proferat et Andegava regio miraculum suum, de qua Allomeris [c] quidam procedens cum contractis pedibus ac manibus, lingua etiam debilis, beati Confessoris templum expetiit. Ubi cum tota Quadragesima resedisset, assidue orans ac deprecans, ut eum virtus sancti Antistitis visitaret, advenit dies illa Dominica ante sanctum Pascha, in qua Dominus noster Jesus stratas ab arborum spoliis [*Ed.*, foliis] vias incedens, Hierosolymis venit, turba prosequente, ac clamante: Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* xxi, 9). Illa ergo die cum sero jam factum esset, et ipse solus a foris ante tumulum decubaret, subito factus est in ecstasi, et pavore perterritus jacebat ut mortuus. Qui cum, ut ipse refert, per duarum horarum spatium aut amplius fuisset oppressus, tanquam de somno evigilans, sublito ad sensum suum revertitur: **1061** elevatusque sursum, sanum se esse miratur; ibique tota nocte vigilans, mane nobis quæ acta sunt ore proprio rese-

[a] Etiam apud Græcos omnes simul orationem Dominicam cantabant, qui ritus a Romano discrepabat, testante Gregorio Magno lib. VII, ind. 2, epist. 64. Vide Liturg. Gallic. lib. I, cap. 5, num. 22.

[b] Hæc duo miracula simul refert Severus Sulpicius initio dialogi 3, de virtutibus beati Martini.

[c] Aliqui Codd. cum Editis, *Alomeris*, vel *Elomeris*, seu *Leomeris*, et sic in indice capitum.

ravit : clericusque factus, incolumis ad hospitiolum suum rediit.

CAPUT XXXIV.

De clerico cæco.

Denique eodem anno, cum festivitas, quæ in æstivo celebratur [a], desiderabilis populis advenisset, clericus quidam, cujus oculum nubes tetra contexerat, ac ne lumen videre posset arcebat, ædem beati Confessoris adivit. Vigilata cum reliquis nocte, illucescente cœlo, dum de basilica procedit, visum, quem olim perdiderat, recipere meruit. In eadem vero festivitate tres energumeni multum se collidentes, ac beatum Antistitem declamantes, fatentes crimina, et ut sibi Sanctus pacem redderet [b] deprecantes, tandem purulentum nescio quid ex ore projiciunt, et sic virtute Sancti mundati sunt.

CAPUT XXXV.

De carcerariis dimissis.

In proximo autem, id est post tertium de festivitate diem, erant quatuor vincti in carcere. Cumque eos sævitia judicis ita constringeret, ut nec victus necessaria ulli præbere liceret, Antistitis beati præsidia corde puro precantur. Dum hæc igitur devote agerent, medio die subito scinditur trabs, qua pedes eorum conclusi coarctabantur, confractisque catenis liberatos se sentiunt. Nec mora ostium petunt, quo aperto, ecclesiam Sancti nemine prohibente, ingressi sunt. Custodes autem in tantum obstupefacti fuerunt, ut nec verbis eos quidem increpare præsumerent : qui etiam sequentes eos, cum eisdem in ecclesia se abdiderunt. Illi autem admirantes maximas gratias Deo referunt, quod eos **1062** obtentu Pontificis dignatus fuerit liberare.

CAPUT XXXVI.

De pignoribus, quæ Leodovaldus episcopus detulit.

Multi etiam fide pleni reliquias beati Viri portantes, virtutes multas experiuntur. Nam Leodovaldus Abrincatinæ civitatis episcopus [c], sancti Domni reliquias per presbyterum suum devotus expetiit. Quibus acceptis, cum terminum antedictæ civitatis ingressus fuisset, occurrit ei adhuc inter deserta posito paralyticus deferentium illatus manibus ; osculatus autem fideliter velum quo capsa sanctorum pignorum cooperta erat, mox in pedes constitit, ac propriis gressibus domum regressus est. Hæc enim agis, beatissime Confessor, nec tibi sat est propriam ædem exornare prodigiis, nisi etiam diversos saltus quos pedibus non adiisti virtutibus tremendis illustres. Sed et deinceps cæcus quidam, adminiculo deducente, in occursum earum velociter properat. Adveniens autem quando Beati pignora in sanctum locabantur altare, expedita solemnitate, visum recipere meruit oculorum. Sed et alia nihilominus mulier, quæ diu muta fuerat, sermonis usum recepit.

CAPUT XXXVII.

De energumeno sanato.

His etenim diebus ad beati Viri basilicam quidam ex energumenis, cum multos se cruciatus dæmonum [d] perferre declamaret, et vi se ejici de acquisito vasculo per beatum Antistitem fateretur, dejectus in terram [e] sanguinem fetidum per os cœpit ejicere. Qui duarum fere horarum spatio jacens, expulso dæmone, purgatus ac erectus est.

CAPUT XXXVIII.

De puella muta.

1063 Puella quædam parvula, indigena Turonicæ civitatis, ab utero matris suæ muta processit. Cujus os in tantum obseratum fuit, ut nec illas, quæ cunabulorum tempore eduntur [f] voces posset emittere. Mater vero de tam tristi fetu anxia, cum lugeret assidue, commonetur per visum, ut beati Præsulis sepulcrum adiret. Quæ excitata ad templum sancti cum puellula pergit [g] intrepida ; expositaque ante sepulcrum Sancti, cum diutissime orasset, iterum eam secum assumit. Accenso vero thymiamate, cum eam desuper retineret, interrogat eam, si bonum ei odorem faceret ? Illa respondit : Bonum. Hanc primam vocem filiæ mater mœsta cognovit. Imposita vero ori ejus aqua, quam quondam de fontibus acceperat benedictis, interrogat iterum qualem ei saporem præberet. Illa respondit : Bonum. Tunc mater cum gaudio sospitem domum filiam refert, quam tristis ad Beati tumulum fide fida detulerat (*Vid. lib.* II *de Gloria Mart. c.* 26).

CAPUT XXXIX.

De eo quod Aredius presbyter pro benedictione portavit.

Aredius [h] vir religiosus ex Lemovicino causa tantum devotionis Turonis advenit, et beatum sepulcrum orando deosculans, ad monasterium sanctum [i] amne transito pervenit. Qui dum singula loca visitat, quæ Vir beatus aut orando depresserat, aut psallendo sanctificaverat, ac ubi vel fesso corpori somnum, vel inedia deficienti cibum præbuerat ; dumque

[a] Die 4 Julii, quo ejus ordinatio et translatio celebrantur simul cum basilicæ dedicatione.

[b] Sic Colb. a, cæteri cum editis, *parceret*.

[c] Ecclesiam Abrincensem, *Avranches*, in Lugdunensi secunda, quam hodie Normanniam appellamus, rexit inter Sinerium, seu Senatorem et Childoaldum, ex Cointio.

[d] Aliqui Codd., *cum multis se cruciatibus dæmonium*, etc.

[e] Omnes ferme Scripti, *devolutus terræ*.

[f] Plerique Mss., *quas cunabulorum tempus exigit*.

[g] Mss., *quæ exhibita secum puella, pergit intrepida*.

[h] Aliquot Mss., *Aridius*. Editi, *Aridus*. Sed hic est sanctus Aredius de quo passim agit Gregorius. Ejus Vitam ex Gregorio dabimus, aliam ab ea quæ in sæculo I Benedictino edita est.

[i] Hodie dicitur Majus monasterium, vulgo *Marmoutiers*, de quo alias egimus. — Præter cellulam in rupe incisam, quæ hodieque intra basilicæ majoris muros inclusa visitur, ubi sanctus Martinus dicitur quievisse, haud procul exstat in rupis concavo fons, quem ex traditione a sancto viro effossum fuisse aiunt. Et quidem facile crediderim hunc ipsum esse qui hic a Gregorio memoratur.

cuncta circuit, cuncta peragrat, venit ad puteum, quem Sanctus Dei proprio labore patefecit, fusaque oratione aquam haurit, impositamque in ampullula, domum regrediens deportavit. Cumque exinde **1064** infirmis multis tribueret sanitates, quadam vice Renosindus frater [a] ejus vi febrium impulsus, decubuit lectulo. Octava vero die cum jam oculis clausis in hoc jaceret, ut spiritum exhalaret, atque omnis familia perstreperet mortem condolens patroni, vel funeri necessaria præpararet, venit in mentem presbytero, ut de aqua beati putei in ore defuncturo guttam inferret. Qua illata, ubi primum os ejus attigit, mox oculos ægrotus aperuit, absolutaque etiam lingua, rogat sibi adhuc exinde ministrari: acceptoque calice, ut bibit, statim omnis febris effugit; et sic, admirante familia, sanus a lectulo in quo jacebat erectus est.

CAPUT XL.

De Sisulfo manco.

Quid autem de istis miraculis mea parvitas poterit [b] enarrare, cum assumptus Sanctus Dei de mundo adhuc prædicator habeatur in mundo? Et cum se palam populis ostentare nequeat, jugiter se patefactis virtutibus manifestat, dum cæcos illuminat, dum paralyticos sanat, dumque et reliquos ægrotos pristinæ sospitati reformat. Sed ego, ut sæpe testatus sum, indignum me censeo tanti viri signa depromere. Tamen quia audax audeo, veniam peto a legente. Quia enim me impellit amor patroni, et quia esse adhuc eum denuntiavi prædicatorem, dicam quid contigerit nuper. Sisulfus ex Cenomanicis pauperculus, dum in hortulo suo meridie obdormisset, nescio quid nequitiæ perpessus est. E somno autem exsiliens, contractis in volam digitis, cum magno dolore manus debiles elevavit, ipso quoque dolore premente, rursum solvitur in soporem: et vidit per visum, et ecce vir stabat ante eum nigris vestibus, cano autem capite. Qui conversus: Quid sic, inquit, tu fletibus commoveris? Et ille: Ecce, venerabilis domine, dum parumper obdormivi, cum dolore expergefactus opus manuum **1065** mearum perdidi, et nescio quid sceleris commisissem. Tunc vir ille, tanquam discipulis Dominus de cæco nato, quia neque ille peccaverat, neque parentes ejus, sed ut manifestaretur opus Dei in illo (*Joan.* IX, 3), ait: Debilitas tua tormentum indicat populi delinquentis. Vade ergo nunc per vicos et castella, et ad civitatem usque pertende; et prædica, ut se omnis homo a rapinis, perjuriis et usuris abstineat, et in die Dominico nullum opus, absque solemnitatibus mysticis, agat. Ecce enim coram Domino in lacrymis decumbemus veniam pro populo deprecantes, et adhuc spes est obtinendi, si emendatio subsequatur in plebe. Nam hostilitates, et infirmitates, et alia multa mala, quæ perfert populus, indignatio Domini commovet [c]. Et ideo annuntia velociter, ut se emendare studeant, ne crudeliter in scelere suo depereant. Tu vero his peractis quæ imperavi, Turonis ad basilicam meam propera; ibique te visitans, obtinebo apud Dominum ut saneris. Cui ille: Dic, quæso, domine, quis es, vel quod est nomen tuum? Cui vir: Ego sum, inquit, Martinus Turonorum sacerdos. In his Sancti verbis pauper surrexit a somno, apprehensoque bacello, iter imperatum aggreditur, et quæ sibi fuerant imperata populis nuntiavit. Mense autem septimo postquam hæc acta sunt, beatam basilicam adiit, ibique prostratus per triduum, quarta die a Sancti virtute visitatus est. Jam enim computruerat in eo caro palmarum ejus, quæ clausa [d] detinebatur. Et cum digiti ejus directi fuissent, sanguis ab eisdem erupit. Sed eis omnibus medicatis, ore proprio quæ retulimus enarravit.

CAPUT XLI.

De cæco illuminato.

Facis ergo, beatissime Confessor, tuo more, propitiaris iniquitatibus populi, et sanas languores omnium, cunctosque te fideliter invocantes tuis medicamentis illustras; nec fraudas extraneos, quod propriis libenter indulges. Homo ergo incola territorii Turonici, annorum quasi viginti quinque [e], **1066** cum a febre lippitudinis gravaretur, decidentibus cataractis, obstrictisque palpebris valde cæcatus est. Super quod malum adjiciebatur et illud, quod a fuste percussus, disrupto visu, unus ei crepuit oculus. Jam enim per viginti quinque annos in hac cæcitate degebat. Admonitus ergo per visum, ad Beati tumulum venit, ubi orationi incumbens, die tertia unius oculi lumen recepit. Dehinc animatus hoc medicamine, attentius cœpit orare. Quarto autem die oculus qui crepuerat, reformato visu, aperitur. Qui licet non tam clarus cernatur [*Al.* clare cernat] quam alter, luminis tamen beneficium præbet.

CAPUT XLII.

De manu hominis contracta.

Debilis quidam, cujus manus contracta dirignerat, dum in atrio, quod ante Beati sepulcrum habetur, oraret attente, in sancta ejus vigilia visitatus est, directisque digitis, manus ejus ad usum pristinæ rest tuta convaluit.

CAPUT XLIII.

De puerulo suscitato.

O quoties hic prophetarum, et sublimium virtutes

[a] Sic Colb. duo, Laud., Bell., Vict. SB. et Clar. Editi vero, *Rinoscindus pater ejus*, mendose, nam in utraque Vita sancti Avedii pater Jocundus appellatur, sicut et in Chronico Gaufredi Vosiensis cap. 15.

[b] Editi duo sic caput istud inchoant: *Verum istud miraculum quod nuper apparuit quis poterit enarrare, cum assumptus sanctus Dei adhuc prædicator habeatur in mundo. Qui si se palam*, etc.

[c] Aliquot Scripti et Editi, *indignationem... commovent.*

[d] Editi, *caro vel nervi palmarum, qua de causa detinebatur.*

[e] Rom., *quasi quinque.* Et infra Bell. et Colb. 2, *per quinque.*

quas olim gestas legimus, renovari mira- A dum duo pueruli **1068** nocte Dominica in uno
l quid inquam? Quod hi multi fecerunt vi- stratu quiescerent, visum est eis quasi signum quod
sæculo, hic solus renovat quotidie, etiam matutinis commoveri solet sonantem audissent; et
ılcrum. Quid ergo agimus? quid silemus? surgentes de cubili suo, direxerunt ad ecclesiam.
ıltamus pauci quod populi declamant multi? Cumque in atrium ecclesiæ pervenissent, invenerunt
us in hac statione moremur. Proferamus ibidem choros mulierum canentium. Exterritique
lisæum sæculo nostro, qui cadaver defuncti valde, cognoscentes catervam esse dæmoniorum,
emisit a monumento (IV *Reg.* XIII, 21): dum ad terram corruunt, nec se, ut est ætatis in-
e beatus Confessor nobis præsentibus ope- firmitas, signo salutari præmuniunt, unus lumine,
. Quæ enim causa fuerit, adjutorium indi- alius et lumine et gressu mulctatur. Cumque per mul-
initatis efflagitans, explicabo. Puer genitus, torum annorum curricula in his infirmitatibus gra-
erno deficiente, nutrici ad alendum datur. varentur; unus, qui tantum lumine caruerat, ad
liquore sterilis dum non copiose, ut illi beati Martini basilicam devote veniens, ut orationem
pportunum est, lactis alimentum ministrat, explevit, statim visum recepit. Alius, in eodem
proficere debuerat, die prætereunte, de- sancto loco lumine recepto, ad propria redie s,
et ita minui, **1067** ut nihil in eo amplius B adhuc debilis claudicabat. Veniensque ad ce liam
lis tenuis, quæ ejus ossula sola contegeret, Condatensem, in qua lectum beati Viri habetur,
t. Qui, matre mortua, unum prope in hoc dum ibidem nocte Dominica vigiliæ celebrarentur,
erat annum. Erat enim unicus patri, et de subito, orante populo, sensit divinam virtutem ad-
lectione [a] quoddam memoriale. Cui, victu, esse. Et spectante plebe se per terram trahens, con-
us, minuente, jam deficienti ex inedia fe- tra parietem se erexit, in quo fenestra retinetur,
ssit. Ut autem hic eum fervor attigit, con- quæ fuit quondam Beati corporis porta. Et orans,
ter ad ecclesiam, ne proles absque baptismi atque præ gaudio lacrymans, integræ sanitati resti-
tione moreretur. Qui baptizatus, nec con- tuitur, nec ulterius pertulit de malis infirmitatibus
corpore præter illud spiritale remedium, gravitatem.
ssis oculis, palpebrisque laxatis atque de-
ullum jam flatum spiraminis habens, super CAPUT XLVI.
sepulcrum, patre ejulante deponitur. Nec
rius illa cœlestis, quæ quondam parvulum *De claudo directo.*
nus Confessoris beati vivificavit [b]. At ubi Puerulus quidam, Leodulfus nomine, pede sini-
ejus vestimentum coopertorium tumuli atti- C stro debilis, dum cum reliquis petentibus stipendia
) parvulus respiravit. Mirum miraculum! vi- quærendo circuiret, Turonis advenit. Et cum pa-
l'entes genas gradatim, virtute divina insi- rumper moratus [c], iter quod agere cœperat conatur
ubesc re, et sop tos oculos in lumine redi- explere. Et progressus claudicando cum satellitibus,
ari. Tunc a Sancto vivificatus, et a patre decimo ab urbe milliario vi doloris opprimitur. Re-
, sospes usque hodie in testimonium vir- lictus vero a sociis, solus super ripam alvei ejula-
etur. bat, multis ad festivitatem concurrentibus procla-
mans, et dicens: Væ mihi quia solemnitatem gloriosi
CAPUT XLIV. Viri spectare nolui, ideo me virtus ejus allidit. Qua
de re **1069** rogo vos, fidelissimi Christiani, qui
De alio cæco illuminato. Deum timetis, subvenite ignorantiæ meæ, subve-
de Pictavo quidam cæcus, per sex annos nite oppresso et debili; et, si timor Dei manet [*Al.*, movet], me usque ad sanctum locum deportate. Igi-
riduatus, triduana prostratione ad beatum tur cum hæc a multis prætereuntibus imploraret,
orans, lumen quo diu caruerat, operante quidam plaustro suo superpositum usque ad sanctam
tute, recepit. Actum est autem hoc per fe- basilicam duxit. Ubi triduanam orationem conti-
i sancti patroni, in qua Maroveus [c] Pictavis ade at, non immerito Hilarii beatissimi di- D nuans, redintegratis pedibus, incolumis abscessit.
pra conandus. Qui, solemnitate explicita,
minato concive gaudens remeavit ad pro- CAPUT XLVII.
bem.
De contracto, quem bos trahebat.
CAPUT XLV. Erat quidam contractus, qui in similitudinem ere-
mitæ, cui bos quondam solatium fuit, bovem unum
De duobus puerulis sanatis. habebat. Quo bove plaustro conjuncto per domos
Vultaconnum [d] quoque vicum Pictavensem,

not Scripti, *unicum patri de uxoris dilectio-* sanctæ Radegundis excitatæ sunt, de quibus Gre-
gorius in Historiæ lib. IX et X disserit.
at hoc miraculum Severus Sulpicius initio [d] Gat., *Multaconnum*; Vict., *Multacomium*. Lan-
, qui est de sancti Martini virtutibus. Hoc dat Valesius in notitia nummum Teudomeris, in
in itinere, quod Carnotum vir beatus con- cujus aversa parte legitur *Wultaconno*.
[c] Mss. plerique, *et parumper moratus*. Editi, *et*
i, *Meroveus*, seu *Meronens*; notus est quod *parum remoratus*.
leret cum turbæ in monasterio Pictavensi

trahebatur, stipem postulans devotorum. Igitur cum imminente festivitate Pontificis Turonis advenisset, prostratus coram sepulcro, et orationi incumbens, devotissime beati Antistitis auxilium flagitavit, deportatusque iterum a suis ante sanctam absidam tumuli ponitur. Cumque expletis missis, populus cœpisset sacrosanctum corpus Redemptoris accipere [a], illico dissolutis nodis qui genua nexa tenebant, in pedes erigitur. Admirantibus cunctis, gratias agens, proprio gressu usque ad beatum altare, nemine sustentante, processit, sanus deinceps degens.

CAPUT XLVIII.

De eo qui manus ac pedes contractos habebat.

Ex pago autem Carnonensi [b], qui in Andegavo territorio habetur insitus, vir quidam, nomine Floridus, manibus pedibusque contractis, ad sanctam cellulam Condatensem, de qua beatus Confessor ad Christum migravit, allatus est. Ubi dum in vigiliis et oratione paucis diebus vacare studuit, omnis ægritudo a corpore ejus fugata discessit. Sicque directis membris, incolumis ad propria remeavit.

CAPUT XLIX.

De eo qui contractum brachium detulit.

1070 Venerat dies festus solemnitatis, in qua catervæ populorum multæ convenerant, et ecce debilis quidam contracto brachio adfuit. Dumque beatum sepulcrum labiis osculatur, lacrymis rigat, voce beati Confessoris auxilium implorat, fide non diffisus solitum præstolabatur auxilium. Denique sacerdotibus qui advenerant, ad agenda solemnia procedentibus, cum lector, cui legendi erat officium, advenisset, et arrepto libro, vitam sancti cœpisset legere Confessoris (*Vid. supra, cap.* 29), protinus hic directo brachio sanus erigitur, et spectantibus cunctis, præsidia quæ fideliter petiit impetravit.

CAPUT L.

De cæco illuminato.

Sic et cæcus in eadem festivitate supplex implorans receptionem visionis, ut pallulam attigit, quæ a foris ad pedes Sancti de pariete dependet, mox erumpente a palpebris sanguine, testo populo, visum recepit.

CAPUT LI.

De dysentericis.

Cum autem morbus ille dysentericus cum occultis pustulis multas attereret civitates, ac inter reliqua loca urbs Turonica gravius laboraret, multi abraso a beato tumulo pulvere et hausto, sanabantur. Plerique, de oleo quod inibi habetur delibuti, liberabantur; fultque nonnullis remedium aqua illa unde sepulcrum ablutum est ante Pascha [c]. Igitur, cum multis multa tribuerentur beneficia, vidi unum in desperatione a dysenteria jacentem, hunecque ad basilicam ductum, aliis vigilias celebrantibus, noctem inquietam **1071** duxisset; diluculo vero accedens ad tumulum, potato cum vino pulvere, sanus rediit e sepulcro.

CAPUT LII.

De alio ab humore gravi sanato.

Alter quoque arreptus a febre valida, dejiciens ore venenum, et per inferiorem partem extra modum solutus, lectulo decubabat. Igitur grassante veneno, laboranti oritur vulnus in inguine, et incredibili modo movet se visibiliter usque ad plantam. Erat enim in magnitudine ovi anserini. Deinde sursum repetens, cum nimio dolore discurrit per latera, per brachia, et usque ad cervicem progreditur: deinde per aliud latus ad plantam usque deducitur; exinde retrorsum revertens, ad eum locum unde primo ortum fuerat venit. Cumque taliter per membra vagaretur ægroti, quo miser tenderet, quid ageret nesciebat, nisi tantum voces cum fletibus dabat. Exigebat enim dolor gemitum, cum in uno corpusculo tanti dolores irruerent. Tandem cum hæc nobis nuntiata fuissent, indico solitam theriacam a vere requiri medice, ex quo vitam moriturus haberet: suadeo fideiter pulverem assumi de tumulo. At satellites cum magna festinatione currentes, elevatum pulverem monumenti deferunt ad ægrotum, delibutumque cum vino bibendum porrigunt. Quo hausto, ita omnis dolor fugatus est, ut ipse hora redderetur incolumis.

CAPUT LIII.

De cæcus redintegrato.

Sine numero populi talia audientes, de longinquis regionibus beati expetunt præsidia Confessoris. In quo illud est præ cæteris admirandum, qualiter sensus hominum diaboli arte fraudati restituantur. Quidam ergo Bajocassensis civis, dum vino nimium hausto **1072** turbatus per viam incederet, subito diversis flantibus ventis pulvis campi commovetur, et mixtus, ut solet, cum stipula in sublime levatur, fitque totus aer una nubes pulveris, de qua hic opertus, amisso sensu, equo dejicitur. Igitur post paululum a suis inventus domum turbulentus adducitur. Hinc effrenis factus conabatur fugere, nemine persequente. Quid plura? Arctatur vinculis, constipatur catenis, et in custodia detinetur. Qui dentibus fremens ob negatam sibi fugæ libertatem, propriis se morsibus lacerabat. Dum autem hæc agerentur, admoniti parentes ad Beati eum basilicam perduxerunt: ibique oratione per longum tempus facta sanus

[a] Missa censebatur finita, priusquam communio astantibus porrigeretur. Vide notas ad cap. 3 libri IX Historiæ.

[b] Sic habent Bell., Laud., Colb. et Ed. Clict. At Gal., Mart., Colb. tut. et Clar., cum Balesd., habent *Carnotensi*; Chol. et Col., *Carnoensi*; ac denique SB., *Croviensi*, ut in libro IV, infra, capp. 17 et 23, ubi Editi habent *Cronicnsi*. Qui locus putatur esse *Credo*, vulgo *Craon*. Vide quæ diximus in notis ad lib. de Gloria confessorum, cap. 96.

[c] Die scilicet cœnæ Domini, quo, uti mos est etiamnunc in aliquot ecclesiis Gallicanis, solemniter post majus sacrum altaria cum aqua et vino a sacerdotibus lavabantur. Vide Menardi notas in Sacramentarium Gregor., pag. 86; et infra, lib. III, cap. 34.

abscessit, vovens ut singulis annis veniens, vota sancto redderet Confessori. Deinde ad monasterium sibi proximum, humiliatis capillis [a], ac presbyter ordinatus, cœpit Deo strenue deservire, non tamen reddens quæ promiserat beato Pontifici. Quarto igitur anno data, ut credo, iterum inimico in eum potestate, rursum ruit in redivivam amentiam, et constrictus, ut fuerat prius, catenis, ad sanctam reducitur ædem: ubi per sex dies [b], et eo amplius, degens in vigiliis et orationibus, et reddens quæ prius ignave fraudaverat, sanus domum regreditur. Sed peccatis facientibus, iterum vino sæpius madefactus, in eadem tribulatione obiit.

CAPUT LIV.

De puella Lixoviensi cæca.

Si singula quæque vel quæ aguntur, vel quæ acta sunt prosequamur, magnum cumulum congeremus de mirabilibus Confessoris. Puella [c] vero ex Lexoensi jam adulta, lumen amiserat oculorum: quæ Sancti limina devote adiens, per omne tempus festivitatis orabat humo prostrata. Tertia autem die post sanctam festivitatem, cum sui eam redire urgerent, rogat se ad sepulcrum Beati deduci. Ibique iterum **1073** atque iterum prostrata, de palla, quæ sanctum tegit tumulum, oculos abstergens, et valedicens discessit. Cumque jam in navi ascenderet, ait: Gratias tibi ago, beate Confessor, quod etsi videre non merui tua sancta limina, vel tactu præsensi. Cum igitur hæc cum lacrymis edidisset, dum detergit oculos, lumen recepit, et conversa ait: Forsitan hæc est Beati basilica? Cui, qui propinqui erant, ita esse aiunt. Tunc illa: Non revertar, inquit, nisi gratias pro accepta sanitate referam patrono. Redeuntem autem, et in laudem Antistitis declamantem multi viderunt. Quæ completa oratione gaudens discessit.

CAPUT LV.

De puerulo manum contractam habente.

In eadem vero festivitate alius de Senonico puer manum aridam detulit. Post quartam autem diem solemnitatis beatæ, dum stans ad pedes oraret, spectante populo directi sunt digiti ejus; viditque omnis conventus plebis magnalia Dei, qualiter inficiebatur manus a sanguine, ascendebatque gradatim per arentes venas, et ita erat manus bibula, ut putares spongiam diu aridam lymphis injectam, sitienter haurire liquorem. Repletis ergo venis, roboratisque nervis, ac rubescente cute pallidam manum extulit sanatam.

CAPUT LVI.

De muliere quæ contractis in palma digitis venit.

Pari quodammodo ordine Pictavensis mulier meruit obtinere medelam. Nam hæc contractis in volam digitis, unguibusque defixis in ipsis, ut ita dicam, ossibus, tota jam manu putrefacta, venit ad Sancti festivitatem devota, optabilem expetens medicinam. Igitur, spectatis ex more solemnibus [d], dicit suis: Integro quidem corde ad deposcendum Beati præsidium venimus, sed obsistentibus pecca is, non meruimus quod petebamus accipe e. Consummata ergo nunc oratione, revertamur ad patriam, fidentes de bonitate **1074** Præsulis, quod corpore imbecillo prosit animæ fidelis oratio. Hæc et his similia aiens, et quasi Sancto valedicens, discessit. Vergente quoque in vesperam die, prope amnis Caris [e] ripam accepit mansionem. Ad medium autem fere noctis expergefacta, gratias Deo refert, quod esset, quod viveret, quod vigeret, vel quod beati Pontificis tumulum attigisset: quæ cum maximo fletu proferret, iterum obdormivit. Et ecce vir crine cygneo, indumento purpureo, crucem gestans manu, stans ante eam ait: Nunc sana eris in nomine Christi Redemptoris nostri. Et apprehensa manu ejus, misit digitum suum inter digitos illius, qui clauserant palmam, et paulumper movens, direxit eos. Dum hæc in visu videret evigilans, defluente adhuc sanguine, sanam elevavit manum in Dei laudibus. Diluculo autem regressa ad basilicam, et impleta gratiarum actione, læta redivit.

CAPUT LVII.

De ea quæ dum in festivitate sancti Joannis operabatur, debilitata est.

In festivitate vero beati Joannis cum populus ad missarum solemnia conveniret, mulier quædam accepto sarculo, agrum adiit, ut scilicet evulsa mali seminis zizania, messem sola purgaret; nec enim poterat esse vallata divino [f] solatio ob reverentiam dominici Præcursoris. Cumque operari cœpisset, protinus manus ejus divino igne sunt apprehensæ, facies quoque ejus quasi emittens flammas, tota vesicis ac pusulis ebullivit. Urebatur misera non minus pudoris dolore, quam corporis, quando ea quæ clam gesserat, invita prodebat. Dehinc vociferando atque ejulando, beati Martini basilicam velociter expetivit; ante cujus sepulcrum in hoc tormento per quatuor mensium spatia prostrata, restincto omni vapore, in integritatem corporis solidata est. Erat enim ancilla

[a] Sic Edit. cum Mss., præter Colb. tut. et Victor., qui habent, *humilitatis causa capillos abscidit; ac presbyter.* Nostra lectio Gregorio familiaris est, et quidem non inde inferendum censemus hunc hominem veste monastica donatum fuisse. Id enim ut dicamus non patiuntur quæ de eo referuntur infra, ex quibus patet eum sui juris remansisse. In monasterium itaque secessit, ut clericali officio erudiretur, exercitiisque spiritualibus aliquandiu vacaret, ut de hierove habet Gregorius lib. v Historiæ, cap. 14.

[b] Codd. Colb. tut. et Clar. Vict., *per sex menses, aut eo.* Laud., Bell. et Colb. a, *per sex menses aut dies.*

[c] Laud., Gat. et Colb. a, *Puella vero*, etc. Inferius vero Laud., *Lesoensi*; unde Editi, *Le-uensi*; Vict., *Luxoviensi*, quæ omnia eamdem urbem desig ant episcopalem in secunda Lugdunensi seu Normannia, vulgo *Lisieux.*

[d] Quidam Mss. cum Edit., *solemnibus sancti diebus, dicit suis.*

[e] Aliqui Mss. cum Edit. Bal,, *Cari.* Fluvius est in Ligerim influens paulo infra Turones, vulgo *le Cher* dictus.

[f] Sic Cod. Victor.; at SB., *humano solatio*; cæteri Scripti, *valluta solatio.*

cujusdam civis Turonici, qui medietate pretii concessa, aliam requisivit.

CAPUT LVIII.

De cæco et contracto.

1075 Puer Parisiacus, cujus artis erat vestimenta componere, increscente melancholia, id est decocti sanguinis fece, quartanarius efficitur, atque effervescente humore, ita omne corpus ejus minutis pustulis coarctabatur, ut a quibusdam leprosus putaretur. Sed et per omnia membra dolores pessimos sustinebat, amborum oculorum luce multatus. Igitur auditam beati Antistitis famam, et virtutes ubique vulgatas [a], Turonicam expetivit civitatem; accedensque ad basilicam Sancti, per dies multos jejunans et orans, recepto lumine, pristinæ restituitur sospitati. Erat enim ingenuus genere. Audiens autem Leodastis [b], qui tum Turonicum gerebat comitatum, quod talis esset artifex, calumniari cœpit, dicens: Refuga es tu dominorum, nec tibi licebit ultra per diversa vagari. Et vinctum in domum suam custodiendum dirigit. Sed nec ibidem defuit virtus angelici Confessoris. Nam cum apprehensus fuisset, statim ab infirmitate qua caruerat coarctatur; et cum pessime ageret, videns comes nihil se in eum prævalere posse, relaxatum a vinculis liberum abscedere jubet. Ille vero ad basilicam regressus, sanatus est denuo.

CAPUT LIX.

De alia muliere, quæ post ingenuitatem est vendita.

Simile est huic et illud, quod mulier post emeritam libertatem rursum a patroni filiis barbaris venundatur. Sed virtute Sancti, quo facilius defensaretur, contractis ad plenum debilitatur **1076** membris. Nam et poplitum nervi ita retorsi sunt, ut suræ [*Al.*, subus] crura contingerent. Tunc relicta a dominis, quibus fuerat inique distracta, patrocinia beati expetit Confessoris. Ad cujus ædem non multo tempore commorata, libertati simul ac sospitati donatur.

CAPUT LX.

De oculorum et capitis mei dolore.

Et quia prior libellus ab eo tempore initiatus est quo Paulinus reliquit [c], et sub quadraginta capitulis constabat impletus, destinavi hunc incœptum sub sexaginta complere. Scilicet ut beatus Martinus [d], qui viduatus ab hoc mundo virginitatis custodivit integrum decus, martyrium quoque vel in occultis insidiis, vel in publicis injuriis triumphaliter adimplevit, cui etiam aderat corona trigesimi et sexagesimi, vel centesimi fructus in his centum virtutibus augeretur [e]. Spes autem mihi erat me non frustrari a voto, quod in octo annis Domino jubente complevi, ipso scilicet libro a virtute super me facta cœpto, ad me iterum sum regressus [f]. Quod non sine providentia Divinitatis esse arbitror factum, ut ad eum finiretur, a quo legitur cœptus. In quo cum quinquaginta novem virtutes descripsissem, et sexagesimam adhuc attentius præstolarer, subito mihi sinistrum capitis tempus arctatur doloribus, et pulsantibus venis, defluentibusque lacrymis, tantus imminebat cruciatus, ut oculum vi comprimerem ne crepuret. Quod dum per unam diem ac noctem graviter ferrem, mane adveniens ad basilicam Sancti, orationi prosternor. Qua expleta, doloris locum velo, quod ante beatum dependebat sepulcrum, attigi. Quo tacto, **1077** protinus et pulsus venarum, et lacrymarum fluxus stetit. Post triduum vero dextram capitis partem similis attigit dolor. Pulsabant venæ, atque ubertim lacrymæ defluebant. Iterum mane consurgens, pari ut prius modo contacto velo, capite sanus abscessi. Transactis vero decem dierus, visum est mihi minuere sanguinem: tertia autem die post sanguinis diminutionem, subiit mihi cogitatio et, ut credo, per insidiatorem injecta, quod hæc quæ pertuleram a sanguine evenissent, et si vena protinus fuisset incisa, confestim ista cessassent. Dum hæc cogito, ac revolvo, amborum temporum venæ prosiluere, renovatur dolor qui prius fuerat, et jam non unam partem capitis, sed totum arripuit caput [g]. Commotus ergo doloribus, ad basilicam propero, ac pro cogitatione prava deprecans veniam, pallaque, quæ beatum operit sepulcrum, caput tetigi; mox, dolore sedato, sanus recessi de tumulo.

Multa quidem sunt et alia quæ vir beatus quotidie operatur, quæ insequi longum est. Tamen si adhuc meremur videre miracula, placet ea alteri conjungi libello. Nam, ut diximus, hi duo libelli in hoc numero teneantur. Ego quoque pietati dominicæ maximas refero **1078** gratias, quod mihi per suffragium Antistitis gloriosi concessum est, ut quod in initio tractavi, potuerim usque ad finem perducere [h]; de-

[a] Accusandi casum pro sexto, ut sæpe alias adhibet.

[b] Is est Leudastes qui Gregorium apud Chilpericum accusaverat, de quo plura in libro v Historiæ, capp. 48 et seqq. Ejus vero mors funesta refertur libro seq., cap. 52.

[c] Primum quidem caput de Severo agit, sed nullum ibi miraculum narratur; ideoque secundum, ubi de Miraculis a Paulino descriptis, initium libri de Miraculis dici potest.

[d] Per tres fructuum gradus ex semine parabolæ evangelicæ Matthæi XIII, 25, procreatos sanctus Augustinus vid.arum, virginum, et martyrum coronas designari voluit, quas omnes in Martino inveniri persuasus Gregorius, illas capitum operis sui numero significare conatus est. Etenim in priore libello quadraginta sunt capita, quæ exæquant viduarum coronam; secundi vero libri sexaginta capita fructum virginum exprimunt, quæ simul conjuncta centum, id est martyrii coronam, complent. *Viduatus ab hoc mundo Martinus*, ut loquitur Gregorius, viduarum merita adeptus est. *Virginitatis decus* continentia meruit, ac *martyrii* palmam *injuriis publicis* affectus, et *insidiis occultis* appetitus, obtinuit.

[e] Editi, *sexagesimi; centesimo fructum in his... mctus est.*

[f] Editi, *ipsum scilicet librum... cœptum in me iterum finire.* Quæ igitur toto hoc libro II narrantur, octo prioribus episcopatus Gregorii annis peracti sunt, id est ad annum 581.

[g] Laud., *totum arripit corpus.*

[h] Editi, *est, quæ in initio promisi, usque ad finem perducere posse.*

precans, ut quod sæpe Confessor tribuit populis, mihi peccatori largius indulgeat, purgetque me ab erroribus [a], quos sæpe conspicit et intendit, restituatque mihi lumen veritatis, eruat me ab infidelitatis lapsu, mundet cor et mentem a lurida lepra luxuriæ, purget cogitationes a concupiscentiis pravis, atque omnem a me facinorum molem diluat, atque prosternat; ut cum in judicio in sinistra parte fuero locatus, ille me de medio hædorum sacrosancta dextra dignetur abstrahere, reservatumque me tenens post tergum, sententiam Judicis præstoletur. Cumque eo judicante fuero flammis infernalibus deputatus, sacrosancto pallio, quo ille tegitur in gloria, me contectum excuset a pœna, dicentibus Regi angelis, quod quondam de monacho resuscitato dixerunt: *Iste est pro quo Martinus rogat* [b]. Fiatque, ut quia non mereor illa claritate vestiri, vel ab irruentibus tartarorum ministris merear liberari: nec tantum mihi noxa prævaleat, ut separer ab ejus regno quem fideliter sum confessus in sæculo.

[a] Mss. plerique, *me a morbis*. Editi, *a me morbos*.

[b] Hunc adhuc catechumenum suscitavit beatus vir in monasterio prope Pictavos positus, priusquam ad episcopatum assumeretur. Quam historiam narrat Sulpicius Severus in libro de beati Martini Vita.

Explicit liber secundus.

LIBER TERTIUS.

Prologus.

1081 Tertium, ordinante Christo, libellum de virtutibus beati Martini scribere incipientes, gratias agimus omnipotenti Deo, qui nobis talem medicum tribuere dignatus est, qui infirmitates nostras purgaret, vulnera dilueret, ac salubria medicamenta conferret. Nam si ad ejus beatum tumulum humilietur animus, et oratio sublimetur, si defluant lacrymæ, et compunctio vera succedat; si ab imo corde emittantur suspiria, et pectora facinorosa tundantur; invenit ploratus lætitiam, culpa veniam, dolor pectoris pervenit ad medelam. Nam sæpius tactus beati sepulcri profluviis imperavit sistere, cæcis videre, paralyticis surgere, et ipsam quoque pectoris amaritudinem longe discedere. Quod ego plerumque expertus indignum me judico, ut inter tantorum miraculorum moles etiam illa hic inseram, quæ super me operari dignatus est. Sed iterum timeo ne noxialis apparcam, si ea tanquam fraudulentus abscondam. Testor enim Deum, et spem illam, quam in ejus virtute posui, credens me ab illius misericordia non frustrari: quia quotiescunque aut dolor capitis irruit, aut tempora pulsus impulit, aut aures auditus gravavit, **1082** aut oculorum aciem caligo suffudit, aut aliis membris dolor insedit, statim ut locum dolentem, vel tumulo vel velo pendente attigi, protinus sanitatem recepi, mirans tacitus in ipso tactu dolorem recessisse cum cursu.

CAPUT PRIMUM.

De dolore faucium mearum.

Quid autem nuper pertulerim, primum inseram huic libello miraculum. Dum ad convivium residentes post jejunium ederemus, piscis infertur in ferculo: quem dominica cruce signatum dum edimus, una mihi ex aristis ipsius piscis injuriosissime adhæsit in gutture. Quæ dolores commovens graves, incidebat fauces acumine, et ipsam gulam longitudine obserabat: impediebat vocis sonitum, et neque ipsum salivæ liquorem, qui sæpe a palato defluit, transire sinebat. Tertia autem die cum neque tussiens, neque excreans eam valerem projicere, recurri ad nota præsidia. Accedo ad tumulum, provolvor in pavimento, profusisque cum gemitu lacrymis, auxilium deprecor Confessoris. Dehinc erectus, velo, quod dependebat, gulam, faucesque et reliquum capitis attigi. Nec mora, sanitatem recepi; et priusquam **1083** limina sancta egrederer, nullam fatigationem sensi. Quid tamen aculeus malus devenerit, ignoro. Non Deum rejeci per vomitum, non discessisse sensi in alvum. Unum tantum scio, quod ita me in velocitate sensi sanatum, ut putarem quod injecta aliquis manu, illa quæ injuriam faucibus intulerant abstulisset.

CAPUT II.

De puella debili sanata.

Puella vero annorum duodecim, omnibus membris debilis, per sex annos tanquam mortua in domo parentum lectulo decubabat, non gressum faciens, non opus manuum implens, non lucem cernens, non sermonem eloquens, non audiens elocutum. Ad Beati tumulum fundunt parentes pro filia preces, offerunt munera, et adhuc vota promittunt. Convenit autem populus ad solemnia, celebratur cum gaudio sacra festivitas. Tertia vero de festivitate die, vocat patrem puella, dicens: Sitio. Qui gaudens quod filiæ vocem, quam nunquam audierat, meruisset audire, cucurrit velocius, et assumptum paululum aquæ puellæ detulit ad bibendum. Qua hausta, ait: Porrige mihi manum. Apprehensa quoque pater ejus dextera,

levavit eam. Quæ stans super pedes suos, elevatis A ad cœlum manibus oculisque : Gratias, inquit, tibi ago, omnipotens Deus, qui respiciens humilitatem meam, me per sanctum Antistitem tuum salvare dignatus es. Et sic relictis integratis membris, visum auditumque recepit, ac domum læta regressa est.

CAPUT III.

De homine in cujus manu fustis adhæsit.

Ante duos autem annos quam hæc agerentur, quidam non metuens, neque honorans diem sanctum dominicæ resurrectionis, accepta annona, ad molam vadit, impositoque tritico, molam manu vertere cœpit. Expleto autem opere non poterat volam aperire, sed cum gravi dolore fustem quem apprehenderat tenebat invitus. Posthæc videns se non laxari, inciso B ab utraque parte fuste, ad Sancti basilicam **1084** venit, factaque oratione, et vigiliis celebratis, laxatis digitis, manus ejus ad opus pristinum restituta est. Alio vero anno, in hac die sancta, operam propter quam prius increpitus a Deo fuerat, apprehendit, rursumque ei lignum in manu ejus adhæsit. Ille autem cum dolore plorans ad basilicam sancti Confessoris repetit, sed non protinus meruit exaudiri. Post duos vero annos ad eamdem festivitatem, qua puellam sanatam retulimus, et iste liberatus est ab onere ligni.

CAPUT IV.

De contracto sanato.

Ex Lemovicino autem adveniens contractus, qui nec gressum facere poterat, nec lumen oculorum C habebat, deportatus manibus devotorum ante sanctum sepulcrum deponitur ; deprecatusque misericordiam beati Antistitis, directis membris debilibus, sanitati donatur.

CAPUT V.

De cæco illuminato.

Quidam cæcus, qui longo tempore lumine caruerat oculorum, ad eamdem festivitatem venit. Et facta oratione, dum ante sanctum sepulcrum staret, subito apertis oculis, recepto lumine jucundatur.

CAPUT VI.

De debili sanato.

Puer autem incola civitatis Turonicæ, dum vale- D tudine nimia ac diuturna consumitur, omnibus membris debilitatur, et sine spe gressuum a febre relinquitur, cui tibiæ, ceu funes, intortæ, separari non poterant. Post discessum vero febris, expetiit a parentibus, ut cum ad sanctam basilicam deportarent. Quem exhibitum deponentes ad pedes Sancti, orationem faciunt, ut ei virtus solita subveniret Tertia vero die cum ille vel parentes ejus in oratione ac jejunio perdurarent, exorto misericordiæ lumine, distortis tibiis, a parentibus incolumis est receptus.

[a] Sic omnes Mss., præter Colb. a, qui habet *Cratonno*. Editi 2, *Cracolonno*. Clict., *Cratolonno*.

[b] De hac legatione lib. VI Hist. cap. 18.

CAPUT VII.

De eo qui clavem die Dominico faciebat.

1085 Sic et alius, Senator nomine, de Cra-a-tonno [a] Andegavensi vico, dum die Dominico clavem fecit, digiti ambarum manuum ejus contraxerunt, unguibus in palmam defixis. Sic qui ostium pandere voluit, manus reserare non poterat. Dehinc quatuor mensibus exactis, jam unguibus in carne defixis, computrescente palma, auxilia expetiit Confessoris, et per quatuor dies orationi ac jejunio vacans, manus sanas elevans, incolumis est regressus, collaudans virtutem Antistitis, et ut nullus aggrederetur quod ipse præsumpserat prædicabat.

CAPUT VIII.

De mortuo suscitato.

Eo tempore quo talia apud urbem Turonicam gerebantur, legati de Hispaniis, id est Florentius et Exsuperius, ad Chilpericum regem veniebant [b]. Quos cum ad convivium ecclesiæ recepissem, epulantibus nobis, eo quod se assererent esse catholicos, Florentius, qui erat ætate senior, sollicite flagitat aliqua de beati Viri virtute cognoscere. At ego Deo gratias agens, interrogo si vel nomen ejus in illis regionibus audiretur, vel Vita illius legeretur ab aliquo. Hæc me interrogante, ait in illis locis magnifice honorari nomen ejus ; sed et se peculiarem alumnum Antistitis narrat, dicens super se magnan ejus virtutem ostensam fuisse. Avus, inquit, meus ante multorum curricula annorum basilicam construxit in honore beati Martini antistitis : perfectaque, ac eleganti opere exornata, Turonis [c] clericos religiosos destinavit, expetens Pontificis reliquias, ut scilicet locum, quem in ejus nomine ædificaverat, ejus reliquiis consecraret. Quod cum fecisset, per singulos dies veniebat, et prostratus solo cum conjuge, sancti Pontificis auxilium implorabat. Post multum vero **1086** tempus infans his nascitur. Cum autem trium mensium esset a febre pulsatus, in tantum exinanitur, ut neque papillam sugere, neque ullum alimentum valeret accipere. Interea perdurante morbo, cibo abnegato, palpitante tantum spiritu, solus transitus præstolabatur. Nec mora, ipse quoque exhalatur spiritus. Tum mater mœsta, vel avia, de unicæ ac primogenitæ sobolis morte, apprehensum inter brachia ante altare beati Martini jam exanime corpusculum spe non incerta deposuerunt : et tanquam si Sanctum visibilibus cernerent oculis, anus [*Al.*, avus] alloquitur, dicens : Spes nobis erat maxima, beatissime Confessor, tua huc pignora deportasse, per quæ morbi depellerentur, febres exstinguerentur, fugarentur cæcitatis tenebræ, et alæ quoque infirmitates emundarentur, pro eo quod de te legantur plurima, quæ vel vivens feceris, vel post transitum operaris. Nam audivimus te oratione mortuos suscitasse, lepram osculo depulisse, energumenos curasse verbo,

[c] Huc usque Cod. Martinianus, cæteris quæ sequuntur scabie et putredine exesis.

venenum digito compressisse, et alia multa fecisse : A hic apparebit virtus tua, si et nunc juxta fidem nostram hunc resuscitaveris parvulum. Quod si non faeceris, non hic ultra colla curvabimus, luminaria accendemus, aut alicujus honoris gratiam exhibebimus. Et hæc dicens, relicto ante altare infantulo, ipsa, et qui cum ea erant [a], abierunt. Mane autem facto venientes, invenerunt eum ad altare conversum, et dum admirarentur, susc pit eum mater in ulnis, et cognoscens eum resumpsisse flatum, applicat ad papillam, qui protinus, hausto lacte, confortatus est. Tunc mater cum patre et omni domo, elevata in cœlum voce, benedixerunt Deum, dicentes : Nunc cognovimus quia magnus Deus es, et facis mirabilia solus, qui nobis parvulum Confessoris tui oratione restituisti. Loco autem illi majorem deinceps B quam prius fecerant, reverentiam exhibebant. Hæc ab ipsius Florentii ore ita gesta cognovi.

CAPUT IX.

De eo qui pedem debilem habuit.

1087 Clericus erat ab urbe Pictava in agro illius regionis, qui ad sanctam basilicam pertinebat, unius usu pedis debilis, quem, ut ipse asserebat, per incursum dæmonii meridiani (*Vid. infra, lib.* IV, *c.* 36) perdiderat. Qui inciso fuste ad mensuram geniculi, et pelle superposita ad ipsum geniculum, extenso retrorsum vestigio, gressum, quem pede nitebatur agere, fuste adminiculante perficiebat. Ad antedictam basilicam novem post annos advenit, fusaque oratione per triduum, ante tertium festivitatis diem C poplite directo surrexit. Adveniente autem ad Sancti solemnia populo, qualiter per virtutem ejus sanatus esset, edocuit.

CAPUT X.

De tibia matris meæ.

Matri vero meæ hoc ordine virtus Sancti subvenit. Tempore quo transactis parturitionis doloribus me edidit, dolorem in uno tibiæ musculo incurrit. Erat autem subttaneus, tanquam si clavus affigens, atque ita fictam [b] gravissimam dabat, ut plerumque eclipsim generaret, nec erat quod eum mitigare posset, nisi cum diutissime contra ignem tentus a vapore foci obstupesceret : sed et si unguentum aliquod paruniper fuisset infusum, quiescebat. Quid plura ? D Post ordinationem meam advenit Turonis vel ad occursum Antistitis sancti, vel causa desiderii mei. Cum hic igitur per duos aut tres menses commorata fuisset, et assidue beati Pontificis auxilium precaretur ; tandem respiciente miseratione consueta, discessit dolor a tibia, qui per triginta quatuor annos [c] feminam fatigaverat.

[a] In aliquot Mss. desunt hæc verba, *ipsa, et qui cum ea erant.*

[b] Vide notas in lib. 5 Hist. cap. v col. 209.

[c] Exinde colligi potest Gregorium anno saltem 34 suæ ætatis fuisse ordinatum. Hunc quippe dolorem, ex capitis initio, mater ejus incurrerat in partu quo ipse fuerat editus.

[d] Sic Cod. Gat. Editi non habent *sanctæ*. Bell., Laud., Colb. duo et Gar., *sanctæ matriculæ*. Mater ecclesia appellatur ecclesia cathedralis, quam hic potius designari puto quam matriculam.

[e] Is erat ex Ingunde regina Clotarii Magni filius primogenitus, qui vivente adhuc patre defunctus est, ut testatur Gregorius ipse lib. IV Historiæ cap. 3.

[f] Rom., *nec moratus est effectus, qui.*

CAPUT XI.

De mulieris manu sanata.

Sed et alia mulier de Andegavo territorio, digitis in palma defixis, **1088** ut ad locum sanctum preces effudit, digitis directis, sanata manu discessit.

CAPUT XII.

De puero a caletudine sanato.

Puer familiaris noster correptus a febre graviter urebatur. Ardebant enim extrinsecus membra, intrinsecus vero sitis valida erat ; et si potum aliquem recipiebat, mox rejiciebat a stomacho, nihil tamen capiens cibi. Cumque in hoc labore quarto aut quinto die [*Al.*, anno] fatigaretur, petiit ut ei parumper exhiberent pulveris de sepulcro ad bibendum. Quo exhibito, vinoque diluto, ut hausit fideliter, recepta sanitate convaluit.

CAPUT XIII.

De Theodanæ pede sanato.

Theoda vero, Wiliacharii quondam presbyteri filia, dum ab humore pedum frequentius laboraret, unius pedis usum, qui in debilitatem redactus fuerat, perdidit. Post hæc ad beatam advenit basilicam, in qua dum crebras effunderet preces, amota debilitate, incolumitati donatur.

CAPUT XIV.

De homine inclinato.

Erat tunc temporis in villa [*Ed.*, urbe], quæ sub tuitione sanctæ matris ecclesiæ [d] habebatur, homo quidam, qui, tanquam effractis renibus, inclinatus ambulabat. Hic juxta illam Evangelicæ seriei mulierem (*Luc.* XIII, 11) deorsum proclinus nequaquam sursum poterat erigi, sed duobus in ascellis fustibus additis, incurvus agebat gressum. Ad festivitatem autem adveniens, tertia die post acta solemnia erectus, ab omni incursione diabolica mundatus, sanus abscessit.

CAPUT XV.

De Gundulfo debili.

Gundulfus vero quidam ipsius urbis civis, ab infantia sua cum **1089** Gunthario, Clotarii [e] regis filio, habitavit. In cujus dum haberetur servitio, et, ordinante rege, ascenderet in arborem, ut matura decerperet poma, effracto ramo corruit ; collisoque ad lapidem pede, debilitatus est. Post multos vero annos dum in hac debilitate persisteret, et ascenso equite [*id est*, equo] velociter eum impelleret ad eundum, lapsante gressu, præcipitatur, compressumque pedem alium, qui sanus erat, graviter læsit. Dehinc portari se ad sanctam basilicam postulat, projectusque ad pavimentum, orationem fideliter fundit. Nec morata est pietas [f], quæ semper tribulantibus subvenire consue-

vit, sed protinus, ablato omni dolore, incolumis a pavimento surrexit. Igitur per triginta circiter annos, de alio pede, sicut superius diximus, jugiter claudicabat. Tandem inspectis propriæ conscientiæ noxis, converti decrevit, scilicet, ut humiliatis capillis ipsi sancto deserviret Antistiti. Sed prius a rege præceptum elicuit, ut res suas omnes basilicæ traderet vivens. Quo facto, capite tonsurato, impletoque bonæ deliberationis voto, pes ejus, qui effractis ossibus fuerat breviatus, est elongatus. Et qui ante a duobus pueris sustentatus ibat, nunc sine ullius hominis adminiculo, quo voluerit, absque aliquo debilitatis impedimento discurrit.

CAPUT XVI.

De cæco illuminato.

Post hæc puerulus quidam ex Lemovicino cæcus adveniens, lumen recepit oculorum hoc modo. Anno tertio nativitatis suæ cum jam gressum incipiens figere, erumpenteque lingua in verbis labra laxaret, dum matri alludit blande, dum oscula libat, dum collo ejus appenditur, dum in ulnis defertur, commota per immissionem diabolicam vi venti, pulvis a terra cum paleis elevatur, et super puerum ac matrem ejus cum magno turbine fertur : sed rustica mulier et incauta, **1090** non tractat se filiumque Salvatoris [a] vexillo munire, ideoque prævalentibus insidiis oculi adolescentis repleti pulvere obserantur. Qui diu vociferans, tandem mitigatus a matre permansit cæcus. Adultus autem datus est mendicis, ut vel cum eisdem ambulans stipendii quiddam acciperet. Erant autem parentes ejus valde pauperes. Igitur duodecimo cæcitatis [b] suæ anno advenit Turonis ante diem solemnitatis, qua Deus Pater Verbum carni glutinans, mundo salutem invexit. Decursa autem festivitatis vigilia [*Laud.*, die], dum recedentibus aliis hic ad pedes Sancti decubaret immobilis, tunc sensit quasi pupugisset aliquis oculos ejus a spiculo, et statim sanguis ab his erumpens cœpit defluere per genas ejus, aversaque sursum facie, vidit super se cereum elucere, et exclamans voce magna, ait : Gratias tibi ago, sancte Confessor Dei, quia virtute tua lumen recipere merui. O admirabilis gratia ! o virtus immensa ! multimodis enim affectibus [c] dona tua spargis in populis. Nam qui stipem petierat, lumen recepit, et diu extera luce, virtutis tuæ lumine vultus ornatur. O si te multorum criminum tenebræ a nostris visibus non arcerent, nempe venires visibiliter, et infirmis voce Petri clamares : Aurum et argentum non habeo, sed quod habeo do vobis : in nomine Christi Jesu abite incolumes (*Act.*, III, 6).

CAPUT XVII.

De Siggonis Referendarii aure.

Fuerat causa quædam ut Remense oppidum peteremus ; cumque ab Ægidio episcopo, qui tunc Ecclesiam regebat, benigne fuissemus excepti, illucescente in crastinum Dominica die, ad ecclesiam accessimus, residentesque in sacrario adventum præstolabamur Antistitis. Eo tempore sancti Martini reliquias, licet temerario ordine, super me tamen habebam. Igitur Siggo [d] referendarius quondam Sigiberti, ad occursum nostrum accedit, osculatumque juxta me sedere deposco. **1091** Sed [e] ille unam habens obturatam aurem, vix de alia poterat quæ loquebamur advertere. Verum ubi sufficienter colloquio usi sumus, ille in domum vocatur ecclesiæ. Protinus igitur ut a me discessit, disrupta auris surdæ claustra, et quasi magnum exinde ventum exire sentiens, auditum recepit : reversusque continuo mihi gratias agere cœpit, dicens : Tertia jam dies erat, quod de hac aure auditum amiseram, sed cum tecum loquerer, sensi velociter reseratam. Tunc ego confessus [*Al.*, confusus], ne mihi hæc ascriberentur, aio : Noli, dulcissime fili, mihi aliquid gratiarum referre, sed ei cujus tibi virtus auditum restituit. Nam scias beati Martini mecum haberi pignora, cujus tibi potentia auditus gravitas est depulsa.

CAPUT XVIII.

De infirmitate pecorum.

Quodam vero tempore dum sæva lues taliter desæviret in pecora, ut nec ad recuperandum genus putaretur aliquod remanere, quidam de nostris basilicam sanctam adiit, oleumque lychnorum, qui cameræ dependebant, suscepit cum ipsis aquis in vasculo, deportatumque in domum, pecora quæ adhuc hic morbus non attigerat [*], intinctoque digito in liquore, per frontes et dorsa cruce dominica signat, ipsisque animalibus terræ dejectis, ac resupinatis, ex hoc unguine fide plenus infudit in ore. Mox dicto citius, clandestina peste propulsa, pecora liberata sunt.

CAPUT XIX.

De cæco illuminato.

Abrincatinus [f] quoque incola, cui per sex annos videndi usus fuerat denegatus, beati Confessoris expetiit salvari præsidio. Ad cujus basilicam accedens, multoque tempore jejuniis et orationibus vacans, auxilium beati implorabat Antistitis. Denique adveniente sacrosancta festivitate, populis missarum solemnia spectantibus, huic visus est redditus ; rediitque in patriam **1092** videns, qui ad sanctam basilicam alio deducente pervenerat. Ispe autem pro tantæ pietatis gaudio vovit se ibidem tonsurari. Quod postea devotus rediens implevit.

CAPUT XX.

De alio cæco illuminato.

Nam et quidam de transmarinis partibus veniens,

[a] Plerique Mss., *salutari*. Id est signo crucis, quo a primis Ecclesiæ sæculis utebantur fideles ad arcendas dæmonum insidias.

[b] Clar., *nativitatis*. Editi, *ætatis*.

[c] Editi, *multis enim effectibus*.

[d] Aliquibus, *Sigo*. De hoc vide supra lib. v Hist. cap. 3. Hunc Gregorii locum laudat Frodoardus lib. II Hist. Rhemensis cap. 2, et lib. IV cap. 50.

[e] Hæc usque ad *Verum*, desunt in Rom.

[f] Clar., *Cebrincatinus*. Is erat ex urbe Abrincensi, *Avranches*, in Normannia.

[*] Idem videtur esse ac si legeretur... *deportatoque* (oleo) *in domum, pecora... attigerat, intincto digito... signat*. EDIT.

dum operam exerceret in agro, subito orta super se violentia venti cum pulvere, lumine caruit oculorum. Et qui diu cæcis via fuerat, ipse domum alio regente deducitur. In hac enim cæcitate per trium annorum curriculum detinetur. Post hæc basilicam beati Confessoris expetiit, atque [*Al.*, ad quam] per quatuor annos orationi incumbens, visitatus virtute divina, patefactis luminibus lucem videre promeruit.

CAPUT XXI.

De Juliano contracto.

Sed et hæc fama, ut sæpe diximus, non solum ad propriam urbem, verum etiam in aliis urbibus, et pene in toto mundo vulgata perpatuit. Julianus quidam ab Hispaniis veniens, manus et pedes habens debiles, ad hunc medicum devotus ingressus est, dicens : Credo enim indubitanter, [a] sanctissime Præsul, quod poteris mihi ea medelæ adjumenta præbere, quæ cæteris in te sperantibus non es solitus denegare. In hac credulitate orationi assidue insistens, et de Domini miseratione non dubitans, directis pedibus manibusque, incolumis est redditus.

CAPUT XXII.

De muliere ad sancti lectulum illuminata.

Verum quia in superioribus libellis sæpius diximus et in loco illo de quo migravit ad cœlos plerumque miracula celebrari, quid nuper gestum sit pandam. Mulier indigena urbis Turonicæ visus claritate multata, **1093** cellulam Condatensem, in qua lectulus beati Antistitis habetur, expetiit, putans sibi præsidium fore, si cancellos ipsius lectuli tetigisset. Lectulus autem non aliud dicitur, nisi quod in pavimentum illud substrato cinere, et apposito capiti lapide, Israël nostri temporis flexa cervice recubuit [b]. Ergo ad hoc oraculum mulier viro adminiculante deducitur, in quo per multos dies orationem compuncta fundebat. Tandem pietas ad miserandum sæpe profusa eam respiciens, visum muliera amissum restituit. Tantaque deinceps feminam fides ascendit, ut usque ad diem sui obitus nunquam a loco illo discederet.

CAPUT XXIII.

De muto cui fratres abstulerant facultatem.

Incola autem Andegavensis urbis, turbatis membris morbo, caput convertit ad lectulum : dehinc per singulos dies invalescente febre, cunctis artubus destitutus, auditu et locutione pariter privatur. Post paucos vero dies cum de febre convaluisset, et sine voce maneret, ablata sibi a fratribus facultatis parte, de domo paterna projicitur, dicentibus fratribus : Hic amens effectus est. Non patiatur Deus, quod aut facultati nostræ inhæreat, aut partem hæreditatis acquirat. Erant autem ingenui et possessionem propriam incolentes : sed nihil [c] cogitantes de his quæ Dei erant, ejecerunt mutum et surdum, quem potius fovere debuerant. Ille vero quanquam sine his usibus esset, sensum tamen in corde retinebat. Porro autem apprehensis manu tabulis, et inter se collisis, vocem quærentis imitabatur. Cum hoc enim artificio ad supradictum vicum advenit, ibique aliis stipem flagitantibus adjungitur. Sextus igitur jam effluxerat annus, quod pauper iste a divitiis sanctæ cellulæ vescebatur. Factum est autem ut in una Dominicarum nocte, dum in domo hospitis sui decumberet, subito locus ille immenso repleretur lumine, et ecce hic pavore perterritus solo prosternitur. **1094** Et statim visus est ei vir quidam sacerdotali habitu comptus, qui tangens eum, et crucem Christi fronti ejus imponens, ait : Dominus te sanum fecit. Surge, et propera ad ecclesiam, et age gratias Deo tuo. Ipse autem elevata cum gratiarum actione voce, clamoribus viciniam complet. Illico concurrunt omnes ad spectaculum, et mirantur loquentem, quem pridie viderant mutum. Interea signum movetur horis matutinis : aggregatur et populus, vigiliisque celebratis, virtus Sancti clarificata perpatuit. His diebus duo energumeni in hoc loco, ejecto dæmone, sunt mundati.

CAPUT XXIV.

De oleo crescente.

Sed revertamur ad Aredium [d] nostrum, imo etiam peculiarem, ut ita dicam, beati Confessoris alumnum, cui sæpius de suis pignoribus cernere miracula præstat. Hic ad festivitatem Sancti cum illa qua solitus est, benignitate, humilitate et charitate pervenit. Regrediens vero ampullam parvulam de oleo sancti sepulcri completam secum detulit, dicens : Forsitan infirmus aliquis in via adest, qui a beati Martini æde benedictionem, corde compunctus, accipere desideret. Denique in quodam loco devota mulier accessit ad eum, exhibens ampullam aliam cum oleo, dicens : Rogo te, serve Christi, ut tua hoc oleum benedictione sanctifices. At ille, ne vanitati subjectus videretur, ait : Parva est virtus mea ; sed, si placet, oleum de sepulcro beati Martini habeo, ex quo hoc oleum perfundatur. Tu vero, si credis ejus virtutem magnam, ex hoc salutem hauries. At illa gaudens, petiit expleri quæ presbyter loquebatur. Vas etenim illud medium erat. Cumque de hoc liquore, qui a basilica Sancti assumptus fuerat, perfunderetur, prot nus ebulliens oleam ampullam usque ad summitatem implevit. Quod matrona cernens, admirans virtutem Confessoris beati, domum regressa est gaudens.

1095 CAPUT XXV.

De digitis cujusdam mulieris directis.

Alia vero mulier, cujus digiti in ipsam palmam contracti defixi erant, basilicam beati Martini anti-

[a] Pler que Scripti, *manu et pede debilis... ingessit, dicens : Credo enim, sanctissime*, etc.

[b] Vict. cum Edit. Bal. et Chol. : *Lectulum autem non aliud dicunt, nisi in pavimento illo substratus cinis, et appositus capiti lapis, in quo nocturno tempore flexa cervice recumberet.*

[c] Editi tres : *Erant autem inquilini, et possessioni propriæ incumbentes, sed inique cogitantes*, etc.

[d] Et hic Editi *Aridus*. Vide libri præced. caput 30.

stitis expetiit. Paucis quoque interpositis diebus orationem fundens, et Sancti auxilium implorans, directis digitis, manum recepit incolumen.

CAPUT XXVI.

De muliere contracta.

Ante hos annos puella in infirmitatem pessimam ruens, membris omnibus debilitata contrahitur. Hæc auditis miraculis quæ Antistes gloriosus in singulis operabatur, nomen ejus invocabat devote. Post dies autem paucos rogat se ad ejus basilicam deportari, in cujus atrio diebus multis jacens fusa sæpius oratione cum lacrymis, a virtute Pontificis visitatur; sicque subveniente divina misericordia, sanata discessit.

CAPUT XXVII.

De puero contracto.

Puer vero ex Andegavo territorio, dum in domo parentum resideret, per immissionem, ut ipse asserebat, artis diabolicæ, manuum pedumque perdidit usum, ita ut contractis intrinsecus digitis, ungulæ in palmam defigerentur, nexusque [*Al.*, nervique] poplitum arefacti calcaneos ad crura diverterent: sicque per sex annos a parentibus male bajulatus, ad templum sancti Antistitis deportatur. Sed in oratione perdurans, restitutis membris, juxta nominis sui proprietatem quasi novus effloruit Floridus.

CAPUT XXVIII.

De cæco illuminato.

Clericus ex nativitate servus ipsius sanctæ basilicæ, per incursum insidiatoris lumine multatus, in hospitiolo proprio, nihil ibi laborare potens, residebat ægrotus. Tribus fere **1096** annis hanc sustinuit cæcitatem, ædem beati sacerdotis expetiit; ibique deprecatus consuetam misericordiam, illuminatus rediit ad propria.

CAPUT XXIX.

De homine, cui fustis in manu adhæsit.

Ex Turonico vero territorio servus cujusdam, dum die Dominico sepem componeret, manus ejus ad lignum ipsum hærere cœperunt. At ille velociter extracta dextera, dum factum admiratur attonitus, manus ipsa cum dolore magno contrahitur, defixæ sunt quoque ungulæ in palmam: contractisque totis digitis dexteræ, ad diversorium regreditur cum mœrore. Post quatuor vero annos ad basilicam Sancti advenit, orationeque facta sanatus est, prædicans populis ne factum ejus quis imitaretur, ne tanti diei solemnia avarus agricola macularet, ne resurrectionem sacræ ac redemptionis nostræ [a] cœleste mysterium humanitas infirma, terrena exercens opera, dissolveret.

CAPUT XXX.

De puero, cui stomachus infirmabatur.

Puerulus quidam ex Albigensi, tabescente diversis morbis stomacho, cibum potumque exhorrebat; ipsum quoque quod accipere videbatur cum gravi rejiciebat amaritudine. Cumque per multos dies in hoc labore [*Ed.*, languore] cruciaretur, fide plenus desiderium habuit veniendi ad basilicam beati Confessoris. In qua per triduum jejunans et orans, die quarta accipiendi cibi desiderium capit, vinumque ore delibans confortatus est: dehinc gratias agens, sanus discessit.

CAPUT XXXI.

De dextera mulieris aridæ.

Mulier quædam, et ipsa, ut aiunt, ex Andegavo veniens, quæ omnibus quidem membris arida erat, sed præcipue dexteram cum digitis aridiorem cæteris artubus deferebat, ad sepulcrum Sancti prosternitur. Exinde **1097** egressa, per paucum tempus in atrio commorata est. Succurrente vero interventu Antistitis gloriosi, vena sanguinem, cutis ruborem, corpus reliquum fortitudinem recipiens, solidatum est. Cui hæc fuit causa ut ista perferret, quia die sabbati post solis occasum, qui nocti Dominicæ adjacebat, panem voluit conformare [b].

CAPUT XXXII.

De muliere cujus manus in se adhæserunt.

Simile huic alia mulier fecit, cujus manus introrsum contractæ et ad se invicem conjunctæ adhæserunt. Cumque doloribus maximis vexaretur, viam ingreditur, dicens: Si ad basilicam sancti Martini abiero, protinus hæc abscedet infirmitas. Confido enim quod et mihi subveniet, qui sæpe talia perferentibus est misertus. Hæc cum ita aieret, et incœptum, ut poterat, carperet iter, manus ejus illico separatæ sunt, non tamen directis digitis. At vero ubi ad locum sanctum accessit, et orationem fudit, protinus ablato omni dolore, solidatis digitis, manus liberas cum gratiarum retulit actione.

CAPUT XXXIII.

De morbo caballorum.

In Burdegalensi autem regione hoc anno gravis caballorum exstitit morbus. Apud villam [*Ed.*, urbem] vero Marciacensem, quæ in hoc termino continetur, subdita ditionibus beati Martini, oratorium est ipsius et nomine et virtutibus consecratum. Denique adveniente supradicta clade, accedebant ad oratorium, vota facientes pro equis, ut scilicet, si evaderent, ex ipsis decimas loco conferrent. Cumque his hæc causa commodum exhiberet, addiderunt ut de clave ferrea, quæ ostium oratorii recludebat, characteres caballis imponerent. Quo facto, ita virtus Sancti prævaluit, ut et sanarentur qui ægrotaverant, et qui non incurrerant, nihil ultra perferrent.

CAPUT XXXIV.

De lue quæ cum vesicis fuit.

1098 Superiore quoque anno gravissime populus

[a] Rom., *macularet redemptionis sacræ, resumptionis nostræ.*

[b] Perseverabat adhuc sæculo IX pia hæc consuetudo, qua fideles a vesperis Sabbati labori manuum parcebant ob reverentiam subsequentis Dominicæ, ut patet ex Miraculis sancti Theoderici abbatis Remensis in sæc. I Benedictino, pag. 621.

ac pedibus stabilitis, ad sanctum adducta sepulcrum, A gratias pro accepta sospitate peregit. Post hæc rogat se deduci ad ostium, ubi prostrata iterum dicit **1101** suis: Non hinc consurgam, nisi prius mihi oculorum lumen reddat, qui pedum manuumque restituit usum. Hæc ea dicente, subito energumeni torqueri se proclamant, et Martini adesse præsentiam confitentur. Sed cum diabolus, qui ab initio mendax est (*Joan.* VII, 44), ad credendum minime admittatur, rebus tamen ipsis beati Viri præsentia declaratur. Nam femina hæc, quæ paulo ante directa fuerat, nunc illuminata, adesse beatum Antistitem approbavit.

CAPUT XL.

De paralytico sanato.

Modico autem succedente spatio, jacebat paraly- B ticus unus in grabato, qui ex Biturico plaustro devectus advenerat. Ipse etiam pari modo virtute beati Antistitis visitatus surrexit incolumis, suisque redditus gressibus, parentum [a] spectante caterva, sanus excipitur.

CAPUT XLI.

De catenis super puellam confractis.

His diebus puella quædam, jam ex libertis [b] parentibus procreata, a filiis patroni, confracta libertate, ad jugum servitutis addicitur: unde factum est ut illa non acquiescente injustis dominis quidquam operis exercere, catenis et compedibus vinciretur. In qua custodia dum aliis beatam festivitatem expetentibus resideret, flens et ejulans, cur non interesset beatæ festivitati, subito trabs in qua pedes C ejus arctati erant scinditur; et hæc quasi jam libera, nexa quidem catenis, elapsa beatam basilicam expetivit. Verum ubi primum pedes ejus sacra limina contigerunt, statim confractæ catenæ ceciderunt a collo ejus; et sic incolumitate pariter libertateque donata est.

CAPUT XLII.

De libro Vitæ ejus inter flammas salvato.

1102 Quid si ad ipsa beatæ Vitæ scripta recurram? Nunquid non erit admirabile, quod sacer ille hujus historiæ liber circumdatus flammis, nec adustus est, nec consumptus? Monachus igitur Majoris monasterii ex jussu abbatis ad cellulam [c] aliam, quasi aliquid operaturus, accessit, ac, pro salute D animæ ac vitæ correctione, librum vitæ beati Antistitis detulit secum. Adveniente vero nocte, in lectulo se diuturno oppleto stramine collocat, librum ad caput locans. Cui dormienti apparuit vir per somnum, dicens: Noli dormire in his paleis, sanguine enim aspersæ sunt. Credo ego, ut mortalitas habet, aliquod in his facinus perpetratum, et ob hoc non pateretur Vir beatus verba laudis suæ inibi volutari. Facilis [d] autem prima visio viro fuit, nec secunda commonitio valuit: tertia autem terribiliter monachum quatit. At ille surgens, et ad operam diluculo progrediens, puero jubet ut paleas a lectulo detractas igne consumeret, nihil de libro commemorans. Puer vero ignarus inter paleas apprehensum librum foras ejecit, et ignem accendit. Quibus in favillam redactis, cum nihil aliud nisi cineres remansissent, apparuit liber illæsus, de quo non littera [*Colb. tut.*, latera], non unum, ut veritas habet, folium est consumptum. Ita virtus divina custodire dignata est alumni quodammodo proprii laudes, ut librum ejus flamma non ureret, quem aculeus concupiscentiæ in hoc sæculo non adussit. Sed ne cui incredibile videatur, Codex ipse apud nos [e] usque hodie retinetur.

CAPUT XLIII.

De duobus pueris sanatis.

Denique cum quadam vice iter ageremus, duo pueri de custodibus **1103** equorum ægrotare cœperunt: et unus quidem eorum valetudine alter dysenteria laborabat. Utrumque tamen febris valida retinebat, lassatique taliter erant, ut nec super dorsa caballorum possent impositi sustineri. Extractum autem pulverem, quem de sepulcro Sancti abstuleram super capsellam, delutumque aqua ipsis haurire præcipio. Mox compressa febre, restinctoque dolore, uterque convaluit.

CAPUT XLIV.

De Malulfo contracto.

Inclyta sunt enim miracula quæ quotidie Dominus ad laudem Antistitis sui operari dignatur, et, ut sæpe testatus sum, hæc a me imperito narrari non possunt: tamen, ut ipsa imperitia præstat, elucubrabuntur, ne occuli [f] videantur. Malulfus [g] quidam, Turonici territorii civis, ægritudine sæva compressus, lectulo in suo anhelus occubuit; ex quo tabescens incommodo, manibus pedibusque contrahitur. Quinque vero annorum curricula in hac debilitate sustinuit. Sexto denique anno ad Sancti basilicam se efferri deposcit: in qua orationi decumbens, perdita debilitate, sospitatem meruit adipisci.

CAPUT XLV.

De alterius manibus directis.

Et ne ob hoc cuiquam quæ referuntur videantur incredibilia, quia singulorum nomina non sunt in paginis prænotata, facit hoc hæc causa, quia cum a Sancto Dei incolumitati fuerint redditi statim

[a] Editi 2, *consanguineorum*.

[b] Quidam Codices scripti cum Editis, *ex liberis*. Sed melior est nostra lectio, quæ est vetustiorum codicum. Et quidem istius puellæ parentes non erant liberi, scilicet taliter nati, sed servi, qui libertate fuerant donati, atque ejusmodi homines *liberti*, quasi *liberati* dicebantur. Id patet quod filii *patroni*, id est ejus qui eos libertate donaverat, puellam iterum in servitutem redigere conabantur.

[c] Id est villam, seu, ut hodie dicimus, prioratum aut præposituram.

[d] Id est, *futilis*, seu *vana*, ut ex compluribus aliis Gregorii locis patet.

[e] Rom., *nobiscum*. Ed., *index ipse nobiscum*.

[f] Sic Mss. Editi vero, *ne contemni vel oblivioni tradi videantur*.

[g] Gat. *Palulfus*. Ed., *Madulphus*.

:: et aliquoties ita clam redeunt, ut, si dici
i nemine videantur. Cumque rumor surrexit
itistitis apparuisse virtutem, vocatis ad nos
us ædis, quæ sunt acta cognoscimus : no-
men non semper ab his discimus. Illos vero
ue nominatim scribimus, quos videre potue-
ut quos ipsi discutimus. Venit ad festivita-
quidam ex Biturigo manibus debilis, cujus
palma erant defixi in tantum, ut putaretur
ermibus scatere. Sed celebrata solemnitate,
ambarum manuum digitis, incolumitati do-
it ; viditque eum omnis populus sospitem
m. Cui causa debilitatis ex hoc contigit,
pem segetis die Dominico componere vo-

CAPUT XLVI.

e muliere cujus brachium contraxerat.

ex Pictavo territorio erat, cujus brachium
s nervis emarcuerat. Ad sepulcrum autem
ri veniens, ac in oratione vigiliisque perno-
achium suum sanum retulit : sed illico a
in servitio mancipata, eadem incurrit. Re-
iterum, et sanatur. Tunc venientes domini
eam abducere nitentes, accepto de rebus
retio, quieverunt, et ita hæc libertati dona-

CAPUT XLVII.

De eo qui pro debito tenebatur.

diebus cum quidam pro dissolvendo debito,
necessitatibus suis contraxerat, interpella-
ac esset virtus atque facultas ad reddendum
ituaverat, in carcere coarctatur. Denique
eret creditor quod ei nihil extorquere posset,
hil habebat, nec esset qui ei manum miseri-
orrigeret, arctius eum in vincula constringit,
ne cibo ac potu dicebat : Ego te faciam ad
documentum fame tabescere, donec omnia
Hæc autem cum agerentur, sancti Antistitis
, quæ in Suessionicum pagum ferebantur,
team præteribant. Auditis itaque vinctus
um vocibus, oravit ut eum virtus Antistitis
isitaret : statimque dissolutis ligaminibus,
tinente, basilicam sanctam ingreditur. De-
levotis redemptus, a nexu debiti absolutus

CAPUT XLVIII.

De cæca illuminata.

Factum est etiam in una festivitatum
r quæ, perdito lumine, in cæcitate durabat,
Sancti viri miraculis, alacri devotione basili-
s expeteret. Prostrata autem super aridam
ante sepulcrum, mox ut orationem fudit, lu-
ipere meruit.

CAPUT XLIX.

De paralytico omni corpore debile.

: solemnitate adveuit puerulus oculorum ob-
clausis, aurium aditibus oppilatis ; oris offi-

., *Chadegisilus*; alii, *Chardegysilus*.

A ciis obstructis, manuum usibus perditis, pedum gressibus condemnatis. Quid plura? ita erat omnium membrorum usu præmortuus, ut solo spiritu palpitaret. Ut autem locum sanctum attigit, omni prorsus debilitate submota, cum gratiarum actione sanus abscessit.

CAPUT L.

De presbytero a frigoribus sanato.

Lupus Burdegalensis urbis presbyter quodam tempore graviter a quartano typo vexabatur, ita ut accedente febre, neque cibum, neque potum sumere posset. Interea advenit festivitas sancti Martini antistitis. At ille celebratis cum reliquo clero [*Ed.*, populo] vigiliis, mane præcedit omnes, et ad basili-
B cam Sancti festinat. Dum autem properat, obvium habuit Judæum, et eo inquirente quo pergeret, respondit : Typum quartanum incurri, et nunc ad basilicam Sancti propero, ut me virtus ejus ab infirmitate hac discutiat. Qui ait : Martinus tibi nihil proderit, quem terra opprimens terreum fecit, et tu incassum ejus ædem expetis. Non enim poterit mortuus viventibus tribuere medicinam. At ille despiciens verba serpentis antiqui, abiit quo cæperat, et prostratus coram sanctis pignoribus orationem fudit, reperitque ibi duas candelulas ex cera et papyro formatas. Quibus assumptis, **1106** ad domum exhibet, illuminatisque eis, favillam papyri cum aqua munda hausit, moxque sanitatem recepit. Judæus vero ab hac infirmitate correptus, per anni spatium ventilatus
C est ; sed mens iniqua neque tormentis mutari potuit unquam.

CAPUT LI.

De infantulo Cardegisili filio sanato.

Cardegisilus [a] vero Santonicæ urbis civis, cognomento Gyso, susceptis nobis ad domum suam, invitat ad oratorium quod mater ejus ædificatum beati Martini reliquiis consecravit. Denique cum expleta oratione sollicti essemus si ibidem virtus sancti Antistitis ostensa fuisset, respondit : Ante annum tertium puerulus iste filius meus, quem coram cernitis, cum adhuc penderet ad matris papillam, incommode agere cœpit, ac per triginta dies aut eo amplius, inter manus non sine labore deportabatur, donec ita addictus est, ut nec mamillam valeret sugere,
D nedum alium capere cibum. Deficiente autem eo, jam die sexto postquam gravius agere cœpit, deposuimus eum ante altare flentes, atque ejus obitum præstolantes. Ego autem dolorem non ferens, discessi a domo, mandans mulieri ut cum obiisset, statim sepulturæ eum locaret. Flente autem genitrice, jacuit infans usque ad vesperum ; cadente autem sole elevat vocem suam, dicens : Dulcissima soror, ubi es? Sic enim genitricem, ut blanditia infantium habet, vocitare solitus erat. At illa accurrit, dicens : Adsum, fili dulcissime. Susceptoque eo in ulnis, et mox porrecta papilla, hausto lacte protinus convaluit.

CAPUT LII.

De clerico dysenterico.

His diebus quando nobis hæc relata sunt, unus clericorum nostrorum ventris fluxum incurrit cum febre, ac nimiam defectionem stomachi; et quæ projiciebat per inferiorem partem, pars maxima cruor erat. Et ea causa eum magis afficerat, quia cibum quem accipiebat, invalescente **1107** nausea, statim rejiciebat: sed protinus, ut de sepulcri pulvere bibit, omni infirmitate dempta, firmatus est.

CAPUT LIII.

De appenso absoluto. Item de alio.

Sed nec hoc silendum putavi, quod sæpius in mortem præcipites, extensa pietatis dextera, sublevavit. Denique Genitoris civis nostri [*Ed.*, denique noster] servus a judice pro furti scelere comprehensus, patibulo adjudicatur. Qui dum duceretur, nomen beati Antistitis invocabat, dicens: Libera me, sancte confessor Martine, ab imminenti periculo. Appensus igitur ac solus relictus, commoto subito vento, audivit vocem dicentem: Liberemus eum. Et ecce a quatuor partibus cœli concussus stipes qui hominem sustentabat, cum immenso cespite in modum arboris eradicatæ a terra divellitur, et sic homo morti deditus redivivus erigitur. Alius quoque [a] qui multa fecerat scelera, et, compunctus a Deo, pœnitentiam pro malis quæ gesserat agebat, apprehensus sine causa, simili nece damnatur, invocans semper sancti Confessoris auxilium. Qui cum appensus fuisset, disruptis vinculis illæsus ad terram ruit. Sed mala mens hominum iterum appendit quem Deus eripuit. Quod audiens abbas monasterii a loco proximi, currit ad comitem, rogaturus pro eo; erat enim longe exinde quasi tribus millibus, obtentaque cum eo rei hujus vita, rediit, vivumque reperiit. Quo a suspendio deposito, adduxit ad monasterium profitentem atque dicentem: Quia sensi virtutem sancti Martini qui me eripuit.

CAPUT LIV.

De muto sanato.

Erat enim homo infra terminum ipsius Turonicæ urbis, ex vico montis Laudiacensis [b], et homo ille erat natura simplex, nexus vinculo conjugali. Cui cum conjuge quiescenti nocte media pavor exoritur, exterritusque ac de lectulo exsiliens, dum per **1108** hospitiolum suum vagatur trepidus, vocis perdidit famulatum. Nec moratus, indicat nutu conjugi ut eum ad Sancti basilicam exhiberet. Qui adveniens, dum ante beatum sepulcrum per sex assidue decubat menses in oratione, absoluta lingua, eloquium sicut antea habuerat, recipere meruit virtute beati Antistitis.

CAPUT LV.

De muliere cujus manus contraxerat.

Mulier Transligeritana in die Dominico cum operam exerceret, quam in die illo fieri Patrum auctoritas, manus ejus contracta dirigit, d in palmam defixi sunt. Quæ dum doloribus retur, ad sanctam ædem Confessoris accessit; que, ut si ab hac sanaretur infirmitate, nullu deinceps in hac dominicæ resurrectionis ag quod illi diei esset incongruum: statimque digitis a palma, manu directa discessit.

CAPUT LVI.

De muliere contracta et cæca.

Magna est enim pietas Confessoris, quæ sic insipientes, ut ponens vitium ante oculos, re posterum emendatos. Pro hac causa mulier bilitatur. Nam cum die Sabbati post solis o quod adjacet resurrectionis dominicæ nocti furno collocaret, brachium ejus dolore q Post injectum alium et tertium panem, manu lignum quod tenebat cœpit astringere: intelli mulier divinæ se virtutis judicio condemnari ter palam quam tenebat abjecit: nihilomi effugere potuit pœnam. Nam ita manus ej gravi dolore contractæ sunt, ut ungulæ in ip gerentur palma. Ex hoc nullius medici se posse fomento sanari, Beati basilicam e ibique fideliter orans, directis manibus, discessit; vovitque ut per singulos menses, domada ad **1109** sanctum templum venie beat [c] Deo et beato Antistiti deservire. Q unum annum eam observasse manifestissim tum est. Post annum vero intermissa unius hebdomada, non accessit ad sanctam basilic denti vero in hospitiolo suo oculus ei a dolore gitur: illum autem comprimens perdidit, quoque dolore cœpit extemplo. Ita in uni momento cæca ab oculis ambobus efficit mora, confessa culpam ad præsidia nota c ibique orationem suppliciter fundens, ac pœn pro negligentia compuncte agens, die oct guine ab oculis profluente, illuminata est.

CAPUT LVII.

De cæco illuminato.

Hominis cujusdam oculi crassa caliginis n tecti, quodam glutino conjunctis palpebris obserati, et quod supererat viro, magnis tenebatur. Quid plura? Festivitatem Sancti liquis devotus expetiit, attente exorans ut beati Antistitis visitari mereretur in die sole Sed sacra solemnia prævenit potentia Co ostendens se adesse populis, cum tenebras lumenque refudit. Igitur ante diem tertium tatis, hoc in atrio quod absidam corporis orante, subito aperti sunt oculi ejus, et aspi cem videre meruit. Quod cum his qui ade gratiarum actione narraret, dictum est ei

[a] Gat. hic caput dividit, proindeque deinceps capitum numeri non concordant, licet eadem narrentur.

[b] Ibi Perpetuus ecclesiam in honorem sancti Laurentii construxit. Vide notas in cap. ult Historiæ.

[c] Laud., Colb. tut., etc., *debeat deservire.*

em funderet, ut cœptam virtutem bea- celerius adimpleret. Tunc prostratus a lacrymas prorupisset, firmatis oculis, mis surrexit.

CAPUT LVIII.

et duobus cæcis sanatis, et duobus energumenis emundatis.

vero tertium hujus solemnitatis, erat yticus hoc in loco exorans, cui debilitas ut ipse enarravit, evenerat, quia dum rvulus, et **1110** cum reliquis pasto- n in campo custodiam gereret, super dam obdormivit; aliis quoque ad mentibus, hic solus remansit. Tandemque no, dum consurgere nititur, doloribus ox membris omnibus contractus, ac reum brachiis, contractis in poplite ner- ad crura deductis, cum nulla esset virmensæ ab eo lacrymæ cum magnis vont. Reversis autem sociis ad visenda ulans invenitur. Dehinc parentum ulnis i restituitur. Post dies vero paucos cum oloribus laxaretur, mendicis quibusdam cum quibus per decem aut eo amplius s urbesque circumiens, ad hanc quoem adveniens, membris omnibus soli- o eadem die illuminati cæci, duo enerpulcrum Antistitis emundati sunt.

CAPUT LIX.

De puero febricitante.

quidam ex nostris, nocturnis febribus tantum, ut ab hora diei octava usque secunda diei hora, nullam æstuandi t accipere. Erat enim ei et horribilis nec quidquam unde confortaretur, ac- r etiam sævus membra omnia quatiellor genas obsederat. Dumque sic inter r parentum ut æger, ægre obtinere pepulcrum beati Antistitis deferretur. us, ut de sacrosancto tumuli pulvere sumpsit, mox ab hac benedictione, fudolore, febris exstincta est. Nec mora, ionum loca puer expetit, deducitur in s purgandi gratia. Verum ubi voluntaimpellente profudit, statim duo vermodum serpentum processerunt: qui lis hominum videbantur, ut vivere puergo ab eo digestis, illico ad plenum sanatus est, et cibum, ut solitus erat, hausit et potum, ruborque genis, fugato pallore, **1111** redditur, membrisque omnibus solidatur.

CAPUT LX.

De his quæ in meo itinere gesta sunt.

Opportunitatis causa nuper exstiterat ut ad visitandam genitricem meam in territorium Cavillonensis [b] urbis adirem. Sed metuens superventuras infirmitates, de hoc pulvere, id est sepulcri beati Antistitis auferre, et mecum deferre præsumpsi, scilicet ut cum quempiam nostrorum morbus aliquis invasisset, virtus Sancti ope consuetudinaria subveniret. Ubi igitur ad matrem accessi, protinus unum puerum febris cum dysenteria arripit, atterit et consumit, ita ut negato usu vescendi, de solis febribus aleretur. Die tertia cum hæc agerentur, et ad me perlatum fuisset, delibutum [c] pulverem ad bibendum porrigo moribundo, statimque, fugata febre sedatoque dolore, convaluit. His diebus a Verano antistite [d] audivi, quod quodam tempore dum typi quartani æstu ureretur, expetita beati Martini basilica, quæ in loco illo erat, celebrata vigilia sanatus fuit. Nos vero ex hoc itinere Arvernum venientes, reperimus Avitum episcopum a tertiano typo ita graviter concuti, ut etiam si aliquid cibi sumeret, statim rejiceret: sed de hoc pignore potu sumpto, calcata febre roboratus est. Duos ex pueris nostris valetudinaria **1112** febris invaserat, omnesque membrorum junctures, ut ex hoc contagio plerumque assolet, dolor sævus obsederat: sed ab hac benedictione potati, sanati sunt. Ego ipse in hoc itinere cum dolorem dentium graviter sustinerem [*Rom.*, sentirem], et jam non solum ipsi dentes, sed omne caput venarum pulsibus, ac dolorum spiculis figeretur, ac tempora valide prosilirent, hoc præsidium expetii, et mox dolore compresso convalui. O theriacam inenarrabilem! o pigmentum ineffabile! o antidotum laudabile! o purgatorium, ut ita dicam, cœleste, quod medicorum vincit argutias, aromatum suavitates superat, unguentorumque omnium robora supercrescit! quod mundat ventrem ut agridium, pulmonem ut hyssopus, ipsumque caput purgat, ut peretrum. Etiam non solum membra debilia solidat, sed, quod his omnibus majus est, ipsas illas conscientiarum maculas abstergit ac levigat. Sufficiant ergo hæc huic libello quæ indita sunt. Tamen si adhuc miracula cernere meremur, placet ea alteri libello inseri, ut ea quæ ostenduntur, non occuli, sed magis voci-

ines, excepto Clar., qui cum Edit. habet

t omnes Mss., præter unicum Clarom.
n Editis, *Cabilonensis*, unde visum est
desig ari Cabillonum Burgundiæ urbem,
: *sur-Saône*, cum certissimum sit Gre
e Ca ellionensi, seu Cavellicensi, aut
rbe, vulgo *Cavaillon*, loqui, quæ urbs
si, nunc Avenionensi metropolitano
idem Veranus episcopus, quem infra Gregorius laudat, Cabellicensis, non Cabilonensis episcopus fuit, atque tunc temporis duæ istæ urbes Burgundiæ regno attributæ erant. Legesis Cointium ea de re disserentem, et confer ea quæ observavimus ad cap. 31 lib. VIII, et ad cap. 4 lib. IX Historiæ, ubi viri eruditi rationes auctoritate Codicum mss. confirmavimus.

[c] Sic Rom.; alii, *cum hæc audissem, delutum*. Bal., *delibutum*.

[d] Episcopus fuit Cabellicensis, ut mox dicebamus.

tas deberet prolabi. De cætero vero virorem ejus A lectus de sepulcro, ut in illo recurre depositus. Et vix illa prodiit ex tumulo, ecce jam omnem tempore vitæ et sanitatem a peccatis Dei misericordia existere. Numero meo privilegio ad memoriam.

Explicit liber primus.

LIBER QUARTUS.

Prologus.

1115 Sanctorum nos laudat Propheta almonia dicens: *Hymnum dicite nomini ejus* (Psal. CXLIX, 3). Nihil minus et in psalmo: *Quis habitabit in tabernaculo tuo, Domine, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* (Psal. XIV, 1) copulatur. Omnis autem qui intemerata vitæ via graditur, quia sanctus existit, quia immunes criminis. Verumetiam si levia crimina nobis subrepant, quibus sine quotidie peccare mur, non solum in præsenti sæculo multis beneficiis virtutum gratiam præstat et reformatum in cum sæpe videamus virtutum operibus præire, quæ sanctos decet, nisi immundi non possint eis conjungi et spiritalem impedire a quibus non discernimus, ut dum tenebris fluctuare, cujus et ipsam pernicitatem vitandam non dubitamus cognoscere, ut non mihi nobis mere infirmitatibus supplicia eternis interventu salvari. Quibus enim quid sint hi morborum cati, ita nos æternas tormentorum pœnas averruncet, et sicut hic mutant febres corporeas, il quam æternas; et quamvis **1116** nos undique lapsu vitæ sæculi maculati, ita illic delicto mutari suo interventu obtineat; ut sicut hic mortuorum cadavera ad vitam resuscitant, il sepultos, ex Achaiorum sanctis manu impia erutos vitæ munere restituant. Quocirca dum lætabitur in gaudio proprio sub patrocinio tuo impetrabis hominem reddi lætum, cum s infirmitate qua detinebatur ejus virtute munitum; sicut unde beatus totus orbi pecu Martino antistite et nos et innumeri populi sunt experti: et utinam ignavia mentis nostræ eum sic venerari, sicut decet amicum Dei, qui tantis nos morborum oppressos generibu restituit sanitati.

* Hæc sic Ms. Colb. Turonensis, cæteris a Colbertinis avulsis. Habetur tamen in eo hujus libri capitum

CAPUT PRIMUM.

De dolore ventris mei.

Nuperrimo autem tempore ventris dolorem incurri. Et licet non usquequaque daret solutionem, tamen doloris malum in nimis intraneorum flexuosis recessibus vagabatur. Adhibui, fateor, sæpius balneas atque res calidas **1117** super ipsas alvi torturas fluari faciebam, sed nihil mederi poterant infirmitati. Sexta etenim dies illuxerat, quod magis ac magis dolor invalescebat, cum mihi venit in memoriam, ante paucos annos, sicut in libro secundo hujus operis continetur scriptum (*Cap.* 1), me ab hoc dolore Sancti virtute fuisse sanatum. Accessi temerarius[a] ad locum sepulcri, projectusque solo orationem fudi, atque secretius a pendentibus velis unum sub vestimento injectum filum, crucis ab hoc signaculum in alvo depinxi: protinus dolore sedato, sanus abscessi.

CAPUT II.

De lingua et labiis meis.

Quodam vero tempore lingua mihi graviter irri-

[a] Editi duo: *Accessi haud temerarius.*

B cuerat, ita ut plerumque dum loqui v tire me faceret, quasi non mihi sine in Accessi autem ad tumulum Sancti, a cancelli limen impedimento erat: pr compresso convalui. Intumuerat enim tum palati impleverat antrum. Deinde tium labium mihi exsilire graviter c iterum quærere sospitatem ad tumul labio[b] a dependentibus velis, protinus si sus. Et credo mihi hæc ex abundan evenisse: non tamen sanguinem m propter Sancti virtutem. Nullam tam C molestiam fecit hæc causa.

CAPUT III.

De puero a febre sanato.

Denique puerulus parvulus gravab exesis membris, cum nullum acciperet erat ut spiritum exhalaret. Cucurrit cum lacrymis: cui ego indicavi ut, del licam, super eum nocte tota vigilaret. cisset, statim puerum sanum per vi Antistitis recepit.

[b] Sic Clar. Alii vero, *tactusque*, aut *tan*

CAPUT IV.

...acto, et cæca, et tribus energumenis.

...l festivitatem vero quæ mense quinto ...idveniens quidam, cujus digiti in pal... ...xerant, oratione facta digitis directis ...ulier vero cæca post octo annos, pro... ...oram Sancti sepulcro, illuminatis oculis, ... lo um suum. Tres tunc energumeni ...te mundati sunt.

CAPUT V.

De servo Theodulfi.

(*An.* 588), id est Childeberti regis 13, ad ...quæ de beato ejus transitu celebratur, ... Theodulfi civis Turonici, custos suillæ [a], ...cte circa gregem creditum excubaret, ne ...x eo aut bestia raperet, aut fraus furis ...ulis subita caligine interfusis, lumen per sex annos in cæcitate durans ad ...atem advenit ; post tertium vero diem, ...te illuminatus, a domino est dimissus

CAPUT VI.

...e multis infirmitatibus sanatis.

...que 14 regis supradicti (*An.* 589), adve...nitate Sancti, duodecim paralytici di...cæci illuminati, quinque energumeni ...unt. Adfuit huic festivitati et Aredius, ... urbis abba, cujus in superioribus libellis ...[b], per quem Dominus paralyticam unam, ...cto annos carrucæ superposita in atrio ...ssoris decubuerat, directis vestigiis, re...fam asserebat ipse vir Dei sensisse se Martini manum, cum infirmæ membra, ...gno crucis, tactu salutari palparet.' Adve...in hac festivitate et Florentianus **1119** Romulfo [c] palatii comite. Quibus non ...ratio fuit de gloria Confessoris, per quem ...lia nunc miracula dignatus est operari.

CAPUT VII.

De uva apud Galliciam.

...lorentiani majoris memoriam fecimus, ... didicerim nefas puto taceri. Tempore ...isa legationis Galliciam adiit, atque ad ...gis præsentiam accedens, negotia patefe...t. Erat enim eo tempore Miro rex in civi... qua decessor ejus basilicam sancti Mar...verat, sicut in libro primo hujus operis ...s [d]. Ante hujus ædis porticum, vitium ca...nsa per traduces, dependentibus uvis, ...vernabat. Sub hac enim erat semita, quæ

A ad sacræ ædis valvas peditem deducebat. Cumque rex sub hac præteriens orationis gratia hoc templum adiret, dixit suis : Cavete ne contingatis unum ex his botrionibus, ne forsitan offensam sancti Antistitis incurratis. Omnia enim quæ in hoc habentur atrio ipsi sacrata sunt. Hoc audiens unus puerorum, ait intra se : Utrum sint hæc huic Sancto sacrata an non, ignoro. Unum scio quod, deliberatio animi mei est ab his vesci. Et statim, injecta manu, caudam botrionis cœpit incidere, protinusque dextera ejus adhærens cameræ, arente lacerto, diriguit. Erat enim mimus regis, qui ei per verba jocularia lætitiam erat solitus excitare. Sed non eum adjuvit cachinnus aliquis, neque prætigium artis suæ ; sed cogente dolore, voces dare cœpit ac dicere : Succurrite viri B misero, subvenite oppresso, ferte levamen appenso [e], et sancti antistitis Martini virtutem pro me deprecamini, qui tali exitu crucior, tali plaga affligor, tali incisione disjungor. Egressus quoque rex, cum rem quæ acta fuerat didicisset, tanto furore contra puerum est accensus, ut ejus manus vellet abscidere, si a suis **1120** prohibitus non fuisset. Dicentibus tamen præterea famulis : Noli, o rex, judicio Dei tuam adjungere ultionem, ne forte injuriam quam minaris puero, in te retorqueas. Tunc ille compunctus corde, ingressus basilicam, prostratus coram sancto altari, cum lacrymis preces fudit ad Dominum : nec ante a pavimento surrexit, quam flumen oculorum hujus paginam delicti deleret. Quo a vinculo quo nexus fuerat absoluto, ac in basilicam ingresso, rex elevatur a solo, et sic recipiens incolumem famulum C palatium repetivit. Testabatur autem major præfatus hæc se ab ipsius regis relatione, sicut actum narravimus, cognovisse. Sic enim gloriosus Pontifex suam illustrat urbem miraculis, ut deesse non sentiatur alienis.

CAPUT VIII.

De basilica Sancti apud urbem Santonicam.

Præsenti vero anno, Palladius Santonicæ urbis episcopus, hujus sancti Confessoris reliquias petiit. Construxerat enim in ejus honorem basilicam, quam his pignoribus consecravit, meruitque ibi suscipere miracula quæ sæpius urbs propria habet experta. Nam post duorum aut trium mensium curricula, litteras ejus accepti, in quibus indicavit tres paralyticos D contractis pedibus advenisse ; qui statim ut in basilicam ingressi orationem fuderunt, directis vestigiis, sanitati sunt redditi. Duo cæci in eo loco lumen recipere facta oratione meruerunt, et amplius quam duodecim a febre frigoritica detenti, depulso tremore convaluerunt.

...t., Rom., Laud., Colb. et Clar., id est ...orum; alii Mss. duo, *villæ*. Editi vero, legitur *Temulpho palatii comite*. Cæterum Florentianus erat major domus regiæ, ut in Historiæ loco laudato habetur.

...ap. 39, et lib. III, cap. 24.

[d] In cap. scilicet 11, ubi Mironis pater, qui Suevis in Gallecia tunc imperabat, Charraricus appellatur

...nes Mss., et qui...em recte, ut patet ex ...toriæ cap. 3, ubi illi duo viri Turonos hoc accessisse dicuntur ad census exigendos. ...osa est editorum plerorumque lectio, ubi

[e] Codd. duo, *relevamini appenso*. Clar. cum Editis *relevate appensum*.

CAPUT IX.

De duobus dysentericis.

Duo de pueris nostris, clericus scilicet Dagobaldus, et laicus Theodorus, dysenteriam cum febre patiebantur; in tantumque lassati [*Gat.*, laxati] morbo erant, ut non aliter nisi manibus **1121** aliorum, cum digestionis necessitas advenisset, estrato sublevarentur. Sed de sepulcri pulvere hausto, statim convaluerunt.

CAPUT X.

De patenis quas Sanctus exhibuit.

Est apud nos patena colore sapphirino, quam dicitur Sanctus de Maximi imperatoris [a] thesauro detulisse, de qua super frigoriticos virtus sæpe procedit. Nam in accessu febrium quis positus, qui cum tremore fieri solet, si advenerit [b], et de ea aquam hauserit, mox sanatur. Est et apud Condatensem vicum, alia quoque patena a Sancto exhibita metallocrystallina [c], simile infirmis beneficium præbens, si fideliter expetatur. Bodillo unus de notariis nostris, cum stomachi lassitudine animo turbatus erat, ita ut nec scribere juxta consuetudinem [d] valeret nec excipere, et quæ ei dictabantur vix poterat recensere, tunc cum sæpius verbis increparetur, super hanc beati Viri patenam, quam nobiscum esse diximus, aquam fudit, ipsamque ore transponit. Mox sensui suo redditus, opus officii sagacius quam consueverat, expediebat.

CAPUT XI.

De Blidérico, cui filii non erant dati.

Sed quid mirum, si sensum adversitate turbatum reddat hominibus, qui sæpius sterilitatem in fecunditatem convertit? Blidericus [e] quidam, Carnoteni territorii civis, accepta uxore, ut dono Dei procreationis suæ prole ditaretur orabat; sed nihil [f] ex ea germinis merebatur accipere. Tricesimus etenim annus curriculum expedierat, uxore sterili permanente, **1122** cum vir saluberrime pro animæ commodo tractans, ait uxori: Ecce sæculum quo utimur præteriens est, et nulla inter nos soboles gignitur, quæ, nobis deficientibus, congestum laboris nostri debeat possidere. Accedam, inquit, ad basilicam A sancti Martini, et eam faciam hæreden liberis abnegatis, vel cum eodem quæ ha possideam in futuro. Consensit mulier s prudentis consilio. Nec mora, proceditur a Sancti, fusaque oratione invitat abbaten cum accedere. Quo accedente, tradidit possessionem suam, dicens: Sint hæc o sancti Martini ditionem quæ habere vid tantum exinde utar, ut de his dum vixer signatisque rebus coegit abbatem manere dictu! post triginta, ut diximus, annorum in ipsa qua res suas basilicæ tradidit no vit uxorem suam, quæ concipiens peperit et deinceps alios habuit. Quod non aml virtute Sancti præstitum huic viro fuis tamen non refragavit acceptis filiis pr B homo ille, sed eis alia loca tribuens, qu Sancto largitus fuerat confirmavit.

CAPUT XII.

De cæca apud Turnacensem villa

Apud Turnacensem [g] vero Cenomani villam, quæ nunc in ipsius sanctæ basilic retinetur, mulier quædam diuturna cæci et senio prægravata, ad oratorium villæ dens, dum stipem quæreret, ac assidue tini nomen invocaret, quadam nocte Do peruut oculi ejus a dolore compungi. Tu strata coram sancto altari, erumpente guine, lumen recepit. Verumtamen reliq C loco beatissimorum apostolorum, id Pauli, habentur: sed hæc asserebat vi Antistitis se fuisse sanatam. Verumtam stra retinet in multorum sanctorum virtu Dominum operari; et nec illos disjuncto quos cœlo pares, miraculis Dominus æq in terris.

CAPUT XIII.

De manu arida restituta.

Ad festivitatem vero illam, cui Aunac tissiodorensis urbis pontifex adfuit, quid aridam contractamque detulit, sed pos tium festivitatis, redintegratam domi rep

[a] Is scilicet, qui contra Valentinianum II, Juniorem dictum, rebellavit, quem sanctus Martinus Treviris, ubi regiam habebat, convenit. De qua re plura apud Severum Sulpicium.

[b] Sic Clar. At Vict., *positus, si cum tremore, ut fieri solet, advenerit.* Cæteri cum Edit., *qui cum... solet, advenerit*, etc.

[c] Editi, *holocrystallina.*

[d] Alii cum Edit., *consuetudinem, nec excipere quæ ei dictabantur poterat.*

[e] Editi cum Clar., *Bledericus.* Vict., *Belidericus.*

[f] Edit., *scilicet quia nihil.*

[g] Editi tres cum Clar., *Torancensem.* Clict., *Turonicensem.* Colb. tut., in indice capitum, *Tornacesim.* Omnes omnino Mss. habent *villam.* Sed hic, et sæpius alias, apud Gregorium, ubi Mss. habent *villam*, Editi *urbem* apposuerunt. Porro hic locus, uti conjicit Valesius in notitia Galliarum, vicus est, vulgo dictus *Tornes*, inter Lavarzinum et Carcerem castrum, situs trans D flumen Lidericum aut Lidum, in extremi rum finibus. Jure reprehendit Chiffl-tiu tasi Childerici, cap. 21, Joannem Co putavit Gregorium hic loqui de donatione facta ecclesiæ Tornacensi in Belgica s non minus ipse erravit substituendo quo enim pacto Turones in Cenomani locaret?

[h] Alii, *Annacharius.* Colb. et Vict., *Aun* legitur in Gestis episcoporum Antissiodor bense, tomo I Biblioth. Is laboravit ad tu niallum Pictaviensium sedandum, ut refe lib. IX Histor. cap. 41. Compluribus syno unamque cum suis presbyteris habuit Antis cano res exstant. Obiit anno 605, ut obser et sepultus est apud Sanctum Germanu prædecessoribus. Inter sanctos relatus, c Kal. Octobris.

CAPUT XIV.

De Baudegisilo debili.

silus quidam ex Andegavensis urbis ter-udulfi filius, vici Geinensis [a] incola, dum evi jaculo sauciatur, debilitatus occubuit. a patre paupere sine operis beneficio pa-it basilicæ sancti Martini limina osculare-em lacrymis obortis efflagitat. Qui nec avi positum, quia vehi altera evectione non ite pedes Sancti, id est, foris sepulcrum, otus exposuit. Qui per dies aliquot ora-is, et Sancti auxilium poscens, amota de-nitati restituitur, sicque cum genitore umis restitutus est.

CAPUT XV.

De homine qui ceram transmisit.

nsi [c] quoque territorio erat homo, Cœle-e, cui multa **1124** erant apum alvearia : cum examen egressum alta conscendens peteret, et ille sequens, nullum prorsus i obtineret effectum, prostratus solo sancti vocat nomen dicens : Si virtus tua, bea-onfessor, hoc examen retinere voluerit, tioni meæ reddiderit, quæ in posterum ex ta fuerint. mel usibus meis sumam, ceram minaria basilicæ tuæ cum omni soliditate Hæc effatus, cum adhuc terræ decumberet, men apum super unam arbusculam, quæ proxima, decidit et insedit, collectumque re reconditum domi detulit : de quo infra res annos multa congregavit. Ex quibus amplius quam ducentas ceræ libras aggre-eret, rumor hostilitatis obortus est. At ille suum perire cerneret, ceram fossa humo face quoque reddita, diaconum nostrum, teret, accersivit. Erat tunc cum eo puer, n gravissimum perferebat dolorem. Qui d virum, et cognoscens ab ore ejus quæ int, ceram quæ in terra latebat detegi ju-vero qui dolorem, quem diximus, patie-epto sarculo ut terram foderet, ait : Si tu es, sancte Martine, ad hoc munus hominis ciendum, contingat virtus tua renes meos, salus cum hanc detexero ceram. Cumque et sarculo terram, sonuit ossiculum renum tim omnis dolor ablatus est ; sicque in-um hac cera beatæ basilicæ præsentatus est.

CAPUT XVI.

De absolutione vincti.

quidam urbis Turonicæ judici culpabilis exstitit, quem in vincula compactum custodiri præcepit. **1125** Advenientibus autem diebus sanctis dominicæ resurrectionis, jussit eum judex in ulterius Ligeris fluvii littus in alia retrudi custodia. Ducebatur ergo non solum catenis colla revinctus, verum etiam post tergum manibus colligatis : cumque ad ripam nominati amnis advenissent, et navigium quo transire deberent præstolarentur, atque ille sancti Martini auxilium incessabiliter flagitaret, visum est repente custodibus, quasi ab aliquo capite verberati fuissent. Protinusque in terram ruunt, ac catenæ quæ vinctum tenebant hominem confractæ sunt, laxatæ vero corrigiæ de manibus solvuntur. Ipse autem liberum se sentiens, decumbentibus adhuc solo hominibus, secessit ab eis, et sanctæ ecclesiæ limen ingressus est, sicque a judice relaxatur. Ferebant enim nonnulli his diebus et apud Pictavensem urbem vinctos ab ergastulo carcerali fuisse resolutos. Quod ambigi non potest, quia unius Confessoris [d] virtus utramque urbem sacris potuit illustrare miraculis.

CAPUT XVII.

De puero cæco.

Puerulus parvulus, nomine Leudovaldus [e], servus cujusdam Baudeleifi, de vico Andegavensi, cui Crovio [f] antiquitas nomen indidit ; postquam renatus ex aqua et Spiritu sancto cum reliquis infantibus ludum in platea exercens, ut ætas illa patitur, huc illucque discurreret, subito commotus cum impetu ventus, et pulverem elevans, oculos infantis implevit. Qui cum a cæcitate percussus doloribus cruciaretur, apparuit aviæ ejus vir quidam per somnium, taliter eam instruens : Vade, inquit, ad basilicam sancti Martini, et recipiet visum puer iste. Nec morata mulier, fide plena venit ad festivitatem beati Viri, recepitque illuminatum virtute Pontificis nepotem suum.

CAPUT XVIII.

De puella cæca.

1126 Hujus etenim urbis territorii puella, Viliogundis [g] vocabulo, simili conditione cæcatur. Dum enim cum reliquis puellulis per stratas villæ ludum exercendo discurreret, venti violentia pulvis elevatus opplevit oculos ejus. Quæ statim doloribus vexata, petiit parentes suos, ut eam ad basilicam sancti Martini deducerent. Quo facto, protinus ut orationem pro ea fuderunt, illuminata est. Nobis quoque egredientibus de sanctis missarum solemniis occurrerunt simul præfatus puer atque puella, dicentes se ipsa hora lumen virtute beati Antistitis recepisse. Quod nobis magnum præstitit gaudium credentibus, quod nos virtus beati Confessoris visitare dignata sit.

b. et Laud. At Bell. et Car. habent *Geniensis ensis*.

orum limina osculandi mos est a primis eculis receptus in Oriente et Occidente. Vide ium, homil. 30 in II ad Corinth. ; Prudentium de sancto Laurentio ; sanctum Paulin. in ncti Felicis ; Fortunat. lib. IV de Vita sancti c.

r. Alii autem, *Ausciensi*. Bign., *Ansciensi*. Hic cul Aslacum designatur, vulgo *Asay*, cujus nominis complures sunt vici in Turonibus, uti observat Valesius in notitia Galliarum.

[d] Sic Gat. Plerique alii Mss., *quia utriusque Confessoris*. Cæteri cum Editis, *quia Confessoris*.

[e] Colb. tut. et Clar., *Leodowaldus*. Editi, *Leodonaldus*.

[f] Sic omnes Mss. Editi vero, *Cronio*. Vide infra, cap. 23, et, supra, notas in lib. II cap. 43.

[g] Gat., *Juliogundis*. Edit., *Vigiogundis* ; et infra, *stratas urbis*.

CAPUT XIX.

De contracto et cæco.

Litoveus [a] autem quidam, ex infantia sua membris debilis, accedente febre cæcatus est : sed ad superiorem veniens festivitatem, directis membris, lumine tamen adhuc dempto discessit Sed cum ad hanc iterum regressus fuisset solemnitatem, exemptis tenebris, lumen ei clarum exoritur [b].

CAPUT XX.

Item de alio cæco.

In hac etiam festivitate et Leudardus [c], servus Emnerii Namneticæ urbis diaconi, cum per sex annos cæcitatis fuisset catena constrictus, ad basilicam accedens, virtute beati Confessoris illuminatus est. Per visionem enim somnii admonitus fuerat ut hujus sancti auxilia flagitaret Antistitis.

CAPUT XXI.

De eulogiis quas Motharius civis Turonicus sustulit.

1127 Quidam de civibus Turonicis, dum ad regis properaret occursum, vas cum vino, unumque panem ad sepulcrum una mansurum nocte deposuit, ut scilicet in itinere positus hoc haberet salutis præsidium. Quibus exinde assumptis, iter carpere cœpit. Factum est autem ut metatum requirens, hominis cujusdam ingrederetur hospitium, depositisque sarcinis, mulier quæ habebat spiritum immundum, beati Martini adventum vocibus immensis annuntiare cœpit, et dicere : Quid nos persequeris, Sancte? quid nos crucias, serve Dei? Tunc hospes ille qui venerat, accepto calice, paululumque vini de illo vase auferens, frustum benedicti panis [d] effractum posuit in eo. Quod ubi mulier illa quæ debacchabatur accepit, mox, cum sanguine ejecto dæmonio, salvata est. Alia in eodem loco mulier quæ diu a frigore [*Al.*, a frigoribus] febrium ægrotabat, accepto ab hac benedictione modico, mox ut sumpsit, sanata est.

CAPUT XXII.

De contracto directo.

Silluvius [e] incola Bajocassinus cum in rure positus operaretur quiddam, commoto vento, pavore perculsus, tremere cœpit, ac membris omnibus destitui, vociferari etiam, et sibi mortem imminere testabatur. Interea concurrentibus vicinis ad spectaculum tale [f], ipse inter voces et ululatus, contractis nervis, debilitatur ad integrum ; et non solum ei usus aurium denegatur, verumetiam et ipso lumine caruit occulorum. Post quindecim vero annos dum in hac infelicitate degeret, ad festivitatem sancti Martini adveniens, solidatis membris, oculisque receptis, abscessit.

CAPUT XXIII.

De cæca ac debili sanatis.

1128 Nec dissimili virtute mulier Ern Andecavensis civis, vici incola Croviens tracta ac cæca, in hac festivitate directa, i taque discessit. Sed et Charimundus, ex Bri debilis veniens, virtute beati Antistitis redi est.

CAPUT XXIV.

De plurimis cæcis energumenisque sana

In hujus etiam solemnitatis die virtutem cooperante Christi gratia, persenserunt. N demundus cæcus post septem annos ad præfati Antistitis veniens, visum recepit. E super alii cæci [i] in hac festivitate visum beati Antistitis receperunt, et energumeni mundati sunt.

CAPUT XXV.

De puella a febre sanata.

Leonis presbyteri nostri vernacula, cum lam urbi proximam parentalibus ulnis depo cessisset, vi febris opprimitur, et die ac noc commota in mortis discrimine cernitur. Q dens presbyter exanimari violentia morb ascenso equite [*Ed.*, equo], ad basilicar Confessoris accessit, pulsansque ostium cel qua adituus quiescebat, virum suscitare Cumque basilicam sanctam ingredi non val ram absida sepulcri fudit orationem co parumper de pulvere terreno, quod secum nus evexit, eumque dilutum, ut puellulæ a dum protulit, protinus febris abscessit.

CAPUT XXVI.

De carcerariis absolutis.

1129 Fuerat nobis causa quædam Ch regis adire præsentiam. Pergentibus quoq iter per pagum Rhemensem aggressi sumus musque hominem quemdam qui nobis relatu tefactum carcerem hujus urbis, in quo inter vinctos hujus famulus tenebatur, Martin fuisse dicebat; vinctosque ab ergastulo abso berosque abscessisse narravit. Erat enim h carcer ita tectus, ut super struem tignorum lidi superpositi pulpitarentur [j], ac desuper, dem opprimerent, insignes fuerant lapides Nihilominus et ostium carceris sera ferro m ducto clave pessulo obserabatur : sed virtu tis, ut ipse relator asseruit lapides dimovit pulpita, catenas confregit, et trabem quæ v coarctabat pedes, aperuit, ac nec reserato os

[a] Editi cum Clar., *Litoneus.*
[b] Mss. aliquot, *lumini datus exoritur.*
[c] Editi, *Lendaidus servus Emneri.* Colb. et Clar., *Eumerii.*
[d] Vict., *crustam... effractam*; alii, *frusta... effracta...*
[e] Gat., *Sillimius.* Clar., *Hicluvius.* Editi, *Simillimius.*
[f] Ed., *spectaculum, per iter ipse.*
[g] Bign., *Eroniensis.* Alii, *Croniensis.* Vide supra cap. 17.
[h] Varie in variis Codd. scribitur. Sic Laud. at Bell. et Clar., *Bricillonno.* Vict., *Briciola Bricilomno.* S. B., *Brisciconno.* Denique Editi, *mo*, vel *Briscillami.*
[i] Laud., Bell., Clar. et Colb. habent: *Leo cæcus post septem annos, Domnula post tri insuper alii cæci in hac,* etc.
[j] Alii, *asseres validi... palpitarent.* Nost melior ; pulpitum quippe est tecti fastigium.

nes per aera sublevatos, foris tecto patente produxit, dicens: Ego sum Martinus miles Christi, absolutor vester. Abscedite cum pace, et abite securi. Sed cum nos ad regem accedentes, virtutis hujus diffamaremus miraculum, affirmavit rex quosdam ex his qui absoluti fuerant ad se venisse, atque compositionem fisco debitam, quam illi fredum [a] vocant, a se fuisse reis indultam. Hoc autem factum est ante quatuor festivitatis dies (*An.* 591), in memorati regis anno 16.

CAPUT XXVII.

De servo Nonnichii episcopi a debilitate sanato.

Adveniente autem festo beati Martini, Nonnichius [b] Nampeticorum **1130** pontifex ad basilicam Sancti advenit, exhibens secum puerum membris dissolutum, nomine Baudegisillum. Celebratis igitur solemniis Sancti, hunc artubus restitutis, secum reduxit incolumem.

CAPUT XXVIII.

De Claudii regalis cancellarii febre.

Nobis quoque cum rege morantibus, Claudius quidam ex cancellariis regalibus [c] a febre corripitur. Cumque cibum potumque nimia oppressus febre exhorruisset, nobis quæ patiebatur questus est, diluitumque pulverem, quem de Sancti ac Beati sepulcro pro salvatione levavimus, ut hausit, mox, compressa febre, sanatus est.

CAPUT XXIX.

De eo quod Agnes Pictaviensis abbatissa de nauta quodam retulit.

Venerabilis vero Agnes, Pictavarum sanctimonialium abbatissa [d], relatam sibi ab ipso cui contigit, Treverico scilicet negotiatore, rem miraculi provenisse, sic retulit: Dum, inquit, Mettis accessissem, interrogavit me quidam negotiator unde venirem. Dixi: De Pictavis. Dixit mihi si aliquando ad basilicam beati Martini Turonis occurrissem. Dixi quod quomodo in Austria [e] ambulaverem, sic ibi me præsentassem. Dixit mihi quale beneficium domni Martini senserat. Dum enim Mettis salem negotiasset, et ad pontem Mettis [f] applicuisset, dixit: Domne Martine, me et puericellos quos habeo, et naviculam meam tibi commendo. Inter hæc recubantes in navi, omnes obdormivimus. **1131** Mane excitans me cum puericellis, quos mecum habebam, invenimus nos ante portam Trevericam, nescientes quomodo venisemus, qui nos adhuc Mettis credebamus consistere; qua ratione aut navigatum est, aut volatum; sola commendatione beati Martini, nec fluvium sensissemus, et Mosellæ tunc sævientis [*Al.*, tumescentis] undas naufragas evitassemus: et, quod satis est mirabile, quomodo inter saxa nocturno tempore præteriissemus incolumes, non nauta vigilante, non vento flante, non remo ducente.

CAPUT XXX.

De virtutibus Lococ iacensis monasterii.

Tempore post habito, cum usque Pictavam accessissemus urbem, libuit gratia tantum orationis monasterium Locociagense [g] adire, quo congregatam monachorum catervam locaverat Vir beatus. Ibi enim mortuum primum suscitasse legitur [h], et ex illo ad episcopatum ductus scribitur. Ergo desideratum ego expetens locum, prosternor ad cancellos anguli, in quo dicitur defuncti spiritum reduxisse. Post effusas vero cum oratione lacrymas, ac celebratas solemniter missas, percunctor abbatem, si aliquod ibi Dominus miraculum ostendisset. Asseruitque ille coram qui aderant fratribus, plerumque ibi illuminari cæcos, ac debiles redintegrari. Quid tamen nuper sit gestum, inquit, tibi, domne, quia sollicite inquiris, evolvam. Mulier quædam vicina loci hujus, paralysis humore perculsa, officium membrorum omnium usquequaque perdiderat. Quæ carrucæ imposita, a bobus trahentibus ferebatur, circuiens domos divitum, ut inopiæ [i] suæ expleret necessitatem. Ergo dum delata ad hunc locum pavimento prosternitur, lento conamine accedens, velum quod sanctum tegebat cancellum devote osculatur, dicens: Hic te, beate Confessor, adesse credo, hic te mortuum suscitasse testificor. Confido enim quod si volueris, poteris me salvare, ac sanitati restituere, sicut quondam, disruptis inferni **1132** faucibus, defuncti animam reduxisti. Hæc effata, genas lacrymis rigabat ubertim: ac statim, impleta oratione, quidquid aridum, quidquid contractum, quidquid dissolutum fuit, redintegratum est mulieri in corpore a beati Antistitis virtute. Simili sorte et alius paralyticus ad hoc accedens monasterium, ut velum ipsius cancelli attigit, amota omni debilitate, sanus abscessit. Distat autem ab urbe Pictava quasi stadiis quadraginta.

[a] Mss. plerique, *fretum*. Hujus autem vocis significatio satis hic exponitur, quam a voce Germanica *frid*, quæ pacem sonat, derivatam volunt. Vide Bignonium, in lib. I Marculfi form. 3. Freda autem, ex veteri Glossario, *est operculum ligneum quod retro altare fit super corpora sanctorum*. De utraque voce vide Cangii Glossarium.

[b] Editi, *Monnichius*. Vide lib. VIII Hist. cap. 43.

[c] In Bell., *cancellariis nostris regalibus*, et in titulo capitis deest vox *regalis*. Porro cancellarii minoris momenti diplomata scribebant subsignabantque: de quorum nomine et officiis vide Gotofredum in Cod. Theodos. lib. I tit. 12, et Mabillon. de Re diplomat. lib. II, cap. 11. Certe vel ex hoc Gregorii loco patet tunc complures fuisse cancellarios, unde postea inventum est archicancellarii nomen, quam dignitatem hucusque archiep scopus diu obtinuit in Francia, ut postea in imperio tres archiepiscopi electores.

[d] Prima fuit monasterii sanctæ Crucis abbatissa, ipsa sancta Radegunde procurante instituta, quam Fortunatus lib. XI pluribus celebravit, de qua et agit lib. VIII carm. 4.

[e] Cod. Colb.: *Dixi quod cum in Neustria ambularem, sic ibi me præsentassem*. Editi: *Quod dum in Austria... urbi me*, etc. Infra, *et puerulos meos... cum puerulis*.

[f] Rom., *pontem Mortis*. Et quidem apud Mettas hodieque pons *Mortis* dictus habetur.

[g] Mss. plerique, in capitum indice, *Locodiacense*, hic *Locoviciagense*, vulgo *Ligugé*, de quo in notis ad lib. I Histor. cap. ultimo.

[h] Nempe in Vita ejus per Severum Sulpicium, ubi et ejus electio, seu potius raptus ad episcopatum describitur. Quæ omnia Fortunatus libro I de ejusdem sancti Viri vita versibus expressit.

[i] Bal., *domos diurna stipe, inopiæ*.

CAPUT XXXI.

De fonte quem oratione Sanctus ut oriretur obtinuit.

Exinde egressi, Santonicum territorium ingressi sumus. Cumque in quodam convivio de beati Martini virtutibus fabularemur, hæc mihi unus ex civibus, affirmantibus aliis vera esse, fideliter retulit. Nejogilalo villa est in hoc territorio sita, ad quam cum sanctus Martinus adhuc superstes in corpore adiret, obviam habuit virum exhibentem aquam cum vasculo. Erat enim puteus ille, de quo hanc exhibebat, situs in valle quasi mille passus a villa, et ex eo jugiter hauriam deferebant aquam. Tunc ait Vir Dei homini aquam ferenti : Quæso, dilectissime, contine manum tuam, et huic asello cui sedeo, paululum aquæ ad bibendum indulge. Qui ait : Si necessarium duci animal tuum adaquare, accede ad puteum, et hauriens dabis ei. Nam ego quod cum labore detuli non præbebo; et hæc dicens præteriit. Quo discedente venit protinus mulier, et ipsa deferens aquam in urnam [*Mss.*, in ulna]; dixitque ei similiter Vir Dei. Quæ illico ei, ac si Rebecca quondam audiens nuntium Dei (*Gen.* XXIV) : Et tibi præbeo, ait, et asino tuo potum; nec mihi labor est ut iterum hauriam. Tantum voluntas tua fiat, qui iter pergens necessitatem pateris. Et deposito de ulnis vasculo dedit asino illius bibere. Quo facto, iterum hausta aqua, impletoque vasculo revertebatur ad villam. Quam prosequens Sanctus ait : Reddam tibi pro mercede beneficium, quia adaquasti asinum meum. Et positis genibus **1133** in terra oravit ad Dominum, ut in loco illo fontis ostenderet venam. Ac statim consummata oratione, disrupta terra fontem immensum populis admirantibus patefecit. Qui usque hodie beneficium præbet hominibus commanentibus in agro illo. In illius enim fontis ore est lapis in testimonium, qui vestigium retinet ascelli hujus super quem sanctus sedit Antistes.

CAPUT XXXII.

De incendio urbis Pictavæ.

Nec illud silendum puto, quod illo tempore cum Plato [a] episcopatum Pictavæ urbis adeptus est, virtus Sancti fuit ostensa. Domus adjuncta ecclesiasticæ domui incendio maximo cremabatur, ac scintillæ cum carbonibus super domum ecclesiæ, impellente vento, cadebant. Sed ille de pulvere beati sepulcri secum habens, elevato chrismario [b] contra ignem, exortus subito ventus vento illi contrarius, flammas a tecto ecclesiastico defendens, aliam repulit in partem, et sic domus ecclesiæ liberata est.

CAPUT XXXIII.

De puero a febre sanato.

Cum autem puer ejus in valetudine acerbissima febre exustus jaceret in lectulo, et jam quasi exanimis haberetur; ut de hoc pulvere dilato potavit infirmo, protinus fugata febre puer convaluit de labore. Sed ad basilicam Sancti redeamus.

CAPUT XXXIV.

De Leodulfo amente et debili.

Cum autem ante hos annos terræ motus magnus terram concuteret, cunctaque valde moverentur, quasi **1134** in uno momento rasura, Leodulfus [c] quidam ab eo vehementer excussus, non solum sensu mulctatur, sed etiam omnibus membris debilis est effectus. Qui veniens ad basilicam Sancti Turonensis, et orationi paucis diebus incumbens, et voci redditur et sensui, et membris omnibus quasi redivivus sospes est redditus.

CAPUT XXXV.

De homine innocente per calumniam accusato, et liberato.

Nec illud prætermittendum puto, quod innocenter homo accusatus per calumnias malorum, adducebatur ad urbem vinctus loro, ut traderetur ergastulo. Cumque ante basilicam sancti Petri apostoli in publicum adductus aggerem devenisset, solutæ sunt manus ejus, dixitque custodibus : In hoc apparet me a culpa quam dicitis esse immunem, cum meæ manus divinitus sunt solutæ. Tunc illi indignantes arctius eum revinxerunt, et insuper adhuc alio loro ligamini adjecto, ut ita dicam, vincula ipsa vinxerunt. Contigit autem eo tempore, ut nos de basilica sancti Martini per plateam veniremus. Hi autem cum nobis in obviam venientes appropinquarent, ut primum basilicam Sancti homo vinctus aspexit, statim solutæ sunt manus ejus : exiliensque de caballo in quo sedebat, pedes nostros arripuit, exponens se injuste damnari. Sicque nobis cum judice colloquentibus, absque fatigatione discessit.

CAPUT XXXVI.

De muliere obmutescente sanata.

Conjux Serenati hominis nostri, cum de cultura, viro præmisso rediret, subito inter manus dilapsa comitantium terræ corruit, ligataque **1135** lingua, nullum verbum ex ore potens proferre, obmutuit. Interea accedentibus ariolis, ac dicentibus eam meridiani dæmonii [d] incursum pati, ligamina herbarum

[a] Sic Mss. omnes. Factus est episcopus anno 592 ex Gregorii nostri discipulo, qui illi ecclesiam suam ingredienti adfuit, ut versibus canit Fortunatus libro V, c. 20. Huic anno 589 defuncto successit ipse Fortunatus. Placidum tamen Platoni quidam substituunt, sed male, ut observat Cointius. Imo Placidum a Platone aliquo non fuisse ex hoc ipso quem tractamus Gregorii loco probatur, cum hic Editi pro *Plato* habeant *Placidus*, nec aliunde ut fatentur Sammarthani Placidus ille notus sit. Platonem archidiaconum suum laudat Gregorius lib. V Hist. cap. 50, ab isto, ut reor, non distinguendum.

[b] Chrismarium vas erat ad sanctum chrisma recipiendum, quo tamen nomine etiam vasa ad sanctas reliquias includendas medii ævi auctores donaverunt, ut Fortunatus in Vita sancti Germani Paris. episc.; Eddius in Vita sancti Wilfridi, etc. Chrismale autem vas erat in quo corpus Christi asservabatur, et quidem Glaber Rodulfus *chrismale* idem esse ac *corporale* dicit.

[c] In Mss. nonnullis, *Leudulfus*; unde Editi, *Leudulfus*.

[d] De hoc in passione sancti Symphoriani inter Acta martyrum sincera, pag. 72, ubi dicitur : « Dianam dæmonium esse meridianum, sanctorum investigavit industria. » Vide Vitam sancti Rustici Lugdunensis, sæc. 2 Act. sanctorum ord. sancti Benedicti, ubi ad num. 27, ex hoc Gregorii loco et aliis sanctorum vitis Mabillonius observat, dæmonium meridianum, seu ejus incursum,

atque incantationum verba proferebant; sed nil medicaminis juxta morem conferre poterant peritiæ. Cumque familia mixto ululatu perstreperet, filius ejus ad neptem nostram Eusteniam [a] anhelus accurrit, nuntians matrem suam extremæ vitæ terminum attigisse. Quæ adveniens ad ægrotam, eamque visitans, amotisque ligaminibus quæ stulti indiderant, oleum beati sepulcri ori ejus infudit, ceraque sofivit [b]. Mox sermone reddito, nequitiæ dolo dirempto, ægra convaluit.

CAPUT XXXVII.

De frigoriticis sanatis.

Tempore autem quo post obitum gloriosissimi regis Guntchramni Childebertus rex Aurelianensium urbem adivit (*An.* 593), puerorum unus aulicorum graviter a typo tertiano, accedentibus discedentibusque febribus, tremore superveniente quatiebatur. Id cum nobis fuisset questus, de pulvere sancti sepulcri potum ei porreximus: quem hauriens, compresso tremore convaluit. In sequenti vero nocte cum dies ille, quo frangi [c] consueverat, advenisset, vidit per visum advenientem personam terrificam, dicentemque sibi : Ecce jam tempus tui tremoris advenit, quid dissimulas? Age quod consuevisti. Hæc eo dicente, advenit vir quidam vultu splendidus, cæsarie niveus, aspectu decorus, dicens ei : Ne tremueris, sed facito super frontem tuam signum venerandæ crucis, statimque sanaberis. In hac visione expergefactus, munitusque hoc signaculo quo fuerat jussus, nunquam ulterius quæ pati soleret passus est. Ab hoc typo reginæ puella fatigata, potu hujus sancti medicaminis **1136** sumpto, sanata est.

CAPUT XXXVIII.

De cæcis, energumenis et paralyticis.

Non post multos dies, cum solemnitatis sanctæ dies annuus recurrisset, nos a rege regressi, festivitati ejus adfuimus, in qua quatuor cæci lumine recepto regressi sunt, duo energumeni mundati, duo paralytici contracti, restitutis gressibus, incolumes redierunt.

CAPUT XXXIX.

De carceratis laxatis.

Post paucos vero dies cum culpabiles quosdam urbis Turonicæ, judicis sententia carcerali ergastulo conclusisset, lamentantibus vinctis, virtus beati Confessoris apparuit, quæ diruptis vinculis compeditorum, liberos in basilicam abire permisit. Sicque et hi a judice relaxati, ad propria recesserunt.

CAPUT XL.

De Maurano muto.

Quidam [d] in regione Cantabriæ, Mauranus nomine, mane a lectulo consurgens, dum de domo egreditur, visum est ei quasi an aliquo percussus fuerit in cervicem. Qui protinus ruens in terram, factus est tanquam mortuus, ac per triduum solo spiritu vivens, tanquam mortuus putabatur. Quarta autem die apertis oculis nihil poterat loqui. Ablata enim ei fuerat fandi facultas. Auditis autem beati Martini miraculis, unum trianticm nautis porrexit, innuens cum supplicatione ut eum ad beati Antistitis templum deferrent. Quibus abeuntibus, ille ad domum suam reversus, vidit **1137** ante pedes suos aureum in similitudinem triantis. Quo assumpto, pensatoque, unius solidi appensus est pondere. Quod ille cernens, dixit intra se : Reddidit mihi virtus beati Martini meritum pro fenore quod ejus templo direxi. Et accensus desiderio voluit in unam atque aliam navim conscendere, sed a parentibus est retentus. Reperta autem tertia navi, retineri penitus non potuit. Qua ascensa, cum impellente vento altum mare ingressi fuissent, os ejus virtus sancti Antistitis reseravit. Qui extensis ad cœlum manibus locutus est, dicens : Gratias tibi ago, omnipotens Deus, qui me hoc iter sulcare jussisti. Jam enim priusquam templum Sancti tui videam, ejus refertus sum beneficiis. Quibus navigantibus Burdegalæ urbi appulsi sunt : egressusque hinc de navi, ad basilicam sancti Dei accedens, ac votum suum exsolvens, quæ scripsimus, ab ipsius ore relata cognovimus.

CAPUT XLI [*Al.*, XL].

De contracto et vinculatis liberatis.

Alia vero festivitate adveniente, quæ in hieme celebratur, Maurellus quidam ex domo Ponticonensi (*Pontion*), servus Agini ducis, qui mense Martio per incursionem nescio quam unius popliti perdiderat usum, et gressum figere non valens, adhibito sibi ad geniculum fuste, ut mos est claudorum, adfuit. Is cum per triduum orationem fudisset ad Dominum, quarta die quæ est in crastinum de festivitate, gemu directo sanus abscessit. Post paucos autem dies homines, qui carceris vinculis tenebantur, divinitus absoluti, Sancti basilicam sunt ingressi, et per judicem immunes a damno laxati sunt.

CAPUT XLII [*Al.*, XLI].

De alio contracto.

Puer quidam pedibus manibusque contractus, de villa Themello in pago Turonicæ urbis, vici Ambiencensis [e], adveniens ad basilicam Sancti, dum inter reliquos petentes postularet victus stipem, visitatus a Sancti virtute directus abscessit.

CAPUT XLIII [*Al.*, XLII].

De pueris febricitantibus sanatis.

1138 Alius quoque puerulus Euthymi [*Cat.*, Euchenii] presbyteri nostri, cum in valetudinem febris

---

apud veteres appellari subitam et apertam morbi violenti incursionem, qua quis repente sensuum aut mentis facultate privatus videbatur. Sic autem appellabatur, quod crederetur a dæmone imprimi, et quod summo die contingere soleret. De hoc et cardinalis Bona de divina Psalmodia, cap. 3, § 3.

[a] Cod. Gat., *Extenian*. Clar., *Eustenam*.

[b] Id est, *suffivit*, ut habet Cod. Clar.

[c] Id est dies quo febris intermittitur. Vide lib. de Gloria confess. cap. 21.

[d] Hic omnes Mss. cæpit quadragesimum incipiunt, quos secuti fuimus, licet in Editis quæ sequuntur ad caput sequens habeantur sub capite trigesimo nono. Cantabriam hodie appellamus *la Biscaye*, quæ Hispaniæ provincia est inter Navarram, Castellam veterem et mare sita.

[e] SB., *Ambaciensis* (*Amboise*), de quo jam non semel diximus.

nimiæ incidisset, ac exanimari ab eadem putaretur, A de pulvere sancti sepulcri presbyter levans, ac fimbrias pallæ superpositæ disrumpens secum detulit, pulveremque puero hauriendum dedit, fimbrias vero collo ejus alligavit. Mox febre restincta sanatus est. Non dispari modo et Ulfaricus presbyter alteri puero febricitanti studium adhibens subvenit, et ille protinus per virtutem Sancti febre carens convaluit.

CAPUT XLIV [*Al.*, XLIII].

De Principio amente.

Principius [a] quidam vir bonus, Petrocoricæ [b] urbis civis, amentiam nescio quam incurrisse putabatur, et tam graviter agebatur interdum, ut de sensu videretur excidere. Quod cum multis mensibus perferret, beati Antistitis basilicam expetivit; ibique, ut arbitror, quatuor residens menses, abstinens se a cibo carnium ac vino, adjutus Confessoris beati præsidio, incolumis domui suæ restitutus est.

CAPUT XLV [*Al.*, XLIV].

De Leodulfo cæco sanato.

Et quia rusticitas hominum, dum parum prædicationem sacerdotalem sequitur, ipsa se præparat ad Dei offensam, quod nuper gestum fuit edicam. Leodulfus quidam, Biturigæ urbis homo, cum fenum secuisset, metuens ne adventu pluviæ venientis infunderetur et laborem suum perderet, die Dominico mane junctis bobus ad pratum diu exit, ac super plaustrum fenum agglomerare cœpit : statimque pes ejus unus quasi ardens ei visus est, regressusque ad hospitium suum, quievit ab opere. Post missarum vero C solemnia celebrata, **1139** iterum junctis bobus opus cœptum pergit explere : completumque cum esset plaustrum feno, statim oculi ejus quasi a quibusdam aculeis puncti, dolorem maximum intulerunt. Quibus conclusis nunquam deinceps eos aperire potuit. Sicque per annum integrum in cæcitate permanens, ad festivitatem sancti Antistitis devotus advenit : cujus post diem tertiam, beneficio lucis quam perdiderat restauratus est.

CAPUT XLVI [*Al.*, XLV].

De duobus aliis contractis.

Eo [c] tempore, et alius contractus adveniens, virtute Sancti directus, propriis gressibus ad urbem suam regressus est. Advenerat quidam ex Britannia, nomine Paternianus, qui cæcus, mutus, ac surdus, et manibus contractus per quoddam contagium fuerat, et confectis omnibus membris a morbo, soli tantum pedes præbebant homini sustentaculum. Patroni præpotentis hic expetiit basilicam, orationem fudit, apertis oculis lucem perditam aspexit, manus ad usum pristinum recepit, et se salvatum beati Antistitis virtute demirans, sospitatis **1140** suæ gratiam populis declaravit. Ob hujus miraculi gratiam a multis munera capit, de quibus jam nonnullos a jugo captivitatis exemit.

CAPUT XLVII [*Al.*, XLVI].

De incendio ope ejus extincto.

Præsenti quoque tempore, apud Burdegalensem urbem domus una ignibus comprehensa vehementer cœpit exuri. Cumque flammis hinc et inde spatiantibus aliæ domus huic discrimini subjacerent, nec esset dubium easdem hujus fomitis calore depasci, congregatus in circuitu populus nomen beati Martini cœpit attentius invocare, et ne vicinas domos virtus ejus exuri permitteret, cum lacrymis deprecari : sicque ad elevatam vocem deflentium cœpit crepitus flammæ decidere. Atque illis clamantibus ad cœlum, advenit subito, Antistite impartiente, præsidium; collisumque supplici oratione incendium, restinxit plebs per lacrymas quod nequiverat superare per undas. Eo tempore puer noster Laudovaldus [d] cum graviter a dysenteria fatigaretur, ut de pulvere sepulcri accepit, protinus morbo caruit.

[a] Editi cum Gat., *Præcipuus.*

[b] Petrocorii, vulgo *Périgueux*, urbs Galliæ Aquitanicæ, ad Illam (*Lille*) fluvium.

[c] Capitula duo sequentia in veteribus Mss. non occurrunt in indice libris præfixo, et tamen habentur integra in Codice suo loco

[d] Colb., Clar., Rom. et Bell., *Launovaldus.*

Explicit liber quartus de virtutibus et miraculis sancti Martini confessoris.

In Codice ms. sancti Victoris Parisiensis, qui Gregorii libros de Miraculis sancti Martini complectitur et aliquot capitula libri de Gloria confessorum, habentur prosa *uti illic appellatur et oratio in sancti Martini honorem, quæ opuscula conjectationem et collectionem potius esse crediderim, ex vetustis Missalibus excerpta. Ea vero huc referre visum est, quod nonnullis fortasse videbuntur talia quæ possint inter Gregorii nostri opera locum habere.*

PROSA DE SANCTO MARTINO.

Sacerdotem Christi Martinum cuncta per orbem D canat Ecclesia pacis catholica, atque illius nomen omnis hæreticus fugiat pavidus. Pannonia lætetur genitrix talis filii, Italia exsultet altrix tanti juvenis, et Galliæ trina divisio sacro certet litigio cujus esse debeat præsul; sed pariter habere se patrem omnes gaudeant, Turonici soli ejus corpus foveant. Hinc Francorum atque Germaniæ plebs omnis plaudat, [*] quibus videndum inspexit Dominum in sua veste. Hic celebris est Ægypti partibus, Græciæ **1141** quoque cunctis

[*] Hic aliquid deesse videtur. EDIT.

sapientibus, qui impares se Martini meritis sentiunt, atque ejus medicamini. Nam febres sedat, dæmonesque fugat, paralytica membra glutinat, et mortuorum sua prece trium reddit corpora vitæ pristinæ. Hic ritus sacrilegos destruit, et ad Christi gloriam dat ignibus idola. Hic nudis mysteria brachiis conficiens, prædītus est cœlesti lumine, hic oculis ac manibus in cœlum est totis viribus suspensus, terrena cuncta respuit. Ejus ori nunquam Christus abfuit, sive justitia, vel quidquid ad veram vitam pertinet. Igitur te cuncti poscimus, o Martine, ut qui multa mira hic ostendisti, etiam de cœlo gratiam Christi nobis supplicatu tuo semper infundas, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, fons et origo totius boni, qui in beato Martino antistite glorificaris, laus virtutis ejus, et robur fortitudinis illius, gloria sanctitatis ejus, et decor formæ ipsius, amor cordis ejus suspensioque animæ ipsius, lumen mentis **1142** ejus et dux itineris illius; qui in eo imaginis tuæ similitudinem mirabili expressione reformasti, et per eum puritatis tuæ formam quodammodo palpabilem nobis exhibuisti; quem, cum diligeret, te inspirante, justitiam, odiretque iniquitatem, unxisti oleo exsultationis non præ participibus tuis, sed inter maximos Unigeniti tui participes; exaudi, ipso intercedente, deprecationes nostras gravi peccatorum pondere pressas, et præsta ut preces ejus apud misericordiam tuam scelerum meorum maculas deleant, exempla me ad altiora piæ operationis provocent, miracula a malis terreant, charismatumque ejus flagrantia ad currendum post te in odore unguentorum tuorum me pertrahat, imber doctrinæ ejus mei cordis duritiam infundat, omnisque gratia, quam abs te boni auctore accepit, ad meæ proficiat devotionis atque salutis augmentum. Per eumdem.

SANCTI GEORGII FLORENTII GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

VITÆ PATRUM,

SEU

LIBER DE VITA QUORUMDAM FELICIOSORUM *.

Prologus.

1143 Statueram quidem illa tantum scribere, quæ ad sepulcra beatissimorum martyrum confessorumque divinitus gesta sunt : sed quoniam quædam de iis nuper reperi quos beatæ conversationis meritum evexit ad cœlum, quorumque vitæ tramitem certis relationibus cognitum Ecclesiam ædificare putavi, dicere aliqua ex illis opportunitate cogente non differo, quia sanctorum Vita non modo eorum pandit propositum, verum etiam auditorum animos incitat ad profectum : et quæritur a quibusdam utrum Vitam sanctorum, an Vitas [a] dicere debeamus. Agellius [b] autem et **1144** complures alii philosophorum Vitas dicere voluerunt. Nam Plinius [c] auctor in tertio Artis grammaticæ libro, ait : Vitas antiqui cujuscunque nostrum dixerunt ; sed grammatici pluralem non putant habere vitam. Unde manifestum est melius dici Vitam Patrum quam Vitas : quia cum sit diversitas meritorum virtutumque, una tamen omnes vita corporis alit in mundo. Et scripsi fateor in inferiore [d] Confessorum libro aliqua de quorumdam vita, quæ in corpore operati sunt breviora : idcirco quia cum de Dei virtute ingentia censeantur, parva tamen redduntur in scriptis : prolixiora quoque in hoc, quod Vita * Sanctorum vocitare voluimus, libro imperiti idiotæque **1145** præsumimus propalare,

* Al., *religiosorum*.

a Laud. et Ed. *Vita..... Vitæ*.

b Sic Mss. At Editi habent *Aulus Gellius*, quæ varietas etiam apud alios auctores occurrit. Vide August. lib. IX de Civ. Dei cap. 4, edit. novæ. Is est Atticarum Noctium auctor, qui sæculo II floruit circa tempora M. Aurelii imp.

c Is est Plinius senior, qui Neronis tempore vixit, et scripsit Historiam naturalem, in cujus prologo laudat Artis grammaticæ libros. Avunculus fuit Plinii junioris.

d Editi, *superiore*. Et quidem supra laudat librum de Gloria confessorum ; sed, ut jam monuimus, libros de Gloria confess. scripsit post plerasque Vitas Patrum, licet Vitas Patrum post librum de Glor. conf. recognoverit. Unde hic utraque lectio bona est. Librum de Vitis Patrum post libros septem Miraculorum recenset ipse Gregorius in fine Historiæ : illum autem alias præmittit libro de Gloria confessorum, ut ex ejus prologo patet.

* Bad., *quem Vita*. Alii Ed., *quem de Vita*. Dicitur in prologo libri de Gloria conf. : *De quorumdam feliciosorum*, seu, ut alii Codd. habent, *rel giosorum Vita*.

orantes Dominum, ut dignetur dare verbum in ore nostro, qui ora mutorum ad usus pristinos sæpius reseravit, ut [a] auditoribus lectoribusque salutaria, et sanctis Patribus digna, labia mea referant; et quæ in sanctis præcipit scribi, reputet ea suis in laudibus declamari.

[a] Hæc usque ad *referant*, desunt in Mss.

CAPUT PRIMUM.

De Lupicino atque Romano abbatibus.

Series evangelicæ admonet disciplinæ (*Matth.* xxv, 27), ut dominicæ largitionis pecunia nummulariis fenerata, cum digno multiplicationis fructu dispensante Domino restauretur, nec altis defossa foveis recondatur ad detrimentum, sed rationabili dispensatione porrecta, æternæ vitæ crescat ad lucrum; ut incipiens retributionis Dominus quæ commodavit inquirere, cum usuris receptis fenerationis suæ duplici satisfactione talentis, dicat: *Euge, serve bone, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv, 21). Prædestinatorum est enim ista cum Dei ope perficere, qui ab ipsis cunabulorum vagitibus, ut sæpe de multis legitur, Dominum scire meruerunt, cognitoque eo, nunquam ab ejus præceptionibus recesserunt, neque post baptismi sacramentum niveam illam pollentemque regenerationis stolam impudicis actibus polluerunt. Qui merito sequuntur Agnum quocunque ierit, quos ipsius Agni candor egregius liliis decoris nullo tentationis æstu marcentibus coronavit. His denique sertis, dextera inclytæ dominationis extenta, inchoantes provocat, vincentes adjuvat, victores adornat, quos nominis sui titulo præsignatos de terrenis genitibus elevans, in cœlorum evehit gaudia gloriosos. De quorum niveo electionis numero et illos esse non ambigo, qui Jurensis eremi opaca lustrantes, non modo se Dei templum efficere meruerunt, verum etiam in multis mentibus Spiritus sancti gratiæ **1146** tabernacula paraverunt: id est, Lupicinus, Romanusque [a] germanus ejus.

I. Igitur Lupicinus (*Christ. an.* 480, 21 *Mart.*) ab exordio ætatis suæ Deum toto requirens corde, litteris institutus, cum ad legitimam transiisset ætatem, genitore cogente, cum animi non præberet consensum, sponsali vinculo nectitur. Romanus vero adhuc adolescentior (*An.* 460, 28 *Feb.*), et ipse ad Dei opus animum extendere cupiens, nuptias refutavit. Parentibus vero relinquentibus sæculum, hi communi consensu eremum petunt, et accedentes simul inter illa Jurensis [b] deserti secreta, quæ inter Burgundiam Alemanniamque [c] sita, Aventicæ adjacent civitati, tabernacula figunt, prostratique solo Dominum diebus singulis cum psallentii modulamine deprecantur, victum de radicibus quærentes herbarum. Sed quoniam livor illius qui de cœlo delapsus est, semper insidias humano generi consuevit intendere, contra hos Dei servos armatur, hosque per ministros suos a cœpto itinere nititur revocare. Nam lapidibus urgere eos dæmones per dies singulos non desinebant, et quotiescunque genua ad orandum Dominum deflexissent, statim imber lapidum super eosdem jacientibus dæmoniis deruebat, ita ut sæpe vulnerati immensis dolorum cruciatibus torquerentur. Interea ætas adhuc immatura cœpit injurias quotidiani hostis metuere, nec passa diutius sufferre dolores, relinquens eremum, ad propria redire deliberat. Sed quid invidia non cogat inimici? Verum ubi relinquentes hoc habitaculum quod expetierant, ad villas manentium sunt regressi, domum cujusdam pauperis ingrediuntur. Percunctatur autem mulier de quo itinere milites Christi venirent. Respondent non sine confusione se reliquisse eremum, et quæ eos causa a cœpto distulerit opere, per ordinem pandunt. At illa ait: Oportuerat vos, o viri Dei, contra insidias diaboli viriliter dimicare, nec formidare ejus inimicitias, qui sæpius ab amicis Dei superatus occubuit. Æmulus **1147** est enim sanctitati, dum metuit ne unde ille perfidiabilis [d] corruit genus humanum fide nobilitatum ascendat. At illi compuncti corde, et seorsum discreti a muliere, dixerunt: Væ nobis, quia peccavimus in Deum dimittendo propositum nostrum. Ecce nunc a muliere arguimur pro ignavia. Et qualis nobis in posterum erit vita, si ea unde æstu inimici expulsi fuimus non repetamus?

II. Tunc armati vexillo crucis, sumptis in manu baculis, regressi sunt ad eremum. Quibus venientibus iterum eos insidiæ dæmonis lapidibus cœperunt urgere: sed persistentes in oratione, obtinuerunt a Domini misericordia ut, remota tentatione, liberi ad illum divini cultus famulatum expeditique perseverarent. His denique in oratione vacantibus [*Ed.*, persistentibus], cœperunt ad eos turbæ fratrum hinc et inde confluere, et audire verbum prædicationis ab eis. Cumque jam beati eremitæ populis, ut diximus, publicati fuissent, fecerunt sibi monasterium, quod Condatiscone [e] vocitari voluerunt, in quo, succisis

[a] Utriusque, et sancti Eugendi, Vitas scripsit anonymus auctor ejusdem sancti Eugendi discipulus, qui sæculi VI initio vixit. Quas videsis apud Bollandianos et sæc. I Act. sanctorum Bened.

[b] Sic appellatur a Jura monte, hodieque sub hoc vel sancti Claudii nomine celebre, inter Helvetos et Sequanos situm. De Aventica civitate, cujus sedes episcopalis Lausannam translata est, jam diximus. Fallitur, ut quidem existimo, qui Aventicæ urbis rudera se invenisse nuper putavit haud procul a monasterio Jurensi.

[c] Alemannorum sedes in Suevia trans Rhenum fuere, sed postea, trajecto Rheno, regionem quæ tunc ad Maximam Sequanorum pertinebat, ab illo fluvio ad Juram montem occuparunt. Cui et Alemannis nomen fecerunt, de qua hic Gregorius. Vide Sirmond. in carm. 7 Apollinaris Sidonii.

[d] Edit., *perfidia vilis*.

[e] Vulgo Condatescense appellatur, postea sanc Eugendi (*Saint-Oyan*), qui fuit ejusdem loci abbas

silvis et in plana redactis, de laboribus manuum propriarum victum quærebant; tantusque fervor de Dei amore proximos locorum accenderat, ut congregata ad officium Dei multitudo simul habitare non posset : feceruntque iterum aliud monasterium, in quo felicis alvearis examen instituerunt. Sed et his deinceps cum Dei adjutorio ampliatis, tertium intra Alemanniæ terminum monasterium locaverunt. Ibantque vicissim hi duo patres requirentes filios, quos divinis imbuerent disciplinis, prædicantes in singulis monasteriis ea quæ ad institutionem animæ pertinebant. Lupicinus tamen abbas [*Ed.*, abbatis] super eos obtinuit monarchiam. Erat autem valde sobrius, et a cibo potuque abstinens, ita ut plerumque tertia die reficeretur. Cum autem eum, sicut corporis humani deposcit necessitas, sitis arriperet, vas cum aqua exhiberi faciebat, in qua manus immersas diutius retinebat. Mirum dictu! ita **1148** absorbebat caro ejus aquam appositam, ut putares eam per os ejus assumi, et sic ardor sitis exstinguebatur. Erat enim severus valde in districtione fratrum, nec quemquam non modo perverse agere, verum etiam nec loqui sinebat : mulierum quoque vel colloquia, vel occursus valde vitabat. Romanus ita erat simplex, ut nihil de his penitus ad animum duceret, sed omnibus tam viris quam mulieribus æqualiter flagitatam benedictionem Divinitatis nomine invocato tribueret.

III. Lupicinus igitur abbas cum minus haberet unde tantum sustineret congregationem, revelavit ei Deus locum in eremo, in quo antiquitus thesauri reconditi fuerant : ad quem locum accedens solus, aurum argentumque, quantum levare poterat, monasterio inferebat, et exinde, coempto cibo, reficiebat fratrum multitudines quos ad Dei officium congregaverat. Sicque faciebat per singulos annos. Nulli tamen fratrum patefecit locum quem ei Dominus dignatus est revelare. Factum est autem ut quodam tempore visitaret fratres quos in illis Alemanniæ regionibus diximus congregatos; et accedens meridie, cum adhuc fratres in agro essent, ingressus est domum, in qua cibi coquebantur ad reficiendum : viditque diversorum ferculorum apparatum magnum, piscium quoque multitudinem aggregatam, dixitque in corde suo : Non est dignum ut monachi, quorum vita solitaria est, tam ineptis utantur sumptibus. Et statim jussit præparari æneum magnum. Cumque locatus super ignem fervere cœpisset, posuit in eo cunctos simul, quos paraverant cibos, tam pisces quam olera sive legumina, vel quidquid ad comedendum monachis destinatum fuerat, dixitque : De his pultibus nunc reficiantur fratres. Nam non deliciis vacent, quæ eos a divino impediant opere. Quod illi cognoscentes, valde moleste tulerunt. Tunc duodecim viri, habito consilio, iracundia inflammati, reliquerunt locum, et abierunt per **1149** deserta vagantes, et ea quæ erant sæculi delectabilia inquirentes. Revelatumque est statim per visum Romano, nec ei voluit divina miseratio rem actam occultare. Regresso quoque abbate ad monasterium dicit : Si sic futurum erat, ut ad dispersionem fratrum abires, utinam nec accessisses ad eos. Cui ille : Noli, inquit, moleste ferre, frater dilectissime, quæ acta sunt. Nam scias purgatam esse aream Domini, et triticum tantum reconditum in horreo, paleas autem ejectas esse foras. Et ille : Utinam nullus abscessisset ex his! sed nunc indica, quæso, mihi quanti exinde abierunt. Qui respondit : Duodecim viri eotburnosi atque elati, in quibus Deus non habitat. Tunc Romanus cum lacrymis ait : Credo in illo divinæ miserationis respectu, quia nec illos separabit a thesauro suo, sed congregabit eos, et lucri eos faciet pro quibus pati dignatus est. Et facta pro his oratione, obtinuit ut reverterentur ad gratiam omnipotentis Dei. Dominus enim compungi fecit corda eorum; et agentes pœnitentiam pro excessu suo, congregaverunt singuli congregationes suas, et fecerunt sibi monasteria, quæ usque hodie in Dei laudibus perseverant. Romanus autem persistebat in simplicitate et operibus bonis, visitans infirmos, et salvans eos oratione sua.

IV. Factum est autem quodam tempore, dum iter ageret ad visitandos fratres, ut, occupante crepusculo, ad hospitiolum diverteret leprosorum. Erant autem novem viri. Susceptusque ab eis, statim plenus charitate Dei jussit aquam calidam fieri, atque omnium pedes manu propria lavit, lectulumque spatiosum fieri præcepit, ut omnes in uno stratu requiescerent, non abhorrens luridæ maculam lepræ. Quod cum factum fuisset, obdormientibus leprosis, hic inter decantationes psalmorum vigilans, extendit manum suam, et tetigit latus infirmi unius, statimque mundatus est : tactuque salubri iterum tangens alium, et ipse protinus est mundatus. Cumque se sensissent redditos sanitati, tetigit unusquisque proximum suum, ut scilicet expergefacti rogarent **1150** Sanctum pro emundatione sua. Sed cum tacti ab invicem fuissent, et ipsi mundati sunt. Mane autem facto aspiciens omnes nitente cute effulgere, gratias agens Deo, et vale dicens, ac singulorum oscula libans, abscessit; mandans eis ut semper ea quæ Dei erant et retinerent pectore, et operibus exercerent.

V. Lupicinus autem jam senex factus accessit ad Chilpericum [a] regem, qui tunc Burgundiæ præerat,

ac demum sancti Claudii; quod ille, dimisso Vesontionensi episcopatu, huc secesserit, dictum est. Quod nomen hodieque retinet, ac perseverat celebre sub S. P. Benedicti ordine. Alterum monasterium Lauconnense dictum, jampridem destructum est. Superest ecclesia, quæ parochialis est titulus. Denique tertium situm in comitatu Waldensi diœcesis Lausannensis seu Aventicensis, sæculo IX labente, sancti Odonis Cluniacensis abbatis regimini commissum fuit, ut ex litteris Adeleydis patet, quæ sæculo V Act. sanctorum Ord. Bened. editæ sunt, pag. 155. Dicitur *Romanum monasterium* in Bibliotheca Cluniac. sub quo nomine hodieque notum est, vulgo *Roman-Moutier*, in pago Bernensi (*le canton de Berne*), in Helvetia, prope Novum Castrum (*Neufchâtel*).

[a] Is est Chilpericus Gundiuchi Burgundionum regis filius, Clotildis, Clodovei Magni Franc. regis uxoris, pater : quem ejus frater Gundobadus cum uxore occidit, ut narrant Gregorius lib. II Hist. cap. 28 et Fredegarius epitom. cap. 17. Hic regiam habuit aulam

Audierat enim eum habitare apud urbem Januam. Cujus cum ingressus est portam, tremuit cathedra regis, qui ea hora ad convivium residebat, exterritusque ait suis : *Terremotus factus est.* Respondérunt qui aderant, nihil se sensisse commotionis. Et ille : Occurrite quamtocius ad portam, ne forte aliquis adversari cupiens regno nostro advenit, quasi nescirem nobis ; non enim sine causa hæc sella contremuit. Qui protinus concurrentes, offenderunt senem in veste pellicia, et dixerunt regi de eo, qui ait : *Ite, adducite eum in conspectu meo, ut intelligam cujus ordinis homo sit.* Et statim adductus stetit coram rege, sicut quondam Jacob coram Pharaone. Cui ille ait : Quis es, vel unde venisti? aut quod est opus tuum? vel quid necessitatis eges [*Ed.*, habes] ut venias ad nos, edicito? Cui ille : Pater sum, inquit, dominicarum ovium, quas cum Dominus spiritalibus cibis jugi administratione reficiat, corporalia ei interdum alimenta deficiunt. Idcirco petimus potentiam vestram ut ad victus vestitusque necessaria aliquid tribuatis. Rex vero hæc audiens ait : Accipite agros vineasque, de quibus possitis vivere, ac necessitates vestras explere. Qui respondit : Agros et vineas non accipiemus, sed si placet potestati vestræ, aliquid de fructibus delegate, quia non decet monachos facultatibus mundanis extolli, sed in humilitate cordis Dei regnum justitiamque ejus exquirere. At rex, cum audisset hæc verba, dedit eis præceptionem ut annis singulis trecentos modios tritici ejusdemque mensuræ numero vinum accipiant, et centum aureos ad comparanda fratrum indumenta. Quod usque nunc a fisci ditionibus **1151** capere referuntur.

VI. Post hæc autem cum jam senes perfectæque essent [a] ætatis, Lupicinus abbas scilicet, et Romanus frater ejus, ait Lupicinus germano suo : Die, inquit, mihi in quali monasterio vis tibi parari sepulcrum, ut simul quiescamus? Qui ait : Non potest fieri ut ego in monasterio sepulcrum habeam, a quo mulierum accessus arceatur [b]. Nosti enim quod mihi indigno et non merenti Dominus Deus meus gratiam tribuit curationum, multique per impositionem manus meæ ac virtutem crucis dominicæ, a diversis languoribus sunt erepti. Erit autem concursus ad tumulum meum, si ab hac luce migravero. Ideoque rogo, ut eminus a monasterio requiescam. Pro hac vero causa cum obiisset, in decem millibus a monasterio in monte parvulo sepultus est : super cujus defuncti sepulcrum magnum templum ædificatum est [c], in quod ingens frequentia populi diebus singulis accurrit. Multæ enim virtutes ibi in Dei nomine nunc ostendantur ; nam et cæci ibi lumen, et surdi auditum, et paralytici gressum plerumque recipiunt. Lupicinus autem abbas obiens, intra monasterii basilicam est sepultus : reliquitque Domino pecuniæ creditæ multiplicata talenta, id est, hortus monachorum congregat omnes in ejus laude devotos.

CAPUT II.

De sancto Illidio episcopo.

Inter reliqua vitæ perpetuæ semina, quæ cœlestis sator ex illo divinitatis fonte mentis inculturæ arvum vel irrigavit institutione, vel dogmate fecundavit, ait : *Omnis qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* x, 38). Et [d] alibi : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (*Joan.* XII, 24, 25). **1152** Sed ille nihilominus vas electionis beatus Paulus apostolus, dicit : *Semper mortificationem Christi in corpore vestro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corde* [Mss. duo, *corpore*] *vestro mortali* (*II Cor.* IV, 10). Ergo Confessores Christi, quos tempus persecutionis ad martyrum non lacessivit, ipsi sibi persecutores effecti, modo [e] ut digni Deo haberentur, diversas abstinentiæ cruces adhibuerunt ; et ut mortificatis membris soli illi [f] viverent, de quo idem Apostolus dixit : *Jam non vivo ego, vivit autem in me Christus* [g] (*Gal.* II, 20) ; et alibi, allegans illud psalmi quadragesimi tertii : *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oves occisionis* (*Rom.* VIII, 36). Aspiciebant enim per illos mentis internæ oculos Dominum cœlorum descendisse ad terras, non abjectum ad humilitatem, sed humiliatum misericorditer ad mundi redemptionem : aspiciebant pendentem in patibulo, non deitatis gloriam, sed assumpti corporis hostiam mundam, de qua Joannes paulo ante prædixerat : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata hujus mundi* (*Joan.* I, 29). Habebant in se et clavorum affixionem, cum a timore ejus confixi, atque a judiciis divinis exterriti, nihil indignum ejus omnipotentiæ in corporis sui habitatione gerebant, juxta illud quod psalmo centesimo decimo octavo scriptum est : *Confige timore tuo carnes meas ; a judiciis enim tuis timui* (*Psal.* CXVIII, 120). Fulgebat in his et illud resurrectionis lumen insigne, quo angelus refulsit, dum revolvit lapidem monumenti, de quo Marci decimo sexto : *Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida,*

Genevam, quam Gregorius hic Januam, Bal., mendose, *Lanubam* appellat. De hoc Apollinaris Sidon. lib. v epist. 6 et 7. Vide Sirmondi et Simondi notas.

[a] Ed., *cum senex provectæque esset ætatis.*

[b] Ne quidem in ecclesiam monachorum admittebantur mulieres in plerisque locis, ut probat noster Ma Illonius Præf. in sæc. I Act. sanctorum Bened., quam consuetudinem Cistercienses initio renovaverunt.

[c] Iste locus in anonymo in Vita sancti Romani Balmense monasterium dicitur, cujus hodie sub Brisco nomine *Balmæ* sola superest ecclesia, inter saxa et rupes sita. Aliud enim est monasterium virginum ejusdem nominis, quod etiamnunc sub regula Benedictina perseverat inter Vesontionem et Montem Beliardi, sicut et tertium Cluniacensis ord. in eadem diœcesi Vesuntionensi.

[d] Hæc desunt in Mss. tribus usque ad, *sed ille.*

[e] Colb., *sibi persecutoris modo*, ut. Laud. ut Ed., sed deest *modo.*

[f] Ed., *Christo.*

[g] Hæc in Mss. tribus desunt usque ad *occisionis.* Desunt et textus psalmi CXVIII et Marci XVI, infra laudati.

et obstupuerunt (*Marc.* xvi, 5). Quo et Jesus splenduit sub illa ostiorum obseratorum inclusione, cum improvisus in medio apostolici senatus astitit comitatu: quos idem Dominus eosdem verbis vitæ imbuens cœlesti est evectus in arce. Inter quos et beatus confessor Illidius ita hæc omnia in cordis sui tabernaculo collocavit, ut et ipse quoque templum sancti Spiritus effici mereretur: de cujus vita aliqua scripturus, veniam peto a legentibus. Non enim **1153** me artis grammaticæ studium imbuit, neque auctorum sæcularium polita lectio erudivit, sed tantum beati patris Aviti Arverni pontificis studium ad ecclesiastica sollicitavit scripta [a]. Si mihi non ad judicium contingerent quæ ipso prædicante audivi, vel cogente relegi, quia ea nequeo observare: qui me post Davidici carminis cannas [*Mols.*, cantiones], ad illa evangelicæ prædicationis dicta, atque apostolicæ virtutis historias epistolasque perduxit; de quo ea tantum capere potui, ut cognoscerem Jesum Christum Filium Dei ad salutem mundi venisse, atque amicos ejus qui accepta cruce austeræ observantiæ Sponsum secuti sunt, dignis obsequiis honorare. Qua de re crudæ rusticitatis temeritatem ostendens, quæ de beato cognovi Illidio, illo quo possum proferam stylo.

I. Sanctus igitur Illidius cum perfectæ vitæ sanctitate polleret (*An.* 385, 5 *Jun.*), ac diversarum in se gratiarum charismata largiente Domino congessisset, illud quod adhuc sanctitatis culmini deerat, Deo inspirante ac populo eligente promuerit, ut sacerdos Arvernæ ecclesiæ, et dominicarum ovium pastor eligeretur. Cujus sanctitatis fama dum per diversos gratiarum evehitur ascensus, non solum ipsos Arverni territorii terminos, verum etiam vicinarum urbium fines adivit. Unde factum est ut hæc gloria Trevérici imperatoris aures attingeret, cujus filia [b] cum a spiritu immundo correpta graviter vexaretur, et non inveniretur a quo posset erui, beatum Illidium fama delexit: et dicto citius ab imperatore directi pueri, sanctum senem in antedicta repertum urbe potestati regiæ celeriter repræsentant. At ille venerabiliter exceptum de exitu infelicis conqueritur filiæ. Ille vero confisus in Domino in oratione prosternitur, nocteque cum sacris hymnis canticisque spiritalibus ducta, immissis in os puellæ digitis, nequam **1154** spiritum a corpore abegit obsessæ. Quod miraculum imperator cernens, immensos auri argentique cumulos sancto offert sacerdoti. Quod ille exsecrans ac refutans, hoc obtinuit ut Arvernæ civitas, quæ tributa in specie triticea ac vinaria dependebat, in auro dissolveret, quia cum gravi labore penui inferebantur imperiali. Sanctus vero, ut aiunt, impleto vitæ præsentis tempore, in ipso itineris curriculo migravit ad Christum, a suisque delatus, in urbe sua sepultus est [c].

II. Et forsitan, ut plerumque homines murmurare soliti sunt, quispiam garrulatur [d], dicens: Non potest hic haberi inter sanctos pro unius tantum operatione miraculi. Nam si perpenditur illud quod Dominus ait in Evangelio: *Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, virtutesque multas fecimus? et* [Bell., *et non*] *respondebo eis dicens, Quia non novi vos* (*Matth.* vii, 22, 23), profecto intelliget quod magis proficit ad laudem virtus egressa de tumulo, quam ea quæ quisquam vivens gessit in mundo: quia illa labem habere potuerunt per assidua mundanæ occupationis impedimenta, hæc vero omni labe ad liquidum caruerunt. Ergo quia illa, ut credimus, quæ sanctus Illidius ante hoc tempus operatus est, oblivioni data sunt, nec ad nostram notitiam pervenerunt, ea quæ propriis inspeximus oculis, expertique sumus, vel quæ a fidelibus agnita cognovimus, declaramus. Tempore quo Gallus episcopus Arvernam regebat ecclesiam (*Vid. infra, cap.* 6), horum scriptor in adolescentia degens graviter ægrotabat, et ab eo plerumque dilectione unica visitabatur, eo quod patruus ejus esset; erat enim valetudo cum nimia stomachi pituita ac febre valida. Interea advenit parvulo desiderium, et, credo, inspirante Deo, ut ad beati Illidii basilicam deportaretur; illatusque manibus puerorum ad ejus tumulum, fusa oratione cum lacrymis, **1155** levi[a]rem se sensit esse quam cum venerat;

[a] Bol., *studium ecclesiastica sollicitavit scriptura*, quibus verbis Henschenius putat epistolam sancti Aviti laudari, quæ contineret loca Scripturæ superius memorata. At nihil aliud vult Gregorius quam sese a beato Avito educatum, et in litteris ecclesiasticis eruditum fuisse, et sic hic locus exponitur in ejusdem Gregorii Vita huic tomo præfixa. Vide et Fortunati lib. v, carm. 4.

[b] Idem habet Gregorius lib. I Hist., cap. 40, ubi Illidius quartus Arvernorum episcopus recensetur. Imperator, qui utrobique *Trevericus* appellatur, alius non est a Maximo tyranno, qui diu Treviris commoratus est. Ejus filiam, quæ a dæmone liberata fuisse dicitur, apud Arvernos sepultam volunt ex veteri inscriptione.—Narrat hic Gregorius et in lib. I Historiæ cap. 40, *Trevérici imperatoris* filiam a sancto Illidio liberatam fuisse a dæmone. Sed nihil habet de ejus apud Arvernos adventu, imo nec secundæ Vitæ auctor. In ecclesia tamen Illidiana hodieque sepulcrum ejus visitur. Et quidem anno 1311, ut in historia translationis sancti Illidii legitur, apud Bollandianos, die 5 Junii, Arbertus episcopus Claromontensis post aliorum sanctorum corporum factam translationem apertuit *vas plumbeum*, muro ecclesiæ monasterii Illidiani prope altare B. Mariæ affixum, in quo reperta sunt ossa filiæ imperatoris, quam sanctus Illidius a dæmonio liberaverat. *Prout*, inquit, ille auctor, *infra idem vas in memoriali quodam plumbeo visum est contineri*. Memoriale istud, quod tunc æri incisum est, hanc exhibet inscriptionem, uti Savaro refert:

A. IMPERATORIS
ALEMANNICI. FILIA
QUAM. SCS. ILLIDIUS
LIBERAVIT. SEPULTA
XVI. K. APRILIS

[c] Sepultus est in ecclesia quam ipse construxerat, hodieque sub ejus nomine celebri (*Saint-Allire*) cum adjuncto monasterio ord. sancti Bened. et cong. sancti Mauri, quod abbate regulari gaudet. Alteram sancti Illidii vitam habent Bollandiani ad diem 5 Junii, sed fabulis scatet. Sincerior est appendix ibi relata de ejusdem sancti corporis translatione an. 1311, ab Arberto episcopo facta. Ejus festum die 5 Julii memorat Martyrolog. Rom., at die 5 Junii celebratur apud Arvernos.

[d] Colb., *gratulatur*. Ed., *garrulabi:*.

reversusque ad domum, iterum a febre corripitur. Quadam vero die cum gravius agere cœpisset, eumque febris asperior solito aggravaret, et utrum evaderet dubia sub sorte jaceret, accedens genitrix ejus ait ad eum : Mœstum hodie, dulcis nate, cum habitaga diem, cum te talis attigerit febris. Et ille : Nihil, inquit, prorsus, obsecro, contristeris, sed ad sepulcrum me remitte beati Illidii pontificis. Credo enim, et fides mea est, quod virtus ejus, et tibi lætitiam, et mihi tribuet sospitatem. Tunc Sancti deportatus ad tumulum, orationem ad Dominum fudit [a], spondens prostratus spoute, si eum obtentu Antistitis sui Dominus ab hoc contagio liberaret, clericum se futurum; nec prorsus moraretur, si deprecatio eligeret effectum. Hæc effatus sensit protinus discedere febrem, vocatoque puero, domum se reportari deposcit. Cumque in recubitu ubi tunc epulabantur fuisset illatus, erumpente a naribus sanguinis copia, febris simul cruorque defluxit. Quod meritis beati Confessoris præstitum habetur probatum. Sed et nuper Venerandi comitis servus, cum in diuturna cæcitate resideret, celebratis vigiliis, sanus abscessit.

III. De reliquiis vero ejus hæc ipse præfatus scriptor, ut actum est, propria contemplatione perspexit. Dedicavera igitur oratorium (*Vid. lib. de Gloria conf., cap.* 20) infra domum ecclesiasticam urbis Turonicæ in primo sacerdotii sui anno, in quo cum reliquorum sanctorum pignoribus hujus antistitis reliquias collocavit. Post multos vero dedicationis dies admonitus est ab abbate ut reliquias quas in altari ipso locaverat visitaret, ne ab humore novi ædificii humectatæ, aliquid in his putredinis insideret. Quas cum requireret reperisset infectas, ablatas ex altari contra ignem siccare cœpit. Verum ubi ligaturas illas sigillatim composuit, ventum est ad reliquias beati Illidii episcopi. Denique tenens easdem contra ignem, filum quo ligatæ erant, quia erat valde prolixum, super ardentes decidit prunas, et tanquam æneum aut ferreum ab ardore ignis incanduit. Illo quoque parvi pendente quid **1156** filum fieret quo sanctæ reliquiæ ligarentur, æstimans ipsum [b] jam in favillam fusse resolutum, comperit adhuc integrum et incorruptum, quippe quod vinculum et ligamen paulo ante fuisset hujus gloriosi pontificis.

IV. [Puer [c] erat parvulus quasi mensium decem, qui, ut res veritatis edocuit, ipsius Beati abnepos habebatur; gravissimi incommodi accessu afficiebatur. Flebat autem illius genitrix non minus obitum parvuli, quam quod non fuerat adhuc divino delibutus sacramento. Denique consilio habito, beati Confessoris adiit tumulum, exponit in pavimento ægrotum, qui nihil aliter quam solo spiritu palpitabat; atque in vigiliis obsecrationibusque coram sepulcro Antistitis excubat. Cumque plausum ales ille lucis nuntius [*Id est*, gallus], repercussis alis, altius protulisset, puer, qui valde exanimis projectus fuerat, convaluit; et gaudio cordis, risu præcedente, pristaciens, aperto divinitus ore, evocat matrem, dicens : Accede huc. At illa cum tremore et gaudio accedens, quæ nunquam adhuc filii vocem audierat, stupens : Quid vis, inquit, dulcissime nate? Qui ait : Curre quamtocius, atque aquarum mihi pocula defer. At illa permixtens immobilis usque ad adventum lucis in oratione, gratias agens sancto Antistiti, sobolemque devovens, abscessit ad domum; porrectaque aqua, hausit infans; atque omni infirmitatis nexu absolutus, ad plenum convaluit. Deinde ad pristinos infantiæ vagitus rediens, loqui ultra non potuit, nisi cum ad illam ætatis seriem, in qua infantium lingua ad loquendum laxari solet, educatus accessit. Sed nec illud silere arbitror, quod quodam tempore, quo clibanus ad coquendas calces basilicæ ipsius succenderetur, actum est. Jugum igitur quod os fornacis validissime confirmabat, dormientibus cum ipso loci abbate qui aderant, est effractum. Quo facto astitit presbytero repente per visum quasi sacerdos dicens : Festina velociter, et excita dormientes, ne eos futuræ ruinæ casus anticipet. Jam enim paratum est jugum, quod totum molem lapidum sustinet. **1157** cum ipso igne corruere. Ille vero expergefactus, amotis ab ore fornacis omnibus, cecidit ab utraque parte acervus lapidum aggregatus, nullum de astantibus lædens. Quod non sine Antistitis intercessione præstitum reor. Tunc presbyter memoratus, oratione facta ad sepulcrum Sancti, reparatis jugis, lapidibusque relatis, in clibano opus cœptum, Antistite opitulante, peregit. Hujus confessoris beatum corpus ab antiquis in crypta sepultum fuit : sed quia arctum erat ædificium, ac difficilem habebat ingressum, sanctus Avitus pontifex urbis, constructa in circuitu miri operis absida, beatos inquisivit artus, reperitque in capsa tabulis formata ligneis, et juxta morem sarcophago clausit. In hoc loco et meritis et nomine Justus [d] requieseit, qui fuisse hujus gloriosi pontificis fertur archidiaconus.]

V. Multa quidem et alia de hoc sancto miracula sunt relata, quæ scribere longum putavi, hæc æstimans fidei perfectæ sufficere quæ dicta sunt, quia cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Nam ad hujus tumulum cæci illuminantur, dæmones effugantur, surdi auditum et claudi recipiunt gressum, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui credentibus repromisit a se petita sine ambiguitate largiri.

CAPUT III.

De sancto Abraham abbate.

Nulli Catholicorum esse occultum reor quod Dom-

[a] Ed., *orationem fudit... si eum antistitis sui virtus.*

[b] Sic Laud., Bell. et Bal. At. Colb. et cæteri Ed.: *Fieret, tantum sanctæ reliquiæ siccarentur. Æstimans autem ipsum.* Boh. : *Quid de filo fieret, tantum ne sanctæ reliquiæ læderentur, dehinc sequitur et filum illæsum.*

[c] Quæ sequuntur ad clausulam *Multa quidem*, etc., habentur in solo codice Molsheimensi, apud Bollandianos, die 5 Junii, qui codex ab annis supra nongentis in monasterio sancti Dionysii prope Parisios scriptus fuit.

[d] De hoc supra, lib. I Hist. cap. 40. *Vide ad cap.* 31 *et seqq. de Gloria confess. not.* *, *supra, col.* 853. Edit.

nus ait in Evangelio : *Amen dico vobis, si habueritis* A *fidem integram, et non hæsitaveritis, si dixeritis huic monti: Transfer te; et transferet se, et omnia quæcumque petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, et venient vobis* (*Matth.* XXI, 21; *Marc.* XI, 23). Ergo non erit dubium quin sancti obtinere possint a Domino quod petierint, quia in eo fidei fundamine positi [a], nullis hæsitationum fluctibus vacillantur : pro qua fide non solum infra patriæ terminum propriæ, dum cœlestem vitam agere cupiunt, exsules facti **1158** sunt, sed etiam transmarina ac peregrina petierunt loca, ut ei cui se devoverant plus placerent. Sicut nunc beatus Abraham abbas, qui post multas tentationes sæculi, fines est territorii ingressus Arverni. Qui non immerito Abrahæ illi comparatur seni pro magnitudine fidei, cui quondam dixerat Deus : *Exi de* B *terra tua et de cognatione tua, et vade in terram quam monstravero tibi* (*Gen.* XII, 1). Reliquit autem hic non solum terram propriam, sed etiam illam veteris hominis actionem, et induit novum hominem, qui secundum Deum formatus est in justitia, sanctitate et veritate. Ideoque cum se perfectum in Dei opere cerneret, non fuit dubius in fide petere quod per vitam sanctam confisus est obtinere : per quem opifex cœli, maris ac terræ, parva quidem numero, sed admiranda miracula operari dignatus est.

I. Igitur Abraham iste super Euphratis fluvii littus exortus est (*An.* 480, 15 *Jun.*), ubi in Dei opere proficiens ad visitandos eremitas, adire Ægypti solitudines concupivit. Quod iter dum tereret, a paganis [b] comprehensus, et multis pro Christi nomine affectus C verberibus, in vincula conjicitur ; in quibus per quinque annos exsultans, angelo solvente, laxatur. Occidentalem quoque plagam visitare cupiens, Arvernis advenit, ibique ad basilicam sancti Cyrici monasterium [c] collocavit. Erat enim miræ virtutis, fugator dæmonum, illuminatorque cæcorum, aliorum quoque morborum potentissimus medicator. Igitur cum festivitas supradictæ basilicæ advenisset, præpositum vocat, ut vasa vino plena ad reficiendum populum qui solemnitati aderat, in atrio ex more componeret. Causatur monachus dicens : Ecce episcopum cum duce et civibus invitatum habes, et vix nobis suppersunt quatuor vini amphoræ ; unde omnia ista complebis? Et ille : Aperite mihi, inquit, penum. Quo aperto, ingressus est : et dans orationem, quasi D novus Elias, elevatis ad cœlum manibus, infusis fletu luminibus, ait : Ne deficiat, quæso, Domine, de hoc vasculo vinum, **1159** donec cunctis ministretur in abundantia. Et irruente in se Spiritu sancto, ait : Hæc dicit Dominus (*III Reg.* XVII, 14) : Non deficiet vinum de vase, sed omnibus petentibus affatim tribuetur, et abundabit. Verumtamen ad verbum et hilaritatem dispensationis illius cuncto populo in abundantia ministratum est, et superfuit. Sed quia strenuitas præpositi prius mensuraverat vasculum quinquagenarium, et repererat quatuor palmorum mensuram, cernens quæ acta fuerant, in crastino iterum mensurans, tantum reperit in vase, quantum in eo præcedente reliquerat die. Ex hoc Sancti virtus in populis declarata est, in quo monasterio plenus dierum obiit, ibique cum honore sepultus est. Erat enim eo tempore sanctus Sidonius episcopus, et Victorius dux, qui super septem civitates principatum, Eoricho Gothorum rege indulgente, susceperat. Hujus vero sancti epitaphium [d] beatus Sidonius scripsit, in quo aliqua de his quæ locutus sum est præfatus. Ad hujus enim beati Abrahæ sepulcrum plerumque frigoritici decubantes medicinæ cœlestis præsidio sublevantur.

CAPUT IV.

De sancto Quintiano episcopo.

Omnis qui se terrenæ materiæ corpus ferre cognoscit, cogitare debet, ne in his devolvatur quæ terrena et carnis hujus amica esse noscuntur; quia juxta apostolum Paulum : *Manifesta sunt opera carnis* (*Gal.* V, 19), plena immunditia et iniquitate, pollutumque et fetidum hominem qui ea sectatus fuerit reddunt, atque ad extremum fletibus deputant sempiternis. Fructus autem Spiritus est omne quod in Deo pollet ac nitet, quod in hoc sæculo, mortificata carne, animam exsultare facit, in futuro autem gaudiis donat æternis. Unde nos qui nunc sumus in corpore positi, aspicere debemus quæ **1160** operatus est Deus in sanctis suis, in quibus, tanquam in [*Ed.*, intra] splendidum candidumque ac levigatum meritis tabernaculum, diversisque virtutum floribus adornatum, residens, extensa dexteræ majestate, dignatus est per eos miseratione propria perficere quæ petiissent, sicut nunc per beatum Quintianum, de quo sermo futurus est, mentis nobilis generositate fulgidum, justitiæ opus plerumque complevit. Ergo non nos more pecorum carnis sectatio ad terrena submergat ac deprimat, sed potius sanctorum exemplis illecti, prudenter intelligentes quæ Dei sunt, spiritalis nos opera ad cœlestia ac sempiterna sustollat ; neque in nobis mens ab impudicis actionibus victa luxuriet, sed, æternitatis pro meritis vindicans solium, victrix sapientia regnet.

I. Igitur beatissimus Quintianus, Afer natione (*An.* 527, 13 *Nov.*), et ut quidam volunt, nepos Fausti episcopi [e], qui genitricem suam suscitasse perhibetur,

[a] Laud. et Colb., *in eo fides... posito.* Ed. et Bell., *in eis fides fundamine posito... vacillat.*

[b] Id est a Persis, ut ex ejus epitaphio patet, ubi rex eorum *rex Susidis oræ* dicitur, a Susa celebri Persarum urbe.

[c] Idem habet lib. II Hist. cap. 21, ubi Vitam Abrahæ a se scriptam laudat. Ecclesiam sancti Cyrici ubi sanctus Abraham et alii requiescunt, recenset auctor libri de Ecclesiis Clarom. cap. 14. Hodieque subsistit, vulgo *Saint-Cirgues* dicta, quæ, monasterio jam pridem destructo, parochiæ titulo illustratur, juxta quam fons fluit sancto Abrahæ nuncupatus.

[d] Ipsum in appendice dabimus. De Apollinari Sidonio et Victorio duce passim Gregorius loquitur.

[e] Celebris fuit tunc temporis Faustus episc. Præsidiensis, qui pro fide exsul tempore Hunerici, in exsilii loco monasterium ædificaverat, ut patet ex Vita sancti Fulgentii. B. Faustum Buronitanum episcopum laudat Victor Vitensis lib. I. num. 11. Alterutrius forte nepos fuit sanctus Quintianus.

sanctitate præditus, virtutum dote fulgidus, charitatis igniculo fervidus, castitatis flore præcipuus, ad episcopatum Rutenæ ecclesiæ eligitur, expetitur, ordinatur [a]. In quo episcopatu ampliatis adhuc virtutibus, cum in Dei semper operibus cresceret, auctam beati Amantii antistitis basilicam [b], sanctum corpus in antea transtulit; sed non fuit Sancto acceptabile hoc opus. Unde factum est ut per visum apparens diceret ei : Quia ausu temerario artus in pace quiescentes visus es amovisse, ecce ego removebo te ab hac urbe, et eris exsul in regione altera; verumtamen non privaberis ab honore quo frueris. Non post multum vero tempus, orto inter cives et episcopum scandalo, Gothos qui tunc in antedicta urbe morabantur suspicio attigit, quod se vellet episcopus Francorum ditionibus subdere, consilioque accepto, cogitaverunt eum perfodere gladio [c]. Quod cum viro sancto nuntiatum fuisset, de nocte consurgens, cum fidelissimis ministris suis **1161** ab urbe illa egrediens, Arvernis advenit; ibique a sancto Eufrasio episcopo, qui Aprunculo quondam antistiti successerat, receptus est, largitisque ei tam domibus quam agris et vineis, vel ille, vel qui [d] Lugdunensi urbi præerat, summa eum diligentia excolebant. Erat enim jam senex, et verus Dei cultor. Decedente autem ab hoc mundo sancto Eufrasio, Apollinaris, tribus mensibus sacerdotio subministrato, migravit [e]. Cum autem hæc Theoderico regi nuntiata fuissent, jussit inibi sanctum Quintianum constitui, et omnem ei potestatem tradi ecclesiæ, dicens : Hic ob nostri amoris zelum ab urbe sua ejectus est. Denique cum sanctus Quintianus in antedicta urbe potiretur episcopatu, Proculus quidam, ex ærario presbyter ordinatus, multas ei injurias intulit, omnemque potestatem illi de rebus ecclesiæ auferens, vix ei quotidianum satis tenuem victum ministrari præcepit; sed per ejus orationem a civibus correptus prudentioribus, restituta omni potestate, se ab ejus removit insidiis. Antedictus tamen sacerdos non immemor injuriæ, sicut quondam Paulus apostolus de Alexandro (*II Tim.* IV, 14), ita et hic de Proculo decantabat, dicens : Proculus ærarius multa mala mihi fecit, reddet illi Dominus secundum opera sua. Quod in posterum ei evenisse manifestum est.

II. Erat enim Vir beatus in oratione assiduus, et in tantum amator populi sui, ut adveniente Theoderico, ac vallante cum exercitu urbem, Sanctus Dei muros ejus per noctem psallendo circuiret, et ut regioni vel populo Dominus velociter succurrere diguaretur, afflictus in jejuniis atque vigiliis instanter orabat. Porro Theodericus rex cum cogitaret etiam muros urbis evertere (*An.* 525), mollivit eum misericordia Domini, et oratio sacerdotis sui [f], quem in exsilium retrudere cogitabat. Nam nocte pavore perterritus de stratu suo exsilit, ac solus per viam publicam fugere nititur. Perdiderat enim sensum, nesciens quid ageret. Quod animadvertentes sui, eumque retinere conantes, vix potuerunt, cohortantes ut se signo salutari muniret. Tunc Hilpingus **1162** dux ejus accedens propius ad regem, ait : Audi, gloriosissime rex, consilium parvitatis meæ. Ecce muri civitatis istius fortissimi sunt, eamque propugnacula ingentia vallant. Quod ut plenius magnificentia vestra cognoscat, de sanctis quorum basilicæ muros urbis ambiunt hæc loquor, sed antistes loci illius magnus apud Deum habetur. Noli facere quod cogitas; noli episcopo injuriam inferre, aut urbem evertere. Cujus consilium rex clementer accipiens, præceptum posuit ne ullus ab octavo urbis milliario læderetur. Quod obtentu Sacerdotis præstitum nullus ambigat. Tunc et Proculus ille presbyter, irruptis Lovolautrensis [g] castri muris, ab ingredientibus hostibus ante ipsum ecclesiæ altare gladiorum ictibus in frusta discerptus est, redditque illi Dominus, sicut Sacerdos cantare consueverat, secundum opera sua.

III. Post peractam igitur stragem cladis Arvernæ, Hortensius, unus ex senatoribus, comitatum urbis illius agens, quemdam de parentibus Sancti, id est Honoratum nomine, in urbis platea nequiter retineri jussit. Quod celeriter beato Viro nuntiatum est. At ille per amicos suos cœpit rogare, ut eum data audientia absolvi juberet. Quod ille nullatenus præstitit. Tunc beatus senex deferri se in plateam qua ille tenebatur jubet : allatus autem rogabat milites ut eum dimitterent. Illi vero timentes, obedire ausi non sunt Pontifici. Et Sacerdos : Ad domum, inquit, Hortensii me velociter deportate. Erat enim senex valde, et propriis pedibus abire non poterat. Deferentes autem eum in domum Hortensii ministri ejus, excutiens in eam pulverem calciamenti sui, ait : Maledicta sit domus hæc, et maledicti habitatores ejus in sempiternum, fiatque deserta, et non sit qui inhabitet in ea. Et dixit omnis populus : Amen. Et adjecit : Quæso, Domine, nunquam de hac generatione provehatur quisquam ad episcopale sacerdotium [h], qui episcopum non obaudit. Egresso autem ex ea Sacerdote, protinus omnes familiæ, quæ in

[a] Eo nomine subscripsit concilio Agathensi an. 506, et Aurelian. I an. 511.

[b] Alii, *aucta... basilica*. Sancti Amantii Vitam habet Labbeus tomo II Bibl. novæ, in qua de ejus translatione. Abbatiam sancti Amantii Ruthenensis, quæ monasterio sancti Vitoni Virdunensis subjecta erat, comiti Ruthenensi oppigneravit pius abbas Richardus, pauperibus subveniendi causa in publica calamitate, ut refert Hugo Flaviniacensis in Chronico. In Actis visitationis diœcesis Ruthenensis factæ a Simone archiep. Bituricensi an. 1286, mentio fit prioris sancti Amantii burgi Ruthenensis.

[c] Confer lib. II Hist. cap. 36.

[d] Ed., *et ille et qui*, eodem sensu.

[e] Confer cum lib. III Hist. cap. 2.

[f] Ed., *mollitus est... oratione sacerdotis ejus*.

[g] Sic Mss., ut et in Hist. lib. III cap. 13, ubi eadem historia narratur. Editi tamen hic habent *Utrense*.

[h] Sic et Saturninus Tolosatium primus episcopus imprecatus fuisse dicitur, supra, Hist. lib. I, cap. 28, ne ullus unquam ex Tolosæ urbis civibus ibi in episcopum assumeretur.

domo illa erant, a febre corripiuntur, et **1163** paruimper ingemiscentes spiritum exhalaverunt. Quod cum jam die tertia ageretur, videns Hortensius sibi nihil de suis servientibus reservari, timens ne etiam et ipse pariter interiret, ad sanctum Virum mœstus ingreditur, projectusque ad pedes ejus cum lacrymis veniam rogat. Quam ille benignissime indulgens, benedictam aquam domui transmisit, illaque per parietes respersa, omnis ægritudo protinus est depulsa, magnaque ibi virtus apparuit; nam et qui incurrerant sanati sunt, et qui sani [*Al.*, sanati] erant ultra non incurrerunt.

IV. In ecclesiasticis vero scripturis eruditus est habitus hic sacerdos; sed et in eleemosynis magnificus fuit. Nam cum pauperem quempiam clamare cerneret, aiebat: Succurrite, quæso, succurrite, et pauperi victus necessaria ministrate. Ignari enim estis, o desides, et forsitan ipse est qui se per evangelicæ lectionis seriem reficiendum in pauperibus minimis esse mandavit (*Matth.* xxv, 40). Ejiciebat autem et dæmonia se confitentia. In monasterium autem Canibidobrinse [a] veniens, cum energumenum quemdam reperisset atrocius debacchantem, misit presbyteros ut ei manus imponerent: sed cum eorum exorcizatione larva non fuisset expulsa, Sanctus Dei cominus appropinquans, et immissis in os ejus digitis, personam reddidit absolutam. Multa et alia miracula Vir beatus operatus est, et oratione facta, sæpius quæ petisset ad Dominum obtinebat. Porro in Arverno quodam tempore cum magna siccitas consumeret arva, et arentibus herbis nulla penitus jumentis pabula remanerent, et Sanctus Dei rogationes illas, quæ ante ascensionem dominicam aguntur devotissime celebraret; die tertia cum jam portæ civitatis appropinquarent, suggerunt ei ut ipse antiphonam dignaretur imponere, dicentes: Si tu, beate Pontifex, devote antiphonam imposueris, confidimus de sanctitate tua, quod protinus nobis Dominus pluviam dignabitur benigna pietate largiri. At ille prostratus super cilicium suum, in ipsa platea diutissime **1164** cum fletu oravit. Exsurgens autem antiphonam quam petebant, ut virtus fuit, imposuit: verba autem ejus ex illa Salomonicæ orationis edita hæc erant: *Si clauso cœlo pluviæ non fuerint propter peccata populi, et conversi deprecati fuerint faciem tuam; exaudi, Domine, et dimitte peccata populi tui, et da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum* (*II Paral.* vi, 26, 27). Cumque psallere devotissime cœpissent, penetravit excelsæ potentiæ aures humilis oratio Confessoris; et ecce contenebratum est cœlum, ac nubibus obtectum; et priusquam portam urbis attingerent, descendit pluvia vehemens super universam terram illam, ita ut omnes mirarentur, ac dicerent ad preces hoc beati Viri fuisse largitum.

V. Senuit autem Sacerdos Dei, et in tantum ætate provectus est, ut sputum oris in terram projicere non valeret: sed adhibito labiis truchione [b] in eum salivas oris exponeret. Non caligavit oculus ejus, nec immutatum est cor a viis Dei: non seposuit vultum pauperis, nec metuit personam potentis; sed una eademque ei fuit in omnibus sancta libertas, ut ita susciperet penulam pauperis, ac si veneraretur togam inclyti senatoris. Obiit autem perfectus in sanctitate, et sepultus est in basilica sancti Stephani [c] ad lævam altaris, ad cujus nunc tumulum plerumque quartanorum febris, melancholia compressa, restinguitur.

CAPUT V.

De sancto Portiano abbate.

Quanta omnipotens Deus suo dicatis nomine indulgeat, quantaque eisdem pro fideli servitio beatitatis ope [d] compenset! Magna quidem se pollicetur redditurum in cœlo, sed quæ accepturi sunt plerumque hoc declarat in sæculo. Nam sæpius de servis liberos, de liberis efficit gloriosos, juxta illud Psalmographi dictum: *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem: ut collocet eum cum principibus* **1165** *populi sui* (*Ps.* cxii, 7, 8). De hoc et Anna Helcanæ ait: *Saturati prius pro pane se locaverunt, et famelici saturati sunt* (*I Reg.* ii, 5). Ex hoc et ipsa Redemptoris nostri genitrix virgo Maria dicebat: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (*Luc.* i, 52). Sic et ipse Dominus in Evangelio ait: *Erunt primi novissimi, et novissimi primi* (*Matth.* xx, 16). Micet [e] ergo amore suo divina misericordia super inopes, ut de parvis magnos statuat, ac de infirmis Unigeniti sui faciat cohæredes. Præfecit enim de hac mundana egestate in cœlo, quo scandere non potuit terrenum imperium; ut accedat illuc rusticus, quo accedere non meruit purpuratus. Sic nunc de beato Portiano abbate, quem non modo de onere mundani servitii eruit, verum etiam magnis virtutibus sublimavit, atque post mundum [*Ed.*, motum] et pressuras sæculi in requie æterna constituit, locavitque eum inter angelorum choros, de quibus expulsus est dominus ille terrenus.

I. Beatissimus igitur Portianus (*An.* 527, 24 *Nov.*) ab ineunte ætate Deum quærere cœli semper, etiam inter terrena servitia, conabatur. Sic enim servus fertur fuisse cujusdam barbari [f], iisque cum plerum-

[a] Sic Colb., Laud. et plerique Edit. Bell., cum Bal., *Candidobrinse*. Hodie vulgo appellatur *Combronde*, prioratus Menatensi monasterio ordinis sancti Benedicti subjectus, in oppidulo cognomini.

[b] Laud., cum Ed., *trudione*.

[c] Hanc ecclesiam construxisse dicitur sancti Namatii uxor, supra, lib. II Hist cap. 17, ubi de ea diximus. Sancti Quintiani in ea quiescentis meminit libellus de Ecclesiis Clarom. cap. 13, ibique etiamnunc visitur ejus sepulcrum. Sed sacrum corpus inde translatum est in ecclesiam sanctorum Symphoriani et Genesii in urbem, ubi hodieque quiescit.

[d] Ed., cum Laud., *quantamque... opem*.

[e] SB., *Illucet*. Colb., *licet... misericordia inopum*. Bell. et Laud., *inlicet*. Bad. et Ed., præter Bal., *illicet*.

[f] Id est, Franci. Eum *Malfangum* vocant nonnulli, quod efficium nomen videtur.

que ad monasterium confugeret, ut cum domino suo abbas redderet excusatum : ad extremum fugiens, dominus ejus [a] de vestigio sequitur, et abbatem calumniari cœpit, reputans quod ipse eum seduceret ne sibi suos famulos deserviret. Cumque de consuetudine ut eum redderet calumniando abbatem insisteret, dicit abbas Portiano : Quid vis ut faciam? Et ille : Redde, inquit, me excusatum. Cumque excusatus redditus fuisset, et dominus ejus reducere eum domum vellet, ita cæcatus est, ut nihil penitus posset agnoscere. Cernens autem se gravibus doloribus affici, abbatem vocat, dicens : Supplica, quæso, pro me Dominum, et accipe hunc servum ad ejus cultum ; forsitan promerebor recipere lumen amissum. Tunc abbas vocatum Beatum [b] ait : Impone, quæso, manus
1166 tuas super oculos ejus. Cumque ille refutaret, tandem abbatis devictus precibus, super oculos domini sui signum beatæ crucis imposuit : statimque, disrupta caligine, et sedato dolore, pristinæ redditus est sanitati. At vero exin beatus Portianus clericus factus tanto virtutis cumulo est prælatus, ut decedente abbate ipse succederet [c]. Qui fertur æstivo tempore, cum ardor solis vi caloris sui cuncta consumeret, et etiam corpora, quæ robustiora potu ciboque erant, ab æstu defatigaret ; hic jejuniis post [d] perditum omnem ab ore humorem, salem æstuans ruminabat, ex quo iterum assumpto liquore arentes gengivas parumper inficeret. Quæ res, quanquam palatum aridum humectaret, tamen majus tormentum addita corporis siti præstabat. Sal enim, ut nulli occulitur, magis ardorem sitis concitat quam exstinguat, sed hic, tribuente Domino, arcebatur ab eo.

II. His diebus Theodericus ingressus Arvernum terminum (*An.* 525), omnia exterminabat, cuncta devastabat. Cumque in Arthonensis [e] vici pratis castra metasset, antedictus senex ad occursum ejus properat, quasi pro populo rogaturus : ingressusque castra mane, rege adhuc in tentoriis dormiente, Sigivaldi papilionem, qui tunc primus cum eo habebatur aggressus est : et dum de hac captivitate conqueritur, Sigivaldus ut, ablutis aqua manibus, merum dignaretur accipere deprecatur, dicens : Magnum mihi hodie gaudium commodumque divina pietas præstat, si infra tentorii mei septa, facta oratione, potum dignaris accipere. Audierat enim famam sanctitatis ejus, idcirco et honorem ei pro Dei reverentia impendebat. Quod ille diversis modis excusans, asserebat hoc non posse fieri : Quia, inquit, nec hora debita esset, nec regi dignum præbuisset occursum, et, quod his omnibus potius erat, nec dum adhuc Domino psalmorum decantationem debitam exsolvisset. Sed his sepositis **1167** vi eum compulit, allatumque vasculum quo potio tenebatur, rogat ut eum Sanctus imposita prius manu sanctificaret. Qui elevata dextera cum signum crucis imposuisset, vasculum scinditur medium, ac virum quod infra tenebatur, cum immenso serpente terræ diffunditur. Quod cernentes qui aderant, meta exterriti ad pedes beati Viri decidunt, lambunt vestigia, osculantur et plantas : mirantur omnes virtutem senis, mirantur et se ab iniqui anguis viru divinitus fuisse salvatos. Ad istud miraculum concurrit omnis exercitus, vallat multitudo omnis beatum Virum, cupiens ejus fimbrias manu tangere, etsi osculo honorare non potuit : et rex exsilit de stratu suo, accurritque ad beati Confessoris adventum, illoque tacente, cunctos quos repetebat captivos absolvit, et reliquos deinceps ut voluit, sic recepit. Duplex [f] ibi beneficium Domino cooperante largitus, et illos a morte eruit, et hos a jugo captivitatis exemit. Vere, ut ego credo, et fides mea est, quia constat ab hoc periculo salvatos quasi suscitatos a mortuis.

III. Nec hoc præterire volui quod eum diabolus diversis machinis conatus illudere, cum videret se nihil ei posse nocere, visibilibus illum præliis est aggressus. Nam nocte quadam dum se sopori dedisset, subito expergefactus vidit cellulam suam quasi incendio concremari ; exsurgensque perterritus ostium petiit. Quod cum reserare nequiret, in oratione prosternitur, ac signum salutare coram se et circum se faciens, protinus phantasia flammarum quæ apparuerat evanuit, cognovitque hoc diaboli fuisse fallaciam. Idque statim revelatum est beato Protasio, qui tunc apud Canbidobrense monasterium [g] habebatur reclusus, qui cum summa festinatione monachum ex cellula sua ad fratrem dirigens, hortatus est, dicens : Oportet te, dilectissime frater, insidiis diaboli resistere viriliter, et nihil de illius dolositate pavescere, sed omnia quæ intulerit oratione assidua, ac signo crucis e contra **1168** opposito evincere, quia talibus semper tentationibus servos Dei nititur expugnare. Senuit autem Vir beatus, et, impleto boni operis cursu, migravit ad Dominum, cujus nunc tumulus [h] sæpius divinis glorificatur virtutibus. Hæc

[a] Ed. cum Laud., *fugientem... eum de.*

[b] Accusandi casum pro ablativo hic, ut alias, usurpat noster Gregorius.

[c] Hoc monasterium, quod oppido circumjacenti nomen dedit, in Arvernorum finibus versus Burbonenses etiamnunc subsistit, amisso ab annis octingentis abbatiæ titulo, in prioratum redactum, et monasterio Trenorchiensi subjectum. Trenorchiensibus monachis an. 1627 sæculari toga donatis, monasterium sancti Porciani sub regulari ordine permansit, quod an. 1645 cong. sancti Mauri monachis Benedictinis reformandum commissum est.

[d] In Colb. deest *post*, quæ lectio sincera videtur, Gregorio accusativum pro sexto casu, ut solet, ponente.

[e] Plerique Ed. cum Laud., *Archonensi*. Sed hic Artona vicus memoratur apud Arvernos notissimus. Hæc Theodorici expeditio narratur in lib. II Hist. cap. 12 et seqq., ubi et de Sigivaldo agitur. Vide cap. præcedens de sancto Quintiano.

[f] Ed., *et sic recepit duplex*, et deest *largitus*. Colb., *recepit ; sic duplex.*

[g] De hoc monasterio dictum est cap. præced. Protasium recenset Saussaius in appendice Martyrol. Gallic. inter eos quorum natalis dies est incertus. Branchus in Vitis sanctorum Arvernensium 24 Novembris consignat. Ex hoc solo Gregorii loco notus est.

[h] In proprio monasterio sepultus est. Ejus sacrum corpus sæculo x labente e terra levatum est : eximie

tantum de sancto Viro cognovimus, non dijudicantes alios qui majora de eo cognoverunt, si voluerint aliqua in ejus laudem conscribere.

CAPUT VI.

De sancto Gallo episcopo.

Nobilitatis mundanæ fastigium semper inhiat cupiditatibus, gaudet honoribus, inflatur occursibus, litibus forum pulsat, rapinis pascitur, calumniis delectatur, rubiginosi auri talenta desiderat et dum parva possidere videtur, ut agglomeret plurima magis accenditur, ingeritque ei congeries auri sitim arduam possidendi, sicut Prudentius ait :

Auri namque fames procedit [a] major ab auro.

Unde fit ut dum gaudet pompis sæculi et vanis honoribus oblectari [b], nihil ei de mansuris dignitatibus in memoriam revocetur : nec respicit ad ea quæ non videntur, dummodo illa quibus satiari animum putat, importune possideat. Sed sunt qui se de his nexibus, tanquam aves de muscipulis evolantes, et ad altiora tendentes, mentis alacrioris ingenio absolverunt, ac relictis exosisque terrenis facultatibus, totis se viribus ad illa quæ sunt cœlestia aptaverunt. Sicut sanctus Gallus incola Arvernæ urbis, quem a Dei cultu abstrahere non potuit, nec splendor generis, nec celsitudo senatorii ordinis, nec opulentia facultatis; quem separare a Dei amore non potuit, nec dilectio patris, non matris blanditiæ, non amor nutricum, non obsecundatio bajulorum : sed his omnibus pro nihilo ductis, et tanquam stercora exosis, Dei se dilectioni, Dei se officio vovens, monasteriali se districtioni subegit. Sciebat enim juvenilis fervoris flammas **1169** non aliter posse devincere, nisi censuræ canonicæ et disciplinæ severissimæ subderetur. Sciebat enim se ab humilitate sæculi ad altiora sublevaturum, et per patientiam tolerationis ad illam excelsi apicis gloriam evecturum, quod postea probavit eventus.

I. Sanctus denique Gallus (*An.* 554, 1 *Jul.*) ab adolescentia sua devotus Deo esse cœpit, diligensque ex tota anima Dominum, et ea quæ Deo dilecta esse noverat diligebat. Pater ejus nomine Georgius [c], mater vero Leocadia a stirpe Vectii Epagati descendens, quem Lugduni passum Eusebii testatur Historia, qui ita de primoribus senatoribus fuerunt, ut in Gallis nihil inveniatur esse generosius atque nobilius. Cumque ei pater cujusdam senatoris filiam quærere vellet, ille assumpto secum uno puerulo monasterium Cromonense [d] expetiit, sexto situm ab Arverna urbe milliario, suppliciter abbatem exorans ut sibi comam capitis tondere dignaretur. At ille videns prudentiam atque elegantiam pueri, nomen inquirit, interrogat genus et patriam. Ille vero Gallum se vocitari pronuntiat, civem Arvernum, Georgii filium senatoris. Quem abbas ut cognovit de prima progenie esse progenitum, ait : Bene desideras, fili, sed primum oportet hæc in patris tui deferri notitiam ; et si hoc ille voluerit, faciam quæ deposcis. Denique abbas pro hac causa nuntios mittit ad patrem, interrogantes quid de puero observari juberet. At ille parumper contristatus, ait : Primogenitus, inquit, erat mihi, et ideo eum volui conjugio copulare; sed si eum Dominus ad suum dignatur ascire servitium, illius magis quam nostra voluntas fiat. Et adjecit : Quidquid vobis infans, Deo inspirante, suggesserit, adimplete.

II. Tunc abbas ista nuntiis referentibus discens, puerum clericum [e] fecit : erat autem egregiæ castitatis, et tanquam senior, nihil perverse appetens, a jocis se etiam juvenilibus cohibebat, **1170** habens miræ dulcedinis vocem cum modulatione suavi, lectioni incumbens assidue, delectans jejuniis, et abstinens se multum a cibis. Quem cum beatus Quintianus episcopus ad idem monasterium veniens cantantem audisset, non eum permisit ultra illuc retineri, sed secum ad civitatem adduxit, et ut cœlestis pater in dulcedine spiritali nutrivit. Cumque defuncto patre vox ejus magis ac magis die adveniente componeretur [*Mss. duo*, componeret], atque idem in populis maximum haberet amorem, nuntiaverunt hæc Theoderico regi, quem dicto citius arcessitum tanta dilectione excoluit, ut eum proprio filio plus amaret : a regina autem ejus simili amore diligebatur, non solum pro honestate vocis, sed etiam pro castimonia corporis. Nam tunc Theodericus rex ex civibus Arvernis clericos multos abduxit, quos Trevericæ ecclesiæ ad reddendum famulatum Domino jussit assistere; beatum vero Gallum a se nequaquam passus

caput et aliquot ossa a Normannis quibusdam furata, delata sunt in castrum Normanniæ, Aquilam (*l'Aigle*) vulgo dictum. Reliquæ ejus sacri corporis exuviæ etiamnunc in monasterio sancti Portiani requiescunt. — Sacrum caput beati Portiani Normanni quidam sæculo x labente furtim ablatum in suam patriam detulerunt, ubi hodieque in ecclesia sancti Martini apud oppidum Aquilam dictum visitur. Anno 1673, die 26 Novembris, permittente Henrico de Maupas Ebroicensium episcopo, loci diœcesano, aperta est capsa sancti Portiani appellata, in qua beati viri caput in varia frusta conscissum repertum est cum hac inscriptione : *Caput D. Portiani, quod fractum fuit ab hæreticis in ecclesia sancti Martini de Aquila anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, die vero Martii decima octava.* In altera capsa inventum est ejusdem sancti viri brachium.

[a] Al., *parturit.*

[b] Bal., *oblectatur.*

[c] Is est Gregorii nostri avus, pater nempe sancti Galli et Florentii senatoris. Vectius Epagatus unus fuit e martyribus Lugdunensibus, cujus elogium habetur in celebri epistola quam Eusebius Historiæ suæ libro v, cap. 1, inseruit.

[d] Sic Ed. Colb., *Cronenense.* Laud., *Crononinsim.* Bell., *Cronosensim*, vulgo *Cournon.* Vide lib. IV Hist. cap. 40.

[e] Ex hoc aliisque passim Gregorii locis infert Lud. Thomassinus abbates olim tonsuram clericalem conferre consuevisse, eamdemque olim fuisse monachorum ac clericorum tonsuram, monachos denique sæpius clericorum nomine fuisse designatos. Quod passim nos quoque observavimus. Lege ea de re ejusdem Thomassini Disciplinam eccles. Latine editam parte I, lib. II, cap. 39. Cui consentit Cointius ad an. 518. Vide et Mabillonii notas in Vitam sancti Sequani, sæc. I Bened., pag. 264.

est separari : unde factum est ut eunte rege in Agrippinam [a] urbem, et ipse abiret simul. Erat autem ibi fanum quoddam diversis ornamentis refertum, in quo barbaries proxima [*Ed.*, opima] libamina exhibens, usque ad vomitum cibo potuque replebatur : ibi et simulacra ut deum adorans, membra secundum quod unumquemque dolor attigisset, sculpebat in ligno. Quod ubi sanctus Gallus audivit, statim illuc cum uno tantum clerico properat, accensoque igne, cum nullus ex stultis paganis adesset, ad fanum applicat ac succendit. At illi videntes fumum delubri ad cœlum usque conscendere, auctorem incendii quærunt, inventumque evaginatis gladiis prosequuntur. Ille vero in fugam versus, aulæ se regiæ condidit. Verum postquam rex quæ acta fuerant, paganis minantibus, recognovit, blandis eos sermonibus lenivit, et sic eorum furorem improbum mitigavit. Referre enim sæpe erat solitus Vir beatus hæc cum lacrymis, et dicebat : Væ mihi **1171** qui non perstiti ut in hac causa finirer ! Fungebatur eo tempore diaconatus officio.

III. Denique cum beatus Quintianus episcopus ab hoc sæculo, jubente Domino, transisset, sanctus Gallus apud urbem Arvernam eo tempore morabatur. Cives autem Arverni ad domum Impetrati presbyteri ejusdem avunculi convenerunt, conquerentes de obitu sacerdotis, et qui in ejus locum deberet substitui requirentes. Quod diutissime pertractantes, regressus est unusquisque ad semetipsum. Post quorum discessum sanctus Gallus vocavit unum ex clericis, et irruente in se Spiritu sancto, ait : Quid hi mussitant? quid cursitant? quid retractant? Vacuum est, inquit, opus eorum, ego ero episcopus, mihi Dominus hunc honorem largiri dignabitur : tu vero cum me redire de præsentia regis audieris, accipe equum decessoris mei stratum, et egrediens te in obviam exhibe mihi. Quod si audire despexeris, cave ne te in posterum pœniteat. Cumque hæc loqueretur, super lectulum decumbebat. Tunc iratus contra eum clericus, cum multa exprobraret, elisum super spondam [b] lecti latus ejus læsit, turbidusque discessit. Quo discedente, ait Impetratus presbyter ad beatum Gallum : Audi, fili, consilium meum. Noli penitus retardare, sed vade ad regem, et nuntia ei quæ hic contigerint ; et si ei inspirat Dominus ut tibi hoc sacerdotium largiatur, magnas Deo referemus gratias; sin aliud, vel ei qui ordinatus fuerit commendaberis. Ille vero abiens, quæ de beato Quintiano contigerant regi nuntiavit. Tunc etiam et Apprunculus Trevirorum episcopus translit [c] ; congregatique clerici civitatis illius ad Theodericum regem, sanctum Gallum petebant episcopum. Quibus ille ait : Abscedite, et alium requirite, Gallum enim diaconem alibi habeo destinatum. Tunc eligentes sanctum Nicetium episcopum acceperunt : Arverni vero clerici cum consensu [d] insipientium facto, et multis muneribus, ad regem venerunt. Jam tunc germen illud iniquum cœperat fructificare [*Ed.*, pullulare], ut sacerdotium aut venderetur a regibus, aut compararetur a clericis. Tunc ii audiunt a **1172** rege, quod sanctum Gallum habituri essent episcopum. Quem presbyterum ordinatum jussit rex ut, datis de publico expensis, cives invitarentur ad epulum, et lætarentur ob honorem Galli futuri episcopi. Quod ita factum est. Nam referre erat solitus non amplius donasse se pro episcopatu quam unum triantem coquo qui servivit ad prandium. Post hæc rex, datis ad solatium ejus duobus episcopis, Arvernis eum direxit : clericus vero ille qui super spondam lecti latus ejus illiserat, Viventius nomine, ad occursum Pontificis secundum verbum illius properat, non sine magno pudore, et se, simulque equum quem jusserat repræsentat. Ingressisque utrisque in balneum, dolorem lateris, quem ab impulsu superbiæ ejus clerici incurrerat, clementer improperat, magnam ex hoc ei ingerens verecundiam, non cum ira, sed tantum joco spirituali delectatus. Igitur exinde cum multo psallentio in civitatem suscipitur, et in sua ecclesia episcopus ordinatur.

IV. Jam vero assumpto episcopatu, tanta humilitate tantaque charitate cum omnibus usus est, ut ab omnibus diligeretur. Patientiam vero ultra humanum morem habens, ita ut, si dici fas est, Moysi compararetur ad diversas injurias sustinendas. Unde factum est ut a presbytero suo in convivio percussus in capite, ita se quietum reddiderit, ut nec sermonem quidem asperum respondisset ; sed omnia quæ ei accidebant patienter ferens, in Dei hoc arbitrio, a quo se petebat enutriri, jactabat. Nam et Evodius [e] quidam ex senatoribus presbyter, cum in convivio ecclesiæ eum multis calumniis atque conviciis lacessisset, consurgens Sacerdos loca basilicarum sanctarum circuibat : tamen cum hoc Evodio fuisset perlatum, post eum cursu veloci dirigens, et se ante pedes ejus in ipsa platea prosternens, veniam petiit, deprecans ut eum oratio ejus cum omnipotente Judice non fuscaret. At ille benigne eum colligens, cuncta quæ locutus fuerat clementer indulsit, eum arguens ne hæc ultra contra sacerdotes Domini auderet appetere, quia ipse episcopatum nunquam promereretur **1173** accipere. Quod postea probavit eventus. Nam cum in Gabalitano ad episcopatum jam electus [f], jam in cathedra positus, jam cuncta parata essent ut benediceretur episcopus, ita subito contra eum omnis populus consurrexit, ut vix vivus posset evadere ; qui postea presbyter transiit.

V. Apud Aurelianensem autem urbem, incriminatus ab iniquis episcopo Marco, et in exsilium trusus,

[a] Ea est Colonia (*Cologne*), urbs vel suo nomine celebris.

[b] Id est latus lecti, a voce σπονδή, fœdus.

[c] Obiit circa an. 527. Festum ejus celebratur die 22 Aprilis.

[d] Id est instrumento electionis.

[e] Ed., sicut et inf. a, *Ennodius*.

[f] Post mortem sancti Hilarii, cui substitutus est Evanthius, qui conc. Aurel. IV subscripsit.

is episcoporum conventus est aggregatus, Chil- A et maxime tunc Arelatensem provinciam depopularet,
o rege jubente, in qua synodo [a] cognoscentes sanctus Gallus non tantum pro se quantum pro po-
episcopi, hoc esse vacuum quod contra eum pulo suo trepidus erat : cumque die noctuque Do-
mussitatum, eum civitati et cathedræ suæ minum deprecaretur, ut vivens plebem suam vastari
unt. Denique tunc in servitio sancti Galli Va- non cerneret, per visum noctis apparuit ei angelus
anus [b] diaconus, qui nunc presbyter habetur Domini, qui tam cæsariem quam vestem in similitu-
vocalis, abiit ; cumque episcopo alio missas- dinem nivis candidam efferebat, et ait ad eum : Bene
e, diaconus ille propter jactantiam potius quam enim te, o Sacerdos, prospectat divina pietas pro
i timore cantare vellet, a sancto Gallo prohi- populo tuo supplicantem ; ideoque ne timeas, exau-
ir, dicente sibi : Sine, inquit, fili, quando [*Ed.*, dita est enim oratio tua, et ecce eris cum populo tuo
ion] Domino jubente nos celebraverimus solem- ab hac infirmitate liberatus : nullusque te vivente in
nc et tu canere debes. Nunc ejus clerici conci- regione ista ab hac strage deperibit. Nunc autem noli
ui consecrat [*Ed.*, consecrant] missas. At ille et metuere, post octo vero annos expletos migrabis a
e posse pronuntiat. Cui Sacerdos : Fac ut libet, sæculo. Quod postea manifestum fuit. Expergefactus
uod volueris non explebis. Ille quoque negli- autem, et Deo gratias pro hac consolatione agens,
nandatum Pontificis abiit, et tam deformiter B quod per cœlestem nuntium confortari dignatus est,
t, ut ab omnibus irrideretur. Adveniente autem rogationes illas instituit, ut media Quadragesima psal-
Dominica, dicente sæpedicto Pontifice missas, lendo ad basilicam beati Juliani martyris itinere pe-
eum abire : Nunc, inquit, in nomine Domini destri venirent. Sunt autem in hoc itinere quasi sta-
volueris explicabis. Quod cum fecisset, in tan- dia trecenta sexaginta. Cum autem regiones illas, ut
ox ejus præclara facta est, ut ab omnibus lau- diximus, **1175** lues illa consumeret, ad civitatem
ir. O beatum virum ! cui talis gratia concessa Arvernam, sancti Galli intercedente oratione, non
t sicut animæ, ita et cum eo voces hominum attigit. Unde ego non parvam censeo gratiam ejus
us potestate consisterent, quas et cum voluit qui hoc meruit, ut pastor positus oves suas devorari,
prohibuit, et cantare permisit. defendente Domino, non videret.

Præstitit autem Deus et alia miracula magna VII. Sed veniamus ad illud tempus cum eum Do-
lum. Nam cum Julianus Defensor [c], presbyter minus de hoc mundo jussit assumi. Cum gravatus in-
ps, dulcissimæ voluntatis homo, a quartano commodo decubaret, ita febris interna omnia membra
orreptus graviter cruciaretur, **1174** lectulum ejus depavit [*Al.* depilavit], ut capillos et barbam
Sacerdotis expetiit ; in quo decubans, a lectua- simul amitteret. Sciens autem se, revelante Domino,
e coopertus, paululum obdormiens, ita sanatus C post triduum migraturum, convocat populum, et om-
nec contactus quidem postea ab hac infirmitate nibus confracto pane, communionem [f] sancta ac pia
. Cum autem Arverna civitas maximo incendio voluntate largitur. Adveniente autem die tertia, quæ
retur, et hoc Sanctus comperisset, ingressus erat Dominica diès, quæ civibus Arvernis immanem
am diutissime Dominum ante sanctum altare intulit luctum, albescente jam cœlo, interrogat quid
acrymis exoravit, surgensque, Evangelia com- in ecclesia psallerent. Dixerunt benedictionem eos
nsa, apertaque in obviam se igni obtulit. Qua psallere. At ille psalmo L et benedictione decantata,
. parata [d], protinus ad aspectum ejus ita omne et alleluiatico cum capitello expleto, consummavit
lium est exstinctum, ut nec favillæ quidem in matutinos [g]. Quo perfunctus officio ait : Vale dicimus
gneæ remansissent. Sub ejus autem tempore vobis, fratres. Et hæc dicens, extensis membris,
o terræ motu Arverna civitas est concussa, sed spiritum cœlo intentum præmisit ad Dominum. Trans-
oc acciderit ignoramus. Hoc tamen scimus quod iit autem ætatis suæ anno 65, episcopatus vero sui
m ex populo læsit. Cum autem lues illa [e], quam anno 27 [h]. Exin ablutus atque vestitus in ecclesiam
nariam vocant, per diversas regiones desæviret, defertur, donec comprovinciales [i] ad eum sepelien-

est synodus Aurelianensis v quæ in præfatione te Childeberto coacta dicitur. Marcus autem Au- D ensi iv interfuerat an. 547.

[b] Colb. Alii cum Ed., *Valentianus*. At infra omnes t, *Valentinianus*. Vocalis dicitur, id est, *cantor*, ossario Cangii. Et quidem infra dicerte *cantor* latur.

[c] fensores ii erant quibus rerum et negotiorum æ cura et defensio commendata erat. Vide ssin. Disciplinæ eccles. parte i, lib. ii cap. .

[d] ., *Evangeliis comprehensis apertisque..... quo perante*. At nostra lectio sincerior, licet obscu- quod Gregorius pro more suo quartum pro sexto dhibeat.

[e] eadem lue agit Gregorius lib. iv Hist. cap. 5, i de Gloria Mart. cap. 51. Contigit an. 545 aut nti.

[f] eulogias, an communionem sub una specie ?

[g] Sic Scripti. Id est officium, quod Laudes appella- mus, absolvit. In quibus eosdem psalmos hodieque, ut hic designantur, canimus, scilicet L, *Benedicite*, et CXLVIII, cum duobus seqq. qui *alleluiatici* ex suo titulo appellantur. Editi vero hic habent : *Consummavit officium totum temporis matutini Quo jam extremo perfunctus*, etc. Porro ex hoc loco patet *decantare* idem esse ac recitare.

[h] Paulo minus habet Fortunatus in ejus epitaphio, quod est carmen 4 libri iv, forte metri legibus coarctatus. Obiit circa an. 554, non quidem 1 Julii, licet ea die festum illius celebretur. Adi Cointium et Mabillon., sæc. i Bened. pag. 119. Gallus autem subscripsit conc. Arvernensi an. 535, Aurelianensi iv an. 541, et v an. 549. Per Laurentium vero presbyterum adfuit Aurelian. ii an. 533, et iii per Optardenum an. 538.

[i] Vicini scilicet episcopi, qui ad episcoporum defunctorum exsequias, sicut ad novorum ordinationes convenire solebant.

dum convenirent. Magnum enim ibi miraculum ostensum populis fuit, quod Sanctus Dei, attracto dextro pede in feretro, se in aliud latus, quod erat versus altare, contulit. Dum autem hæc agerentur, rogationes illæ, quæ quotannis ubique in Paschate fiunt [a], celebrantur. Jacuit autem in ecclesia triduo, **1176** assiduo instante psallentio [b] cum magna frequentia populi. Episcopis autem quarta die advenientibus, eum de ecclesia levaverunt, et portantes in sancti Laurentii [c] basilicam, ibi sepeliunt. Jam vero in exsequiis ejus quantus planctus, quanti populi adfuere, enarrari vix potest : mulieres cum lugubribus indumentis, tanquam si viros perdidissent ; similiter et viri, obtecto capite [d], ut in exsequiis uxorum facere mos est ; ipsi quoque Judæi accensis lampadibus plangendo prosequebantur. Omnes præterea populi una voce dicebant : Væ nobis qui post hanc diem nunquam similem merebimur habere pontificem. Et quia, ut diximus, provinciales longe distabant, nec celerius venire potuerant, ut mos rusticorum habetur, glebam super beatum corpus posuere fideles, quo ab æstu non intumesceret. Quem cespitem post ejus exsequias mulier quædam, et vere, ut ego diligenter inquisivi, virgo purissima et devota Deo, Meratina [*Bal.*, Meretina] nomine, ab aliis ejectum collegit, in horto suo posuit, et infusa sæpius aqua, Domino incrementum dante, vivere fecit. De quo cespite infirmi non solum auferentes atque bibentes herbam, sanabantur, verum etiam fidelis super eum oratio suffragium merebatur. Qui postea per incuriam, virgine migrante, deperiit. Denique ad sepulcrum ejus multæ virtutes ostensæ sunt. Nam quartanarii et diversis febribus ægroti, ut ad beatum tumulum fideliter attingunt, protinus hauriunt sanitatem. Valentinianus igitur cantor, cujus supra meminimus, qui nunc presbyter habetur [e], cum diaconatus fungeretur officio, a typo quartano corripitur, ac per multos dies magna defectione laboravit. **1177** Factum est autem, ut in die accessus hujus febris, loca sancta circuire disponeret orans, veniensque ad hujus sancti sepulcrum, prostratus ait : Memor esto mei, beatissime ac sancte sacerdos. A te enim educatus, doctus ac provocatus sum ; memor esto alumni proprii quem amore unico dilexisti, et erue me ab hac qua detineor febre. Hæc effatus, herbulas quæ ad honorem Sacerdotis tumulo respersæ fuerant a devotis colligit ; et, quia virides erant, ori applicat, dentibus decerpit, succumque earum deglutit. Præteriit enim dies illa, nec ab hoc est pulsatus incommodo, et deinceps ita sospitati est restitutus, ut nec illas quas vulgo fractiones [f] vocant ultra perferret. Hoc ab ipsius presbyteri ore ita gestum cognovi. Non enim ambigitur per illius potentiam prodire virtutes de tumulis servorum suorum, qui Lazarum vocavit ex monumento.

CAPUT VII.

De sancto Gregorio episcopo Lingonensi.

Egregiæ sanctitatis viri, quos palma perfectæ beatitudinis e terris editos evexit ad cœlos, hi sunt quos aut non fictæ charitatis vinculum ligat, aut eleemosynarum fructus ditat, aut flos castitatis adornat, aut martyrii agonizatio certa coronat : in quibus ad inchoandum perfectæ justitiæ opus illud fuit studium, ut in primis corpus sine macula præparatum habitaculum Spiritui sancto præberent, et sic ad reliquarum virtutum excelsa contenderent ; atque ipsi sibi persecutores facti, dum in se sua perimebant vitia, tanquam martyres probati, peracto cursu agonis legitimi triumpharent. Quod nullus sine Dei ope valebit efficere, nisi dominici adjutorii protegatur vel parma vel galea ; et quod egerit non sui, sed ad divini nominis gloriam deputet, juxta illud Apostoli : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31). In hoc enim et beatus Gregorius omnem **1178** gloriam contulit, qui de excelsa senatorii ordinis potentia ad illam se humilitatem subdidit, ut, omnibus sæculi curis abjectis, soli se Deo dicaret opere, quem in pectore retinebat.

I. Igitur sanctus Gregorius ex senatoribus primis, bene litteris institutus Augustidunensis civitatis comitatum ambivit (*An.* 539, 4 *Jan.*) ; in comitatu autem positus regionem illam per quadraginta annos justitia comitante correxit [*Al.*, rexit] : et tam severus atque districtus fuit in malefactoribus, ut vix ei ullus reorum posset evadere. Conjugem de genere senatorio habens, Armentariam nomine, quam ad propagandam generationem tantum dicitur cognovisse, de qua et filios, Domino largiente, suscepit : aliam vero mulierem, ut juvenilis assolet fervor, inardescere non contigit.

II. Post mortem autem uxoris ad Dominum convertitur, et electus a populo Lingonicæ [g] urbi episcopus ordinatur. Cui magna fuit abstinentia ; sed ne jactantia putaretur, occulte sub triticeos panes [h] assistere.

[a] Colb. et Laud., *quæ post Pascha fiunt* ; et Colb., *celebrabantur*. Quæ lectio Mabillonii nostri sententiam firmat, locum hunc in Liturgia Gall., lib. II, n. 57, exponentis de illo toto tempore quod a Resurrectione ad Ascensionem, imo et ad Pentecosten excurrit.

[b] Observa preces continuas circa corpus defuncti.

[c] Idem habet libellus de Ecclesiis Clarom. cap. 3. Alius est Gallus, qui ibi in sui nominis ecclesia quiescere dicitur cap. 8, sic et cap. 11. Alius item Gallus in ecclesia sancti Illidii dicitur sepultus, sed ignotus est. Porro basilica sancti Laurentii a Victorio duce constructa fuit ex Greg. Hist. lib. II cap. 20, quam a cathedrali distinguendam esse monent Savaro et Cointius.

[d] Observat Mabillonius hodieque in exsequiis regum, viros defuncti officiarios capitibus tectis funeri assistere.

[e] Sic Mss. et Ed., præter Bal., qui habet, *qui tunc presbyter habebatur*. Inde tamen Thomassinus lib. II, parte I, cap. 31, intulit cantores sæculo VI non fuisse, ut antea, pueros, aut minores clericos, sed presbyteros, etc.

[f] Aliquot Mss. et Editi, *frictiones*. Fractio febris est intermissio, qua illa veluti frangi videtur.

[g] Urbs notissima, vulgo *Langres*, cujus episcopus dux est et par Franciæ.

[h] Sic Mss. pro *sub triticeis panibus*. Cui casuum mutationi non attendentes, hunc locum corruperunt, qui Gregorii opera edidere, sic substituentes : *subcinericios panes ex hordeo aliis tenuioribus supponebat triticum*.

alios tenues ex hordeo supponebat : triticeum frangens aliis erogabat, ipse vero clam hordeum, nemine intelligente, præsumens. Similiter de vino faciens, dum aquam ei pincerna porrigeret, ad dissimulandum aquam desuper effundi jubebat, tale vitrum eligens quod claritatem aquæ obtegeret. Jam in jejuniis, eleemosynis, orationibus atque vigiliis tam efficax tamque devotus erat, ut in medio mundi positus novus effulgeret eremita [a]. Nam cum apud Divionense castrum moraretur assidue, et domus ejus baptisterio [*] adhæreret in quo multorum sanctorum reliquiæ tenebantur ; nocte de stratu suo, nullo sentiente, consurgens, ad orationem, Deo tantum teste, pergebat, ostio divinitus reserato, attente psallebat in baptisterio. Sed cum hoc multi temporis spatio ageret, tandem ab uno diacono res cognita atque manifestata est : idem cum cognovisset hæc agi, a longe, ne eum Vir beatus sentire posset, prosequebatur, et quid ageret spectabat. Aiebat enim **1179** diaconus, quod veniens Sanctus Dei ad ostium baptisterii, pulsans manu propria, ostium nemine comparente aperiebatur, illoque ingrediente diutissime silentium erat : postea psallentium tanquam multarum vocum per trium horarum et fere amplius spatium audiebatur. Credo ego quod cum magnorum sanctorum in eodem loco haberentur reliquiæ, ipsi se beato Viro revelantes psallentium Domino in commune reddebant. Nam, impleto cursu [c], revertens ad lectulum, ita se caute super stratum deponebat, ut prorsus nemo sentiret : observatores vero ostium baptisterii obseratum invenientes, clave sua solite aperiebant, commotoque signo, sanctus Dei, sicut reliqui, novus ad officium dominicum consurgebat. Nam cum energumeni eum primo die [d] episcopatus sui confiterentur, rogabant eum presbyteri ut eos benedicere dignaretur. Quod ille viriliter ne vanam incurreret gloriam refugiebat, clamans indignum se ad manifestandas virtutes dominicas esse ministrum : sed tamen quia diutius hoc dissimulare non potuit, adduci eos ad se jubens, sine ullo tactu, facto tantum signo crucis e contra, verbo dæmonia discedere imperabat. Quod illa protinus audientia, corpora quæ sua nequitia devinxerant [*] absolvebant. Nam illo absente, multi de virga quam in manu ferre solitus erat suspensos atque signatos energumenos expellebant. Nam et de stratu ejus si quis ægrotus quidpiam abstulisset, erat præsens medicamentum. Armentaria [f] autem neptis ejus cum graviter quodam tempore in adolescentia sua a quartano fatigaretur incommodo, ac medicorum studio plerumque fota, nullum posset sentire levamen, et ab ipso Confessore beato sæpius ut orationi insisteret **1180** hortaretur, quadam die lectum ejus expetiit, in quo posita ita febris cuncta restincta est, ut nunquam hac deinceps ægrotaret [g].

III. Sanctus vero Gregorius cum per [h] diem sanctam Epiphaniorum ad civitatem Lingonas ambulasset, a modica febre pulsatus, relicto sæculo migravit ad Christum : cujus beata facies ita erat glorificata post transitum, ut rosis similis cerneretur. Hæc enim apparebat rubea, reliquum vero corpus tanquam candens lilium refulgebat, ut æstimares eum jam tunc ad futuræ resurrectionis gloriam præparatum. Quod deferentes ad castrum Divionense, ubi se jusserat tumulari [i], in campania illa quæ a parte Aquilonis habetur haud procul a castro aggravat [j], gestatores non sustinentes feretrum solo deposuerunt, ibique parumper resumentes vires, et post paululum elevantes, ad intramuraneam ecclesiam [k] eum detulerunt. Advenientibus autem quinto die episcopi, ab ecclesia ad basilicam [l] beati Joannis deferebatur ; et ecce vincti carceris ad beatum corpus clamare cœperunt, dicentes : Miserere nostri, piissime domne, ut quos vivens in sæculo non absolvisti, vel defunctus cœleste regnum possidens digneris absolvere; visita nos quæsumus, et miserere nostri. Hæc et alia illis clamantibus, aggravatum est corpus ita, ut ipsum penitus sustinere non possent. Tunc ponentes feretrum super terram, virtutem beati Antistitis præstolabantur. His ergo exspectantibus, subito reseratis carceris ostiis, trabes illa qua vinctorum pedes coarctabantur, repulsis obici-

[a] Quæ infra de energumenis, etc., ad beati viri obitum referuntur, hic habentur in editione Bollandi

[b] Hoc baptisterium auctor Vitæ Garnerii secundi abbatis sæculo XII scriptæ putat fuisse oratorium sancti Vincentii, quod hodieque superest basilicæ sancti Stephani vicinum et subjectum, absque aliquo titulo. Ecclesia tamen sancti Joannis in Chronico Benigniano baptisterium fuisse dicitur ; ibique complures erant sanctæ reliquiæ.

[c] Quam religiosi essent olim clerici in persolvendis officiis divinis, jam non semel observavimus. *Canonicum cursum* appellat sanctus Audoenus in Vita sancti Eligii, lib. I, num. 11, ubi laudat sanctum virum ejusque clericos, qui « diu noctuque in ejus camera cum omni studio solemniter canonicum adimplere studebant cursum. » Et infra *cursus* vocem explicat : « Cum, inquit, visitaret diœcesin suam, ut solent episcopi, quadam ex causa interdixit, ne cursus, id est preces canonicæ et sacrificium celebrarentur in basilica quadam, donec ipse juberet. »

[d] Boll., *in primordio*. Ed., *in primo*.

[e] Aliquot ed., *divexarant*. Al., *devexerant*.

[f] Ea fuit Gregorii nostri mater. Sic enim appellabatur, et erat sancti Gregorii ex filia neptis.

[g] Hic in editione Bolland. interseritur brevis narratio de translatione sancti Benigni per sanctum Gregorium (de qua in lib. de Glor. mart. cap. 51), tum de basilica Benigniana ab eodem exstructa, et monachis ibidem institutis, quæ fuse in Chronico Benigniano narrantur tom. I Spicilegii Acheriani.

[h] Passim apud Gregorium vox *per* occurrit pro *propter*, quæ sic est hic accipienda, alias die 4 Januarii obiisse dici non posset.

[i] Interpolator Bolland., *ubi ob devotionem sancti Benigni se petierat tumulari.*

[j] Sic Laud., Bell. et Colb., pro *aggravatur*. Ed. habent, *aggravati gestatores*. Max., *fatigati*.

[k] Ea est ecclesia sancti Stephani, postea a canonicis regularibus possessa, qui anno 1613 facti sunt sæculares. Hujus historiam nuper edidit vir cl. Claudius Fiot ejusdem loci abbas et restaurator.

[l] Interpolator : *Ad antiquitus constructam et sepulturis Lingonensium pontificum insignitam.*

bus, scinditur media, confractisque catenis omnes pariter dissolvuntur, et ad beatum corpus, nemine retinente, perveniunt: dehinc elevantes feretrum gestatores, ii inter **1181** reliquos obsequuntur, qui et a judice postea sine damno aliquo sunt dimissi.

IV. Post hæc beatus Confessor multis se virtutibus declaravit. Aiebat enim quidam religiosus, cœlos se apertos in die ejus sepulturæ vidisse; nec enim ambigitur quin post actus angelicos sidereis sit cœtibus aggregatus. Vinctus quidam per viam illam qua beatum corpus Lingonis est exhibitum ad antedictum castrum adducebatur. Cumque milites cum equitibus præcedentes post terga traherent vinctum, ad locum ubi beati Confessoris artus quieverant pervenerunt. Quem prætereuntes, vinctus, invocato nomine beati Antistitis, petiit ut eum sua misericordia liberaret. Quo orante, laxati sunt laquei de manibus ejus, et sentiens se solutum, quietum reddidit; coopertisque manibus, putabatur adhuc esse ligatus. Ingressi autem portam castri, cum ante atrium ecclesiæ pervenissent, hic exsiliens, et corrigiam ligaminis trahentium in manu tenens, cum auxilio omnipotentis Dei et obtentu beati Pontificis liberatus est. Admirabile autem est et illud miraculum, qualiter beatum corpus ejus cum post multa tempora transferretur, apparuit gloriosum. Cum beatus Pontifex in angulo basilicæ fuisset sepultus, et parvus esset locus ille, nec ibi populi sic possent accedere ut devotio postulabat, sanctus Tetricus [a] filius et successor ejus hæc cernens, et virtutes ibidem assidue operari prospiciens, ante altare basilicæ fundamenta jecit, erectaque absida, miro opere construxit et transvolvit: qua transvoluta, disruptoque pariete, arcum ædificavit. Quod opus [b] perfectum atque exornatum, in medio absidæ loculum fodit: quo corpus beati patris transferre volens, convocat presbyteros et abbates ad illud officium, qui vigilantes orabant, ut se beatus Confessor ad hanc præparatam habitationem transferri permitteret. Mane autem facto, cum choris psallentium, apprehensum sarcophagum ante altare in absidam quam beatus episcopus ædificaverat, **1182** transtulerunt [c]. Quod sepulcrum dum diligenter componunt, subito, et, ut credo, ad Dei jussum, opertorium sarcophagi motum est in una parte: et ecce apparuit beata facies ejus ita integra et illæsa, ut putares cum non mortuum esse, sed dormientem; sed nec de ipso vestimento quod cum eo positum fuit aliquid ostensum est diminutum [*Bal.*, offensum]: unde non immerito apparuit gloriosus post transitum, cujus caro non fuit corrupta ludibrio. Magna est enim corporis et cordis integritas, quæ et in præsenti sæculo præstat gratiam, et in futuro vitam largitur æternam, de qua Paulus apostolus ait: *Pacem sequimini et sanctificationem* [d], *sine qua nemo videbit regnum Dei* (*Heb.* XII, 14).

V. Puella quædam, die Dominico cum suum caput componeret, pectine apprehenso, credo ob injuriam dici sancti, in manibus ejus adhæsit, ita ut affix dentes tam in digitis quam in palmis magnum ei dolorem inferrent. Quæ cum basilicas sanctorum ffens atque obsecrans circuiret, ad sepulcrum beati Gregorii antistitis, in ejus virtute confisa prosternitur: cumque diutissime beati Confessoris præsidium flagitasset, directa manus ejus ad opus pristinum pectine decidente reducitur. Sed et energumeni eum confitentes ad ejus sepulcrum sæpe purgantur. Nam plerumque vidimus post ejus transitum, virgula, cujus supra meminimus, quam manu gerebat, per parietes ita eos affixos, ut putares illos validis atque acutissimis sudibus retineri.

VI. Multa quidem et alia de eodem gesta cognovimus; sed ne fastidium incitarent, de pluribus pauca perstrinximus. Obiit autem episcopatus sui anno 33, ætate nonagenarius, qui se virtutibus manifestis sæpius declaravit [e].

CAPUT VIII.

De sancto Nicetio Lugdunensi episcopo.

Præsentiæ [f] divinæ bonum, quod plerumque regno suo provideat **1183** quos asciscat, ipsa sæpius sacræ lectionis testantur oracula, sicut ad Jeremiam eximium vatem cœlestis oris mystica deferuntur eloquia, dicentis: *Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te* (*Jerem.* I, 5). Et ipse Dominus utriusque conditor Testamenti, cum illos quos largitio hilaris agneo decoratos vellere suis locat a dextris, quid ait? *Venite benedicti Patris mei* [g], *percipite præparatum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV, 34). Sed et illud vas electionis beatus Apostolus: *Quos*, inquit, *præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII, 29). Nam et de Isaac (*Gen.* XVII), Joanneque (*Luc.* I), qualiter nascerentur, vel quid agerent, et nomen, et opus prædixit, et meritum. Sic nunc et de beato Nicetio ipsa illa prisca miseratio pietatis quæ immerita ditat, non nata sanctificat, et omnia priusquam gignantur et disponit et ordinat, qualibus sacerdotalis gratiæ infulis floreret in terris, prius genitrici voluit revelare: de cujus Vita retine-

[a] De hoc Sancto diximus ad lib. IV Hist. cap. 16. Sepultus est juxta patrem suum in ecclesia sancti Joannis, ubi et jacebat sanctus Urbanus, ex Chronico Benigniano. Eorum corpora in basilicam Benignianam translata sunt, ubi integrum superest sancti Urbani corpus; sancti Gregorii vero reliquiarum partem mediam possidet Lingonensis ecclesia. At sancti Tetrici corpus cum aliis ignotis sanctis reliquiis permixtum est.

[b] Id est, *quo opere perfecto*, etc. Laud., *locum fodit.*

[c] Hujus Translationis festum die 6 Novembris celebratur in Martyrol. Gallicano.

[d] Colb., *sanctimoniam.*

[e] Subjicit Interp. Boll. epitaphium a Fortunato editum, quod est libri IV carm. 2. Sanctus Gregorius interfuit an. 517 conciliis Epaonensi et Lugdun. I an. 535, Arvern. I et per Evantium presb. Aurelian. III an. 538. Eumdem Gregorius laudat lib. III Hist. cap. 15 et 19.

[f] Laud. *præscientiæ.*

[g] In Colb. et Bell. deest *Patris mei.*

tur quidem exinde libellus [a] nobiscum, nescio a quo compositus, qui multas quidem virtutes ejus pandit, non tamen vel exordium nativitatis conversionisque ejus, vel seriem virtutum declarat ad liquidum ; et licet nec nos omnes ejus virtutes investigavimus, quas per eum Dominus vel occulte operari est dignatus, vel publice, tamen quæ ad priorem auctorem non pervenerunt, etsi rusticiori stylo pandere procuravimus.

I. Igitur Florentius [*Al.*, Florentinus] quidam ex senatoribus accepta Artemia conjuge, cum duos jam haberet liberos, ad episcopatum Janubensis (*Genève*) urbis expetebatur (*An.* 583, 2 *April.*), et re jam obtenta cum principe [*id est*, a rege], ad domum revertitur, conjugique quæ egerat nuntiavit. Quod illa audiens respondit viro : Desine, quæso, dulcissime conjux, ab hac causa, et ne quæsieris episcopatum urbis, quia ego ex conceptu a te sumpto episcopum gero in utero. Requievit Vir sapiens audita uxore, rememorans illud quod vox divina quondam principio [*Colb.*, principi] fidei nostræ Abrahæ beato præceperat : *Omnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem* **1184** *ejus* (*Gen.* XXI, 12). Denique impletis pariendi diebus mulier enixa est puerum, quem quasi victorem [b] futurum mundi, Nicetium in baptismo vocitavit, eumdemque summa nutritum diligentia litteris ecclesiasticis mandavit institui. Defuncto autem patre, hic cum genitrice jam clericus in domo paterna residens, cum reliquis famulis manu propria laborabat, intelligens commotiones corporeas non aliter nisi laboribus et ærumnis opprimi posse. Quodam vero tempore, cum adhuc in domo ipsa degeret, orta est ei pusula mala in facie : quod virus invalescens ac excoquens fecit puerum desperatum. Sed mater ejus jugiter inter multa sanctorum nomina, beati Martini nomen pro ejus salute peculiarius invocabat. Cumque per biduum puer jacuisset in lectulo clausis oculis, et nullum verbum consolationis matri lamentanti proferret ; sed potius ipsa genitrix inter spem metumque titubans, juxta ritum exsequiarum necessaria funeris præpararet, secunda die ad vesperum aperiens oculos, ait : Quo ivit mater mea ? quæ statim adveniens ait : Ecce adsum, quid vis, fili ? Et ille : Ne timeas, inquit, mater, beatus enim Martinus super me crucem Christi faciens, surgere me jussit iucolumem. Hæc effatus statim surrexit a lectulo, geminavitque virtus divina miraculi hujus gratiam, ut et Martini panderetur meritum, et hic, quia futurus erat pontifex, a contagio salvaretur. Testis enim fuit hujus causæ visa cicatrix ejus in facie.

II. Ætate quoque jam tricenaria presbyterii [c] honore præditus (*An.* 543), nequaquam se a labore operis quod prius gessit abstinebat, sed semper manibus propriis operabatur cum famulis, ut Apostoli præcepta compleret, dicentis : *Laborate manibus, ut habeatis unde tribuere possitis necessitatem patientibus* (*Ephes.* IV, 28). Illud omnino studebat, ut omnes pueros qui in domo ejus nascebantur, ut primum vagitum infantiæ relinquentes loqui cœpissent, statim litteras doceret ac psalmis imbueret : scilicet ut ingressui [d] tale jungeretur psallentium, ut tam antiphonis quam meditationibus **1185** diversis, ut devotio flagitabat animi, posset implere [e]. Castitatem autem non modo hic diligenter erat custodiens, verum etiam custodiendi gratiam aliis jugiter prædicabat, et a polluto tactu et verbis obscenis ut desisterent edocebat. Nam recolo in adolescentia mea cum primum litterarum elementa cœpissem agnoscere, et essem quasi octavi anni ævo, et ille indignum me lectulo locari juberet, ac paternæ dilectionis dulcedine ulna susciperet, oram indumenti sui articulis arripiens, ita se colobio concludebat, ut nunquam artus mei beata ejus membra contingerent. Intuemini, quæso, et advertite cautelam viri Dei ! Quod si ab infantuli artubus, in quo nulli adhuc esse poterant stimuli concupiscentiæ, nulla incitamenta luxuriæ, ita se, ne ab ejus artubus tangeretur, abstinuit ; qualiter de loco, ubi suspicio luxuriæ esse potuit, ille refugit ? Erat enim, ut diximus, castus corpore, mundus corde, non in scurrilitate verba proferens, sed semper quæ Dei sunt loquens. Et licet omnes homines in illo cœlestis charitatis vinculo diligeret, matri tamen ita erat subditus, ut quasi unus ex famulis obaudiret.

III. Denique ægrotante Sacerdote [f] Lugdunensi antistite in urbe Parisiaca, cum a Childeberto seniore magno amore diligeretur, voluit rex usque ad ejus lectulum proficisci, ac visitare infirmum. Quo veniente ait episcopus : Optime nosti, o rex piissime, quod tibi in omnibus necessitatibus tuis fideliter servierim, ac quæcunque injunxisti devote impleverim ; nunc precor, ut, quia tempus resolutionis meæ adest, ne dimittas me ab hoc mundo cum dolore discedere ; sed unam petitionem quam supplico libenter indulge. Et ille : Pete, inquit, quod volueris, et obtinebis. Rogo, ait, ut Nicetius presbyter, nepos meus, Ecclesiæ Lugdunensi substituatur episcopus. Est enim, ut mei testimonii verba proferunt, amator castimoniæ, dilectorque ecclesiarum, et in eleemosynis valde devotus, et quæcunque servos Dei decent, et operibus gerit et moribus. Respondit rex : Fiat voluntas Dei. **1186** Et [g] sic

[a] Hunc libellum ex ms. Cod. monasterii Jurensis edidit Chifletius in Paulino illustrato, et ex eo Bollandiani die 2 Aprilis. Scriptus fuit jussu Æ'herii episcopi, ut auctor ipse testatur.

[b] Victor Græce νικητής dicitur.

[c] Ordinatus est, ut in altera Vita dicitur, a sancto Agricola episc. Cabilonensi, de quo in Hist. lib. v. cap 46.

[d] Mss., *scilicet ingressus*. Boll. et Sur., *primo ingressui*.

[e] Sic Colb., Bad. et alii ed. At Laud., Bell. et Bal., *flagitabat, animum*. Bol. et Sur., *animi, Deo servire possent*.

[f] Ejus festum celebratur 12 Septembris. Interfuit conc. v Aurel. an. 549. Obiit vero an. 551.

[g] Hæc verba usque ad *ac pacis*, desunt in Colb. et in Laud. ; in isto autem spatium est vacuum eorum loco, in quo nihil unquam scriptum fuit.

pleno regis et populi suffragio episcopus Lugdunensis ordinatus fuit. Erat enim præcipuus [a] concordiæ ac pacis amator : et si læsus fuisset ab aliquo, statim aut remittebat per se, aut per alium insinuabat veniam deprecari. Nam vidi ego quodam tempore Basilium presbyterum missum ab eo ad Armentarium [b] comitem, qui Lugdunensem urbem his diebus potestate judiciaria gubernabat ; dixitque ad eum : Pontifex noster causæ huic, quæ denuo impetitur, dato judicio, terminum fecit, ideoque commonet ne eam iterare præsumas. Qui furore succensus respondit presbytero : Vade et dic ei quia multæ sunt causæ in ejus conspectu positæ, quæ alterius judicio finiendæ erunt. Regressus presbyter quæ audivit simpliciter exposuit. Sanctus vero Nicetius commotus contra eum, ait : Vere, inquam, quia eulogias de manu mea non accipies, pro eo quod verba quæ furor exegit meis auribus intulisti. Erat autem convivio recumbens, ad cujus et ego lævam cum adhuc diaconatus fungerer officio propinquus accubueram, dixitque mihi secretius : Loquere presbyteris, ut deprecentur pro eo. Cumque locutus fuissem, non intelligentes voluntatem Sancti silebant. Quod ille cernens : Tu, inquit, surge et deprecare pro eo. At ego cum trepidatione consurgens osculatus sum sancta ejus genua, orans pro presbytero. Quo indulgente, atque eulogias porrigente, ait : Rogo, dilectissimi fratres, ut verba inutilia quæ ignave mussitantur, aures meas non verberent, quia non est dignum ut homines rationabiles irrationabilium hominum procacia verba suscipiant. Hoc tantum vos studere oportet, ut illi qui contra Ecclesiæ utilitatem quædam machinare cupiunt, vestris propositionibus confundantur : irrationabilia enim non solum non admirari, sed nec audire desidero. O beatum virum qui omni intentione vitare cupiebat scandalum ! Audiant autem hæc illi, qui si offensi fuerint, ignoscere nolunt, sed totam in sua ultione convocantes urbem, etiam testes adhibere non metuunt, qui vocibus nefariis dicant : Hæc **1187** et hæc audivimus de te hunc loquentem. Et ita fit, ut pauperes Christi talibus accusationibus misericordia postposita opprimantur.

IV. Quodam autem mane cum surrexisset ad matutinas [c] sanctus Nicetius, exspectatis duabus antiphonis, ingressus est in sacrarium, ubi dum resideret, diaconus responsorium psalmum [d] canere cœpit. Et ille commotus, ait : Sileat, sileat, nec præsumat canere justitiæ inimicus, et dicto citius oppilato ore siluit. Jussitque eum vocari ad se Sanctus, et ait : Nonne præceperam tibi ne ingredereris ecclesiam Dei? et cur ausu temerario ingredi præsumpsisti ? aut cur vocem in canticis dominicis es ausus emittere ? Stupentibus autem omnibus qui aderant, et nihil mali de diacono noverant, exclamavit dæmonium in eo, et se torqueri a Sancto immensis cruciatibus confitetur. Ipse enim præsumpserat in ecclesia canere, cujus vocem ignorantibus populis Sanctus agnovit ; et ipsum verbis acerrimis, non diaconum [e], exsecravit. Tunc impositis Sanctus diacono manibus, ejecto dæmone, personam restituit integræ menti.

V. His et aliis signis declaratus in populis, episcopatus sui anno 22, ætate sexagenaria migravit ad Christum. Qui dum ferretur ad sepeliendum, cæcus quidam se sub feretro flagitavit adduci, statimque ingressus, vultus diu lumine viduatus, reseratis oculis, adornatur [f] : nec distulit divina pietas beatos artus glorificare signis, cujus beatam animam cum choris angelicis suscipiebat in astris. Post dies autem quos lex Romana sancivit, ut defuncti cujuspiam voluntas **1188** publice relegatur, hujus antistitis testamentum in foro delatum, turbis circumstantibus, a judice reseratum recitatumque est. Presbyter quoque basilicæ tumens felle, quod nihil loco illi in quo sepultus fuerat reliquisset, ait : Aiebant semper plerique stolidum fuisse Nicetium : nunc ad liquidum verum esse patet, cum nihil basilicæ in qua tumulatus est delegavit. Sequenti autem nocte apparuit presbytero cum duobus episcopis, id est Justo atque Eucherio [g], in veste fulgenti, dicens ad eos : Hic presbyter, sanctissimi fratres, blasphemiis me obruit dicens, quia nihil facultatis scripserim templo huic quo requiesco ; et nescit quia quidquid pretiosius habui ibidem reliqui, id est glebam corporis mei. At illi dixerunt : Injuste fecit ut detraheret servo Dei. Conversusque Sanctus ad presbyterum, pugnis palmisque guttur ejus illisit, dicens : Peccator conterende, desine stulte loqui. Expergefactus autem presbyter, tumefactis faucibus ita doloribus coarctatur, ut ipsas quoque salivas oris vix cum labore posset maximo deglutire. Unde

[a] Editi, *ordinatus fuit præcipuus.*

[b] Bell., *Ermentarium.*

[c] Ejus ad *matutinos* persolvendos studium laudat libelli supra laudati auctor. Quo autem id cordis et oris devotione persolveret sic exponit : « Nocturni vel diurni temporis cursus, quos in divinis officiis institutio vetusta sacræ religionis fixis terminis certa lege constituit, ita jugi semper psallendi studio geminavit, ut nunquam de ore vel de corde suo meditatio divinæ legis abesset. »

[d] Psalmi responsorii in missa cantati meminit Gregorius lib. VIII, cap. 3, ubi hunc sic dictum fuisse notavimus, quod uno versum quemque psalmi dicente, cæteri antiphonam seu responsum subjungerent, uti innuere videtur Augustinus lib. IX Confess. cap. 12. At J. Carus, sive Thomasus, vir eruditiss., in præf. ad Psalterium ait versus omnes integros, prout a cantante dicebantur, ab omni cœtu repetitos fuisse in psalmis responsoriis.

[e] Ed., *non dicam*, quæ verba Sur. et Boll. omisere.

[f] Vide lib. de Glor. conf. cap. 61, quod est de ejus miraculis.

[g] Uterque Lugdunensis episc. fuit. Sanctus Justus colitur die 2 Septemb., Eucherius vero 16 Nov. Sepultus est autem Nicetius in ecclesia apostolorum, quæ exinde sancti Nicetii dicta, hodieque subsistit collegio canonicorum et parochiæ titulo decorata, ubi sa ræ ejus reliquiæ asservantur. Ejus epitaphium refert Stevertius. Eum patriarcham appellat Gregorius lib. V Hist. cap. 29. Subscripsit concil. II Lugdun. an. 567.

factum est ut per dies quadraginta lectulo decubans graviter cruciarctur : sed, invocato Confessoris nomine, sanitati redditus, nunquam ausus est ea verba quæ prius præsumpserat garrulare. Et quia novimus Priscum episcopum [a] huic Sancto semper fuisse adversum, diacono cuidam hujus casulam [b] tribuit. Erat autem valida, eo quod et ipse vir Dei robusto fuisset corpore. Cappa [c] autem hujus indumenti ita dilatata erat atque consuta, ut solent in illis candidis [d] fieri quæ per Paschalia festa sacerdotum humeris imponuntur ; ibatque diaconus **1189** cum hoc vestimento discurrens, ac parvipendens de cujus usibus remansisset, hoc habens in lectulo, hoc utens in foro, de cujus fimbriis, si credulitas certa fuisset, reddi potuit salus infirmis. Cui ait quidam : O diacone, si scires virtutem Dei, et quis fuit cujus vestimento uteris, cautius te cum eo vivere oportebat. Cui ille : Vere, inquit, dico tibi, quia et hac casula tergo utor, et de capsa ejus parte prolixiore decisa tegumen pedum aptabo. Fecit illico miser quod pollicitus est, suscepturus protinus divini judicii ultionem. Verum ubi deciso cucullo aptatis pedulis pedes operuit, extemplo arreptus a dæmone ruit in pavimento. Erat enim solus in domo, nec erat qui succurreret misero. Cumque spumas cruentas ore projiceret, extensis ad focum pedibus, pedes cum pedulibus ignis pariter devoravit. Hactenus de ultionibus.

VI. Agiulfus [*Ed.*, Aigulfus] quoque diaconus noster a Roma veniens, beata nobis sanctorum pignora deferebat. Hic causa orationis tantum locum quo Sanctus quiescit adivit, ingressusque ædem, dum diversorum miraculorum opus illustre perpendit, vidit immensum catervatim populum ad ejus sepulcrum, ac velut felicium examina apum ad consuetum alveare confluere ; et alios, presbytero qui aderat ministrante, particulas ceræ pro benedictione sumere, alios parumper pulveris, nonnullos disruptas ab opertorio ejus fimbrias capere, et abire ferentes in disparibus causis unam gratiam sanitatis. Hæc ille cernens, fide compunctus, lacrymans, ait : Si marinorum me moles fluctuum sulcare tonsis actum [e] mei Sacerdotis devotio fecit, ut lustrata [f] Orientalium martyrum sepulcra, aliquid de eisdem pignoris deferre deberem ; cur non Gallicani mei Confessoris pignora capiam, per quæ mihi meisque salus integra reparetur ? Et statim accedens, quasdam de herbulis [g], quas devotio populi sacrum jecit in tumulum, manu linteo operta, sacerdote porrigente suscepit, repositasque diligenter domum detulit : sed statim fidem hominis miraculorum **1190** actio comprobavit. Nam discerptis de his foliis, frigoriticis cum aquæ potu porrectis, protinus cum haustu salutem invexit, sed et multis deinceps. Quando autem nobis hæc retulit, jam quatuor exinde sanos factos ab hac infirmitate narravit. Joannes autem presbyter noster, dum ab urbe Massiliensi cum commercio negotiationis suæ rediret, ad hujus Sancti sepulcrum in oratione prosternitur, de qua consurgens, aspicit confractas compedes, disruptasque maculas catenarum, quæ culpabilium vel astrinxerant colla, vel suras attriverant, et admiratus est : sed hæc contemplatio non fuit vacua miraculis. Nam rediens ad nos presbyter, asserebat cum sacramento tres coram se ibi cæcos fuisse lumini redditos, ac domum rediisse salvatos. Nam apud Genabensem [h] Galliarum urbem dum ejus reliquiæ cum honore psallentii portarentur, tantam ibi Dominus gratiam præstare dignatus est, ut suppliciter adorantes, et cæci visum, et claudi reciperent gressum : nec dubitare poterat quispiam præsentem esse Confessorem, cum videbant talia infirmis remediorum munera ministrari.

VII. Seditio etenim in quodam loco exorta, cum vulgo sæviente volantibus saxis ac facibus, furor arma non mediocriter ministraret, unus elevato ensis acumine cum assultu gravi virum perculit. Post dies autem paucos nactus ab interempti germano, simili exitu trucidatur. Quod cum judex loci illius comperisset, vinctum virum in carcerem retrudi præcepit, dicens : Dignus est letho hic scelestus occumbere, qui voluntatis propriæ arbitrio, nec exspectato judice, ausus est temere mortem fratris ulcisci. In qua dum teneretur custodia, et multorum sanctorum nominibus invocatis misericordiam precaretur, quasi ad Sanctum Dei proprie conversus, ait : Audivi de te, sancte Niceti, quod sis potens in opere misericordiæ, ac pius in compeditorum flentium absolutione. Deprecor nunc, ut me illa supereminenti pietate visitare digneris, qua in reliquorum absolutione **1191** vinctorum sæpius claruisti. Et post paululum obdormiens, apparuit ei vir beatus, dicens : Quis es tu, qui nomen Nicetii invocas ? aut unde nosti quis fuerit, quod eum obsecrare non desinis ? At ille causam delicti ex ordine reserans, adjecit : Miserere, quæso, mihi, si tu es vir Dei quem invoco. Cui Sanctus ait :

[a] Qui scilicet beato Nicetio successit. De eo supra, in lib. IV Hist. cap. 36. Compluribus conciliis interfuit et subscripsit ab an. 573 ad an. 585, quo habita est synodus II Matiscon.

[b] Colb., infra, *casubulam*. Bell., *casublam*. Laud., *casbulam*.

[c] Laud. et plerique Ed., *capsa*. Cucullum habebat id vestimentum, ut patet infra ; et quiddem cappæ olim cucullam habebant. Vide Mabillon. lib. I Lit. Burg. Gallic. cap. 7, n. 2.

[d] Cæsarius Arelatensis libro I Vitæ suæ *casulam processoriam* et *Albam paschalem* pauperibus dedisse dicitur. Sanctus Remigius Rhemorum antistes in suo Testamento *amphibalum album paschalem* suo successori legavit.

[e] Sic Mss. omnes et Ed., præter Sur. et Boll., qui duo hæc verba *tonsis actum* omittunt.

[f] Id est, *lustratis... sepulcris*.

[g] Vide lib. VII Hist. cap. 12, et de Gloria conf. cap. 50. Nepotianus apud Hieronymum in epistola ad Heliodorum laudatur, quod basilicas ecclesiæ et martyrum conciliabula diversis floribus et arborum comis, vitiumque pampinis adumbraret.

[h] Bal., *Genebensem*. Genabum, id est, Aurelianensem civitatem hic designari dubium non est, nam Gregorius Genevam passim *Janubam* nominat.

Surge in nomine Christi, et ambula liber ; a nullo enim comprehenderis. At ille in hac expergefactus voce se absolutum, catenis comminutis confractaque trabe, miratur. Nec moratus, nemine retinente, usque ad ejus sepulcrum perrexit intrepidus. Tunc a judice noxialis culpæ damnatione concessa, laxatus abscessit ad propria.

VIII. Gratum est illud addi miraculis, quid accensus [a] ad lectum ejus fecerit cicindilis, quia ingentia sunt quæ hic Sanctus in cœlis habitans operatur in terris. Igitur lectulus, in quo Sanctus quiescere erat solitus, sæpius miraculis adornatur illustribus, quique grandi studio ab Ætherio [b] nunc episcopo fabricatus devotissime adoratur non immerito, cum frigoritici sæpius sub eo siti, compresso vapore ac frigore, salvantur, cæterique infirmi ibidem projecti protinus sublevantur. Palla etenim speciosa tegitur, lychni in ea jugiter accenduntur. Unus igitur ex his per quadraginta dies totidemque noctes, ut ipse ædituus asseruit, absque ullius fomenti adjutorio perduravit splendens, in quo nec papyrus [c] addita, nec gutta olei stillantis adjecta, sed in ipsa qua primum statutus [d] est compositione, permansit in luce præclara. Hujus Sancti reliquias Gallomagnus Tricassinorum pontifex [e] devotus expetiit, quæ cum psallentio [*Al.*, psallendo] deducerentur, et cæcorum oculi illuminati sunt earum virtute, et aliorum morborum genera meruerunt recipere medicinam. Ad nos quoque facietergium, dependentibus villis [f] intextum, **1192** quod Sanctus super caput in die obitus sui habuit, est perlatum : quod nos tanquam munus cœleste suscepimus. Factum est autem, ut post dies plurimos ad benedicendam ecclesiam in parochia Paternacensi [g] urbis Turonicæ invitaremur. Accessi, fateor, sacravi altare, decerpsi fila de linteo, locavi in templo : dictis missis, facta oratione, discessi. Paucis deinde diebus interpositis, advenit ad nos ille qui invitaverat, dicens : Gaude in nomine Domini, sacerdos Dei, de virtute beati Nicetii antistitis, nam noveris quia ostendit magnum miraculum in ecclesia quam sacrasti. Cæcus enim erat in pago nostro diuturna cæcitatis et caliginis oculorum nocte detentus, cui apparuit vir quidam per visum noctis, dicens : Si vis sanus fieri, prosternere in orationem coram basilicæ sancti Nicetii altari, et recipies visum. Quod cum fecisset, disruptis tenebris, lumen ei virtus divina patefecit. Posui, fateor, de his pignoribus et in aliis basilicarum altaribus, in quibus et energumeni Sanctum confitentur, et fidelis oratio sæpius promeretur effectum. Phronimii [h] igitur Agathensis episcopi famulus epileptici morbi a ccessu fatigabatur, ita ut plerumque cadens ac spumans linguam suam propriis dentibus laceraret : et cum ei a medicis plurima fierent, accidebat ut, paucis mensibus interpositis, non tangeretur a morbo ; sed iterum in recidivum cruciatum [i] ruens, pejus quam prius egerat perferebat. Dominus vero ejus cum vidisset tantas virtutes ad sepulcrum beati Nicetii fieri, dixit ad eum : Vade et prosternere coram sepulcro Sancti, orans ut te adjuvare dignetur. Qui cum jussa explesset, sanus regressus est, nec ultra eum hic attigit morbus. Septimus enim erat annus ab incolumitate pueri, quando eum nobis episcopus præsentavit.

1193 IX. Quidam vero pauper vivente Sancto, litteras ab eo elicuit manu ejus subscriptas, qualiter sibi per devotorum domos eleemosynam flagitaret : post cujus obitum, adhuc cum ipsa circuiens epistola, non pauca ab eleemosynariis pro Sancti memoria capiebat. Desiderium enim erat omnibus, ut quisque vidisset subscriptionem Sancti, aliquid præberet egenti. Quod videns quidam Burgundio, non honorans, neque venerans Sanctum, observare pauperem cœpit a longe : videnque eum silvas ingressum, irruit, et asbtulit ei sex aureos cum epistola, collisumque calcibus reliquit exanimem. At ille inter calces, et reliqua verbera, hanc vocem emisit : Adjuro te per Deum vivum et virtutem sancti Nicetii, ut vel epistolam ejus mihi reddi facias, quia mihi ultra non erit vita, si eam perdidero. Ille vero ea projecta in terram abiit, quam pauper colligens venit ad civitatem, erat enim ibi eodem tempore Phronimius episcopus, cujus supra meminimus. Ad quem accedens pauper ille, ait : Ecce homo qui me graviter cæsum exspoliavit, abstulitque sex aureos, quos pro intuitu epistolæ sancti Nicetii acceperam. Episcopus autem narravit hæc comiti : judex vero vocatum Burgundionem, percunctari cœpit ab eo quid exinde diceret. Negavit autem coram omnibus, dicens : Quia nunquam vidi hominem istum, neque res ejus abstuli. Episcopus autem aspiciens epistolam, vidit subscriptionem Sancti, et conversus ad Burgundionem, ait : Ecce in hac epistola subscriptio sancti Nicetii tenetur. Si es innocens, accede propius, et jura tangens manu

[a] Sic Mss. et recte, nam *cicindelis* nomine lampadem intelligit, de qua infra sub nomine *lychni*, qui quadraginta dies absque fomento perduravit. Ed., *accensis*.

[b] Prisco successit. Subscripsit episcoporum rescripto pro monasterio Pictavensi, apud Gregor., lib. IX Hist. cap 41. Vide et lib. X cap. 28. Non semel ad eumdem Gregorius Magnus litteras scripsit.

[c] Papyrum vice ellychnii sæpius adhibitam ex veteribus passim auctoribus constat. Unde in Glossariis nonnullis *papyrus, quasi parans pyr*, id est, ignem. Vide Gregor. Magni lib. I Dialog. cap. 5.

[d] Colb. et Laud., *quod primum statutum est*.

[e] Gallomagnus, episc. Trecensis, subscripsit concil. Paris. IV an. 573, et Matiscon. I an. 581. Porro reliquiæ sancti Nicetii hic memoratæ servantur etiamnunc, ut observat Camusatus in Catalogo episc. Trecens. in ecclesia eidem sacra, quæ parochialis titulus est in urbe Tricassina.

[f] Linteum villis onustum memorat Apollinaris Sidon. epist. 17 lib. V, in quem locum Savaro plura habet de villosis mantilibus.

[g] Hodieque superest, vulgo *Perrenay*, seu *Pernay*, dictus.

[h] Sic Boll., et quidem recte, non *Phronimius*, ut habent cæteri Ed. et Mss., nam infra ipse episcopus Phronimius dicitur. Varias ejus fortunas descripsit Gregor. lib. IX Hist. cap. 24.

[i] Laud. et Colb., *in redivivo cruciatu*.

n quam ipse depinxit. Credimus enim de
ius quia aut te hodie reddet ab hoc scelere
tum, aut certe abire permittet innoxium.
hil moratus, accedit ad manus episcopi,
epistolam extentam tenebat ; elevansque
ias ut sacramentum daret, cecidit retror-
aus, et clausis oculis, spumas ab ore proji-
asi mortuus putabatur. Transeunte autem
irum horarum spatio, **1194** aperuit ocu-
licens : Væ mihi quia peccavi auferendo res
hujus ! Et statim retulit per ordinem qua-
iam intulerat homini illi. Tunc episcopus
ce [a] obtenta culpa, ea tantum quæ abstu-
i reddidit, et pro cæde duos insuper soli-
it, et sic uterque a judicis conspectu dis-

nti per hunc Sanctum carcerali ergastulo
bsoluti sint, quantorum compeditorum ca-
compedes sint confractæ, testis est hodie
ferri, quæ in basilica ejus aspicitur, de su-
suppliciis aggregata. Nuper autem in con-
ntchramni principis Syagrium Augustodu-
episcopum regi referentem audivi, in una
septem civitatibus carcerariis apparuisse
Virum, eosque absolvisse ab ergastulo, et
ros permisisse ; sed nec judices contra eos
agere deinceps ausi sunt. De cujus sepul-
bricitans, si frigoras habens, ac diversis
borans quid pulveris sumpserit, ac dilutum
mox recipit sanitatem. Quod non est du-
bstare eum qui ait sanctis suis : *Omnia*
e petieritis in nomine meo, credite quia acci-
enient vobis (*Marc.* XI, 24).

tur apud vicum Prisciniacensem [b] urbis
ecclesia dudum constructa absque sancto-
oribus habebatur. Cumque incolæ loci ple-
peterent ut eam quorumpiam sanctorum
sacraremus, de supradictis reliquiis sancto
ocavimus [c] : in qua ecclesia sæpius virtus
er beatum manifestatur antistitem. Nuper-
em tempore, mulieres quædam vexatæ a
, ex termino Biturigo venientes, tres nu-
n ad basilicam sancti Martini deducerentur,
lesiam sunt ingressæ : illico collisis in se
um sancti Nicetii faterentur se virtutibus
projicientes ab ore nescio quid purulentum
quine, ab obsessis [*Al.*, immundis] spiritibus
sunt mundatæ. Dado unus ex his pagensi-
in hostilitate illa quæ apud Convenas
1195 accessisset, et plerumque in peri-
is irrueret, vovit ut si domum reverteretur

A incolumis, ad memoratam ecclesiam exornandam in honore beati Nicetii aliqua ex his quæ acquisierit [*Al.*, acquisierat] largiretur. Rediens igitur duos calices argenteos detulit, vovitque iterum in itinere, ut hos ecclesiæ conferret, si ad propria sospes accederet. Ad domum igitur accedens, unum tantummodo dedit, alium fraudare procuravit, dans coopertorium Sarmaticum, quo altare dominicum, cum oblationibus tegeretur. Apparuit autem viro Vir beatus per somnium, dicens : Quousque dubitas, et votum implere dissimulas ? Vade, inquit, et calicem alterum quem vovisti redde ecclesiæ, ne pereas tu et domus tua : coopertorium vero, quia rarum [d] est, non ponatur super munera altaris, quia non exinde ad plene tegitur mysterium corporis sanguinisque
B dominici. At ille exterritus, nihil moratus, votum quod voverat velociter adimplevit. Hujus hominis frater ad vigilias dominici Natalis advenit, monuitque presbyterum, dicens : Vigilemus unanimiter ad ecclesiam Dei, atque exoremus devote beati Nicetii potentiam, ut, eo obtinente, hujus anni curriculum cum pace ducamus. Quod presbyter audiens, gavisus jussit signum ad vigilias commoveri. Quo commoto, adveniente presbytero cum clericis et reliquo populo, hic gulæ inhians moras veniendi innectebat; misitque sæpius presbyter ad eum arcessendum. Quibus respondebat : [e] Paulisper sustinete, et venio. Quid plura ? transactis vigiliis, data luce, hic qui prius commonuerat, ad vigilias non accessit. Presbyter vero, impleto officio, commotus contra hominem, ad metatum ejus properat, quasi eum a com-
C munione suspenderet : at ille correptus febre, sicut vino, ita divino exurebatur incendio : nec mora, viso presbytero, datis vocibus cum lacrymis, supplicabat sibi pœnitentiam tradi. Cumque eum presbyter increparet, dicens : Merito a sancti Nicetii virtute exureris, ad cujus **1196** ecclesiam venire ad vigilias neglexisti, inter sermocinantium colloquia spiritum exhalavit. Facta quoque hora tertia, cum populus ad missarum solemnia [f] conveniret, hic mortuus in ecclesiam est delatus. Quod virtute sancti Antistitis actum nemo ambigere potest. Hæc enim nobis ipse exposuit presbyter. Plurima etenim de his vel proprie experti sumus, vel per fidelium relationem cognovimus, quæ indicare longum putavimus:

XII. Sed quoniam placuit libello clausulam dare,
D unum adhuc admirandum de libro Vitæ ejus, quem supra a quodam scriptum præfati sumus, memorabo miraculum : de quo virtus divina procedens non reliquit inglorium, sed ad comprobandam virtutem dictorum patefecit esse plurimis gloriosum. Diaconus

a judice, seu comite.
est hodieque hujus nominis vicus in pago
, alter alteri proximus, et uterque sub præ-
uccensi. Primus Prisciniacus major dicitur
-*Précigni*), ad Clasiam fluvium (*la Claise*) ;
r Prisciniacus (*le Petit-Précigni*), ad Bre-
mniculum (*Brignon*).
consecravimus.
st in expeditione adversus Gundobaldum
m, in qua Convenarum urbs destructa fuit, ex lib. VII Hist. cap. 38.
[d] Scilicet ob tenuitatem transparens.
[e] Unicæ missæ mentio hic fit in Natali Domini, qui mos erat Ecclesiæ Gallicanæ. Tres in Ordine Gelasiano et in Gregoriano assignantur, quod triplex Romæ erat hac ipsa die statio, ubi missa celebrabatur, sed a tribus diversis sacerdotibus. Hinc tamen manavit consuetudo tres missas illa die celebrandi. Vide Mabillon. lib. II Liturg. Gallic. num. 7.

enim Augustodunensis gravi oculorum cæcitate turbatus, audivit hæc quæ glorificator sanctorum suorum Deus ad Sancti tumulum exercebat, dixitque suis : Si ejus adirem sepulcrum, aut aliquid de sanctis pignoribus sumerem, aut certe si pallium, quo sancti artus teguntur mererer attingere, fierem sanus. Cumque hæc et hujuscemodi cum suis verba conferret, astitit repente clericus quidam, dicens : Bene, inquit, credis, sed si de iisdem firmare mentem cupis virtutibus, en volumen chartaceum, quod de his habetur scriptum, ut facilius credas ea quæ ad auditum tuarum aurium pervenerunt. At ille priusquam legere appeteret, inspirante divinæ pietatis respectu, ait : Credo quia potens est Deus egregia operari per famulos suos. Et statim posuit volumen super oculos suos. Extemplo autem, fugato dolore disruptaque caligine, usum videndi recipere meruit voluminis a virtute, et in tantum claritate potitus est [a], ut ipse propriis oculis legens virtutum gesta cognosceret. Operatur hæc autem unus atque idem Dominus, qui gloriatur in sanctis suis, atque ipsos [b] illustribus miraculis editos efficit gloriosos : ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IX.

De sancto Patroclo abbate.

1197 Cum egregia Moysis vatis prudentia, ad conformandum divinæ descensionis tabernaculum, juxta ipsum oris dominici præceptum, fabricare disponeret, atque ad hoc eumdemque [c] apparatum multa congerere jussus, non haberet cuncta in regestu promptuarii, quæ ab ipso Domino ostensa fuerant in montis ardui summitate, jussit commoneri populum, ut offerret unusquisque pro viribus quiddam muneris Deo, et hoc non ex necessitate, sed sponte (*Exod.* XXV). Offerebant ergo donaria auri, argentique, æris ac ferri metalla ; gemmarum etiam micantium pulchritudines, ac fila byssi duplicati coccique bis torti ; nonnulli pelles arietum rubricatas, pilosque caprarum. Sed cum hæc omnia doctores Ecclesiarum esse allegorica tradidissent, et in reliquis donariis gratiarum genera demonstrassent [*Bal.*, declarassent], in illis caprarum pilis laudationum verba comparaverunt ; ita nunc et nos steriles sensu, imperiti studio, squalentes in actu, et si aurum, argentum, vel gemmas, filaque duplicata ac torta non offerimus, saltem vel pilos caprarum, id est verba quæ sanctorum atque amicorum Dei prodant miracula, in Ecclesia sancta porrigimus, ut legentes eo incitentur studio quo sancti meruerunt scandere polum. Ergo quia nobis de beati Patrocli Vita nuper data relatio quædam prodidit, non omittenda sed manifestanda curavi ; et licet sermone rustico, non tamen occulti arbitratus sum quæ Deus gessit per famulum

I. Igitur beatissimus Patroclus Biturigi te incola, Ætherio patre progenitus (*An.* 576, 19 cum decem esset annorum pastor ovium desti fratre Antonio tradito ad studia litterarum. enim non quidem nobilitate sublimes, ingen men [d] ; cumque quodam meridie hic a scholi a grege commisso ad capiendum cibum pate hospitio convenissent, dixit Antonius fratri Discede longius, **1198** o rustice ; tuum est opus oves pacere, meum litteris exerceri : q re nobiliorem me ipsius officii cura facit, c hujus custodiæ servitus vilem reddat. Quod il diens, et hanc increpationem quasi a Deo sibi missam putans, reliquit oves in campi plani scholas puerorum nisu animi agili atque curs cissimo expetivit, traditisque elementis, ac de quæ studio puerili necessaria erant, ita cel memoria opitulante, imbutus est, ut fratrem scientia præcederet, vel alacritate sensus, adj divini Numinis auxilio, anteiret. Dehinc Nu [*Ed.* Mumioni], qui quondam cum Childeberti siorum regè magnus habebatur, ad exerci commendatus est. A quo cum summa amoris d tia nutriretur, ita se humilem atque subjectur nibus præbebat, ut omnes cum tanquam pr parentem in summa bonitate diligerent. Regres ad domum, patre defuncto, reperit matrem adhuc superstitem. Cui illa ait : Ecce genitor o dulcissime nate, obiit ; ego vero absque dego. Requiram puellam pulchram ingenuamq copulatus solatium præbeas maternæ vidui ille respondit : Non conjungor mundanæ conju quæ concepit animus cum Domini voluntate ciam. Cui cum genitrix non intelligens quærer hoc esset, prodere noluit, sed abiit ad Arca Bituricæ urbis episcopum, petiitque sibi capitis tonderi, ascirique se in ordinem cleric Quod episcopus, Domino volente, sine mora c vit. Nec multo post diaconatus officium sumens bat jejuniis, delectabatur vigiliis, exercebatu tione, atque in oratione assidua promptus effu tur, ut nec ad convivium mensæ canonicæ cu quis accederet clericis. Quod audiens archidiac frendens contra eum, ait : Aut cum reliquis bus cibum sume, aut certe discede a nobis enim rectum videtur ut dissimules cum his victum, cum quibus ecclesiasticum implere officium.

II. Non est autem de his servus Dei commotu mo, qui jam eremi sitiebat **1199** adire secr sed ab urbe egressus memorata, venit ad vica reensem [e], ibique ædificato oratorio, sancti l

[a] Sic Colb. Cæteri. *in tanta... positus.*

[b] Editi, *ut qui ipsos... effecit.*

[c] Bad. et Sur., *ejusdemque.* Bal. et Laud., *ad hunc eumdem.* Infra, *ei ostensa.*

[d] Ingenui erant inter nobiles et servos medii, liberi scilicet nati.

[e] Subscripsit conc. Aurelian. III an. 538 et per Probianum presbyterum Aurelian. IV an. 541.

[f] Archidiaconi erant veluti cæterorum cler præfecti. De eorum officiis et prærogativis agi massinus Disciplinæ eccles. part. I, lib. II, ca Nota clericos tunc in communi mensa vixisse.

[g] Bal., *Mereensem*, et sic infra. Habetur ap turiges Meriacum supra Carem fluvium (*Mo*

crato, pueros erudire cœpit in studiis niebant autem ad eum infirmi et sana- energumeni nomen ejus confitentes : nec ei erat solitudo ut voluerat, sed s publicum usquequaque reddebat. picio quiddam [a] brevibus conscriptis ıltare, vigilans et orans tribus nocti- i Dominus agere juberet, dignaretur declarare. Sed pietatis divinæ inclyta eum præsciens eremitam esse decre- illum accipere jubet, ut ad eremum e autem in cellula in qua degebat, ginibus, monasterium instituit puella- mni labore suo quod ibidem aggrega- scederet sumens, nisi rastrum unum, nem : ingressusque altas silvarum so- t ad locum qui dicitur Mediocantus ; cta cellula, in opere, quod supra dixi- abat ; atque inibi cum multos energu- imposita, per signum crucis effugatis ente integra reddidisset, unus ad eum bidus, qui rictibus patulis dentibusque attingere poterat dentibus propriis uo per triduum in oratione prostratus, ım divinæ miserationis potentiam, ut, e, letho obnoxius mundaretur, im- s ejus digitis, fugato feralis atrocitatis am restituit incolumitati. Nullas enim s habere poterat persuasionis iniquæ am sicut hos qui vexabantur emun- uæ immitebat occulte atrocia auctor llebat per crucis sacratissimæ virtu- ıbellæ cuidam feminæ, cum per luem riam diabolus, Martinum mentitus, bus quasi populus salvaretur **1200** isset, hæ ad Sanctum delatæ, non so- Spiritu sancto evanuerunt, verum- ntor malorum Sancto teterrimus appa- uiter gesserat est professus. Transfi- sæpe diabolus in angelum lucis (*II* hac fraude decipiat innocentes. Sed intentaret insidias, ne hic ascenderet, uerat, immisit ei cogitationem, ut, remo, ad sæculum reverti deberet. ıs cum virus grassari sensisset in pec- ne prostratus petebat ut nihil aliud esset placitum exerceret. Tunc appa- ıs Domini per visum, dicens : Si vis re, ecce columna, in quam ascendens nnia quæ geruntur in eo. Erat enim ipsam visionem columna miræ celsi- a, in quam ascendens vidit homicidia, furta, cædes, adulteria, fornicationes, et omnia prava quæ geruntur in mundo. Et descendens ait : Ne, quæso, Domine, revertar ad has pravitates, quas dudum te confessus oblitus sum. Tunc ait illi angelus qui cum eo loquebatur : Desine ergo quærere mundum, ne pereas cum eo ; sed potius vade in oratorium in quo Dominum depreceris ; et quod ibi inveneris, hoc tibi erit consolatio in peregrinatione tua. Ingressusque cellulam oratorii, invenit tegulam fictilem, in qua signum crucis dominicæ erat expressum ; agnoscensque munus divinum, intellexit sibi ad omnia mundanæ persuasionis incitamenta hoc esse inexpugnabile munimentum.

III. Post hæc ædificavit sanctus Patroclus monasterium Columbariense [b] in milliaribus quinque a cellula eremi in qua habitabat, et congregatis monachis, ut in solitudine libero potius fungeretur arbitrio, abbatem instituit, qui gregi monasteriali præesset. Octavum enim et decimum in hoc eremi loco expleverat annum. Tum, congregatis fratribus, transitum suum annuntians, obiit in senectute bona [c], sanctitate **1201** præcipua ; qui aquis ablutus, feretroque impositus ferebatur ad monasterium suum, ubi se vivens sepeliri mandaverat. Tunc archipresbyter Nerensis vici, collecta clericorum cohorte, voluit vi auferre glebam sancti corpusculi, videlicet ut ad vicum suum unde egressus fuerat sepeliretur ; sed cum furibundus veniens vidisset a longe pallam quæ tegebat artus sanctos eximio albere nitore, ita nutu Dei est metu perterritus, ut omni velocitate revocaret ab animo quod male conceperat levitatis arbitrio, conjunctusque psallentio in exsequiis Sancti progressus, tumulavit eum cum reliquis qui aderant fratribus, in ipso Columbariensi monasterio : ad cujus sanctum sepulcrum Prudentia cæca cum alia Lemovicina puella, similiter lumine viduata, ut sepulcrum sanctum in oratione osculatæ sunt, lumen recipere meruerunt. Maxonidius autem post quintum cæcitatis suæ annum, hunc tumulum sanctum adiit, lumenque recepit. Energumeni vero Lupus, Theodulfus, Rucco, Scopilia, Nectariola et Tacihildis ad hunc Sancti tumulum sunt mundati : sed et puellæ duæ de Lemovicino venientes, oleo quod ipse Sanctus benedixit perunctæ, a nequitia qua obsidebantur mundatæ sunt. Et quotidie ibidem ad corroborandam fidem gentium operatur Dominus, qui perpetualiter glorificat sanctos suos.

CAPUT X.

De sancto Friardo reclauso.

Multi variique [d] sunt gradus per quos ad cœlorum

stra lectio, quæ est aliorum Edit. et la. Hic quippe designatur locus olim *Neri* dictus in tabulis Peutingerianis, ɔriscum nomen retinet in agro Burbo- *leris* nuncupatus, oppidum non inele- tus visitur, sed monasterii virginum a supersunt.

ro hospitio quoddam. Unde Sur., *tunc ɔendo quædam conscripta brevia,* etc.

[b] Vulgo, *Columbiers*, in archipresbyteratu montis Lucii (*Mont-Luçon*), apud Bituriges, ubi prioratus ord. Cluniacens. a monasterio Silviniacensi subjectus. Aliud est monasterium Columbariense, quod memoratur in libro I de Ecclesiis Claromontensibus, cap 30.

[c] Obiit octogenarius, ut dicetur lib. V Hist. cap. 10.

[d] Scripti duo, *Multi enim sunt.*

gelicis choris inserta in requie sempiterna persultet : sicut nunc de beato Caluppane reclauso, quod verum cognovimus, prorsus silere nequimus.

I. Hic autem ab ineunte ætate (*An.* 578, 3 *Mart.*) semper religionis ecclesiasticæ bonum quæsivit et reperit, et apud monasterium Meletense termini Arverni conversus [a], in magna humilitate se fratribus præbuit. Erat enim summæ abstinentiæ, ita ut ab inedia nimium attritus, quotidianam cum reliquis fratribus operam explere nequiret. Unde, ut mos est monachorum, magnum ei improperium inferebant, dicente sibi præsertim Præposito : Qui non deliberat laborare, indigne postulat manducare. Dum autem hic assidue ureretur [*Al.*, uteretur] his exprobrationum verbis, vallem haud procul a monasterio conspicatur, de cujus medio lapis natura præbente consurgens, provehitur in excelsum quasi in quingentis aut eo amplius pedibus, nullam penitus habens cum reliquis montibus circumpositis conjunctionem : cujus vallis medium fluvius alluit, qui hunc montem placide contingens dilabitur. In hujus ergo lapidis scissuram, quod priscis temporibus quondam propter transitum hostium receptaculum fuit, eremita sanctus ingreditur, et, exciso lapide, habitacula statuit, in quæ nunc per scalam valde difficilem scanditur : locus etenim ille tam difficilis est ad incedendum, ut etiam feris bestiis illuc accedere sit laboris. In hoc loco oratoriolum parvulum quodam modo fecit, cui oranti, ut ipse nobis cum lacrymis referre erat solitus, serpentes super caput ejus sæpius decidebant, et involventes se circa collum ejus, non minimum ei inferebant horrorem. Sed quia diabolus ad speciem callidi serpentis habetur, non ambigitur ejus hanc fuisse immissionis insidiam. Nam cum ille ad hæc perstaret immobilis, nec moveretur minorum anguium ictibus, quadam die duo dracones immensæ magnitudinis ad eum ingressi, astiterunt procul : quorum unus, ut arbitror, ipse dux tentationis, validior altero erat, qui erecto pectore os suum **1208** contra os Beati quasi aliquid mussitaturus erexit. At ille timore perterritus, tanquam æneus [b] valde diriguit, nullumque penitus membrum movere potens, neque manum elevare ut signum beatæ crucis opponeret. Cumque ambo diutissime in silentio constitissent, venit in mentem Sancto per spiritum, ut orationem Dominicam, et si labia movere non poterat, vel corde clamaret. Quam dum tacitus loquitur, cœperunt paulatim membra ejus, quæ inimici fuerant arte revincta, dissolvi, et sentiens se manum dexteram habere jam liberam, ori signum beatæ crucis imponit, rursumque conversus ad hydrum, pingit iterum crucem Christi adversus eum, dicens : Tune es ille, qui protoplastum de paradisi habitaculo projecisti, qui germani dexteram parricidio cruentasti, qui Pharaonem ut populum Dei persequeretur armasti ? qui ad extremum Hebræum populum, ut invidia succenden quereretur Dominum, excitasti ? Discede a se a quibus sæpius superatus discessisti con es [c] enim in Cain projectus, in Esau supp in Goliath prostratus, in Juda traditore su et in ipsa illa Dominicæ virtutis cruce cum tibus et dominationibus tuis triumphatus at tritus es. Abde nunc, Dei inimice, caput, liare sub signaculo crucis divinæ, quia no portio cum servis Dei, quorum est hæreditas Christi. Hæc et hujuscemodi Sancto dice cemque per singula faciente, draco huju virtute confusus, vicissim se humilians terr tur. Sed dum hæc agerentur, ille alius circa tibias Sancti in insidiis volvebatur. Cumq ad pedes suos confusum sanctus eremita orationem faciens, eum abire jussit, Vado retro Satana, nihil mihil in nomine mei poteris ultra nocere. At ille usque ad li lulæ egressus, sonum validum per inferio tem emisit, et tanto cellulam fetore reflevit, aliud quam diabolus crederetur ; nec ultr Sancto aut serpens, aut draco comparuit.

1209 II. Erat enim assiduus in opere vacabat ad aliud, nisi aut legeret aliquid, a etiam cum parumper cibi caperet, sempe Sumebat interdum piscem de flumine, rar sed cum voluisset, opitulante Domino, aderat. Cibum panis non aliunde sumebat, de monasterio mittebatur : si quis vero d panes detulisset aut vinum, id in cibos de egentium, in illorum duntaxat qui ab eo a salutare suscipere, aut infirmitatum remedi flagitabant ; scilicet ut quos per orationem bat, etiam cibi refectione foveret, illud D colens, quod in Evangelio de turbis quas a rum morborum contagio sanaverat dixit : *eos jejunos nolo, ne deficiant in via* (*Matth.* Sed nec illud beneficium occuli arbitror, q loco illo divina pietas est largita. Nam c fundo vallis illius, quasi per stadia decem ferretur, oravit ad Dominum, ut ei in ip suæ habitaculo fontis venam ostenderet. S fuit virtus illa cœlestis, quæ quondam sitie pulis aquas produxit a silice. Statim igitur orationem gutta laticis a caute prorumpe solum stillis frequentibus irrigare : at ille leste congaudens, concavum in lapide par modum cisternæ faciens, tenentem quasi co condia] duo, lymphas divinitus sibi indul piebat, de quibus tantum ei ministrabatu singulos, quantum ipsi pueroque sufficer minister fuerat datus.

III. Accessimus autem et nos ad locum

[a] Alii, *conversatus*. Bal., *territorii... conversatus*. Porro Meletense monasterium ignotum est. Occurrit in hodierna sancti Flori diœcesi vicus *Melet* dictus, et alter in Claromontana, nomine *Mialet*, sed nulla ibi superest aut sancti Caluppanis, aut ej terii memoria.

[b] Aliquot Ed., *aheneus* ; et infra, *movere po*

[c] Colb. et Bell., *Tune es... contritus*. *Abde.*

episcopo, et omnia quæ narravimus, quædam A relata cognovimus, quædam oculis propriis mus. A memorato autem pontifice diaconatus byterii sortitus est gradum; multa populo vexato morbis remedia contulit. Nulli tallulam egressus se præbuit contemplandum, ıtum per fenestellam extendens manum salumaculum imponebat, et si a quoquam visitasset, ad hanc accedens speculam orationem iumque præbebat. Denique in **1210** hac ıe cursum vitæ consummans, ævi anno 50, ut migravit [b] ad Dominum.

CAPUT XII.

ıcto Æmiliano eremita, et Brachione abbate [c].

tum disciplina cœlestis se custodientibus præıantumque non custodita negligentibus irroıbeat, per os Psalmographi Spiritus sanctus : *Apprehendite*, inquit, *disciplinam, nequando r Dominus, et pereatis a via justa* (*Psal.* II, bonis autem Salomon ait : *Disciplina pacis [d] er eum* (*Isai.* LIII, 5). Disciplina ergo hæc timomini facit, timor autem Domini initium sapienbet, sapientia vero diligere Deum docet: dilectio [*Al.*, enim] Dei hominem a terrenis subad cœlos evocat, paradiso locat, in quo a animæ ex illius vitis vitalis sumpto vini ıuore epulantur in regno Dei. Desiderare ergo at homines hujus vitis haurire mysterium, ut e valerent ad illum tam jucundæ habitationis ısimum locum. Quod si istæ quas nunc cernies, quæ, per traduces extensæ, emissis palmiımpino intextæ, dependentibus uvis, amœna ıtemplatione lætificant, dum non solum procopiam fructuum, verum etiam opportuno nos ılo protegunt igniti solis ab æstu, quas scist assumptum fructum temporis legitimi deciliis quasi aridas reddi; quanto magis illa de- e debemus, quæ nullo fine deficiunt; neque ıtationis æstu marcescunt: ubi, spe præterita, sa quæ sperabatur et tenetur, et fruitur. ıulti desiderantes non modo facultates proeliquerunt, verum etiam deserta quæque et aggressi sunt, ut sitim hujus desiderii soli- c remotioris orationis patrocinio [*Al.*, solarymarumque fluento restinguerent: sicut nunc Æmilianus, novus nostris temporibus eremita, D probatur.

I. Hic igitur, relictis parentibus ac facultate **1211** propria, eremi deserta petivit, et se intra secreta silvarum Ponticiacensium [a] Arverni territorii abdidit, in qua decisa silva modicum deplanans campum, rastro ipsam effodiens humum, vitæ eliciebat alimentum. Habebat et hortum parvulum, quem aqua superveniente rigabat, de quo olus ad refectionem nullo impinguatum adipe præsumebat: solatium vero absque Dei adjutorio nullum habens, cohabitatores enim bestiæ avesque illi [*Ed.*, illic] erant, quæ ad eum quotidie tanquam ad Dei famulum confluebant. Vacabat autem jejuniis et orationi, nec eum ab hac causa ulla mundanæ sollicitudinis occasio impedire poterat, quia præter Deum aliud nihil habebat.

II. Erat autem tunc temporis apud Arvernam urB bem Sigivaldus [f] magna potentia præditus, in cujus servitio erat adolescens quidam, nomine Bracchio [g], quod in eorum lingua interpretatur Ursi catulus. Hunc antedictus vir ad capessendam porcorum silvestrium venationem delegerat, ibatque cum ingenti molossorum turba, circuiens silvas, et si qnid cepisset domino deferebat. Quadam vero die dum suem immensi corporis cum hac latrantium [h] turba prosequeretur, sus intra septa, quæ circa cellulam erant Sancti, ingreditur: prosequens vero canum turba cum latratu, usque ad aditum accessit vestibuli, moxque in suis hæsit vestigiis, nec ingredi est permissa post suem. Quod cernens Bracchio, et cœlitus hæc evenisse admirans, ad cellulam Sancti se confert, viditque suem ante ostium stantem nihil C penitus formidantem. Consalutatus autem ac osculatus a sene, invitatur ad residendum. Quibus consedentibus, ait senex : Video te, fili dilectissime, in grandi elegantia compositum, et sequi ea quæ magis detrimentum animæ præparant quam salutem. Relinque, quæso, terrenum dominum, et sequere Deum verum, cœli terræque factorem, cujus nutu omnia **1212** gubernantur, cujus imperio cuncta subduntur, cujus majestate ipsa quam cernis bestia astat intrepida. Non te tumidum faciat, aut extollat potentia domini tui, quæ nihil est. Sic enim ait Paulus apostolus : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31). Et alibi : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I, 10). Subde te ejus servitio, qui ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Ipse enim est Dominus, cujus onus leve est, cujus jugum suave est

i electionem narrat Gregorius lib. IV, cap. 35, editionis, quod integrum exscripsit ante anxcentos auctor anonymus in ejusdem Aviti ıam Savaro passim laudat. De quo vide notas eti cap. 35, lib. IV.

ıtur in variis Martyrologiis die 3 Martii. Anortis ex libro V Hist. discimus, cap. 9.

L. et Colb., *Æmiliano et Brachione abbatibus*. Colb. Alii, *patris*.

., *Pontivacensium*. Vertit Branchus in Vitis ım Arverniæ *la forêt de Pont-Gibaud*. Pons voldt oppidum est inferioris Arveraiæ ad Cifluvium (*la Sioule*). Ibi visuntur rudera ecclesiæ, cui olim adjunctum fuisse ordinis Benemonasterium vulgus putat. At nulla ibi est sancti Brachionis aut Æmiliani memoria. Non displicet unius e nostris conjectura, qui Ponticiacum interpretatur vicum *Punsat*, in Combraliis, cujus loci patronus est *saint Bravy*, abbas Menatensis, idem ut putat ac sanctus Brachio. Iste tamen die Februarii, prior 15 Septembris colitur, sed forte alterutrum festum translationis est. Haud procul exstat prioratus sancti Saturnini *de Vensat*, quem idem putat esse locum, qui inferius *domus Vindiciacensis* appellatur.

[f] Colb. et Laud., *Sigiuvaldus*. De eo Gregorius lib. III Hist. cap. 13, etc.

[g] Iidem Codd. qui habent hic et alias *Bracchio*, quandoque *Brachio* exhibent. Fuit genere Thoringus, ex libro V Hist. cap. 12.

[h] Bal., *canum allatrantium* ; alii, *cum allatrantium*.

(*Ibid.*, 30), cujus cultus et tribuit præsentia, et vitam largitur æternam. Sic enim ait : *Si quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, centuplum accipiet, et insuper vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29). Hæc et his similia sene viriliter disserente, sus illæsus silvas petiit, puerque discessit ab eo non sine grandi admiratione, quod aprum quem inchoaverat sequi ferum, in conspectu senis mansuetum astare videbat ut agnum. Plurima igitur animo tractans, ac multa secum revolvens, quid ageret, quidve faceret; utrum sæculum relinqueret, an sæculo deserviret; tandem compunctus a divina pietate, et credo sancti Æmiliani oratione, aditum quærere cœpit occulte, qualiter clericus esse posset, quia publice propter terrenum dominum non audebat. Tamen cum esset adhuc laicus, in nocte bis aut ter de stratu suo consurgens, terræ prostratus orationem fundebat ad Dominum. Nesciebat tamen quid caneret, quia litteras ignorabat : Videns autem sæpius in oratorio litteras super iconicas [a] apostolorum reliquorumque sanctorum esse conscriptas, exemplavit eas in codice. Cumque ad occursum domini sui clerici vel abbates assidue convenirent, hic ex junioribus quem primum potuisset accersire, secretius interrogabat nomina litterarum, et ob [*Bal.*, ab] hoc eas intelligere cœpit: antea autem, inspirante Domino, et legit et scripsit, quam litterarum seriem cognovisset. Exin, mortuo Sigivaldo, ad antedictum **1213** senem properat, et cum eodem duos vel tres annos faciens, Psalterium memoriæ commendavit. Quem ejus germanus plerumque interficere voluit, quod nollet matrimonio copulari. Dehinc monachi ad eos additi sunt.

III. Impletis autem beatus Æmilianus diebus vitæ suæ et circiter nonagenaria ætate egrediens a corpore, Bracchionem reliquit hæredem (*An.* 538). Hic stabilito monasterio, obtinuit a Ranichilde [b], Sigivaldi memorati filia, multa terrarum spatia, quæ ad hoc monasterium dereliquit; erat enim saltus ex domo Vindiacensi [c]. Hic vero de hoc egressus monasterio, Turonis venit, ibique ædificatis oratoriis, duo monasteria congregavit. Quodam autem tempore advenientes homines peregrini reliquias sanctorum detulerunt secum, quas super altare basilicæ sancti Martini Turonis locaverunt, quasi in crastinum profecturi. Adfuit ei [*Bal.*, eis] Bracchio abba, qui vigilans in basilica, circa medium fere n dit quasi globum ignis immensi de sanctis pi emicare [d], et usque ad templi cameram cun magno conscendere. Quod non est dubium fuisse divinum : nulli tamen de astantibus a illi tantum fuit ostensum. Post hæc autem r est Arvernum ad prius monasterium, in quinque annos inhabitans, venit Turonis, a que abbatibus in monasteriis supradictis, A regressus est. Cumque ad priorem cellulan ret, in monasterium Manatense [e], quod per i abbatis intepuerat, ordinatur, ut scilicet eju congregatio ipsa canonice regeretur. Erat e stissimæ conversationis, sed et alios strenue gebat castam agere vitam. Qui erat suavis c et blandus affectu [f]; in transgressoribus s gulæ ita severus habebatur, ut aliquoties p esse crudelis : in jejuniis vigiliisque **1214** ritate perfectum reddiderat virum. Cumque migrationis appropinquaret, vidit in visu, si beato Avito episcopo retulit [g], ductum se ad in præsentiam Domini, ibique cherubin ac s obumbrare majestatem Domini, et Esaiam tam, extenso volumine, verba quæ vatici erat intimare, tubam circumstantem angelo laudem Dei sedentis super æthera clamare. I hoc attonitus spectaret, expergefactus, somn suum attente discutiens, ut finem vitæ suæ, revelante, cognosceret, dicit abbati quem in statuerat in monasterio : Locus ille secus f in quo oratorium facere computabam, jucun valde. Ideo rogo ut quod ego volui tu explea illuc ossa mea transferre non abnuas. Quo n (*An.* 576, 9 *Feb.*), et in oratorio prioris celli pulto, cum abbas injunctum cuperet opus nutu Dei et calces coctos antiquitus, et fun tum in ea mensura quam ipse ponere cc nactus est, perfectoque ædificio, detexit sepulcrum. Quo patefacto, reperit corpusculu sum, ut putaretur ante diem alterum fuisse ctum ; et sic cum gaudio, prosequente cate nachorum quam ipse edocuerat, in locum illi duos annos translatus est.

CAPUT XIII.

De sancto Lupicino.

Athletæ Christi atque triumphatores mun

[a] Sic appellabant imagines quæ ad vivum repræsentabant. Hinc imago Salvatoris vera iconica dicta est, ut diximus in notis ad lib. I de Gloria mart. cap. 22.

[b] Sic Colb., Bad., Gon., et cæteri. Bell. vero habet *Ranihilde*, quod perinde est Bal., *Rachinilde*; et Laud., *Rahinilde*. Ragnahildæ reginæ meminit Sidonius lib. IV epist. 8, quam Sirmondus Eurici regis putat fuisse uxorem. Eam tamen Theoderico Eurici fratri et decessori nupsisse scribit Savaro, sed Sigivaldi filia multo ista junior fuit.

[c] Colb., *Vindiciacense*.

[d] Confer cum cap. 20 de Gloria confess.

[e] Monasterium Menatense, vulgo *Menat*, hodieque subsistit apud Arvernos, Ordini Benedictino addictum. Ibi vixere sancti Carilefus, Avitus et alii, qui postea celebres fuerunt, et aliorum monasteriorum Patres.

[f] Bell., *effectu*. Ed., *effa u*.

[g] Id est, *transgressores*; alii, *transgressionibus*

[h] Bell., *beato episcopo retulit*. Quæ sequun Ed. et Mss. vid ntur corrupta. Sic Colb. : *Do cherubin ac serafin obumbrare majestatem. prophetam extenso volumine verba quæ vatici erat clamare. Et dum attonitus.* Bell : *Domi reos et in hac serafin obumbrarel.... clamare dum attonitus.* Editi : *Ibique serafin obumbra jestatem Domini et Isayæ prophetæ verba, qu cinaturus erat, intimare, turba circumstante rum, in laudem Dei voce sedentes ætheras et* [Bal. : *Dei sedentis super æthera et ibi*] *s obumbrare majestatem. Esayam prophetam volumine verba quæ vaticinaturus erat dum*, etc.

istius fugitivæ jacturam facere cupientes, pertendere ad illam vitam voluerunt, quæ in exsultatione perpetua manet, quæ nullo gemitu obstrepit, nec quoquam fine concluditur; cujus lumen nullatenus exstinguetur, cujus serenitas nulla obscuritate **1215** nobis obtegitur. Ideoque semper præsentium dolorum contumelias pro nihilo habuerunt, scientes se in paucis vexatos, in multis bene disponendos. Et ob hoc quisquis ille est, qui in isto agone contendit, metu non terretur, pœna non solvitur, dolore non frangitur, ut tantum illa æternæ jucunditatis amœnitate cum electis Dei perfrui mereatur : sicut multos fecisse novimus de sanctis viris, quorum nunc vita tractatur aut legitur.

I. Igitur Lupicinus quidam magnæ sanctitatis, fortissimusque in operibus Dei (*An.* 400, ... 24 *Jun.*), qui primum electosynam per domos devotarum deposcens, quæ acquirere potuisset sibi similibus erogabat : ad extremum jam mediam habens ætatem, ad vicum Berberensem, qui nunc Lipidiaco dicitur [a], veniens, parietes antiquos reperit, illique reclusus, ab omnium se hominum aspectibus inhibebat : ac per modicam fenestellam parumper panis vel aquæ accipiens, quod ei aliquoties, cum esset valde exiguum, usque ad diem tertium perdurabat. Aqua enim per canalem parvulum inferebatur, fenestella vero velo operiebatur; utriusque tamen rei aditus ita obtectus erat, ut nullus beatum ejus vultum posset advertere. Et dum ibidem die noctuque in Dei laude psalmorum modulis delectatur, tormentum sibi quod corpusculum plus gravaret adhibuit, non immemor illius Apostoli dicti, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Lapidem namque grandem, quem duo homines vix levare poterant, cervici impositum tota die, dum Deo caneret, per cellulam deportabat : nocte autem ad additamentum injuriæ, in virga quam manu gerebat, duas defixerat sudes, desuper acumina paratis, quæ ad mentum suum ne somnum caperet supponebat. Denique ad extremum vitæ tempus, corrupto pectore a pondere saxi, sanguinem per os ejicere cœpit : quem per parietes præsentes projicichis spuebat. Sed et plerumque fidelibus viris nocte ad cellulam clam appropinquantibus, quasi vox multi psallentii [b] resonabat : sed et multos infirmos, et præsertim ab accessionibus **1216** frigoriticis vel pusulis malis oppressos, tactu tantum, vel signo salutari impositio, sanitati restituebat.

II. Cum autem jam senio inclinatus esset, vocavit ministrum suum, dicens : Præterito tempore occulendi, manifestandi tempus advenit. Scito ergo me post triduum ab hoc sæculo liberandum. Voca nunc fideles quosque fratres et filios, quibus sum vale dicturus, ut veniant ad nos visitandum. Illucescente autem die tertia, confluentibus fratribus, ostium quod clausum erat aperuit, atque ingredientibus, cunctis qui aderant consalutatis, deosculatisque, orationem fudit ad Dominum, dicens : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me salvari jussisti ab hujus mundi impedimentis, et ita me fovere dignatus es in hoc sæculo, ut nihil suum in me auctor criminis inveniret. Et conversus ad plebem, ait : *Magnificate*, quæso, dilectissimi, *Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in commune* (*Psal.* XXXIII, 3), qui me erectum de stercore, erutum de tenebrarum opere, amicorum suorum fecit esse consortem; qui misit angelum suum ad me accersendum ab hac mundana statione, et pollicitus est me in requiem sempiternam perducere, ut collega amicis ejus effectus, merer er regno ejus ascribi. O beatum virum qui ita consolari meruit in hoc corpore, ut prius cognosceret quod erat fruiturus in cœlo, quam migraret a sæculo, meruitque hic obtinere apud divinam potentiam quod David sæpius decantabat : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, ut sciam quid desit mihi* (*Psal.* XXXVIII, 5, 6). Dehinc humo incumbens, spiritum cœlo intentum præmisit ad Dominum. Tunc omnes in fletu prostrati, alii plantas osculantur, alii fimbrias vestimenti diripiunt, alii de pariete beatum sanguinem qui ab ejus fuerat ore projectus, inter se certantes excudunt : miserum se quisque dicebat, si immunis ab ejus pignoribus discessisset. Testis est hodieque et ipse paries, qui tot fossulis patet, quot ab ore beati Confessoris sputos emeruit : testis est ipse canalis de quo vir beatus aquam sumpsit ad usus, de quo fideliter osculantes hauriunt sanitatem. Nam vidi ego multos, qui evulsos a pariete sacrati **1217** oris sputos, in diversis infirmitatibus positi meruerunt accipere medicinam.

III. Denique hoc, ut diximus, defuncto, adfuit quædam matrona, quæ ablutum digne induit vestimentis, et cum eum ad vicum Transalicensem [c] inferre vellet, restitit ei populus pagi Lipidiacensis, dicens : Nostrum hunc solum fovit, nobis corporis ejus gleba debetur. Matrona autem respondebat ad hæc : Si aliqua de victus ejus exprobratis necessitate, sæpius ei ego et triticum misi, et hordeum, quod vel ille sumeret, vel aliis ministraret. At illi dicebant : Nostri generis homo effectus est, nostri fluminis aquas hausit, nostra eum terra cœlo trans-

[a] Ignotus nobis est sub utroque nomine hic locus.
[b] Ed., *multorum psallentium*.
[c] Colb. hic *Transiliensem*, et infra bis *Transiliacensem*. Laud. et Bad., *Transaliensem*, et infra *Transaliacensem*. Bell., *Transaliensem*. Sur. semper *Transaliacensem*, et Gon. *Transiliensem*. Supra, lib. II de Mirac. sancti Martini memoratur vicus Transaliensis in pago Arvernico situs, ubi erat, si bene conjicimus, ecclesia Treselliaci (*de Trézay*, seu *Trésel*), in veteri Claromontensis diœcesis beneficiorum catalogo laudata. Hanc ecclesiam Trenorchiensi monasterio subjecit Fulco de Jaligniaco an. 1056, ubi Guillelmus ejusdem Fulconis frater Trenorchii abbas monachos instituit. Hinc Henricus I, anno 1059, inter alia quæ eidem monasterio confirmat, occurrit *monasterium Tresal in comitatu Arvernensi*. Habetur quoque apud Bituriges locus *Transaulx* dictus. An alteruter, aut neuter ex istis hic memoretur, incertum.

misit. Æquumne ergo est ut tu de terra alena veniens rapias eum de manu nostra? Noveris enim quia non hoc sustinebit quisquam nostrum, sed hic sepelietur. Matrona respondit : Si germen stirpis ejus inquiritis, ex aliis hic regionibus adventavit, si aquas fluminis ingeritis, parum sitim ejus mollierunt, quam potius e cœlo manans fons ille restinxit. Cumque hæc et hujuscemodi inter se verba proferrent, et Lipidiacenses effossa humo, et depósito sarcophago eum sepelire niterentur, convocatis matrona solatiis [*Ed.*, auxiliis], fugatis pagensibus, rapuit sanctum corpus, ac ferre cœpit in feretro ad vicum Transaliacensem, dispositis in itinere psallentium turmis cum crucibus, cereisque, atque odore fragrantis thymiamatis. Quod illi cernentes, pœnitentia moti, miserunt post matronam, dicentes : Peccavimus resistendo tibi, profecto enim cognoscimus in hoc esse Domini voluntatem; nunc autem petimus ut non abjiciamur ab hujus funeris obsequiis, sed admittamur officiis ejus. Illa quoque permittente ut sequerentur, conjunctus est uterque populus; et sic pariter usque ad Transaliacensem vicum venientes, celebratis missis, beatum corpus cum summo honore gaudioque sepelierunt. In quo vico sæpius se beatissimus in virtutibus declaravit. Sed et Lipidiaco, ut **1218** supra præfati sumus, plerumque opus ejus sanctum ostenditur, uterque enim locus unius Sancti præsidiis communitur. Et fortassis quorumdam incredibilium latratus de his conatur obstrepere, noverint a me visum Deodatum presbyterum, summam octogenarii ævi ferentem, qui mihi hæc ut scripta sunt contulit, confirmans sacramento nihil se de his admixto mendacio enarrasse.

CAPUT XIV.

De sancto Martio abbate.

Magnum nobis divina pietas largitur augmentum, cum delictis nostris fieri præcepit de remissione refugium, si ignoscamus negligentibus, si indulgeamus lædentibus, si odientibus nos e contrario commodum benedictionis impertiamur, dicente Domino Jesu Christo : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro calumniantibus et persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est* (*Matth.* v, 44, 45). Ecce quam magnum thesaurum congregat contemptus iræ, reconciliatio damnati, remissio judicati : filium te Dei Patris facit, cohæredem Christi ascribit, cœlestibus te regnis habitatorem statuit. Unde manifestum est oblitterari delicta ejus in cœlo qui delinquenti beneficium veniæ impertitur in sæculo. Sic enim Dominici oris sententia prolata testatur : *Si*, inquit, *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et Pater vester cœlestis peccata vestra* (*Matth.* vi, 14). Cum vero supplices famulos docet orare, ait : *Sic enim dicetis ad Patrem : Dimitte nobis debita nostra, quemadmodum et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Ibid.*, 12). Ille igitur sanctus Martius beatus abbas, sanctitate præclarus, divinis eruditus studiis, hujus sententiæ bonum retinuit corde, ut libenter dimitteret delinquenti; et non solum ignovit noxam, verum etiam munere [a] præbuit gratiam, ne in aliquo vilem redderet culpati personam. Sed ante **1219** de conversatione ejus pauca locuturi sumus, priusquam ad hujus gratiæ beneficium accedamus.

I. Igitur beatissimus Martius, Arvernæ urbis abbas (*An.* 525, 13 *April.*), ejusdem territorii fuisse incola fertur, et a pueritia sua religiosam agens vitam, totum se Dei operibus dedicavit. Erat enim parcus in cibis, largus in eleemosynis, promptus in vigiliis, in orationibus valde devotus : totis viribus luxuriam abstinentiæ freno, ac parcitatis agone coercens, ne sibi aliquid subrepere posset. Non immerito Martius vocitatus, qui marte triumphali pullulantes actionum mortalium cogitationes gladio Spiritus sancti in ipso emicationis [*Ed.*, dimicationis] exordio succidebat, non surdus auditor Apostolicæ exhortationis dicta commemorans : *Accingite vos armatura Dei et gladio Spiritus sancti, ut possitis ignita diaboli tela contemnere* (*Eph.* vi, 11, 16). Cumque ad illam ætatis legitimæ perfectionem venisset, et tanquam sidus egregium in hac urbe fulgeret, adhuc aliquid sibi deesse putans, haud procul ab ea secessit, acceptoque sarculo, montem lapideum cædere cœpit, in quo cellulas sculpens, habitacula sibi parvula fecit : scilicet ut arctius sobrietatis catena constrictus, facilius Deo omnipotenti incensum thura laudationumque holocaustomata super cordis mundi altare proferret, recolens Dominum dixisse per Evangelium : *Intra in cubiculum, et clauso ostio ora Patrem tuum, et Pater tuus qui videt in absconso reddet tibi* (*Matth.* vi, 6). Sciebat enim et angelicæ sibi visitationis consolationem adfore si se ab humanis aspectibus longius amovisset. In hac ergo rupe cavati montis, habitationis ut diximus necessaria præparabat, formans in antris ex ipso lapide scamnum, et sellulam [b], sive lectulum, in quo post laborem multum fessi corpusculi requiem indulgeret. Sed erant hæc immobilia, quia ex ipso lapide incisa massæ ipsi petreæ [c] inhærebant : nihil autem super eam cum quiesceret sternebat, nisi tantum cum vestimento quo indutus erat decumbebat, nec alios habens tapetes, plumellas aut stragula, quibus hæc operirentur, nisi cum ipse desuper consedisset. Nihil enim habebat proprium **1220** nisi Dei cultum, in quo indeficiens permanebat. Victum ei interdum devotorum largitio ministrabat.

II. Denique et æternus Dominus, qui jugiter glorificat sanctos suos, cœpit cœleste famuli meritum terrigenis declarare, vel qualis esset cultor suæ divinitatis ostendere, dum ei curationum gratiam dignatus est impertiri. Nam dæmones de obsessis cor-

[a] Colb. *munera... grata.* Bal., *pro munere... nec aliquis vilem velit reddere.*

[b] Ed., *cellulam.* Infra Boll., *fesso corpusculo.*

[c] Sic. Colb.; at Boll. et plerique Ed., *incisæ massæ ipsi petræ.* Bal., *incisa malleo*, etc.

poribus in nomine Jesu Christi verbo fugabat, venenum malæ pusulæ crucis signaculo opprimebat, quartanis, tertianisve febribus infuso benedicti olei liquore pellebat [*Ed.*, medebatur], et multa alia beneficia populis, annuente Domino largitore bonorum omnium, tribuebat. Ad tanti viri famam cœperunt quidam ad eum confluere, gaudentes ejus instrui disciplinis. Quid plura? colligit viros, format monachos, efficit ad opus Dei perfectos. Erat enim ei magna patientia, tantamque adversus sustinendarum injuriarum tela sumpserat bonitatem, ut putares eum lorica dulcedinis esse vallatum. Erat autem monachis hortus, diversorum olerum copia ingenti refertus, arborumque fructuum, et amœnus visibus, et fertilitate jucundus : sub quarum arborum umbraculo susurrantibus auræ sibilo foliis, beatus senex plerumque sedebat. Quidam autem impudens et sine timore Dei, gulæ circumscriptus desiderio, effracta sepe horti, furtivo est ingressus accessu [a], sicut Dominus exprobrat in Evangelio, quia *qui non intrat per januam, hic fur est et latro* (*Joan.* x, 1). Porro autem erat noctis tempus, nec enim poterant hæc nisi in nocte perpetrari, quia *omnis qui male agit, odit lucem* (*Joan.* III, 20). Illic vero collectis oleribus, cepisque, et alliis, sive pomis, oneratus fasce fraudis iniquæ, ad aditum quo ingressus fuerat pergit; sed nequaquam reperit ut egrederetur. Gravatur onere, conscientia [b] terretur, et inter labores ponderum alta suspiria ducit : sustentatur interdum super columnas arborum. Circuit iterum iterumque omnem ambitionem horti; et non modo ostium non reperit, verum etiam nec ipsum, quem inter nocturnas tenebras patefecit, advertit ingressum. Torquetur enim duplici cruciatus dolore, ne aut **1221** teneatur a monachis, aut a judice capiatur. Inter has cogitationum faces nox ei elongatur, jubar lucis non desideratæ redditur : abbas vero in psallentio noctem ducit, et, ut credo, revelante Deo, quæ gerebantur agnoscit. Etenim albescente jam polo vocat præpositum, dicens : Accurre velocius ad hortum, bos enim petulcus ingressus est in eum, sed nihil læsit ex eo, accede nunc, et impositis necessariis dimitte eum. Sic enim legitur : *Bovi trituranti os non colligabis* (*I Cor.* IX, 9). Præpositus quoque non intelligens quæ narraret, abiit implere jussionem. Quem cum vidisset homo appropinquantem, projectis in terram quæ sumpserat, fugere cœpit, ac inter spinas et rubos caput immergit, et in modum porcorum aditum unde egredere ur, ictu facili conatur aperire. Quem monachus apprehendens, ait : Ne timeas, fili, quia senior noster misit me ut educam te ab hoc loco. Tunc collectis monachus quæ ille projecerat, tam pomis quam oleribus, imposuit humeris ejus, et aperto ostio dimisit eum, dicens : Vade in pace, et ne ultra repetas quæ ignavia comitante gessisti.

II. Ipse quoque Sacerdos, velut jubar veri luminis in orbe resplendens, infirmitatum morbida virtutum efficacia pellebat assidue. Nivardus quidam diuturna febre detentus, dum aquas æstuans ab ardore haurit assidue, ab hydrope intumuit, ita ut tam venter quam stomachus in modum vesicæ cerneretur extensus. In desperatione ergo pro tali infirmitate positus, deferri se ad Sanctum beneficio plaustri deposcit. Denique a lectulo elevatur, imponitur super vehiculum, atque ad cellulam sancti Martii perducitur, deprecans humiliter ut sibi Sacerdos Dei manus imponeret. At ille prostratus in orationem coram Domino, conversus est ad infirmum, tactuque blandissimo ejus membra contrectans, eum in contemplatione astantium reddidit sanum. Nam ita fertur tumor omnis ante digitos ejus aufugisse de corpore obsesso, ut nullum in eo ulterius ægritudinis hujus remaneret indicium. Hæc **1222** autem a mei genitoris relatione cognovi, eo quod ei fuerit hic Nivardus in amicitiæ conjunctione devinctus. Asserebat autem idem vidisse se Sanctum, his verbis : Cum esset adhuc puer, quasi annorum undecim, ab illo tertianarum accessu febrium occupatur. Tunc amici apprehensum puerum, duxerunt eum ad Virum Dei. Erat enim jam senex et proximus resolutionis diei, caligabantque oculi ejus. Posita vero manu super puerum, ait : Quis est hic, vel cujus est filius? Responderunt : Famulus tuus est puer Florentius Georgii quondam filius senatoris. Et ille : Benedicat, inquit, tibi Dominus Deus, fili mi, et sanare dignetur languores tuos. At ille osculans manus ejus, et gratias agens abscessit sanus. Asserebat autem nunquam deinceps se in omni vita sua ab hoc contagio fuisse pulsatum.

IV. Ipse vero jam ætate nonagenarius, bono desudans certamine, consummato cursu vitæ, servans in Deo fidem, ad illam coronam justitiæ quam in illa retributionis die redditurus est ei Dominus, commigravit. Dehinc cum summo honore ablutus, dignisque vestimentis indutus, intra oratorium monasterii [c] est sepultus. Quod autem beatus ejus tumulus divinis virtutibus illustretur, ipsa quæ astitit caterva poterit contestari, quæ cum infirmos mittit ad tumulum, extemplo incolumes remittit ad domum. Nam cum de diversis partibus confluentes, deferentesque morborum genera, inibi capiunt medicinam, frigoriticorum tamen vibrantia tremore membra sæpius ad soliditatem integram restaurantur, tribuente hoc Domino nostro Jesu Christo, qui glorificat illustribus miraculis sanctorum nunc tumulos, quondam mor-

[a] Plerique, *ascensu*. Bal., *furtivum... ascensum*.

[b] Bol., *gravata onere*. Alii, *gravatus.... conscientiæ*.

[c] Destructo jam pridem sancti Martii monasterio, superest exiguum oratorium abbatiæ sancti Illidii sub prioratus titulo subjectum, in quo sancti Martii corpus jacere creditur, sed ignotus est ejus tumuli locus. Ea ipsa est *sancti Martii ecclesia* in libro II de ecclesiis Clarom. memorata cap. 16, ubi idem sanctus *requiescere* in ea dicitur. Sita est haud procul ab urbe, ad radices *Waiferi castri*, inquit Savaro, *inter monasterium Rubiacense et ecclesiam sancti Victoris*. Sancti Martii festum colitur apud Arvernos die 15 Aprilis. Laudatur a Trithemio et in variis sanctorum indicibus.

tuos reducens e tumulis. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XV.

De sancto Senoch abbate.

Vanitas vanitantium [a], dicit Ecclesiastes, *et omnia vanitas* (*Eccle.* I, 2). Verumne **1223** est ergo quod omnia quæ geruntur in mundo cuncta sint vanitas? unde fit ut sancti Dei, quos nullus libidinum æstus exussit, nullus concupiscentiæ exagitavit stimulus, quos nullum luxuriæ cœnum nec in ipsa, ut ita dicam, cogitatione tentavit, astu tentatoris elati, visi sunt sibi esse justissimi, et ob hoc jactantiæ cothurnosæ perflati supercilio, sæpius corruerunt: factumque est ita, ut quos non valuit majorum criminum gladius trucidare, levis vanitatis fumus addictos facile pessumdaret. Sicut et ipse ille, de quo nunc nobis sermo futurus est, cum multis virtutibus floruisset, pene in illo arrogantiæ barathro obrutus occumberet, si eum non exhortatio fratrum fidelium attenta recuperasset.

I. Igitur beatus Senoch, gente Theiphalus, Pictavi pagi, quem Theiphaliam [b] vocant, oriundus fuit (*An.* 576, 24 *Oct.*), et conversus ad Dominum, clericusque factus, monasterium sibi instituit. Reperit enim infra territorii Turonici terminum parietes antiquos, quos eruderans a ruinis, habitationes aptavit dignas; reperitque ibi oratorium, in quo ferebatur celebre nostrum orasse Martinum. Quod diligenti cura compositum, erecto altari, loculumque in eo ad recipiendas sanctorum reliquias præparatum, ad benedicendum invitat episcopum. Adfuit tunc Euphronius beatus episcopus, qui, consecrato altari, diaconatus eum honore donavit. Celebratis igitur missis, cum capsulam reliquiarum in loculo cuperent collocare, exstitit capsa prolixior, nec recipi in loculum poterat. Tunc prostratus diaconus cum ipso Sacerdote pronus ad orationem, lacrymas precibus mixtas effudit, obtinuitque petita. Mirum dictu! ita enim loculus divinitus amplificatus, capsulaque constricta est, ut in eum spatiosissime non sine admiratione reciperetur. In hoc loco [c] collectis tribus monachis, Domino assidue serviebat, et in primis arcto vitæ tramite incedebat, exiguosque cibos et tenues potiones sumens: diebus autem Quadragesimæ sanctæ addebatur augmentum abstinentiæ ciborum diminutione. Nam esus illi panis tantum hordeaceus **1224** erat, et aqua, de utrisque elementis libras singulas per dies singulos sumens: rigorem vero hiemis sine ullo pedum tegmine [d] continens, manibusque ac pedibus, sive et collo, ferrea catena revinctus. Dehinc a fratrum contemplatione demotus solitarie se reclusit in cellula, orans assidue, atque in vigiliis et orationibus die noctuque sine ambiguitate perdurans. Conferebat ei devotio fidelium plerumque pecuniam, sed non eam in abditis loculis, sed in pauperum marsupiis condebat, illud Dominici eloquii oraculum sæpe commemorans: *Nolite thesaurizare vobis thesaurum super terram* (*Matth.*, VI, 19), quia *Ubi fuerit thesaurus tuus, illic et cor tuum* (*Ibid.*, 21). Dabat enim hic quæ accipiebat pro Dei intuitu, in diversis necessitatibus indigentium. Unde factum est ut in vita sua de his amplius quam ducentos a nexu servitutis debitique onere sublevaret.

II. Cum autem nos in Turonicum venissemus, egressus est de cellula, venitque ad inquirendos nos, salutatisque ac deosculatis regressus est iterum. Erat enim, ut diximus, valde abstinens, sanans infirmantum languores: sed ut de abstinentia sanctitas, ita de sanctitate vanitas cœpit obrepere. Nam egressus de cellula, jactantia cothurnosa ad requirendos visitandosque parentes in pago Pictavensi, cujus supra meminimus, abiit. Regressusque, tumidus arrogantia sibi soli placere nitebatur; sed objurgatus a nobis, et accepta ratione quod superbi longe fiant a regno Dei, ita se purgatus jactantia humilem reddidit, ut nulla in eo penitus radix superbiæ remansisset; ita ut profiteretur, dicens: Vera nunc esse cognovi, quod beatus Apostolus sacri oris contestatur eloquio: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31). Sed cum per eum Dominus super infirmos multas faceret virtutes, et ille ita se duxit includere, ut nunquam humanis aspectibus appareret, consilium suasimus, ut non se perpetuo in hac conclusione constringeret, nisi in illis duntaxat diebus, qui inter depositionem sancti Martini, ac dominici Natalis solemnitatem habentur, vel in illis similiter quadraginta **1225** diebus quos ante Paschalia festa in summa duci abstinentia patrum sanxit auctoritas; reliquis vero diebus infirmorum gratia populis se præberet. Audito autem consilio nostro, libenter quæ dicta sunt accepit, implevitque sine ambiguitate.

III. Denique, quia de conversatione ejus pauca prolocuti sumus, ad virtutes quas per illum medicabilis divinæ potentiæ dextera operari dignata est accedamus. Cæcus quidam, Populsus nomine, ad eum venit; erat enim tunc beatus Senoch jam presbyter ordinatus. Qui dum aliquid alimenti postulat, tactis a sancti Sacerdotis manu oculis, ut signum salutare meruit, protinus visum recepit. Alius quoque Pictavensis puer hujuscemodi morbo laborans, audita confessoris hujus opera, pro luminis perditi receptione precatur. Nec moratur ille, sed invocato Christi nomine, crucem oculis cæci imponit, statimque defluente rivo sanguinis, lux intravit, ac post viginti annorum curricula, orbatæ fronti geminorum siderum jubar inclaruit. Duo pueri membris omnibus debiles, et in modum sphæræ in rotunditate contracti, ejus conspectibus sunt delati: quibus impositis

[a] Sic Mss. duo et ita legit Augustinus. Alii, *vanitatum*.

[b] Vide notas in lib. IV Hist. cap. 18, et cap. 25 libri de Gloria confess.

[c] Hodieque exstat vicus haud procul ab oppido Luccensi, nomini ejus sacer, vulgo *Saint-Senou*, ubi vixisse creditur, sed nulla ibi visuntur monasterii rudera, quod jampridem destructum fuerit.

[d] Ed. addunt *pati*..... *simul et collo*. Sed. et Gem., *pati contentus erat*. Idem infra, *semotus*.

manibus, reintegratis artubus, unius horæ momento utrumque reddidit absolutum ; geminavitque deinde geminæ virtutis beneficium. Puer cum puella coram eo contractis manibus astiterunt, erat autem tunc medium paschalis festum solemnitatis ; cumque pro suæ directionis medela Dei famulo supplicarent, et ille pro ea quæ ad ecclesiam convenerat populi frequentia hæc agenda differret, indignum se clamitans, per quem Deus infirmis præbere beneficia dignaretur, supplicantibus cunctis, manus eorum suis suscepit in manibus, quibus attrectatis, directis digitis, sanos abscedere jubet. Sic et Benaia, hoc enim erat nomen mulieris, oculos deferens clausos, tactu salutaris dextræ benedicta, illuminata discessit. Sed nec illud occuli puto, quod sæpius ejus oratio virus serpentium exinanire obtinuit. Duo enim tumidi morsu hydri ejus pedibus prosternuntur, deprecantes ut virus quod dens malæ bestiæ artubus moribundis injecit, sua virtute discuteret. At ille orationem fudit ad Dominum, **1226** dicens : Domine Jesu Christe, qui in principio cuncta mundi elementa creasti, et serpentem illum humanis dignitatibus æmulum sub maledicto esse sanxisti (*Gen.*, III, 14), tu depelle ab his famulis tuis veneni hujus malum, ut non anguis de his, sed hi de angue valeant triumphare. Hæc autem cum dixisset, palpavit omnem compagem corporis eorum, statimque compresso tumore, virus mortiferum nocendi perdidit vires. Dies dominicæ resurrectionis advenerat, et homo quidam dum ad ecclesiam pergeret, vidit pecorum multitudinem suam segetem depascentem, ingemuitque, et ait : Væ mihi, quia annualis mei laboris opera ita deperit, ut nihil prorsus ex ea remaneat. Et accepta secure, amputatis ramis, aditum sepis claudere cœpit : confestimque contracta manus invita retinuit, quod voluntarie comprehendit. Dolore etiam instigante ad sanctum Confessorem mœstus accessit, trahens post se ramum quem manu constrinxerat, narravitque omnia sicut gesta erant. Tunc ille oleo benedictione sanctificato manum manu perungens, abstracto ramo, sanitati restituit. Sed et deinceps multos a serpentium morsu, et a pusulæ malignæ veneno, signo crucis locato desuper, reddidit sospitati. Nonnullos autem obsessos [a] dæmonis sævi livore, ut manus imposuit, extemplo fugatis dæmonibus mentem energia turbatam ad integritatem intelligentiæ reparavit. Omnes enim quoscunque per eum a diversis infirmitatibus dextera divina salvavit, si inopes fuissent, ipse cibum vestitumque dispensatione hilari porrigebat ; tantaque ei cura de egentibus fuit, ut etiam pontes super alveos amnium diligenter instrueret, ne quis inundantibus aquis naufragia sæva lugeret.

IV. In his ergo virtutibus clarus in populis declaratus, cum esset annorum circiter quadraginta, modica pulsatus febre, per triduum lectulo decubavit, nuntiatumque est mihi cum transitus esset propinquus. At ego velocius illuc properans, ad lectulum ejus accessi, sed nihil ab eo collocutionis elicere potui, erat enim valde defessus : dehinc, interposito quasi unius horæ spatio, spiritum exhalavit. Congregataque est ad ejus exsequias multitudo illa **1227** redemptorum, quos supra diximus, ab eo vel a jugo servitutis, vel a diversis debitis absolutos, quos vel alebat cibo, vel vestitu tegebat. Plangebant enim dicentes : Cui nos, Pater sancte, relinquis ? Post hæc sepulturæ locatus, sæpius se manifestis virtutibus declaravit. Nam trigesimo ab ejus obitu die, cum ad ejus tumulum missa celebraretur, Chaidulfus [*Ed.*, Caidulphus] quidam contractus dum stipem postulat, ad ejus sepulturam accedit : qui dum pallam superpositam osculis veneratur, dissolutis membrorum ligaturis directus est. Sed et multa alia ibi gesta comperi, de quibus hæc tantum memoriæ habenda mandavi.

CAPUT XVI.

De sancto Venantio Abbate

Solitarium atque multiplex donum ecclesiis populisque terrigenis cœlestis [b] potentia præstat, cum largitur jugiter sæculo non modo peccatorum suffragatores, verum etiam vitæ doctores æternæ ; quod unicum cernitur, dum a majestate divina tribuitur multiplex ; quia cunctis qui expetere voluerint, affluenter indulgetur, juxta illud : *Petite et accipietis* (*Joan.* XVI, 24), et reliqua. Unde vigilanter incessanterque debet investigare mens humana Sanctorum vitam, ut hoc provocata studio, accensa exemplo, ad ea semper extendatur quæ Deo novit esse acceptabilia, ut ab ipso vel mereatur emi, vel possit audiri. Hæc autem ab ejus majestate quærebant sancti percipere, poscentes jugiter ut ipse insinuaret cordi, ipse perficeret in opere, ipse loqueretur in ore ; quo facilius purgata mens cogitatione, eloquio, actione, cogitaret sancta, loqueretur justa, operaretur honesta. Unde factum est ut dum in his quæ Divini ati sunt placita famulabantur, obtinerent sibi remitti peccati debitum, eruerentur a cœni sordentis contagio, cœleste pro meritis invitarentur ad regnum. Ponebant **1228** etiam et præcessorum exempla ante oculos suos, et omnipotentem Dominum pro eorum affectibus collaudabant, quorum, ut diximus, exempla sequi meditabantur. Unde et nos in præconio devoti Deo famuli Venantii abbatis effari nitentes, Divinitati potius dona sua referimus, quæ dexteram ejus manifestum est effecisse quod sanctos constitit operasse [c], deprecantes ut aperiat os muti ad publicanda opera Antistitis sui : quia sient esse nos recognoscimus scientia tenues, ita novimus in conscientia peccatores.

I. Igitur sanctus Venantius Biturigi territorii incola fuit, parentibus secundum sæculi dignitatem ingenuis atque catholicis (*An.* 400... 13 *Oct.*). Qui dum esset juvenili ætate florens, a parentibus sponsali vinculo obligatur. Cumque, ut ætati huic convenit, amori se puellari præstaret affabilem, et cum poculis frequen-

[a] I. e. est, *nonnullis... obsessis.*

[b] Prologus deest in Mai. m. b.

[c] Ed., *operatos esse.* Scripti duo *sanctis... operasse.*

tibus etiam calciamenta deferret [a], contigit ut urbem Turonicam, Domino inspirante, veniret. Erat enim tunc temporis monasterium [b] basilicæ sancti Martini propinquum, in quo Silvinus abbas gregem Deo devotum regulari sceptro regebat. Ad hoc vir iste devotus accedens, virtutesque cernens beati Martini, ait intra se : Ut conjicio, melius est servire impollutum Christo, quam per copulam nuptialem contagio involvi mundano. Relinquam sponsam territorii Biturigi, et annectar catholicæ per fidem Ecclesiæ, ut qui [*Al.* quæ] credo corde, etiam opere merear effectui condonare. Hæc intra se volvens, advenit ad antedictum abbatem, provolutusque ad pedes ejus, quid intimo corde gereret cum lacrymis patefecit. At ille gratias agens Deo pro fide pueri, et addita etiam prædicatione sacerdotali, juvenem totondit, et gregi monasteriali ascivit. Ex hoc se in humilitate fratribus exhibens, charitatem cum omnibus diligens, in tanto sanctitatis apice evectus asseritur, ut ab omnibus tanquam parens proximus summo studio coleretur. Unde factum est, ut, decedente abbate, jam **1229** dicti monasterii, ipse in loco abbatis eligentibus fratribus substitueretur.

II. Denique quadam die Dominica ad missarum celebranda solemnia invitatur, dixitque fratribus : Jam enim oculi mei caligine obteguntur, nec possum libellum aspicere. Presbyteri igitur hæc alteri agenda mandate. Dicente igitur presbytero, ipse proximus astitit, ventumque est ut sanctum munus, juxta morem catholicum [c], signo crucis superposito, benediceretur. At ille intuitus, vidit quasi ad fenestram absidæ scalam positam, et quasi descendentem per eam virum senem, clericatus honore venerabilem, atque oblatum altario sacrificium dextera extensa benedicentem. Hæc enim agebantur in basilica sancti Martini, quod nullus videre meruit nisi ipse tantum, reliqui vero cur non viderint ignoramus. Ipse tamen deinceps fratribus retulit, nec enim est dubium hæc fideli famulo Dominum demonstrasse, cui etiam dignatus est arcanorum secreta cœlestium revelare. Nam idem dum de basilicis sanctorum die Dominica expleta oratione reverteretur super bacillum sustentatus, in medio beati Confessoris atrio, erectis auribus, oculisque ad cœlum diutissime attentis, stetit immobilis : deinde motus a loco, cœpit dare gemitus ac suspiria longa producere. Interrogatusque a suis quid hoc esset, aut si aliquid divinum fuisset intuitus enarraret, respondit : Væ nobis inertibus et pigris. Ecce jam in cœlo missarum solemnia expediuntur, et nos segnes nec inchoare cœpimus hujus mysterii sacramentum. Vere, inquit, dico vobis, quod ego audivi voces angelorum in cœlis, Sanctus, Sanctus in laude Domini proclamantes. Et dicto citius in monasterio missarum solemnia jussit expleri. Sed nec illud præteribo, quod quadam vice dum juxta consuetudinem, ut supra diximus, de basilicis quas orationis gratia adierat repedaret, et in basilica ad missas Dominicæ orationis verba decantarentur, cum illi dixerunt, Libera nos a malo, audivit e tumulo cujusdam vocem dicentem similiter Libera nos a malo. Quod non sine perfectionis **1230** merito censetur, ut hæc meruisset audire. Sed et ad Passivi [d] presbyteri tumulum veniens, et qualitatem ejus meriti, et quantitatem refrigerii, ipso docente cognovit.

III. Et licet hæc magna sint, ad illam tamen sanitatum gratiam, quam per eum Dominus infirmis protulit, libet accedere. Non enim ambigitur quod per eum, sicut supra diximus, operata sit dextera Dei, cui ista quæ memoravimus tanta voluit revelare [e]. Puerulus enim quidam, Paulus nomine, crurum poplitumque gravi dolore vexatus, Sanctum adiit, prostratusque genibus ejus, exorare cœpit, ut ei medicinam oratione sua a Domini misericordia obtineat impertiri. Qui protinus oratione facta, cum oleo benedicto palpata [f] membra infirmi, eum super lectulum suum requiescere fecit. Quo paululum quiescente, post unius horæ curriculum surgere jubet. Qui consurgens, sanus matri suæ Sancti est manibus restitutus. Faretri [g] cujusdam servus, infensus domino suo, hujus Sacerdotis oratorium expetivit : sed ille elatus superbia, absente beato Viro, servum abstrahit, ceciditque. Sed mox a febre correptus spiritum exhalavit. Quartanarum, tertianarumve, vel reliquarum accessus [h] febrium oratione facta sæpius mitigavit. Venenum malæ pusulæ, imposito salutari signo, restinxit, obsessos dæmonibus, invocato Trinitatis nomine, emundavit. Nam et ab ipsis dæmonibus sæpius impulsatus est, sed victor in certamine perstitit. Nam surgente eo quadam nocte de stratu suo ad reddendum officium, vidit duos arietes magnos suis foribus assistentes, quasi præstolantes adventum ejus : quo viso furibundi ad eum cum impetu valido dirigunt. At ille signum crucis opponens, illis evanescentibus absque metu oratorium est ingressus. Alia nocte, regressus ab oratorio, invenit cellulam suam plenam dæmoniis, dixitque eis : Unde venitis? A Roma, aiunt, hesterna die egressi, ad hunc locum

[a] Gonosus, *et præter pocula frequentia etiam luxuriose indueretur*. Sed nostram laudans lectionem in notis, ait olim sponsum et sponsam sibi invicem in signum mutui amoris et fidei dedisse calceos, ita ut sponsus se ipsum discalceans, calceamenta sponsæ traderet, quod et hæc vicissim sponso faciebat. Pocula vero hic memorata quasdam fuisse catenulas aureas vel argenteas in modum poculorum fabrefactas putat. Vide infra, cap. 20, de sancto Leobardo, et Alteserram in cap. 42 lib. 1 Hist. Gregorii nostri.

[b] Hodieque subsistit sub jurisdictione capituli sancti Martini, jam dudum in collegium canonicorum conversum sub sancti Venantii titulo.

[c] Nota morem *catholicum*, id est in Ecclesia universa receptum, sacra munera crucis signo benedicendi.

[d] Editi et Mai m. duo, *Passini*. Sur. et Gon., *Bassini*.

[e] Mai m. duo, *tanti habuit revelare*.

[f] Sic Mss., pro *palpatis membris*. Ed., *palpans*.

[g] Ed., *Pharetri*. Germ., *Baretri*.

[h] Mss. plerique, *accentus*. Bad., ut passim habent Scripti, *accensus*.

accessimus. Quibus ille : Abscedite, inquit, detestabiles, et nolite accedere ad locum in quo nomen Domini invocatur. Hæc eo dicente **1231** sicut fumus evanuerunt.

IV. His et talibus virtutum magnarum gratia pollens [a], impleto vitæ præsentis curriculo, vitam percepturus æternam emicuit [b] sæculo, cujus beatum sepulcrum miraculorum illustrium effectu plerumque redditur gloriosum. Mascarpionis servi ipsius monasterii mentem iniquus dæmon obsederat, qui per trium annorum curricula energumenus factus, ad sepulcrum beati viri debacchans, tandem ejus est, ut credimus, oratione ejecto dæmone expurgatus, multos deinceps mente integra vivens annos. Juliani conjux quartanæ febris accensu laborans, ut sepulcrum beati viri attigit, compresso ardore ac tremore corporali, sanata discessit. Simili sorte et Baudimundi uxor ab hac febre laborabat : sed ubi ad lectulum sancti viri prostrata fudit orationem, mox incolumitati restituta convaluit. Multa quidem et alia de eo audivimus, sed sufficere hæc ad credulitatem Catholicorum quæ scripta sunt arbitramur [c].

CAPUT XVII.

De sancto Nicetio Treverorum episcopo.

Si fides dictis adhibetur, relatoribus sacrorum operum pro fidei merito fideliter arbitror esse credendum, quia non omnia quæ in scripturis leguntur, obtutibus propriis cerni potuerunt : sed quædam ipsius scripturæ relatione firmata, quædam aliorum auctorum testimonio comprobata, quædam vero proprii intuitus auctoritate creduntur. Sed sunt, quod pejus est, qui perverso sensu ut scripta non credunt, ita testificata reprehendunt, visa vero tanquam conficta fastidiunt; non habentes illud in sua credulitate, quod Thomas apostolus gestabat in corde, dicens : *Nisi videro non credam* (*Joan.* xx, 25). *Beati* quidem *qui non viderunt, et crediderunt* (*Ibid.* 29) **1232**. Sed iste ut vidit, statim credidit. Nam, ut diximus, multi videntes non modo non credunt, sed et derident [d]. Unde et ego aliqua de sancti Nicetii Treverici sacerdotis virtutibus, virilitate, magnanimitate, sanctitate, scripturus, reprehendi ab aliquibus vereor, dicentibus mihi : Tu cum sis junior, quomodo seniorum gesta poteris scire? qualiter ad te eorum facta venerunt? Nempe non aliud nisi conficta a te hæc quæ scripta sunt decernuntur. Qua de causa relatorem hujus operis in medio ponere necessitas est, ut hi qui veritati derogant confundantur. Noverint igitur a beato Aredio [e] abbate urbis Lemovicinæ, qui ab ipso Nicetio antistite enutritus, et clericatus ordinem sortitus est, hæc quæ subjecta sunt me audisse : quem in hoc non credo fefellisse, cum per eum Deus eo tempore, quando mihi ista retulit, et cæcorum oculos illuminavit, et paralyticis gressum præstitit, et energumenos ejectis dæmonibus sanæ menti restituit. Nec credendum est eum mendacii nube obumbrari posse, quem Deus sæpius ab imbrium nube obtectum ita protexit, ut imbutis sociis, ipse nulla stillarum cadentium infusione madesceret. Denique si de tali relatore dubitatur, de beneficiis Dei diffiditur. Aiebat ergo memoratus sacerdos de antedicto antistite : Multa quidem, dulcissime frater, de sancto Nicetio bonorum virorum testimonio divulgata cognovi, sed plura meis oculis propriis inspexi, vel etiam ab eo vix elicita cognovi. Et cum mihi quæpiam de his quæ per illum Deus operatus est explanaret, non cothurno jactantiæ tumescebat, sed compunctus corde cum lacrymis aiebat : Ideo tibi hæc, fili charissime, pandere videor [*Ed.*, volo], ut et tu cum summa conversans innocentia cordis similia mediteris. Non enim ad excelsa virtutum Dei contendere quis **1233** poterit, nisi fuerit *innocens manibus et mundo corde* (*Ps.* xxiii, 4), sicut canna [f] Davidici carminis canit. Hæc ergo de eo præfatus relator exorsus est.

I. Igitur sanctus Nicetius episcopus ab ipso ortus sui tempore clericus designatus est (*An.* 556, 5 *Dec.*). Nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantum, a capillis nudum cernebatur ; in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam clerici fuisse signatam [g]. Exinde a studiosissimis enutritus parentibus, litteris institutus, abbati cuidam in monasterio commendatur : in quo loco ita se devotum Deo exhibuit, ut migrante abbate ipse

[a] Uterque Mai m., *privilegiis pollens.*

[b] Germ., *emigravit*, et terminatur Vita his verbis : *redditur gloriosum.* De ejus sancti sepulcro vide lib. de Gloria conf. cap 15. Hodieque in ecclesia sancti Venantii in claustro sancti Martini sita, visitur crypta choro ecclesiæ subjacens, in qua tria habentur sepulcra lapidea e terra levata, unum scilicet in medio, cui altare superpositum est, et creditur esse sancti Venantii; alia vero duo hinc et inde sita sunt. At sacræ ejus reliquiæ, tempore, ut conjicimus, quo Normanni omnia devastabant, inde translata sunt, et depositæ apud Cuvinium vicum in pago Lomacensi prope Namurcum, ubi monachi sancti Germani a Pratis initio sæculi x, teste auctore Vitæ sancti Gerardi Broniensis, *in excubiis sancti abbatis Venantii* erant. At eodem sæculo exeunte, Cuvinio excedere coacti monachi Germanenses Parisios redierunt, secum deferentes ejusdem beati abbatis reliquias, quæ hodieque in sancti Germani basilica asservantur.

[c] In Mai m. a subjungitur caput 15 libri de Gloria confess., quod est de eodem sancto Venantio, et in fine hæc addit : *Hæc Gregorius Turonensis sedis episcopus de se loquitur.*

[d] Colb. et Laud., *videntes modo non credunt. Unde.* Ed., *unum et ego.*

[e] Hic a sancto Nicetio educatus fuit, ut testis est ipse Gregorius lib. x Hist. cap. 29. Vide et ejus Vitam, infra.

[f] Canna fistulam hoc loco designat.

[g] Hoc est omnium antiquitatis testimonium, si Thomassino credamus, quo evinci possit tonsuram clericorum in modum coronæ prioribus sæculis factam fuisse. Nam antea, ut ipse fusius disserit, tondebantur quidem clerici, sicut et monachi, ut ex compluribus conciliorum canonibus et Patrum dictis patet, sed absque ulla coronæ configurationis. Illum consule in parte I Disciplinæ eccles. lib. II cap. 59, et vide in Roma subterranea Bosii aut Aringhi, Ciampini musivis, ac in aliis antiquis monumentis veteres sacerdotum icones.

succederet. Jam vero assumpto abbatis officio, tantum se, talemque ad instructionem atque districtionem fratrum exhibuit, ut non modo agere, verum etiam nulli liceret aliquid vel loqui perverse, dicens : Cavenda est scurrilitas, dilectissimi, et omne verbum otiosum, ut sicut corpus omne purum exhibere debemus Deo, ita etiam et os non ad aliud aperire, nisi ad laudem Dei. Quia tria sunt in quibus genus dilabitur humanum : aut enim cogitat, aut loquitur, aut agit. Ergo vos, dilectissimi, oportet vitare scurrilitatem, malitiam, et omne opus pessimum. Multa et alia exhortabatur fratres, ut eos dignos Domino exhiberet ac mundos. Venerabatur autem eum et rex Theodericus magno honore, eo quod sæpius vitia ejus nudaret ac crimina, castigatus emendatior redderetur : et ob hanc gratiam, decedente Trevericæ urbis sacerdote, eum ad episcopatum jussit accersiri [a] : cumque dato consensu populi ac decreto regis ad ordinandum a viris summis cum rege [*Id est*, apud Regem] honore præditis adducebatur. Verumtamen cum propinqui ad urbem cadente sole fixis tentoriis mansionem pararent, illi confestim, laxatis equitibus [b], per segetes pauperum dimiserunt. Quod cernens beatus Nicetius misericordia motus, ait : Expellite quantocius **1234** equos vestros a segete pauperis, alioquin removebo vos a communione mea. At illi indignantes dixerunt : Quænam est hæc causa quam loqueris? adhuc enim episcopalem apicem non es adeptus, et jam excommunicationem minaris? Et ille : Vere, inquit, dico vobis, quia destinavit rex, ut me avulsum a monasterio huic oneri consecrari juberet. Fiet quidem voluntas Dei, nam regis [*Sur.*, ullius] voluntas in omnibus malis me obsistente non adimplebitur. Tunc cursu rapido abiens, ejecit equos a segete, et sic cum admiratione hominum illorum ad urbem deductus est. Non enim honorabat personam potentis, sed Deum tantum et in corde, et in operibus metuebat. Impositus itaque in cathedra, dum lectionum seriem auscultaret, sensit nescio quid grave super cervicem suam. Cumque bis aut ter manum clam ad tentandum injecisset, nullius rei causam invenire potuit, quæ hoc pondus inferret; divertensque caput ad dexteram et lævam, odoratus est odorem suavitatis : intellexit quoque hoc onus esse sacerdotii ipsius dignitatem.

II. Assumpto vero episcopatu (*An.* 527) tam terribilem se præbuit omnibus, si Dei mandata non servarent, ut imminere mortem proximam voce præconis [*Al.*, præconia] testaretur. Quibus de causis pauca loqui placet ad roborandam sacerdotum censuram, vel ad instructionem populi, sive etiam ad ipsorum regum præsentium emendationem. Nam cum Theoderico decedente Theodebertus filius ejus regnum ambiisset, ac multa inique exerceret, et ab eodem plerumque corriperetur, quod vel ipse perpetraret [c], vel perpetrantes non argueret : advenit dies Dominicus; et ecce rex cum his qui ab hoc sacerdote communioni abesse jussi fuerant, ecclesiam est ingressus. Lectis igitur lectionibus, quas canon sanxit antiquus [d], oblatis muneribus super altare Dei, ait Sacerdos : Non hic **1235** hodie missarum solemnia consummabuntur, nisi communi ; ne privati prius abscedant. Hæc rege renitente, subito exclamat unus de populo arreptus a dæmone, puer juvenis, cœpitque voce valida inter supplicia torturæ suæ et Sancti virtutes, et regis crimina confiteri. Dicebatque Episcopum castum, regem adulterum; hunc timore Christi humilem, illum gloria regni superbum; istum sacerdotio inpollutum a Deo in posterum præferendum, hunc ab auctore sceleris sui velociter elidendum. Cumque rex timore concussus peteret ut hic energumenus ab ecclesia ejiceretur, dixit Episcopus : Prius illi qui te secuti sunt, id est incesti, homicidæ, adulteri, ab hac ecclesia extrudantur, et hunc Deus silere jubebit. Et statim rex jussit omnes hos, qui sacerdotis sententia damnati fuerant, egredi ab ecclesia. Quibus expulsis, jussit Sacerdos dæmoniacum foris extrahi. Sed cum apprehensa columna evelli a decem viris non posset, Sanctus Dei, sub vestimento suo propter jactantiam, faciens crucem Christi e contra, dæmonem relaxari præcepit. Qui protinus corruens cum his qui eum trahere nitebantur, post paululum sanus erectus est. Deinde post acta solemnia requisitus nunquam reperiri potuit, nec ullus scivit unde venerit, vel quo abierit. Conjiciebatur tamen a plurimis eum a Deo missum, qui regis Sacerdotisque opera non taceret. Unde factum est ut Sacerdote orante rex mitior fieret, pastor a Domino remunerandus digne propheticum illud audiret, quia *qui reddiderit pretiosum de vili, tanquam os meum erit* (*Jerem.* xv, 19). Quotidie autem prædicabat Sacerdos populis, denudans crimina singulorum, et pro remissione deprecans assidue confitentium. Unde adversus eum sæpius odii virus exarsit, quod tam veraciter multorum facinora publicaret. Nam plerumque se persecutoribus ultro obtulit, et gladio exserto cervicem præbuit, sed nocere eum Dominus non permisit; voluit enim pro justitia mori, si persecutor fuisset infestior. Aiebat enim : Libenter moriar pro justitia. Sed et Clotarium regem pro injustis **1236** operibus sæpius excommunicavit [e], exsiliumque eo minitante, nunquam est territus.

[a] Mss. duo Rad. et cæteri, *arceri*. Sur., al. *acciri*. Exempla consensus civium et regii decreti habes in appendice.

[b] Id est, *equis*. Ed., *laxatos equos*.

[c] Multum tamen a Gregorio laudatur lib. VI Hist. cap. 25.

[d] Ex hoc loco confutatur eorum sententia qui asserunt Ordinem Gallicanum a Mozarabico Hispanorum prodiisse. Cum hic dicatur canon antiquus priusquam Mozarabicus, a sancto Isidoro editus, in lucem prodiisset.

[e] Id est, non permisit ad sacram communionem accedere, aut ei eulogias denegavit, uti conjicio. Nec enim majori excommunicationi eum a fidelium societate segregatum fuisse a Nicetio Clotarium existimo. Quam duplicem excommunicationem apprime distinguit Mapinius episc. Rhemorum in epistola ad ipsum Nicetium, quam in appendice dabimus.

III. Quodam vero tempore, cum jam ad exsilium ductus, ab episcopis reliquis, qui adulatores regis effecti fuerant, removeretur, atque a suis omnibus derelictus, uni diacono, qui adhuc perstabat in fide, ait: Quid tu nunc agis? quare non sequeris fratres tuos, ut eas quo voluerit sicut ille fecerunt? Qui ait: Vivit Dominus Deus meus, quia usquequo spiritus meus infra hos artus contentus fuerit, nunquam derelinquam te. Et ille: Quia, inquit, hæc dixisti, dicam tibi quæ Domino revelante cognovi. Cras enim in hac hora, et honorem recipiam, et ecclesiæ meæ restituar; hi autem qui me reliquerunt cum magno pudore ad me confugient. Præstolabatur itaque diaconus rem promissam attonitus, quod postea est expertus. Illucescente autem die crastina, subito advenit legatus Sigiberti regis cum litteris, nuntians regem Clotarium esse defunctum, seque regnum debitum cum episcopi charitate devere percipere. Hæc ille audiens ad ecclesiam regressus, potestati restituitur, confusisque his a quibus derelictus fuerat, omnes in charitate recepit. Jam vero quam fortis fuerit ad prædicandum, quam terribilis ad arguendum, quam constans ad sustinendum, quam prudens ad docendum, quis evolvere queat? Unus enim ei semper erat rigor in prosperis et adversis; nec minantem timuit, nec a blandiente delusus est. Nam vere, ut aiebat relator ille (sanctus Aredius) memoratus, parum fuit quin juxta Paulum apostolum (*II Cor.* xi, 26) non fuisset injuriatus periculis fluminum, periculis latronum, periculis in civitate, periculis in falsis fratribus, et rel qua. Nam quadam die dum Mosellam fluvium navigio transnataret, inter pilas pontis fluctuum actus impulsu, palmis tantum pilæ adhæsit, pede continens navem, et sic ab intentibus jam ad demersionem paratus erutus est, quod non sine tentatoris insidiis se pertulisse ferebat. Sed et ipse auctor criminis plerumque se obtutibus ejus quasi nociturus ostendit. Denique dum quadam **1237** die iter ageret, descendens ab equo, inter vepres condensas ventris purgandi gratia est ingressus: et ecce assistit ei umbra teterrima, statu procera, crassitudine valida, colore tetra, oculorum scintillantium immensitatem in modum tauri petulantis habebat, ore patulo quasi ad deglutiendum Virum Dei parata. At illo faciente [*Al.*, facto] signum crucis e contra, in modum fumi ascendentis evanuit: quod non ambigitur ipsum ei sceleris principem fuisse monstratum.

IV. In jejuniis autem valde, ut diximus, fortis erat. Nam cæteris reficientibus, sæpe ipse, contecto capite cucullo, ne agnosceretur in publico, cum uno tantum puero sanctorum basilicas circuibat. Sed et curationum gratia data est ei a Deo. Dum autem hæc in illo, ut supra diximus, habitu sanctorum habitacula circuiret, ad templum sancti Maximini antistitis accessit, in cujus atrio post multas debacchationes tres energumeni pressi sopore quiescebant, cernensque eos somno deditos, fecit signum crucis e contra: statimque expergefacti, elevantes in sublime voces, dato impetu ad vomitum, emundati sunt. Cum autem lues inguinaria Trevericum populum in circuitu civitatis valde vastaret, et Sacerdos Dei pro ovibus commissis Domini misericordiam imploraret assidue, factus est sonus de nocte magnus, tanquam tonitruum validum, super pontem amnis, ita ut putaretur urbs ipsa dehiscere. Cumque omnis populus exterritus in lectulis resedisset, lethiferum sibi interitum opperiens, audita est in medio rumoris vox una cæteris clarior, dicens: Et quid hic, o socii, faciemus? Ad unam enim portam Eucharius [a] sacerdos observat, ad aliam Maximinus excubat, in medio versatur Nicetius; nihil hic ultra prævalere possumus, nisi sinamus hanc urbem eorum tuitioni. Hac voce audita, statim morbus quievit, nullusque ab eo ultra defunctus est. Unde non ambigitur virtute memorati Antistitis fuisse defensam. Invitatus autem quodam tempore Sacerdos a rege, dicit suis: Quærite nobis piscium multitudinem in abundantiam. **1238** ut euntes ad occursum regis, et nostrum explcatur opus, et amicis ministretur affatim. Dixeruntque ei: Labsus [b] noster, in quem pisces decidere soliti sunt, prorsus desertus habetur: sed et maceriæ ipsæ de locis suis amnis impetu evulsæ noscuntur. Non est qualiter jussio vestra adimpleatur, dum non est in promptu qualiter capiantur quæ præcipis. Et ille hæc audiens, ingressus in cellulam suam vocavit puerum, et ait: Vade, et dic coquorum præposito ut exhibeat pisces ab amne. Qui jussa referens, derisus est ab homine. Reversoque ait Sacerdos: Scio quia locutus es ea quæ præcepi, sed audire noluerunt. Vade, et dic eis ut eant. Cumque bis aut tertio hanc ordinationem dure susciperent, commoti tandem abierunt ad labsum, et aspicientes invenerunt eum ita refertum piscibus, ut decem viri quæ repererant vix exhibere potuissent. Ostendebat enim ei virtus divina sæpius quæ ei opportuna erant.

V. Sed nec hoc silendum putavi, quod eidem de regibus Francorum a Domino fuit ostensum. Vidit enim in visu noctis turrem magnam, tanta celsitudine præditam, ut polo propinqua suspiceretur, habentem fenestras multas, Dominumque stantem super cacumen ejus, et angelos Dei per speculas illas positos. Unus autem ex eis tenebat librum magnum in manu, dicens: Tantum temporis rex ille et ille victurus est in sæculo. Nominavitque omnes viritim, vel qui eo tempore erant, vel deinceps nati sunt; dixitque et qualitatem regni, et quantitatem vitæ eorum. Sed post uniuscujusque nomen semper Amen cæteri angeli respondebant. Sicque de his in poste-

[a] Is primus fuisse dicitur Trevirorum episcopus. Colitur die 8 Decembris.

[b] Coll. et Ed., *lapsus*. Infra Mss. duo *macriæ*. Porro licet lapsus nomine rete ut plurimum designari soleat, hic tamen videtur locus exprimi in quem pisces confluentes facilius capiuntur, seu receptaculum, in quo jam capti nutriuntur.

rum impletum est, sicut Sanctus per præfatam revelationem annuntiavit. Regressus autem a rege evectu navali, obdormivit. Et ecce commotus vento fluvius cœpit fluctus in excelsa porrigere, ita ut putaretur navis ipsa demergi. Sacerdos autem, ut præfati sumus, dormiens somno nescio quo, ut plerumque dormientibus evenit, quasi ab aliquo oppressus est. Excitatus quoque a suis fecit signum crucis super aqua, et cessavit **1239** procella. Deinde suspirans crebrius, interrogatus a suis est quid vidisset. Qui ait : Silere quidem decreveram, sed tamen dicam. Vide enim me quasi per universum orbem retia ad capiendum extendere, et nullus erat adjutor meus, nisi tantum hic puer Aredius. Et merito eum Dominus retificem ostendere voluit, qui quotidie populos ad divinum officium capiebat. Venit autem ad eum homo quidam, cæsariem barbamque prolixam efferens, prostratusque ad pedes ejus, ait : Ego sum, domine, qui in maris periculo positus, tuo adjutorio sum salvatus. At ille objurgans hominem, cur de eo laudationis hujus proferret gloriam, ait : Dic qualiter te Deus ab hac necessitate eripuit, nam virtus mea nullum juvare potest. Qui ait : Nuperrimo tempore cum navem ascendens Italiam peterem, multitudo paganorum mecum ingressa est, inter quos et ego tantum solus eram inter illam rusticorum multitudinem Christianus. Orta autem tempestate cœpi invocare nomen Domini, atque ut me intercessio tua eriperet flagitare; pagani vero invocabant deos suos, et ille Jovem, iste Mercurium proclamabat, alius Minervæ, alius Veneris auxilium flagitabat. Cumque jam in discrimine mortis essemus, aio ad eos : O viri, nolite hos deos invocare, non enim sunt dii isti, sed dæmones. Nam si vultis de præsenti interitu erui, invocate sanctum Nicetium, ut ipse obtineat cum Domini misericordia vos salvari. Cumque una voce elevata in hujuscemodi clamore dixissent : Deus Nicetii, eripe nos, protinus mare mitigatum est, cecidit que ventus, ac sole reducto, eo quo voluntas nostra fuit navis accessit. Ego autem vovi ne prius comam capitis tonderem quam tuis obtutibus præsentarer. Tunc jussu Episcopi tonsuratus homo Arvernum adit, unde se esse confessus est. Innumera sunt etiam quæ de hoc viro relata a **1240** memorato abbate cognovimus, sed finiendum libellum puto.

VI. Cum autem propinquum transitus tempus migrationis suæ cognovisset, fratribus retulit, dicens : Vidi Paulum apostolum cum Joanne Baptista invitantem me ad requiem sempiternam, atque exhibentem mihi coronam cœlestibus margaritis ornatam, ac dicentibus mihi viris : Talibus enim speciebus perfrueris in regno Dei. Hæc quibusdam fidelibus referens, post paucos dies modica febre pulsatus spiritum præmisit ad Dominum, sepultusque est in basilica sancti Maximini antistitis, cujus nunc tumulus plerumque divinis virtutibus illustratur[a].

CAPUT XVIII.

De Urso et Leobatio abbatibus.

Legiferi vatis oraculum cum de principio principium fandi sumpsisset, et Dominum extendisse cœlos dextera majestatis fuisset effatus, ait : *Et fecit Deus duo luminaria magna et stellas, et posuit ea in firmamento cœli, ut præessent diei ac nocti, et lucerent in firmamento cœli* (*Gen.* I, 16, 17); sic nunc et in illo mentis humanæ cœlo, sicut priorum sanxit auctoritas, luminaria magna dedit, Christum scilicet et Ecclesiam ejus, quæ luceant in tenebris ignorantiæ, et illuminent sensus humilitatis nostræ, sicut Joannes evangelista de ipso Domino ait, quia hic est lux mundi, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Posuit etiam in eo et stellas, patriarchas videlicet, prophetas apostolosque, qui vel doctrinis nos erudiant, vel mirabilibus suis illuminent, sicut in Evangelio ait, quia *vos estis lux hujus mundi* (*Matth.* V, 14). Et : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis* (*Ibid.*, 16). Hi enim Apostoli merito pro tota accipiuntur Ecclesia, quæ non habens rugam aut maculam **1241** impolluta subsistit, sicut Apostolus ait, quia *ipse sibi exhibuit Ecclesiam mundam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuscemodi* (*Eph.* V, 27). Ex horum ergo doctrina et usque[b] ad nostra fuerunt tempora, qui in hoc sæculo quasi astrorum jubar, non solum meritorum radiantes luce, verum etiam dogmatum magnitudine coruscantes, orbem totum radio suæ prædicationis illustraverunt, euntes per loca singula prædicando, ac monasteria ad divinum cultum locando, docendo homines a curis sæcularibus abstinere, et relictis tenebris concupiscentiæ Deum verum sequi, per quem facta sunt omnia, sicut de Urso Leobatioque abbatibus fidelium fratrum relatio signat.

I. Igitur Ursus abba Cadurcinæ urbis incola fuit

[a] De his in lib. de Gloria conf. cap. 94. De ecclesia vero et monasterio sancti Maximini, ubi etiam nunc servatur sancti Nicetii corpus, diximus in notis ad caput 93 ejusdem libri. Nicetius adfuit conc. Arvern. I an. 535, Aurelian. V an. 549, et eodem anno Arvern. IV. Anno vero 555 Paris. II. Tullense ejus occasione convocatum est an. 550, cui interesse renuit Remigius Rhemorum antistes, quod eo inconsulto coactum fuisset, ut ex ejus epistola ad ipsum Nicetium patet. Laudatur a Fortunato lib. III carm. 9, et ejus castellum supra Mosellam carm. seq. Carmine vero 11 Magnericus ejus successor et *discipulus* appellatur. Scripsit ad Justinianum imp. ut eum ab hæresi revocaret, et ad Clothsindam ad conversionem Langobardorum procurandam. Nicetium episcopum auctorem hymni *Te Deum laudamus* fuisse ex ms. Cod. scripserunt nonnulli viri eruditi, sed incertum eis erat Nicetii Lugdunensis an Trevirensis fetus esset. *Trevirensi* diserte tribuitur in Martyrologio ab annis sexcentis scripto, quod in monasterio Vallis Gregorianæ in Alsatia vidimus. Verum hic hymnus utroque Nicetio antiquior est, qui laudatur in sancti Patris Benedicti regula cap. 11.

[b] Labb. ex Cod. sancti Albini, *usque in nostris fuerunt fratribus, qui in hoc.*

(*An.* 500.... 28 *Jul.*), ab ineunte ætate religiosus et in Dei amore devotus. De quo egressus loco, Bituricum terminum est ingressus, fundatisque monasteriis apud Tausiriacum, Oniam atque Pontiniacum [a], stabilitisque præpositis sanctitate honorificis [*Lab.*, honoris ejus], dispensatione libratis, Turonicum territorium est ingressus, et ad locum quem Senapariam [b] vocitari priscus instituit auctor accessit. Ædificatoque oratorio, monasterium stabilivit; commissaque Leobatio præpositi summa regulæ, monasterium aliud statuit, quod nunc Loccis [c] vocant, situm scilicet super fluvium Angerem in recessu montis, cui nunc castrum supereminet, ipso nomine ut monasterium vocitatum. Ubi adjuncta congregatione, statuit apud animum suum, ne ultra alium proficisceretur in locum, sed in eo cum omni congregatione manibus propriis operari, et victum a terra in sudore vultus exigere, **1242** illud fratribus inter reliqua prædicationum dona commendans, quod Paulus apostolus ait : *Labora manibus, ut habeas unde possis* [d] *retribuere necessitatem patientibus* (*Eph.* IV, 28). Et illud : *Quia qui non laborat, nec manducet* (*II Thes.* III, 10). Dedit autem ei Dominus et gratiam curationis, ita ut insufflatis energumenis, protinus dæmonia ejicerentur a corporibus obsessis. Sed et alias per eum Dominus dignatus est operari virtutes. Erat enim abstinens a cibis et potu, interdicens [e] monachis sine cessatione avertere oculum et cogitationem ab omni luxuria.

II. Dum autem hæc ageret, ac fratres molam manu vertentes trit cum ad victus necessaria comminuerent, pro labore fratrum visum est ei molendinum in ipso Angeris fluvii alveo stabilire; defixisque per flumen palis, aggregatis lapidum magnorum acervis exclusas fecit, atque aquam canale collegit, cujus impetu fabricæ rotam in magna volubilitate vertere fecit : hoc opere laborem monachorum relevans, atque uni fratrum delegans, opus necessarium implebatur. Hanc autem fabricam Sichlarius [f] quidam Gothus, qui magno cum Alarico rege amore diligebatur, æmulus monasterio concupivit, dixitque Abbati : Dona mihi hoc molendinum [g], ut sit sub ditione mea, et quod volueris repensabo. Cui ille : Cum grandi, inquit, hoc labore paupertas nostra statuit, et nunc non possumus ipsum donare, ne fratres mei fame pereant. Et ille : Si vis, inquit, ipsum bona voluntate tribuere, gratias ago; sin aliud, vi ipsum auferam : aut certe faciam aliud, cujus exclusis aqua retrorsum conversa, rotam tuam vertere amplius non permittam. Abbas **1243** respondit : Non facies autem quod Deus non voluerit, nam a nobis ipsum penitus non accipies. Tunc Sichlarius fervens felle, similem sub hoc fabricam adaptavit. Cumque aqua retrorsum conversa sub hujus operis rotam inundans gurgitem fecisset, restitit prorsus, nec omnino verti potuit ut consueverat; venitque custos ejus ad abbatem media, ut ferunt, nocte, illo in oratorio cum fratribus vigilante, et ait : Surge, abba, deprecare attentius Dominum. Restitit enim rota molendini ab inundatione canalis alieni, quem Sichlarius fecit. At ille hæc audiens misit confestim fratres singulos ad monasteria illa quæ statuerat, dicens : Prosternite vos in oratione, et non sit vobis opus aliud, donec iterum ad vos dirigam. Sed et ipse non est egressus ab oratorio deprecans Dominum attente, ac præstolans adventum ejus misericordiæ. Sic fecit per integros duos dies totidemque noctes. Tertia jam illucescente die, accessit iterum monachus ille qui custos fuerat, nuntians rotam fabricæ suæ juxta consuetudinem priorem in summa verti velocitate. Egressusque abbas cum fratribus de oratorio accedit ad littus, conspiciensque molendinum quod Sichlarius fecerat, non reperit : accedensque ad littus, et fundum alvei intuens, indicium nullum de eo accepit. De quo non quidquam ligni, non lapidis, non ferri, vel ullius unquam genus indicii potuit ostendi, nisi quod conjici potuit, ipso quo fabricatum fuerat loco, virtute divina deliscens ab oculis hominum est ablatum. Tunc misit nuntios ad fratres, dicens : Requiescite jam a labore, quia ultus est Deus injuriam fratrum nostrorum.

III. His et talibus virtutibus præditus, consummato cursu vitæ, migravit ad Dominum : ad cujus tumulum [h] postea et energumeni sanati, et cæci illuminem quidem excidit, cujus nihil superest præter ecclesiam, quæ hodie parochialis est, simul cum prioratus titulo, a vicino monasterio Belliloci ord. Benedictini, cong. sancti Mauri subjectam.

[a] Colb., *id est Tausiriaco, Onia, atque Pontiniaco.* Et habent *Pontiviacum.* Labb., *Sausiriacum, Onia*, etc. Tausiriacum est forte locus *Tausiliacum*, vulgo *Toiselay* dictus, ubi hodieque perstat prioratus juxta oppidi muros sub titulo sancti Theobaldi, Burgidolensi abbatiæ subjectus. Onia silva est cum vico cognomine apud Bituriges, vulgo *la forêt d'Haugne*, ubi forte exstabat Oniæ monasterium. De Pontiniaco nihil expiscari licuit. Habetur in diœcesi Bituricensi locus *Montiniacum* dictus, a Sancergiensi (*Sancierge*) capitulo pendens.

[b] Vicus est Turonum inter Andriam seu Angerim, et Andresium amnes situs, vulgo *Sénevière*, qui hodieque sanctum Leubatium patronum agnoscit, ubi vulgo *Saint-Leubasse* vel *Saint-Libesse* appellatur. Hunc locum sic a sinapi nomen habuisse vult Valesius in notitia Galliarum, quem ideo *Sinapariam* primo dictum fuisse censet.

[c] Laud. et plerique Ed., *Locis.* Bal., *Locias... fluvium Ligerim*, et sic infra. Labb., *Lucas*; sed iste locus notus est, vulgo *Loches* : Monasterium vero

[d] Colb. et Bell. *laborate... habeatis... possitis.*

[e] Editi, *indicens*, et infra Bal., *sine necessitate.*

[f] Colb. et Bel., *Silarius.* Et quidem sic appellatur in libro de castro Ambasia et ejus dominorum gestis, cap. 3 tom. X Spicilegii Acheriani pag. 522, ubi Alarici proximus et amicus appellatur. Ibique monasterium in secessu montis prope castrum Luccas super fluvium Angerem situm fuisse memoratur, *ubi multi religiosi sub Urso abbate degebant.* Illud vero *cœnobium Angeris* nuncupat, describitque historiam molendinorum quam infra narrat Gregorius.

[g] Colb. et Laud., *hunc molinum*, et sic infra. Porro hodieque ibi visitur molendinum, cujus molam eamdem esse quam B. Ursus fabricari curavit, vulgus existimat.

[h] Visitur etiamnunc in ecclesia Locciensi superius memorata, juxta majus altare. B. vero Ursi reliquias

minati sunt; post cujus obitum præpositi, qui per monasteria erant, abbatum officium, episcopis largientibus, susceperunt. Sed et Leopatius [a] apud Senapariam monasterium, quod infra **1244** territorium Turonicum erat, abbas instituitur, in summa sanctitate ac senectute perdurans, ibique et obiit ac sepultus est.

CAPUT XIX.

De Monegunde [b] *religiosa.*

Insignia divinorum beneficiorum charismata, quæ humano generi cœlitus sunt indulta, nec sensu concipi, nec verbis effari, nec scripturis poterunt comprehendi; cum ipse Salvator mundi ab illo rudis sæculi exordio patriarchis se præstat videri, prophetis annuntiari, ad extremum semper virginis intactæque Mariæ dignatur utero suscipi, et præpotens immortalisque Creator mortalis carnis patitur amictu vestiri, mortem pro hominis peccato mortui reparatione adire, victorque resurgere; qui nos gravium facinorum spiculis sauciatos, ac latronum insidiantium vulneribus affectos, infuso meri oleique liquore, ad stabulum medicinæ cœlestis, id est Ecclesiæ sanctæ, dogma perduxit; qui nos exemplis sanctorum vivere incessabili præceptionis suæ munere cohortatur, nobisque non modo viros, sed etiam ipsum inferiorem sexum, non seguiter, sed viriliter agonizantem præbet exemplum; qui non solum viris legitime decertantibus, verum etiam feminis in his præliis favorabiliter desudantibus, sidérea regna participat: sicut nunc beata Monegundis, quæ relicto genitali solo, tanquam regina prudens quæ audire sapientiam Salomonis adivit (*III Reg.* x, 1), ita hæc beati Martini basilicam, ut ejus miracula quotidianis indulta momentis miraretur, expetiit, hauriretque de fonte sacerdotali quod posset aditum nemoris paradisiaci recludere.

I. Igitur beatissima Monegundis, Carnotenæ urbis indigena (*An.* 530, 2 *Jul.*), parentum ad votum copulata conjugio, duas filias habuit, super quibus valde gavisa lætabatur, dicens: Quia propagavit Deus generationem meam, ut mihi duæ filiæ nascerentur. Sed hoc mundiale gaudium prævenit sæculi hujus amaritudo, **1245** dum puellæ modica febre pulsatæ metam naturæ debitam concluserunt. Ex hoc genitrix mœsta deplorans, orbatamque se lugens, non diebus, non noctibus a fletu cessabat, quam non vir, non amicus, non ullus propinquorum poterat [c] consolari. Tandemque in se conversa, ait: Si nullam consolationem de obitu filiarum capio, vereor ne ob hoc lædam Dominum meum Jesum Christum. Sed nunc hæc lamenta relinquens, cum beato Job consolata decantem: *Dominus dedit, Dominus abstulit, quomodo Domino placuit ita factum est. sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Et hæc dicens, exuta veste lugubri, jussit sibi cellulam parvulam præparari, in qua unam tantummodo fenestellulam, per quam modicum lumen posset cernere, præcepit aptari: ibique contempto mundi ambitu, spreto viri consortio, soli Deo, in quo erat confisa, vacabat, fundens orationem pro suis populique delictis, habens puellulam unam, cujus ei famulatu ministrabantur ea quæ necessitas exigebat. Accipiebat etiam et farinam hordeaceam, infusosque lymphis cineres, ac diligenter colans, ex ea aqua mixturam massæ conficiebat, formatosque propriis manibus panes et ipsam coquens [d], post longa jejunia reficiebatur: reliquum domus suæ cibum pauperibus dispensabat. Factum est autem quadam die ut memorata puella, quæ ei consueverat famulari, et credo inimici astu seducta, cui semper bonis injurias irrogare mos est, se ab ejus famulatu subtraheret, dicens: Non potero ego cum hac domina permanere, quæ in tali abstinentia commoratur, sed potius utar sæculo, ac cibum potumque in abundantia sumam. Quintus autem jam fluxerat abscessionis ejus dies, quo hæc religiosa neque farinam consuetam, neque aquam acceperat: sed perstabat immobilis, et fixa manens in Christo, in quo quisquam locatus [e] nec venti turbine, nec fluctuum impulsione dilabitur; nec sibi illa de mortali cibo vitam, sed de verbo Dei, sicut scriptum est (*Deut.* VIII, 3; *Matth.* IV, 4), putabat inferri, commemorans illud Sapientiæ Salomoniacæ proverbium, quia *non necabit Dominus fame animam justi* (*Prov.* X, 3). Et **1246** illud, quia *justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17). Sed quoniam corpus humanum absque esu terreno sustentari nequit, prostrata in oratione, petiit ut qui manna populo esurienti de cœlo (*Exod.* XVI), lymphasque sitienti produxit e saxo (*Num.* XX, 11), ipse quoque alimentum quo paruuper corpusculum fessum confortaretur, dignaretur indulgere. Protinusque ad ejus orationem nix de cœlo decidua humum operuit. Quod illa cum gratiarum actione cernens, educta manu per fenestram quod [*al.*, quæ] circa parietem erat ex ipsa nive collegit, de qua aquam exprimens panem solito [f] formavit, quousque ad alios quinque dies victum corporeum ministravit. Habebat enim contiguum cellulæ parvulum viridarium: in illud autem pro quadam revelatione [g] prodire erat solita, in quod ingressa intuens herbas loci ac deambulans, mulier quæ triticum supra tectum suum siccandum posuerat, quasi de eminentiori loco, curis oppleta mundanis, importune prospexit, mox-

elevavit aliquot ab hinc annis illustriss. Victor Buticularius Turonum antistes. Hujus obitum anno circ. 500 consignavimus, quod sub Alarico Visigothorum rege vixisse dicatur.

[a] Hic omnes Mss. *Leopatius*. Ed., *Leubatius*.

[b] Colb. et Bell., *Monigunde*, et infra, *Monagundis* et *Monegundis*.

[c] Mai m., *amici... potuit... in se reversa*.

[d] Bal., *et ipsa*. Mai m. et al. Edit., *ac ipsa coquens*.

[e] Ed. addunt *vel fundatus*. Mai m. habet, *quisquam fundatus*.

[f] Mai m., *colligit... expressit panem solite formavit, qui*.

[g] Bal., *recreatione*. Infra, Mai m.: *In quo ingressa dum... loci, deambularet, mulier cumque triticum.. siccare... cui is oblita... lumen carnis*.

que oculis clausis lumine carnit. Cognoscens autem reatum suum, ad eam accedit, remque, ut gesta fuerat, pandens. At illa dejiciens se in orationem, ait : Væ mihi, quia pro parvitatis meæ persona peccatrice aliorum clausi sunt oculi. Et consummata oratione imposuit manum mulieri : confestim autem ut signum crucis expressit, mulier visum recepit. Homo quidam ex pago illo, qui olim auditum perdiderat, ad ejus [*Al.*, hanc] cellulam devotus advenit, pro quo deprecati sunt parentes ejus, ut ei manum hæc benedicta dignaretur imponere. Sed illa indignam se esse proclamans, per quam Christus hæc operari dignaretur ; solo prostrata, et quasi ipsa dominicorum pedum vestigia lambens, humiliter pro eo divinam clementiam supplicavit; illaque adhuc solo decumbente, aures surdi apertæ sunt, rediitque ad domum propriam, mœrore ablato, cum gaudio.

II. His signis glorificata inter parentes, ne vanæ gloriæ lapsum incurreret, sancti Martini antistitis basilicam, relicto conjuge cum familia vel omni domo sua, fideliter expetivit. Cumque iter cœptum carperet, venit ad vicum **1247** urbis Turonicæ, cui nomen est Evena [a], in quo beati Medardi Suessionenci confessoris reliquiæ continentur, cujus et vigiliæ ea nocte celebrabantur; in quibus illa attente excubans in oratione, hora debita cum reliquo populo ad missarum accessit solemnia. Quæ dum a sacerdotibus Dei celebrantur, advenit quædam puella, pusulæ malæ veneno conflata, proceditque ad pedes ejus, dicens : Subveni mihi, quia mors iniqua vitam conatur eripere. At illa, more solito in oratione prostrata, suggessit [*Ed.*, supplicavit] pro ea Deo omnium creatori, erectaque signum crucis imposuit. Sicque in quatuor partes vulnere excrepante, puellam, pure decurrente [b], mors importuna reliquit. Post hæc ad basilicam sancti Martini Monegundis beata pervenit, ibique prostrata coram sepulcro, gratias agens, quod tumulum sanctum oculis propriis contemplari meruerat, in cellula parva consistens, quotidie orationi ac jejuniis vigiliisque vacabat. Sed nec ille locus ab ejus virtute fuit inglorius. Nam viduæ cujusdam filia manus contractas detulit, quæ ut exorata signum salutis imposuit, manibus suis digitos puellæ contrectare cœpit, extensis digitis, nervisque directis, volas laxavit incolumes. Dum autem hæc agerentur, audita vir ejus [*Al.*, vir ille] fama beatæ, convocans amicos vicinosque suos, perrexit post eam, ac reduxit ad propria, et eam in cellulam in qua prius habitaverat intromisit. At illa non cessabat ab opere quod consueverat, sed exercebatur in jejuniis, obsecrationibusque, ut tandem locum in quo habitare desideratum, imploransbeati Martini auxilium, ut qui dederat desiderium, tribueret et effectum perveniendi [c] ad basilicam. Revertitur ad cellulam illam in qua prius fuerat commorata, in eo perstitit inconcussa, nec est amplius a viro suo quæsita; ibique paucas colligens monachas [d], cum fide integra et oratione degebat; non sumens panem nisi **1248** hordeaceum, non vinum nisi parumper in diebus festis, et hoc ipsum nimio latice [e] temperatum; nullum habens stratum feni, paleæque mollimen, nisi tantum illud quod intextis junci virgulis fieri solet, quas vulgo mattas vocant; hoc superponens formulæ [f], hoc solo supersternens : hoc erat quotidianum scamnum, hoc culcitra, hoc plumella, hoc erat stragulum, hoc omnis lectuli necessitudo, sic docens easdem facere quas secum ascivit. Ibique in Dei laudibus degens, multis infirmis oratione facta salutaria impertiebat medicamenta.

III. Mulier quædam filiam suam exhibuit vulneribus plenam, et, ut quidam vocant, potæ hæc causa genuerat [g]. Tunc illa, facta oratione, salivam ex ore suscipiens, vulnera sæva perunxit, puellamque reddidit sanam, opitulante ejus virtute qui cæci nati oculos sputo formavit [h]. Puer vero incola loci maleficium in potione hausit, de quo medificatus, ut asserunt, serpentes generati in intraneis pueri magnum dolorem suis morsibus excitabant, ita ut nulla quiescendi mora vel in modicum momentum indulgeretur. Sed neque cibum aut potum capere poterat; et si post din aliquid accipiebat, protinus rejiciebat. Qui adductus ad beatam feminam, petiit se ejus virtute mundari. Cumque illa reclamaret indignam se esse quæ hæc agere posset, implicita precatu [i] parentum, ventrem pueri palpat, et palma demulcet; sensitque ibi anguium venenatorum nequitiam latitare. Tunc accepto pampini viridis folio, saliva linivit, fixitque super eum crucis beatæ signaculum, quod ponens super alvum juvenculi, dolore paululum sedato, obdormivit in scamno, qui olim doloribus insistentibus caruerat somno. Post unius vero horæ momentum consurgens, ad purgandum ventrem egressus, pestiferæ generationis germen effudit, gratiasque referens ancillæ Dei, sanus abscessit. Alius vero puer paralysi ægritudine contractus, **1249** ante eam inter manus delatus est aliorum, deprecans a beata sanari. At illa in oratione prostrata, precem pro eo fudit ad Dominum; consummata vero oratione consurgens, apprehensa manu pueri erexit eum, sospitemque abire permisit. Mulier erat cæca, quæ adducta ad eam, deprecata est ut ei manus impone-

[a] Ibi Perpetuus ædificavit ecclesiam, ex lib. x Historiæ cap. 31.

[b] Mai m.: *In quatuor partibus excrepans pustula, puellam putredine decurrente.*

[c] Mai m., *effectum. Pervenit... ex hoc perstitit.*

[d] Hoc cœnobium dictum est sancti Petri Puellaris, quod etiamnunc nomen retinet, quamvis in Collegium canonicorum sæcularium conversum, sub jurisdictione capituli sancti Martini.

[e] Bal., *modice.* Mai m., *et hoc nimis acceto.*

[f] Mai m., *superponens Christi famula, hoc.* Mattam lectum monachis assignat sancti Patris Bened. et cæteri vitæ monasticæ Patres. Formula hic pro sedili, vel scamno.

[g] Sic Scripti omnes. Ed., *pus eadem genuerat*; alii, *genuerant.*

[h] Bal., *reformavit.* Mai m., *aperuit... libavit, de quo medicatus.*

[i] Mai m., *impleta tamen prece parentum.*

ret. At illa respondit: Quid vobis et mihi, homines Dei? nonne sanctus Martinus hic habitat, qui quotidie illustrium virtutum opere refulget? Illuc accedite, ibi obsecramini, ut ipse vos visitare dignetur. Nam ego peccatrix quid facia n? Illa vero in sua petitione perdurans, aiebat: Deus per omnes timentes nomen suum quotidie opus exercet egregium; ideoque supplex ad te confugio, cui præstita est divinitus gratia curationum. Tunc commota Dei famula, luminibus sepultis manus imposuit, statimque, reseratis cataractis, mundum late [a] patentem quæ fuerat cæca prospexit. Multis etiam energumenis ad eam ingressis, ut manus imposuit, fugato hoste nequam, sospitatem restituit; nec morabantur ex his curari, quos ad se Sancta permisisset accedere.

IV. Jam autem tempus vocationis ejus appropinquabat, et defessa corpore solvebatur. Quod cum viderent sanctimoniales quas secum habebat, flebant valde, dicentes: Et cui nos, mater sancta, relinquis? vel cui commendas filias, quas in locum hunc pro Dei intuitu congregasti? At illa parumper lacrymans, ait: Si pacem sanctimoniamque sequamini, Deus erit protectio vestra; habebitisque sanctum Martinum antistitem pastorem magnum. Nam et ego non discedam a vobis, sed invocata adero in medio charitatis vestræ. At illæ rogabant dicentes: Venturi sunt multi infirmi ad nos, flagitantes benedictionem a te accipere; et quid faciemus cum te non viderint esse superstitem? confusæ enim eos foris emittemus, cum tuam faciem non contemplabimur. Rogamus autem
1250 ut, quia hæc ab oculis nostris absconditur [b], saltem digneris oleum salemque benedicere, de quo possimus ægrotis benedictionem flagitantibus ministrare. Tunc illa benedicto oleo ac sale tradidit eis, quæ suscipientes diligentissime servaverunt. Sicque beatissima obiit in pace, et sepulta est in ipsa cellula [c], multis se in posterum virtutibus repræsentans. Nam de memorata benedictione multi post ejus transitum ægroti incolumitatis beneficia sunt experti. Bosonis denique diaconi [d] pes unus a pusulâ mala conflaverat, ita ut gressum facere non valeret, deportatusque ad ejus tumulum, orationem fudit; puellæ vero accipientes ex oleo memorato, quod Sancta reliquerat, posuerunt super pedem ejus, et extemplo erumpente vulnere, defluente veneno sanatus est. Cæcus quidam adductus ad ejus tumulum in oratione prosternitur; irruente autem in eum sopore obdormivit, apparuitque ei beata dicens: Indignam quidem me judico exæquari [e] sanctis, sed tamen unius hic oculi recipies lumen; deinceps autem propera quantocius ad beati pedes Martini, et prosternere in compunctione animi coram eo. Ipse enim tibi restituet alterius oculi visionem [f]. Expergefactus homo, unius oculi recepto lumine, abiit quo jussio imperantis; ibique iterum obsecrans beati Confessoris virtutem, depulsa cæci oculi nocte, videns abscessit. Mutus etiam ad hunc Beatæ tumulum prostratus accubuit, qui in tantum [g] fide compunctus est, ut rivis lacrymarum cellulæ inficeret pavimentum. Qui consurgens absoluta lingua virtute divina regressus est. Alius denique mutus veniens, et in oratione decumbens, corde tantum implorabat, et non voce solubili, beatæ feminæ auxilium [h]: in cujus ore de memorata benedictione parte infusa, erumpente sanguine mixto cum pure, vocis officium meruit adipisci. Frigoriticus [i] quoque accedens ad hoc monumentum, ut pallam **1251** tegentem attigit, restincta contagionis febre, convaluit. Contractus vero, Marcus nomine, manibus deportatus aliorum ad sepulcrum Beatæ, orationem diutissime fudit. Hora autem nona pedibus propriis stetit, domumque regressus est. Leodinus puer cum in valetudinem gravem irruens quarto ægrotaret mense, et non solum gressum, verum etiam ciborum usum, insistente febre, nimia perdidisset, ad ejus deportatus sepulcrum præmortuus, accepta salute surrexit e tumulo redivivus. Quid de frigoriticis reliquis loquar, cum plerisque hoc fuit beneficium remedii, cum pallam tumuli ejus sunt fideliter osculati? Quid etiam de energumenis, qui adducti ad cellulam Beatæ, cum limen sanctum fuerint ingressi, integræ menti restituuntur? Nec moratur larva egredi e corpore, cum Sanctæ hujus senserit adesse virtutem, operante hoc Domino nostro Jesu Christo, qui timentibus nomen suum præmia largitur æterna.

CAPUT XX.

De sancto Leobardo reclauso in Majori monasterio prope Turonum.

Ecclesia fidelis ædificatur, quotiescunque sanctorum gesta devotissime replicantur: et licet de his teneat maximum gaudium, quod hi qui ab initio ætatis religiosam vitam ducentes pervenire meruerunt perfectionis ad portum, tamen et de his Domino jubente lætatur, qui conversi a sæculo opus inchoatum valuerunt perducere, divina opitulante misericordia, ad effectum.

I. Igitur beatissimus Leobardus Arvernici territorii

[a] Mai m., *mundi lucem patentem.*
[b] Mai m., *quia ab oculis nostris absconderis.*
[c] Sepulta est in ecclesia sancti Petri Puellaris superius laudata, ubi ejus sacræ exuviæ in theca pretiosa servatæ sunt ad an. 1562, quo Calviniani furentes eam diripuerunt. Pleraque tamen ejus ossa incendium evasere, quæ semiusta cum ejusdem Sanctæ capillis in terra absconsa sunt; ibique latuere ad annum 1657, quo die nona Julii levata fuerunt e terra, et fidelium veneratioui exposita. Ejus festum die 2 Julii in variis Martyrologiis celebratur. Quidam Usuardi Codices *Virginem* appellant; at *Deo sacrata* dicitur in nostro exemplari, quod videtur esse autographum.
[d] Mai m., *Basenus denique diaconus.*
[e] Mai m., *quidem esse judico exæquare.*
[f] Editi, *visum.* Mai m., *alterum oculum. A visione expergefactus.*
[g] Mai m., *incubuit, qui in tanta.* Ed., *occubuit.*
[h] Mai m., *et non voce solo sibi beatæ feminæ auxilio implorabat.*
[i] Idem, *Febriticus*, et sic infra, *quidam ad hoc tumulum.*

indigena fuit (*An.* 593, 18 *Jan.*), genere quidem non senatorio, ingenuo tamen, qui ab initio Deum in pectore tenens, cum non floreret natalibus, gloriosis meritis præfulgebat. Qui tempore debito cum reliquis pueris ad scholam missus, quæpiam [*Al.*, quempiam] de Psalmis memoriæ commendavit, et nesciens se clericum esse futurum, jam ad Dominicum parabatur innocens ministerium. Sed cum ad legitimam pervenisset ætatem, cogentibus juxta consuetudinem **1252** humanam parentibus, ut arrham puellæ, quasi uxorem accepturus, daret impellitur. Illo quoque respuente, ait pater: Cur, dulcissime fili, voluntatem paternam respuis, nec te jungere vis connubio, ut semen excites nostro de genere sæculis sequentibus profuturum? Casso enim labore exercemur ad operandum, si possessor deerit ad fruendum. Quare [*Al.*, vel cur] implemus domum opibus, si de genere nostro non processerit qui utatur? Quid mancipia dato pretio nostris ditionibus subjugamus, si rursum alienis debent dominationibus subjacere? Obedire debere filios voci parentum Scripturæ testantur divinæ (*Ephes.* VI, 1); et tu cum inobediens esse parentibus probaris, vide ne te cœlestibus eruere nequeas ab offensis. Hæc patre loquente, licet haberet alium filium [a], facile tamen tali ætatulæ persuasit voluntati propriæ contraire. Denique dato sponsæ annulo porrigit osculum, præbet calciamentum [b], celebrat sponsaliæ [*Ed.*, sponsalium] diem festum. Interea genitor et genitrix mortis somno sopiti unigraverunt a sæculo, vitæ præsentis curriculo jam peracto. Illic vero cum germano [c] tempore luctus expleto, oneratus donis nuptialibus, fratris pergit ad domum; quem in tantum reperit vino madidum, ut nec cognosceret, nec reciperet propria in domo germanum. Ille vero suspirans et lacrymans secessit in partem, venitque ad tugurium in quo fenum fuerat aggregatum, ibique colligato præbens equiti [*Ed.*, equo] pabulum, decubuit super fenum ad quiescendum. Expergefactus autem media nocte, surgit de stratu suo, erectisque ad cœlum manibus, gratias agere cœpit omnipotenti Deo, quod esset, quod viveret, quod aleretur donis ejus; et alia hujuscemodi prosecutus. Cum suspiria longa protraheret, atque lacrymis crebris genas ubertim rigaret, Deus omnipotens, qui illos quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* VIII, 29), compunxit cor ejus, ut relicto sæculo manciparetur ad cultum divinum.

II. Tunc ille, quasi jam sacerdos custosque animæ suæ, prædicare sibi ipsi exorsus est, dicens: Quid agis, anima? **1253** quid in ambiguo suspensa teneris? Vanum est enim sæculum, vanæ sunt concupiscentiæ ejus, vana gloria mundi, et ea quæ in illo sunt omnia vanitas. Melius est igitur relinquere eum, et sequi Dominum, quam ad ejus opera [*Al.*, appetitum] præbere consensum. Hæc effatus cum diem terris reddere lux diurna cœpisset, ascenso equite [*Ed.*, equo] cœpit ad hospitium suum reverti. Cumque per viam jam alacris pergeret, volvere intra se cœpit quid ageret, quo abiret. Dixitque: Expetam Martini beati tumulum, unde procedit virtus alma super infirmos. Credo enim quod et mihi ejus oratio iter reserabit ad Deum, qui deprecatus Dominum mortuos reduxit a tartaro. Et sic viam carpens, oratione comite, sancti Martini basilicam est ingressus; circa quam paucis diebus demoratus, transito amne, ad cellulam Majori monasterio propinquam, de qua Alaricus quidam recesserat, devotus accessit; ibique se, propriis manibus membranas faciens, ad scribendum aptavit [d]; ibi se, ut Scripturas sanctas intelligeret, ac [*Al.*, ad] Davidici carminis Psalmos, qui dudum excesserant memoriæ, retineret, exercuit: sicque divinarum Scripturarum lectionibus eruditus, cognovit verum esse quod ei Dominus prius inspiravit in corde. Sed ne hæc cuiquam fabulosa videantur quæ retulimus, testor Deum quia ab ipsius benedicti Leobardi hæc ore cognovi [e]. At vero interposito pauci temporis spatio, humilem se tantumque præbuit, ut honoraretur ab omnibus; acceptoque sarculo, cellulam, in quam ingressus fuerat, incidens lapidem, ampliavit. In qua cellula delectabatur jejuniis, oratione, psallentio [f], lectione, nec unquam a divinis officiis et oratione cessabat; scribebat interdum, ut se a cogitationibus noxiis discuteret.

III. Interea ut se tentator manifestaret Dei servis semper inimicum esse ac invidum, cum aliquis de illius monaculis [g] litem quemdam cum vicinis habuisset, immisit ei cogitationem, ut, **1254** relicta cellula illa, ad aliam transmigraret: cumque ibi ad orationem solite [h] devenissemus, dolum nobis veneni grassantis aperuit. Ego vero suspirans non minimo dolore, increpare hominem cœpi, asserens diaboli esse calliditatem; librosque ei et Vitas Patrum ac Institutionem monachorum, vel quales qui recluduntur esse debeant, vel cum quali cautela monachos vivere oporteat, abscedens ab eo, derexi. Quibus relictis, non solum cogitationem pravam a se discussit, verum etiam tanto sensum acumine erudivit, ut mirare-

[a] Comp., *alios filios*. Vide infra.

[b] Confer supra notas in cap. 16. Annulus et calcei sponsæ porrigebantur, inquit Marollius, in possessionis ineundæ signum. Sic enim quodammodo sponsæ pedes et manus vinciebantur in viri subjectionem.

[c] Comp., *cum uno germano... alterius fratris*.

[d] Hæc sola ars a Majoris monasterii monachis exercebatur, ut testatur Severus Sulpicius in Vita sancti Martini. Ejus laudes vide apud Cassiodorum libro II Institut., cap. 7; Petrum Venerab., lib. I, epist. 29.

[e] Hic desinit iste liber in cod. Rellov. Vox *Leobardi* in solo Comp. habetur. Idem: *Ipse vero interposito*.

[f] Comp., Sur., Gon. et Rip., *silentio*.

[g] Sic Laud. Ed. vero, *cum quidam*, etc. Colb. habet, *cum aliquid de illius monacholi*. Comp., *cum aliquid de illius monachili habitu litem*, etc. Sur. et Boll., *quidam de sanctis monachis*.

[h] Confer cum Vita ipsius Gregorii. Porro hi libri erant Vitæ patrum et Cassiani opera, quæ iisdem ferme verbis sanctus pater Benedictus monachis commendavit.

nuur facundiam locutionis ejus. Erat enim dulcis allo- A quio, blandus hortatu, eratque ei sollicitudo pro populis, inquisitio pro regibus, oratio assidua pro omnibus ecclesiasticis Deum timentibus. Verumtamen non ille, ut quidam, dimissis capillorum flagellis, aut barbarum [a] demissione plaudebat, sed certo tempore capillum tondebat et barbam. In qua cellula viginti et duos annos in hoc opere degens, tanta Domini gratia confortatus est, ut pusulis malis saliva oris sui perunctis, vim veneni sævientis opprimeret [*Al.* reprimeret]; frigoriticis vero per poculum vini charactere crucis beatæ sanctificatum, frigorem accedentem æstumque restinxit : non immerito discutiens incommodas febres ab aliis, qui in se exstinxerat incentiva criminis noxialis. Quodam autem tempore cæcus ad eum veniens, ærumnam doloris sui humiliter deplorabat [b], ac deposcebat ut tactu dexteræ suæ Sanctus lumina clausa palparet. Quod ille diutissime renuens, tandem fletibus hominis victus, misericordia motus, cum per triduum pro eo orationem fudisset ad Dominum, quarta die imponens manum super oculos ejus, ait : Domine omnipotens, Fili unigenite Dei Patris, qui cum eo ac Spiritu sancto regnas in sæcula, qui homini a nativitate cæco reddidisti lucem (*Joan.* IX, 6), beati oris sputo, tu redde huic famulo tuo luminis visum, ut cognoscat quia tu es Dominus omnipotens. Et hæc dicens, ut crucem **1255** super oculos cæci depinxit, mox pulsis tenebris lucem de præsenti restituit. Hujus virtutis testimonio Eustachius [c] abba astipulator astitit.

IV. Denique hic de labore lapidis submontani, C quam assidue cædebat, confractus, jejunii austeritate confectus, oratione indeficienti corroboratus cœpit paulatim corporis infirmitate [d] destitui. Quadam autem die dum nimium fessus haberetur, nos ad se vocari præcepit. Ad quem accedentes, postquam funeris sui necessitatem deflevit, eulogias a nobis peccatoribus flagitavit. Quibus acceptis, hausto mero, ait : Tempus meum jam impletur, jubente Domino, ut me ab hujus corporis vinculis jubeat relaxari, sed adhuc paucis diebus erit spatium. Verumtamen ante diem sanctum [*Al.*, secundum] Paschæ vocandus ero. O beatum virum, qui sic servivit Creatori omnium, ut suum obitum revelatione divina cognosceret! Erat enim mensis decimus quando hæc est effatus : du decimo autem mense [e] cœpit iterum graviter **1256** ægrotare. Advenit dies Dominica, vocat ministrum suum, et ait : Præ- B para quiddam cibi quod acciplam, quia valde defessum me sentio. Illo quoque respondente : Præsto est, domine, ait ad eum : Egredere foras, et aspice si jam, celebratis solemnibus, populus de missis egreditur. Hoc autem dicebat, non quod cibum capere vellet, sed ut transitus sui nullus testis adesset. Quo egrediente, et revertente, cum ingressus suis et cellulam, invenit virum Dei extensum corpore, clausis oculis spiritum exhalasse. Unde factum manifestum est eum ab angelis susceptum, qui hominem adesse noluit suum sacer heros ad transitum. Hæc cernens minister ille, elevavit vocem in fletu. Sicque concurrentibus reliquis fratribus ablutus, ac vestimentis dignis indutus, in sepulcro, quod ipse sibi in antedicta cellula sculpserat, reconditus est, quem in consortio sanctorum ascitum [f], nulli fidelium haberi reor incertum.

[a] Sur. et Boll., *verum tamen nec ille... aut barbæ demissione.*

[b] Comp., *complangens, implorabat ac.*

[c] Aliquot Ed., *Eustathius.* Erat abbas Majoris monasterii, ut putant. Dicitur Eustochius in anonymo Bochelli de Gestis episc. Turon., etc. Non exstat in Gallia Christiana. Majus monasterium rupi quæ hodieque ipsi vicina est adhærebat, in qua complures erant cavernæ, uti habet Severus Sulpicius, sanctorum virorum habitacula, quæ excisa rupe, aut ea sponte cadente, ut plurimum destructa sunt. Servata tamen studiose fuit cella quam sanctus Martinus inhabitasse dicitur, cum alia inferiori in qua fertur Briccius ejus successor pœnitentiam egisse. Utraque D ob illorum sanctorum reverentiam intra basilicæ majoris muros inclusa, in oratorium mutata est, ædificatis ibidem altaribus. Haud procul in caveis in ipsa rupe excisis visitur fons sancti Martini, de quo dictum est supra, sicut et de oratorio septem Dormientium. Haud procul a monasterio superest antiqua ecclesia hodierni sici parochialis, sanctæ Radegundi dicata, quod ibi mansisse et in oratoriis in rupe cavatis quibus basilica ipsa adhæret orationi sæpius vacasse dicatur. Vicinum est huic aliud sacellum sancto Claro nuncupatum, cujus martyrium in fenestræ vitris ab annis amplius 400 depictum cernitur, quæ omnia sanctorum monachorum et eremitarum qui ibi, instante Severo Sulpicio, sub beati Martini disciplina vixere, et eorum qui eis successere, habitaculorum vestigia esse non dubitamus. Leobardus vero oratorium habet suo nomini sacratum ad urbis muros, juxta castellum ibi positum, quod frequentare solent ii qui febribus laborant.

[d] Editi, *oratione indesinenti debilitatus... firmitate destitui.*

[e] Si vere ipsa die 18 Januarii obiit Leobardus, ut innuunt Martyrologia, hic Gregorius annum a Januario incipiens Decembrem appellat mensem duodecimum.

[f] Sic habet Comp. : *Adscitum, miraculis crebris prodentibus nulli fidelium haberi remut incertum, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.*

Explicit liber de Vitis Patrum.

SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS

FRAGMENTA COMMENTARII IN PSALMOS.

Incipit explicatio Florentii Georgii Gregorii de Titulis psalmorum

(Ex ms. Cod. Vaticano eruta a viro cl. Josepho Thomaso.)

1257 Denique psalmi qui fugam persecutionem- A que David explicant, ostendunt persecutionem passionemque dominicam. Illi autem qui *In finem* inscribuntur, perfectionem bonorum operum ostendunt, quia hic finis dissimilis est aliis finibus; cum illi habent terminum, hic replementum. *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4). *Pro torcularibus*, pro æternorum munerum fructibus hymnus est. *Pro his qui hæreditabuntur*, retributionem sanctorum sive Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, ut hæreditatem capiant et regna cœlorum, docent. *Pro Octava.* Quidam hunc numerum Evangeliis deputant, eo quod continentur in his octo beatitudines per quas venitur in regnum Dei; sive illius arcæ octo animæ. *In consummatione*, vel *dedicatione tabernaculi*, perfectio Ecclesiæ intelligitur. *Pro his qui commutabuntur.* B Populi Judaici de gentili, vel de Synagoga Ecclesiæ commutationem prædicit. *Pro occultis.* De adventu Filii Dei pronuntiat, qui Judæis occultus fuit. *Canticum resurrectionis*, id est, ipsius dominicæ resurrectionis veritatis. *Oratio Moysi hominis Dei.* Ad Legem revertitur, eo quod ipsa nos Redemptoris **1258** resurrectioni sociari pronuntiat. *Psalmus in Salomone.* Hoc est, pacifico in Christo, qui *est pax nostra*, cantatus intelligitur. *In confessione* vero docet ut jugiter homo Deum et voce fateatur et corde. Illi sane qui res gestas secundum litteræ narrant veritatem, spiritualem intelligentiam cognoscuntur habere. *Psalmus filiis Chore*, per passionem Christi redimendum populum præfiguravit, quia Chore interpretatur calvitium, sicut Dominus noster Jesus Christus in loco C Calvariæ crucifixus est. *Pro verbis Chusi filii Jemini.* Hoc est quod Chusi, relicto David, ad Absalon transiit, qui erat hostis patris sui, sicut Judas Christi. *In assumptione matutina*, quia Dominus resurgens mane assumptam reduxit captivitatem ab inferis. *In prima Sabbati*, in ipsa resurrectione. *Priusquam lucescat*, antequam resurrectione clarificaretur. *In rememoratione delictorum*, utique suorum. *Canticum graduum*, namque cœlestem designat ascensum. Psalmus ergo ille qui in medio canticorum graduum est, tanquam turris pulcherrima ponitur.

Sed nec hoc sine mysterio arbitror esse, quod hic liber in tribus quinquagenariis constat scriptus, quorum hoc, ut opinor, ratio est. Primus enim remissionem **1259** criminum præstat; secundus ad spem regni cœlestis invitat; tertius nos ad regnum æternæ beatitudinis in civitatem mittit.

Diapsalmæ vero quæ *semper* interpretantur, docent ut animæ semper in his exerceatur fidelis intentio.

FRAGMENTA DUO EX COMMENTARIO IN PSALMOS.

(Eruta a D. J. Mabillon ex vetustissima collectione de virtutibus et vitiis in Cod. ms. sancti Martini Turonensis.)

I. In capitulo *de compunctione.* GREG. TURONENSIS in Comm. in **1260** Psalm. Si enim disrupta fuerint vincula delictorum nostrorum, et delectata fuerit in Christo mens nostra, tunc nosmetipsos offerimus Deo hostiam vivam et sanctam, permanentes cum eo in cœlesti Jerusalem.

II. In ultimo capitulo *de retributione Justorum.* GREG. in Expositione Psalmorum. Et nos igitur si in præceptis Dei aures non obduramus, si sanctorum monita cum innocentia exsequamur, si nostrorum spinis facinorum non affligamur, si manus ab omni sanguine immunes cum innocentibus abluamus; honorabit nos Dominus Deus noster dignis præmiis, quibus sancti cum ipso perpetualiter collætantur. Ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in æternum. Amen.

OPERA

SANCTO GREGORIO EPISCOPO TURONENSI

ATTRIBUTA.

SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS

PRÆFATIO IN LIBRUM MIRACULORUM

BEATI ANDREÆ APOSTOLI.

(*Ex Cod. ms. Sancti Germani a Pratis.*)

1261 Inclyta sanctorum apostolorum tropæa nulli credo latere fidelium, quia quædam exinde evangelica dogmata docent, quædam apostolici actus narrant. De quibusdam vero exstant libri, in quibus propriæ actiones eorum denotantur; de plerisque enim nihil aliud nisi passionum scripta suscepimus. Nam reperi librum de virtutibus sancti Andreæ apostoli, qui propter nimiam verbositatem a nonnullis apocryphus dicebatur. De quo placuit ut retractatis enucleatisque tantum virtutibus, prætermissis his quæ fastidium generabant, uno tantum parvo volumine admiranda miracula clauderentur, quod et legentibus præstaret gratiam, et detrahentium auferret invidiam. Quia inviolatam fidem non exigit multitudo verbositatis, sed integritas rationis et puritas mentis.

INCIPIT TEXTUS IPSORUM MIRACULORUM.

Igitur post illum dominicæ Ascensionis nobilem gloriosumque triumphum, cum beati apostoli prædicare verbum Dei per diversas regiones dispersi fuissent, Andreas apostolus apud Achaiam provinciam annuntiare Dominum Jesum Christum exorsus est. Matthæus autem apostolus qui et evangelista Mirmidonæ urbi verbum salutis annuntiavit, etc., *fere ut in vulgato Abdia libro* III *apostolicæ Historiæ. Quem ideo librum huc integrum referre visum non est. Satis fuerit capitulorum indicem, prout in ms. Codice habetur, hic exhibere cum duobus extremis capitibus integris; in quorum priori Apostoli mortem, quæ paulo fusius apud Abdiam narratur, paucis exhibet, in altero vero de oleo ex ejusdem sancti tumulo manante loquitur, quod Abdias non habet. Quæ omnia brevi epilogo Gregorii concludunlur.*

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI DE MIRACULIS BEATI ANDREÆ APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM. *De Matthæo apostolo, et quæ in* **1262** *Mirmidonia acta sunt.* Igitur post illum, etc., *ut supra.*

CAP. II. *De cæco illuminato.* Andreas autem recedens ab eo loco venit in regionem suam, cumque deambularet, etc.

CAP. III. *De puero suscitato.* Demetrio autem primo civitatis Amaseorum, etc.

CAP. IV. *De Sustrato puero cui mater crimen impegerat.* Puer quidam, Sustratus nomine [*Cod. Colbertinus et Edit.*, Sostratus nomine], etc.

CAP. V. *De Gratiano ac filio et uxore ejus.* Gratiani quoque Sinopensis filius [*Colb.*, Gratini; *Edit.*, Cratini... filius], etc.

CAP. VI. *De septem dæmonibus a Nicæa expulsis.* Posthæc ad Nicæam proficiscitur, ubi erant, etc. [*Ed.*, Nicæam proficiscitur in Asiam ubi erant, etc.] Instituit ibi episcopum nomine Cœlestem. [*Colb. et Edit.*, Calistum.]

CAP. VII. *De mortuo suscitato.* Denique appropinquans ad portam Nicomediæ.

CAP. VIII. *De commotione maris sedata.* Egressus inde Apostolus, ingressusque Hellesponticum fretum navigabat ut veniret Bizancium, etc.

CAP. IX. *De latronibus obstupefactis.* Inde progressi ut venirent Thracias, etc.

CAP. X. *De his qui in navi crediderunt.* Sanctus vero Apostolus pervenit ad Berintum, civitatem Thraciæ, et invenit ibi navem quæ in Macedoniam properaret, etc. [*Colb.*, Berintum; *Editi*, ad Perinthum civitatem Thraciæ maritimam, ut nave in Macedoniam trajiceret, etc.]

CAP. XI. *De nuptiis puerorum.* Fuerunt duo viri in Philippis fratres.

CAP. XII. *De Exiio* (sic) *et parentibus ejus.* Erat quidam juvenis in Thessalonica, Exohus nomine [*Colb.*, Exuus; *Ed.* Exoos nomine, etc.

CAP. XIII. *De filio Carpiani debile.* Rogabat autem

adolescens beatum Apostolum, ut proficiscerentur simul in Thessalonicam, etc. [*Edit.*, Igitur cum multo tempore **1263** apud Thessalonicam.... moraretur, etc.]

Cap. XIV. *De mortuo suscitato.* Unus autem e civibus, etc. [*Ed.*, Accessit et alius a civibus, etc.]

Cap. XV. *De filio Mediæ, et pueris ejus, aliisque infirmis sanatis.* Venit ad eum quidam vir de Philippis Medias, etc.

Cap. XVI. *De debili filia cujusdam sanata.* Denique Nicolaus quidam, etc.

Cap. XVII. *De dæmone expulso.* Sequenti vero die, etc.

Cap. XVIII. *De Virino proconsule, et filio ejus, ac muliere suscitata.* Dum hæc autem agerentur, etc. [*Proconsul in Colb. dicitur* Virinus *sicut in nostro Germ.; in Edit.*, Quirinus.]

Cap. XIX. *De serpente interfecto, et mortuo suscitato.* His ita gestis, etc.

Cap. XX. *De revelatione passionis beati Apostoli.* Sequenti vero nocte, etc.

Cap. XXI. *De eo qui in mare cecidit.* Multi autem ex Macedonia, etc., Patras Achaiæ civitatem appulsi sunt, etc.

Cap. XXII. *De Lisbio proconsule et fide ejus.* Denique cum eum multi rogarent, etc.

Cap. XXIII. *De Trofima et uxore proconsulis.* Igitur Trofima quæ, etc.

Cap. XXIV. *De multis mortuis suscitatis.* Post deambulationem vero, etc.

Cap. XXV. *De difficultate partus cujusdam mulieris.* Erat autem mulier, Caliopa nomine, quæ homicidæ conjuncta conceptum susceperat illicitum... et partum proferre non poterat, etc.

Cap. XXVI. *De Sustrato et servo ejus.* [In Colb. et Ed. dicitur *Sostratus.*] Cum autem multa signa... faceret in Corintho, etc.

Cap. XXVII. *De dæmoniacis sanatis ad balneum.* Post dies autem paucos.

Cap. XXVIII. *De Nicolao sene.* Cum hæc agerentur, ecce quidam, etc.

Cap. XXIX. *De Antiphane et uxore ac servis ejus.* In quo loco dum commoraretur venit ad eum Antiphanus civis Merarensis. [*Colb.*, Antiphanis.... Megarensis. *Ed.*, Dum hæc apud Corinthum... Antiphanes civis Megarensis.]

Cap. XXX. *De Maximilla uxore proconsulis Egeæ.* Venit autem beatus Apostolus in Patras, etc.

Cap. XXXI. *De debili sanato.* Inde descendens, etc. [*Colb.*, Inde discedens. *Ed.*, Egressusque domum, etc.

Cap. XXXII. *De tribus cæcis illuminatis.* Digressus vero in alium locum, etc.

Cap. XXXIII. *De arido sanitati restaurato.* Videns autem hæc signa quidam, etc. [*Ed.*, Hæc dum apud Patras.]

Cap. XXXIV. *De puero Stratoclei fratris proconsulis* Cumque talia apud Patras per beatum Apostolum agerentur, venit Stratocleus, etc. [*Colb.*, Stratocles. *Ed.*, ex Italia Stratocles, etc.]

1264. Cap. XXXV. *De proconsule ab itinere regresso.* Omni enim die, etc.

Caput XXXVI.

De passione sancti Apostoli.

Posthæc comprehensus [a] beatus Apostolus ab Egea proconsule, positus est in carcere, ad quem omnes conveniebant ut audirent verbum salutis. At ille non cessabat prædicare nocte et die verbum Dei. Paucis vero diebus interpositis, eductus de carcere, et gravissime cæsus cruce suspensus est. In qua cum per triduum vivens penderet, non cessabat prædicare Dominum Salvatorem, donec tertia die, populis fluentibus, spiritum exhalavit. Quod lectio passionis etiam ejus plenissime declarat. Cujus beatum corpus Maximilla accipiens, conditum aromatibus recondidit in sepulcro, assidue autem super illum deprecans Dominum, ut ejus beatus Apostolus memor esset exorabat.

CAPUT XXXVII.

De virtute sepulcri ejus.

De quo sepulcro manna in modum farinæ, et oleum cum odore suavissimo defluit : a quo quæ sit anni præsentis fertilitas incolis regionis illius ostenditur. Si exiguum profluit, exiguum terra exhibet fructum; si vero copiose processerit, magna fructuum opulentia ministratur. Nam ferunt hoc oleum usque ad medium basilicæ sanctæ decurrere, sicut in primo Miraculorum scripsimus libro (*Cap.* 31). Passionis quoque ejus ordinem prosecuti non sumus, quia hanc valde utiliter et eleganter a quodam reperimus fuisse conscriptam.

CAPUT XXXVIII.

Epilogus scriptoris finem facientis.

Hæc sunt tamen quæ de virtutibus beati Apostoli præsumpsi, indignus ore, sermone rusticus, pravus conscientia propalare. Deprecor autem ejus misericordiam, ut sicut in illius natali processi ex matris utero, ita ipsius obtentu eruar ab inferno; et sicut in die passionis ejus sumpsi vitæ hujus exordium, ita me sibi proprium ascire dignetur alumnum. Et quia de majoribus meritis revocat nos pars magna facinoris, hoc tantum temerarius præsumo petere, ut cum idem post judicium dominico corpori conformatus refulserit in gloria, saltem obtineat de immensis criminibus mihi vel veniam non negandam.

[a] Abdias vulgatus narrat passionem sancti Andreæ ex Actis vulgatis, eaque librum suum concludit.

Finit Gregorii Turonensis episcopi liber de Virtutibus et Miraculis beati Andreæ apostoli.

SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS

LIBER DE PASSIONE, VIRTUTIBUS ET GLORIA

SANCTI JULIANI MARTYRIS.

(Ex Codicibus mss.)

Incipit præfatio Gregorii episcopi Turonici in passione sancti Juliani martyris.

1265. Magnum in nobis, etc., *ut supra. col.* 847, audirentur. Sic et inclytus martyr Julianus, qui Viennensi ortus urbe Arvernis datus est martyr, ab hoc igne succensus, hæc concupivit ac mente tota desideravit. De cujus gestis et miraculis pauca juvat historico explicare stylo. Sed dum copiosum egregii certaminis opus sermo succinctus aggreditur, pauca, ut dixi, perstringenti deprecor veniam condonari, quod me minus vel idoneum, vel peritum ad hæc narranda cognosco, nec imbutum grammaticis artibus, nec litteris liberalibus eruditum. Sed quid? facio quod [a] impellit me amor patroni, ut nequeam hæc silere? Aggrediar ergo ut possum, quia apud Deum non reor de sanctorum agonibus requiri amplius quam vicisse; nec cucurrisse plurimum, sed cursum consummasse propositum. Ipse enim licet perseverantium pugnas et victorias ad suam recognoscat pertinere laudem, similes tamen sive brevi sive longo prælio vincentibus parat coronas. Quare nihil differt quibus monimentis fortia triumphatorum facta pandantur, vel venerabilium rerum ordo memoriæ mandetur, dummodo constet ut sicut prædicandum cœlestis athletæ conflictum sub divini remuneratoris obtutu perpetuis litteris superna depingit historia, ita posteritati imitationis causa ad sequendam Christianæ religionis fidem, sermo fidelis eumdem conflictum percurrat [b].

INCIPIT PASSIO SANCTI JULIANI MARTYRIS.

1266. Sanctus igitur Julianus Viennensi ortus urbe, Arvernis datus est martyr : prosapia quidem illustris, ac morum probitate non mediocriter ornatus, sed, quod majus est, igne superni amoris vehementer succensus. Beatus vero Ferreolus tempore Crispini consularis jam Christi miles, ut necdum proditus, officio tribunitiæ potestatis, habitu non corde, specie non affectu, apud prætatam urbem fungebatur. Cui videlicet sanctus Julianus, ætate jam adultus, collega mox futurus in cœlo, providentia divina solatium præbebat in sæculo. Se enim invicem in contubernio militiæ temporalis constituti, plus fidei studio quam militari diligebant amplexu, et inter labores publicos Sanctorum societatem fidelibus vinculis sacra dilectio nexuerat. Cum præterea assiduis persecutionibus se immitis gentilium furor contra Christianorum genus Deo charum armasset, et immortali agricolæ renitens pullulantem novellæ plantationis vineam radicitus evellere manu inimica contenderet; sicut impiorum rabies per diversas mundi partes callido inexsaturabilis sævitiæ gladio discurrebat, urbi nihilominus Viennensi proximare, fama vulgante, nuntiatur.

Itaque cum dubium non haberetur quin eximius Christicola Julianus, martyrii amore flagrans, nul latenus occultari se pateretur; cœpit sanctus Ferreolus omnimodis [c] agere, quatenus antequam rabies persecutorum illo **1267** pertenderet, prædictus vir Dei occulte discederet, et ad superstitum Christianorum solamen ipse superstes, vesani furoris impetum paulisper evitaret. Hoc ergo consiliis suadet, hoc precibus exorat. Ille vero, quia virtute temperantiæ præditus erat, quamvis certamen martyrii toto cordis affectu jam dudum sitiret, tamen amicabilibus monitis parere non distulit. Videbat enim quia nec hoc sine divino mandato peregisset, quandoquidem tunc persecutio in Viennensi urbe ferveret. Legerat namque Dominum præcepisse : *Si vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23). Metuebat enim ne ei parentes essent obvii, si inter eos hoc certamen inisset; et perderet miles Christi coronam gloriæ, si legitime non certasset. His vero omnibus apud se collatis, propria quæque relinquens, et carnales affectus solius Christi succensus amore parvipendens, juxta beati Ferreoli consilium clam discessit, et in Arvernæ urbis territorio divertens, non alicubi nisi ad Brivatensem vicum, in quo fanatici erroris neniæ colebantur, latitare disposuit. Unde manifestum est quia non metu mortis ab urbe Viennensi subterfugerat, sed ob hoc potius, ut Christi præceptum de civitate in civitatem fugiendo complesset, et suis nihilominus vel rebus vel parentibus spretis, optati stadium certaminis liberius cucurrisset.

Porro Crispinus consularis comperto quod Vir sanctus, clandestino discessu fugiens, in Arvernæ urbis territorio latitaret, ad hoc statim exitiale dedit præceptum, ut ubi [d] reperiretur, insequens eum persecutor exstingueret. Et quidem ille, juxta sui

[a] Maj. m. duo, *quo impellit me.*

[b] In Gem. hic habetur, *explicit præfatio*, tum capitulorum index, post quem : *Incipit passio sancti Juliani egregii martyris. Cap* I : *Sanctus, etc.*

[c] Aliquot Scripti, *omni instantia.*

[d] Maj. m. duo, Gem. et Germ. u, *ubi ubi*, id est *ubicunque*, ut habet Germ. c. Vide reg. sancti Benedicti cap. 46. Aliquot Cold., *reperiret.*

furoris insaniam, qua totus in sanctorum sanguinem præceps invehebatur, de beati Juliani nece dictabat. Sed occulta Dei dispensatione agebatur, quod et ille damnationis cumulum sibi exaggeraret, et gloriosus martyr ad Christum, sicut jam dudum desiderabat, celeriter perveniret. Festinus itaque, lictor, cum in loco qui Vinicella vocatur sanctum Julianum consequenti aspectu imprimens contemplaretur, ille quorumdam senium quasi occultandus ingreditur tugurium. Sed quia nutu Dei adversarios insequi se sentiebat, nec jam evocante Deo, qui ad cœlum paratum habebat ascensum, immorari per divortium amplius [a] licebat, illico se detegi poposcit, cum videlicet eum senes certatim occulere vellent. Quibus nutantibus ac remorantibus, cum quidem ille minaci irrumpentium terrore peteretur, ne quid periculi excusantibus immineret, continuo foris exiliens, inquit: Quem poscitis? quem quæritis? En coram adsum; in me convertite ferrum, optatas pœnas jam mihi date, imperata supplicia de me sumite: reatum apostasiæ vestræ nullatenus ascribi patientiæ innocentis sanguinis sinat effusio. At illi cum ad tantam constantiam beati Martyris **1268** obstupescentes hæsissent, ille constantior subinde adjecit: Nolo ultra commorari in hoc sæculo, quia Christum tota animi aviditate sitio. Ecce occurro obvius, caput subdo intrepidus: habetis quod tota mente petistis; ictus tantum exerite, et vestram devotionem [b] meumque desiderium implete. Et cum hujusmodi confessione beatissimus vir animam studeret consecrare martyrio, subjuncta nihilominus religiosa oratione, commendavit Christo. Barbaram vero immanitatem, cruentosque insanientium animos non constantia pii propositi, non tam mira in sui oblatione fiducia, ab effusione innocui sanguinis reflexit; sed eductam vibranti dextera frameam in cervicem ejus vibrant. Sanctum vero caput, desecto gutture, abscissum in fontem, qui forte propter locum effusi sanguinis emanat, carnifices abluunt: et quia nec patrata nece persecutorum animus, ut pote insatiabiliter æstuans, parcere novit, corpus truncum relinquentes, ad sanctum Ferreolum illud, quod parricidales manus abluerant, caput deferunt; quatenus non dubitaret cæsum, quem ense, veritate attestante, videbat desectum, et agnosceret hoc excepturum se in morte, quod per passionem ejus cernebat in corpore.

Quod totum juxta divinam voluntatem carnifices nesciendo fecerunt, ut videlicet fons sacro sanguine irroratus, futura salus multis fieret, et pretiosius sanctos Dei, quos conjunxerat militare collegium, pariter etiam ibi retineret sepulturæ consortium. Nam sicut ei nulla discretione minor est in cœlo, ita maxima et præcipua corporis parte sociatur in tumulo. O quam feliciter beatissimus vir, quamque concito gradu ad summum meruit pervenire fastigium! quam subito profectu pro Christo alacriter dimicans tyro rudis factus est emeritæ militiæ veteranus! quod strenui commilitones vix longo tempore multoque labore percipiunt propositum victoribus præmium, brevi conflictu fortis bellator obtinuit, immortalitatis stipendia percepturus, inexercitata principia victrici auctoritate inclytis sanctorum finibus exæquavit. Quibus itaque sicut prædicanda martyris patientia consecratis, ita profana persecutorum atrocitate peractis, in tribus, ut ita dicam, partibus gloriosus dividitur miles. Nam caput Viennæ defertur, corpus a loco in quo percussus est Brivatim delatum est, felix anima a Christo conditore suscipitur.

Beatissimi vero senes qui, succensi spiritali gratia, sacrosanctum corpus sepulturæ mancipaverant, ita redintegrati sunt, ut in summa senectute positi, juvenilis ætatis vigore firmati, tanquam juvenes haberentur. Ilic igitur Christi martyr et testis ibidem studiose reconditus, læta quotidie fidelium devotione veneratur: ubi tanta beneficia virtutesque patrantur assidue, ut eas humana lingua **1269** nullatenus sufficiat enarrare. In loco [c] autem illo, quo beatus martyr percussus est, fons habetur splendidus, lenis, et dulcibus aquis uberrimus, in quo a persecutoribus caput amputatum ablutum est, de quibus aquis multæ sanitates tribuuntur infirmis. Nam sæpe cæcorum oculi ab his tacti illuminati sunt; tertianarum, quartanarumve febrium accensi, ut potati qui patiuntur fuerint, conquiescunt. Nam et si quis gravi laborans incommodo, inspirante martyre, desiderium **1270** habuerit hauriendi, protinus ut hauserit convalescit, et ita velociter exstinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogum projectis undis incendia universa restingui. Semper enim de tanti patroni gratia, indulto supplicationis affectu [*Nonne leg.* effectu?], populus gaudet; et quos locus ille mœrentes excipit, lætos remittit, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre et Spiritu sancto est honor, virtus et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[a] In plerisque deest *amplius*.
[b] Maj m. duo et Gem., *devotationem*.
[c] Hæc usque ad *semper enim* desunt in Germ. b et Germ. u; in aliis vero Mss. et Edit. est caput 3.

HISTORIA SEPTEM DORMIENTIUM.

EPISTOLA SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS AD BEATUM SULPICIUM BITURICENSEM ARCHIEPISCOPUM IN VITAM SANCTORUM SEPTEM DORMIENTIUM.

Beatissimo [a] *patri Sulpicio, Dei gratia Bituricensi archiepiscopo, Gregorius Turonorum indignus sacerdos, in Deo salutari nostro salutem perpetuam.*

Apud poetam sub figura apum sanctorum virtus et prudentia laudatur, cum dicit:

[a] Hæc epistola deest in Cod. Clarom. Laudatur in Patriarchio Bituricensi.

Quo magis exhaustæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbunt generis lapsi sarcire ruinas (*Virgil. IV Georgic.*).

Hoc, Pater beatissime, in fronte epistolæ præmisisse licuerit, consideranti quanta prudentia, quanta solicitudine titubantis Ecclesiæ statum firmare, et ejus ruinas resarcire contenditis. Hoc in te proprie exemplis lucentibus, hoc mellifluis exhortantium [a] sermonum verbis, hoc denique gestis præcedentium sanctorum in medium prolatis, agere non cessatis. Hinc est enim quod inter cætera, quæ parvitati meæ vestra sublimitas imperavit, urgens scilicet imperium est amici admonitio, quatenus Septem Dormientes, qui apud Majus monasterium dicuntur quiescere, quorumque fama percelebris longe lateque diffunditur, actus, vitam vel finem, si uspiam possem reperire, scripto mandarem. Tunc ego juxta poeticum illud, pro more meo, pro vestra reverentia respondi,

..... Tuus est, pater alme, quid optes
Exposuisse labor, mihi jussa capessere fas est (*Virgil. I Æneid.*).

Statimque vicino, ut dicitur, obedientiæ pede, vestram prosequeas jussionem, perscrutatus ecclesiarum scrinia, et bibliothecas revolvens, tandem apud præfatum Majus monasterium reperi quod quærebam. Servato igitur tenore **1271-1272** Ecclesiæ, Paternitati vestræ, ut petieratis, transcriptum destinavi. De cætero vestrum est et promere, vestrum est et ob Christi gratiam quærere, ædificare ecclesias, et amico, imo servo obedienti, Christi Domini gratiam impetrare.

INCIPIT VITA, VEL CONVERSATIO, SIVE ET MORS SANCTORUM SEPTEM DORMIENTIUM [b], QUORUM CORPORA IN MAJORI MONASTERIO CONTINENTUR, ET NOMINA HIC INSCRIBUNTUR, CLEMENS, PRIMUS, LÆTUS, THEODORUS, GAUDENS, QUIRIACUS, INNOCENTIUS.

I. Temporibus Diocletiani et Maximiani, crudelitate eorum exigente, deficere cœpit et discedere pene universus orbis a Romanorum potestate : inter multos autem Hunnorum [c] regnum discessit, præsidente eis Floro rege strenuissimo. Qui Florus, patre suo Amnaro [d] nomine noviter viam universæ carnis ingresso, regnum adeptus est, cum viginti esset annorum. Habebat autem idem Florus duos fratres minores se, Martinum et Amnarum. Duxit autem prædictus Florus uxorem puellam pulcherrimam, Brichildem nomine, filiam Chut regis Saxonum, ex qua genuit tres filios : primogenitum Florum, beati Martini Turonensis genitorem ; secundum Hilgrinum ; tertium Amnarum. Secundus siquidem Hilgrinus quatuor filios genuit, Clementem, Primum, Lætum, et Theodorum. Tertius autem Amnarus tres genuit, Gaudentem, Quiriacum et Innocentium. Florus igitur cum regno suo fere per decem annos feliciter potiretur, a Maximiano aggreditur. Qui fere per tres annos laborans, vix, et cum maxima difficultate, primas partes regni ejus ingressus est, nec sine morte et sanguine suorum pugnatorum. Siquidem Florus cum eo bis terque confligens eum turpiter devictum fugaverat. Sed proditione suorum saisivit quoddam castrum, et munivit contra eum, et ejus regnum ; et sic secundum et tertium. Tandem obsedit eum in quodam castro munitissimo cum omni fere nobilitate Hunnorum. Obsessus autem per dimidium annum ad deditionem compulsus est venire, vita sibi cum membris suis atque suorum concessa. Captosque duxit secum Romam, inter quos fuerunt duo fratres Flori regis, Martinus et Amnarus. Filios autem nondum genuerat, nisi primogenitum suum, Florum videlicet trium annorum : alios autem duos post reversionem captivitatis genuit. Cum autem præsentati essent Diocletiano, misit eos in carcerem. Post annum fere dimidium, recordatus Diocletianus probitatum Flori, jussit eum sibi præsentari. Videns autem pulchritudinem ejus ob fœcem et laborem carceris emarcuisse, misericordia motus est, absolutumque remisit ad propria, permisso et regno suo in vita sua cum redditibus, sublatis vel saisitis [*Ed.*, fractis] munitionibus. Tali etiam pacto permisit eum regnare, ut post mortem ipsius, filius ejus non sublimaretur in regno, nec in consulatu, sed tantum tribunus existeret. Quod cum ex utraque parte firmatum fuisset, recessit cum omnibus suis.

II. Reversus autem, eodem anno genuit duos filios geminos, Hilgrinum et Amnarum. [Deus vero [e], qui non accipit personam principum, et reprobat consilia eorum ; qui quos vult indurat, et tradit in reprobum sensum, et adducit in stuporem ; et imperatores ipsos, qui Ecclesiam persecutionibus gravissimis diu vexaverant, in tantam amentiæ et vanitatis devenire permisit mutationem, ut Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani, uno die depositis insignibus imperii, post imperium privati viverent, quasi plebeii. Verum Maximianus haud multo post facti pœnitens, cum dispositis insidiis genero suo Constantino, jam regnum tenenti, mortem molire-

[a] Cod. Vict., *exhortationum*.
[b] Clar. addit *consanguineorum beati Martini*.
[c] Clar., *Hungrorum*, sed infra eos, ut cæteri, appellat Hunnos.
[d] Idem Cod., *Aumarus*, et sic infra. Victorin., ut plurimum, *Ainarus*. Albericus, qui sæculo XIII Chronicam scripsit, ex hac Septem Dormientium Vita, quam Gregorio nostro attribuit, descripsit sancti Martini genealogiam.
[e] Loco eorum quæ hic ansulis includuntur, cod. Vict. cum Editis habet : « Diocletianus autem non multum post, privatam eligens vitam, apud Mediolanum diem clausit extremum. Maximianus vero cum dispositis insidiis, genero suo Constantino tunc regnum tenenti mortem moliretur, deprehenso dolo illius, apud Massiliam captus, nec post multum in carcere a dæmonibus strangulatus, impiam vitam digna morte finivit. »

tur, deprehenso dolo illius, apud Massiliam captus, nec post multum in carcere, fractis laqueo cervicibus, est strangulatus : vel, ut quidam asserunt, a dæmonibus suffocatus impiam vitam digna morte finivit. Diocletianus vero et ipse eadem de causa, eidem Constantino factum se intelligens suspectum, hausto veneno sui ipsius effectus est punitor impius, et in villa sua secus Salonas oppidum diem vitæ clausit extremum. His ita et temporali et æterna morte multatis, cum post tetram et horridam bellorum et persecutionum caliginem, diu desideratæ pacis tranquillitas divino nutu late per mundum splendescere inciperet,] Florus primogenitum suum Florum Constantino, qui eisdem imperatoribus, Diocletiano et Maximiano, brevissimo tempore Constantio patre suo et Galerio Maximiano insimul tantum mediis [a], successerat, **1273** educandum tradidit, quem semper charum et dilectum Constantinus idem habuit. Adultoque, et militi facto, uxorem dedit neptem suam, filiam sororis suæ, tribunumque constitutum remisit ad patrem suum. Qui ex eadem uxore sua filium, vivente patre suo, genuit, quem Florum vocari præcepit. Qui [natus est quidem Constantini anno 17, sed] postmodum tempore [filii ejus] Constantii a beato Paulo Constantinopolitano episcopo, Deo disponente, catechumenus factus, et baptizatus, Martinus est vocatus [b]. [Venerabilis autem baptizator ejus, idem patriarcha Paulus, ab eodem Constantio, qui patri in imperium succedens, in Arianam hæresim declinaverat, apud civitatulam quamdam Cappadociæ, Cucusam nomine, ob Catholicam fidem pulsus exsilio, Arianorum insidiis crudeliter strangulatus, ad cœlestia regna victor migravit [c].] Florus autem antiquus senio confectus diem clausit extremum, terram suam primogenito suo dimisit, et duos fratres juvenes in manu ejus reliquit. Qui mortuo patre terram viriliter rexit, et fratres suos cum filiabus nobilissimorum pagi Hunnorum copulavit, ex quibus primogenitus suus, Hilgrinus videlicet, ut prædictum est, quatuor filios generavit; secundus autem Amnarus, tres.

III. Florus igitur tribunus, filius Flori regis, mortuo Constantino, et regnante Constantio, Constantinopolin venit cum filio suo Floro [d] parvulo, quem imperatori commendavit, qui eum secum retinuit, et militem fecit [e]. [Quem etiam adhuc adolescentulum Julianus Cæsar, ab eodem Constantio patruele suo in Gallias adversus Barbaros, qui Romanorum terras infestabant, ignarus quid de eo disponeret, secum ad ferenda præsidia adduxit, et exercitandum militia, quandiu prævaluit, in comitatu suo detinuit.] Sed vir sanctus magis elegit Deo servire cœlesti, quam sub imperatore terreno militare. [Quia [f] ad hoc specialiter effectus est, ut triumphale sanctæ crucis vexillum in occiduis mundi partibus erigendum et adorandum deveheretur, et militiæ sacramenta evangelicis mutaret edictis. Qui clarus avis, sed clarior meritis, sanctus ab infantia, devotus **1274** a puB ritia, perfectus in adolescentia, perenniter de die in diem, de virtute in virtutem proficiens, magnis in mundo claru t miraculis, et doctrinis catholicis longe lateque resplenduit. Qui enim a tanta virtute, et miraculo tam grandi et stupendo, in initio viarum Dei inchoaverat, quid mirum si et prosperos in eis semper excursus et beatos exitus haberet? Imo mirum, si post tam mirabilem, qua ad se Deus illum traxit, conversionem, et virtutum sublimitate arduam, et miraculorum claritate gloriosam, et religionis decore splendidam, jugiter usque ad vitæ terminum non ageret conversationem. Quis enim non omni fere virtute et miraculo mirabilius ducat, infantulum vix decennem ab uberibus, ut sic dicam, cum lacte materno imbibitam erroris fanatici exhorruisse superC stitionem, parentibus, tutoribusque, atque actoribus, nunc minis, nunc verberibus, nunc blanditiis insistendo dehortantibus, ad Christi fidem, et ad Ecclesiæ, cujus sacramenta nondum perceperat, confugisse societatem? Quis non summis attollat præconiis puerum duodennem, instar cordati et fortis viri, ætatis teneritudinem non respiciendo, eremi squalorem, et quidquid ibi tolerare posset, ac si delicias concupiisse; et quod interim pro corporis imbecillitate non valebat, sed postea impleturus erat, meditando saltem et desiderando in conspectu Dei, qui velle nonnunquam pro facto reputat, jam facere? Quis non insigni laude prædicandum censeat adole-

[a] Editi, cum Vict., *brevi tempore Auxentio mediante successerat.*

[b] Editi cum Vict., *vocatus. Natus est autem Constantini undecimo anno. Florus*, etc.

[c] Quæ de sancto Paulo hic habet Codex Clarom. cæteri referunt in num. sequenti. Idem habet de ejus martyrio sanctus Athanasius. Ipsius vero festum celebratur die 7 Junii.

[d] Id est, Martino. Sic quippe eum tunc appellatum volunt.

[e] S c Clar. At alii, *fecit : juvenem etiam secum habuit post mortem Constantii, sed vir sanctus*, etc.

[f] Quæ habet Cod. Clarom. inter ansulas inclusa proferimus, quæ vero editi cum Cod. Vict. habent, hic in notis apponere visum est. « Quia specialiter effectum est, ut vexillum sanctæ crucis occiduas orbis portaret in partes, et militiæ sacramenta evangelicis mutaret edictis. Qui, ut diximus, a beato Paulo Constantinopolitano episcopo tempore Constantii, Deo educante, primo catechumenus factus, et post non multum baptizatus est. Qui beatus episcopus a Constantino imperatore apud civitatem quamdam D Cappadociæ, Cucusam nomine, ob catholicam fidem pulsus exsilio, Arianorum insidiis crudeliter strangulatus ad cœlestia regna migravit. Beatus autem Martinus post sacri baptismatis mysterium magnis in mundo claruit miraculis, et doctrinis catholicis longo lateque resplenduit in orbe. Hic vir primo florem adolescentiæ suæ Mediolani transegit in urbe, sed exinde Arianorum sævitia principum expulsus, Gallicanas secessit in partes, venerabilique Pictavensi antistiti Hilario est conjunctus, hujus se disciplinis sanctus Martinus post relictum militiæ cingulum sociavit. Inde quoque sanctus vir divino admonitus oraculo parentes suos, errore relicto, ad sanctæ fidei professionem convertit; et matrem quæ illum mundo genuit, ipse in Christo generavit, et exemplo avorum suorum Martini et Amnari, qui Christianissimi erant, et civitatibus, etc. »

scentem in summis onutritum deliciis, juribus patris sæculari implicitum militiæ, quasi solitarium vel monachum se exhibendo, non solum ab operibus malis, sed et ab omni concupiscentia nefaria continuisse, et in medio fornacis Babylonicæ sulphure et pice ferventis se illibatum custodisse; inter alios aliena diripientes, et eum irridentes, sua non modo superflua, sed etiam necessaria pauperibus erogasse, et quidem præcepta quoque transcendat [transcendisse *syntaxis postulat*], ut in divisa chlamyde patet fecisse? De altera quippe duarum vestium pro Christo danda, non de una dividenda præceptum habemus, quod fecit iste, cujus cor et sua et se ipsum Christo et pro Christo fratribus impendere paratum erat. In quo et illud quis **1275** non cum stupore accipiat, quod inter parentes ditissimos, et inclytos, utpote regibus atavis editos, constitutus, quod et regis Constantii, et Juliani Cæsaris, nunc hujus, nunc illius, in diversis terrarum partibus comitatum sequi; et eis, ut pote maternorum avunculorum filiis, in adolescentia adhærere et obsequi coactus, quorum alter Arianus, alter apostata, uterque persecutor orthodoxorum erat, in tanta rerum sibi oppositarum contrarietate, et fidem incorruptam servavit, et paupertatem terrenam semper amplexatus est, et humilitatem perfectam tenuit! Quis et illud in eo inconsideratum prætereat, quod ea qua pauperem contexerat parte chlamydis, Christum videns circumdatum, et illam quasi ostentando apud angelos inde gloriantem, de visione tam grandi, tamque gloriosa, de qua alius gloriaretur, ipse gloriatus non est: sed magis humiliatus, anhelanti desiderio instar cervi sitientis ad fontes aquarum, reversus Constantinopolim, percepto a beato Paulo urbis ejusdem patriarcha, ut prædiximus, baptismi sacramento, quod sedulo volvebat pectore, et longo æstu parturiverat, et jam quasi in partum maturitate naturali ad fructum vitæ erumpere gestiebat, ipse libens ad effectum perducere instituit? Quid hoc, videlicet, ut calcatis omnibus sæculi lenocinantis oblectamentis, libere vacaret Deo, et absque interpellatione curæ exterioris cœlestem erigens conversationem, gustaret crebrius, et videret quam suavis est Dominus? Quod unum cum juxta sententiam Domini maxime duceret necessarium, et ad hoc solum adipiscendum vehementer ferveret, quis non contemplari delectetur, quis non imitari conetur, quam simplici et germana charitate pro salute fratris distulerit? O vere mirabilem sancti adolescentis benignitatem! qui cum hanc partem optimam, quæ nulli consequenti eam auferetur, nonnisi in foramine petræ et caverna maceriæ, obtinere se posse cognosceret, ubi unica protectio, et singulare refrigerium confugientibus in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et in absconsionem a turbine et a pluvia, voto tamen salvandi socium, contra votum biennio mala mundi toleravit, stans foris quasi sine tecto inter procellas, nimbos et grandines in limo profundi, in lubrico sæculi, ubi non inveniret requiem pes ejus; ubi non solum injuriis affligeretur, sed et periculis urgeretur innumeris. Quid faceret, vel potius quid non faceret pro salute multorum, qui pro unius devotione tantum tædii sustinuit, tam diuturnum quietis suæ dispendium pertulit? Quas cruces, quæ supplicia, quas injurias, si inferrentur pro Salvatore, non epulis omnibus quamvis delicatis anteferret, qui pro amore hominis mortalis singularis gaudii sui unicum æque desiderium, pro cujus dilatione acriter cruciabatur, tamdiu adimplere distulit? Sed profecto sancti juvenis exercebatur patientia, probabatur fortitudo, experientia formabatur, et prædiscebat in seipso **1276** spontanea charitate quod postea tempore opportuno, episcopus animarum positus, debita sollicitudine faciendum sibi esset de multis. Ita doctus a juventute, fecit hoc ipsum in senecta, ultra fere omnes homines, et plus quam exigi deberet ab eo. In diebus Maximi imperatoris, quando secundum charitatem quæ sua non quærit ambulans, non solum juxta Paulum fieri optavit, sed etiam anathema pene se fecit a Christo pro fratribus noxiæ communionis: non voluntate, sed necessitate conventum iniens, ut his quorum cervicibus sævi regis gladius imminebat, Hispaniarum ecclesiis consuleret. Sed sciens procul dubio ad implendam legem aliorum onera ab aliis esse portanda, sciens dilectionem esse legis plenitudinem, sciens charitatem esse vinculum perfectionis, et principium fructuum spiritualium; sciens per ipsam serviendum invicem, ipsam vero nunquam excidere, et ambulantem in ea non errare nec deficere, tantæ virtutis fretus suffragiis, secure præsumebat, quoniam quidquid aliquando detrimenti pro ejus conservatione incurreret, per ipsam quæ operit multitudinem peccatorum facillime restaurari vel impleri posset. Nec obsecro cuiquam vel onerosa sit, vel otiosa judicetur ista ob admirationem, et contemplanda Martini in ætate adhuc juvenili merita facta digressio, cum totius opusculi hujus summa in ipsum respiciat, nec minus propter ostendendam et charitatis ejus abundantiam, qua semper totus affluxit, et originis nobilitatem a Severo, primo Vitæ ipsius scriptore, prætermissam, quam propter prædictorum consanguineorum ejus venerabilem conversationem, vel obitum posteris insinuandum, inertem licet stylum moverimus.

IV. Sed ut ab his jam ad susceptæ narrationis seriem recurramus, Martinus veteri exutus, et novo per baptismum indutus homine, tribuni sui, quem tantopere lucrari Christo satagebat, qui evoluto tribunatus sui tempore, mutatum vita et habitu, serviturum se Deo pollicebatur, revictus supplicatione, et dilectione quasi ligatus, per biennium non rapinis, sed sanctis, ut cœperat, insistens operibus in comitatu moratus est. Qua exspectatione, quam gravissime ferebat, exacta, continuo non acquievit, sed renuntiavit carni et sanguini; et licet repugnante et indignante Cæsare, abjurata sæculari militia, abdicatis parentibus, prædiis et patria in qua natus et notus, dives et inclytus, et ob hoc reverendus et magnificus haberi poterat, Deo nobis illum in patronum destinante, in exteras has re-

gionem diffugiens, ubi incognitus et inglorius reputaretur, exsul et pauper laudabilis, in argumentum suæ magnæ humilitatis, doctrina et exemplis præstantissimi et spectabilis viri Hilarii, qui in diebus illis Ecclesiæ Gallicanæ singularis et lucerna et columna apparebat, erudiendum se subdidit, discipulis, ne in vacuum vel periculose curreret, si suo ferretur judicio, et se sibi magistrum constitueret; et ne incideret in eorum **1277** numerum, quibus dicitur: *Væ vobis qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobis ipsis prudentes* (*Isai.* v, 21)! Cui cum in schola virtutum desudanti juberetur a magistro celsiorem Levitici ordinis gradum ascendere, ipse in augmentum profectus sui, in infimo exercistæ officio, eo securius quo humilius, eodem laudem magistro suo concedente et mirante, subsedit. Quid igitur jam de hoc viro tanta humilitate fundato fieret? Non ut, secundum Scripturas, humilem spiritu susciperet gloria, et qui se humiliaverat, a summo humilitatis doctore, quem pene sequebatur, exaltaretur; quasque in silentio subditus investigaverat, potens opere et sermone, et apostolico dignus ministerio, aliis notas faceret vias vitæ? Sed quomodo ad ministerium accederet, nisi assumeretur? et quomodo prædicaret nisi mitteretur? Propterea cum apud magistrum in summa degens subjectione, et quiete instrueretur; nihil de se magni æstimans, nihil alti disponens, a Domino, qui cor parvuli sui intuebatur et magnipendebat, opus evangelistæ per revelationem jubetur exercere, et parentes, quos adhuc gentilitatis error obligabat, ad insinuandam illis fidem Christi, monetur visitare. Oraculo itaque fretus divino, ex licentia beati Hilarii, nam necdum ab Augusto Constantio pro fidei defensione in exsilium missus fuerat, quorsum jussus fuerat devotus proficiscitur: et circunquaque verbum Dei spargens, multam ex conversione infidelium messem horreo Christi inferre contendit, parentesque suos, cooperante gratia superna, ad Christianæ fidei professionem convertit, solo patre, inscrutabili Dei judicio, in imagine et errore terreni hominis permanente, et ex sola veteris usus auctoritate male ab infantia imbibiti superstitionem fanatici cultus defendente. Matrem quoque, quæ eum mundo genuerat, ipse in Christo regeneravit; factus ejus spiritualis pater cujus carnalis erat filius; et præstans ei ut esset initium aliquid novæ mundo creaturæ, a qua ipse homo ut exsisteret, post Deum, initium acceperat. Effecit autem ut et ista et cæteri, quos saluti conquisierat in Christo renascerentur per manus patruorum patris sui, suorum scilicet propatruorum Martini et Aumari, qui Christianissimi erant, et civitatibus sibi deputatis episcopatus officio fungebantur, inter quos baptizati sunt etiam Hilgrinus et Amnarus patrui ejus, cum septem filiis suis, Clemente videlicet, Primo, Læto, et Theodoro, Gaudente, Quiriaco et Innocentio. Quorum patres, Hilgrinus scilicet et Amnarus, non sicut alii fratres paternam hæreditatem dividentes, sed sicut uno ortu gemini nati sunt, sic una domo, uno fundo, una re communi cum uxoribus et filiis contenti sunt. Eodem autem anno quo baptizati sunt, viam universæ carnis ingressi sunt. Horum itaque prænominati septem filii **1278** omnia prædia sua venumdantes, pretium pauperibus distribuerunt, servosque suos ingenuos fecerunt. Ipsi vero in quodam loco se incluserunt, lectioni, orationi, et psalmodiæ vacantes, duobus tantum servulis contenti, qui eis officium consolationis impenderent. Vivebant in cœnaculo constituti sine querela, tam Deo quam hominibus placentes, uxorum et liberorum grato consortio carentes, cœlibemque vitam actitare satagentes. De reliquiis autem ciborum suorum, ad quascunque partes deferrentur, vel a quibuscunque infirmis sumerentur, qualicunque infirmitate tenerentur, protinus sanabantur. Quamobrem primo ex adjacenti provincia, postmodum ex omni regione illa pene universi venientes, illos sicut prophetas Dei venerabantur. Ex quibus multi prædicatione eorum fidem ipsorum imitantes, Christianitati subjiciebantur, et veterem hominem exuentes, novum, qui secundum Deum creatus est, induebantur. Denique omnes eos et obsequiis et multis donativis venerabantur [a]. Cæterum principes, tribuni et milites Christiani, Judæi et gentiles eos visitabant, reverebantur et excolebant. Qua de re servi Dei permoti, inani gloriæ et ambitioni hujus sæculi subjici timentes, fugæ latibulum expetentes, patriam relinquere disposuerunt: quippe cum in hoc exemplo eis esset Abraham, et recentius multi alii justi, et recentissime eorum patruelis [b] beatissimus Martinus. [Qui sicut obtemperanter, et præcepta Christi audiens et consilia, nihil ejus amori præposuerat, sed, omnibus relictis, assumpta cruce, et se sibi abnegato, ipsum ducem sequens, arbitrioque ejus se committens, damnosam cunctis propriæ voluntatis facultatem abjecerat, ita Christus quoque pollicitationis suæ sententiam in eo liberaliter complens, et miraculorum gloria et honore pontificatus, et divitiarum copia, illum quamvis ista fugientem illustraverat, et promissum sequacibus suis centuplum ei jam et hic reddiderat, in futuro servans illi plenitudinem interminæ retributionis. Cumque de terra et de cognatione sua solus propter Christum exisset, magnificante eum eodem Christo duce suo, in terra peregrinationis suæ, et ad verbum oris ejus faciente prodigia, mirum dictu! de lapidibus suscitavit filios Abrahæ, et mutabat corda hominum, erroneosque et incredulos conducebat ad semitas justitiæ, et ad prudentiam justorum. Evertebat delubra, fundabat monasteria, ædificabat ecclesias; et ita paulatim succrescens, factus erat in gentem magnam].

V. Audientes igitur prædicti famam sanctitatis et celebritatem nominis ejus, et quod in episcopatu Turonicæ civitatis esset subrogatus, consilio inito, brevi expensa, et exiguis sarcinis collectis, usque

[a] Clar., *donariis honorabant.*

[b] Editi cum Vict.: *Et multi alii justi, et maxime eorum consobrinus beatus Martinus. Cæterum audientes famam sanctitatis*, etc.

ad ipsum venire et consilio ejus vivere stabiliverunt: quod et factum est. Venientes autem usque ad Turonensem civitatem invenerunt beatum Martinum in episcopatu more suo Dominico die missarum solemnia celebrantem, petieruntque more peregrinorum benedictionem. Post consummata divina [*Al.*, acta autem] missarum solemnia, cognovit eos beatissimus Martinus consanguineos et consobrinos suos; flevitque super singulos, et osculatus est eos: ducensque eos trans fluvium secum, ubi multitudo commanebat fratrum, invitavit ad prandium in commune cum fratribus. Sequenti autem die, omnem peregrinationis suæ seriem retexuerunt, voluntatemque suam in hoc esse dicentes, ut limina apostolorum Petri et Pauli visitarent, ut et in Hierosolymis pergerent, sepulcrum Domini visitaturi, et crucem Domini adoraturi, et per beati Jacobi sepulcrum venturi, et sic ad ipsum reversuri. Quam viam cum benedictione beati Martini aggredientes nudis pedibus, laneis utendo vestibus, pane et aqua, et crudis herbis contenti quinquennio peregerunt. Revertentes autem sani et incolumes, beato Martino se præsentaverunt cum multis reliquiis, videlicet de sepulcro Domini et ejus sanctissima cruce, de sepulcro etiam sanctæ Mariæ matris Domini et ipsius vestimentis, de reliquiis apostolorum Petri et Pauli et sancti Jacobi fratris Domini, et ex multis aliis, quas beatus Martinus reverenter accipiens in apsida majoris ecclesiæ cum reverentia posuit. Ipsi vero septem fratres beato Martino, et fratribus ibidem manentibus, tam in anima quam in corpore se dedentes, voverunt se de loco illo non recessuros. Statim autem beatus Martinus eos gratanter excepit, et mon chico habitu eos induit, et benedictione propria confirmavit, posuitque eos in latere cavati montis in quodam specu, fecit quoque eis oratorium [a] in ipsa rupe, benedixitque altare, ubi et reliquias proprias manu condidit, quas ipsi apportaverant. Ordinavit autem Clementem et Primum presbyteros, Lætum et Theodorum diaconos, Gaudentem, Quiriacum et Innocentium subdiaconos. Permanserunt autem in eadem cella sive oratorio, ubi et delectabantur jejuniis, oratione, silentio, lectione, quandiu beatus Martinus superfuit. Ipse quidem per revelationem obitum suum longe ante prænoscens, ad Condatensem vicum ire disposuit, ut pacem inter clericos ecclesiæ illius dissidentes reformaret: cognoscens etiam per spiritum non se reversurum, convocatisque omnibus monasterii fratribus, singulos osculatus est, atque benedixit, et præfecit eis unum ex fratribus loco suo, nomine Gualberum, abbatemque constituit, et benedictione sua confirmavit, cui et commendavit septem supradictos **1280** fratres et patrueles suos, qui eos suscipiens in commune cum fratribus aliis singulariter eos diligebat, et spiritualiter revisebat et confortabat.

VI. Beatus autem Martinus post obitum suum usque ad diem migrationis eorum sæpissime eis apparebat in visione, consolans eos et corroborans [b]. Vixerunt autem cum eo in sancto proposito annis sexdecim, post transitum ejus viginti quinque: videlicet sub Gualberto abbate primo annis viginti tribus; sub Aicardo secundo abbate annis duobus. Hujus scilicet Aicardi secundi abbatis tempore, contigit festivitatem beati Martini de transitu Sabbato evenire; sequenti vero die, qua Dominicam celebramus, post peracta matutinorum solemnia, media nocte apparuit eis beatus Martinus, nuntians eis diem obitus sui, dicens: Crastina die summo mane vocate huc Aicardum abbatem ad vos: qui dum astiterit, intimate ei singuli omnem vitæ vestræ seriem, et actus vestros, confitentes omnia peccata vestra. Dicite quoque illi ex me, ut in honore sanctæ Trinitatis missam celebret, commemorationem mei faciens, et sanctorum quorum reliquiæ in præsenti altario a me consecrato continentur, ponatque singulas hostias pro vobis singulis immolandas [*Al.*, oblaturas], quibus consecratis singuli communicabitis. Peracta communione, viaticoque percepto corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, missaque finita, prosternetis vos ad orationem, viam universæ carnis ingrediemini, tam a dolore mortis extranei, quam a corruptione carnis estis alieni; sicque ab Angelis suscipiemini, et a meipso sursum conducemini, donec assignemus vos ante tribunal Christi: quod totum factum est ut beatus Martinus imperavit. Cum autem communionem [*Al.*, viaticum] accepissent de manu Aicardi abbatis, finita missa, genibus flexis, sani atque incolumes, in oratione prostrati viam universæ carnis ingressi sunt, ut beatus prædixerat Martinus, tam a dolore mortis extranei quam a corruptione carnis fuerant alieni. Repleta est autem illico cella illa tanto odore, ac si multorum aromatum congeries ibi sparsa putaretur. Suscipiens autem eos non de morte, sed quasi de oratione abbas Aicardus una cum fratribus, non mortuos putabat sed dormientes, cum facies eorum ut rosa ruberet, caro ut nix splendesceret. Quam ob rem per sedilia illos disposuit, sicuti soliti erant sedere in cella sua, posuitque eos ita ut ab omnibus inspici possent, solis necessariis, quibus ab injuria irruentium defenderentur, inter eos et intrantes mediis repagulorum obicibus. Patebant [c] et am limina ut omnes advenientes viderent sanctorum facies, non sicut mortuorum, sed sicut dormientium: quia licet hominibus mortui essent, **1281** Deo tamen cui omnia vivunt, dormiebant. Per septem autem dies, quibus super terram fuerunt, non defuit odor ille

[a] Hoc ipsum esse aiunt quod hodieque prope Majoris monasterii basilicam visitur, in rupe imminenti cavatum, ubi eorum sepulcra, seu potius sepulcrorum repræsentatio in lapide excisa habetur.

[b] Sic Clar., quo solvitur Marolli scrupulus, qui in editis legebat: *Vixerunt autem post obitum beati Martini viginti quinque annis, tempore beati Martini sexdecim annis, tempore autem Galberti post beatum Martinum primi abbatis tricenis annis, tempore vero Aichardi secundi abbatis duobus annis. Tempore siquidem Aichardi*, etc.

[c] Sic Clar.; alii vero, *posuit eos mediante januarum repagulo. Patebant*, etc.

suavissimus. Tanta autem fuit advenientium multitudo, quantum aut locus admisit, aut viæ vel semitæ capere potuerunt. Omnes febricitantes vel frigoritici, qui adveniebant, sani revertebantur; leprosi autem, surdi, muti et claudi multi curabantur. Afferebanturque qui venire non poterant in lectis et grabatis, et ex odoris fragrantia sospites revertebantur. Septimo demum die a transitu ipsorum abbas Aicardus, congregatis fratribus sancti monasterii, ad funus adfuit. Misit quoque et accersivit sanctissimum senem, Turonicæ **1282** sedis civitatis præsulem [a], beatum Brictium una cum clero et populo : initoque consilio, sicut erant vestiti, sepelierunt eos in ipsa cella vel oratorio, ante altare ipsius oratorii, a beato Martino cum pignoribus sanctorum consecrati. Transierunt autem pridie Idus Novembris, secundo die a festo quo celebratur transitus sancti Martini, et depositi sunt [b] XIII Kalendas Decembris. Qui sepulti terris, in Christo se vivere manifestant virtutibus et miraculis, præstante eodem Jesu Christo Domino nostro, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[a] Sic Clar.; alii, *archiepiscopum*. Quo nomine Gregorii ævo Metropolitani in Occidente non donabantur. Nec eo alias usquam usus est Gregorius.

[b] Sic Clar.; alii autem, *sepultique sunt*. Ex his colligo non semper *depositionis diei* nomine intelligi eum qui fuit obitus. Sacra eorum corpora in capsis servantur retro majus altare principalis basilicæ Majoris monasterii. Porro præter hos Septem Dormientes, sunt alii item celebres apud Ephesum, de quibus agit Gregorius cap. 95 libri I de Gloria martyr. Septem item *in Germania* Dormientes laudat Paulus Diac. in lib. I de Gestis Langob. cap. 4, qui ab istis post Baronium Marollio alii esse non videntur.

Explicit vita et mors Septem Dormientium.

INCIPIT PROLOGUS BEATI GREGORII TURONORUM ARCHIEPISCOPI IN VITAM * BEATI MAURILII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

(*Ex compluribus Codd. mss.*).

Sanctissimo sanctæ Parisiorum matris Ecclesiæ præsulum domino Germano, Gregorius Turonicæ metropolis humilis episcopus, salutem. Petisti sane uti Vitas et miracula quæ Dominus per beatum Maurilium atque Albinum Andecavorum antistites operari dignatus est, quas Fortunatus presbyter luculento sermone descripserat, scriptorum vitiis jam pene depravatas, nostræ auctoritatis peritia corrigeremus, vestræque Devotioni, qui priorum exemplis proficere cupitis, misissemus. Sed nos recolentes, si id egerimus, perfidorum nos latratibus atque morsibus, qui doctrinam quærere nesciunt sed invidere, dilaniari; dupticis tædii mœrore concutimur, dum et vestris non parere jussionibus, ipsisque displicere metuimus. Fisi tamen Omnipotentis promissionibus, qui per prophetam suum loquens innotuit, quia *qui seminant in lacrymis metent in gaudiis* (*Ps.* CXXV, 6), vestræ satisfaciam voluntati. Scimus namque quia si quæ digna sunt imitari, et alteri possunt sæculo prodesse, sanctissimorum Christi confessorum Vitas atque virtutes stylo quis digesserit, correxeritque vel rustico, et sibi mercedem, et imitari volentibus conferet adusque salutem. Permaximas igitur pretiosissimorum Christi confessorum Maurilii atque Albini virtutes non loqui, sive corrigere, quia memoria dignæ sunt, crimen ducentes, plebeio, ut postulastis, utentes calamo, quo potius vulgaribus prosint, de plurimis pauca, sed tamen, Deo teste, verissima corrigemus, omittentes plurima a Fortunato edita, quæ fortassis infidelibus incredibilia viderentur. Quæ vero a nobis correcta sunt vestræ Sanctitudinis petitioni digniùs offerenda putavimus, ut qui illos imitari gaudetis, illorum proficiatis virtutibus informati.

INCIPIT VITA SANCTI MAURILII.

Igitur Maurilius Mediolanensis oppidi indigena extitit parentibus splendidissimis, etc. (*In Codice Patriciacensi*, de Percy, *in Burgundia, ab annis circiter octingentis scripto, post Vitam sancti Albini, quæ Fortunato tribui solet, habetur hæc clausula :* Explicit Vita beati Albini composita a beato Gregorio Turonicæ urbis episcopo.)

* Melius diceretur *in vitas beatorum Maurilii et Albini*. Has vitas quæ sub Fortunati nomine alibi recudentur, si scire velis qua de causa hic exscribere noluerit Ruinartius, consule præfationem num. 80, col. 65. EDIT.

SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS ANTIPHONA DE SANCTIS MEDARDO ET GILDARDO, EPISCOPIS ET FRATRIBUS.

(*Ex ms. Codice apud Surium die* 8 *Junii.*)

Avete, magni toto orbe præsules, ortu gemelli, sanitate compares, sacrati simul, coronati pariter, juncti dicastis diem festum : meritis sancte Medarde cum Gildardo inclyto, opem poscenti semper ferte populo.

VITA SANCTI ARIDII ABBATIS.

(Ex vetusto ms. Cod. sancti Galli a D. J. Mabillonio erula.)

1283 IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, INCIPIT PROLOGUS SANCTI GREGORII TURONICI EPISCOPI, DE VITA BEATI ARIDII LEMODICINI ABBATIS.

I. Quoties sanctorum gesta narramus, et in eorum actibus et exemplis mentem figimus, vel imitatores esse desideramus, ne in hujus exsilii ærumna laqueo capti teneamur. Tantum igitur a superna gratia illustramur, quantum humiliato corde ad alta Dei contemplatione conscendere valemus. Ideoque libere non audemus cum possimus, sermone vel tenui ædificationis pandere historiam plebi : præsertim cum apostolica admonemur auctoritate de sanctorum vita seu virtutibus nonnulla commemorare, ut scriptum est : *Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, ut sit memoria eorum in benedictione, et nomen illorum permaneat in æternum* (*Eccli.* XLIV, 1) ; et illud : *Memoria sanctorum cum laudibus* (*Prov.* X, 7). Cum ergo anniversario curriculo sanctorum solemnia celebramus, aliqua ex eorum gestis ad ædificationem, convenientibus Christianis in laudibus Christi, recitare debemus. Quomodo igitur omnium pene miracula confessorum, et multiplices martyrum victoriæ jam monimentis litterarum habentur inditæ; nos modo, juxta qualitatem ingenii, vel exiguum aptare tentavimus hunc libellum, in quo de ortu, vel vita, seu et de glorioso sancti ac beatissimi Aridii confessoris obitu, adjuvante gratia Christi, explicare curamus, ut cujus est vita **1284** cum Christo, memoria ejus cum gloria celebretur in mundo. Sancti scilicet patres nostri studuerunt in sæculo nihil amare, ut legaliter ac perfecte proximos diligerent, ut in una charitate conglobati, cohæredes Christi efficerentur et participes. Plerique vero a primæva ætate, nonnulli in adolescentia, vel in juventute, multi in senectute militantes, Domino adhærere conati sunt : ut qui dudum tentamenta mundi toleraverunt, quandoque ad Christum sine macula remearent. Plus namque ædificat exemplum boni operis cum simplicitate vigoris, quam multa prædicatio cum tumore vanæ gloriæ. Prædicator vero egregius, Doctor gentium, perhibet dicens : *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (*I Cor.* I, 27); et illud : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III, 19). Electi vero in prosperis mundi non elevantur, ut apprehendere valeant post triumphum coronam. Quia si consideremus, quæ et quanta nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo quæ cernuntur in terris.

II. Igitur beatissimus [a] Aridius Aquitaniæ provinciæ in ulteriore Gallia, quæ ad plagam respicit occidentalem, parentela nobili generatus, Lemodiæ civitatis oriundus fuit, ut esset lucerna cunctis fidelibus, Domino condonante militibus suis. Pater vero ejus, cognomento Jucundus [b], genitrix vero beata Pelagia vocitata est. Quibus vita testatur esse religiosa, ut imitantes exemplum Zachariæ et Elizabeth (*Luc.* I, 6), nisi quod Joannes in medio non erat, incedentes in mandatis Dei, ut essent sine querela. Natus ergo Aridius atque **1285** nutritus est in fide recta, denique a parentibus christianis catholica religione imbutus, jam pueritiæ annos excedens, ævum adolescentiæ cum magna industria gerebat. Cum autem cernerent parentes ejus in adolescentia filium salubrem viam adeptum, studio religionis ornatum, tradunt litteris erudiendum. Qui mox in tantum divina gratia illustratus est, ut multi mirarentur ejus eloquentiam in ejus verbis, cujus sermo dulcis ore mellifluo flagrabat cunctis. Cor senile gerens, nulli animum voluptati dedit, ne captus ærumna sæculi teneretur obnoxius.

III. Interea regi præcellentissimo Theodeberto commendatur, ut eum instrueret eruditione palatina. Invenit ergo Aridius gratiam coram Domino et coram rege, et ferebatur ejus testimonium ab omnibus, in tantum ut cancellarius prior ante conspectum regis assisteret ; crescebatque honor cum magno favore de die in diem ; omni ex parte probatus vernabat in aula ; a quo tanta familiaritate habitus est, ut plurimis felicitas ejus ingens gigneret odium. Oderat quippe superbiam, diligebat veritatem : sed plane illum boni admirabantur. Sectabatur itaque indefficienter charitatem, mansuetudinem, et humilitatem. Diligebat enim Dominum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente sua. Erat quoque serenus conspectu, tranquillus moribus : semper opera bona factis amplius quam verbis ostendebat, spem suam semper Christo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Christi præponens, semperque mens ejus præcepta cœlestia meditabatur.

IV. His ita gestis, non post multum temporis, cum jam virilem ageret ætatem, cupiens se vas Domino exhibere sanctificatum, ac metuens futura tremendaque judicia, ut ne aliqua suum pectus delicta fuscarent, omnia acta adolescentiæ suæ coram conspectu viri beatissimi Nicetii episcopi confessus est. Denique commonitus interea divinitus per præfatum Ni-

* Opusculum omnino mendosum ut legenti patebit, phrasibusque scatens imperfectis. EDIT.

[a] Vitam hujus sancti breviorem, quæ istius videtur Epitome, habetur inter Acta sanctorum ord. Benedictini, sæc. I, pag. 349, sed et cap. 29 libri X Historiæ nostri Gregorii Turon. omnia fere quæ hic fusius narrantur paucis verbis exhibet.

[b] Roscindus dicitur in vulgatis Editis apud Gregorium, lib. II de Mirac. sancti Martini, sed mendum illud sustulimus ex Codd. mss. Pelagiam laudat idem Gregorius, potissimum in lib. de Gloria conf. cap. 104. Cæsarium Arelatensem episcopum, et Aredium [*] abbatem ex eadem stirpe prodiisse, qua postmodum exortus est sanctus Geraldus, comes Aureliacensis, scribit sanctus Odo Cluniaci abbas in ejusdem Geraldi Vita.

* Sic etiam nomen ejus scribitur. EDIT.

cetium, Trevirorum civitatis episcopum, sæculi pompam fugiens, mundi oblectamenta, ac regalis palatii vanas superstitiones, et indisciplinatas sociorum fabulas declinando, se sub regulæ censura, ad contemplandam cœlestis patriæ palmam contulit; sicque sibi austeram imponens pœnitentiam cœpit viriliter colluctationi carnis spiritus fervore resistere. Proponebat namque sibi adversus præsentes carnis ardores futuri supplicii ignes : *In laboribus* scilicet, secundum Apostolum, *in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in suavitate, in patientia multa, atque in charitate non ficta* (*II Cor.* VI,5,6). Precabatur igitur Dominum pro donis cœlestibus, orabat Christum diebus ac noctibus : adimebat sibi saturitatem panis, ut posset cœlestem sibi promereri panem. Ora quidem ejus jejuniis pallebant, corpusque ejus valde aridum marcescebat; sed mens ejus æternorum æstuabat desiderio. Semper autem præsentis vitæ terminum intuens, ac futuram Domini sententiam, seu metuenda judicia formidabat, sciens quod scriptum est : *Beatus homo* **1286** *qui est semper pavidus* (*Prov.* XXVIII, 14); nec non et illud, quod a Job dictum est : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Dominum* (*Job.* XXXI, 23); et illud Apostoli : *Cum timore et tremore vestram salutem operamini* (*Philip.* II, 12). Ante Dei namque conspectum noctibus jacebat, manibus pectus tundens, genas lacrymis rigans, oculis ad cœlum elevatis, illum semper respiciebat, quem fortasse vel in minimis delinquendo se offendisse timebat, ac cum lacrymis Davidica voce hæc verba enixius deprecabatur : *Tibi soli peccavi, miserere mei, Domine, secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L, 6, 7). Et semper ad illud tendens, quod Apostolus dixit : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Dominus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9).

Hæc igitur meditando, quanto plus proficiebat, tanto amplius humiliabatur, juxta quod Veritas in Evangelio dicit : *Qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XVIII, 14). Quanto plus humiliatus fuisset, tanto amplius proficeret; et ut etiam quanta fuit ei mœstitia, tanta fieret venia. O profunda benignitas Domini ! o simplex pœnitentia ! frequentique jejunio misericordiam quam poscebat a Domino impetrarat. De talibus quippe per prophetam Dominus dicit : *Dedi ei timorem et timuit me, et a facie nominis mei pavebat* (*Malac.* II, 5). Hinc iterum scriptum est : *Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse est* (*Eccli.* XXXIV, 16). Et rursus : *Timor Domini expellit delictum* (*Eccli.* I, 27). Inter hæc autem Dominum pleno vigore deprecatus est, ut ejus pœnitentia ante Christi conspectum esset accepta. Deinde his initiatus armis, in Christi militia se arctius stringens, ad normam irradiabat Ecclesiæ.

V. Quadam die dum cursum tenens purissimæ conscientiæ, veniens columba delapsa de camera, considens super ejus caput, pergebat cum eodem comitata per plateam, quam removere a se vir Dei Aridius non poterat, donec sui pontificis ingrederetur cellulam. Cum vero declinaret dies ad vesperam, redibat ipsa qua venerat. Mane autem facto, revertente jam clero ad ecclesiam, ipsa super caput ejus, sicut prius fecerat, descendebat. Qua per dies triginta, sicut ipse secrete locutus est, non cessante columba, hanc verecundiam vir Dei pertulit, datam supernam gratiam præsagiebat, ut aperte daretur intelligi, jam tunc divina largitione semel super eum Spiritum descensurum. Unde et Veritas discipulis testatur, dicens : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23); quia dignum erat ut innocentiam mentis custodisset, ei visitatio Spiritus sancti adesset.

VI. Tum deinde audita vir beatissimus morte patris, pro matris suæ consolatione Lemovicum regressus est. Igitur beata Pelagia, mutato sæculari habitu, induitur sanctimoniali vestimento, efficitur in Dei amore religiosa, filium bene conversum Dei hortatur ad præmium. Qui mox vir beatus eremum **1287** petiit, et in concavum saxum se retrudens, ibique diebus ac noctibus sine cessatione Domino supplicabat, et hostem invisibilem orationibus et precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio; precibus, non ferro; orationibus, non telo. Cunctis horis cunctisque momentis Dei flagitabat præsidium, ut dignus post mundi laborem posset pervenire ad bravium. Cum per aliquot dies inibi esset cum magna abstinentia, auditis his ejus genitrix, ad pedes filii provolvitur, rogavitque eum exinde egredi, ut monasterii cellulam, ubi prospere aspiceret, in villis amœnis ædificaret.

Tunc et locum amœnum vir Dei Aridius reperit, de eodem saxo, in quo erat reversus, fere trium millium, ibique monasterii cellulam ædificare cum magna industria cœpit, quod cœnobium nuncupatum Atano [a]. Ibique orationi intentus, et incumbens lectioni, quo vacabat, venerabilis mater ejus laborans per agros, alimoniam corpori quærebat : quæ vero post conversionem vita acta sit... Deinde pollebat vir beatus magis magisque in vigiliis, et jejuniis, vel in orationibus, atque in charitate. Cœpitque ejus fama divulgari, confluebantque ad eum undique viri religiosi, advenæ vel monachi. Multitudo etiam pauperum, sicut apes ad alvearium, ita conveniebant ad eum, in tantum, ut quanticunque pauperes confluebant ad eum, nullus vacuus ab eo recederet. Quid plura ? quidquid ex possessione parentum nobilium habuit totum in pauperibus, vel in cœnobiis, præcipue ad beati Martini Turonensis, vel ad sancti Hilarii Pictaviensis ecclesiam, seu per diversas ecclesias vel etiam monasterio suo omnem possessionem distribuit; auri vero argentique metalla in pauperibus dispersit, sciens Apostoli præceptum : *Habentes autem victum et vestitum his contenti sumus* (*I Tim.* VI., 8); et : *Qui volunt divites fieri in hoc mundo, incidunt in*

[a] Hodieque subsistit apud Lemovicas, sed in collegium canonicorum conversum, sub jurisdictione capituli sancti Martini Turonensis. Oppido nomen dedit quod vulgo *Saint-Irier* appellatur.

tentationem et laqueum diaboli (*I Tim.* VI, 9); et : *Desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem* (*Ibid.*). Considerans quippe quod scriptum est, *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41). Et Veritas ait : *Centuplum accipiet et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29). Et alibi scriptum est : *Eleemosyna a morte liberat; et qui eam fecerit, non ibit in tenebras* (*Tobiæ* XII, 9). Hæc autem quotidie adimplebat; semper ad eleemosynam largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus in humilitate profusus, in charitate perfectus. Nunquam otio indulsit, quo non aut lectioni vacaret, aut opus Christi perficeret, aut certe manibus opus aliquod ageret, aut denique sacros Codices scriberet. Maxime autem decreverat, ut in vicinas diœceses sacros Codices, quos ipse manibus suis scripserat, distribueret; memorans illud quod Apostolus dixit, quia *Otiositas inimica est animæ*. Ad ista igitur omni tempore non cessabat. Cum autem jam monasterii cellulam ædificasset, **1288** quo opus cœptum peregisset, necesse est ut de ipsius miraculis aliquid Christo auxiliante explicare valeamus. Qualiter eleemosynis, vigiliis et orationibus se Dei servus indulserit, prædicanda miracula publicaverimus alacriter : de quibus multis brevissime credimus pauca narrare.

VII. Accidit homini Dei Arvernis iter ut ageret, eo irruente nocte, aquam non inveniret, ut ad manendum se conderet. Cumque quærerent ministri ejus huc et illuc, et non invenissent, tum Aridius defixit in arena baculum. Quo retracto, de terræ foramine fons abundans exsilivit, ut fluenta aquæ undantis sufficerent, et in tantum postea irrigarent, ut illic pecora biberent. Sic vir iste magnus fuit in miraculis, et Moysi typum gerens, qui percutiens petram aquam populis in solitudine præbuit.

Dedit deinde operam, comitesque sui itineris, quos religio claros reddebat, elegit. Collecto sane cœtu, omnium orationum suffragia postulat, ut venturo itineri solamen largitor pietatis tribuat; et sic cum eisdem, Christo duce, ad locum ubi sancti Dei martyris Juliani membra sancta fuerant sepulta, accedit, agnitis qui secum clementis judicis voluntate adessent. Cumque ad eum locum pervenissent, postulat ut reliquias sancti martyris votiva mente sua ipse mereretur. Sed custos basilicæ beatissimi martyris petenti denegavit. Moratus ibi paululum, et quærens, nec prorsus inveniens, progressus exin, accedit ad locum ubi venerabilis martyr a persecutoribus, transactis jam longævis temporibus, decollatus fuerat, et cum plenissima devotione de eodem loco parvissima saxorum, quod vulgo sabulum dicitur, in chrismarium quod collo suo gestabat læto animo pro sacratis sancti martyris reliquiis condidit. Cumque de eadem provincia remeare cœpisset, tanta horum multitudo, qui a maligais spiritibus vexabantur, ejus vestigia cum magnis clamoribus prosequebantur, ut tantorum vix scribantur tot nomina. Pervenit ergo fama beati Viri ad aures pontificis civitatis illius [a], qui illico cum suis sancti Viri vestigia prosecutus, et mox ejus pedibus provolutus, cœpit ab eo petere ut tandem ad tumulum sancti martyris remearet, et sacras ejus reliquias deportaret. Tunc ille ait : Hoc quod mihi omnipotens Deus largitus est munus, cum eodem iturus, ipso comitante pergam. Nam Creator omnium Dominus duo virtutum miracula in eodem loco ostendere dignatus est. Cumque Vir Dei suum chrismarium aperuisset, reperit diversos pretiosos lapides de saxis quæ de fonte abstulerat, ut mira virtus sancti martyris per diversa terrarum loca declararetur, et Viri Dei fides probaretur, et multis ostenderetur. Cumque ad locum hunc, ubi Vir Dei orator um condiderat, sacrum munus cum magno gaudio condidit, ibi quoque omnipotens Deus multa **1289** signa et mirabilia declarare dignatus est.

VIII. Nec non prætermittendum est quod Christi famulo collatum est. Quadam die viator dum iter arreptum incederet, flante ventorum turbine, cum pluvia talis circa Aridium sic fremeret, ut rivis imber efflueret, et ipsum agmen ac suos ministros gutta nec una perfunderet : quo, divisa tempestate, alicubi turbo se verteret, et ipsa nubila aerem fugárent, dum pavescunt viatorem. Si igitur conditori omnium mare et venti obedierunt in fluctibus, et facta est tranquillitas magna, imo et fideli suo jussit hanc virtutem cunctis videntibus ostendendam. Quodam tempore cum ad maturitatem segetes aristas armassent, et jam se aggravatæ meti poscerent a cultore; enormitas erupit pluviæ, ne quisquam fruges colligeret, et in suis spicis grana latentia germinarent. Interea suggeritur ipsi a populo, facit vigilias intercessor. Sequenti igitur die reliquiis sanctorum apprehensis, opportune et venerabiliter coopertis de palliolo serico; diacones in albis exeunt ad processum : plebs clamat pro nimborum incursu. Quibus Vir sanctus respondit : Qui jussit aquam creari, potens est hunc imbrem sedare. Tunc mox de templo progressi sunt, subito nubes excisæ sunt, sol in claritate reducitur, serenitas cœli mundo redditur, ad opera cultor trahitur, et ad manipulos colligendos messor frugibus invitatur. Nec illud prætereundum est in simili causa quod gestum est. Dum Noniaco colonica sua in honore beati Juliani martyris oratorium conderet [b], et imber gravis irrueret ipso vero orationem Dominicam memorante, nimbus impetum detorsit, tempestas repulit turbinem, pluvia abscessit, locum vel sanctum virum Aridium cadens gutta non tetigit.

IX. Addatur hoc in pagina, quo rerum crescunt miracula. Quadam die, eodem sancto viro in oratorio orante, Arciardus quidam, Nivardi filius adolescens, exanimatus deportatur, et ante sacrum altare in oratorio beati Juliani martyris deponitur a parentibus. Rogatur ut vivus reformaretur a Domino. Tunc vir reverentissimus, pietate scilicet motus, lacrymis vim ingerens, aspiciens ad cœlum Dominum deprecatur.

[a] Id est ad episcopum Arvernensem, in cujus diœcesi tunc exstabat Brivatensis ecclesia.

[b] Confer librum de Mirac. sancti Juliani cap. 40.

Dehinc appellat infantulum, sed corpus jacet exanime. Hora fere transacta, exsuscitatur puerulus, clausos aperit oculos, et loqui posse incœpit redivivus. Sic fidelis miles tantis virtutibus polleus, et gratia divina accinctus, ut sicut Creator omnium rerum filium viduæ adolescentem resuscitavit de grabato, et reddidit matri suæ illæsum, ita vir Dei Aridius valuit obtinere orationibus suis apud Dominum adolescentem esse vivificatum.

Quædam mulier grande vulnus habens in facie occurrit sancto Aridio sanari exorans. Tum illa vexillo crucis signata, illico circumstante populo, tumor vulneris aperitur, **1290** et in similitudine nucis minoris velut petra de ipso progreditur. Quæ sine dilatione sana domi revertitur.

X. Adjiciatur operi res adjecta mysteriis. Filius Dulcissimi quidam, Ingratius nomine, in grabato jacens, funeri exhibitus a patre, tantum distentus tumore, ut intra se sua lumina ablata fuissent. Tum vir Domini Aridius, oratione pro eo data, de oleo benedicto perungit oculos ejus : quos cum illiniret ex fide, mox quidquid morbi fuerat, tacto fugit ab unguine.

XI. Dum ad profectum sancti viri, atque ad altam Dei contemplationem se sublevant quantum possunt, divinitus eos [agi] credendum est. Quodam tempore affectu pietatis Lemovicum civitatem veniens, audit complures nuper mortis sententia damnatos teneri in carcere vinctos. Aridius ergo memor verbi Domini dicentis : *In carcere eram et venistis ad me* (*Matth.* xxv, 36); et : *Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Ibid.*, 40), cogitavit si quo modo possit liberare eos. Cumque ad requirendos reos appropinquasset carceri, confestim divino nutu, velut magno ferientis impulsu confractæ seræ, dissipati cardines, ostia carceris patefacta, et omnia vincula compeditorum resoluta sunt. Eadem nocte quasi solis claritas intus apparuit, et lux in tenebris emicabat, custodes pressi a somno, et ad tumulum sacratissimum sancti Martialis antistitis [a] cuncti fugerunt de ergastulo. Sicque orationibus beati Viri de carcere vel de morte liberati sunt.

XII. Prosit auribus populi Dei quæ profuit lumini. Nivardi præfati filia, nomine Actefledis, lumen oculorum perdiderat, ut nullatenus videre potuisset. Quadam die deducta ad virum Dei Aridium a parentibus suis, ut illuminaretur, exoratur. Cumque prosterneret se ad sacerdotis vestigia, tunc Vir sanctus, signatis ejus oculis, atque intra se Dominum rogans, mox incolumis reddita, quæ fuerat duce pertracta, ductrix redit ad patriam.

XIII. Exempla quoque justorum avidius instruunt sequaces, quam sermo prædicationis multorum. Cum quodam vice properaret vir Dei Burgundiam ad regem, pietatis pro causa, invitatur sedulo a duce Antestio [b], ut diverteret ad ejus domum, cui semiviva filia decubabat in lectulo. Quæ cum ad extremum exhalaret spiritum, ingressus vir Dei Aridius domum, data oratione pro ea, lætificata domum adipiscendo remedium puella redit de transitu. Ille etenim qui jussit filiam archisynagogi infra cubiculum resuscitari, mortuam petenti se tribuit, ut hæc de morte reverteretur ad vitam. Quædam mulier, nomine Bessa, pro infirmitate debilitatis membris, digitis attractis, incurvatis articulis, suis gressibus imbecilla, prona precatur se sanari. dévota supplex attenuata : mox Aridius cruce a sancta manu tacta crurum tendit **1291** in pagina, nervi laxantur in organa, et diutius præstolata tandem sese membra recognoscere meruerunt. Sicque orationibus sancti Viri sana facta est.

Ascribantur præconia quæ juste referuntur ad palmam. Quædam mulier prope jam morti credita vulnus in collo gestabat : occurrit sancto Viro obsecrans ut super hoc sanctæ crucis armaret vexillum, mori timens. Cumque super vulnus Christi signum deprimeret, repente mortui sunt vermes, femina rediit incolumis.

XIV. Dum majora miracula sanctorum conspicimus, et amplius in amore Dei enixius convertimur. Puella namque de urbe Petrocoria [*Périgueux*] ad Dei hominem veniens, taliter contracta, ut de suis calcaneis adhæsa sibi tangeret crura, longo jam tempore gressibus condemnata : quam Vir sacratissimus non prius dimisit quam languor eam dimitteret, et pedibus incederet, quæ prius manibus ambulabat. Igitur sciscitans studiose an haberet in Christo spem, si se crederet sanandam quandoque. Illa autem in omnibus fidem dante, fixit genua Aridius in terra, et prolixe oravit : deinde oculos pariter et manus ad cœlum tendens, Dominum Jesum Christum fide plenissima promissionis suæ admonuit, quæ dicit : *Quidquid credentes petieritis, fiet vobis* (*Marc.* xi, 23); et : *Si habueritis fidem, non solum hæc signa facietis, sed majora horum facietis* (*Joan.* xiv, 12). Cumque hæc pleno vigore ac devotione deposceret, conversus ad puellam dixit : Si fideliter credis, in nomine Domini Jesu Christi surge, et sta super pedes tuos. Et mox surrexit, et solidati sunt pedes et membra ejus, et sana facta est ex illa hora.

Item de eadem urbe altera ad eum venit femina, simili infirmitate condemnata : cumque sancti viri manu attrectata fuisset, directa rediit ad propria ; et senior cucurrit viam, quam non transcendit juvencula.

XV. Quoties ad alta Dei omnipotentis animum elevamus, vilescunt animo quæ in terris conspicimus, ut accepta gratia divinitus supernam patriam penetremus, ut puta vir iste qui tantis virtutibus adornatur, terreno contagio non offuscatur.

Quidam vir cognomento Addo, filius cujusdam Proculi, ad beatissimi Viri venit præsentiam sic debilis, ut de vestigiis calcaneum faceret, nec potuisset separari res infeliciter glutinata, tunc quærens a sancto Aridio remedia. At ille signo crucis superim-

[a] Vide Gregorium in lib. de Gloria conf. cap. 28.
[b] Is est fortasse Antestius qui a Guntramno Andegavum directus dicitur in Gregorii Historia, lib. VIII cap. 45.

posito, qui claudus genibus venerat, directus pedibus ambulans, basium suarum reductus est vestigiis.

XVI. Adjiciantur virtutes operum quibus vera esse creduntur. Vir aliquis de territorio Betorico, contractis nervis, vestigio debilitatus occurrit, ad monasterium concitus venit, et ut sibi vir sanctus succurreret deprecabatur suffragia. Suscepit vir Dei Aridius causam mercedis, oratione pro eo fusa cum benedictione, **1292** rediit incolumis sancta manus quod tetigit.

XVII. Acquiratur pagina, quod præstet gratia. Leonacter quidam insania corporis ita demens effectus, ut aliud non esse crederetur quam rabies, cujus furor horribilis nimis non ferebatur, etsi nimis vinctus manibus ac pedibus alligaretur in vinculis, et violentia oppressus adhuc catenis constringeretur, hoc superadditus dolor pœnæ collideret, et sic crudeliter fremens tandem ad sanctum Dei Aridium perductus est. Nec mora aliqua, facto signo crucis fronte armatus, in momento ab hoste antiquo liberatur simul vinculo, qui postea clericus effectus est, et ad meliora opera cum cantico Christo dependit servitium. Sed mira dispositione omnipotentis Dei agitur, ut quos præmia divina ad meliora non invitant, temporalia flagella erudiant.

XVIII. Eodem vero tempore quo miles Christi degebat in terris, Ferreolus pastor ad gubernandam plebem sibi commissam Lemovicum civitate præsul venerandus aderat; sed quoties ipse pontifex febribus urgebatur, aut aliqua ægritudine in gravi dolore atterebatur, ad virum Dei Aridium dirigebat nuntios, ut pro eo plenius ad Dominum intercederet. Qui celebratis pro eo vigiliis, obtinebat pro pastore, venerabilis abba pro antistite, et abjectus et humilis pro sublime. Et quia crescens pagina majora tegit miracula, proferatur in medium de quodam cæco claro mysterium. Vir aliquis lumine deceptus longo jam tempore tenebris pressus, crassa caligine nubilus, ad beati viri cellulam pede tendente deducitur, quem vir sanctus miseratus ut vidit, ei visum orando restituit, et remeat ad regionem claro jam lumine illustratus.

XIX. Jucundum est proferre quid gloriosum fuit memoriæ. Quidam vir, nomine Witrimundus [a], cognomento Atto, tam crudeliter dolorem dentium incurrerat, ut nulla intercedente venia dolor eum imminens non relaxaret. Tunc ad sanctum virum, cum beato Martino occursum devote redderet, veniens, et interrogatus cur ejus una maxilla videretur inflatior, et ille se torqueri dolore dentium gravissimo responderet; tum Vir Dei faciem turgidam palpavit tactu mollissimo, dicens: Sanaberis a Domino, obtinente Martino famulo Dei fidelissimo. Itaque mox ut a Justo inchoatus sermo compleretur, salus denti refunditur, dolor cum tumore curatur.

XX. Quædam mulier, Ricovera nomine, conjux Turonici monetarii, cum sancto viro mediam ampullam cum oleo benedicendi causa fideliter obtulisset, tunc Aridius, facto crucis signaculo, et alteram ampullam, in qua de oleo beati Martini continebatur [b], proferens de chrismario, superjecta gutta ampullæ mediæ, tanta inundatione olei virtus **1293** exsilivit, ut repletæ ampullæ alibi oleum tolleret, nec aliquid de redundanti benedictione periret. Quæ utrisque benedictio æquanimiter profecit, et ille qui petenti dedit, et petens quæ meruit.

XXI. Hoc quoque paucis conceditur, ut tantis miraculis miles Christi ametur. Decreverat quippe Vir reverentissimus, ut pro lucranda cœlestis patriæ palma, Turonos ad beati Antistitis festivitatem occurreret. Denique quodam tempore accidit ut ad præfatam urbem Vir sanctus properaret. Igitur cum pontifex civitatis illius cum clero in ecclesia psallendi officium nocturno tempore enixius ageret, diaconus ejus dum in ecclesia caneret, somno gravatus est; cumque eum episcopus cerneret dormientem, ait ad eum: Quare obdormis, frater? Qui de somno evigilans, ait: Videbam te, domne mi, egredientem foras ecclesiam, et in obviam beati viri Aridii properantem. Cumque diaconus vix sermonem complesset, statim nequam spiritus in quodam homine exclamavit se sancti Aridii præsentiam ferre non posse. Quo audito, episcopus cognovit quod vir Domini Aridius adveniret: moxque in obviam Abbatis episcopus cum cereis accensis præ foribus ecclesiæ occurrit, ac cum magno gaudio et exsultatione in ecclesiam ingressi sunt, et pene tota nocte in divinis officiis perdurarunt. Nam multi ægri, vel diversis infirmitatibus astricti, sano vigore, orationibus vel intercessionibus ejus, ad propria regressi sunt. Alio rursus tempore cum ad eamdem festivitatem Turonos occurrisset, et alicujus paralytici [c] crura blanda adhibitione contrectaret vir Dei Aridius, testabatur quod sancti Martini manum vidisset, qualiter debilia membra dirigeret, et sic paralyticus Sancti dextera tangente se suis vestigiis protinus direxisset. Tanta vero curationum virtus divina gratia illi collata præmicuit, ut quisquis infirmus advenisset, pleno vigore sanatus incolumis recederet. Energumenis vero tam celeris salus est reddita, ut ingentis multitudinis non præscriberentur tot nomina.

XXII. Si per singula recensentur miracula, valde incongruum non est ut credantur tantæ virtutis alloquia. Quodam tempore Vir Dei egressus de basilica, peractis nocturnis vigiliis, vidit globum luminis de cœlo descendisse super ejusdem cellulam, credensque splendorem ipsum ab homine fieri, interrogat Vir Dei a suo discipulo, quis est ille qui cum facula per hortum hora tali ambularet. Interea cum admiraretur, protinus globus ipse qui apparuerat desuper cella, re-

[a] *Witrimundum*, *cognomento Tattonem*, civem Turonicum appellat Gregorius libro x cap. 29; *Guistremondum* alterius Vitæ auctor.

[b] Confer caput 39 libri II de Mirac. sancti Martini: cap. 24 libri III; et cap. 9 libri de Gloria confessorum.

[c] Id ipsum miraculum de paralytico narrat Gregorius lib. IV de Mirac. sancti Martini, cap. 6.

volvitur ad sidera, ipse vero cum metu et tremore expansis manibus divinæ potestati luminis gratiam deferebat. Scilicet interrogatur a monacho, qui hoc cum eodem videbat, quid esset hoc miraculum tantæ claritatis visio, ut taliter revelarentur beatissimi Sacerdotis mysteria. Cui respondit vir sanctus : Sile, sile, insipiens, cognosce quia beatissimus 1294 Martinus visitat hanc cellulam dignatione præcipua, et ad cœlos remeat cum lucis fulgidæ gloria. Sed quem divina gratia protegebat, dignum erat ut illustrante Spiritu sancto acciperet visitationem : sed amicus Dei cavens jactantiæ vitium, præcepit discipulo ut nulli hanc visionem diceret quousque migraret ad Dominum. Sic fidelis miles regulam magistri Mediatoris Dei tenuit, qui transfiguratus in monte discipulis præcepit ut nemini visionem quam viderant dicerent, donec Filius hominis a mortuis resurgeret. Perpende igitur quanto igne amoris Dei et proximi vir iste accensus erat, qui tale revelante Spiritu divinitus meruit accipere donum. Quia *Deus ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24; *Heb.* XII, 29), Jacobo attestante, qui ait : *Omne datum optimum et donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17).

XXIII. Illis ita gestis, vir sanctus jugiter intentus manebat divinis officiis. Non enim poterat in eo invenire humani generis inimicus, nec quod fraude deciperet, nec quod simulatione fuscaret. Erat quippe in eleemosynis largus, in oratione devotus, in vigiliis sedulus, in humilitate profusus, in doctrina præcipuus, in sermone pacatus, in locutione cautus, in conversatione sanctissimus, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissimus, in hospitalitate latissimus, inter odia benefícus, in prosperis etiam et adversis semper in cœlum intentus, in charitate, *quod est vinculum perfectionis Christi* (*Col.* III, 14), perfectus : sinceritatem quidem mentis vultus serenitate monstrabat, et pietatem cordis ostendebat in lenitate sermonis. Nihil ejus risu gravius, nihil prorsus tristitia suavius, nihil quippe ejus animo clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Si pauperem vidisset, sustentabat; si divitem, ad bene agendum cohortabatur, Deum invocans testem pro ipsius nomine cuncta hæc agere, illud jugiter memorans, quod Veritas in Evangelio dicit : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V, 7); necnon et illud : *Verumtamen date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41); et alibi : *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum* (*Eccli.* III, 33). Hæc præcepta jugiter memorans enixius adimplebat, eratque pes claudorum, et oculus cæcorum, orphanorum pater, viduarum consolator. Quem autem cæcum non suum vocavit hæredem, aut quem debilem non ejus sustentavit manus? Hoc jugiter comitatus incedebat exercitu, in his etiam Christum conspiciens se amplectere gestiebat, atque his indumenta tribuens, Christi sub inopis veste se tegere membra credebat : et ob hoc cum Domino suo pecuniam dividens, substantiam suam gaudebat cum Christo sociare, ut Christus faceret eum cœlestium sibi regnorum cohæredem, sciens namque scriptum quod illa bona hæreditas, quæ Domino custode servatur. Ejus namque monita apud suos nihil 1295 fuerunt aliud, quam divina magisteria, et fundamenta sacrarum Scripturarum. Dignum est enim ut eum boni diligant et imitentur, noxii timeant, quem divina virtus illustravit, ut donum a Deo perceptum cum doctrina melliflua, et sancto Spiritu condita, de Christi desiderio salsa, et de æterna beatitudine semper sollicita.

XXIV. Si consideremus quæ et quanta omnipotens Deus per Sacerdotem suum operatus est, prolixior pagina styli promulgatur. Solent plerumque pessimi male blandientes consiliis regibus terrenis corda subvertere, juxta Salomonis vocem : *Colloquia mala corrumpunt bonos mores* (*I Cor.* XV, 33). Quodam tempore accidit ut populis tributa vel census a regibus fuissent descripta. Quæ conditio universis urbibus per Gallias constitutis summopere est adhibita. Scilicet pro hac re vir reverentissimus, pietate motus, ad regis præsentiam properavit, ut suggestionem daret pro civibus qui gravi censu publico fuerant edicto ascripti. Sed cum scriptum sit : *Cor regis in manu Domini* (*Prov.* XXI, 1), quidquid petiit, sanctus vir a rege devotus obtinuit. Accidit igitur ut revertente eo de itinere, quodam vico Catuliaco veniens, eodem scilicet die quo resurrectionis dominicæ celebrarentur sancta mysteria, invitatus a populo cœpit sanctis vacare officiis. Celebrante autem eo divina solemnia, puella quædam, quæ a dæmonibus graviter urgebatur, exclamavit se sancti viri non posse sufferre præsentiam, quæ tamen nomen ipsius incognita invocabat. Qui videlicet juxta morem solitum exercens opera pietatis, peractis divinis mysteriis, ad orationis portum profugiens, ut ne diutius ab antiquo hoste puella vexaretur, intercessor assistit. Erant enim in ea septem nequissimi spiritus, qui dum orationi incumberet, statim quinque dæmonia expulit deprecando. Residentibus adhuc duobus, præcepit vir beatissimus parentibus puellæ ut ab ecclesia non discederet, donec quod residuum fuerat maligni adversitatis expelleretur e corpore. Igitur veniens vir sanctus ad ecclesiam, ubi eam stare præceperat, adhibitis secum monachis suis, prostratus orationi, a Domino valuit obtinere ut duo dæmonia quæ residerant expulsa fuissent, qualiter mente sincera, sensuque firmato, remearet ad propria.

XXV. Alio quoque tempore cum vir Dei pro hujuscemodi conditione quasi occulto adventu regis expeterot præsentiam, properavit itinere. Cumque Parisiorum civitatis claustra fuisset ingressus, populus urbis hujus gravi febre, dysenteria et morbo pessimo laborabat, ita ut nec numerus corporum præ multitudine morientium diebus singulis, præcipue infantium turba, æstimari potuisset. Quadam vero die dum a pontifice civitatis illius non immerito venerabatur affectu, petiit ut eum secum paucis diebus charitatis officio retineret, ut intercessor pro populo 1296 existeret ad Dominum. Igitur dum petitionibus ejus

vir Dei Aridius obtemperare voluisset, contigit aliquibus e suis in eodem tædio pessimo graviter incidisse. Scilicet vir beatissimus confidentiæ tenore in Domino securus, solita prece pro plebe civitatis illius exorabat, quos blanda exhortatione suis scilicet sermonibus consolare non desiit, ut nullus de pietatis Dominicæ misericordia desperaret. Qui videlicet jussit sibi oleum benedictum exhiberi, et singulorum cum crucis signaculo manu propria ora naresque perfudit, dicens ad eos : Consolamini in Domino, et vicissim vos adhortamini, fratres, omnes vos incolumes restituit dextera Christi, et ad suos ita locutus, dicens: Nolite, quæso vos, fratres mei, nolite contristari, sed potius vos viriliter confortamini, et de misericordia Domini enixius confidite, quia omnes vos divina potentia restituit incolumes regioni propriæ; interea revolvens in animo suo ubi regis sciret esse præsentiam, ut scrutatus deberet expetere. Relictis igitur fratribus in eadem civitate, cum paucis comitantibus properans, tenus [locum] cognomento Brinnaco [a] carpebat iter. Dum procul dubio viator assisteret, sequentibus se dixit : Regem cognoscite gravi febre perurgeri, et pene vitæ ipsius hactenus finem imminere, sed clementia Domini pro respectu pauperum nobis cum salubriter visitantibus liberabit. Hoc quoque secretius retinete. Post hos vero paucos dies proles ipsius quæ adhuc sospites esse videntur migrant a sæculo. Per Spiritum scilicet prophetiæ cognovit vir Dei Aridius quod postea probavit eventus. Cum vero ad locum memoratum sanctus Dei famulus pervenisset, cognito rex ejus adventu, cubiculum suum eum introduci præcepit, credens se ejus orationibus in Domino adjuvandum. Quapropter cum introgressus fuisset, reddito salutationis officio, cœpit eum manibus suis palpare, qui intra se Dominum precibus postulabat, ut petitionibus suis rex præberet assensum. Qui dum commodius de anxietate suæ infirmitatis inter sacras manus beatissimi viri cœpisset habere, suæ causam conditionis exposuit : sed favente Deo, qui cuncta regit et omnia disponit suaviter, quidquid Dei Sacerdos apud regem poposcit, facili obtentu potuit promereri. Adjiciensque rex ut libros ipsos, quibus inscriptus pro gravi censu populus regni ejus tenebatur afflictus, sancti etiam viri pro respectu, vel stabilitate sua, manibus ejus tradidit, ut ipsos sui auctoritate incendio concremaret. Tunc Aridius, receptis libris, jussit prunas parari. Quo facto apprehensos manibus suis ipsos libros, multis etiam circumstantibus in incendio concremavit. Obtenta ergo petitionis suæ causa, post diem tertium principi valedixit.

XXVI. Quodam vero die priusquam Parisios **1297** perveniret, hoc quod suis comitibus non longe ante dixerat, illic comprobavit eventus. Referente procul dubio nuntio cognovit vir Dei regis obiisse filios, quos jam ante ipse prædixerat, et cum magna funeris turba Parisios deportandos. Qui dum aliquatenus ad præfatam urbem rediens pervenisset, reperit populum civitatis illius jam a dysenteriæ morbo divino auxilio liberatum. Invenit etiam quemdam de suis collegis, nomine Constantinum, gravi mortis periculo subjacentem. Nonnullos vero quos mortuos fuisse comperit, orationibus suis incolumes reddidit. Tum deinde hortatur a suis, ut ille qui pessimo succubuerat tædio, in loco aliquo commendaretur tali personæ, ut cum de hac luce transiret, cespitis humi tumulo clauderetur : ita duntaxat jam fuerat vicinæ morti propinquus. Sed vir beatissimus miseratione motus, solita pietate promptus, allevans eum supra vehiculum quod sedere consueverat, regimine ducitur alieno. Qui cum videlicet jam in tertia die itineri insisteret, afflictus tædio, mortis ictu percussus, corruit exanimatus in terram : quod dum cerneret beatissimus vir, compuncto corde, cum gemitu et lacrymis enixius orationi vacare cœpit. Qui cum ab oratione surgeret, conversus ad corpus, dum manibus suis eum palparet, cœpit oculos suos aperire; et non post longum horarum spatium, præda mortis evicta, redditur luci jam pristinæ incolumis; qui fuerat desperatus de vita, restituitur sanitate continua : qui igitur lento sermone aquam sibi poposcit expendi, cum vagantes cuncti huc atque illuc anxie quærerent, minime invenirent, quia ille locus aquæ erat procul dubio sterilis, sed sanctus Dei Sacerdos paulisper se declinans, percutiensque ictu baculi terram, aqua prosilit abunde. Qui mox petenti in vasculo detulit. Sic sitis ardor deprimitur, pallor a facie fugatur, vultus in rubore mutatur, erigitur pedibus; et qui fuerat mortis occasu damnatus, sospes patriæ præsentatur. Qui postea multorum annorum duxit curriculum.

XXVII. Annectendum est virtutum miraculis, quod corda audientium illustrentur exemplo. Cum jam e vicino patriæ jungeretur vico quodam Argentomao [b], ibidem Artemius quidam, unus de monachis, opportune suggessit, ut alimonia fratribus parari deberet. Cui ille ait : *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Luc.* XII, 31); et illam Psalmistæ vocem : *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono* (*Ps.* XXXIII, 10). Sed hæc a me accipe, frater charissime, cum fluminis hujus alveum pertransieris, leva oculos in partem dexteram, opportunum invenies locum, ubi possumus nos vel vehiculi nostri famis inopiam temperare. Cumque ad locum eumdem sibi præceptum venisset, reperit ibidem duos miræ magnitudinis pisces, adhuc maxime vivos. Quibus assatis, vir Dei Aridius ex ipsis in refectionem **1298** partem accepit, et plerique ex ipsis usque ad satietatem visi sunt comedisse. Sed ille in cujus nomine retia laxaverunt apostoli in fluctibus, et illa trahere non valebant præ multitu-

[a] Vide Gregorium, lib. V Historiæ cap. 35, ubi de hac dysenteria, regis ejusque liberorum morbis, consualium librorum combustione, etc., agit. Nihil tamen illic habet de sancto Aredio.

[b] Videtur esse vicus apud Bituriges, hodieque *Argenton* dictus, haud procul a monasterio Salensi (*Saint-Benoît du Sault*) situs, ubi Marcellus et Anastasius pro Christo passi dicuntur, apud Usuardum III Kal. Julii.

dine pisium, et his distribuit esurientibus cibum.

XXVIII. Dum iterantur virtutes sanctorum, fidelium mentes velut sitientes profunda Dei mysteriorum satiari desiderant. Quodam tempore, dum positus in itinere carperet viam, appropinquans cuidam vico Argentomao, concionatus est se sequentibus, dicens : Tacite transeamus, ne nobis inducatur mora itineris. Scilicet erat hic locus profanus, superstitionis antiquæ dæmonum cultibus consecratus, quo in loco populus Christianus inhabitans non potuit ferre miseriam, quia infirmitatibus variis subjacent, vel etiam ab ipsis dæmoniis assidue agitantur. Cumque voluisset vir Dei Aridius latenter fugere a populo, et ille secrete oraret, commota est infirmantium multitudo populi, proprium nomen ipsius invocantes, quia procax dæmonum turba se a sancti viri adventu celare non poterat. Igitur dum eum sequeretur populi multitudo languentium, respiciens post tergum stetit, et protinus ad orationis studium se in terram prostravit, rogans pro illis Dominum, ut juxta fidem illorum essent salvati. Cumque ab oratione fuisset erectus, crucis vexillum illico super singulos impressisset, tum hi qui languoribus variis detinebantur, vel illi qui a spiritibus immundis vexabantur, adjiciens oleum cum benedictione, Domino gratias referentes, sanitati pristinæ ab infirmitatibus vel a dæmonibus liberati sunt.

XXIX. Quos elegit Deus ante constitutionem mundi, hos despicit sublimitas reproborum. Hic vir sanctus abjectus fuit inter homines, et minimus a sæculi conspectibus, sed maximus inter sanctorum agmina prælatus. Quodam tempore in itinere positus, die quadam declinante ad vesperam, nec procul a vico, cui vocabulum est Mœno, jussit ut itineri terminus poneretur, et sarcinas quæ jumenta vehebant loco congruo relaxarent; cumque locum amœnum, aspectuque delectabile manendi spatium vidissent, cognoscens vir beatissimus per spiritum prophetiæ quæ essent illi postmodum ventura, hortatur paterno alloquio collegas suos, quibus sciebat maximam injuriam imminere, et allocutus est dicens : Viri fratres et filii, multam credite nos hac nocte injuriam perpessuros, sed confortamini, et confidite nos cœlesti auxilio liberari. Nec aliqua mora, cum cœlum sidereo splendore serenissimum cerneretur, subito in tonitruo commovetur terra, quasi a stabilitate sua præ sonitu gravi in tremorem convertitur, denique conturbantur nubes in aere, apparent tetro colore per sidera ; et quæ fuerant candore perlucidæ, vertuntur in pluviam concitæ, crebrius micat **1299** coruscus e cœlo quod fuerat offuscatum : videlicet non longe ab ipsis erant tria idola cultu gentili dicata, cum aera fulgoribus urgerentur, in impetu tonitrui ita eversa sunt cœlitus, ut nulla exinde in crastinum fundamenta idolorum reperirent. Eodem ictu fulguris igne micante, silvam, quæ ab ipsis eminus cernebatur, ingens ignis ex parte exustam concremavit, et arbusta eruta ventorum impulsio prostravit. Sed tali timore qui cum Dei homine erant perterriti sunt, ut nullus se posse evadere crediderit, metuentes ut plaga Dei super eos descenderet. Inde frequenter hortabatur suos orationi insistere, et tota nocte in psallendi officio perduraro. Locus enim ille ubi vir Dei Aridius ad manendum diverterat, humiliori loco aliis videbatur, quo cæteri sua tentoria fixerant. Ita enormitate aquæ cuncti sunt madefacti, ut nihil remansisset in vestibus ubi aquæ impetus non percurrisset : sed sanctus Dei Sacerdos capsulam quam cum sacris reliquiis collo suo appensam portabat, circumspiciens comites, superpositò palliolo et stratorio ubi requiescere debuerat, tanquam si solis ardore attactus, ut nullum sensisset locus ille humorem.

XXX. Neque silendum est illud, quod virtuti congruit. Accidit quodam tempore, orto inter duos principes bello, Lemovicum populus regionis civitatis ipsius formidantes mœnia rumpere, et in desolatione redigere et destruere : quibus directis nuntius a rege missus, quorum ditioni populus subderetur, et jam depopulata urbs esset in obsidione. Igitur quidam ex ipsis, Domaricus nomine, qui cum aliis ad occupandam civitatem venerat, sanctum Dei virum aggreditur, solerti cura sciscitans eum, ut quidquid per revelationis spiritum cognoverat, futura prædiceret. Quibus silentio ita locutus est : Quanquam sciam vos regem metuere Theodebertum [a], hoc scitote quod regnum ipsius nuper aufertur, sed hactenus citius interimitur. Rex autem vester multarum scilicet gentium augmenta adversus illum commovebit, super quem victoria ei donabitur : obtenta videlicet pugna victoriæ fraudulenter decipitur, sed a filiis nepotibusque suis, regnum ipsius traditur gubernandum. Cæteri vero reges, quibus stabilitate regnum stare videtur, interveniente articulo mortis prævi in ignobilitate rapiuntur a sæculo, sed præfatus Domaricus ad bellatores regressus est. Nam quod vir Dei Aridius prædixit, ita postea rei probavit eventus. Sed inter hæc cætera bona, sermo quoque ei sapientiæ atque scientiæ affluenter collatus erat, charitatem et humilitatem super omnia possidebat, humulos quoque non ut servos affligebat, sed benigna charitate diligebat. Quid pluribus immorer ? In omni conversatione sua quasi lucifer intra astra cœli refulgens instar **1300** magni lampadis micabat. Semper enim perfectos æmulabatur ad bonum, semperque aliorum virtutes sibi proponebat exemplum. Tardus erat ad loquendum, et velox ad audiendum, eratque eleemosynis dives, charitate longanimis, humilitate sublimis, sermone subtilis, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio, utile nempe vas in Christi domo.

XXXI. Plerisque sanctorum convenit esse credendum, ut futura prophetantes per Spiritum prophetiæ aperta considerationc divinitus gesta narren-

[a] Is est Theodebertus Chilperici filius, qui, Gundobaldo duce devicto, Lemovices et vicinas provincias diripuit, ut narrat Gregorius libro v Hist. cap. 48, et tandem occisus est a Sigiberti exercitu, cap. 51.

tur. Ita et hic vir Dei, illustrante superna gratia, per revelationem sancti Spiritus annuntiabat quæ hominibus essent ventura. Quidam vir ex civibus Lemovicum civitatis, cognomento Nectarius *, non inops rebus, sed locuples divitiis, unicum habens filium, intelligente beato Dei famulo subito illi mortis imminere incursum. Quapropter vir reverentissimus nuntium direxit parentibus suis, ut antea quam morti puer occumberet, suo præsentaretur aspectui. Tum audito genitrix nuntio prorupit in lacrymis pro sobolis internecione. Interea cum paucis sibi famulantibus beati viri obtemperat jussioni: cumque proficisceretur viam, ut prædictoris veritas probaretur, vi febrium ingenti attacta pueri membra solvuntur, et demisso capite, clausisque oculis, pene mortuus esse videbatur. Et cum vir sanctus hujus rei exspectaret eventum, cernentes adolescentem esse exanimem, illico erumpentes in fletum vociferantes famuli, qui cum summa festinatione venientes ad Dei hominem properant. Scilicet pietate motus suscipiens puerum exanimem ad reliquias sacratas beati Hilarii antistitis credidit exponendum. Qui pro eo magnis orationibus et precibus Domino commendavit, ut qui quatriduanum Lazarum reddidit vivum de sepulcro, huic quoque puero subveniret propitius. Consummata igitur oratione, qui exanimis esse cernebatur, statim restituitur matri incolumis: et quem crediderat mortuum tradere sepulturæ, cum eodem magno gaudio exsultantes domum revertuntur alacres.

XXXII. Hæc igitur, sed et alia quamplurima his similia quæ per singula prosequi longum est, plerumque vir Domini Aridius prophetiæ gratia ornatus præsentiavit. Multa etenim sunt quæ per beatissimum virum omnipotens Deus virtutum opera declaravit, quæ dum sæpius revolvuntur, semper accrescunt quæ miraculis intueantur. Sed hæc, videlicet quæ superius, pauca de pluribus comprehensa sunt. In terris degens ut incola, postquam cœlestem acquisivit palmam, ad Christum remeans a sæculi laqueo eductus, non minimum referendum nobis reliquit exemplum, quam vivens potuisset operari in mundo. **1301** Sed nunc longum est per singula virtutum ejus miracula verbis enarrare, præsertim cum liber jam supra modum refertus postulans finem sermonem rejiciat, et ariditas sermonis nostri attenuata, vel longo tramite pene defessa succumbat: non quod omnia quæ de eo narranda erant explicavimus, qui nec ad centesimum quidem ejus virtutum operum attingere potest, quanta in Virum beatum operum bonorum ornamenta, quæ sunt maxima et pretiosa supernæ remunerationis contulerit prærogativa. Hoc igitur restat, ut ad finem termini valeamus pervenire. O vere imitabilem virum! o quam præferendum omnibus ejus exemplum! o semen secundum Abraham benedictum! Nempe Abrahæ benedictio meruit filium, Aridius vero benedictus transfertur in cœleste regnum; Abraham tradit hæredem, hic nihilominus hæreditatem; postremo Abraham quod habet pignus exhibuit, Aridius vero totum quod potuit habere in mundo, Domini scilicet arbitrio jurique commisit. Sufficiat ergo hæc dixisse. Jam vero, ut spero, etsi rustico sensu sermonem prolixum duximus, quamquam ejus meritis digna præconia nullatenus narrare sufficeremus. Nunc vero tam ad audientium ædificationem dignum esse puto quam et legentium, si quomodo ex hac vita ad Dominum migravit, paucis verbis explicare curavero, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, amen.

INCIPIT DE TRANSITU SANCTI AC BEATISSIMI ARIDII ABBATIS ET CONFESSORIS.

XXXIII. Igitur cum jam vir Domini senilem ageret ætatem, cum jam mundi adversa cunctosque labores æquanimiter tolerasset, postquam fidelissimæ dispensationis creditæ sibi undique merita cumulavit, post multiplicia misericordiæ opera, post monachorum cœnobiorumque mancipatum, post dulcia vitæ exempla, post bonorum omnium et virtutum miracula declarata: vergente jam ætate, cum autem esset annorum amplius octoginta, sciens jam dissolutionem sui corporis imminere, dixit ad suos monachos: Scitote, charissimi fratres, quia me Dominus de laqueo hujus sæculi in proximo liberare dignabitur. Cum hæc audissent, ex eo sermone cuncti labefacti atque in angorem conversi, cœperunt mœrentes dicere: Non contingat, domine, hoc famulis tuis videre, sed magis annis multis ad ornatum Ecclesiæ Beatitudinem tuam Christus hic vernare permittat. At ille cum lacrymis vel longis suspiriis dixit ad eos: Non nostra, sed potius Domini ex hoc fiat voluntas. Porro ad hæc verba cunctis mœrentibus ait: Nolite, quæso, fratres mei, nolite contristari, sed magis gaudete et exsultate, quia olim hoc tempus desiderabam, hanc remissionem percipere cupiebam. Illis itaque in angorem conversis, **1302** atque suspirantibus, nihilominus et rei ambiguitate detentis, a colloquio cessatum est. Igitur nec mora aliqua, post hæc levissima febri infusa corpori tædiari cœpit. Deinde vocato quodam puero præcepit, dicens: Festina, fili mi, perge cito ad virum illustrem Astidium, dicesque ad eum ut celeri cursu veniat, quia hujus cœnobii regiminis curam post dies obitus mei ipse recipiet. Et rursus ait: Quoniam si moram aliquam fecerit, faciem meam in hac vita jam non videbit. Nuntius quippe jussa complevit, sed præfatus Astidius veniendi causa tarde occurrit. Cum autem adfuisset, virum Dei jam superstitem in hoc sæculo non invenit. Itaque ut vir Dei prædixit, ita postea rei probavit eventus. Interea, ut dicere cœperam, cum vir beatus ultimam decumberet ægritudinem, nec quidem a Dei opere cessabat, bonam hanc consummationem virtutum suarum existimans, si ad finem usque perduceret. Pernox enim in orationibus et vigiliis, membris fatiscentibus, Deo spi-

* Is est, uti videtur, qui beati viri testamento subscripsit.

ritum et mentem servire cogebat, et nimium lætus A cupitum iter exspectabat. Igitur cum jam propinquum diem sentiret, congregatis IX Kalendas Septembris discipulis suis, quos jam corpore non spiritu incipiebat relinquere, dixit ad eos : Utinam, dilectissimi fratres, parvitatis meæ audire sententiam [velitis]! Si vere mei amatores estis, Christi monita amate, Dei tremenda judicia jugiter formidate. Quales eritis in die judicii præsentandi sollicita consideratione cavete. Ego enim jam gradior viam meam, sed et ego cupio dissolvi, et, si Dominus permiserit, esse in requie. Iis ita dictis, cum omnes flerent et ejularent, ait ad eos : Ecce hodie in manus vestras commendo salutem animarum vestrarum : mementote ergo admonitionem meam, et cogitate omnes de vobismetipsis. Hæc quæ dico assidue agite, hæc sapite et retexite, et memoriam meam semper vobiscum retinete. Jam ultra Aridius non erit in hoc sæculo vobiscum. Cum hæc audissent omnes qui circumstabant, ingenti gemitu et fletu levatis, consona voce omnes flebant, dicentes : Cur nos, pater, deseris, vel, cur tam cito a nobis recedere cupis? Scimus quidem te desiderare Christum, sed salva tibi sunt tua præmia, nostri quoque miserere quos deseris. Absentiam tuam ferre non possumus, quia similem tui nunquam postea habebimus. Doleat tibi, pater, ne tam cito relinquas nos orphanos. Talia quippe eis deflentibus, piissimus ille pastor faciem ubertim lacrymis rigabat : et cum esset pius, nec hos deserere, nec a Christo valebat diutius separari; tandem ergo inter amaras lacrymas resumens verbum, dixit : Nolite ex hoc contristari, et ne, quæso, nolite amplius fletu vexari de abscessu meo; gaudere vos magis oportet quam mœrere, quia etsi corpore absens fuero, spiritu præsens ero. Ego vero si quid agere potui, profectibus vestris militavi; et quanquam ego infelix sim, Dominus autem semper est. Illi vos commendo, ipsique curam vestram **1303** committo. Scio quidem quia inutilis servus non gessi quod debui, Dominus autem scit quomodo volui. Post hæc quoque verba, vergente jam die, subito procidit in pavimento, et elevatis ad cœlum oculis orabat suppliciter gemens atque suspirans : Commendo tibi, Domine Jesu, oves quas mihi credidisti. Commendans igitur Domino cum fenore quod ab ipso acceperat talenti munere, jam vero in extremis positus, D vocatis ad se discipulis, amplexusque per singulos, flens, valedicensque omnibus, ait : Jam ultra non loquar ad vos, faciem meam amplius non videbitis, ideoque valete in pace, et jam me sentite quiescere. Illi itaque qui circumstabant audientes, nullo quiverant genere temperare a fletu. Vix tamen inter amaras lacrymas hæc verba solummodo resonabant : Dolemus quidem nostri causa, quod nos solatio abcessus tui destituis; sed tui causa, Pater optime, consolamur; quia post mundi hujus laborem ad requiem vadis æternam. Tunc ille oculis ad cœlum elevatis tacitam precem fudit, deinde cum lacrymis ait : Memento mei, Domine, qui solus sine peccato es, Redemptor mundi, et educ me corpore mortis, et salvum me fac in tuum regnum cœleste : tu es protector meus, Domine, in manibus tuis commendo spiritum meum. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam, et non confundas me ab exspectatione mea; sed adjuva me, et auxiliare exitum animæ meæ. Aperi mihi, Domine, properanti januam regni tui, et principes tenebrarum non occurrant mihi, sed clementia tua protegat et defendat, ac manus tua perducat me in locum refrigerii et consolationis, et vel in ultimo tabernaculo quod præparasti timentibus nomen sanctum tuum. Inter hæc etiam addidit, dicens : Nunc dimitte servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace (*Luc.* II, 29). Et his dictis inter verba orationis emisit spiritum.

B XXXIV. Cum sancta illa anima carnis sarcina fuisset abjecta, statimque cum esset hora secunda noctis; visus est globus nimia claritate resplendens super ejusdem cellulam de cœlo descendisse, et subito ad sidera desuper penetrare. Hoc igitur ordine sancta ejus anima terrenis contagiis liberata, deducentibus angelis sanctis, ad suum victorem revolavit læta. Vir quidem spiritum emiserat, luctus et fletus ad cœlum resonabat. Compositum quidem ex more corpus, feretroque impositum, ibidem in psalmis et hymnis totam noctem pervigilem ducunt. Cum autem lux diei fuisset exorta, convenit populi multitudo; etiam cum et ad notitiam pontificis urbis Lemovicinæ pervenisset, quo audito, cum magno fletu celerique cursu occurrens, super corpus sancti viri C diutissime flevit, quod eum vivum minime in sæculo invenisset; et mox cum ad ecclesiam sancti Juliani martyris, quam vir sanctus ædificaverat, ubi corpus sacrum jacebat, deportare voluisset, nullomodo feretrum vel paucum levare potuerunt. Decreverat autem vir Domini **1304** Aridius in ecclesia sancti Hilarii antistitis, quam et ipse suo opere ædificaverat, corpus suum sepulturæ tradere. Tunc tristis valde Ferreolus pontifex effectus, indixit jejunium triduanum celebrare cum psallentio. Quod cum ita fieret, ipse cum suis indesinenter per illud triduum celebravit jejunium. Interea cum peractum est jejunium, ait : Si Domini est voluntas, aut sancti hujus, ut illic eat quo ego vel plebs hæc cupimus, sine ulla dilatione elevetur. Erat autem locus in secretiori parte. Cumque accessissent ad feretrum, ut eum levare conarentur, tanta mox celeritate levatum est, ut facile a duobus portaretur, quod antea nec a plurimis movebatur. Quod omnes qui aderant cum eodem pontifice cernentes, cum magna exsultatione Christi gloriam magnificabant, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Cumque jam deportatum fuisset corpus ad sepulcrum, omnes qui aderant nullo genere temperabant a fletu; patrem se perdere clamabant, et inter fletus et singultus vix hæc verba promebant : Cur nos, Pater, deseris, et cui alumnos tuos tradis regendos? Igitur corpore ex more tradito sepulturæ, præfatus episcopus reversus est ad propria. Comparetur ita-

que, si placet, exsequiis hujus sancti viri, non dicam funeris, sed potius triumphi, inanis gloria sæculi : conferatur, si potest, etiam virorum divitum pompa huic sacerdoti defuncto æquanda. Illos confusis plausibus turbarum honorat insania, Aridium mundi ærumna exutum angeli cum cœlestibus laudibus perferunt ad regna perpetua. Illi post sæculi pompas in tartara truduntur, hic post mundi adversa sinu Abrahæ lætus excipitur. Illi divitiarum opibus oppressi et defuncti præcipitantur in gehennam, Aridius vero eleemosynis sublimatus cum sanctis resurget in gloria. Illi postremum lugent in inferno damnati, Aridius laureatus exsultat Ecclesiæ cum cunctis a sæculo sanctis. Gratias tibi Deus noster, qui reddidisti ei magna pro parvis, et quiescere eum fecisti in gloria sempiterna, et illa evangelica promissione, ubi ait : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam* (*Matth.* XXV, 21), hic meruit audire : *Intra in gaudium Domini tui.* Et sicut de talibus per Salomonem scriptum est : *Justus de angustia liberatus est* (*Prov.* XI, 8). Et per Jeremiam scriptum est : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus* (*Jerem.* XVII, 7). Hinc et David dicit : *In lege Domini voluntas ejus, et erit quasi lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (*Ps.* I, 2, 3). Hinc etiam per Isaiam prophetam Dominus dicit : *Ego vocavi eum et benedixi ei, et directa est via ejus* (*Isai.* XLVIII, 15). Hinc quoque in libro Ecclesiastico dicitur : *Timenti Dominum bene erit in extremis, in die defunctionis ejus benedicetur* (*Eccli.* I, 13). Hinc et alibi scriptum est : *Bonorum laborum ejus gloriosus erit fructus* (*Sap.* III, 15), et : *in perpetuum corona ejus triumphat* (*Sap.* IV, 2). Hæc nos de obitu sancti viri sufficiat narrasse, ut ne legentibus fastidium ingeram. Verum et ejus **1305** vita terminetur, noster quoque terminetur et sermo.

INCIPIT DE MIRACULIS SANCTI ARIDII ABBATIS.

XXXV. Nunc de multis miraculis quæ ad sacratissimum ipsius corpus Dominus assidue ejus meritis operatur, vel pauca de pluribus, quæ in calce ejus obitus ibi Jesus Christus declaravit, pro legentium opportunitate aggrediar, ideoque non valet mens humana in verbis erumpere, quantis mysteriis milites suos superna gratia illustrat. Quidam monachorum de viri sacratissimi cellula, nomine Baudenus, cum instrumentis chartarum, quibus monasterii possessio firmabatur, regionem Burgundiæ adire non distulit. Qui igitur expetens venerabilem et egregium antistitem, Syagrium Æduæ civitatis episcopum, eumque suis precibus imploravit, eo quod honore dignissimus præ omnibus in regis palatio habebatur, ut ejus patrocinio a diversorum æmulorum insidiis cellula tueretur. Qui scilicet petitionibus præfati mopachi annuens, quæ petivit vir reverentissimus non negavit : sed etiam auctoritate regali instrumenta munivit, et ad regionem remeandi tribuit libertatem. Cumque transissent dies plurimi, et obtenta petitione festinaret, oppidum Lemovicæ regionis ingressus est. Quodam die in vico quodam, nomine Ricomago, virum magnificum Nectarium ibidem reperit ; et quidquid petitionibus suis eventus præstiterat, omnia patefecit. Qui dum interea percunctaretur ab ipso, cœpit sermonibus suis vacillare, mentemque lapsa, ac furibundo vultu, statimque prorumpens in vocem, causam sui operis silere non potuit, quod adulterii vitio fuerat ludibriose inquinatus. Qui dum frenderet dentibus, et se suis morsibus laniaret, chrismarium quod vir beatissimus Aridius gestare consuevérat, et reliquias habere sanctorum, a se concitus excutiens, projecit in terram. Et dum furor ingens illius sedari nullatenus poterat, vinctus custodiæ mancipatur. Interea unus e famulis præfati viri, apprehenso chrismario quod a se projecerat, nesciens inter vestimenta reposuit. Qui dum hoc ageretur, constipatis in unum rebus, onerare jumentum cœperunt. Nam cum super ipsum onus elevatum fuisset, særo pondere constipatus, in terra corruens gressum ultra movere non potuit. Quid plura ? supponitur in alio, qui scilicet suscepto pondere, pari conditione idemque similiter in terra procubuit. Qui dum multis stimulis cruentatus urgeretur, nullatenus reddidit animos erigendi, quousque daretur causa intellecti culpa facinoris patefieri. Igitur dum arctius furoris impetu suæ vesaniæ ageretur, exclamavit quod chrismario, quod se indigne deportasse dicebat, cum suis vestimentis esset astrictus ; et ideo vehiculum non movetur nisi hactenus tollatur, ubi potius est negligentiæ culpa. Quod videlicet scrutate marsupio **1306** illico repererunt, et pro veneranda devotione ac religione vir sublimis Nectarius puero innocenti cum reverentia honoris superimponit ; statim horarum solvuntur spatia. Præfatus namque Baudenus, cum antequam spiritu perturbaretur, utpote nec alio potest æstimari qui suo sensu non regebatur, coram omnibus extensis gressibus fugam iniit. Qui dum in unius spatio horæ pene duodecim millia suis pedibus velociter curreret, fatigato corpore, semianimis corruit in terram : cumque a custodibus assecutus fuisset, apponitur mansioni. Exacta namque nocte diluculo consurgens, ad sacratissimum tumulum sancti Martialis cogente immundo spiritu se obtulit præsentandum ; ibique ut professionem sui operis patefecit, expulso maligno spiritu, medelam meruit recipere sanitatis.

XXXVI. Sunt multa et alia, quæ post transitum sancti viri omnipotens Deus operatus est. Hujuscemodi causa populis exspectantibus, unus e familiaribus ad virum magnificum antedictum velocissimo cursu perveniens, nuntiavit conjugem suam gravi mortis periculo detineri, quem vero admonuit ut festinus adesset, si vellet eam reperire vivam. Qui interea confidens de Domini miseratione, puerum qui chrismarium sancti viri secum detulerat jussit concitus inantea properare. Cumque domum fuisset ingressus, omnis familia in luctu et lamentatione vacabant, eo quod tam repentinæ mortis articulo

subjaceret. Quæ scilicet oculis clausis judicium morituræ ostentu gutturis apparebat, ubi gravissimus exortus fuerat nodus. Quæ etiam jam vocis officio obserato, ac caligantibus oculis, nec virum suum agnoscere poterat. At ubi chrismarium sancti viri collo morientis suspenditur, mors illico fugatur, statim oculi solvuntur in lumine, spiritus halitus saluti pristinæ reformatur. Quæ eructans fortiter, ablato gutturis nodo, quod esu non acceperat revomuit, et restituitur vitæ cui mors imminebat in januis. Ipsum vero chrismarium vocatis sacerdotibus venerabiliter ad monasterium sancti viri deportatum est.

XXXVII. Sed quis singillatim omnia mirabilia quæ ad sanctum ejus sepulcrum Dominus Jesus Christus operatur assidue, verbis valeat enarrare? Quadam die decreverat mulier se sancti viri præsentia esse videndam, ut referret gratias. Nocturnas vigilias celebrantibus monachis, Babolenus quidam habens filium, nomine Babolenum, qui gravi fuerat membrorum vulnere addictus, deportatus a parentibus, ad tumulum sancti viri exponitur, qui dum in pavimento jaceret, nocte fere media puer prorumpens in voce, sensit membrorum compages locis quibus fuerant dissolutæ adjungi, qui videlicet se erigens e pavimento, solidatis membris stetit super pedibus suis: et qui fuerat manibus exhibitus ad sepulcrum, gressu proprio cum ipso suo parente gavisi, gratias Christo referentes, revertuntur ad propria.

XXXVIII. Intuendum summopere est quanta omnipotens Deus sanctis suis in hac **1307** vita gratiæ suæ contulit dona, ut ad majorem gloriæ cumulum ad supernam patriam remunerentur post triumphum. Itaque quidam ex monachis, nomine Gaudomeres, de monasterio Ambiacini, quod non longe ab urbe situm est, ipso vero a maligno spiritu detentus, ita ut visu quem cerneret morsu vellet decerpere, et in duabus vinctus catenis deducitur ligaminibus quasi reus ad judicem. Quadam namque die ad tumulum sancti viri deductus est, ibique redditus sanitati pristinæ, ab adversario hoste a quo vexabatur ereptus est, in servitio omnipotentis Dei plerosque convertit. Nam catenæ quibus miser astringebatur, sponte solutæ sunt, ut miraculo duplici patefaceret quod in uno momento catenæ constipatæ confringerentur, atque a dæmonio obsessum divina gratia absolveret, ut liber Deo serviret, cui creatura omnis ingemiscit. Nam si quis exigente causa quamcunque fuerit ob culpam vinctus, vel catenis astrictus, si contigerit ut per agrum publicum, qui basilicæ ipsius proximus est, ducatur ligatus, mox ut contra eamdem ecclesiam ventum fuerit, confestim disruptis omnibus vinculis solvitur reus, nec patitur ulterius teneri astrictus.

XXXIX. Mirandis rebus plus adhuc miranda succedunt. Quadam vero die duo muti venientes ad tumulum sancti viri, licet lingua rogare non valebant, sed fide. Peruncti igitur oleo, mox solvitur imperante Domino lingua mutorum, et loqui cœperunt adorantes, et qui effecti fuerant claudes, protinus sermocinantur ad plebem. Electi quippe hoc in munere acceperunt, ut quanto magis virtutibus polleant, tanto etiam indignos se judicent, ne ad inanem gloriam rapiantur, ut dono non priventur superno. Igitur quatuor viri de diversis provinciis venientes, una cæcitate damnati, tunc prostrati in oratorio exspectabant lumen, eventu quærentes sancti viri remedium. Interea dum preces ad sacratum tumulum offerunt, unanimiter postulantes, illico cæcorum oculos aperit, qui longo jam tempore fuerant clausi, claro lumine adepti, poscentes limina templi.

XL. Multa quidem et alia ibidem jubente superna gratia ejus meritis operantur signa atque virtutes: inter quæ etiam et cicindelus exundante ubertim oleo superfunditur. Ex quo etiam sancto liquore multi illic peruncti a diversis sanantur infirmitatibus, et benedicitur ibi jugiter nomen Domini Dei æterni. Sed et ad ejus nihilominus lectum, qui situs est in monasterii sui prædio, multæ virtutes similiter declarantur. Sed et per diversa loca ubicunque sacræ ejus reliquiæ deportantur, vel quo etiam delatæ fuerint plurima signa virtutum, ejus merita revelante gloria Christi, enixius efficiuntur. Quæ omnia et ordine onerosum duximus verbis prosequi, et idcirco ea his paucissimis syllabis complexi sumus, quia jam cessare a collectione festinamus. Quæ vero si per singula, ut gesta constant, nunc **1308** enodare curaverimus, et modum paucissimi voluminis excedimus, et pro ipsa forsitan prolixitate fastidium legentibus ingerimus. Quæ vero nos minus enarravimus, palam omnibus fidem præstant, conspicientibus illa multimoda vincula compeditorum, quæ ad ejus sepulcrum in argumento rerum cernuntur appensa. Ex quibus etiam nos aut certe pauca, aut pene nulla commemoravimus, per id duntaxat quod in conspectu omnium apposita, velut nos locum, ita et omnes nos ambigimus nosse. Hæc quidem quamplura infra pauco tempore constant acta. Illa scilicet quæ deinceps per prolixa spatia temporum agenda sunt, qualia vel quanta fiant, quis modo æstimatione comprehendere valet, cum nunquam a Præsulis tumba hodieque resteat fieri miracula. Sed quotidie ægri ad tumulum sancti viri veniunt, et ibi excubantes sani efficiuntur; cæci veniunt, et illuminantur; dæmoniaci veniunt, et liberantur; perjuri veniunt, et aut moriuntur, aut etiam a diabolo vexantur; ferro vincti confugiunt, et solvuntur; claudi carrucis advecti, consolidatis gressibus, ad propria incolumes revertuntur. Multæ quidem sanitates ex eo, qui illic crescit, olei liquore perficiuntur. Quanti rursus a frigoribus vel diversis infirmitatibus detenti liberati sunt post transitum beatissimi viri, qui fuerant ab hoste captivi. Nam libelli pagina singillatim non potest adnecti, ut ne infirmioribus fide fastidium præparet, et dubitantibus sermo prolixior promulgetur. Hæc igitur pauca de pluribus dixisse sufficiat, ut quasi de diversis floribus in sanctæ Ecclesiæ sinu redolentes repleta multorum corda credentes, ut capere perfectos fructus valeant, quos mundialis

delectatio non inquinat. Non potest enim et hic gaudere cum sæculo et illic regnare cum Christo; nec duobus dominis servire, Deo scilicet et mammonæ. Deponentes igitur opera tenebrarum induamus arma lucis, quia Creator omnium est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Testamentum sancti Aredii, licet in ms. Codice sancti Galli non habeatur, hic tamen referre visum est potius quam in appendice, ut polliciti sumus in notis ad caput 29 libri x Historiæ, ubi a Gregorio laudatur. Datur autem nunc primum integrum ex archivio sancti Martini Turonensis.

TESTAMENTUM SANCTI AREDII ABBATIS ATTANENSIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sub die pridie Kal. Novembr., anno 11 [a] **1309** regni domini nostri Sigiberti regis, Ego Aredius presbyter, et Pelagia, sana mente integroque consilio, judices et arbitros rerum nostrarum, metuentes casus fragilitatis humanæ, ne nos subito repentina mortis prævenire occasio, residentes, testamentum nostrum condidimus, quem ego ipse Aredius manu propria scripsi, et testibus numero competenti tradidimus subscribendum. Quod testamentum nostrum, si casu, jure civili aut prætorio, aut cujuslibet legis novellæ conscriptione, vel veteris valere non potuerit, ad vicem codicillorum et omnium scripturarum, quæ firmitati consistunt valere jubentur [b]. Ut id fiat, detur, præstetur, illibatum in omnibus tenacitur, secundum tenorem infra scriptum, quem Christo Domino adjuvante constituimus.

Itaque te, sancte Martine Turonensis, judicantes constituimus [c] ita ut per præpositum sanctæ ordinationis tuæ basilicæ. Quod vero tibi, vel quidquid unicuique donavimus, aut quod fieri rogavimus, hæc omnia potestate et sancta dominatione tua post obitum nostrum ut fiat et permaneat supplicamus. Ideoque donamus tibi, sancte Martine, per hujus testamenti paginam medietatem Griciensis [d], aliam vero medietatem cum ædificiis, vel cum omni jure suo, Attano consistentes monachi nostri in perpetuum te, sancte Martine, defensante possideant: ea videlicet ratione, ut ad monasterium, quem Domino inspirante et adjuvante nos fecimus, et monachos quos ibi Deus A per nos peccatores esse ordinavit, aut inantea Deus ordinare jusserit, id est tam de ingenuis quam de servis nostris, tibi, domne Martine, fecimus, ordinandos commendamus; ita ut si exinde, quod absit, quisquam abstrahere de potestate vestra voluerit, quæ tibi, sancte Martine, ad loca sancta amore Christi et in tuo honore vel sanctorum ædificata sunt, aliquo malo atque iniquo ingenio, quod Deus avertat, quem regendum gubernandumque dignus haberetur, absque procuratione sanctæ vestræ basilicæ ordinare aut subdere neglexerit [e], sit per virtutes tuas anathema.

Portionem nostram de agro Sisciacensi [f], hoc est domus et oratorium cum reliquis ædificiis, agris, silvis, pratis, pascuis et accolis [*Ed.*, areolis], cum B omni jure suo, sicut a nobis præsenti tempore possidetur, tua sancta basilica, domne Martine, sed et commendati monachi **1310** Attanenses, quos sub tuo patrocinio vivere sancimus, et qualiter Deum propitium habeatis, et mancipiola vobis ex ipso fundo Sisciacum tibi, domne Martine, atque tuis monachis condonavimus, quod est ad partem basilicæ tuæ, aratores tres, Parminum, Talasium et Claudium, seu et reliqua mancipia nostra, vel quæcunque nobis debita servitute debentur, exceptis illis qui jam liberi sunt, Clara scilicet et Marcia: Ursacium cum uxore et filiis similiter tibi ad servitutem donamus, ea vero conditione, ut quaternos aripennos vineæ colant.

Cellam [g] quoque nostram in honore sancti Medardi C dedicatam, quæ sub Gaudomaro [*Al.* Gaudomoro] sita esse videtur, et vulgo Exidolium appellatur, cum omnibus suis pertinentiis monachi Attanenses, te, domne Martine, defensante, possideant. Nonniacum [h] domum nostram cum ædificiis, vineis, silvis, pratis et pascuis, vel cum omni jure suo, similiter [i] Luciaco, Marcomonte, cum vineis, vel omni jure suo, secundum quod a nobis est Deo propitio possessum, monachi nostri Attanenses ut per te, sancte Martine, habeant volumus, et, te defensante, ut possideant rogamus, cum mancipiis, his nominibus, Parminio cum uxore et filiis, Leomere cum uxore et filiis, Armedio cum uxore et filiis, Rustico cum uxore et filiis, Claudio, Silvio cum uxore et filiis. Hi enim similiter quaternos aripennos vineæ monachis colant, D uxores vero eorum decenos argentos singulis annis monachis suprascriptis nostris Attanensibus de-

[a] Alii XVII, sed mendose; non enim tot annis regnavit S. gibertus. Ad ejus autem regnum, id est Austrasiam, Lemovices pertinuisse, non ex hoc solum loco probatur, sed etiam ex utraque hujus sancti Vita, et ex ipso Gregorio, lib. x Hist. cap. 29, ubi in aula Theodeberti regis educatus fuisse Aredius dicitur. Quin et idem patet ex pactione quæ lib. IX cap. 20, integra refertur.

[b] Mab., *firmiter consistunt, valere jubemus.* Mart. b, *ad invicem quod cancellorum et firmitate jubentur.*

[c] Mss., *indicantes hæredem in titulmus.* Infra Mab., *sanctæ ordinetur tuæ basilicæ... quod vero*, etc. Porro ex hoc loco et sequentibus patet origo subjectionis monasterii Attanensis (quod hodie collegium est canonicorum secularium) basilicæ sancti Martini.

[d] Mart. b., *Griciensis cum omni jure suo; aliam in Attano consistentes.* In Mart. a deest *in Attano.*

[e] Mss., *dignare haberetur, et tuæ piæ sanctæ procurationis, vestræ præpositus sanctæ basilicæ ordinare aut studere neglexerit.*

[f] Mss. semper *Fisciacensi.*

[g] Hic articulus deest in Mart. a. Exidolium, vulgo *Exideuil*, castrum est vicinum Attanensi monasterio, quod passim memorat Gaufridus, prior Vosiensis, in Chronico.

[h] Sic mss.; at Mss., *Homacum*, Mab., *Memacum. Memac* locus est monasterio ordinis Benedictini illustratus.

vant, et nihil amplius ab eis ullus ullo tempore exigere præsumat. Peculiaria vero eorum, campellos et vineolas, nullo inquietante possideant, ea vero conditione, ut nec vendere, nec alienare præsumant. Scauriniacum [a] vero donum nostram, quæ portio nostra dicitur [*Al.*, debetur], præter id quod dedimus, vel id quod vendidimus, cum vineis, pratis, silvis et pascuis, medietatem basilica tua, domne Martine, hæres instituta recolat [b], et medietatem monachi nostri Attanenses per te ut habeant, humili supplicatione deposcimus. Eufrasium et Meroalidum vinitores vineæ [*Al.*, basilicæ] tuæ deputavimus, domne Martine, ea vero conditione, ut quaternos arpennos vineæ colant et deligant [*Al.*, dirigant].

Valentinianum pariter monachis supra scriptis deputamus, ut et ipse quatuor arpennos vineæ colat monachis, et nihil amplius. Uxor **1311** sua Subfronia, et filios, si habuerint, in libertate permaneant. Basilica sancti domni Martini dedimus portionem nostram ex fundo Rofiaco [c], domum nomine Juliaco [d], cum omni jure suo. Similiter et dono Genuliacum cum ædificiis, pratis, silvis et pascuis, vel omni jure suo, sancto Martiali volumus esse donatum. Et de Scauriniaco, vineæ cultæ arpennos quinque, quos Provincianus vinitor coluit, et in Negiaco vineæ cultæ arpennos quos pro oblata nostra donamus, ut servientes sancto Martiali vel matriculæ suæ per sanctum hæredem nostrum accipiant. Area cum domo nostra intramuranea Lemovicinæ civitatis cum ingressu et regressu ejus, basilica tua, sancte Martine, et monachi nostri Attanenses æquali successione possideant. Similiter in Issandone castro [e] aream intramuraneam cum domo nostra simili æquitate possideant [*Al.*, possidete].

Eustriaco portionem nostram Florentiæ et filiis suis volumus esse donatam, et liberi nostri, quorum nomina sunt inferius comprehensa, sub defensione tua, sancte domne Martine, consistant; id est Castorio cum uxore sua Limphasia, Octardo cum uxore sua Exsuperia, Aquilino et Pascentio cum uxoribus eorum et filiis, Malloste cum uxore sua, Antedia cum filio suo, Leotchardo cum uxore sua Gaudiosa, Gariabaudo cum uxore sua, Faustino cum uxore sua Ermentaria, Joanne cum uxore sua et filiis, Marometo cum uxore sua Sancton'dia, Frontuino cum uxore sua et filiis, Antonia [f], Nimasio cum uxore sua Maria, Majoriano cum uxore sua Geromia, Leoneto cum uxore sua Bajola, Basulo cum uxore sua Avencia, Mauricio cum uxore sua Margaridia, Senieldo cum uxore sua Marcella, Leontio cum uxore sua Euminia, Urretia, Eulia [g], quam redemimus captivam, Romana cum filiis, filios Burgoneri, Frontasio cum filiis. Hildemodum cum uxore et filiis liberos esse jubemus, cum campellis et vineolis eorum, vel quantumcunque peculiaria habent, aut habere potuerint inantea volumus esse concessum, ea tamen conditione, ut de campellis vel vineis vendere nec donare habeant potestatem. Proculam et Macedoniam similiter ibidem deservire jubemus, necnon et mancipiola hæc, et agnitio [h] eorum inferius comprehensa, decernere servi nostri jubemus, Solemio cum uxore sua et filiis, Maurenciano cum uxore sua Valeriana, Aligilio cum uxore sua Basilia, Aliasonio cum uxore sua Florentina, Specia cum uxore sua Eugeria [*Al.*, Eugenia], Lupicino cum uxore sua Hoctorecia cum filiis, Francardo cum uxore **1312** sua Orogia cum filiis, Amareto cum uxore sua Savina, Frangomere cum uxore sua Leoboda, Parteuio cum uxore sua Mariosa, Sonulfo [*Al.*, Ronulfum] cum uxore sua Animia et filiis. Agnitionem eorum diximus, sed et aliquos ex ipsis liberos fecimus: hi vero cum campellis eorum, et vineolis, vel quidquid habere [i] videntur, aut adhuc venire potuerint habere decernimus, ita ut singulis annis terna pondo carræ inferant nostro, et singulis mensibus eulogias vicissim ad missas nostras revocent, et inferant in altario quinos argenteos, et donent exenio [j] secundum quod paupertas eorum parare potuerit: nihil amplius ab eis aut a basilica sancti Martini, aut a monachis nostris requiratur, quam quod scriptum est implere debeant.

Et istos liberos nostros et liberas nostras, quos nobis bonæ memoriæ genitor noster Jucundus [k] per testamentum suum commendavit, similiter et illos quos pro remedio [animæ] bonæ memoriæ fratris [*Al.*, filii] nostri Eustadii liberos fecimus, tibi, sancte Martine, defensandos commendamus. Et si quis eis amplius præter hoc quod eis injunctum est, in quolibet inquietare aut dominare voluerit, tu, sancte Martine, defendas. Nam et mulieres istas, quas inferius ascripsimus, id est Baudonidia [l] cum filiis suis, Habenda, Allovera, Fraterna, Amasonia, Artemia, Susanna, Proba, Probatia, Frotania, ut singulis annis singulos trientes monachis nostris dissolvant, et nullus eis magis requirere præsumat, ne incurrat quod supra comprehensum est. Caballos et jumenti-

[a] Mab., *Cauriniacum*. Mos., *sanctum Caurimacum*.
[b] Mab., *Martine, habeat* [*sicut*] *instituto hoc recolitur*.
[c] Mos., *Rosiaco*. Et quidem hic videtur designari *Moutier-Rouseil*, ubi monasterium exstitit jurisdictioni sancti Martini omnino subjectum, uti hodieque subsistit, licet in collegium canonicorum conversum, et Albussonium nuper translatum.
[d] Sic Mart. et Mos.; alii *Viliaco*. Mos., infra, *Genuliacum*.
[e] Castrum est ad Viseram situm, vulgo *Issandon*.
[f] Alii, *et filiis Antoniæ*.
[g] Alii, *cum uxoribus suis Cumina, Urseeia, Lucia*.
[h] Sic quoque pro *Agnatio* scribitur in legibus Visigothorum.
[i] Alii, *aut adhuc habere potuerint, et possidere decernimus*.
[j] Alii, *terna pondo t vræ inferant, afferant nostra, et in singulis mensibus singulos condomas vicissim missas nostras revocent*. Mabillonius legendum suspicatur, *terna pondo ceræ inferant monasterio*, seu *cameræ inferant monasterii*.
[k] Sepultus est in ecclesia sancti Michaelis Pistoriensis in suburbio Lemovicensi, quæ ecclesia hodieque sancti Martini jurisdictioni subjecta est.
[l] Al., *Lindonidia... Abenda*.

cula nostra, seu vaccas, oves et boves, et porcos, lecturia, utensilia per domos, vel quidquid per cellaria aut areas nostras post obitum nostrum invenerit ordinator sancti Martini, medietatem pauperibus eroget, et aliam medietatem monachi nostri supra scripti percipiant.

Addimus etiam mancipia, quæ colonaria appellantur, et nobis tributaria esse perhibentur [*Al.*, debentur] medietas ad basilicam tuam, domne Martine, et alia medietas monachis nostris proficiat, et reddant omnes singulis annis trientes. Hoc est Eulodio cum filiis qui nobis esse debentur, Renchardo cum filiis, Friardo cum filiis, Amanda cum filiis, Gundemero sine [*Ed.*, cum] filiis, Dominica cum filia. Idcirco præfata mancipia his sanctis locis donavimus, ut ipsorum merces nos peccatores [liberet].

Quod unusquisque locus sanctus constitutus ibi habeat ministerium [a] declaratum, **1313** rectum duximus inserendum : id est turres quatuor, cooperturiolos holosericos tres, calices argenteos quatuor. Duo sunt ansati, comparati solidis tricenis. Nam ille medianus præ auro fabricatus valet solidos tricenos, et ille quartus valet solidos tredecim. Patenam argenteam valentem solidos septuagenos duos. Coopertoria holoserica quatuor, unus valet solidos tricenos, alius solidis sexdecim, tertius solidis quindecim, quartus solidis quadragenis quinis. Duo ex ipsis auro sunt fabricati. Item coopertorium lineum ornatum valens solidis quatuor, pallas corporales quatuor, coopertorios holosericos tres, minores quinque, et pallas, tribunalia [*Al.*, tribunæ] in basilica valentia solidis duodecim, et alia quotidiana valentia solidis sex, et alia quotidiana quæ sunt ante altare valentia solidis quinque. Vela ornata de ostio majore valentia solidos tres. Alia vela de ipso ostio valentia solidos tres. Item velum ad ostium minus valens solidos duo. Item velum pictum valens solidos quinque. Similiter in oratorio sancti Hilarii coronam cum cruce argentea deaurata cum gemmis pretiosis, plena reliquiis sanctorum domnorum, et suo ornatu, valentem ad æstimationem solidos centum, habens corona illa in se pendentia folia ex auro et gemmis facta numero octo; et in illa cruce similes factæ duæ, et mimitatæ gemma grande circumcirca auro, et subtus crucicula ex auro, et gemmulenas octo. Pallam holosericam cum suo ornatu valentem solidos duodecim. Item pallam super altariolo sancti Hilarii linitam auro, et margaritis fabricatam, valentem solidos triginta. Velola per ipsius oratorii parietes tria holoserico ornata, valentia solidos octo. Item pallam super altario domno Hilario quotidianam, valentem solidos duo. Item velum in domo Hilarii dramioserico, valens solidos quadraginta. Item in domno Maximino velola tria. Ante altare unum vermiculum, valentem solidos duo, et illa alia duo, valentia solidos tres. Et item pallam vermiculam in domno Juliano, valentem solidum unum. Pallam quotidianam in domno Maximino holoserico ornatam, pallas corporales in domno Hilario vel velola ad ostia quotidiana. Item ad pallas super sepulcro sancto [b] holoserica duo, valentia solidos sexaginta. Item pallas super sepulcra quinque Achaica exornatas, valentes solidos quindecim. Item pallam profedatam [*Al.*, prosericam], valentem solidos duo. Item aliam profedatam, valentem solidum unum. Vela ante ipsa sepulcra duo, valentia solidos quinque. Hæc omnia et ornata sanctorum, vel quidquid super sepulcra nostra martyrii Attanensis sanctorum, id est Scipionem diaconem et Aventiolum, quos instituimus ipsis custodiendum et studendum ante sanctos, et domno nobis Nicetio diacono sancti Martini consignavimus, simul et de Sisciaco oratorio tribunalia duo valentia solidos quatuor, vela ad ostia tres, valentia solidos sex; turres, calices, pallas et **1314** coopertoria prædictis martyrariis ad custodiendum tradidimus.

Nam et adhuc adjuramus præpositum sancti Martini et monachos nostros Attanenses per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi et merita omnium sanctorum, ut in oratorio sancti Hilarii [c], in cella mea, quinta feria, omni tempore, maturius matutina et missa sanctorum domnorum a monachis ibidem revocetur. Et tectos sanctorum reparari, cum necesse fuerit, jubeatis, hoc est Attano et Sisciaco, admonentes et monachos, et liberos et servos et accolas nostros, ut ipsa loca sancta omni tempore sint munita, sicut mos est, hoc videlicet compositum sicut reliquerimus, sic etiam conservetur ut oportet in Domino Jesu Christo. Illi vero qui nobis vel monasterio atque congregationi nostræ deservire noluerint, a rebus omnibus nostris, tam nobis superstitibus, quam post obitum nostrum habeantur extranei.

Attanenses [d] si nobis vivis, monachis Vosidensibus solatia, sicut placuerit, præbuerint, Fexitoialo portionem nostram et centum arpennos terræ in Sisciaco prona voluntate donamus; sin vero renuerit solatia præbere, quod eis a nobis donatum est, basilicæ tuæ, sancte Martine, et monachi Attanenses tibi commendata omnia revoces in perpetuum possidendum.

Quidquid vero in hoc Testamento nostro fortasse non comprehensum est, aut ut poni debuit, excessit : si terrula, aut aliqua res mobilis inventa fuerit, ab hærede nostro domno Martino omnia sibi vindicanda revocet. Si mancipiola remanserint, et inventa fue-

[a] Id est, supellectilem sacram.

[b] Sic Mss.; at Ms., *nostro;* et infra Mss., *quinque auro exornatas.* Sanctum Maximinum Aredius suis patronis accensebat, quod diu Treviris fuisset moratus.

[c] Petierat Aredius corpus suum in oratorio sancti Hilarii sepeliri, ex ejus Vita, cap. 34

[d] Mss. : *Attanenses nobis vivis monachi Vosidensi solatia sicut placuerunt præbuerint.* Locus est omnino corruptus. In exemplari Vosidensi plura interserentur ab Aredio et Pelagia Vosidensi monasterio data, quæ videsis tomo II Analect. Mabillon., pag. 66. Vosidense monasterium, vulgo *Vigeois*, ad Vigennam apud Lemovices olim abbatia, tum prioratus sancti Martialis Lemovicensis, cui præfuit Gaufridus Chronici Vosidensis auctor.

ris testamentum, tam qui chartulas libertatis lerint, quam qui non habuerint, defensante Martino, in libertate permaneant. Et quicumer chartulas manus nostræ subscriptione firdedimus, omnino valere præcepimus. Si quis contra hoc testamentum nostrum venire vo- aut aliud quam quod deliberatione nostra eritur, ire tentaverit, et hic et in æternum per es sancti et beati domni Martini sit excommus et anathematizatus, et veniat ei illa maledicam psalmus CVIII continet in Judam Scariotis. e litteraturæ aut caraxaturæ inventæ fuerint, is fecimus, dum testamentum nostrum sæpius nus, idque emendare decrevimus.

A Aredius, in Christi nomine peccator presbyter, testamentum nostrum scripsi, relegi, et subnotavi, die et anno quo supra. Pelagia testamentum nostrum relegi et subscripsi die et anno quo supra. Alstidius, rogante domno meo Aredio, et Pelagia, testamentum nostrum ab ipsis factum subscripsi. **1315** Calpurnus, rogante domno meo Aredio et Pelagia Testamentum hoc subscripsi, die et anno quo supra. Leo rogatus a domno Aredio et Pelagia Testamentum hoc confirmavi, die et anno quo supra. Nectarius **1316** hoc Testamentum confirmavi, rogante domno Aredio et Pelagia.

Sign. † Aidelfi subdiacono.

B Sign. † Nectari testis.

APPENDIX AD OPERA ANCTI GREGORII TURONENSIS,

COMPLECTENS ANTIQUA MONUMENTA QUÆ AB EO LAUDANTUR, AUT EJUS OPERA ILLUSTRANT *.

N SANCTI DAMASI PAPÆ DE SANCTIS MARTYRIBUS CHRYSANTHO ET DARIA [a].

(Ex Sarazanio.)

votis paribus tumulum duo nomina servant,
hrysanthi, Dariæ, nunc venerandus honor.
ra quem rabies, neglecto jure sepulcri,
anctorum tumulos præda furentis erat.
peris ex censu melius nunc ista resurgunt,
ivite sed voto plus placitura Deo.
ge tuum gens sæva nefas, periere furores,
revit in his templis per tua damna decus.

RIPTIO IN ABSIDA SANCTI PANCRATII [b].

(Ex Anal. Mabillon, tom. IV.)

INSIGNE. MERITUM. ET SINGULARE. BEATI. PANMARTYRIS. BENEFICIUM. BASILICAM. VETUSTATE.
CTAM. EXTRA. CORPUS. MARTYRIS. ENGLECTI.
DITATIS [c] EXSTRUCTAM. HONORIUS. EPISCOPUS.
AMULUS. ABRASA. VETUSTATIS. MOLE. RUINAQUE.
TE. A FUNDAMENTIS. NOVITER. PLEBI. DEI. CONIT. ET. CORPUS. MARTYRIS. QUOD. EX. OBLIQUO.
JACEBAT. ALTARI. INSIGNIBUS. ORNATO. METALOCO. PROPRIO. COLLOCAVIT.

STAMENTUM PERPETUI TURONENSIS EPISCOPI [d].

(Ex Spicil. Acheri. t. V.)

17 In nomine Jesu Christi, Amen. Ego Pers peccator, Turonicæ Ecclesiæ sacerdos, abire sine testamento, ne fraudentur pauperes iis superna gratia mihi non merito liberaliter et ter contulit; et ne, quod absit, transeant ad quam ad Ecclesiam sacerdotis bona.
sbyteris, diaconibus et clericis Ecclesiæ meæ pacem Domini Jesu Christi do, lego. Amen. Confirma hoc, Domine, quod operatus es in nobis; nesciant schismata; stabiles in fide permaneant; quicunque regulam Evangelii fuerit secutus, sit benedictus omni benedictione spiritali in supernis per C Christum Jesum, amen. Et Dominus Jesus occidat impium vento oris sui, amen, amen. Pax Ecclesiæ, pax populo, in urbe, in agro, a Deo et Patre Domini Jesu Christi, amen. Veni, Domine, et noli sustinere, amen. Vobis itaque presbyteris, diaconibus et clericis Ecclesiæ meæ, cum consilio Agilonis comitis, sepeliendum cadaver mortis hujus ubicumque elegeritis, permitto; scio quod Redemptor meus non moritur, et in carne videbo Liberatorem meum, amen. Tamen si indigno mihi feceritis misericordiam, quam supplex postulo, optarem ad domni Martini pedes in diem quiescere judicii: videritis, judicabitis, eligetis; volo, statuo. Ratum jubeo quod vobis dominis et fratribus meis placuerit.

In primis itaque ego Perpetuus, volo liberos esse liberasque homines et feminas quotquot habeo in villa Saponaria, quos emi de mea pecunia, ut et pueros quos in die discessus mei non manumisero in Ecclesia; ita tamen ut libere serviant, quandiu D vixerint **1318** Ecclesiæ meæ, sed absque servitute ad hæredes transmissibili et glebatica. Do etiam Ecclesiæ meæ agrum, quem Aligarius mihi vendidit in dicta villa Saponaria, cum stagno. Item molendina supra Carum prope dictam villam, nec non pecuaria, et prata ipsi Ecclesiæ meæ do, lego. Villam de Bertiniaco cum silva et omni reditu, ea conditione, qua mihi a Daniele diacono vendita est, Ecclesiæ meæ pariter do, lego; ita tamen ut de eorum proventibus oleum paretur pro domni Martini sepulcro indeficienter illustrando: quod si fuerit neglectum, et voluntas mea, quod non spero,

id. lib. I de Gloria martyrum c. 38, in fine. Edit.
ide lib. I de Gloria martyrum, cap. 39, not. 74. Ed.

anc appendicem ex integro recudere non suceriti. etsi nonnulla in aliis Patrologiæ locis jam vel edenda contineat. Lectori enim gratissimum fore duximus, si uno tenore sub oculos haberet Gregorii opera necessariumque eorum supplementum. Edit.

[c] Forsan, *Antiquitus*.

[d] Vide lib. X Hist. Franc. cap. 31, in fine num. 6, col. 567. Ed.

casa, dicta villa de Bertiniaco cum adjunctis, hæredibus meis mox nominandis cedat, volo, statuo, jubeo. Quidquid et quoquo in loco, et a quacunque persona fuerit mihi debitum, quo die abscessero, debitoribus ipsis do, lego. Exigere quod dimitto nullus præsumat, volo, statuo. Tibi fratri et consacerdoti dilectissimo Eufronio thecam ex argento de reliquiis sanctorum do, lego. Illam intelligo quam deferre solebam. Nam deauratam aliam, quæ in capsario meo cum duobus calicibus aureis, et cruce similiter aurea, quam Mabunius fecit, Ecclesiæ meæ do, lego. Simul et omnes libros meos, præter Evangeliorum librum, quem scripsit Hilarius quondam Pictaviensis sacerdos [a] quem tibi Eufronio fratri et consacerdoti dilectissimo cum præfata theca do, lego, volo, statuo. Memor esto mei, amen.

Ecclesiæ sancti Dionysii de Ambasciaco [b] calicem argenteum, et crucem similiter argenteam, in cujus manubrio est reliquia de eodem sancto Dionysio, do, lego.

Ecclesiæ de Proillio similiter calicem argenteum et urceos [*Forsan*, urceos] argenteos do, lego. Similiter et Amalario ibidem presbytero capsulam **1319** unam communem de serico, item peristerium, et columbam argenteam ad repositorium, nisi maluerit Ecclesia mea illam qua utitur eidem Amalario transmittere, meam retinere : tibi Ecclesiæ meæ eligendum permitto, volo, statuo.

Sorori meæ Juliæ Perpetuæ crucem parvam auream ex emblasmate, in qua sunt de reliquiis Domini, do, lego. Quam tamen obnixe rogatam velim, ut si forte, jubente Domino, eam contingat migrare ante Dadolenam virginem, Ecclesiæ meæ ei possidendam relinquat. Te etiam rogo, soror Dadolena, ut moriens eam Ecclesiæ quæ libuerit addicas, ne veniat ad indignos. Quod si transeat Dadolena ante te, sit tibi liberum, charissima soror Fidia Julia Perpetua, prædictam crucem cui volueris Ecclesiæ relinquere, volo, statuo. Memor esto mei, dilectissima, amen.

Tibi Agiloni comiti ob egregia tua in Ecclesiam meam, et pauperes filios meos merita, et ut pergas eorum defensionem robuste suscipere sicut cœpisti, equum meum parabilem, et mulum quem elegeris do, lego. Memor esto mei, fili dilectissime, amen.

Eccle ix sancti Petri peristromata, quæ ei ad utendum in natali ejusdem sæpe concessi, omnino et absolute do, lego. Tibi fratri et consacerdoti charissimo, de quo Dominus providebit regendæ post discessum meum Ecclesiæ, nunc meæ, tunc tuæ ; aut potius nec meæ nec tuæ, sed Christi, do quidquid ad usum episcopalem de rebus meis volueris eligere in camera et sacrario vicino. Quod nolueris, hæredum meorum nominandorum esto. Presbyterum de Malleio, eumque de Orbona ad gradus, unde merito dejecti sunt, nunquam restitue. Sportulam tamen habeant quandiu vixerint super parte redituum meorum de Preslaio. Quod supererit, cum parte illa quam utendam fruendam illis concessi, postquam obierint, et tibi utendum fruendum relinquo, post discessum tuum Ecclesiæ meæ do, lego. At tu, frater et consacerdos charissime, presbyteros, diaconos, clericos, virgines, meos, tuos, ama, exemplo juva, benevolentia præveni. Fac ut sciant se tibi filios, non servos : te illis patrem, non dominatorem, rogo, volo, statuo.

At vos, viscera mea, fratres dilectissimi, corona mea, gaudium meum, domini mei, filii mei, pauperes Christi, egeni, mendici, ægri, viduæ, orphani. Vos, inquam, hæredes meos scribo, dico, statuo. His quæ supra detractis, quidquid in bonis habeo, sive in agris, pascuis, pratis, nemoribus, vineis, mansis, hortis, aquis, molendinis ; sive in auro, argento, et vestibus, cæterisque rebus de quibus me disposuisse non constabit, hæredes esse vos jubeo. Et ut omnia per discretionem administrentur, volo ut distrahantur quamprimum obiero, et fieri poterit, et in pecuniam rediganter, cujus tres partes fiant. Hominibus egenis duæ distribuantur, ut placuerit Agrario presbytero et comiti Agiloni ; tertia viduis et pauperibus feminis, uti **1320** placuerit virgini Dadolenæ, distribuatur, volo, rogo, statuo.

Testamentum hoc manu propria scriptum relegi et subscripsi ego Perpetuus Kalend. Maias post consulatum Leonis minoris A. Illud tu, Delmati fili, apud te depositum serva, et cum alio simili mea pariter manu scriptum et subscriptum, quod apud Dadolenam deposui, Agiloni comiti coram fratribus meis presbyteris, diaconibus et clericis aperiendum et legendum trades, in nomine Domini volo, rogo, statuo, fixum ratumque sit. Benedic, Domine ; veni, Christe Jesu. Ego Perpetuus in nomine tuo. Amen.

Epitaphium ejusdem.

Culmina sublimi tollunt quæ vertice cristas
Eximius meritis Perpetuus dederat
Domno Martino, cujus sub marmore pausant
Ossa, veneratur quæ pia plebs precibus.
Hæredem scripsit Christum, atque aurea multa
Sacrando Domini vasa cruore dedit.
Transmisit cœlo quæ plurima cessit egenis,
Fecit et ante suas scandere divitias.
Clarus avis, atavisque potens, fuit atque senator,
Clarior at sua dum pauperibus tribuit.
Sed neque Martino soli tam grande sepulcrum
Construxit, tumulum fecit et esse suum.
Et licet ante pedes Martini contumuletur,
In cœlo simili gaudet uterque loco.
Respice de superis super hoc, bone pastor, ovili,
Perpetuusque tuam perpetua patriam.

EPITAPHIUM SANCTI ABRAHÆ [c].

(Ex Apoll. Sidonio, lib. VII, epist. 17.)

Abraham sanctis merito sociande patronis,
Quos tibi collegas dicere non trepidem.
Nam sic præcedunt, ut mox tamen ipse sequare,
Dat partem regni portio martyrii.
Natus ad Euphratem, pro Christo ergastula passus,
Et quinquennali vincula laxa fame,

[a] Vidimus nuper in bibliotheca cathedralis ecclesiæ Turonensis codicem litteris Saxonicis ante annos mille scriptum, quem occasione, ut conjicere licet, hujus loci aiunt manu sancti Hilarii exaratum fuisse. At tantæ antiquitatis non esse præter characteris formam probat inscriptio codici præfixa, quæ codicis tempus videtur designare. In ea quippe laudatur sancti Innocentii ex Thebæorum legione martyris inventio, quæ, ut ex Surio ad diem 22 Septembris patet, contigit tempore Protasii Octodurensis seu Sedunensis episcopi, qui concilio Cabilonensi anno circiter 650 interfuit. Quin et in Codicis fine scriptor nomen suum prodit. Sic habet prima inscriptio litteris majusculis exarata : *Deus, innocentiæ verus amator, longe post passionem sacratissimæ legionis Innocentii, undas Rodani fluminis famulante, revelavit martyris Innocentii inclyta membra.* In fine autem : *Ego Holaindus, mihi Trinitas misereatur, amen. Precor vos omnes Christiani, ut pro me communionem Domini dignemini peccatori, etc.* Ex hoc autem Codice patet Protasium Sedunensem, Domitianum Genavensem et Gratum Augustanum, qui sancti Innocenti inventioni interfuisse memorantur, in vulgatis harum sedium catalogis extra suum ordinem locatos esse.

[b] Hodieque superest hæc ecclesia Ambaciensis (*Amboise*) sancto Dionysio sacra, cum parochiali titulo et prioratu, monasterio sancti Juliani Turonensis subjecta.

[c] Vide Greg. Vit. Patr. cap. 5, in fine. Ed.

regi truculento Susidis oræ [a],
ium properas solus adusque solum.
essorem virtutum signa sequuntur.
busque malis fers, fugitive, fugam.
renis, lemurum se clamat cedere turba,
nas ire jubes exsul in exsilium.
is cunctis, nec te capit ambitus ullus,
bi delatus plus onerosus honor.
is refugis Byzantinosque fragores,
sagittifero mœnia fracta Tito.
lexandri te non tenet, Antiochique,
is Elisseæ Byrsæa tecta domus.
ludicolæ temnis populosa Ravennæ,
æ lanigero [b] de sue nomen habent.
s iste placet, paupertinusque recessus,
sa cui culmo culmina pressa forent.
s hic ipse Deo venerabile templum,
Dei templum corpore facte prius.
Finiti cursus isthic vitæque viæque,
i superest dupla corona tuo.
circumstant paradisi millia sacri:
iam jam te comperegrinus habet.
riam ingrederis, sed de qua decidit Adam,
otes ad fontem fluminis [c] ire tui.

I. THEODERICI REGIS AD CLODOVEUM. GRATULATUR REPORTATAM IN ALAMANNOS VICTORIAM [d].

(Cassiod. l. II, epist. 41.)

in regi Francorum Theodoricus rex Italiæ.
a quidem vestræ virtutis affinitate gratulamur,
ntem Francorum prisca ætate residem, feli-
nova prælia concitastis: et Alamannicos po-
causis fortioribus inclinatos, victrici dextera
stis. Sed quoniam semper in auctoribus perti-
ecabilis videtur excessus; quia et primariorum
lis culpa omnium debet esse vindicta, motus
in fessas reliquias temperate: quia jure gra-
entur evadere, quos ad parentum vestrorum
nem respicitis confugisse. Estote illis remissi,
stris finibus celantur exterriti. Memorabilis
ius est Alamannum acerrimum sic expavisse,
eum cogas de vitæ munere supplicare. Sufficiat
egem cum gentis suæ superbia cecidisse; suf-
innumerabilem nationem partim ferro, partim
subjugatam. Nam si cum reliquis confligis,
cunctos superasse non crederis. In talibus cau-
ipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter
rovenerunt, quæ moderato fine peracta sunt.
i vincit assidue, qui novit omnia temperare,
icunda prosperitas illis potius blanditur qui au-
le nimia non rigescunt. Cede itaque suaviter
nostro quod sibi gentilitas communi remittere
vit exemplo. Sic enim fit ut et meis petitioni-
lisfecisse videamini, ne sitis solliciti ex illa
quam ad nos cognoscitis pertinere. Quocirca
ites gratia, honore et affectione, qua dignum
um et illum legatos nostros ad excellentiam
in consueta charitate direximus, per quos et
atis vestræ indicium, et speratæ petitionis con-
nur effectum. Quædam vero quæ ad nos pro
s utilitatibus pervenerunt, per harum portitores
insinuanda commisimus; ut cautiores effecti
possitis victoria constanter expleri. Vestra si-
a salus nostra gloria est: et toties regnum Ita-
oficere judicamus, quoties de vobis læta cogno-
s. Citharœdum etiam, arte sua doctum, pariter
avimus expetitum, qui ore manibusque consona
cantando, gloriam vestræ potestatis oblectet:
ideo tore credimus gratum, quia ad vos eum
istis magnopere dirigendum.

II. EXCERPTA EX EPISTOLA AVITI VIENNENSIS EPISCOPI AD CLODOVEUM REGEM [e].

(Ex Sirmondo.)

1322 Vestræ subtilitatis acrimoniam quorumcunque, etc. Siquidem et occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat, cujus splendorem congrue Redemptoris nostri nativitas inchoavit: ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum redemptioni suæ cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber est natalis Domini, sit et vestri. Quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus est mundo; in quo vos animam Deo, vitam præsentibus, famam posteris consecrastis. Quid jam de ipsa gloriosissima regenerationis vestræ solemnitate dicatur? cujus ministeriis etsi corporaliter non accessi, gaudiorum tamen communione non defui. Quando quidem hoc quoque regionibus nostris divina pietas gratulationis adjecit, ut ante baptismum vestrum ad nos sublimissimæ humilitatis nuntius perveniret. Unde nos post hanc exspectationem jam securos vestri sacra nox reperit. Conferebamus namque, nobiscumque tractabamus quale esset illud, cum adunatorum numerus pontificum, manus sancti ambitione servitii membra regia undis vitalibus confoveret, cum se Dei servis inflecteret timendum gentibus caput, cum sub casside crines nutritos salutaris galea sacræ unctionis indueret, cum intermisso tegmine loricarum immaculati artus simili vestium candore fulgerent, etc. Quapropter radiante perpetuum præsentibus diademate, absentibus majestate, successus felicium triumphorum, quos per vos regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas. Quotiescunque illic pugnatis, vincimus. Inter hæc tamen catholicæ religionis affectum servat in vobis cura miserendi, et in apice rerum omnium gubernacula continente non minus eminet sanctitas quam potestas. Ex qua utique factum est ut dirigi ad vos servi vestri viri illustris Laurentii filium principali oraculo juberetis; quod apud dominum meum, suæ quidem gentis regem, sed militem vestrum, obtinuisse me suggero. Nihil quippe est in quo servire non potest. Commendat directum. Congaudi misso, invidi vos visuro. Cui minus computandum est ad utilitatem parenti proprio restitui, quam patri omnium præsentari.

Gratulatus est etiam hac occasione regi Chlodoveo Anastasius pontifex Romanus, cujus epistola edita est. Qui tunc quoque, ut quidem existimant viri eruditi, beatum Remigium suum in Francorum regno vicarium instituit, quamvis epistola ea de re data, quam Hincmarus retulit, Hormisdæ nomen præferat.

III. EXCERPTA EX COLLATIONE EPISCOPORUM CORAM REGE GUNDEBALDO [f].

(Ex Spicil. t. V.)

Providente Domino Ecclesiæ suæ, et inspirante pro salute totius gentis cor domni **1323** Remigii, qui ubique altaria destruebat idolorum, et veram fidem potenter cum multitudine signorum amplificabat, factum est ut episcopi plures non contradicente rege congregarentur, si fieri posset, ut Ariani, qui religionem Christianam scindebant, ad unitatem possent reverti. Quod ut melius fieret, videreturque id non consilio accidisse sed occasione, domnus Stephanus scripsit ad episcopos multos, et invitavit illos ad festivitatem sancti Justi quæ instabat, in qua ob frequentiam miraculorum fiebat concursus plurimus populorum. Venerunt itaque de Vienna Avitus, de Arelate Æonius, de Valentia..... de Massilia..... jus, et plures alii, omnes catholicæ professionis et laudabilis vitæ in Domino. Qui omnes ad salutationem regis cum domno Stephano ad Sarbiniacum, ubi tunc erat,

---

l est, *Persæ*.
Mediolanum.
Euphrates ex Eden paradiso fluit.
Vide sancti Gregorii Historiam Francorum lib. II, cap. 30. Ed.
Vide ibid., cap. 31. Ed.
Vide ibid., cap. 34, col. 230, not. *h*. Ed.

profecti sunt. Erant quidam inibi de potentioribus Arianis cum eo, qui si potuissent, prohibuissent nostrorum accessum ad regem, sed, Domino cooperante, nihil profecerunt.

Post salutationem factam domnus Avitus, cui, licet non esset senior nec dignitate, nec ætate, tamen plurimum deferebatur, dixit ad regem : Si Excellentia vestra vellet procurare pacem Ecclesiæ, parati sumus fidem nostram tam clare demonstrare esse secundum Evangelium et apostolos, quod nulli dubium erit illam, quam retinetis, non esse secundum Deum et Ecclesiam. Habetis hic de vestris qui sunt instructi in omnibus scientiis, jubeatis ut nobiscum colloquantur, et videant si possint respondere rationibus nostris, ut parati sumus respondere rationibus eorum. Ad quæ rex respondit : Si vestra fides est vera, quare episcopi vestri non impediunt regem Francorum, qui mihi bellum indixit, et se cum inimicis meis sociavit, ut me destruerent? nam non est fides ubi est appetentia alieni, et sitis sanguinis populorum ; ostendat fidem per opera sua. Tunc humiliter respondit domnus Avitus, faciem habens angelicam ut et sermonem : Ignoramus, o rex, quo consilio et qua de causa rex Francorum facit quod dicitis ; sed Scriptura nos docet quod propter derelictionem legis Dei sæpe subvertuntur regna, et suscitantur inimici omni ex parte, illis qui se inimicos adversus Deum constituunt. Sed redite cum populo vestro ad legem Dei, et ipse dabit pacem in finibus vestris. Nam si habetis pacem cum illo, habebitis et cum cæteris, et non prævalebunt inimici vestri. Cui rex : Nonne legem Dei profiteor? sed quia nolo tres deos, dicitis quia non profiteor legem Dei. In Scriptura sancta non legi plures esse deos, sed unum, etc. [a].

Crastina die factum est. Nam rex per Sagonam rediens ad urbem, misit ad domnos Stephanum et Avitum, ut venirent apud illum : qui cum venissent, rex dixit ad illos : Habetis quod postulatis. Nam sacerdotes mei parati sunt vobis ostendere quod nullus potest esse coæternus et consubstantialis Deo. Sed nolo ut id fiat coram omni populo, ne **1324** turbæ excitentur ; sed tantum coram senatoribus meis, et aliis quos eligam, sicut vos eligetis ex vestris quos volueritis, sed non in magno numero, et id fiet de crastina in hoc loco. Quo dicto, episcopi, salutato rege, discesserunt et reversi sunt, ut omnia intimarent aliis episcopis. Erat autem vigilia solemnitatis sancti Justi, et licet optavissent quod hoc fieret die solemnitatem sequenti, noluerunt tamen propter tantum bonum amplius procrastinare. Sed unanimiter decreverunt apud sancti Justi sepulcrum pernoctare, ut illo intercedente obtinerent a Domino petitiones cordis sui. Evenit autem ut ea nocte cum lector secundum morem inciperet lectionem a Moyse, incidit in illa verba Domini : *Sed ego indurabo cor ejus, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, et non audiet vos* (*Exod.* VII). Deinde cum post psalmos decantatos recitaret ex prophetis, occurrerunt verba Domini ad Isaiam dicentis : *Vade et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi ejus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus audiat, et intelligat suo corde et convertatur et sanem eum* (*Isai.* VI). Cumque adhuc psalmi fuissent decantati et legeret ex Evangelio, incidit in verba quibus Salvator exprobrat Judæis incredulitatem : *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et in Sidone virtutes factæ fuissent, quæ sunt factæ in vobis, jam dudum in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI). Denique cum lectio fieret ex Apostolo, pronuntiata sunt verba illa : *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam sustinentia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in tempore iræ* (*Rom.* II). Quod cum ab omnibus episcopis observatum fuisset, invenerunt lectiones illas sic occurrisse volente Deo, ut scirent induratum esse cor regis, Deum in sua impœnitentia relinquere, ad ostendendas justitiæ suæ ; unde valde tristes effecti in lacrymis transegerunt. Non destiterant veritatem nostræ religionis contra Arianos. Igitur tempore quo rex jusserat convenire episcopi, et simul ad regem vadunt cum clerobitis et diaconibus, et quibusdam de his inter quos erant Placidus et Lucanus, qui præcipuis militiæ regis. Venerunt etiam Arsuis. Cum ergo sedissent coram rege domnis pro Catholicis, Bonifacius pro Arianis, habuerunt. Sed postquam domnus Avitus fidem nostram cum testimoniis sacræ Scierat alter Tullius, et Dominus inspirabat gratibus quod dicebat ; tanta consternatio cecidit Arianos, ut qui satis amicabiliter audientiam rat Bonifacius, nihil omnino respondere rationes domni Aviti, sed tantum quæstiones proponeret, quibus videbatur velle regem fa cum ab Avito urgeretur, **1325** ut respond tedicta, promitteus se etiam responsurum ad posuerat, non potuit respondere ad unam de quæ fuerant a domno Avito propositæ, neque defensione suæ partis allegare ; sed tantum conviciis aperiebat, et dicebat Catholicos esse tores, et colere multitudinem deorum. Quod d ceret, videretque rex confusionem suæ sexit de sua sede, dicens quod in crastinum re Bonifacius. Discesserunt ergo omnes episcadhuc dies non erat inclinata, iverunt simul e catholicis ad basilicam domni Justi, confitenum quoniam bonus, et laudantes eum, qui lis talem victoriam de inimicis suis.

Sequenti vero die iterum ad regiam pr his qui in præcedenti aderant. Cumque ingr invenerunt Aredium, qui eis persuadere regrederentur, etc.

Cum itaque sedisseut, domnus Avitus probavit quod Catholici non plures deos ut sapientiam ejus tam Catholici quam cum stupore mirarentur. Id autem fecit, deret conviciis quæ Bonifacius in nostram cerat. Postquam ergo conticuit, ut locum sponsionibus Bonifacii, nihil aliud potuit i quam quod præcedenti die fecerat : et co dens convicia, tanto impetu clamabat, ut tate non posset amplius loqui, et quasi su Quod cum rex vidisset, et satis diu exspect dem surrexit vultu indignationem prætend Bonifacium. Tunc domnus Avitus dixit Si sublimitas vestra vellet jubere ut hi re propositionibus nostris, ut posses judicar fides esset retinenda. Sed nihil rex respon cæteri Ariani, qui erant cum illo : adeo erant de doctrina et sapientia domni Aviti videret eorum silentium, subjunxit : Si possunt respondere rationibus nostris, q cur non omnes simul conveniamus in e Tunc murmurantibus illis, de sua fide Domino, addidit : Si rationes nostræ no il os convincere, non dubito quin Deus fidei miraculo confirmet ; jubeat sublimitas ves ibi quam nos eamus ad sepulcrum hominis et interrogemus illum de nostra fide, si Bonifacius de sua, et Dominus pronuntiat servi sui in quibus complaceat. Rex atte nuere videbatur, sed inclamare cœperunt dicere se pro fide sua manifestanda facere fecerat Saul, et ideo maledictus fuerat; currere ad incantationes et illicita, sufficer habere Scripturam, quæ sit fortior omnibu

[a] Vide sancti Gregorii Historiam Francorum, lib. II, cap. 32. Ed.

giis. Et hæc semper repetentes, et bonitas potius quam vociferantes, rex qui jam surrexerat, accipiens per manus dominum Stephanum et dominum Avitum, duxit eos usque ad cubiculum suum, et cum intraret amplexus est eos, dicens ut **1326** orarent pro eo. Cognoverunt quidem illi perplexitatem et angustias cordis ejus, sed quia Pater eum non traxerat, non potuit venire ad Filium, ut veritas impleretur : *Non est volentis, neque festinantis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX). Et ex ea die plurimi Ariani ad pœnitentiam venerunt, et post aliquot dies baptizati fuerunt. Et magnificavit Dominus fidem nostram per intercessionem domni Justi in conspectu omnium.

EPISTOLA SANCTI REMIGII AD CLODOVEUM REGEM [a].

Domino illustri meritis Clodoveo regi, Remigius episcopus. Angit me, et satis me angit, vestræ causa tristitiæ, quod gloriosæ memoriæ germana vestra transiit Albochledis; sed consolari possumus quia talis de hac luce discessit, ut recordatione magis suscipi debeat quam lugeri. Illius enim vitæ fuit, quod assumpta credatur a Domino, quæ a Deo electa migravit ad cœlos. Vivit vestræ fidei, cui est conspectus desiderio recepta. Christus implevit ut benedictionem virginitatis acciperet : quæ sacrata non est lugenda, quæ fragrat in conspectu Domini flore virgineo, quo scilicet et corona tecta, quam pro virginitate suscepit. Absit ut a fidelibus lugeatur, quæ bonus Christi odor esse promeruit, ut per eum cui placet auxilium possit conferre poscentibus. Dominus meus, repelle de corde tuo tristitiam, animo rite composito regnum sagacius gubernante, erectiora sumente studio serenitatis consilia : læto corde membra confortata, mœroris torpore discusso, acrius invigilabis ad salutem. Manet vobis regnum administrandum, et Deo auspice procurandum. Populorum caput estis, et regimen sustinetis. Acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicia videre consueverunt. Esto ipse tuæ animæ consolator, vigorem illius providentiæ continens ingenitæ, ne tristitia candorem tuæ menti subducat. De ejus præsente transitu, quæ choris est juncta virgineis, ut credo, rex gaudet in cœlo. Salutans gloriam vestram, commendo familiarem meum presbyterum Maccolum, quem direxi. Quæso ut tanti habeatis ignoscere, quod qui occursum debui, exhortatoria destinare verba præsumpsi. Tamen per harum bajulum, si jubetis ut vadam, contempta hiemis asperitate, frigore neglecto, itineris labore calcato, ad vos, auxiliante Domino, pervenire contendam.

ITEM ALIA AD EUMDEM [b].

Domino insigni et meritis magnifico Clodoveo regi, Remigius episcopus. Rumor ad nos magnus pervenit administrationem vos secundam rei bellicæ suscepisse. Non est novum ut cœperis esse sicut parentes tui semper fuerunt. Hoc in primis agendum, ut Domini judicium a te non vacillet, ubi tui meriti, qui per industriam **1327** humilitatis tuæ ad summum culminis pervenit : quia, quod vulgus dicitur, ex fine actus hominis probatur. Consiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare; et beneficium tuum castum et honestum esse debet, et sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, et ad eorum consilia semper recurrere. Quod si tibi bene cum illis convenerit, provincia tua melius potest constare. Cives tuos erige, afflictos releva, viduas fove, orphanos nutri, si potius est quam erudies, ut omnes te ament et timeant. Justitia ex ore vestro procedat, nihil sit sperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona, aut aliquid accipere velis. Prætorium tuum omnibus pateat, ut nullus exinde tristis abscedat. Paternas quascunque opes possides, captivos exinde liberabis, et a jugo servitutis absolves. Si quis in conspectu vestro venerit, peregrinum se esse non sentiat. Cum juvenibus joca, cum senibus facta, si vis regnare, nobilis judicari.

CLODOVEI REGIS EPISTOLA AD EPISCOPOS [c].

(Ex Ed. et Ms. Corb.)

Dominis sanctis et apostolica sede dignissimis episcopis, Clodoveus rex. Enuntiante fama, quod actum fuerit vel præceptum omni exercitui nostro, priusquam in patria Gothorum ingrederemur, Beatitudini vestræ præterire non potuit. In primo quoque de ministerio Ecclesiarum omnium præcipimus, ut nullus ad subripiendum in aliquo conaretur; neque de sanctimonialibus, neque de viduis, qui se in religione Domini devotas esse probarentur. Simili conditione et de clericis, vel filiis supradictorum tam clericorum quam viduarum, qui cum illis in domo ipsorum consistere videantur. Id vel de servis ecclesiarum, quos de ecclesiis tractos per episcoporum sacramenta constiterit, præceptum est observare, ut nullus ex ipsis aliqua violentia vel damnum pateretur. Sic ita ad integrum est agnoscendum, ut ex his sua data, si aliquis vim captivitatis pertulisset, sive in ecclesiis, sive extra ecclesias, omnino sine aliqua dilatione reddendos esse præcipimus. De cæteris quidem captivis laicis, qui extra pace sunt captivati, et fuerint approbati, apostolia cui volueritis arbitrii vestri est non negandum. Nam de his qui in pace nostra, tam clerici quam laici, subrepti fuisse ut, si vir. acter agnoscitis vestras epistolas de annulo vestro infra signatas, sic ad nos omnimodis dirigantur, et a parte nostra præceptionem latam noveritis esse firmandam. Sic tamen populus noster petit ut cuicunque epistolas vestras præstare fueritis dignati, cum sacramento per Deum, et benedictione vestra dicere non tardetis, remittam quæ poscitur veram esse : quia multorum varietates vel falsitates inventæ sunt, ut comprehendatur, sicut scriptum est : Perit justus cum impio. Orate pro me, domini sancti, et apostolica sede dignissimi papæ.

DIPLOMA CLODOVEI MAGNI DE CONDITIONE CŒNOBII MITIACENSIS APUD AURELIANOS.

(Ex Spicil. tom. V.)

Clodoveus Francorum rex vir illuster. Tibi, venerabilis senex Euspici, tuoque Maximino, ut possitis, et hi qui vobis in sancto proposito succedent, pro nostra dilectæque conjugis et filiorum sospitate divinam misericordiam precibus vestris impetrare, Miciacum concedimus, et quidquid est fisci nostri intra fluminum alveos per sanctam confarreationem et annulum inexceptionaliter tradimus, et corporaliter possidendum præbemus absque tributis, naulo et exactione, sive infra sive extra Ligerim et Ligerinum, cum Querceto et Salicto et utroque molendino. Tu vero, Eusebi sancte, religionis catholicæ episcope, Euspicii senectam fove, Maximino fave; et tam eos quam possessiones eorum in tua parochia ab omni calumnia et injuria præsta liberos. Neque enim nocendi sunt, quos regalis affectus prosequitur. Idem agite, o vos omnes sanctæ catholicæ religionis episcopi. Vos ergo, Euspici et Maximine, desinite inter Francos esse peregrini; et sint vobis loco patriæ in perpetuum possessiones, quas donamus in nomine sanctæ, individuæ, æqualis et consubstantialis Trinitatis. Ita fiat ut ego Clodoveus volui. Eusebius episcopus confirmavi.

EPISTOLA LEONIS EPISCOPI SENONENSIS AD CHILDEBERTUM REGEM, NE MELEDUNI IN DIŒCESIS SUÆ PARŒCHIA, UBI NUNQUAM FUIT, NOVUS FIAT EPISCOPATUS [d].

(Ex Ed. et Ms. Corb.)

Domno illustri, gloriosissimo domno, et in Christo filio CHILDEBERTO regi Leo episcopus. Litteras celsitudinis vestræ honore quo dignum est me judico suscepisse, ubi sperare dignamini, ut ad ordinandum

[a] Vide sancti Gregorii Historiam Francorum, lib. II., cap. 31, in fine. ED.

[b] Ibid., cap. 37. ED.

[c] Ibid., ED.

[d] Ibid., lib. VI, cap. 31, not. *c* col. 397. ED.

Mecledonium episcopum aut præsentia nostra adesse debeat, aut consensus. Quam rem valde admiratos nos gloria vestra cognoscat, quod primum sine jussu gloriosissimi domni principis nostri, filii vestri Theudoberti regis, cujus sumus regni ordinatione subjecti, injungitis, ut ea quæ anteacto tempore facta non sunt, nunc præsentia nostra aut consensu debeant inchoari. Præcipue nunquam nec suspicari, nec credere potuimus, quod hanc aut ordini nostro, aut etiam temporibus vestris velletis injuriam generari, ut diœcesim nostram a Deo nobis commissam, et usque nunc pontificali ordine Deo propitio custoditam, tanquam negligentes ac desides ad alterius permittamus potestatem transire, aut sollicitudinem irrationabili deliberatione transferri. Unde salutantes digno ac debito in Deo charitatis affectu, rogamus et contestamur, ne ullus pontificum contra statuta Patrum audeat facere, unde possit, synodali examinatione convictus, de illicita præsumptione culpari. Illa **1329** tamen vestris debent fieri, Deo inspirante, temporibus, unde et pax inter sacerdotes esse possit, et plebs non permittatur a pastoris proprii custodia per novam et illicitam ordinationem divelli. Custodite, quæso, statuta Patrum, et canonum severitate constricti, non patiamini, sicut scribitis, ad petitionem ejus plebis, superstite proprio sacerdote, alterum episcopum ordinari. Quia si hoc petunt, quod nefas est credi, aesertores potius judicandi sunt quam fideles. Et non eorum preces facile audiri debent a principe, quorum petitionibus potius generentur scandala, quam pax Deo amata servetur. Quia sicut beati sunt pedes pacem portantes, ita væ his dictum est, per quos venit scandalum. Qui si fortasse ob hoc alterum episcopum sibi fieri rogant, quia nos, interclusis itineribus, ad eos nec visitatorem mittere possumus, nec venire, ista culpa nos non respicit; quia si iter a vestra parte, sicut optime nostis, interclusum tanto tempore non fuisset, quamvis senes aut infirmi, populum nobis ecclesiastica disciplina commissum requirere potueramus, aut certe visitatorem, sicut canones statuunt, destinare. Nam Gloria vestra optime debet et credere et scire quia si contra statuta canonum quicunque episcoporum sine consensu nostro Mecledone episcopum voluerit ordinare, usque ad papæ notitiam vel synodalem audientiam, tam hi qui ordinaverint, quam qui ordinatus fuerit, a nostra erunt communione disjuncti. Leo Christi servus suscripsi.

A

B

C

—

INCIPIT EPISTOLA CLEMENTISSIMI ET BEATI REGIS NOSTRI CHILDEBERTI, DATA PER ECCLESIAS SACERDOTUM, VEL OMNI POPULO *.

(Ex ed. Et Ms. Corb.)

Credimus hoc Deo propitio ut ad nostram mercedem, et ad salutem populi pertinere, si populus Christianus, relictam idolorum cultoram, Dei, cui integram promisimus fidem, in quantum inspirare dignatus fuerit pure deservire debeamus. Et quia necesse est ut plebs, quæ sacerdotis præceptum non ita ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur imperio, hanc chartam generaliter per omnia loca decrevimus emittendam, præcipientes, ut quicunque admoniti de agro suo, ubicunque fuerint simulacra constructa, vel idola dæmoni dedicata ab hominibus facta, non statim abjecerint, vel sacerdotibus hoc destruentibus prohibuerint, datis fidejussoribus non aliter discedant nisi in nostris obtutibus præsententur. Qualiter in sacrilegos Dei injuria vindicetur nostrum est pertractandum, et quia fides nostra ut verbo de altario sacerdote faciente quæcunque de Evangelio, prophetis vel Apostolo fuerit annuntiatum, in quantum Deus dat intellectum, ad nos quærimonia processit multa sacrilegia in populo fieri, unde Deus lædatur, et populus per peccatum declinet ad mortem, noctes pervigiles cum ebrietate, scurrilitate vel cantieis, etiam in ipsis sacris diebus, Pascha, Natale **1330** Domini, et reliquis festivitatibus, vel adveniente die Dominico bansatrices per villas ambulare. Hæc omnia unde Deus agnoscitur lædi nullatenus fieri permittimus. Quicunque post commonitionem sacerdotum, vel nostro præcepto sacrilegia ista perpetrare præsumpserit, si servilis persona est, centum ictus flagellorum ut suscipiat jubemus. Si vero ingenuus aut honoratior fortasse persona est districta inclusione digna, sunt hi autem in pœnitentiam redigendi, ut qui salubria et a mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem corporis eos ad desiderandam mentis valeat reducere sanitatem.

Constitutiones a subsequentibus regibus factas habes tome I Capitularium regum veri clarissimi Stephani Baluzii.

—

FORMULÆ ANTIQUÆ.

(Ex tom. IV Anal. Mabillon.)

Formula solemnis de dote. — Hic est testamentum, quarto regnum domni nostri Childeberto reges, quod fecit missus ille Chestantus. Cum juxta consuetudinem Andicavis civetate, curia puplica resederet in foro, ibique vir magnificus ill. prosecutor dixit: Rogo te vir laudabilis ill. defensor, ill. curator, ill. magister militum, vel reliquum curia puplica utique obticis [codices] puplicis patere jobeatis, quia habeo quid apud acta prosevere debiam. Defensor pri cipsis simul et omnis curia puplica dixerunt: Patent tibi cotecis puplici, prosequere quæ optas. Obedire illa per mandato suo pagina mihi injunxit, ut prosecutor exsistere deberit, qualiter mandatum, quam in dulcissimo jocali meo ill. fici pro omnis causationis suas, tam in paco, quam et in palacio, seu in qualibet loca accidere faciat illa porciones meas, quem ex alode parentum meorum ei legibus obvenit, vel obvenire debit, aut justissime ei est reddebetum. Econtra parentis suis vel contra cujuslibet hominem accidere vel admallare seu et liticare facias inspecto illo mandato, quem in dulcissemo jocali meo ill. fici, gestis municipalibus adlegare debeam. Curia vero dixerunt: Mandato quem tibi habere dicis, accipiat vir venerabilis ill. diaconus et amanuensis. Ill. prosecutor dixit: Rogo domno meis omnibus puplicis, ut sicut mandatum istum legebus cognovistis esse factum, ut dotem, quem præ manibus tenio, vobis præsentibus in foro puplico jobeatis recitari. Curia vero dixerunt: Dotem quem te dicis præ manibus retenire, ill. diaconus et amanuensis Andecavis civitate nobis presentibus accipiat relegendum, quo acceepto dixit.

Mandatus. — Domno mihi jocali meo ill. rogo atque supplico dulcissima gratia vestra, ut ad vicem meam omnis causationis nostris, tam in pago quam et in palacio, seo in qualibet loca accidere faciatis, et illas portiones nostras, quem ex alode parentum meorum mihi legibus obvenisse vel obvenire debit, aut, justissime nobis est redebitum, hæc contra **1331** parentis meus, vel contra cujuslibet hominum, accidere vel admallare, seu adliticare faciatis, et quidquid exinde ad vicem nostram egeris, feceris, gesseriseve, etenim me habiturum esse cognoscas rectum. Juratum mandatum Andecavis civitate, cura puplica.

Cessio. — Dulcissima et cum integro amore diligenda sponsa mea, filia ill. nomen ill. ego ill. Et quia propitio Domino juxta consuetudinem una cum voluntate parentum tuorum sponsavi, proinde cido tibi de rem paupertatis meæ, tam pro sponsalitia, quam pro largitate tuæ, hoc est casa cum curte circumcincta, mobile et immobile, silvas, prata, pascua, aquas, aquarumve decursibus, junctis et subjunctis, et in omnia superius nominata, tu dulcissima sponsa mea ad die filicissimo nupciarum tibi per hanc car-

D

* Vide sancti Gregorii Historiam Francorum, l.b. IV, cap. 20. Ed.

sione dilecto adque transfundo, ut in tuæ jure hoc recepere dibeas. Cido tibi bracile valente solidus tantus, toneneas tantas, lectario ad lecto vestito valente solidus tantus, inaures aureas valente solidus tantus, annolus valentes solidus tantus. Cido tibi caballus cum sambuca et omnia stratura sua, boves tantus, vaccas cum sequentes tantus, ovis tantus, solidis tantus. Hæc omnia subscripta rem in tuæ jure et domenacione hoc recipere debias, vel posteris tuis, si inter nus procreati fuerunt derelinquentis, salvo jure sancti ill. cujus terræ esse videtur. Et si fuerit ullo umquam tempore, qui contra hanc cessione ista, quem ego in te bona voluntate conscribere rogavi, aut ego ipsi, aut ullus de heredibus meis vel propinquis meis, aut qualibet homo vel extranea, aut emissa persona veni e voluerit, aut agere vel repetire præsumpserit, ante lite ingressus duplet tibi tantum, et alio tantum, quantum cessio ista contenet, aut eo tempore meliorata voluerit, et repetitione sua non obteniat effectum : et hæc cessio ista atque voluntas nostra omni tempore firma permaneat. Post hæc curia ait : Se adhuc aliquid abis ex hac causa, aut agere debias, dic tu in præseme. Ill. prosecutor dixit : Gratias agamus magnitudini vestræ, quod datem sua scripta, quem prosequi., gestis municipalibus ut habuit caretas vestra allegasse..... fecisse vobis ex more conscripse.

Alia cessio. — 2. Quod bonum faustum sit, lex felicitatis ad satis adsentit, et lex Romana edocit, et consuetudo pagi consentit, et Principalis potestas non prohibet, ut tam pro se interveldentem, quam ad die filicissimo nuptiarum obtabile evenientem. Id circo ego in Dei nomine, ill. nomen, ante proscribo ad sponsam meam, nomen illa, fi ia illius, transcribo ad ipsa per hanc epistola atque cessione, hoc est casa cum curte etc.

Item cessio. — 3. Dulcissima etc. Ego ill. filius ill. dum non habetur incognitum qualiter te secundum lege Romana sponsatam visus sum habere etc. habeas concessum dum advixeris perpetualiter ad usum fructuario ad possedendum etc.

Judicius. — 4. Veniens homo nomen ill. ante venerabile **1332** vir ill. abbate, vel reliquis viris venerabilibus adque magnificis, quorum nomina subtus tenuntur inserti, interpellabat aliquo homine nomine ill. quasi servicium ei redeberit; et illi taliter de præsente aderat. et hoc fortiter denegabat quod servitium numquam redebebit. Interrogatum fuit ipsius ill. de sua agnacione alius homines in suum servicium habebat an non : et ipsi ill. taliter locutus fuit ut hoc non redebebat, nam ipsi ill. servitium ei non redebebat, at de agnatione aut de comparato ut hoc inter se intenderent ut dum ipsi ill. alius homines de sua agnacione non redebebat. Sic visum fuit ipsius abbati vel quibus in eus aderant, ut ipsi homo aput homines XII. manu sua XII. in basilica domne illius in noctis tantis conjurare deberet, quod de annus XXX. seu amplius, servicium ei numquam redebebat. se hoc facere potebat, ipsi ill. de hac causa contra ipso ill. compascere deberit : sin autem non potuerit hoc immendare studiat.

Sacramentum. — Notitia sacramenti, qualiter vel quibus præsentibus ingressus est ill. apud homines tantus ingenuos super altare ill. Andecavis civetate, pro eo quod homine nomen ill. ipso pro servicium interpellabat ad vicem genetore suo, seu et genetrice sua. Juratus dixit, juxta quod judicius ex hoc loquitur, per hanc loco sancto et divina omnia quod hic agantur de annis XXX. seu amplius sub ingenuetate nomen reseb. nam et ipsi superius nomenatus servitium non rededi, nec redebio pro reverentia loci. Id sunt quorum præsentia.

5. *Aliud.* — Item notitia sacramenti.... Juratus dixit : Per hunc loco sancto et divina omnia sanctorum patrocinia, qui hic requiescunt, etc.

6. *Aliud.* — Breve sacramenti... in basileca domne ill. Juratus dixit : Per hunc loco sancto et divina omnia quæ hic agantur, quæ hic Deo plenius offerantur, unde nihil homo, nomen ill. interpellabat, eo quod caballo suo furassit etc.

7. *Solsadia.* — Notitia solsadii qualiter vel quibus præsentibus ill. homo placetum suum adtendit Andecavis civetate Kalendas ill. per judicio illustri ill. comite, vel auditores suis ac contra homines his nominibus ill. et ill. vel genitrici eorum nomen ill. una cum abunculo eorum ill. dum dicerit quasi aliqua femena nomen ill. genetore eorum nomen ill. pro maleficio eum interferis-et. Qui ipsi jam superius (a) nomenati placetum eorum legebus a mane usque ad vesperum visi fuerunt custodi-se. Nam ipsa femena nec ad placetum advenit, nec misso ad persona addirexit, qui sonia redebuissit. propter ea necesse fuerit prædictis hominibus ut hanc notitiam bonorum hominum manibus roboratas prosequere deberent, qualiter et visi sunt fecisse.

8. *Appennis.* — Quicunque ad latruncolus scelerat ribus, seditiosis seu incendiariis in qua provincia vim aut damnum pertulerit, oportet hoc eidem rectores civium seu Curiales provinciæ, **1333** in qua perpetratum fuisse perhibetur, palam ostendere, et publica denuntiatione manifestare. Igitur cum pro utilitate Ecclesiæ vel Principale negotio apostolicus vir, illi episcopus, necnon et inluster vir illi comes, in civetate Andecave cum reliquis venerabil bus atque magnificis reipuplicæ viris resedissit, ibique veniens homo, nomen ill. palam suggereret ceu casa sua in loco nuncupante illo. homines advenissent, et ostia sua frigissent, vel res suas, aurum, argentum, species, vestimentum, fabricaturas suas, vasa ærea, vel reliquas res quamplures, cum strumenta cartarum vinditionis, cautionis, cessionis, donationis, dotis, conposcionalis, contulationis, commutationis, pactis, convenientiis, securitatis, vacuaturiis, judiciis et notitias, oblecationis vel reliquas res quamplures, quam longum est per singula minustire, ad furtis ejusis deportassent. Unde per ipsas cartas pluras terras post se dicere venditum, et in crastenum locale accessione una cum bonas extraneas personas vicinis circa manentis in ipso loco manibus eorum roboratas accessisse : et ob hoc cognita relatione ante suprascriptus seniores præsentabant ad relegendum, per quem ipsum seniores cognoverunt, quod ipsa causa taliter acta, vel perpetrata fuisset, dum taliter diligentia inquirere videtur sub lectum fuit ad ipsas bonas strameas personas vicinis circa manentes, qui bene optime ex hoc comperti aderant, quid exinde cognuscibant, veraciter enarrare deberent, se ipsi homo taliter præbuerunt testimonium : ut inspecta illa epistola quem illi præsentabat, sua denuntiatione veraciter concordabant. Dum sic in omnibus devolgata claruit si suprascriptus pontifex et ipsi comis, vel qui cum eo aderant, denuntiaverunt ipsius illi, ut quicquid per annorum spatia de eo tempore usque nunc recte et legaliter possederat, in antea absolve prince pale negotio, recto tramite, testata lege servit, res suas ipsi aut heredis sui tenire et possedire faciant. Et pro præsente et futura tempora convenit, ut hanc cartola, qui vocatur appennis, præfatorum seniorum, vel reliquorum civum eorum manebus roboratas acciperet, adfirmare deberet. quod ita et fecit : itaut duo appennis coæquatis ex hoc adfirmatus accipiat. unum, quem ipsi apud se retineat ; et alium quem in foro populi o suspenditur. Facto appenni.

9. Incipit epistola quem pater et mater facit ad filio. Licet unicuique de rebus suis, quas in præsenti sæculo habere videtur, tam ad sancta loca seu parentum meliorare, et lex manet, et consuetudo longinqua percurrit facere quod voluerit. Idcirco ego in Dei nomen ill, et cozive mea illa dulcissimo, et a nobiscum integra amore diligendo filio illo. Dum in

(a) Ibid., lib. VII, cap. 25.

omnibus et per omnia, et super totum nobis fideliter servire videris multas penurias et injurias per diversa loca pro nostra necessitate suscepisti; et in utilitate Dominorum partibus Britanici seu Waseonici hostiliter ordine ad specie mea fuisti : proinde convenit nobis ut aliquid de facultatis **1334** nostræ te emeliorare debererit. quod ita et fecerunt. Ergo transcrivimus tibi etc.

40. Notitia [de Matrimonio servorum]. Notitia qualiter ill. et ill. Non habitur incognitum qualiter servus nomen ill. ancilla ad ill. nomen ill. extra voluntatem ad conjugium se conjunxerunt, sed modo nos una pacis concordia conveuit, ut de agnatione, qui de ipsis procreati fuerint, ill. ad ancilla sua duas partes recipiat, ego et ill. ad servo suo ill. tertia, et quod ipsi aliquid stante conjugio convenerunt ill. servo suo de ipso peculiare duas partes recipiat : similiter et illa ad ancilla sua illa tertia. Proinde ut in postmodum nulla altercatio inter nos non debeat esse, ut manus nostra exinde per duas epistolas uno tenore conscriptas facere deberimus, quod ita et fecimus, et pro rei totius firmitate modo adfirmavimus, ut nec nos ipsi nec ullus de heredibus vel de propinquis nostris, aut militans stranea persona, qui contra istas epistolas venire voluerit, ad dupla pecunia teneatur obnoxius, et illa petitio non obteniat effectum, et has conventias inconcusso et inconvulso teneat firmitate.

DE LEGIBUS FRANCORUM.

(Ex Capitul. Baluz.)

Theodoricus rex Francorum, cum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante jussit conscribere legem Francorum et Alamannorum et Bajuvariorum, unicuique genti, quæ in ejus potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit quæ addenda erant, et improvisa et incomposita resecavit; et quæ erant secundum consuetudinem paganorum, mutavit secundum legem Christianorum. Et quidquid Theodericus rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Childebertus rex inchoavit, sed Clotarius rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus rex gloriosissimus per viros illustres Claudium, Chaudum, Indomagum, et Agilulfum renovavit, et omnia vetera legum in melius transtulit, et unicuique genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant. Hoc decretum est apud regem et principes ejus et apud cunctum populum Christianum, qui infra regnum Merwungorum consistunt.

EPISTOLA SYNODI ARVERNICÆ AD THEODEBERTUM REGEM.

Ut clerici aliive qui regum aliorum dominio subjacent, possessionibus quas in ejus regno jure obtinent non fraudentur.

Domino illustri atque præcellentissimo domno et filio Theodeberto regi, Honoratus, etc., episcopi. Dum in Arverna urbe ad replicanda canonum instituta, vel studio elucidandæ legis ecclesiasticæ, bis **1335** qui dubitatione regendæ vitæ propriæ forsitan premebantur, cultores vestri, ecclesiarum vestrarum episcopi pariter sederent, plurimorum ad nos suæ desperationis remedium flagitantium turba confluxit, sperantes, ut non minus pro regni vestri felicitate quam pro sua consolatione pietatem vestram nostra humilitas exoraret, et per suggestionem nostram justitiæ et pietatis vestræ auribus intimaretur, ut nullum de rebus vel possessiunculis propriis alienum pietas vestra permitteret, et dum unius regis quisque potestati ac dominio subjacet, in alterius sorte positam, cujuscunque, ut assolet, impetitione non amitteret facultatem. Quod nos de vestri culminis justitia et pietate fidentes, non credimus denegandum : ut dum plurimorum necessitatibus justa, ut credimus, et Deo placente suggestione consulimus, prosperitatem regno vestro et repræsentationem cælestis Domini per indultam pietatis gratiam augeatis. Unde reverentissime, ut dignum est, supplicantes quæsumus, ut hoc nostræ petitioni divino intuitu pietas vestra non deneget, ut tam rectores ecclesiarum quam universi clerici, atque etiam sæculares, sub regni vestri conditione manentes, nec non ad domnorum regum patrum vestrorum dominium pertinentes, de quod in sorte vestra est extraneos, de quod habere proprium semper visi sunt, non permittatis existere, ut securus quicunque proprietatem suam possidens, debita tributa dissolvat domino, in cujus sortem possessio sua pervenit. Quod et thesauris vestris omnino utilius esse censemus, si per pœtatem vestram salvata possessio consuetudinariam intulerit functionem; et nos peculiarius vestra clementia consolatur, si obtentu hujuscemodi petitionis nos quoque Celsitudo vestra fecerit gratulari.

EXCERPTA EX EPISTOLA AURELIANI EPISCOPI ARELATENSIS AD THEODEBERTUM REGEM [a].

(Ex Freh. et Chesn.)

Domino inclyto et ubique gloriosissimo atque in Christo piissimo domino et Filio, Theodeberto regi Aurelianus episcopus. Licet tam sera scriptorum officia justissime trepidatio comitetur, tamen nequaquam reor sermo evasa offensione judicabitur, si apud aures clementiæ sola tantum devotione animi perpendatur. Hinc præcipue quod ambientibus cunctis Celsitudinem vestram, nec metum trahunt ex privilegio culminis, nec repulsam metuunt de præjudicio tarditatis. Vestra enim erectio ita solemnis est, ut etiam humilium amore tangatur, ac dignitatum cumulum onerata fastigia vernularum adhuc rudium primitivis cultibus præsumantur. Novis namque nunc studiis in obsequia religiosi principis informamur, et cum testimonio perfectæ dilectionis ad præsentiam sacratæ mentis admittimur. Hac ergo ex parte amoris nostri fiduciam, princeps optime, metieris, cum ministeriis tuis, nec territi pro tarditate subtrahimur, nec verecundia pauperis ingenii refraudamur. **1336** Suscipe igitur benigne devotionis studio tirocinia famulantum et gremia veniæ largioris expande supplicibus. Quia cum omnes generaliter bono cordis inclyti perfruantur, nos tamen etsi exigua portio obsequii vestri, plenitudinem nobis principalis indulgentiæ ad integrum vindicamus. Etenim cum de te loquimur, adest gratia eloquentia deest, et solo ornatui nostro materia sufficit, quanquam doctrina non adsit. Quæ cum ita sint, præclaram indolem laudis vestræ votis potius celebrabo quam litteris. Quoniam semper quæ sunt maxima, conscientiam potius requirunt quam linguam, digniusque committuntur pectoris judicio quam sermonis. Ac perinde non mihi in votis hoc commemorandum est, quod tempora celebrant, sed quod æternitas probat, etc.

EPISTOLA THEODEBERTI REGIS AD JUSTINIANUM IMPERATOREM.

(Ex Freh. et Chesn.)

Domino illustri et præcellentissimo domno et patri Justiniano imperatori Theodebertus rex. Theodorus vir exspectabilis cum Solonem veniens pariter litteras, quas imperii vestri clementia destinavit, integra animi charitate et devotione suscepimus, quia cum de nobis curam geritis, sic latius per diversas gentes atque provincias Dei amatam amicitiam propagamus. Id vero quod dignamini esse solliciti in quibus provinciis habitemus, aut quæ gentes nostræ sint, Deo adjutore, ditioni subjectæ, Dei nostri misericordia feliciter subactis Thuringis, et eorum provinciis acquisitis, extinctis ipsorum tunc temporis regibus, Norsavorum gentis nobis placata majestas colla subdidit, Deoque propitio Visi-

[a] Vide sancti Gregorii Historiam Francorum, lib. II, cap. 25, notamque f col. 261. Ed.

gothis, qui incolebant Franciæ septentrionalem plagam, Pannoniam cum Saxonibus Euciis, qui se nobis voluntate propria tradiderunt per Danubium et limitem Pannoniæ, usque in Oceani littoribus, custodiente Deo, dominatio nostra porrigitur. Et quia scimus augustam Celsitudinem vestram de profectu Catholicorum, sicut etiam litteræ vestræ testantur, plena animi jucunditate gaudere, ideo est quod secundum voluntatem vestram, quæ Deus nobis concesserit simplici relatione mandamus: desiderantibus animis exoptantes, ut felicibus profectibus gloria vestra ita valeat, ut antiquam retroactorum principum amicitiam conservetis, et gratia, quam sæpius promittitis, in communi utilitate jungamur.

EPISTOLA THEODEBALDI REGIS AD EUMDEM.

(Ex Freh. et Chesn.)

Domino illustri, inclyto, triumphatori ac semper Augusto Justiniano imperatori Theodebaldus rex. Accedentibus ad nos legatis vestris, Joanne et Missario, non mediocriter lætificati suscepimus, dum eorum relatione felicitatem imperii vestri divinitate fundatam crescere, et permanere **1337** cognovimus inconcussam. Salutantes igitur serenitatem vestram debito, indicamus munera vestra præfatis deportantibus, eo a nobis excepta animo, quo a vobis affectu constat esse transmissa. Ideoque tam pro largitate muneris, quam pro delectatione animorum, quam indicastis vobis præstitam, pro eo quod vos in solium genitoris vestri, ut dignum erat, superna potentia residere præcepit, inexsolubilem gratiarum actionem impendimus. Illud namque inter omnia valde animis nostris molestiam generavit, quod tantum ac talem principem, ac diversarum gentium domitorem, post mortem pagina decurrente videmini lacerare, qui vivens imperatoribus ac regibus, vel gentibus universis fidem immaculatam, promissasque semel amicitias firmis conditionibus conservavit, et Christianæ religionis intuitu, non, ut scribitis, loca sacrosancta destituit, sed magis paganorum consumpta excidio, suis, Christo auctore, temporibus in meliori culmine revocavit. Nam qualem præfatus princeps, in cujus vos opprobrio tanta dixistis, cunctis gentibus fidem servavit, innumerabilium triumphorum, Deo volente, victoriis declaratur. Amicitias nostras, quas delectabiliter requiritis, stabiliter rogamus habere studeatis, et quo melius fœdere inviolabili permaneant, ab animis vestris, nullis intercedentibus causis obsistant.

EPISTOLA HAPINII EPISCOPI RHEMENSIS AD NICETIUM TREVIRENSEM [a].

(Ex iisdem.)

Domino sancto et in Christo beatissimo fratri Nicetio papæ Hapinius episcopus. Evangelicæ lectionis doctrina testatur *Regnum in se divisum stare non posse.* Si hoc de mundi amatoribus et in terrena cupiditate manentibus recte et non immerito credatur, indubitanter rectius de sacerdotum personis sentitur, si discordantibus votis ac studiis inter se dividi comprobentur. Aut qua fiducia Conditori nostro, qui nos in unitate compagis, quod est corpus suæ Deitatis, vivere præcepit, preces oblaturi sumus, si nos vicissim mutua charitate seponimus? ut quodam loco Deificus sermo docet: *Studere nos convenit, ut frater fratri adjuvans, sicut civitas munita et fortis, inconcusso fundamine stare possit.* Scilicet ut unius fratris mœstitiæ omnes æquanimiter compatiendo participemus, mutuisque nos laboribus sublevemus. Pro qua re, piissime ac multum diligende Domine et frater, indicamus nos litteras filii nostri domini regis Theodebaldi excepisse, ut in Tullensium urbe die Kalendarum Juniarum adesse deberem; et nullam causam evocationis declarantes, reciprocante pagina indicavimus nos illuc accedere non debere, quia causam conditionemque nos constabat ignorare, iteratis scriptis edocuit Beatitudinem vestram, dum aliquos Francorum pro zelo divini timoris corripit, ac pro incestis conditionibus a communione ecclesiastica removit, scandala seu anxietates multimodas **1338** sustinere. De qua re non mediocriter ingemiscimus, quod nos relatione vestra scire non feceritis utrum ex canonica lectione damnentur, an pro pastorali diligentia de mediocribus reatibus corrigantur. Licet nihil novi vos de his rebus invenire posse cognoscimus, quod prisca Patrum solertia non potuit reperire; tamen absurdum esse videtur, ut a nobis recipiantur, qui a vobis secundum seriem canonum ecclesiastica severitate abdicantur. Novimus enim, si scienter hoc gerimus, quod criminibus aliorum misceamur; si ignoranter, reatui non subdamur. Quapropter salutantes charitate debita indicamus, simulque suademus, ut nos in omnibus participes tam tribulationum vestrarum incommodis, quam prosperitatum commodis fieri studeatis. Nam nos, mediante capite nostro, quod est Christus, nullis adversitatibus a vestra anxietate divellimur, nullisque asperitatibus a vestra charitate dividimur. De qua re si tam præsumptuosi non exsistimus, indicare præsumimus. Decuerat ut vestra consolatio pro hujusmodi conditionibus potius quam regiæ vocationis nos conserere debuisset: quia pari modo, si nobis aliquid simile, quod in posterum arbitramur post e fieri, contigisset, statim ad vestram fraternitatem scripta direxissemus, ut nos congruo tempore vel loco coram positi videremus. Quanquam parere nos regiis præceptis in bonis rebus et conveniat et libeat, tamen non vestris minus scriptis studio charitatis, non supplicio [*Forsan*, supercilio] dirigantur despectionis: quia amaritudo vestra dulcedo nostra esse non poterit, nec abjectio vestra absque nostra dejectione constabit, et veneratio vobis debita impensa a nobis non dignoscitur procul posita. Atque utinam, ut præfati sumus, charitate suadente, ac pagina decurrente, vestra nobis patefierent. Decrevistis animorum molestiam, cognoveramus utrum compatimur molestiis vestris, an delectamur? Nam tacente, ut ipsi scitis, divina, sola loquente viro humanitas intelligere potest. Hoc tamen plenius noverit vestra perfectio, si ad nos iterata scripta domini regis ante quinque vel sex dies Kalendarum Juniarum pervenisset, in die præfata præsentiam humilitatis nostræ in locum habueratis constitutum.

EXCERPTA EX EPISTOLA NICETII EPISCOPI TREVIRENSIS AD CHLODOSINDAM [b].

(Ex iisdem.)

Dominæ clementissimæ in Christo filiæ Chlodosindæ reginæ Nicetius peccator. Cum legatos per Francorum reges germanos tuos ire conspicimus, de prosperitate vestra solliciti sumus. Sed illa inde audimus quod quam semper sonare etiam et sonare conlitemur, quam magna, quam alta, quam laudabilis, quam utilis, quam humana, vel munifica; quomodo de pauperibus sollicita, quomodo de religione astuta, quomodo in cuncto populo pia conversatione splendida. Ile hoc concedat, qui tibi **1339** spiritum sapientiæ et intellectus jam dedit. Gaudemus ex hoc, gaudere nos Christus faciat de Alboino rege quem habes, et de felicitate sua triumphare. Stupentes sumus, cum gentes illum tremunt, cum reges venerationem impendunt, cum potestates sine cessatione laudant, cum etiam ipse imperlis [c] ipsum præponit, quod animæ remedium non festinus requirit. Scriptum legimus: *Quærite primum regnum Dei, et omnia bona apponentur.* Qui sic, quemadmodum ille, fulget fama, miror quod de regno Dei et animæ suæ salute nihil investigare studet; sed illos recipit, illis acquiescit, qui potius animam in gehennam pe dunt,

[a] Vide sancti Gregorii lib. de Vitis Patrum, cap. 17, in fine, notamque *e* col. 1039. Ed.

[b] Vide sancti Gregorii lib. IV Hist. Franc., c. 5. Ed.

[c] Ga land., *ipse imperator suis.* Ed.

quam ad viam salutis adducant. Duos deos esse prædicant, alium in Deitate Patrem, alterum in Deitate, sed pro creatura, Filium; cum Scriptura dicat, *Ego sum Salvator, et non est alius præter me.* Te, domina Chlodosinda, per tremendum diem Judicii conjuro, ut hanc epistolam et bene legas, et bene illi et frequenter exponere studeas, et ut ipsum interroges, Quis est Salvator? Patrem dicunt esse Salvatorem, an Filium? quoniam [a] duos esse, cum unus est, et alius non est, denuntiant. Si dicent, Filium, ergo Pater Salvator non est, etc. Quid nos ire per singula necesse est? ad duodecim discipulos quos habuit veniamus, quia ipsi Gothi hodie ipsis venerationem impendunt, et reliquiis eorum... furtim tollent [b], sed nihil ibi habent, quia fidem eorum adnullare præsumunt. Quid est quod in basilicis eorum corpora ipsorum hodie venerantur, non ingrediuntur? Quid est quod nihil ibidem præsumere audent, nisi furtive, ut canes a foris, animas decipiunt? cum illos suos fideles rex Alboinus sibi demittat, et ad domini Petri, Pauli et Joannis, vel reliquorum sanctorum limina perducatur, [c] ibidem missas facere, si audent, deliberent: sed non audent, quia domini Petri discipuli non apparent, et contrarii Christi esse probantur; quia quod per crucem ipse redemit, destruere infelices inveniuntur. Qua causa venena eorum talis rex, et talis ætas percipit? Hic si jubet [jubet] ad domnum Martinum per festivitatem suam, quam undecima die facit November, ipsos mittat: et ibi, si audent, aliquid præsumant, ubi cæcos hodie illuminare [d] conspicimus, ubi surdos auditum et mutos sanitatem recipere. Nam quid dicam de leprosis, aut de aliis quamplurimis, qui quantacunque debilitate percussi sunt, ibidem per singulos annos alii et alii sanantur? Fortasse dicunt, Confingunt vel cæcos qui cæci a nativitate esse videntur. Quid dicam cum inde illuminatos conspicimus, et ad propria, Deo miserante, sanos reverti videmus? Nam quid dicam adhuc de domno Germano, Hilario vel Lupo episcopis: ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo: ubi tribulantes, id est dæmonia habentes in aera suspensi torquentur, et dominos quos dixi esse confitentur? Numquid in ecclesiis eorum **1340** sic faciunt? Non faciunt, quia Deum et dominos sanctos ibi habitare non sentiunt: dæmon dæmonem non exorcisat. Nam ubi sancti habitant, dæmon vagari non dimittitur; ideo fit ut locus ubi Deus est ostendatur. Quid de domino Remigio, et domino Medardo episcopis, quos tu, credo, vidisti? Non possumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Audisti ab avia tua domina bonæ memoriæ Rodhilde (Clothilde) qualiter in Franciam venerit, quomodo dominum Clodoveum ad legem catholicam adduxerit, et cum esset homo astutissimus, noluit acquiescere antequam vera agnosceret. Cum ista quæ supra dixi probata cognovit, humilis ad domum Martini limina cecidit, et baptizari se sine mora permisit. Qui baptizatus quanta in hæreticos Alaricum vel Gundobaldum reges fecerit, audisti; qualia bona ipse, vel filii ejus in sæculo posséderunt, non ignoratis. Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus rex esse dicitur, talis fama, quem mundus sic præponit, quare non convertitur, aut quare tardus ad requirendum viam salutis apparet? Deus bone, qui es Sanctorum gloria, et omnium salus, tu te in illum mitte. Et tu, domina Chlodosinda, cum verbum facis, solatium tribue, ut omnes de tali stella, de tali gemma sic gaudeamus, qualiter Deo placere possimus. Saluto tantum quantum valeo, deprecor ut otiosa non sis. Incessanter clama, incessanter canta. Audisti dictum, *Sanabitur vir infidelis per mulierem fidelem.* Nam scias, prima salus prima remissio est, qui converti fecerit peccatorem ab errore suo. Vigila, vigila, quia Deum propitium habes. Rogo ut sic agas, ut et gentem Langobardorum fortem super inimicos facias, et nos de salute tua vel viri tui gaudere concedas.

[a] Gallandus legit interrogative: *Quomodo.... denuntiant?* Ed.

[b] Gallandus uno tenore legit, *reliquias eorum furtim tollunt.* Ed.

DE EPISCOPATU DUNENSI [e].

(Ex Ed. et Mss. Corb.)

Tenor suggestionis libelli synodo oblati a Pappolo episcopo. Domnis semper suis atque apostolica dignitate colendis, omnibus episcopis, qui in sancta synodo nunc Parisios convenerunt, Pappolus Carnotinæ civitatis episcopus humilis vester. Ita nos canonica institutio admonet, ut quoties aliquæ exortæ fuerint in Ecclesia causæ, synodali hoc conventu debeat publicari. Ideo, piissimi domni, in vestræ pietatis notitia hæc quæ contra nos gesta sunt per præsentis libelli nostri tenorem studuimus deferendum. Ergo cum me ante aliquod temporis, clericorum vel civium Carnotinæ civitatis voluntas per consensum, cum conniventia etiam metropolitani mei, fieri episcopum elegisset, quod annuente Domino factum est, post aliquot dies, quidam ex ipsius Carnotinæ civitatis territorio presbyter, nomine Promotus, qui reliquerat sine litteris antecessoris mei cellolam suam, illicita præsumptione parœciam meam, cui vocabulum est Duno, quasi sub nomine episcopatus visus est pervasisse. Etiam et facultaticulam ecclesiæ, cui præsse **1341** videor, quantum in ipso pago esse constat, nescio per cujus ordinationem, simili conditione pervasit. Pro qua re supplex vester Sanctitati vestræ suggero, et per Spiritum sanctum, qui in vobis habitat, et diem judicii futuri, et per remissionem peccatorum vobis, domnis meis, conjuro, ut hoc ita qualiter vobis fieri non voltis, emendari jubeatis: quatenus nec per callidam præsumptionem quis audeat in postmodum per tumorem superbiæ similia perpetrare, et simultas ecclesiæ, vestro studio et ordinatione jam, Christo propitio, conquiescat. Cujus suggestione synodus sancta spiritali favore et canonico ritu respondens, hæc contra temerarios scripsit oblatis.

[e] Galland., *perducat ut ibidem.* Ed.

[d] Galland., *illuminari.* Ed.

(Epist. Synodica ad Egidium.)

Domno suo atque beatissimo, et meritis apostolico fratri, Egidio episcopo Philippus, etc., episcopi. Dum pro causis publicis, privatorumque querelis Parisios moraremur, vir apostolicus frater noster domnus Pappolus episcopus mediocritati nostræ detulit in querelam, in castro Dunensi, parœcia denique Carnotina, quod castrum nec ad territorium civitatis vestræ, nec ad vestram provinciam manifestum est pertinere, a vobis contra omnem rationem, et contra canonicam disciplinam episcopum consecratum. Et licet secundum prisca beatissimorum Patrum decreta potuit hujusmodi excessus in vestra injuria acerbius coerceri: sed nos charitatis jura servantes, Beatitudini vestræ indicamus, ut presbyterum ipsum, nomine Promotum, qui omissa severitate canonica a vobis dicitur tam temere consecratus, ut juste debeat de gradus ipsius dignitate deponi, sicut canonum constituta sanxerunt, ad vos evocetis, vel vobiscum retineatis, ut injuriam nec Ecclesiæ, nec sacerdoti suo ulterius debeat irrogare. Et quia a fratre vestro domno Germano episcopo, ad petitionem domni Constituti metropolitani, ut ad synodum venire deberet, est præsentanea invitatione commonitus, quod quoque domnum Constitutum, et dominum Germanum constat in synodum retulisse, et ad synodum venire distulit, ideirco noverit Beatitudo vestra hoc apud universum præsenti tempore concilium constitutum, ut si memoratus

[e] Vide S. Gregorii Hist. Franc. lib. VII, cap. 17. Ed.

presbyter aut propria contumacia, aut cujuscunque potestatis assentatione in prædicta Dunensi ecclesia præsumpserit sub hujus subrepti honoris argumentatione ulterius residere, vel res ecclesiæ ipsius usurpare, aut altaria benedicere, infantes confirmare, vel ordinationes per quascunque parœcias facere, aut episcopo suo, fratri vestro domno Pappolo resistere prava intentione præsumpserit, ab omni cœtu episcoporum, vel a communionis consortio, perpetuo anathemate feriatur: et frater noster domnus Pappolus episcopus, vel ecclesia Carnotina parœcias, quas hucusque habuit, sub sua ordinatione debeat auxiliante Domino gubernare. Statuentes etiam ut quicunque de populo illo benedictionem memorati Promoti presbyteri post **1342** hunc edictum manifestatum vel publicatum, aut expetierit, aut accipere contentus fuerit, a communionis consortio vel ab ecclesiæ liminibus arceatur. Data constitutio die tertio Iduum Septembrium anno 12 regum domnorum nostrorum, indictione 6, Parisiis. PHILIPPUS in Christi nomine Viennensis Ecclesiæ episcopus hanc constitutionem nostram subscripsi, etc. Subscripta constitutio in basilica domni Petri indictione suprascripta, Parisiis.

(Altera ad Sigibertum regem.)

Domino gloriosissimo atque sanctæ Ecclesiæ catholicæ filio Sigiberto regi Sapaudus, etc., episcopi. Quantum ineffabili gaudio synodali concilio nuntiatur, quandoquidem a catholico principe res nova pro dilectione Christi concipitur; tantum lamentabile execrandumque censetur, cum in Ecclesia sancta contra Deum et contra canonum disciplinam dissensio generatur. Nuper etenim non absque conniventia gloriæ vestræ, sicut credimus, evocati Parisios venientes, novam inauditamque ordinationem in castro Dunensi, parœciam denique Carnotinam, factam fuisse cognovimus. Quam rem licet vix credere possumus cum consensu Gloriæ vestræ fieri potuisse; tamen si cujuscunque prava suggestione præventi in hac tam obscena et Ecclesiæ universæ contraria consensistis, ab hujusmodi scandali defensione sinceritatis vestræ conscientiam expietis, quia satius est ut ille qui ambitionis instinctu rem tam nefariam dolosa ambitione competiit, per satisfactionem pœnitentiæ reatum suum abluere compellatur, quam vestra puritas, quod avertat Divinitas, hujus facinoris contagione maculetur. Et quia nobis necesse fuit, ut juxta canonum constituta personæ temerariæ deliberet præsumptio coerceri; ideo salutis obsequium digne in Christo officiositatis et reverentiæ cultu præbentes, poscimus ut vos, quos Deus et culmine præcipuos et sinceritate præclaros esse præcepit, non quicunque aut quibuscunque temerario consilio ad defensanda hujusmodi scandala misceatis, quia Deum sufficit posse nos nequaquam penitus velle contra vos divinam iracundiam promoveri. Annis multis gloriam regni vestri potentia divina cum omni felicitate conservet, domine gloriosissime, et præcellentissime domne, venerator vester Sapaudus episcopus salutare præsumo, etc. Data epistola sub die III Kalendas Septembrium anno 12 regum dominorum nostrorum, Parisiis.

AUCTORITAS QUOD EX ANTIQUO MORINENSI [*Maurienne*] ECCLESIA VIENNENSI METROPOLI SUBDITA FUIT [a].

(Ex Edit.)

In diebus præcellentissimi regis Guntramni, mulier quædam Tygris nomine, ex territorio Maurigennensi orta, oppido quod nominatur Volucis, nobiliter nata, et sacris litteris educata, quæ curam sacerdotum et peregrinorum adventantium non parvipendebat: sed eo, ut facultas ministrabat, hospitalitatem **1343-1344** et indigentibus victui necessaria impendere curabat. Habebat autem sibi sociata sororem, Pimeniam nomine, quæ conjugi sociata fuerat: sed in viduitate devota permanebat, jam dictæ sorori in omnibus obsequiis divinis, quorum erant opera in jejuniis, vigiliis et orationibus, et loca sanctorum visitare nocte ac die indesinenter et sollicite studioseque curabant. Accidit bonorum virorum monachorum religiosa facultas ex Hierosolymæ partibus Scotiam pergere. Hi nutu Dei ad has famulas Dei hospitalitatis gratia persistentes, ibique tribus diebus remorantes, et de servitio Dei inter se gratulantes in vigiliis seu jejuniis perseverabant; a quibus illa audivit venerabilis Tygris de beato Joanne Baptista cujus reliquias auxia quærebat, quod membra illius fuissent humata in civitate Samaria, quæ nunc Sebaste vocatur; ac tempore præcedente Alexandriam missa, caputque ejus Phœnice peritum. His instructa Dei famula dedit operam usque ad inventionem venerabilium pignorum, et secundum quod desiderium habebat in veneratione beati Joannis Baptistæ in Morienna ecclesiam ædificare disposuit. Audiens autem gloriosus Guntramnus rex de reliquiis beati Joannis, et de miraculis quæ ibi Dominus ostenderat, legatos suos Morlennam direxit, qui ecclesiam inibi fabricarent, cum circumjacentibus episcopis et comitibus, ubi reliquias beati Joannis Baptistæ reponeret, eamque perfectam episcopo Viennensi, ad cujus diœcesim pertinebat locus, sancto Isychio sacrare præcepit. Synodum vero postmodum in civitate Cabillonis congregare sanctorum episcoporum fecit, et ibidem sanctum Felmasium episcopum Morigennæ ab episcopo Viennensi ordinatum primum constituit, et civitati Viennensi ipsam Morlennam ecclesiam cum consensu episcoporum subjectam fecit. Ad quam ecclesiam Morigennensem, ubi beati Joannis Baptistæ reliquias posuerat, Sensiam civitatem jamdudum ab Italis acceptam cum omnibus pagensibus ipsius loci subjectam fecit, et consensu etiam Romani pontificis Viennensi ecclesiæ jure perenni, episcopum civitatis et vici Maurigennæ subditum esse decrevit.

EPI TOLA SANCTI GERMANI EPISCOPI PARIS. AD BRUNICHILDEM REGINAM.

Dominæ clementissimæ atque præcellentissimæ, et nobis semper piissimæ, etc.

(Vide tom. seq. inter Opera S. Germani.)

CHILDEBERTI REGIS II DE REBUS ITALICIS, ETC., AD IMP. ET ALIOS EPISTOLÆ [b].

(Ex Freh. et Chesn.)

1345-1346 1. Domino glorioso, pio, perpetuo, inclyto, triumphatori, ac semper augusto, patri Mauricio imperatori, Childebertus rex. Clementissimæ Serenitati vestræ elegimus adiniri per fœdera, et illum, qui placet Domino, impendere vobis affectum, pacatæ gentis ex vinculo, quod proficiet communiter utrisque partibus, expedituri pacis compendium. Quapropter clementissimæ Tranquillitati vestræ, honore summi culminis vestri debito, salutis officia fiducialiter porrigentes, sicut legatariis vestris prædiximus, ut nostras dirigeremus, Divinitate propitia, implere deliberavimus. Adeo illustri viro Sennodio optimate, Gripponem spatarium, Radanem cubicularium et Eusebio notario, quibus pro certis articulis aliqua vestro principatui verbo commisimus intimanda, quos integre reserantes ad nos prospere remeantibus illud reddatis eloquiis, quod inspirante Domino proficiæ res communis.

2. Domino glorioso [c], atque ineffabili desiderio nominando, dulcissimo nepoti Athanagildo regi Brunichildis regina. Accessit mihi, nepos charissime, voluntas magnæ felicitatis occasio, per quam cujus aspectum ferventer desidero, vel pro parte relevor, cum directis epistolis, amabilibus illis oculis repræsentor, in quo mihi, quam peccata subduxerunt,

[a] Vide lib. de Gloria martyr. cap. 14, notamque *d* col. 719. Ed.

[b] Vide lib. x Hist. Franc. cap. 2, not. *a* col. 534. Ed.

[c] Vide ibid. Ed.

dulcissima filia revocatur, nec perdonatam ex integro [*Forsan*, peditam existimo], si, præstante Domino, mihi proles edita conservatur. Quapropter dulcissimam Celsitudinem vestram salutantes, officia devinctissime persolvimus, et ut me divina Clementia de tua præcipiat innocentia gratulari ac reflei instanter exoramus. Significo piissimo imperatori per nostros legatarios, de quibusdam conditionibus aliqua verbo intimanda mandasse. Per quos de his quæ disponenda sunt poteritis agnoscere, si Christus propitius præceperit dignanter implere.

3. Domino gloriosissimo et ubique præcelso, dulcissimo nepoti Athanagildo regi Hildebertus rex. Præsentis opportunitatis relevamur compendio, per quam quod parentillæ redhibemus ex affectu, saltem epistolarum repræsentemus eloquio. Quapropter præcelsæ Gloriæ vestræ salutis officia jure propinquitatis desiderabiliter exsolventes, et confidenter optantes, ut de vestra nos lætificare incolumitate præcipiat, qui singulorum desideria, et secretorum novit arcana, significandum curavimus ad serenissimum principem Romanæ reipublicæ præsentium latorem nos, Christo propitiante, pro communi utilitate legatarium direxisse, quibus prædicto Augusto, vel feliciter vos gubernante Domino præsentatis, poteritis sollicite requirentes agnoscere quid pro vestris conditionibus deliberare nos certum est et optare. Superest ut effectum pacificatis partibus [*Al.*, pacificatus] tribuat, **1347** humana consilia et rerum condita qui gubernat.

Exstant et aliæ epistolæ Childeberti et Brunichildis de eadem re, quas videsis apud Frehérum aut Chesnium tomo I.

4. De domini, *id est Childeberti*, nomine ad Patriarcham Laurentium. Beatæ opinionis ubique cursum meritis extendentes, certantes beatum martyrem æquiparare, sicut nomine sic mercede, ut per vos totus hic ille redeat, cujus adepti estis vocabulum, qui sacrosanctæ Ecclesiæ sic dispersit numismata, ut census effusione per pauperes augmentaret talenta, ad nos usque bonum tanti operis divulgante, gratias referimus supernæ clementiæ, quæ vobis illud contulit, quod multis hic est in munere, et vobis singulariter futuræ gloriæ tempore proficiat ad mercedem. Quapropter sancto Apostolatui vestro salutationis officia dependentes, commendatione prælata, et ut nostri in sacris intercessionibus vestris memores esse dignemini, fiducialiter obsecrantes, speramus ut quia divina Clementia ea nos ætate corroborat, ut catholicæ parti nostræ non desint solatia [*Id est*, auxilia], juxta votum Romanæ reipublicæ vel sacratissimi patris nostri imperatoris, in Italiam direximus adversum gentem Langobardorum religioni ac fidei iniquissimæ perfidam. Vestra sollicitudine ad virum præcelsum Smaragdum Ravenna jubete celeriter nuntiare, ut et pars reipublicæ in quo per ipsum valet, solatium armatorum inferre super hostes festinet, et quantum Dominus præceperit, quod potest fieri in præsenti non moretur. Quod fuerit vero residuum, si Christo placuerit, adveniente anni futuri tempore optamus exercitum in causa dirigere, quatenus manus Domini gentem execrabilem vobis exorantibus dignetur elidere, quæ injuria sanctorum, et morte suorum fidelium, sanguinis effusione crudelitatis manus armavit. Hoc etiam sperantes, ut ipsi præcelso Smaragdo de nostris legatariis jubeatis pariter nuntiare, ut tam vestra quam ejus ordinatione, quam celeriter ad locum destinatum imperialis urbis festinent accedere, et ad nos, Christo præsule, quæ opportuna mandata sunt, renuntiantes velociter, si qua restant, pacis studio, divinitate propitia, communiter explicentur.

5. Domino excellentissimo atque præcellentissimo Childeberto regi Francorum Romanus. Quantum Christianitas regni vestri exquirit quotidie quid ad placandum Deum debeat exhiberi, tantum de Christianorum liberatione cogitare et facere Excellentiam vestram confidimus, gratumque vobis esse, quod pro ipsorum remedio prosperitatem divino favore constat esse concessam, ut talia tantaque Deo auctore promissa, tam manifesta Dei misericordia invitet Præcellentiam vestram ad participandam mercedem, et laudem maximam acquirendam. Olim autem vos audisse credimus de **1348** Montena, Altino, atque Mantua civitatibus, quia sanctæ sunt reipublicæ reformatæ. Præcedentibus autem scriptis vestris designasse vobis meminimus, quod dum ad obsidendum Parmam, vel Rhegium, atque Placentiam civitates proficisceremur, duces Langobardorum ibidem constituti, in Mantuana civitate nobis cum omni festinatione ab subdendum se sanctæ reipublicæ occurrerunt. Quos postea quam in servitio sanctæ reipublicæ suscepimus, filios eorum in obsides accipientes, Ravennam remeantes in Istriam provinciam contra hostem Grasoulfum deliberavimus ambulare. Quam provinciam venientes, Gisoulfus vir magnificus, dux filius Grasoulfi in juvenili ætate meliorem se patre cupiens demonstrare, occurrit nobis, ut cum omni devotione sanctæ reipublicæ se cum suis prioribus et integro suo exercitu, sicut fuit subderet. Nam se et gloriosus Nordoulfus patricius cum dominorum nostrorum gratia in talia [*Forsan*, Italiam] veniens omnes suos homines ad serviendum serenissimis nostris dominis recollegit, diversasque civitates cum Ossone viro glorioso et Romano suo exercitu, nostro cum consilio reparavit. Et quia Excellentiam vestram in eamdem promissionem et devotionem, quam semel piissimis patribus vestris, dominis nostris, promisistis, permanere non ambigimus, maxime dum displicuisse vobis constat, jussionibus vestris non impletis, duces fuisse reversos, eosque in vestra iracundia constitutos. Præcipiat Excellentia vestra omni cum celeritate implere ea quæ patribus vestris, piissimis nostris dominis, promisistis, ut de effectu promissionis digna gratia augeatur, eoque tempore dirigantur, ut fruges cunctas inimicorum foris inveniant. Nobisque designare jubete, quibus itineribus, vel quo tempore expectentur a nobis : sperantes præ omnibus, ut dum feliciter Francorum exercitus descenderit, Romani, pro quibus auxilia vestra poscimus, in deprædationem et captivitatem non perducantur; sed et eos, quos transacto tempore abstulerunt, relaxari et provinciæ restitui jubeatis, ut præterita emendantes, quid in futuro custodire debeant, demonstretis. Sed nec fabricas incendi præcipite, ut agnoscatur quia pro defensione Italiæ auxilium Christianæ gentis habuimus.

6. In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi imperator Cæsar, Flavius Mauricius Tiberius, Fidelis in Christo, Mansuetus, Maximus, Beneficus, Pacificus, Alamannicus, Gothicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Herulicus, Gepidicus, Africus, Pius, Felix, Inclytus, Victor ac triumphator, semper Augustus Childeberto viro glorioso, regi Francorum. Litteræ vestræ gloriæ per Jucundum episcopum et Cothronem cubicularium nobis directæ, amicalem quidem voluntatem et paternum affectum circa nos atque sacratissimam rempublicam nostram conservare vos indicant, hocque et per alios legatarios multiplicibus verbis ad nostram pietatem **1349** conscriptum invenitur. Et mirum nobis videtur, si rectam habere mentem atque præsciam gentis Francorum et ditioni Romanæ unitatem esse comprobatam affirmans, nihil operis usque adhuc amicitiæ congruum Eminentia tua ostendere visa est, dum in scriptis pollicita, atque per sacerdotes firmata, et terribilibus juramentis roborata, tanto tempore excesso nullum effectum perceperunt. Et si hoc ita est, quid per tanta spatia terræ atque maris inaniter sine responso necessario vestros legatarios fatigatis, juvenili sermone, qui nihil utilitatis induxerunt jactatis? Nos tamen imperialem benevolentiam sequentes, et præfatos legatarios vestros suscepimus, etiamsi cognovimus eos cum veritate a te non transmissos esse;

atque his quæ nuntiata ab eis sunt, placidis auribus intendentes, competens eis dedimus responsum, quod et per alios legatarios vestros manifestum tuæ gloriæ jam factum est. Et optamus vos, si amicitiam nostram appetere desideratis, valide atque incunctanter omnia disceptare, et non solum dictionibus enarrare, sed enarrata viriliter, quomodo regem oportet, peragere, atque similiter nostram piam benevolentiam exspectare. Decet igitur gloriam tuam, ea quoque quæ scriptis inter nos placita sunt, vel etiam nunc ad effectum perducere, ut per hanc occasionem magis magisque vestræ gentis unitas atque felicissimæ nostræ reipublicæ conficiatur, et nulla inter nos controversia oriatur. Non enim pro inimicitia memoratæ conventiones a nobis factæ sunt, sed ut amicitia firma et illibata permaneat. Divinitas te servet per multos annos, parens Christianissime atque amantissime. Data Kal. Septembris Constantinopoli imperatore divo Mauricio Tiberio, perpetuo Augusto, et post consulatum ejusdem annis....

7. Litteræ de imperatore directæ ad dominum Childebertum regem. Cum bona omnia dignis operibus conferantur, quantum tibi pro amore orthodoxæ fidei, tantum pro ereptione quam geris eripiendi Christiani sanguinis, meritis tuis jure collatum est, ut de solio unde alii summum decus percipiunt, vestra Gloria ipsi regno ornamenta, non solum de ineffabilibus dispositionibus vestris, sed de filiis et nepotibus ministravit. Scientes enim quia Divinitas Celsitudinem vestram summis ad se colendum beneficiis provocavit, augere nos credimus studium, per quod regni vestri stabilitas majora fundamenta suscipiat, ut filiorum et nepotum vita servetur, et gloria regni, quæ tibi duplicata videtur per filium, triplicata regnando nepotes, muniatur Dei mandata complendo. Veniente itaque Andrea viro magnifico, illa quæ nobis de Christianitate vestra opinio detulerat vera, ejus relatione cognoscendo majora, velut præsentes et videntes quæ narrabat, amplius quam pridem veneraudo cœpimus exsultare. Ex hoc ergo quæ ad mercedem animæ vestræ pertinent, posci minime exspectatis, sed magis vos credimus **1350** voluntatem petentium prævenire. Exposuit ergo nobis quam promptissimo animo vel devotione integra florentissimum Francorum exercitum ad liberationem Italiæ gloria vestra direxerat. Quæ omnia de devotione et christianissima voluntate vestra, vel instantia, qua desideratis Italiam liberari, clementissimo principi meo domino, et sorori vestræ serenissimæ Augustæ specialiter, sicut Andreas suprascriptus vir magnificus nobis retulit, nuntiavi. Ante vero quam fines Italiæ vestri duces ingrederentur, Deus pro sua pietate, vestrisque orationibus, et Mutinensem civitatem nos pugnando ingredi fecit, pariter et Altinonam et Mantuanam civitatem pugnando, et rumpendo muros, ut Francorum videret exercitus, Deo adjutore sumus ingressi: festinantes ne genti nefandissimæ Langobardorum se contra Francorum exercitum adunare liceret, et uno viro magnifico viginti millibus prope Veronensem civitatem residente, ad quem necessarium duximus sine mora dirigere, sperantes ab eo ut nos videremus in cominus, et quæ essent utilia ad delendam gentem perfidam disponeremus communi consilio. Sed, ut cognovimus, jam ad Autharit Cheuus suam legationem transmiserat, et de pace aliqua cum eo fuerat jam depactus, antequam ad me duces vestri venirent. Leufredum tamen, Olfigandum et Raudingum, viros magnificos duces ad nos direxerunt, quos, sicut decuit, propter gratiam Gloriæ vestræ, cum omni honore suscepi, quibus etiam et munifici fuimus. Et hoc habuimus in tractu, quia Autharit se in Ticino incluserat, aliique duces, omnesque ejus exercitus per diversa se castella recluserant, ut nos cum Romano exercitu et Dromonibus et Cheno ab alia parte in vicino, sicut diximus, in viginti millibus residente, ad obsidendum Autharit veniremus, eoque capto, maxima pars fuerat acquisita victoriæ; et tunc demum, si forte aliqua cum eis loquenda vel facienda essent, omnia prius ad vestram notitiam deferrentur. Quam rem et Francorum florentissimus credemus quia facere volebat exercitus. Quibus autem modis eos rogabamus et hortabamur, epistolarum exemplaribus vestra gloriosa Christianitas poterit informari, dum nos contra inimicos Dei et communes sine ducum vestrorum consilio aliquid loqui vel agere non pertulimus: illi, sicut diximus, ab initio cum ipsis locutionem habentes, in omnibus, nobis omissis, pacem cum ipsis decem mensium facientes, habentes revera et prædæ copiam, et salus dum comitaretur exercitum pro suo ducis arbitrium sequente jam exercitum subito discesserunt. Et hæc res qualem vobis et laudem et mercedem abstulit, considerare vos credimus et dolere. Quia si adhuc modicum tempus sustinere voluissent vel audire, hodie Italia a gente Langobardorum nefandissima libera habuit reperiri, et universa nefandissimi Autharit regis ad vestram Excellentiam habuerunt deferri; vestraque, et si tardius fuerat, completa est **1351** promissio re vera, dum neque intra muros Langobardi tutos se esse putabant, nec Francis præsumebant obsistere. Unde salutationis officia cum honore dignissimo persolventes, speramus, ut vel nunc, sicut regni vestri Christianitas habet cogitare, jubeatis de ereptione Christiani sanguinis, et de ecclesiarum reseratione, pro eripiendis sacerdotibus, qui de eorum immolatione evadere potuerunt, convenienti tempore dignos duces, qui præcepta vestra impleant, et exercitum dirigere: ut quam patri vestro fecistis, impleatur promissio, antequam gens ipsa nefandissima possit fruges colligere, maxime dum non solas, quas superius diximus, civitates, sed et alias, id est Parma, Rhegio, atque Placentia cum suis ducibus atque plurimis Langobardis Deus sanctæ Romanæ reipublicæ reparavit, ut in tanta talique mercede, maximam partem, sicut cœpit, regni vestri gloria consequatur. Præter ea quod ex se Gloria vestra facere consuevit, impleuda deposcimus, ut Romanos, quos prædavit Francorum exercitus, pro mercede vestra, et filiorum ac nepotum vestrorum, relaxare præcipiatis. Quia et alia sunt in pactis posita sacramenti, ut captivi debeant relaxari, et patris vestri Christianissimi principis hæc est intentio; ut quotidie de animarum liberatione vobiscum mercedem acquirat.

APPENDIX AD CHRONICUM MARII DE MORTE BRUNICHILDIS [a].

(Ex Chesn.)

Hujus imperatoris [Heraclii] temporibus ad decimum quartum usque imperii sui annum, et Chlothacharii gloriosissimi Francorum principis, quadragesimum regni sui annum, multa reipublicæ partibus, ubique pene a diversis gentibus dispendia illata fuerunt. Hujus tempore Persi Calcidoniam usque pervenerunt: Huni murum longum interrumpentes; et ad mœnia Constantinopolis peraccedentes, cum prædicto imperatore, mutuo in muro stantes colloquuntur; qui acceptum ab eo pacis pretium, ad tempus recedunt.

Per idem tempus divisa in tribus olim regnis Francia in unum a præfato rege Francorum regnum conjungitur: atque persequente Theuderico rege germanum suum Austrasiorum regem Theudebertum, vincentes Franci in Burgundiam moventes Austrasios, ad extremum ipsum occiderunt. Nec mora victor Theudericus Mettis cum obiisset, Sigoberto filio parvulo cum avia sua Brunihilde, regnum male usurpatum reliquit: qui vivente adhuc germano suo, nepotem propriuin ad petram in albis elidi jussit. Per idem tempus victi filii sui a rege præfato Chlothacharlo capiuntur: ac præfata regina prædictorum avia, ab eo capta, diversoque pœnarum genere afflicta, deinde

[a] Vide Fredegarii Chronicum, cap. 42, notamque [illegible] col. 633. Ed.

camelo imposita, multis suis spectaculum præbuit : postremo lenissimo colligata pedibus equi tergo, extremum spiritum exhalavit : cujusque deinceps corpusculum incendentes populi, sepulcrum ignis fuit, ac judicium paternum sine misericordia 1352 ut germano, et nepote quondam datum, in filiis redundavit, eosque a quibusdam, ut aiunt, interemptos, monarchiam prænuncupatus rex in tribus regnis obtinuit, quam feliciter religioseque gubernans, quadragesimo nunc cum prioribus regni sui anno vitam ducit. Fiunt igitur ab exordio mundi usque in æram præsentem, id est XIV Heraclii et XL Chlothacharii regis, anni MMMMDCCCXXII.

EPISTOLA SIGIBERTI III AD DESIDERIUM EPISC. CADURCENSEM.

(Ex Edit.)

Domno sancto et apostolico in Christo patri Desiderio Syggibertus rex. Dum fabula currente a pluribus et fidelibus nostris cognovimus quasi vocari vos ab Wi'oledo episcopo, eodemque patre nostro, synodali concilio Kal. Septemb in regno nostro, ignoramus in quo loco una et reliquos fratres comprovinciales vestros debeatis conjungere. Licet nos statuta canonum, et ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservarunt, ita et nos conservare optamus; tamen dum ad nostram antea notitiam non fuit perlatum, sic nobis cum nostris proceribus convenit, ut sine nostra scientia synodale concilium in regno nostro non agatur. Nec ad dictas Kalendas Septembris nulla conjunctio sacerdotum ex his qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur non fiatur: postea vero, opportuno tempore, si nobis antea denuntiatur utrum pro statu ecclesiastico, an pro regni utilitate, sive etiam pro qualibet rationabili conditione conventio esse decreverit, non abnuimus; sic tamen, ut diximus, ut in nostri prius deferatur cognitionem. Proinde præsentia scripta Sanctitati vestræ destinare curavimus, per quæ petimus ut pro nobis orare dignetis, et ad i tam conjunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis : et ut certius credatis, hunc indiculum manu propria subterscripsimus. SYGGIBERTUS rex subscripsi.

ERCHAMBERTI BREVIARIUM REGUM FRANCORUM ET MAJORUM DOMUS.

(Ex Freh. et Ches.)

Chlodharius rex de Austris, postquam Theodericus et Theodebertus reges et germani mortui sunt, recepit regnum eorum, consilio et adjutorio Pippini senioris, qui tunc temporis major domus erat : et sortitus est præfatus rex trium regnorum monarchiam sexdecim annis, sicut illi sanctus Columbanus abbas in prophetico spiritu antea prædixit; quia ille Theotericus rex, instigante Brunihilta avia sua, de suo monasterio illum expulerunt. Quam etiam statim ut comprehendit Chlodharius, vitam ignominiose finire fecit. Major domus tunc Gundolandus, vir egregius, erat. Post non multum rex præfatum Pippinum in Austris cum filio suo jam adulto Dagoberto misit, ibidem eum regi in constituendum, ipsumque ei in majorem domus ac pædagogum constituens. Dagobertus rex post mortem patris regnavit annis sexdecim. Hic magnificus ecclesiis 1353 Dei largitor ac distributor fuit. Major domus ejus Erchanoldus [*Al.*, Erchanbaldus] vir illuster, Pippino interim in Auster duce, ac non post multum mortuo. Post mortem Dagoberti regis Chlodoveus rex filius Dagoberti regnavit sexdecim annis, qui omni spurcitiæ deditus fuit. Major domus qui supra. Chlodharius rex filius Chlodovei, adhuc in puerili ætate suæ juventutis mortuus est, regnavitque annis quatuor. Major domus Ebroinus. Theodoricus rex filius Chlodovei, frater Chlodharii, regnavit annis novemdecim. Major domus Berthurius. Quo occiso, Pippinus junior filius Ansegisili [*Al.*, Ansgili] veniens de Austrasiis successit in principatum majorum domus.

Ex hinc reges nomen, non honorem habere cœperunt. Quibus tamen, ubi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possint. Illis namque temporibus ac deinceps Gotefredus dux Alamannorum, cæterique circumquaque duces noluerunt obtemperare ducibus Francorum, eo quod non potuerunt regibus Meroveis servire, sicut antea soliti fuerant. Ideo se unusquisque secum tenuit, donec tandem aliquando post mortem Gotefridi ducis, Carlus, cæterique principes Francorum paulatim ad se revocare illos arte qua poterant studuere. Chlodoveum adhuc puerum filium Theodorici constituunt regem, qui tantum regnavit annos duos. Major domus Pippinus, qui supra.

Childebertum filium Theodorici, fratrem Chlodovei statuunt in regnum, qui regnavit annos septemdecim. Major domus constituitur Grimoaldus filius Pippini, quia ipse Pippinus ægrotare cœperat, qua infirmitate et moritur, et interim Grimoaldus occiditur.

Dagobertum filium Childeberti regem statuunt, qui regnavit annos quinque. Major domus Theodoaldus filius Grimoaldi, post quem Regnifredus [*Al.*, Raginfredus]. Illis temporibus Carlus filius Pippini ex concubina in custodia a Plectrude matrona ejusdem Pippini tenebatur : auxiliante Domino vix evasit. Dan helem quondam clericum, cæsarie capitis crescente, regem Franci constituunt, quem Chilpericum nuncupant : quia deficiente prosapia regum, illum, quem propinquiorem Meroveis invenire poterant, statuere, quia Merovei, ut aiunt, sicut antiquitus Nazarei, nullo capitis crine inciso erant, regnavitque annis sex. Interim prædictus Carlus princeps ad Austrasios paternarum sedium aufugiens, ibique principatum arripiens, regemque sibi, nomine Chlodharium, constituens, multa bella cum Chilperico rege, et suo majore domus, nomine Reganfredo commisit, eosque ut voluit superavit, et thesaurum patris sui a Plectruda recepit, suusque rex Chlodharius post non multum obiit. Theodericum filium Tagoberti junioris Franci in regem sibi statuunt, qui nutritus in Cala monasterio erat, regnavitque annis sex. Major domus ac princeps Carolus, qui jam utraque regna viriliter gubernans, circumquaque cum regibus ac 1354 ducibus bella semper superando committens, donec eum omnes vincendo, qui ei contrarii fore videbantur, vincere constabat.

INSTRUMENTA ELECTIONUM.

Consensio civium pro episcopatu.

(Marculf. lib. I, n. 7.)

1. Suggerendo plissimo ac præcellentissimo domino, illi regi, vel seniori, commune illius a servis vestris, quorum subscriptiones vel signacula subtus tenentur insertæ. Principalitatis vestræ, etc. Quoniam sanctæ memoriæ vir apostolicus ille, illius urbis episcopus, fine appropinquante ab hac luce migravit, tempore naturæ complenti, ne destituta sint, quod absit, oves decedente pastore, in loco ejusdem, suppliciter postulamus ut instruere dignemini illustrem virum illum, aut venerabilem illum, cathedræ illius successorem, in quo est præspicuitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia castitatis, charitatis locuples, voluntatis irrefragabiliter. Hæc nostra hunc consensum decrevimus roborare.

Præceptio regis pro episcopatu.

(Ex Ed. et Mss.)

2. Dagobertus rex Francorum episcopis et ducibus, cum toque populo Galliarum finibus constituto. Condecet clementiam principatus sagaci indagatione prosequere, et pervigili cura tractare ut electio vel dispositio nostra Dei et hominum voluntati debeat concordare; et dum nobis regiones et regna in potestate ad regendum largiente Domino noscuntur esse collata, illis committantur privilegia dignitatum, quos

vita laudabilis et morum probitas, vel generositatis nobilitas attulit. Et quoniam virum illustrem Desiderium, thesaurarium nostrum, cognovimus religionis observantiam ab ipso pueritiæ suæ tempore in omnibus custodire, et sub habitu sæculari Christi militem gerere, ac mores angelicos et sacerdotalem conversationem habere; ut non solum in contiguis, sed etiam in longinquis regionibus fama bonitatis ejus evulgata crebrescat : ideo credimus eum merito ad sacerdotium debere provehi, quem, sicut diximus, ornatis moribus videmus jugiter ad cœlestem patriam anhelare. Et dum civium abbatumque Caturcorum consensus hoc omnimodis exposcit, ut eum episcopum habeant, et nostra devotio similiter consentit, absque dubio credimus nutu Dei id fieri, ut dum satis nobis est in palatio nostro necessarius, ipsi nobis quodammodo violentiam inferamus, et eum ab ædibus nostris profectu vestro procuremus. Sed dum nobis, ut diximus, eum et ab ædibus nostris auferimus, quibus regiones et regna a Deo sunt commissa, quamvis nobis inferamus dispendium, tales debemus procurare pastores, qui secundum Deum et apostolica dicta plebes sibi a nobis commissas debeant regere, unde nobis merces amplior possit accrescere. Quamobrem juxta civium petitionem **1355**, nostram quoque concordantem in omnibus voluntatem, decernimus ac jubemus, ut adjuvante, ac clamante laudes ipsius clero vel populo, vir illustris et verus Dei cultor Desiderius, pontifex in urbe Caturci debeat consecrari, et nostra civiumque voluntas quod decrevit in omnibus in Dei nomine perficiatur ; et pontificali benedictione sublimatus, dum Christo propitio vere ac religiose profitemur, quod vita et conversatio ejus digna et probata ab universis habetur, pro nobis et pro universis ordinibus Ecclesiæ debeat exorare, et acceptabiles Deo hostias studeat offerre : quia ex hoc vitam nobis longiori ævo, auctore Domino, credimus propagandam, si ille in sacerdotio eligitur et sublimatur, qui pro nobis et pro vobis sibi commissis securus ante tribunal Christi preces offerat, et in futuro judicio, ut culpas excuset peccatorum, assistat. Qua de re præsenti auctoritate decernimus ut sæpedictus Desiderius episcopatum in Caturcensi urbe præsentialiter suscipiat, et Christo propitio ejus temporibus teneat. Et ut hæc deliberatio voluntatis nostræ firmior habeatur, manus nostræ subscriptione subter eam decrevimus roborare. Chrodobertus obtulit. Dagobertus rex subscripsit. Datio sub die Idus Aprili, anno 8 Dagoberti regis.

Indiculus ad metropolitanum.

3. Domino sancto et apostolico domno patri Sulpicio Dagobertus rex. Deo et vestræ Sanctitati credimus esse compertum qualiter fidelis noster vere illustris Desiderius thesaurarius nobis adolescentiæ tempore fideliter deservivit, nos devotissimam ac monasticam conversationem ejus habemus bene compertam ; ideo nos cognoscite taliter decrevisse, ut in civitate Caturca, ubi germanus ejus domnus Rusticus præerit, in locum ipsius honorem episcopatus in Dei nomine debeat accipere : quia divina inspirante potentia, talis nostra devotio manet, ut eos quos moribus ornatos et sanctis operibus deditos perspicimus, sicut est iste fidelissimus Dei et noster Desiderius, hos ad episcopale culmen provehere debeamus. Quia sic decet regiam celsitudinem, ut quos cognoscit in Dei timore conversari, et fidem catholicam integre custodire, vel evangelica præcepta, omnimodis ad pontificale officium studeat promovere. Proinde dum vos arcem metropolitani [*Al.*, vos archimetropolitani] scimus tenere, præsentes apices cum debito salutationis officio, Almitati vestræ studuimus destinare, petentes, ut ad eum benedicendum properare debeatis, et litteras ad comprovinciales fratres vestros dirigatis, ut et illi adesse debeant, ut canonice et juxta apostolicam institutionem sub vestri præsentia in sancta Paschali solemnitate pontificali benedictione A debeat esse consecratus. Illud etiam ante omnia supplicamus, ut nos in sanctis ac Deo placitis orationibus vestris Domino commendetis, et ad explendum hoc negotium nullam moram faciatis **1356**. Quod vero indicimus manus nostræ subscriptione, ut mos est, decrevimus roborare. Dagobertus rex subscripsit.

Electio ; quomodo a clero et a populo eligitur episcopus in propria sede, cum consensu regis, archipræsulisque, omnique populo.

(Ex Morin. et Cod. Corb.)

4. Domino Franc orumque meritis coæquando Patri patrum domno N. præsuli summo, cunctus clerus, omnisque populus sanctæ Ill. ecclesiæ, multimodam in Domino optamus salutem. Igitur quoties aliqua plebs vestræ ditioni subdita a proprio fuerit viduata pastore, non aliunde nisi a vobis est implorandum auxilium, quem ad hoc divina præordinavit Majestas, ut non solum vestros specialiter pascatis filios, sed B etiam rectores non habentibus, et spiritali pabulo indigentibus pastores tribuatis. Quapropter ad vestræ sanctitatis paternitatem fiducialiter nostras fundimus preces, poscentes videlicet, ut hunc ill. summæ honestatis, humilem vestrum famulum, nobis pontificem ordinare dignemini. Cujus conversationem et mores in quantum cognovimus laudamus, et ad tam dignum opus idoneum testificamus. Et quamdiu ad benedictionem episcopali immunes sumus, ejus doctrina et exemplo roborati ad viam salutis, Domino miserante, quasi perdita ovis [*Leg.* ovis] et inventa, redituros nos credimus. Quod decretum nostris manibus roboratum ill. ecclesiæ vestræ vobis dirigere statuimus. Anno Incarnationis Domini et episcopatus vestri, et regis ill. anno illorum, indictione tale, datarum tale.

Statuta Ecclesiæ antiqua, qui Episcopus ordinandus est.

(Ex cod. Colb.)

Ante examinetur si natura prudens est, si docibi- C lis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negotiis, si humilis, affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Domini instauratus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus; et ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse confirmans, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem et coæternalem, et coomnipotentem prædicans; si singulam quamque in Trinitate personam plenum Deum, et totas tres personas unum Deum. Si incarnationem divinam non in Patre neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantum, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris filius : Deus verus ex Patre, et homo verus ex matre, carnem ex matrem [*Leg.* matris] visceribus habens, et animam humanam rationabilem. Simul in eo unitæ naturæ, idem homo et Deus, unus Filius, unus Christus, unus Dominus, D creator omnium quæ sunt et auctor, et Dominus et creator **1357** cum Patre et Spiritu sancto omnium creaturarum ; qui passus sit vera carnis passione, mortuos [*Id est*, mortuus] vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suæ resurrectione et vere animæ suæ resurrectione, in qua venturus sit judicare vivos et mortuos. Quærendum ab eo si novi et veteris Testamenti, id est legis et prophetarum et apostolorum, unum eumdemque credat auctorem esse Deum. Si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quærendum etiam ab eo, si credat hujus quam gestamus et non alterius carnis resurrectionem, si credat judicium futurum, et recepturos singulos pro his quæ in hac carne gesserunt vel pœnas vel glorias. Si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum, quam illa quæ voluntarie admissa sunt

dimittantur, si extra Ecclesiam catholicam nullus salvetur. Cum his omnibus exam natus, inventus fuerit plene instructus, tunc consensu clericorum et laicorum, et conventu totius populi, provinciæ episcoporum maximeque metropolitani vel auctoritate vel præsentia, ordinetur episcopus. Suscepto in nomine Christi episcopatu non sui delectatione, nec suis moribus, sed his Patrum definitionibus acquiescat. *Explicit sententia.*

SPECIMEN LITURGIÆ GALLICANÆ EX ANTIQUIS MONUMENTIS.

Liturgiæ Gallicanæ ordinem fuse Mabillonius noster exposuit in tractatu ea de re singulari, quem occasione Lectionarii Gallicani a se in Luxoviensi monasterio reperti edidit anno 1685, ubi et tria Sacramentaria exhibet, quæ sub prima regum nostrorum stirpe in usu erant. Quartum habes e Codice Bobiensi ab eodem erutum in appendice ad tomum I Musei Italici. Ex his loca illustriora seligimus ad concinnandum istum Gallicanæ missæ specimen; nonnulla ex Gregorio aliisque ejus ævi monumentis supplebimus.

Antiphona seu introitus.

Ab antiphona incipit missa in omnibus Liturgiis. Quod de Gallicana innuit concilium Agathense, canone 30. Quænam vero illa fuerit ignoratur, quod nondum ullum inveniri potuerit antiphonarium Gallicanum. Eam ex Mozarabico supplemus.

Alleluia. Benedictus qui venit alleluia, in nomine Domini alleluia, alleluia.

Deus Dominus et illuxit nobis. In nomine Domini alleluia, alleluia.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, *ex Gregorii libro* VI, *capite* 40. Sicut erat in principio et nunc et semper et in sæcula sæculorum amen. *Ex concilio Vasensi* II, *can.* 5. In nomine Domini alleluia, alleluia.

Kyrie eleison. *Frequenter repeti debet ex conc. Vasensi* II, *can.* 3.

Lectio Isaiæ prophetæ.

(*Lit. Gall. Mabillon. p.* 107.)

1358 Tempore illo locutus est Dominus ad Achaz dicens : Pete tibi signum, etc. *Ex capite* VII, 10, *ad versum* 8 *capitis sequentis, sed omissis passim multis versibus. In sanctorum natalitiis legebatur loco prophetæ, uti diximus in nostra præfatione, sancti passio, aut Vita, cujus festum celebrabatur.*

Collectio post prophetia.

(*Lit.* 190.)

Ortus es nobis vegus Sol justitiæ, Jesu Christe. Venisti de cœlo humani generis Redemptor. Erexisti nobis cornu salutis : et celsi Genitoris Proles perpetua, genitus in domo David propter priscorum oracula vatum, propriam volens absolvere plebem, et vetusti criminis delere chirographum, ut æternæ vitæ panderes triumphum. Ideoque nunc te quæsumus, ut in misericordiæ tuæ viscera nostris appareas mentibus, salus æterna; et nos eripiendo ab iniquo hoste, justitiæ cultores effícias; omnique mortis errore spreto, pacis viam recto itinere gradientes, tibi recte servire possimus Salvator mundi. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis, dominaris et regnas Deus in sæcula sæculorum.

Daniel cum benedictione.

(*Lit.* 107, 139.)

Benedicite omnia opera Domini Domino. Hymnum dicite et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite angeli Domini Domino. Hymnum dicite et superexaltate eum in sæcula, etc.

Benedicamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum Dominum. Hymnum dicamus et superexaltemus eum in sæcula.

Collectio post precem.

(*Lit. p.* 190.)

Exaudi, Domine, familiam tibi dicatam, et in tuæ Ecclesiæ gremio in hac hodierna solemnitate nativitatis tuæ congregatam, ut laudes tuas exponat. Tribue captivis redemptionem, cæcis visum, peccantibus remissionem; quia tu venisti, ut salvos facias nos. Aspice de cœlo sancto tuo, et illumina populum tuum, quorum animus in te plena devotione confidit salvator mundi, qui vivis.

Epistola Pauli apostoli ad Hebræos.

(*Lit. p.* 107.)

Fratres, Multifarie et multis modis, etc. *Heb.* I, 1-13. *Hic, uti conjicimus, canebatur psalmus responsorius, de quo Gregorius libro* VIII *cap.* 3, *ac inter ea diaconus procedebat ad locum ubi Evangelium legi solebat.*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

℣. Gloria Deo omnipotenti. *Ab omni populo respondebatur ex lib.* VIII *Hist. cap.* 4.

(*Lit. p.* 108.)

1359 Factum est autem in diebus illis exiit edictum a Cæsare Augusto, etc. *Ex Luc.* II, 1-19.

Si homilia ad populum habenda esset, tunc fiebat, ex Vita sancti Eligii per sanctum Audoenum, libro II, *cap.* 22.

Apologia sacerdotis.

(*Lit. p.* 251.)

Ante tuæ immensitatis conspectum, et ante tuæ ineffabilitatis oculos, o Majestas mirabilis, scilicet ante tuos sanctos vultus, magne Deus, et maximæ pietatis et potestatis omnipotens Pater, quamlibet non sine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate, vilis admodum precator accedo, et reus conscientiæ testis assisto. Quidne rogabo quod non mereor? atne pie (non sine Dei pace dictum sit) quod peccati magis est accusator, qui pro peccatis debuit esse interventor? Accuso ergo me tibi, et non excuso : et coram testibus confiteor injustitiam meam tibi Domino Deo meo. Confiteor, inquam, confiteor sub testibus injustitiam impietatis meæ, ut remittas impietatem peccati mei. Confiteor, quod nisi remittas, recte me punias. Habes me confitentem reum, sed (scio) nisi verbis non emendantem. Verbis enim placo, operibus offendo. Culpam sentio, emendationem differo. Subveni ergo, subveni pietas ineffabilis. Ignosce, ignosce, mihi, Trinitas mirabilis. Parce, parce, parce, supplico, Deitas placabilis. Exaudi, exaudi, exaudi me rogo, his verbis filius Filii tui clamantem : Pater æterne Deus, peccavi in cœlo et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me ut unam de mercenariis tuis. Et nunc, Pater misericors, unicum misericordiæ tuæ portum, Christo favente, peto, ut quod per me vilescit, per illum acceptum ferre digneris, qui in æternum tecum vivit et regnat.

Diaconus silentium indicebat, ut missæ auscultarentur. Ex Gregorio libro VII *Hist. cap.* 8.

Præfatio missæ.

(*Lit. p.* 190.)

Sacrosanctum beatæ Nativitatis diem, in quo nascente Domino virginalis uteri arcana laxata sunt, incorruptorumque genitalium pondus sæculi levamen effusum est, sicut exoptavimus votis, ita veneremur et gaudiis. Hic namque ortus die splendidior, luce coruscantior est. In hoc omnipotentem Deum, qui terrenam fragilemque materiam causa nostræ redemptionis assumpsit, fratres dilectissimi, supplices deprecemur : uti nos, quos ortu corporis visitavit, societate conversationis edocuit, præcepto prædicationis instituit, degustatione mortis redemit, participatione mortis amplexus est, divini Spiritus infusione ditavit; sub perpetua devotione custodiat, et in his beati famulatus studiis permanere concedat. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

Collectio, *seu missa, seu ante nomina.*

(*Lit.* 191, 325.)

1360 Deus qui dives es in misericordia, qua mortuos nos peccatis convivificasti Christo filio tuo, ut formam servi acciperet, qui omnia formavit : ut qui erat in deitate, generaretur in carne; ut involveretur in pannis, qui adorabatur in stellis; ut jaceret in præsepio, qui regnabat in cœlo : invocantibus nobis aurem majestatis tuæ propitiatus accommoda, donans hoc per ineffabilem tuæ misericordiæ charitatem, ut qui exsultamus de nativitate Filii tui, qui vel ex Virgine natus, vel ex Spiritu sancto regeneratus est, pareamus præceptis ejus, quibus nos edocuit ad salutem. Præsta per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum.

Post hanc collectionem, ejectis ex ecclesia excommunicatis, omnibus diebus Dominicis, *ut habet concilium* II *Matisconense canone* 4, altaris oblatio panis et vini ab omnibus viris et mulieribus offerebatur tam panis quam vini, *quod fidelium voluntati aliis diebus permittebatur, ut ex Gregorio colligimus. Interim dum* turribi *afferebat* diaconus *ex sacrario*, in qua Dominici corporis mysterium *habebatur, cantabantur psalmi, uti licet conjicere, quorum hodieque antiphonam sub offertorii nomine retinemus. Facta oblatione, munera altari imposita velo seu palla, ut passim appellat Gregorius, tegebantur: recitabatur* nomen domni papæ, qui tunc apostolicæ sedi præerat, *ex canone* 4 *concilii* II *Vasensis; ac deinde offerentium nomina, tum defunctorum, quorum nomina in scheda descripta, ut ex litteris societatis inter canonicos Laudunenses et monachos Remigianos patet, in sacro altari tempore sacrificii deposita remanebant, saltem in aliquot ecclesiis. Diptycha sacra legebantur, id est catalogus episcoporum qui in communione catholica decesserant, qualem ex Arelatensi ecclesia edidit noster Mabillonius tomo* III *Analect. Id in Remensi ecclesia a subdiacono præstabatur, ex Folcuino in Chronico Laubiensi. Diptycha ejusdem ecclesiæ in duobus Codd. mss. invenimus, uno scilicet metropolitanæ bibliothecæ, et altero archimonasterii Remigiani, quibus hi præmittuntur versus :*

Nomina pontificis cujusque hic cerne Rhemensis,
Quos intra est medius sol quasi Remigius.
Sanctificantur enim dum sacræ oblatio mensæ
Horum ita dicuntur nomina pontificum.

Sixti, Sinicii Amansii, etc.

Sed et aliorum quoque memoria fiebat, benefactorum scilicet et amicorum, ut patet ex formula quæ habetur in fine regulæ sancti Aureliani in codice Regularum, a nostro Mabillonio edita. Simulque precantes (*Lit.* 43), oramus etiam, Domine, pro animabus famulorum tuorum patrum atque institutorum quorumdam nostrorum, Aureliani, Petri, etc., Childeberti, Ultrogothæ, vel omnium fratrum nostrorum, quos de hoc loco ad te vocare dignatus es. Cunctorumque etiam hujus loci memores fidelium pariterque parentum nostrorum, **1361** atque servientium hujus loci; et pro animabus omnium fidelium .... in pace Ecclesiæ defunctorum : ut eis tu, Domine Deus noster, peccatorum tribuas veniam, et requiem largiaris æternam, meritis et intercessionibus sanctorum tuorum, Mariæ genitricis Domini nostri Jesu Christi, Joannis Baptistæ et præcursoris Domini nostri Jesu Christi, Stephani, Petri, Pauli, etc., Mathiæ, Genesii.... Hilarii, episcopi et confessoris.... Cæsarii episcopi hæc propitius præstare et exaudire digneris, qui vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus in sæcula sæculorum amen.

Collectio post nomina, seu super oblata.

(*Lit.* 290.)

Offerentium nominibus recensitis, fratres charissimi, Dominum deprecemur, ut eorum oblationem inter sanctorum dona suscipiat, quorum a nobis facienda commemoratio est, ut et nostri memores esse dignentur. Petamus et pro his qui nos in Dominica pace præcesserunt, ut tartareo horrore segregatos, in sinu Abrahæ collocatos resuscitare Omnipotens dignetur in prima sua resurrectione quam facturus est. Per.

Tum Fideles pacis osculum sibi invicem dabant, et sequebatur,

Collectio ad pacem.

(*Lit.* 255.)

Deus, per cujus os prolatum est, quod pacem omnibus dares, et pacis statuta relinqueres, infunde in cordibus nostris pacis studium, et piæ voluntatis affectum, ut vitiorum omnium labe purgati, pacem, quam labiis ore prosequimur, immaculatis cordibus teneamus. Per.

Contestatio, *seu* immolatio missæ.

Hanc selegimus, quod a Gregorio laudetur capite 14 *libri* II *Mirac. sancti Martini, finem supplevimus ex eo quæ est sanctorum Jacobi et Joannis.*

(*Lit.* 215.)

Vere dignum et justum est, omnipotens Deus, te in Martini tui laudibus honorare, qui sancti Spiritus tui dono succensus, ita in ipso tyrocinio fidei perfectus inventus est, ut Christum texisset in paupere, et vestem quam egenus acceperat, mundi Dominus induisset. O felix largitas, qua Divinitas operitur! o chlamydis gloriosa divisio, quæ militem texit et Regem! inæstimabile donum est, quod vestire Deum meruit Deitatis. Digne huic confessionis tuæ præmium commisisti, digne Arianorum non subjacuit feritati, digne tanto amore Martinus persecutoris tormenta non timuit securus, quia tanta erat [*Cod. Bob.*, est] glorificatio passionis, ut per quantitatem vestis exiguæ, et vestire Christum meruit et videre. O animi imitanda benignitas! o virtutum veneranda potentia! Sic egit suscepti pontificatus officium, ut per formam probabilis vitæ observantiam exegerit **1362** disciplinæ. Sic apostolica virtute sperantibus contulit medicinam, ut alios supplicationibus, alios visu salvaret. Hæc tua est, Domine, veneranda potentia, cui cum lingua non suppleat meritis exorare, operibus sancti Martini, te opitulante, mereamur imitari per Christum Dominum nostrum [Filium tuum (*Lit.* 198), qui est sanctorum omnium virtus et gloria, victoria martyrum et corona, pastor ovium et hostia sacerdotum, redemptio gentium et propitiatio peccatorum : ante cujus sacratissimam sedem stant angeli atque archangeli, et sine cessatione proclamant, dicentes : Sanctus, sanctus, sanctus.] *Sic et præscribit concilium Vasense* II, *can.* 3.

Collectio post Sanctus

(*Lit.* 193.)

Hosanna in excelsis. Vere sanctus, vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, qui sanctus in sanctis, pro morte vitam, pro pœna gloriam, pro confessione victoriam præstare dignatus est. Ipse enim pridie quam pateretur, etc.

In Missali Francorum, quod a Thomasio et Mabillonio editum est, habetur ad calcem : Incipit canon actionis. Sursum corda, etc. Vere dignum et justum est, etc. Te igitur, etc., *ut in Liturgia Romana, quæ omnia initio habentur in Sacramentario Gallicano, quod e Bobiensi Codice eruit idem Mabillonius, sed cum hoc titulo :* Missa Romensis cotidiana. *Unde in singulis missis nihil post contestationem habetur, quod forte jam tunc canon missæ more Romano diceretur, saltem in quibusdam ecclesiis. Cæterum in Missalibus Gothico, Gallicano, et veteri Gallicano, apud Mabillonium, quæ purum Gallicanæ Ecclesiæ ritum exhibent, varius est canon pro solemnitatum diversitate, sed ubique brevis, qualem hic repræsentavimus. Verba sacra appellat Gregorius cap.* 87 *libri* I *de Gloria Mart. ; ex quo item auctore in Vitis Patrum cap.* 16 *discimus* sanctum munus juxta morem catholicum, *quod nempe id in Ecclesia universali observaretur*, signo crucis superpositio benedictum *fuisse. Hæc autem omnia secreto et*

submissa voce facta et dicta fuisse colligimus ex oratione sequenti, quæ ubique post secreta, *seu* post mysterium *appellatur; et quidem in ritu Mozarabico præscribitur ut consecratio dicatur in silentio. In Gothico vero præcipitur ut* in Roga ionibus ad tres missas post Sanctus *dicatur* Hanc igi ur oblationem, *etc.*

Post secreta.

(*Lit.* 192.)

Credimus, Domine, adventum tuum, recolimus passionem tuam. Corpus tuum in peccatorum nostrorum remissione confractum; sanguis sanctus tuus in pretium nostræ redemptionis effusus est, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas.

Eadem oratio aliis dicitur,

Post mysterium.

(*Lit.* 196.)

1363 Hoc ergo facimus, Domine, hæc præcepta servamus, hanc sacri corporis passionem sacris solemnibus prædicamus. Quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut veritatem nunc sacramenti cœlestis exsequimur, ipsi veritati Dominici corporis ac sanguinis hæreamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Ante orationem Dominicam.

(*Lit.* 192.)

Non nostro præsumentes, Pater sancte, merito, sed Domini nostri Jesu Christi filii tui obedientes imperio, audemus dicere : Pater noster qui es in cœlis, etc.

Post orationem Dominicam.

(*Ibid.*)

Libera nos, omnipotens Deus, ab omni malo, ab omni periculo, et custodi nos in omni opere bono, perfecta veritas, et vera libertas, Deus, qui regnas in sæcula sæculorum.

Benedictio populi.

(*Lit.* 200.)

Deus, qui tibi consecrasti primitias martyrum ab innocentia parvulorum. Amen.

Et prius tibi coaptasti in confessione infantiam, quam lingua solveretur in verba. Amen.

Concede plebem tuam innocentiam per gratiam, et si non sint tempore sanguine fuso martyria. Amen.

Servetur hic populus purgatus baptismate, qui tibi placitam fecisti innocentiam per cruorem. Amen.

Ut illic suo interventu grex accedat per lavacrum, ubi felices parvuli perfusi rore sanguinis gloriantur. Amen.

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Collectio ad pacis fractionem.

(*Lit.* 251.)

Respice ad hanc oblationem, omnipotens Deus, quam tibi offerimus in honorem nominis tui pro salute regum et exercitu eorum, et omnium circumastantium, et præsta, ut qui ex ea sumpserint, accipiant sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, intellectum sensus Christi, securitatem spei, corroborationem fidei, æternitatem Spiritus sancti. Præsta per eum qui tecum vivit et regnat.

Tunc communicaturi accedebant ad altare, cæteris vero qui remanserant dabantur eulogiæ, ut ex Gregorio in præfatione nostra diximus. Psalmos vero tunc temporis cantatos fuisse studet Aurelianus, qui præcipit in regula, ut omnes psallendo communicent. Et quidem antiphonam ejusmodi psalmis præmissam hodieque sub communionis nomine cantamus.

Post communionem, *aliis* post Eucharistiam, *seu* præfatio post Eucharistiam.

(*Lit.* 190.)

1364 Cœlesti cibo potuque roborati omnipotenti Deo laudes et gratias, fratres charissimi, referamus, poscentes ut nos quos dignos habuit participatione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi unigeniti sui, dignos etiam cœlesti remuneratione perducat. Per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum.

Collectio sequitur, *aliis* consummatio missæ.

(*Ibid.*)

Quod ore sumpsimus, Domine, mentibus capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Hæc oratio in Missali Francorum titulum habet Ad plebem, *et sæpius in ea postulat sacerdos ut populus a Deo benedicatur. In missa quam Gothicam Missale habet pro initio Quadragesimæ, et in Missali Gallicano in secunda missa de Adventu, benedictio populi datur post collectionem, seu consummationem missæ.*

MISSA DE SANCTO SIGISMUNDO PRO FEBRITICIS [a].

Ex Sacramentario Gallicano in Cod. ms. Bobiensi

Epistola Joannis apostoli ad gentes.

Fratres, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitæ. (*Ex Museo Italico Mabillon.*)

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Diebus illis circuibat Dominus Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus et tormentis comprehensos, et curavit eos.

Missa sancti Sigismundi regis.

Omnipotentem Dominum, qui per apostolos et martyres suos diversa sanitatum dona largitur, fratres dilectissimi, deprecemur, ut huic servo suo illi, qui typi quartani vexatione fatigatur, fidelis famuli sui Sigismundi precibus clementer occurrat, et dum nobis illius facit merita, isti conferat medicinam.

Secreta.

1365 Inclina Domine pias preces [*Forsan*, aures] ad desideria supplicantium, et quæ devoto corde poscimus, benignus admitte, ut servo tuo illi, qui typi quartani vexatione fatigatur, fidelis famuli tui Sigismundi precibus clementer occurras : nobis illius patefacias merita, præsenti ægroto conferas medicinam.

Contestatio.

Vere dignum et justum est, omnipotens Deus, nomen tuum laudare, cujus majestatem tuam tanto magis obnoxii sumus, quantum illi pro suscepta nostri corporis humilitate debemus, exemplum nobis reliquiens, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Quis in hoc mundo ita poterit sequi, ut nec dolus in ore, nec peccatum ejus inveniatur in opere ? sed in patientia quæ Deus amat, majestas divina commendat. Nunc ergo dono majestatis tuæ agnoscimus reliquias esse homini pacifico. Tu ergo, Domine Deus noster, qui inter bellorum tumultus, non examinatione persecutoris, electo tuo Sigismundo triumphum martyrii contulisti, tu dispensando pauperibus pulsanti aperire dignatus es, secutus gratiam, consecutus misericordiam, ut post mortem ostendas in virtute, quem ante mortem firmasti in fide. Tua enim dona sunt, Domine, ut in nomine electi tui Sigismundi per communionem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi Filii tui, a famulo tuo illi, tempestatis frigora, febrium ardorem repellas, et ad sanitatem pristinam revocare digneris, præsta quæsumus. Per Trinitatem laudant omnes angeli, etc.

[a] Vide lib. de Gloria martyr., cap. 75, notamque *f* col. 771. Ed.

Ex eodem Sacramentario.

Benedictio calicis, et patenæ, et turris [a].

Deus omnipotens, qui cum Moyse famulo tuo in Chore montem servanda populo tuo præcepta disponeres, templum sanctum tuum qualiter ædificaret instituisti. Precamur te, Domine, tuam majestatem, ut hunc calicem, patenam et turrem, in quo celebraturi sumus sacrosancta mysteria, cœlesti benedictione sanctifices atque benedicas, ut sanctis vasculis tuis acceptabilem deferat famulatum. Per.

Ex Missali Francorum.

Præfatio Chrismali. b.

(*Lit.* 316.)

Oremus, fratres charissimi, ut Deus omnipotens hoc ministerium corporis Filii qui Domini nostri Jesu Christi gerolum, benedictione, sanctificationis tutamine, defensionis dominatione implere dignetur omnibus nobis. Per.

Omnipotens Deus Trinitas, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per **1366** nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, et corporis Christi novum sepulcrum Spiritus sancti gratia perficiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit. *Habentur ibidem aliæ orationes ad consecrandam patenam, calicem, etc.*

Oratio super vas in loco antiquo repertum.

Omnipotens sempiterne Deus, insere te officiis nostris, et hæc vascula arte fabricata gentilium sublimitatis tuæ potentia ita emundare dignaris, ut omni immunditia depulsa, sint tuis fidelibus templo e pacis atque tranquillitatis utenda. Per.

Oratio ad probandas reliquias.

(*Ex ms. Cod. sancti Remigii Rhemens.*)

Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. *Ter.*

Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina, *cum* Gloria Patri, *et cum* alleluia, *tribus vicibus.*

Psal. Exsurgat Deus, *usque* Cantate Deo psalmum dicite, *tribus vicibus cum* Gloria Patri.

Hymnus. Veni, Creator, *etc.* Or. Deus qui corda fidelium.

Antiph. Justus Dominus. *Psal.* In Domino confido.

Antiph. Sanctis qui in terra sunt. *Psal.* Conserva me, Domine.

Antiph. Igne me examinasti. *Psal.* Exaudi, Deus.

Antiph. Hæc est generatio. *Psal.* Domini est terra.

Antiph. Deus, exaudi orationem. *Psal.* Deus, in nomine tuo.

Antiph. Beati quos elegisti, Domine. *Psal.* Te decet.

Antiph. Veritas de terra. *Psal.* Benedixisti, Domine.

Antiph. Credidi propter. *Psal. id ipsum.*

Antiph. Laudate Dominum de cœlis. *Psal.* Laudate Dominum in sanctis ejus.

Antiph. Trium puerorum. *Psal.* Benedicite.

Antiph. Te gloriosus. *Psal.* Quicunque vult salvus esse. Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio erat verbum. *Tunc litania, usque:* Omnes sancti, orate pro nobis. Kyrie eleison, *ter*, Christe eleison, *ter*, Kyrie, eleison, *ter*. Pater noster. Et ne nos inducas. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Et salutare tuum.

Oratio.

Domine Deus Jesu Christe, qui es Rex regum et Dominus dominantium, et amator omnium in te credentium, qui es justus judex, fortis et potens; qui sacerdotibus tuis tuæ sancta mysteria revelasti, et qui tribus pueris flammas ignium mitigasti: concede nobis indignis famulis tuis, et exaudi preces nostras, ut pannus iste, vel filum istud, quibus involuta sunt ista corpora sanctorum, si vera non sint, crescentur ab hoc igne; et si vera sint, evadere valeant, ut justitiæ non **1367** dominetur iniquitas, aubi tur falsitas veritati. Quatenus veritas tua tibi declaretur, et nobis omnium in te credentibus manifestetur, ut cognoscamus quia tu es Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Pater noster. *Tunc antiphona.* Igne me examinasti. *Et dum incipitur, in ignem reliquiæ ponantur, tandiu donec ter finiatur ipsa antiphona cum psalmo* Probasti, Domine, cor meum, *et cum* Gloria Patri. *Sicque faciens, reliquiæ utrum veræ sint an falsæ reperies.*

Ex concilio Cæsaraugustano II, æra 650 [*id est an* 592,] *anno* 7 *Reccaredi regis, sub Gregorio Magno.*

Canon 2.

Statuit sancta synodus ut reliquiæ in quibuscunque locis de Ariana hæresi iuventæ fuerint, prolatæ a sacerdotibus, in quorum ecclesiis reperiuntur, pontificibus præsentatæ igne probentur. Quod si a quibuslibet occultatæ fuerint, et detegantur, a sanctæ catholicæ cœtu segregentur

QUA PROPRIE LINGUA PRISCI FRANCORUM REGES USI.

Ex viro cl. Marquardo Freheso.

(Chesn. t. II, p. 385.)

Cum notatum sit [occasione fœderis inter Ludovici Pii filios] utrumque sermonem, [Romana lingua et Theudisca] utrique fratrum peraque notum et familiarem fuisse, [utraque tamen lingua prolatum ob utriusque regis populo] non abs re subit quærere quis igitur Francorum regum Gallia peculiarium proprius et naturalis sermo fuerit. Nam præter Latinum, quem et ipsos non minus quam nos laude ærumnabili labore addiscere conveniebat, peculiare patrium et nativum idioma eos habuisse dubitare nos non sinit vel unus Fortunati de Chariberto rege locus.

Cum sis progenitus clara de gente Sicamber
Floret in eloquio lingua Latina tuo.
Qualis es in propria docto sermone loquela
Qui nos Romanos vincis in eloquio.

Et Theganus de Ludovico Pio scribens, *lingua Græca et Latina valde eruditus, sed Græcam magis intelligere poterat quam loqui; Latinam vero sicut naturalem æqualiter loqui poterat.* Jam vero præter veram illam puram putamque Ausoniam linguam, tunc temporis una cum imperio inclinatam, suborta etiam erat provincialis quædam, nullo inquinatior Latina, vel potius Gallo Latina lingua, quam jam tunc Sidonius *squamam Latini sermonis*, et alibi *rubiginem trivialem barbarismorum* jucabundus appellat. Franci ipsi nonnisi *rusticam Latinam* dixere, ea fere quam Nithardus hoc loco *Romanæ* nomine dignatur, quia simillimam in Romanis provinciis vulgo utcunque terebatur, quas *Romaniam* Franci vocabant, eodem Fortunato teste ad Chilpericum:

1368 Hinc tibi barbaries, illinc Romania plaudit,

et a provincialibus, qui Francis victoribus intermixti, *Romani* in veteribus legibus subinde dicuntur, usurpabatur. Reges vero ipsos, origine haud mirum Sicambros, ut ut in subacta Gallia sermonis Latini illæ reliquiæ essent, patria et originaria sua lingua e Sicambria sive Francia a majoribus allata, potius quam populari illa et rusticana semilatina; denique victrice sua, ut credibile est, potius quam captiva subditorum lingua usos, eamque diu constanter retinuisse, dum genus Merovingiorum et Carolingorum vigebat, cum infinitis argumentis possem, juvat illu-

[a] Vide lib. I de Gloria martyr. cap. 86, notamque a col. 781. Ed.

[b] Vide lib. de Miraculis sancti Martini, l. b. IV, cap. 32. Ed.

sirioribus tantum quibusdam ipsorum utriusque prosapiæ regum effatis confirmare.

De Clodoveo igitur, qui primus per baptismi gratiam a beato Remigio accepit fidem salutarem, in ejus Testamento locus exstat : « Cum duabus villis quas mihi dominus illustrisque memoriæ Ludovicus rex, piissimusque princeps, a me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei, Piscofesheim sua lingua vocatas, mihi tradidit. » Quo nomine per mediam Germaniam complures villæ occurrunt *Bischofsheim* dictæ : eadem forma qua beati Nicetii castellum supra Mosellam exstructum et Fortunati versibus nobilitatum, *Bischofstein* hodieque vocatur. Porro apud Turonensem quatuor locis legimus Gundobaldum quemdam e Græcia profectum, Clotarii regis se filium mentientem, a Guntramno rege per indignationem an contemptum *Ballomerem* vocatum, convicio sine dubio acerbo et gravi, sed hic modo fusius non explicando. Sufficiat scire pseudoregem significare, ut *Balmond*, falsum et improbum tutorem.

Ad Carolos venio, de quorum primo Continuator Turonensis cap. 103 : « Igitur præfatus Pippinus aliam duxit uxorem, nobilem et elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocavitque nomen ejus lingua propria Carolum. » Quod equidem nomen nihil omnino cum Caro aut Carino commune habere, sed merissime Germanum esse, certo certius probarem in continenti, nisi Onomatothetam meum (id nomen singulari *de Germanis nominibus propriis* libro indidimus) vel leviter deflorare mihi cautio esset. Quis etiam nescit quæ mensibus ventisque nomina ipse Magnus imposuerit? Filius ejus et successor Ludovicus Pius cum in agone mortis obversantes malignos spiritus virtute fidei repelleret, *Hus, hus* ingeminasse, quod nobis significet, Foras, foras, scriptor Vitæ ejus testatur. Claudam insigni loco Frodoardi de synodo apud Ingelheim an. 949 habita : « Post quarum litterarum recitationem, et earum propter reges juxta Theotiscam linguam interpretationem, » etc. Quo quis quid clarius requirat? Quapropter recte faciunt cordatiores Gallorum, qui linguam Teutonicam, quam vulgus insulsum ceu barbaram et inconditam, contumeliose *baragouin*, voce plusquam barbara vocat, cum suis majoribus, ipsisque adeo primis et laudatissimis, regibus gentilem et vernaculam fuisse agnoscant, si 1369 non ipsi addiscunt, et libenter usurpant, certe ob antiquitatem, copiam et majestatem admirantur; ipsamque Germaniam in ea, qua olim Romani Ilium veneratione habent.

Ex canone 17 *concilii* III *Turonensis.*

Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet episcopus habeat homilias.... Et ut easdem quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur.

DE REGALI ABBATIA SANCTI GERMANI A PRATIS PROPE PARISIOS.

Mihi antiqua quæque monumenta ad illustrandam Gregorii Historiam colligenti omittere non licuit ea quæ coram sunt in percelebri sancti Germani a Pratis abbatia, quæ a Childeberto rege Clodovei Magni filio condita, et a subsequentibus regibus culta, eorumque tumulis honorata, a Gregorio nostro passim laudatur ac memoratur. Fecere quidem temporum vetustas ac rerum humanarum vicissitudo, ut pauca ex compluribus supersint tam antiquorum temporum monumenta : sed tamen cum ibi plures quam in quocunque alio Galliarum loco conspiciantur primæ regum nostrorum stirpis reliquiæ, iis illustrandis paulo immorandum esse visum est. Basilicam insignem fuisse persuadent loci celebritas, et majestas conditorum. Post annum 542 incœpta, anno 559 perfecta fuit, atque ab ipso beato Germano Parisiorum antistite consecrata. Ejus condendæ occasio fuit Childeberti de Visigothis victoria, ut nempe ministeria sacra, ac potissimum beati Vincentii stolam, quam ex Hispania detulerat, loco decenti deponeret. Ecclesiam in modum crucis sancto Germano curante construciam fuisse, ac quintuplici altari consecratam, variisque sanctorum reliquiis refertam docet vetus auctor Vitæ sancti Droctovei. Hinc sanctæ crucis simul cum beati Vincentii nomine insignitam fuisse verisimile est. Utrumque enim nomen ab initio eam habuisse ex Venantio Fortunato, Ermentrudis testamento, etc., constat. Sancti Germani basilicam inter *seniores* regni recenset auctor Vitæ sanctæ Bathildis; rogat vero *illustris illius loci abbatem* sanctus Bertramnus Cenomannorum antistes in suo Testamento, ut suum ipsius nomen *in Vitæ libro*, id est inter monasterii benefactores, recitetur, data ea de re *Bobane villa*. Quantæ autem magnificentiæ fuerit, discimus ex laudato Vitæ sancti Droctovei auctore, qui scribebat sæculo IX labente, cum scilicet, jam quidem semel et iterum hæc basilica Normannorum furore violata fuisset, sed nondum destructa. Quare eam, sicuti primitus exstructa fuerat, ab eo descriptam fuisse non immerito quis affirmaret. « Cujus, inquit, basilicæ opus mirificum describere 1370 nobis videtur superfluum, qualiter scilicet distincta fenestris, quibus pretiosissimis marmorum fulta columnis, quove modo crispante camera, compta auratis laquearibus, necnon parietes, ut Christi decebat aulam, quo decore nitebant pictura aurei colores, strato inferius pulchro emblemate pavimenti. Tectum vero ipsius basilicæ coopertum apprime deaurato cupro [*id est*, Cyprio] ære, repercussum solis jubare sic flammigero rutilabat fulgore, quatenus intuentium aciem reverberaret nimia claritudine. Unde præ nimio decore non immerito olim ipsa domus per metaphoram INAURATI GERMANI AULA vocabatur vulgi ore. »

Hujus basilicæ parti inferiori duplex erat adjunctum oratorium, atque in eorum altero versus septentrionem, quod jam pridem violatum est, sepultus fuit beatus Droctoveus, primus loci abbas ab ipso Germano institutus. Qui postea crebrescentibus miraculis inde levatus, in majorem basilicam translatus fuit, ubi hactenus in theca asservatur. In opposito autem oratorio, quod scilicet ad austrum respicit, depositus fuit ipse beatissimus antistes, cujus sepulcrum jam Chilperici regis tempore, ut narrat Gregorius, miraculis illustre, ab eo rege, si Aimoino vulgato credimus, carmine honoratum est, et paulo post a sancto Eligio, ut testis est beatus Audoenus ejus Vitæ scriptor, auro argentoque ac pretiosissimis gemmis fuit exornatum. Ibi hodieque tanti pontificis sepulturæ locus a fidelibus frequentatur, quamvis sacrum ejus corpus a nongentis et amplius annis inde translatum in majorem basilicam fuerit sub Lantfride abbate, relicto solummodo in primæ sepulturæ memoriam lapide, cui post aliquot sæcula hæc insculpta fuit inscriptio :

HIC FUIT PRIMO TUMULATUS BEATUS GERMANUS

Visitur et ibi alius lapis quadratus, in quo crucis figura depingitur, cum veteri in circuitu inscriptione sæculo octavo sculpta, quæ Pippini regis, cum sacri corporis translationi interesset, liberalitatem indicat, his verbis, litteris quidem ut plurimum Romanis et quadratis, sed inter se intextis, et majoribus simul cum minoribus permixtis, ut aliæ in aliis inclusæ minus spatium occuparent; quas cum typi formæ non paterentur, litteris vulgaribus repræsentamus.

HIC PAUZANTE SCO GERMANO DIE TRANSLATIONIZ DEDIT EI REX PIPINUS FISCUM PALATIOLI CV APPENDITIS ZUIS OMNIBUS.

Oratorium istud sæpius exinde violatum, sed totidem vicibus reconciliatum fuit. Cujus altare hujus sæculi initio reparatum sanctus Franciscus Salesius Genevensium episcopus anno 1619 consecravit. Sed cum totum ædificium vetustate latiscens brevi ruitu-

rum crederetur, totum pene a fundamentis restaura-
tum reparatumque est paucis abhinc annis, tumulus-
que sancti antistitis exornatus uti hodie visitur,
insculpta marmori inscriptione, **1371** quæ diem
et annum obitus beati pontificis indicat.

Porro inter utrumque oratorium exstat turris, tan-
tam intuentibus præ se ferens vetustatem, ut non-
nulli existimaverint eam esse ipso monasterio anti-
quiorem. Haud longe aberat idolum vetus, quod Isi-
dis fuisse vulgati auctores scribunt, sæculo proxime
elapso comminutum a monachis, quod mulierculis
aliquot coram eo orantibus, idololatriæ occasionem
præbuisse videretur. Sub ea turre patent majores ba-
silicæ fores cum porticu, in qua visuntur aliquot re-
gum reginarumque statuæ lapideæ ad januæ postes
locatæ, quas in prima basilicæ conditione, aut certe
paulo post ibi positas fuisse censent viri eruditi, qui
eas diligentissime inspexerunt. Et certe res ipsa lo-
quitur. Exstat supra ipsum januæ superius limen
cœnæ dominicæ specimen, in qua Dominus cum
apostolis suis more solito mensæ assidet. Statuæ
vero, quas hinc et inde ad valvas exstare diximus,
numero sunt omnino octo, ad humanam ferme men-
suram et formam, qualis barbaro illo ævo repræsen-
tari potuit. Illis præter episcopum, Clodoveum regem
cum Clotilde et quatuor filiis, ac Ultrogotta Childe-
berti fundatoris uxore exhiberi vel ex ipso conspec tu
diu suspicati fuimus, quod ex diligentiori observa-
tione nobis omnino compertum est. Etenim rotulos,
quos eorum nonnulli præ manibus habent, diligen-
tius rimati, deprehendimus in duobus ex illis quas-
dam litterarum reliquias, quarum unæ Clodomere-
rem, alteræ Clotarium esse demonstrarunt. Quas
quidem litteras, etsi forte primariis substitutæ vi-
deantur, antiquissimas tamen esse ipsa characterum
forma, et viridis color fere penitus detritus probant.
Certe in ipsa ecclesiæ instauratione depicta colligi-
mus ex Childeberti tumulo, tunc, ut infra dicemus,
exsculpto; nam simili colore depictus fuerat, ut
indicant aliquot ejus picturæ vestigia quæ super-
sunt.

Prima statua quæ ingredientibus ad lævam occur-
rit, episcopum repræsentat pontificalibus vestimen-
tis indutum, baculum pastoralem manu sinistra te-
nentem, cujus pars superior confracta, qua forma
recurvus fuerit, indicare non potest. Manipulum
brachio sinistro defert, eo modo eaque forma, quibus
etiammunc illum sacerdotes episcopi gestare solent.
Mitram habet in capite, non adeo, ut hodie fit, acu-
minatam, sed humilem, quales olim deferri consue-
verant. Casula vestitus est, cujus partes extremas
brachia paulum elevata sustollunt satis, ut subtus
eam dalmaticæ pars extrema videatur, sub qua infe-
riores stolæ partes hinc et inde fere ad pedes usque
pendentes visuntur super albam, cujus ora inferior
variis figuris ornata eam magnificam fuisse indicat.
Hunc esse sanctum Germanum, alterum loci funda-
torem, nonnulli existimant, at potius crediderim esse
sanctum Remigium, cui hic honor datus sit, quod
Clodoveum regem ac totam gentem Francorum ad
Christi fidem adduxerit. Id mihi persuadet diaboli
frementis figura, quam pedibus **1372** premit. Quo
symbolo idololatria ab eodem sancto viro extirpata
designetur. Proxima huic statua regem repræsentat
vestibus amplis et magnificis indutum, coronam in
capite habentem, qui tenet sinistra manu rotulum,
cujus scriptura, si qua fuit, penitus detrita est: dex-
tera vero manu pro sceptro baculum habet hypati-
cum cum aquila superimposita, quo Romani consu-
les uti solebant. Hinc dubitare non licet, Clodoveum
hic Augustorum patrem exhiberi, chlamyde et tunica
blattea seu purpurea redimitum, uti eum describit
Gregorius noster, cum post acceptos ab Anastasio
imperatore de consulatu codicillos, diademate sibi in
basilica sancti Martini imposito, tanquam Augustus
et consul triumphans in Turonum urbem ingressus
est. Hoc vero monumentum eo pretiosius censeri de-
bet, quod insignem Gregorii nostri locum plurimum
illustret. Juxta Clodoveum regina visitur quam ejus
conjugem esse non dubito. Hæc coronam in capite
gestat, et capillorum cincinnos habet ad genua fere
protensos. Quid vero in manu dextra gesserit, nobis
non licuit divinare. Hujus porro vestimentorum
forma, rudis licet, perquam magnifica erat, ut satis
indicat potissimum pallii fibula, quæ pretiosis la-
pillis constabat. Cingulum etiam habet prisco illo
more effictum. Certe ex sancti Eligii Vita discimus,
tunc reginas *insignia auri gemmarumque ornamenta*
deferre solitas fuisse, quod in Bathilde regina vidua
reprehendit, etiam mortuus, sanctus antistes. Ultima
denique ex ea parte statua regis est, quem Clodo-
merem Clodovei ex Clotilde, mortuo in cunis fugo-
mere, primogenitum filium esse indicant aliquot lit-
teræ superstites, in rotulo quem manu gestat, de-
pictæ: CLODOMIRUS.

In altera valvarum parte totidem exstant statuæ,
ex quibus ea quæ januæ proximior est, Theodoricum,
uti nobis videtur, repræsentat, quem ei locum, quod
Clodovei primogenitus esset, Childebertus loci con-
ditor honoris causa cessit. Rotulum, ut cæteri, in
manu habet, sed in eo litteræ nullæ comparent. Vi-
cinam ei esse Childeberti fundatoris statuam inde
colligimus, quod præ manibus pugillares tenet, in
quibus conditi ab se monasterii tabulæ continerentur.
Is non solum est corona, ut cæteri fratres, redimitus,
verum etiam sceptrum manu dextera gestat, quod
forte se Parisiis regnans, solus hic virga regia uti
deberet. Huic adhæret Ultrogotha ejus conjux, regio
itidem ornatu insignis, sed absque cingulo et fibula,
quæ in Clotildis statua haberi observavimus. Hujus
ad latus sinistrum, Clotarius fratrum junior locum
octavum occupat, ut ex residuis litteris in ejus rotulo
descriptis expiscati sumus, CHLO.....VS. Cirros ha-
bet in humeros fluitantes, quales regum nostrorum
filios habere solitos fuisse tum a Gregorio, tum ab
aliis auctoribus passim observatum fuit. Cæterum hi-
cet omnes illi reges et reginæ coronas habeant, et
quidem floribus quatuor ornatas, non uno **1373**
tamen modo flores illi in omnibus coronis effo.mati
sunt. Alii enim fere similes liliis hodiernis Francicis
videntur, alii omnino dissimiles; quæ omnia tabula
æri incisa plenius demonstrabit.

In ipsa autem basilica complures viros nobiles
olim sepultos fuisse, silentibus nobis, lapides qui
passim effodiuntur satis clamarent. Immo hanc re-
gum et principum initio primæ stirpis commune con-
ditorium olim fuisse non immerito quis diceret. Ibi
enim Childebertum et Chilpericum sepultos fuisse
memorat ipse Gregorius, alios ibidem humatos tes-
tantur subsequentes auctores. Quin et cum Chlodo-
veus et Meroveus, Chilperici ex Audovera filii, in
aliis locis sepulti fuissent, curavit Guntramnus rex
post aliquot annorum curricula, ut ad regalem sancti
Vincentii basilicam eorum cadavera deferrentur.
Deinde si qui regum violenta morte oppressi fuerunt,
quique proinde de sepulturæ loco nihil statuissent,
in Vincentiana basilica condebantur: quales fuere
Chilpericus et Childericus, ut nemini incompertum est.

Ex his porro tot regum et principum tumulis sex
solummodo ante nostram ætatem elati e terra noti
erant. Childebertus nempe et Ultrogotha ejus uxor,
loci conditores, qui inter matutinum altare et locum
ubi sancti Germani corpus servabatur, jacebant in
chori absida, diversis tumulis compositi. Alii quatuor
in totidem arcubus muro turrium, quæ choro ad-
junctæ sunt, cavatis depositi erant, in inferiori, uti
tunc erat dispositus, chori parte. Chilpericus scilicet
cum Fredegunde ad septentrionem, ex altera vero
parte Chlotarius II eorum filius, cum uxore sua Ber-
trude. Singulis vero tumulis sua erat appensa tabella,
quæ sepulti nomen et dignitatem indicabat. Soli Chil-
perici tumulo inerat inscriptio, litteris majusculis et
antiquis in gyrum insculpta, his verbis:

strioribus tantum quibusdam ipsorum utriusque prosapiæ regum effatis confirmare.

De Clodoveo igitur, qui primus per baptismi gratiam a beato Remigio accepit fidem salutarem, in ejus Testamento locus exstat : « Cum quabus villis quas mihi dominus illustrisque memoriæ Ludovicus rex, piissimusque princeps, a me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei, Piscofesheim sua lingua vocatas, mihi tradidit. » Quo nomine per mediam Germaniam complures villæ occurrunt *Bischofsheim* dictæ : eadem forma qua beati Nicetii castellum supra Mosellam exstructum et Fortunati versibus nobilitatum, *Bischofstein* hodieque vocatur. Porro apud Turonensem quatuor locis legimus Gundobaldum quemdam e Græcia profectum, Clotarii regis se filium mentientem, a Guntramno rege per indignationem an contemptum *Ballomerem* vocatum, convicio sine dubio acerbo et gravi, sed hic modo fusius non explicando. Sufficiat scire pseudoregem significare, ut *Balmond*, falsum et improbum tutorem.

Ad Carolos venio, de quorum primo Continuator Turonensis cap. 103 : « Igitur præfatus Pippinus aliam duxit uxorem, nobilem et elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocavitque nomen ejus lingua propria Carolum. » Quod equidem nomen nihil omnino cum Caro aut Carino commune habere, sed merissime Germanum esse, certo certius probarem in continenti, nisi Onomatothetam meum (id nomen singulari *de Germanis nominibus propriis* libro indidimus) vel leviter deflorare mihi cautio esset. Quis etiam nescit quæ mensibus ventisque nomina ipse Magnus imposuerit? Filius ejus et successor Ludovicus Pius cum in agone mortis obversantes malignos spiritus virtute fidei repelleret, *Hus, hus* ingeminasse, quod nobis significet, Foras, foras, scriptor Vitæ ejus testatur. Claudam insigni loco Frodoardi de synodo apud Ingelheim an. 949 habita : « Post quarum litterarum recitationem, et earum propter reges juxta Theotiscam linguam interpretationem, » etc. Quo quis quid clarius requirat? Quapropter recte faciunt cordatores Gallorum, qui linguam Teutonicam, quam vulgus insulsum ceu barbaram et inconditam, contumeliose *baragouin*, voce plusquam barbara vocat, cum suis majoribus, ipsisque adeo primis et laudatissimis, regibus gentilem et vernaculam fuisse agnoscant, si **1369** non ipsi addiscunt, et libenter usurpant, certe ob antiquitatem, copiam et majestatem admirantur; ipsamque Germaniam in ea, qua olim Romani Ilium veneratione habent.

Ex canone 17 *concilii* III *Turonensis.*

Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet episcopus habeat homilias.... Et ut easdem quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur.

DE REGALI ABBATIA SANCTI GERMANI A PRATIS PROPE PARISIOS.

Mihi antiqua quæque monumenta ad illustrandam Gregorii Historiam colligenti omittere non licuit ea quæ coram sunt in percelebri sancti Germani a Pratis abbatia, quæ a Childeberto rege Clodovei Magni filio condita, et a subsequentibus regibus culta, eorumque tumulis honorata, a Gregorio nostro passim laudatur ac memoratur. Fecere quidem temporum vetustas ac rerum humanarum vicissitudo, ut pauca ex compluribus supersint tam antiquorum temporum monumenta : sed tamen cum ibi plures quam in quocunque alio Galliarum loco conspiciantur primæ regum nostrorum stirpis reliquiæ, iis illustrandis paulo immorandum esse visum est. Basilicam insignem fuisse persuadent loci celebritas, et majestas conditorum. Post annum 542 incœpta, anno 559 perfecta fuit, atque ab ipso beato Germano Parisiorum antistite consecrata. Ejus condendæ occasio fuit A Childeberti de Visigothis victoria, ut nempe ministeria sacra, ac potissimum beati Vincentii stolam, quam ex Hispania detulerat, loco decenti deponeret. Ecclesiam in modum crucis sancto Germano curante constructam fuisse, ac quintuplici altari consecratam, variisque sanctorum reliquiis refertam docet vetus auctor Vitæ sancti Droctovei. Hinc sanctæ crucis simul cum beati Vincentii nomine insignitam fuisse verisimile est. Utrumque enim nomen ab initio eam habuisse ex Venantio Fortunato, Ermentrudis testamento, etc., constat. Sancti Germani basilicam inter *seniores* regni recenset auctor Vitæ sanctæ Bathildis; rogat vero *illustris illius loci abbatem* sanctus Bertramnus Cenomannorum antistes in suo Testamento, ut suum ipsius nomen *in Vitæ libro*, id est inter monasterii benefactores, recitetur, data ea de re *Babane villa*. Quantæ autem magnificentiæ fuerit, discimus ex laudato Vitæ sancti Droctovei auctore, qui scribebat sæculo IX labente, cum scilicet, jam quidem semel et iterum hæc basilica Normannorum furore violata fuisset, sed nondum destructa. Quare eam, sicuti primitus exstructa fuerat, ab eo descriptam fuisse non immerito quis affirmaret. « Cujus, inquit, basilicæ opus mirificum describere **1370** nobis videtur superfluum, qualiter scilicet distincta fenestris, quibus pretiosissimis marmorum fulta columnis, quove modo crispante camera compta auratis laquearibus, necnon parietes, ut Christi decebat aulam, quo decore nitebant pictura aurei coloris, strato inferius pulchro emblemate pavimenti. Tectum vero ipsius basilicæ coopertum apprime deaurato cupro [*Id est*, Cyprio] ære, repercussum solis jubare sic flammigero rutilabat fulgore, quatenus intuentium aciem reverberaret nimia claritudine. Unde præ nimio decore non immerito olim ipsa domus per metaphoram INAURATI GERMANI AULA vocabatur vulgi ore. »

Hujus basilicæ parti inferiori duplex erat adjunctum oratorium, atque in eorum altero versus septentrionem, quod jam pridem violatum est, sepultus fuit beatus Droctoveus, primus loci abbas ab ipso Germano institutus. Qui postea crebrescentibus miraculis inde levatus, in majorem basilicam translatus fuit, ubi hactenus in theca asservatur. In opposito autem oratorio, quod scilicet ad austrum respicit, depositus fuit ipse beatissimus antistes, cujus sepulcrum jam Chilperici regis tempore, ut narrat Gregorius, miraculis illustre, ab eo rege, si Aimoino vulgato credimus, carmine honoratum est, et paulo post a sancto Eligio, ut testis est beatus Audoenus ejus Vitæ scriptor, auro argentoque ac pretiosissimis gemmis fuit exornatum. Ibi hodieque tanti pontificis sepulturæ locus a fidelibus frequentatur, quamvis sacrum ejus corpus a nongentis et amplius annis inde translatum in majorem basilicam fuerit sub Lantfrido abbate, relicto solummodo in primæ sepulturæ memoriam lapide, cui post aliquot sæcula hæc insculpta fuit inscriptio :

HIC FUIT PRIMO TUMULATUS BEATUS GERMANUS

Visitur et ibi alius lapis quadratus, in quo crucis figura depingitur, cum veteri in circuitu inscriptione sæculo octavo sculpta, quæ Pippini regis, cum sacri corporis translationi interesset, liberalitatem indicat, his verbis, litteris quidem ut plurimum Romanis et quadratis, sed inter se intextis, et majoribus simul cum minoribus permixtis, ut aliæ in aliis inclusæ minus spatium occuparent; quas cum typi formæ non paterentur, hîc litteris vulgaribus repræsentamus.

HIC PAUZANTE SCO GERMANO DIE TRANSLATIONIZ DEDIT EI REX PIPINUS FISCUM PALATIOLI CV APPENDITIIS ZUIS OMNIBUS.

Oratorium istud sæpius exinde violatum, sed totidem vicibus reconciliatum fuit. Cujus altare hujus sæculi initio reparatum sanctus Franciscus Salesius Genevensium episcopus anno 1619 consecravit. Sed cum totum ædificium vetustate latiscens brevi ruitu-

rum crederetur, totum pene a fundamentis restauratum reparatumque est paucis abhinc annis, tumulusque sancti antistitis exornatus uti hodie visitur, insculpta marmori inscriptione, **1371** quæ diem et annum obitus beati pontificis indicat.

Porro inter utrumque oratorium exstat turris, tantam intuentibus præ se ferens vetustatem, ut nonnulli existimaverint eam esse ipso monasterio antiquiorem. Haud longe aberat idolum vetus, quod Isidis fuisse vulgati auctores scribunt, sæculo proxime elapso comminutum a monachis, quod mulierculis aliquot coram eo orantibus, idololatriæ occasionem præbuisse videretur. Sub ea turre patent majores basilicæ fores cum porticu, in qua visuntur aliquot regum reginarumque statuæ lapideæ ad januæ postes locatæ, quas in prima basilicæ conditione, aut certe paulo post ibi positas fuisse censent viri eruditi, qui eas diligentissime inspexerunt. Et certe res ipsa loquitur. Exstat supra ipsum januæ superius limen cœnæ dominicæ specimen, in qua Dominus cum apostolis suis more solito mensæ assidet. Statuæ vero, quas hinc et inde ad valvas exstare diximus, numero sunt omnino octo, ad humanam ferme mensuram et formam, qualis barbaro illo ævo repræsentari potuit. Illis præter episcopum, Clodoveum regem cum Clotilde et quatuor filiis, ac Ultrogotta Childeberti fundatoris uxore exhiberi vel ex ipso conspectu diu suspicati fuimus, quod ex diligentiori observatione nobis omnino compertum est. Etenim rotulos, quos eorum nonnulli præ manibus habent, diligentius rimati, deprehendimus in duobus ex illis quasdam litterarum reliquias, quarum unæ Clodomerem, alteræ Clotarium esse demonstrarunt. Quas quidem litteras, etsi forte primariis substitutæ videantur, antiquissimas tamen esse ipsa characterum forma, et viridis color fere penitus detritus probant. Certe in ipsa ecclesiæ instauratione depictas colligimus ex Childeberti tumulo, tunc, ut infra dicemus, exsculpto; nam simili colore depictus fuerat, ut indicant aliquot ejus picturæ vestigia quæ supersunt.

Prima statua quæ ingredientibus ad lævam occurrit, episcopum repræsentat pontificalibus vestimentis indutum, baculum pastoralem manu sinistra tenentem, cujus pars superior confracta, qua forma recurvus fuerit, indicare non potest. Manipulum brachio sinistro defert, eo modo eaque forma, quibus etiamnunc illum sacerdotes episcopi gestare solent. Mitram habet in capite, non adeo, ut hodie fit, acuminatam, sed humilem, quales olim deferri consueverant. Casula vestitus est, cujus partes extremas brachia paulum elevata sustollunt satis, ut subtus eam dalmaticæ pars extrema videatur, sub qua inferiores stolæ partes hinc et inde fere ad pedes usque pendentes visuntur super albam, cujus ora inferior variis figuris ornata eam magnificam fuisse indicat. Hunc esse sanctum Germanum, alterum loci fundatorem, nonnulli existimant, at potius crediderim esse sanctum Remigium, cui hic honor datus sit, quod Clodoveum regem ac totam gentem Francorum ad Christi fidem adduxerit. Id mihi persuadet diaboli frementis figura, quam pedibus **1372** premit. Quo symbolo idololatria ab eodem sancto viro extirpata designetur. Proxima huic statua regem repræsentat vestibus amplis et magnificis indutum, coronam in capite habentem, qui tenet sinistra manu rotulum, cujus scriptura, si qua fuit, penitus detrita est: dextera vero manu pro sceptro baculum habet hypatieum cum aquila superimposita, quo Romani consules uti solebant. Hinc dubitare non licet, Clodoveum hic Augustorum patrem exhiberi, chlamyde et tunica blattea seu purpurea redimitum, uti eum describit Gregorius noster, cum post acceptos ab Anastasio imperatore de consulatu codicillos, diademate sibi in basilica sancti Martini imposito, tanquam Augustus et consul triumphans in Turonum urbem ingressus est. Hoc vero monumentum eo pretiosius censeri debet, quod insignem Gregorii nostri locum plurimum illustret. Juxta Clodoveum regina visitur quam ejus conjugem esse non dubito. Hæc coronam in capite gestat, et capillorum cincinnos habet ad genua fere protensos. Quid vero in manu dextra gesserit, nobis non licuit divinare. Hujus porro vestimentorum forma, rudis licet, perquam magnifica erat, ut satis indicat potissimum pallii fibula, quæ pretiosis lapillis constabat. Cingulum etiam habet prisco illo more effictum. Certe ex sancti Eligii Vita discimus, tunc reginas *insignia auri gemmarumque ornamenta* deferre solitas fuisse, quod in Bathilde regina vidua reprehendit, etiam mortuus, sanctus antistes. Ultima denique ex ea parte statua regis est, quem Clodomerem Clodovei ex Clotilde, mortuo in cunis Ingomere, primogenitum filium esse indicant aliquot litteræ superstites, in rotulo quem manu gestat, depictæ: CLODOMIRUS.

In altera valvarum parte totidem exstant statuæ, ex quibus ea quæ januæ proximior est, Theodoricum, uti nobis videtur, repræsentat, quem ei locum, quod Clodovei primogenitus esset, Childebertus loci conditor honoris causa cessit. Rotulum, ut cæteri, in manu habet, sed in eo litteræ nullæ comparent. Vicinam ei esse Childeberti fundatoris statuam inde colligimus, quod præ manibus pugillares tenet, in quibus conditi ab se monasterii tabulæ continerentur. Is non solum est corona, ut cæteri fratres, redimitus, verum etiam sceptrum manu dextera gestat, quod forte se Parisiis regnans, solus hic virga regia uti deberet. Huic adhæret Ultrogotha ejus conjux, regio itidem ornatu insignis, sed absque cingulo et fibula, quæ in Clotildis statua haberi observavimus. Hujus ad latus sinistrum, Clotarius fratrum junior locum octavum occupat, ut ex residuis litteris in ejus rotulo descriptis expiscati sumus, CHLO.....VS. Cirros habet in humeros fluitantes, quales regum nostrorum filios habere solitos fuisse tum a Gregorio, tum ab aliis auctoribus passim observatum fuit. Cæterum hi cet omnes illi reges et reginæ coronas habeant, et quidem floribus quatuor ornatas, non uno **1373** tamen modo flores illi in omnibus coronis effo.mati sunt. Alii enim fere similes liliis hodiernis Francicis videntur, alii omnino dissimiles; quæ omnia tabula æri incisa plenius demonstrabit.

In ipsa autem basilica complures viros nobiles olim sepultos fuisse, silentibus nobis, lapides qui passim effodiuntur satis clamarent. Immo hanc regum et principum initio primæ stirpis commune conditorium olim fuisse non immerito quis diceret. Ibi enim Childebertum et Chilpericum sepultos fuisse memorat ipse Gregorius, alios ibidem humatos testantur subsequentes auctores. Quin et cum Chlodoveus et Meroveus, Chilperici ex Audovera filii, in aliis locis sepulti fuissent, curavit Guntramnus rex post aliquot annorum curricula, ut ad regalem sancti Vincentii basilicam eorum cadavera deferrentur. Deinde si qui regum violenta morte oppressi fuerunt, quique proinde de sepulturæ loco nihil statuissent, in Vincentiana basilica condebantur: quales fuere Chilpericus et Childericus, ut nemini incompertum est.

Ex his porro tot regum et principum tumulis sex solummodo ante nostram ætatem elati e terra noti erant. Childebertus nempe et Ultrogotha ejus uxor, loci conditores, qui inter matutinum altare et locum ubi sancti Germani corpus servabatur, jacebant in chori absida, diversis tumulis compositi. Alii quatuor in totidem arcubus muro turrium, quæ choro adjunctæ sunt, cavatis depositi erant, in inferiori, uti tunc erat dispositus, chori parte. Chilpericus scilicet cum Fredegunde ad septentrionem, ex altera vero parte Chlotarius II eorum filius, cum uxore sua Bertrude. Singulis vero tumulis sua erat appensa tabella, quæ sepulti nomen et dignitatem indicabat. Soli Chilperici tumulo inerat inscriptio, litteris majusculis et antiquis in gyrum insculpta, his verbis:

† REX CHILPERICUS
HOC TEGITUR LAPIDE.

Tumuli autem illi erant lapidei, humiles, simplices omnino et absque ullo ornatu, exceptis tribus, in quibus exsculpta etiam nunc superest defuncti effigies. Primus repræsentat Childebertum una manu sceptrum, altera ecclesiam quam scilicet condiderat, gestantem : qui vulgatus est loci conditoris repræsentandi modus. Chilpericus in altero lapide repræsentatur cum sceptro in dextera manu, sinistra barbæ suæ apposita, idque hominis occisi qui jugulo manum admoveat, indicium esse nonnulli crediderunt. At scribit Jacobus Brolius hujus cœnobii sancti Germani monachus erudi us, se vidisse præ manibus Philippi Lauteri, rei monetariæ apud Parisios tunc præfecti, sig llum Chilperici regis, in quo ipse eodem modo, ac in tumulo suo, repræsentabatur. At parum referi, cum illas Childeberti et Chilperici effigies multis post eorum mortem sæculis insculptas fuisse consentiant eruditi, qui eas sexcentis aut aliquanto
1374 amplius annis haud antiquiores putant. Quare conjicimus, istos regum tumulos ita compositos fuisse, cum post sedatas Normannorum incursiones, qui bis terve hoc monasterium incendio violaverunt, basilicam reparavit Morardus abbas, tempore et ope Roberti regis; aut certe sæculo sequenti, cum Hugonis tertii abbatis cura eadem basilica in meliorem formam reparata est, et ab Alexandro III, summo pontifice, magno cardinalium et episcoporum numero stipante, consecrata. At multo majoris est momenti lapis sepulcro Fredegundis reginæ impositus, ob magnificentiam ejus simul et vetustatem. Is enim ipse est, qui reginæ tumulo primum positus ad nos usque pervenit, in quo Fredegundis repræsentatur coronam liliatam habens in capite, sceptrum regale manu gestans, vestibus omnino amplis et magnificis nduta, quæ sicut et cingulum singularis formæ infinitis propemodum circulis, qui gemmas repræsentant, ornatæ sunt. Nulla tamen efficta cernitur ejus vultus effigies, cujus et manuum ac pedum loco planus lapis relictus est : sed tota tumuli area marmoris, jaspidis, simillimaque pretiosorum lapidum segmentis, musivo opere colligatis, et filis ærels tenuioribus respersa est. Quæ omnia rem magna cum cura et artificio pro illo tempore non ignobili, elaboratam indicant.

Hunc vero tumulum Fredegundis esse præter tabellam, ut diximus, antiquitus ipsi superpositam, et continuatam patrum nostrorum traditionem ad nos usque derivatam, probant aliæ rationes. Nam reginam esse ipse tumuli conspectus evincit, nec potius alteri reginarum quæ in basilica Vincentiana jacent, quam Fredegundi tribui potest. Non Ultrogothæ Childeberti uxori, cum ejus tumulus, ab isto diversus, semper in ecclesia Germanensi ostensus fuerit; nec quisquam sibi facile in animum inducet loci nuncupatos fundatricis suæ monumentum alterius feminæ omnibus exosæ tumulo imposuisse; multo minus Beretrudi, quæ et suum, ut vidimus, tumulum distinctum a cæteris habebat. Deinde tumuli hujus magnificentia Fredegundi potius quam cuivis alteri reginæ congruit. Ultrogotha, post mariti mortem in exsilium acta, licet postmodum revocata, piis operibus se totam dedisse memoratur, nullum post se relinquens, qui ei tam magnificum sepulcrum exstruere voluisset. At Fredegundis obiit eo tempore quo Chlotarius rex ejus filius maxime florebat, qui paulo antea, devictis aliis regibus, Parisios aliasque civitates multas occuparat ipsius Fredegundis consilio et opera. Deinde Fredegundi matri suæ nihil non debebat. Ipse enim quatuor circiter mensibus natus, patre amisso, ab omnibus relictus, ab ea inter pericula, opprobria variasque fortunas nunquam est postpositus. Natales ei regios, quos nonnulli in dubium revocare conabantur, asseruit, Guntramni patrui amicitiam conciliavit, atque ab eo partem regni, quo fuerat exclusus, illi obtinuit, denique eidem in solio regni locato urbes amissas restitui curavit, alias vi et
1377 artificio acquisivit, eumque de aliis regibus triumphantem gloria et divitiis cumulatum moriens reliquit : unde mirum nemini videri debet, si eo mausoleo a filio donata est. Quare ipsum æri incisum hic exhiberi visum est.



Tumulus Fredegundis Reginæ.

Hæc erat tumulorum regiorum dispositio in basilica Germanensi ad hujus sæculi usque medium; at anno 1656, choro in aliam formam commutato, tumulos illos e locis movere necessarium fuit. Sancti Germani corpus quod in theca ex auro argentoque fabricata diu in ipsa chori absida supra columnas quatuor servatum fuerat, in sacrarium delatum est, ubi novum mausoleum exspectat: loculus vero lapideus, in quo primum sepultus fuerat beatus antistes, sub majori altari depositus, simul cum ipso altari in locum ubi nunc visitur translatus est. Corpora Eleutherii et Eusebiæ beati pontificis parentum, quæ ex oratio sancti Symphoriani in sancti translatione in chorum allata fuisse dicuntur, in fossis suis relicta sunt. Regum vero et reginarum tumuli, quos in turrium arcubus depositos diximus, in presbyterium translati fuere, ubi lapideis sepulcris more recenti fabricatis et ornatis inclusi, hinc et inde, sicuti antea erant, dispositi sunt. Lapides vero quibus prius tegebantur, singuli fuere singulis tumulis impositi, addita cuique inscriptione, ne alter cum altero futuris temporibus confunderetur. Imo et illis in quibus nulla exstabat figura, cultro efformatæ sunt simplici tractu regum, aut reginarum effigies, quos tegunt, ad majorem distinctionem. Sed ut Childeberto, quod loci conditor esset, major quam cæteris honos impenderetur, tumulus in medio chori, prout hodieque visitur, exstructus est, satis amplus ut eum, ejusque uxorem caperet. Amborum itaque corpora e loco, ubi jacuisse diximus, levata, loculo plumbeo duas in partes distincto inclusa fuere. Childeberti ossibus superposita est lamina ærea cum hac inscriptione: *Hic Childeberti Christianissimi Francorum regis ossibus et cineribus quies reparata an. Dom.* 1656, *die Decembris* 23, *excessus ejusdem regis anniversaria.* Reginæ vero exuviis altera: *Hic Ultrogotha regina Childeberti regis conjux quiescit, reposita an. Dom.* 1656, *die Decembris* 23. Communis utrique plumbea tabula, liliis innumeris referta, totum loculum contegit, cui regis ac reginæ nomina inscripta sunt; iisque omnibus in communi tumulo dimissis, superpositus est vetus lapis Childebertum, ut supra diximus, exhibens, qui antea solum regis tumulum contegebat. Tumuli lateribus addita sunt marmora, quæ inscriptiones caperent. Quod est versus septentrionem exhibet epitaphium Childeberti regis veteri sepulcro inscriptum, ut refert vulgatus Aimoinus, quod litteris aureis exaratum est.

REGI SÆCLORUM.

Francorum rector præclarus in agmine ductor,
Cujus et Allobroges metuebant solvere leges,
1378 *Dacus et Arvernus, Britonum rex, Gothus, Iberus,*
Hic situs est dictus rex CHILDEBERTUS *honestus.*
Condidit hanc aulam Vincenti nomine claram,
Vir pietate cluens, probitatis munere pollens,
Templa Dei ditans, gaudebat dona repensans,
Millia mendicis solidorum dat et egenis,
Gazarum cumulos satagebat condere cœlo.

Ex altera parte Ultrogothæ elogium legitur, ex Vita sanctæ Bathildis excerptum, hoc modo.

ÆTERNITATI.

Ultrogotha, Childeberti Christianissimi regis conjux, nutrix orphanorum, consolatrix afflictorum, pauperum et Dei servorum sustentatrix, atque fidelium adjutrix monachorum. Addita hac epigraphe:

Hic cum carissimo conjuge diem illum expectat, quo laudabunt eos in portis opera eorum. Amborum optimis fundatoribus ex humili situ cum lap. sepulcr. translatis fideliss. alumni hujus Regal. abbatiæ Ascetæ Benedictini post restitut. in melior. formam basilicam et chorum, ornatius monum. posuer. an. D. 1656. 10. Kl. *Jan. quiet. ipsorum anniversaria.*

Absunt a sepulcro paterno Crodesindis et Croberga regiæ virgines, quæ in eadem basilica sed ignotis quiescunt loculis. Ne tamen sepeliat oblivio quibus immortalitatem peperit incorruptio, vivat hic quoque eum piiss. parentibus dulciss. sobolis augustum nomen et perennis memoria.

Porro cum in ornando choro desudarent operarii, pavimentis susdeque versis, inventa sunt innumera pretiosorum et variegatorum lapidum minutiorum fragmenta, in varias formas secta, quæ suadent ecclesiæ nostræ pavimentum tessellato opere, quale etiamnunc in nonnullis majoribus basilicis visitur, stratum fuisse. Quod diserte habet auctor Vitæ sancti Droctovei, cujus locum integrum supra laudavimus. Sed et hac occasione detecti sunt complures tumuli lapidei, quorum nonnulli in ipsis ecclesiæ fundamentis inserti erant, cæteri in ipsa area ecclesiæ circa altare dispositi. Quibusdam casu effractis, visa sunt corpora serico, aliisque pannis pretiosis involuta; inventæ etiam ocrearum, cingulorum seu balteorum, aliorumque ornamentorum reliquiæ, quæ indicabant viros principes ibi tumulatos. Sed relicti sunt in suis locis præter Childericum regem ejusque uxorem Bilihildem, qui e terra levati hinc et inde in presbyterio cum aliis regibus fuerunt in tumulis locati, addita utrique sua inscriptione.

Cum vero celebris hæc fuerit inventio, nonnulli quippe ante id tempus Childericum cum sua uxore Rothomagi sepultum fuisse autumabant, eam paulo accuratius describere visum est, ut contigisse ex iis qui tunc aderant, et ex relictis aliorum schedis accepimus. Detecti itaque primum fuerunt anno 1646 duo grandes sarcophagi seu arcæ lapideæ, in quibus regis ac reginæ corpora jacebant sepulta **1379** integra omnino, vestimentis regiis, nondum plane corruptis induta. Sed absentibus monachis, multa ab operariis ornamenta subducta creduntur, qui tamen furtum negantes, nunquam adduci potuerunt, ut ea restituerent, præter partem diadematis ex auro textili, quo regium caput cinctum fuisse affirmarunt. Reseratis autem anno 1656 altera vice illis tumulis, vestimenta fere omnino violata reperta sunt, ossaque e suis mota locis. Tantum in regis sepulcro supererat ampulla vitrea, quæ siccum odoramentum, nec plane hebetatum, continebat. Erant et gladii ac pugionis rubigine fere exesorum particulæ aliquot, cum cinguli seu baltei regii reliquiis, nempe fibula ex auro purissimo, octo et amplius uncias pendente, et bullis nonnullis argenteis, quæ amphisbenas seu serpentes bicipites effingebant, et aliis ornamentis. Inventæ sunt et baculi reliquiæ, quas sceptri ejus esse nonnulli opinati sunt. Fibulæ forma fere omnino semilis est ei, quæ a Chifletio repræsentatur in Anastasis Childerici I capite 16, in infimo angulo versus marginem exteriorem figuræ, quæ habetur pag. 236. Extremi vero baltei ornatus similes erant ei, qui ibidem describitur cap. 14, p. 204, cujusmodi duo in Childerici nostri tumulo inventi sunt, unus altero paulo amplior. In reginæ autem sepulcro nihil inventum est præter ossa et vestimenta, quæ aperto tumulo statim in pulverem evanuerunt. Reginæ sepulcro superposita erat parvula arca lapidea cum infantuli ossibus, quem parvulum Dagobertum ejus filium esse non dubitamus. Hærebat tamen animo quorumnam essent isti tumuli, donec egesta humo, ut ossa decentius componerentur, in ima parte regii sepulcri hæc inscriptio apparuit litteris uncialibus, quæ totam latitudinem occupabant, exarata: CHILD. REX. Unde statim omnes in eam iere sententiam, Childerici II ejusque uxoris hæc esse sepulcra, quibus proinde locus in presbyterio inter alios reges et reginas merito concessus est.

Hæc de tumulis regiis dicta satis fuissent, nisi aliorum tumulorum inventio an. 1643 facta ut et aliquid de his scriberemus exigeret. Ea casu contigit, quippe cum die parasceves arena e claustro egereretur juxta portam, qua inde ad dormitorium et ecclesiam aditus patet, inventi sunt tumuli duo lapidei, quorum unus hominis corpus, alter feminæ, ut putatur, continebat: isti nulla inscriptio, priori vero hæc

merat lapidi superposito extrinsecus insculpta litteris Romanis, sed inæqualibus compendii causa, et aliis ex aliis enascentibus, ipsisque conjunctis, quales hic effingere non sinunt typi, sed hæc verba efformabant :

TEMPORE NVLLO VOLO HINC
TOLLANTVR OZZA HILPERICI

Intus vero in aversa lapidis parte, eadem precabatur sepultus, ne quis scilicet urnam ejus removeret, aut saltem ossa alio transferret, similibus litteris, sed minio solummodo depictis :

PRECOR EGO ILPERICVS NON
AVFERANTVR HINC OZZA MEA

1380 Lapides sepulcrorum vulgares erant, formaque eorum communis. Pedes erant Orienti obversi, sicut et in cæteris omnibus tumulis, qui passim effodiuntur. Capita multo plus quam pedes elevata erant. In Hilperici tumulo simul cum ossibus, quibusque suo loco rite dispositis, inventa est lampas ænea parvula, nuci magnitudine æqualis; tum crux medii circiter palmi item ærea, in qua Christi pendentis imago affixa erat. Illa duo sepulcra Chilperici regis ac Fredegundis ejus uxoris esse putavit Valesius libro XI Rerum Francicarum, ob Hilperici nomen eorum alteri insculptum. At falsum fuisse virum eruditum facile demonstrari potest, non solum ex his quæ supra de Chilpefici et Fredegundis tumulis retulimus, verum etiam ex ipsa istorum sepulcrorum inventione, quam idem Valesius Historiæ suæ inseruit. Nam primo certum est nulla ibi uxoris Hilperici indicia reperta fuisse. Suturæ quidem capitis feminam indicare possent, quanquam et id periti medici penitus infitiantur, at nihil eam Fredegundem potius esse quam aliam quampiam mulierem determinat, præter Hilperici viciniam. Hilpericum vero illum, virum principem facile crediderim, ut vel ex solo nomine conjicere licet, non vero regem. Abest enim regis titulus, qui in inscriptione minime omissus fuisset. Nec cum Valesio dicere juvat, post mortem majores minoribus æquantem principes Christianos his nominibus gloriari non decere, aut certe Chilpericum interemptum tumultuarie sepultum fuisse. Utrumque enim Childerici regis exemplo refutatur. Nam ille nobilium conjuratione, quos violatis Francorum juribus exacerbaverat, occisus, cum uxore et parvulo filio, regio tamen cultu, ut diximus, sepultus est, nec omissus est regis titulus. Deinde Chilpericus in Vincentiana basilica sepultus fuit, iste autem extra fores. Ecclesiam enim nostram eo loco reparatam fuisse post sedatas Normannorum excursiones, quo primum exstructa fuerat, probant veteres statuæ majori portæ affixæ, pavimentorum reliquiæ effossæ, ac Childerici aliorumque virorum illustrium monumenta, quæ in presbyterio inventa fuisse memoravimus. Illis adde utramque tumulo exterius et intus positam inscriptionem hominem indicare de tumulo suo sollicite ac provide cogitantem, quem hoc in loco imponi præ humilitate voluit, ut scilicet ecclesiam ingredientium pedibus calcaretur; aut certe in memoriam monachorum, qui frequenter hac transeuntes, ad Deum pro eo exorandum facilius inducerentur. Eamdem viri pietatem indicat Crucifixi imago cum ipso in tumulo inclusa. Quæ sane omnia Chilperici regis nec genio, nec mortis generi satis conveniunt. His et addenda inscriptio ab annis circiter 600 Chilperici regis tumulo insculpta, quam absque gravissima ratione rejicere non licet. Nec enim facile quis sibi **1381** in animum inducat hanc sicut et tabellas, quæ aliis sepulcris ante chori mutationem appositæ fuerant temere hic a quopiam fuisse inscriptas. Has enim ex vetustioribus monumentis mutuatas fuisse colligimus ex Petri de Corpalayo abbatis Germanensis libello de Gestis regum, qui in basilica sancti Germani quiescunt, aut ei beneficia quædam contulerunt, in quo quidem libro, anno 1330 edito, inter alia refert epitaphia, quæ regum sepulcris affixa erant. Nec mirum Germanenses monachos de ornando Chilperici tumulo cogitasse, cum ipse, ut ex testamento sancti Bertramni patet, ecclesiam novam ædificaverit, sancti Germani miracula publicaverit, et prædia nonnulla monasterio contulerit.

Antiquis regum monumentis quæ in sancti Germani basilica visuntur addere liceat insignem Codicem Psalmorum, quem vulgo sancti Germani Psalterium appellant. Hunc a Childeberto sancto antistiti donatum fuisse nonnulli scripserunt, quem volunt ex Hispania ab eo rege in Gallias fuisse allatum cum aliis ecclesiarum spoliis, quæ apud Gregorium libro III Historiæ, cap. 10 memorantur. Ut ut sit, certum est huic codici locum inter pretiosa cimelia deberi, nec sancti Germani ætate esse recentiorem. Similis omnino est iis codicibus quos Hieronymus in præfatione ad librum Job describit, in membranis purpureis auro argentoque uncialibus litteris descriptos. Diu asservatus fuit in basilicæ sacrario inter alias sanctorum reliquias, at postea in bibliothecæ armario depositus est, ubi etiamnunc visitur. Characteris formam ex Mabilloniano libro de Re diplomatica inspicere quivis potest, pag. 357, ubi ejus specimen æri incisum habetur. Variantes autem ejus a vulgata editione lectiones referuntur tomo V operum sancti Augustini, novæ editionis a nostris adornatæ. Paulo recentior est alius codex Græcolatinus epistolarum sancti Pauli, cujus specimen eodem in libro de Re diplomatica habetur pag. 347. Non minoris antiquitatis est linteus amplus, corporalia sancti Petri vulgo appellant, quem tradunt a Gregorio Magno Romano pontifice ad Brunichildem reginam transmissum fuisse, atque nostræ ecclesiæ concessum. De ejusmodi linteis, quos brandea appellat, non semel agit Gregorius, potissimum libro III, epist. 30, ubi Constantinæ Augustæ, quæ ab eo beati Pauli reliquias efflagitaverat, respondet, Romanis non esse consuetudinem, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo brandeum in pyxide immittunt, quod ad sacratissima corpora sanctorum aliquandiu depositum pro reliquiis habetur. Habemus et sancti Georgii brachium et Innocentium reliquias, quæ a sancto Germano huic basilicæ collatæ creduntur, hodieque asservantur in sacrario cum aliis cimeliis. Omitto sancti Vincentii stolam, quæ condendo monasterio occasionem præbuerat, et crucem illam *operis ac ponderis incomparabilis*, **1382** *gemmis exquisitissimis venustatam*, ex *Hispaniis allatam*, quam Vincentianæ basilicæ collatam fuisse post anonymum auctorem Vitæ sancti Droctovei testatur vetus instrumentum monasterii nostri, ubi et laudantur *thesauri ecclesiæ, quos ibi Childebertus rex ad decorem domus Dei multos congregaverat.* Hæc enim omnia temporum vetustas consumpsit. At nulla, Deo favente, unquam ætas tot beneficiorum memoriam a nostris animis obliterabit. Quam enim a patribus suis acceperant patres nostri et ad nos transmiserunt, nos quoque et iis qui sequentur commendabimus, ut et ipsi posteris in ævum futuris commendent. Certe mos erat antiquus hoc in monasterio servatus, ut in schedulis defunctorum, rotulos appellabant, quæ per singulos annos ad alia loca solebant transmitti ad defunctorum commendationem, Childeberti fundatoris nostri cæterorumque regum mentio fieret. Ejusmodi autographum vidimus super in bibliotheca sancti Albini Andegavensis ab annis amplius quingentis descriptum, qui sic habet : *Titulus sancti Germani Parisiensis. Anima Roberti abbatis*, etc. *Orate pro nostris, domno Childeberto rege cæterisque regibus et reginis, omnibusque benefactoribus nostre ecclesiæ.* Et quidem solliciti semper fuere patres nostri, ut memoria potissimum Childeberti fundatoris nostri solemnis in hac regali basilica haberetur. Depositionem ejus in Martyrologio inscripsit Usuardus, celebris hujus loci monachus sæculo IX. Inter præ-

cipuas vero anni solemnitates recensetur *anniversarium Childeberti regis* in præcepto Caroli Calvi pro divisione bonorum monasterii sancti Germani, quibus abbas *irrefragabiliter* monachis refectiones debebat. In libro Benefactorum hujus monasterii anno 1270 compilato inter alia hæc leguntur : « In die anniversarii domni Childeberti regis procuratio fieri debet ab abbate.... tanto largior, quanto ille pro quo fit munificentior fuit in distributione possessionum et rerum sustentationi ecclesiæ assignatarum. » In veteribus libris abbati injunctum erat hac die solemniter celebrare, aut vicario ejus, si ipse non posset, committere vices suas. Quanta autem solemnitate anniversarium istud, die scilicet 23 Decembris, fieret, ex antiquis monasterii constitutionibus discimus, quas piissimus abbas Guillelmus in unum corpus collegit. Pridie omnes omnino monachi in capitulum convenire tenebantur, ibique, annuntiata ex Martyrologio piissimi fundatoris anniversaria commemoratione, preces in communi fundebantur pro requie ipsi concilianda, atque tunc omnes omnium turrium campanæ *pro tanto patrono solemniter* pulsabantur. Deinde regis sepulcrum ornabatur pannis, multisque cereis circumdabatur, ex quibus unus cæteris multo major, ab hac hora usque ad completorium subsequentis diei persolutum jugiter ardebat. Vesperæ defunctorum, tum vigiliæ, ac postridie majus sacrum, præter missas privatas, quas omnes a singulis pro fundatore celebrari injunctum **1383** erat, ut in festis solemnioribus ab abbate celebrabantur, in quibus incensabantur altaria, tum ipse regis tumulus, atque in eo officio ornamenta tam celebrantis et sacrorum ministrorum, quam et cæterorum officialium pretiosiora erant, et purpurei coloris. Completo officio, *ad dasium*, quod in refectorio erat, panis et vinum cæteraque obsonia ministrabantur. Quæ omnia triginta pauperibus eleemosyna distributa concludebat. Quam anniversarii solemnitatem, etsi in nonnullis mutatam, hodieque celebramus.

REGUM DIPLOMATA (*a*).

De situ, jugi psallentio, etc., regalis basilicæ sancti Dionysii prope Parisios.

CHARTA CHLOTARII II.

(*Ex autographo.*)

..... Viris inlustribus Chrodegario..... iente per basilecabus de suis propriis facultatibus per testamenti pagenam voluerit legaliter delegari, per nostris authoretatibus testamentum..... noster Dodo Abba de basilecas domni Dioninsii martheris peculiares patroni nostri testamenti pagenam a Johanne quondam negutiante..... aliquid de suis facultatebus ad basileca ipsius sancti Dionensio vel reliqua loca sancta infra oppidum Parisiorum civetatis, etiam et ad alicus de suis propinquis, per ipso generaliter confirmari deberimus. Quod nos magnetudo vestra, sicut unicuique justa petentes, vel pro nostræ mercedes compendium hunc beneficium non nenegasse..... sæpe dictus Johannis ad anteficta basileca sancti domni Dioninsio vel reliquas sancta loca aut suis propinquis juste nuscetur deligasse, hoc est in terris domebus, mancepiis.... entis vel reliquo beneficio, hujus auctoretate nostræ..... generale beneficium confirmatum ad ipsas basilecas, vel suis propinquis proficiat in perpetuum..... mentum, similiter per hanc præceptione firmati valeant permanere securi, et ut hæc auctoretas ampliatis titolis nostris et futuris temporebus inconvulso jure..... Chlotacharius in Christi nomene Rex hanc præceptionem subscripsi, Ursinus optulit.... nostri Stirpiniaco fel. in Domino.

Ex Chlodovei II diplomate.

(*De Re diplomat. p.* 466.)

Chlodovius.... pro cujus [Christi] amore et desiderio inter citeros gloriosos triumphos marterum beatus Dionisius, Leutherius et Rustecus meruerunt palmam victuriæ, et coronam percipere gloriosam ubi per multa tempora in eorum basileca, in qua requiescere videntur, non minema miracola Christus per ipsos videtur operare, in quo etiam loco genetores nostri domnus Dagoberthus et domna Nanthechildis videntur requiescere.... et quia ab ipsis principebus vel a citeris priscis regebus vel æciam a Deo timentebus Christianis hominebus ipse **1384** sanctus locus... videtur esse ditatus etc. eo scilecl ordene, ut sicut tempore domni genet ris nostri ibidem psallencius per turmas fuit instetutus, vel sicut ad monasthirium sancti Mauricii Agaunis die noctoque tenetur, i-a in loco ipso celebretur, etc. Datum sub dii x. Kal. Julias an. xvi [*Id est*, an. 633] regni nostri.

Ex Childeberti III placito, pro mercato sancti Dionysii.

(*Ibid., p.* 482.)

Childebertus rex, etc. Venientes agentes venerabeli viro Dalfino abbate de baselica peculiaris patrobis nostri sancti Dionisii, ubi pretiosus domnus in corpore requiescit, adserebant... quod a longo tempore Chlodovius quondam avus noster, seu et posthia ævuncolus noster Childericus, vel domnus et genetur noster Theudericus, etiam et germanus noster Chlodocharius, per eorum præceptionis illo teleneu quicquid de omnes neguciantes aut Saxonis, vel quascumque libet nationis, ad ipsa sancta festivitate domni Dionisii ad illo marcado advenientes, ab ipsa baselica sancti Dionisii in integretate concessissent, etc. Et quatenus antehactis temporebus clade intercedente, de ipso vigo sancti Dionisii ipse marcadus fuit emutatus, et ad Parisius civetate inter sancti Martini et sancti Laurentii baselicis ipse marcadus fuit factus, et inde præceptionis prædictorum principum acceperunt, ut in ipso loco... pars prædictæ baselicæ domni Dionisii in integretate reciperit, etc. Datum quod ficit minsis December dies XIII. anno XVI. [*Id est*, an. 710] regni nostri Mamoccas feliciter.

Ex diplomate Theoderici Calensis.

(*Ibid., p.* 488.)

Theudericus rex Francorum vir inluster. Oportet etc. Pro cujus amore et desiderium inter citerus gloriosus triumfus martyrum beatus Dionisius cum sociis suis Rustico et Eleutherio, qui primi post apostolos sub ordinatione beati Climenti, Petri apostoli successoris, in hanc Galliarum provinciam advenerunt; ibique prædicantes baptismum pœnitentiæ et remissionem peccatorum, dum in hunc modo concertabant; ibique meruerunt palmam marthyriæ, et coronas percipere gloriosas, ubi per multa tempora, et usque nunc in eorum basilicam, in qua pretiosa eorum corpora requiescire vedentur, non minima miracola virtute Christi per ipsus dignabatur operari, in quo etiam loco gloriosi parentis nostri, vel bonæ memoriæ proatavus noster Dagoberthus, quondam rex videntur requiescire : utinam ut et nus per intercessionem sanctorum ipsorum in cælestiæ regna cum omnibus sanctis miriamur participare et vitam æternam percipere. Igitur venerabilis vir fidelis noster, Deo propitio, Berthoaldus abba de ipsa basilica peculiaris patronis nostri domni Dionysii, missa petitione per illustri viro Carlo majorem domus nostro clementiæ regni nostri reddedirunt, suggerentes eo quod a longo tempore a pontelicibus **1385** Parisiorum urbis integrus priviiegius ad ipsa baselica domni Dionisii fuissent concessus, et ad anterioris Regis parentis nostrus de eu tempure usque nunc confirmatus, qui et ipso privilegio seu e ipsas præceptiones vel confirmationes se præ manibus abire adfirmant : sed pro integra firmetate petiit ipsi vir Carlus, vel ipsi abba celsitudinem

[a] Vide Fredegarii Scholastici Chronicum, cap. 79, notamque *f*, col. 656; item lib. de Gloria martyr, cap. 72, notamque *h*, col. 768. EDIT.

nostra, ut et nos iteratis per nostra præceptione hoc deberemus adfirmare, quorum tam religiosa petitione libentissimi susceptisse, et in omnibus confirmasse vestra comperiat magnitudo Sed etc. Et illut viro in hunc privilegio nostræ serenitatis placuit inserendi, ut cum abbas de ipsa casa Dei de hunc sæculo nuto divino fuerit evogatus, licceat ipsius sancti congregationi de ipso monastirio ex semetipsis elegire; et quem bonum et condignum invenirent, qui bonnus abbatis secundum urdine sancto possit regere vel gobernare, et unanimiter consenserint; data auctoritate a nobis vel a successoribus nostris ibidem in ipsa casa Dei instituatur abba : et pro estabilitate rigni nostri vel pro cunctis leodis nostris seu saluti patriæ Domini misericordiam valeant exorare. Qua optematum inlustrium virorum nostrorum procerum gratissemo animo et integra devotione visi fuemus prestitesse vel concessisse, eo ex scilicet urdene, ut A sicut temporebus anteriorum Regum, parentum nostrorum, ibidem in ipsa sancta baselica psallentius per turmas fuit institutus, sicut ordo sanctus edocit, die noctuque perenniter in ipso loco sancto celebretur. Quam urdenationis etc. Data ipsa die Kal. Martias anno III. rigni nostri, Valencianis in Dei nomine feliciter amen.

Ex placito sub Pippino rege.

Pippinus rex, etc. Anno octavo regni nostri [*Id est*, an. 759] ..... venientes Agentes sancti Dionisio, et Follerado abbate... intendebant et ostendebant præceptum Dagoberti regis, qualiter ipsum mercatum stabilisset, in ipso pago, et postea ipsum cum omnes teloneos ad partem sancti Dionysii delegasset ac firmasset. Et ipse domnus rex Pippinus adfirmabat quod semper a sua infantia ipsos teloneos partibus sancti Dionisii habere et colligere vidisset, etc.

INDEX GENERALIS
OPERUM SANCTI GREGORII
EPISCOPI TURONENSIS.

Litterulæ pr. *denotant præfationem, cujus paragraphos arithmetica nota designat*, n. *vero notas. Numeri signo* pr. *carentes iis respondent qui crassiori charactere in textu sunt expressi.*

A

Aaron signat Trinitatem, 103. Ejus logius, 255.
Abacivum villa, est Bacivus, 666, n.
Abari Chum, 645. *Vide* Avares.
Abbas presbyter et sacerdos dicitur, 791, 793. Sacerdos, 109, 223, 1252. Antistes, 1228. Clericos facit, 805, 1169. Signum ad officium divinum pulsat, 734. Duorum monasteriorum simul, 962. Judiciis præest, 1332. Legati regum nostrorum, 535, *et seqq.* Eligebant episcopum, 1554. A Chilperico torti, 239.
Abbas urbis Cadurcinæ, 355.
Abbatis severitas ad vitandam vanitatem, 175. — Abbatissarum et monialium processio Romæ, 482. — Abbatissa Pictav. a sancta Radegunde instituta, 472.
Abbellinus comes, 617.
Abdirama Sarracenorum rex, 674. Occiditur, 675.
Abel justus, 847. A Cain occisus, 8.
Abia rex Juda, 16.
Abiud, 16.
Ablutio defunctorum, 145. *Vide* Defuncti.
Abominatio desolationis, quid? 7.
Abra religiosa, 1058.
Abraham, 14, 196, 576, 847. Ejus posteri, 14. Ætas, 676. Pater; nativitas; promissiones ipsi factæ, etc., 10. Reges qui ejus ætate regnabant, 17. Circumcisionis signum recipit; litterula additur ejus nomini, ut dicatur pater gentium, 11. Trinitatem signat, 103. Ejus fides, 255, 1158. Sinus, 499? Ejus filios fides facit, 767.
Abrahæ abbas, 72. Ejus Vita, 1157, *et seqq* Epitaphium, 1320.
Abrincatæ urbs, 440. Ejus incola sanctus, 1091.
Abrincenses episc. Leudovaldus, 273, n. 1062.
Absalon Judæ figura, 1238. Ei Chramnus comparatur, 161.
Absynthium vino et melle mixtum potio Francis jucunda, 404. Et Romanis, 403, n.
Abundantius, 646.
Accusatio temeraria excommunicatione punitur, 265.
Achaia ibi prædicat sanctus Andreas, 1261, 1263. In ea urbs Patras, 754.
Achaica, ornatæ pallæ, 1315.
Acharon deus falsus, 882.
Achate dea, 769.
Achaz rex Juda, 16.
Acherontica stagna, 1116.
Achilles, 715.
Achim, 16, seu Joachim, *ibid.* n.
Actardus resuscitatus, 1289.
Actefiedis, cæca, 1290.
Actio, quid? 182, n., 260; id est administratio urbis, 383. Actio causarum, 391. Actiones, 205, 1206. Actiones publicæ, 861.
Actores dominici, 322, n. Ecclesiæ, 348. Villæ, 460.
Adalardus comes Cavallonensis, 697.
Adalegiselus dux, 647, 648, 657.
Adaloaldus rex Langobardorum, 627, 628.
Adalsinda abbatissa Donatiaci, 635. n.
Adalulfus Langobardus calumniator, 628. Punitur, 629.
Adam, id est homo terrenus, 393. Ejus creatio, 8. Christi typus, 8. Sepultura, 9. Ætas, 675.
Addo contractus, 1291.
Adex fluvius, 679.
Adjutorii divini necessitas, 1201.
Adoaldus Agonis regis filius, 611.
Adoloaldus rex Langobardorum, 625, n
Adorare, id est venerari, 730, 851, *et passim.*
Adoratio crucis, 725. Tunicæ Domini, 730. Confessorum et martyrum, 525. Sepulcri sancti Martini, 528.
Adouacrius, 70, 71.
Adouarius. *Vide* Audouarius.
Adrianus imp., 21.
Adriaticum mare clavo Dominico sedatur, 727.
Aduaca urbs, 52, n.
Adulfus, 615, n.
Adura urbs, 440. *Vide* Vicus Julii.
Æconius episcopus Mauriennensis, 604.
Ædicli liberalitas tempore famis, 555. Fortitudo adversus Gothos. 555.
Ædificationis verba proferenda, 714.
Ædituus sancti Martini basilicæ, 1128. Sancti Juliani, Urbanus, 883.
Ædua urbs, 70. *Vide* Augustodunum.
Ægæ, 637, 651, 658. Regit palatium Chlodovei II, 652. Ejus elogium, 652, et n. Obit, 654. Major domus 655.
Ægidius, *Vide* Egidius.
Ægila dux, 402. Patricius, 603.
Ægilbertus episcopus, 167.
Ægrotus oleo sancto perunctus, 31 *et seqq.*
Ægyna optimas, 632, 653, 652.
Ægyptii dicti Nilicolæ, 12. Eorum demersio, 855. Dynastiæ, 17. Mercatores, 277, n. Reges, Ceuchris, 17. Thephei seu Thebæi, *ibid.* et n. Vafres, *ibid.* Reges Pharaones dicti, tum Ptolemæi, 169, n.
Ægyptus, 12, 13, 576. Superior et inferior a Sarracenis vastatæ, 652. Plagæ, 276. Ibi celebris est Martinus, 1149. Ejus solitudines et eremitæ, 1158. Urbs Antiochia, 180. Papyrus 277, n. Herbæ, 277.
Ælia seu Jerusolyma urbs, 21.

Ælius Adrianus imp. 21.
Ælosanus episcopus Sidocus, 652.
Æltiarutæ, 639.
Æmiliæ duæ martyres Lugduni, 779.
Æmiliani Vita, 1210 *et seqq.*
Æmilius martyr Lugduni, 779, n.
Æmulus. *Vide* Emerius, 166.
Æneadum bella, 713.
Ænovalaus comes Sogiontensis, 657.
Ænulfus comes, 634.
Ænus fluvius. *Vide* OEnus.
Æoli sceptra, 713.
Æonius episcopus Arelatensis, 1323.
Æonius episcopus Maurienuæ, 604, n.
Æpporinus comes stabuli, 608.
Ærarius proculus, 1161.
Æterna mulier, 884.
Ætherius episcopus Lugdunensis, 480, 471, 521, 1191. Obit, 604.
Ætherius Luxoviensis episc., 511 *et seqq.* Dejicitur et restituitur, 513, 514.
Ætherius pater sancti Patrocli, 1197.
Æthiopum reges Candaces, 169, n. Presbyter Johannes, 170, n.
Ætia urbs ficta, 59, n.
Ætius archidiaconus Parisiensis, 823.
Ætius Romanorum dux, 51, 53, 56. Patricius, 645. Genus et fortuna, 56. Dotes, 57, 547. Calliditas, 707, 708. Gallias a barbaris liberat, 709. Pugnat cum Chunis, 548. Mors, 57.
Afer episcopus, Faustus, 1160.
Africa, 637. A Wandalis occupata, 45. A Sarracenis, 652. Ejus portus, 483. Ibi martyria, 50. Ibi Ingundis, 593. Moritur, 597.
Agareni qui et Sarraceni, 639.
Agalastus rex Atheniensium, 17.
Agathensis urbs, 449, 810. Famosissima, 680. Gotthorum, 272. Ejus comes Gonnacharius, 810.
Agathensis episcopus Leo, 810. Fronimius, 448, 1192.
Agathias Francos laudat, 131, n. Locus præclarus de Francis, 123, n. Arguitur erroris, 110, n.
Agatudis rex Assyriorum, 17.
Agaunum, 804. — Agaunenses sancti, 108, 109. Martyres, 107, n., 805, 806. Eorum reliquiæ in ecclesia Turonensi, 536. — Agaunense monasterium, 564, 574. A Sigismundo construitur, 107 et n. Confirmatio ab episcopis, 596 Ejus basilicæ innovatio, 595, n. Psallentium ibi quotidianum 108, 805. Abbas Venerandus, 110, n.
Agecius, Agetius. *Vide* Ætius.
Agellius, 1143.
Agennus, 581.
Agentes, qui? 295 et n. Agens domus, 368. Villæ, 459. Basilicæ sancti Martini, 1020.
Agericus episcopus Virdunensis, 135, 568, 429, 431. Agericus episcopus pater Childeberti ex lavacro, 426. A quo mœrens lenitur, 432. Obit, 448. Ejus monasterium, 447, n.
Agger publicus, 30, n., seu via publica, 321. Via militaris, 955, n.
Aghyno dux, 649, n.
Agila legatus Gotthorum arianus, 253.
Agila patricius, 605, n.
Agila rex Hispaniæ, 151, 147, 566. Obit, 567.
Agilbertus, Parisiensis episcopus, 668, n.
Agilo comes Turonensis, 1317, 1319, 1320.
Agilolfinga gens, 629.
Agilulfus rex Langobardorum, 488, 609, n. *Vide* Ago.
Agilulfus vir illustris, 1334.
Agimunum urbs, 59, 699. Chilperico subditur, 289. — Agimunenses, 454.
Agimunensis martyr Vincentius, 840.
Pagus, 634. Terminus, 561
Agino dux, 649, n.
Aginus, 492. Dux, 1137.
Agiulfus diaconus Turonensis, 1189.
Agiulfus Langobardorum legatus, 626.
Agnes abbatissa Pictavensis, 161, n. 472, 474, 475, 1150. A sancto Germano benedicta, 475.
Agnilio, pro Agnatio, 1311.
Ago filius Autharii, 611. Rex Langobardorum, 488, 626, 627. Ex duce, 601. Theodelindam ducit uxorem, 610. Ejus filii, 611. Dicitur rex Italiæ, 609.
Agrarius presbyter, 1319.
Agrecius episc. Tricassinus, 404, 405, n.
Agricola episcopus Cabilonensis, 258, 380, 970.
Agricola episcopus Nivernensis, 258, n. 470.
Agricola martyr Bononiæ, 772. Ejus ecclesia Rhemis, 772, n. Arvernis, 772. Reliquiæ, 69.
Agricola patricius, 163, 569.
Agridium purgat ventrem, 1112.
Agrippæ mors, 20, n.
Agrippina urbs, 60, 792, 1170. Dicitur Colonia, 57, 297, 582.
Agrippinensis episcopus Ebregisilus, 504; Charentinus, 505, n.
Agrœcius primicerius notariorum, 62.
Agrœcula. *Vide* Agricola.
Aicardus abbas majoris monasterii, 1280, 1281.
Aidelfus subdiaconus, 1316.
Aighyna dux, 632.
Aigilulfus Valentiæ episcopus, 660.
Aigulfus abbas sancti Dionysii, 651. An fuerit episcopus Valentiæ? 652, n.
Aigyna e Saxonum genere, 649.
Ailulfus episcopus Valentiæ, 660, n.
Ainandus dux, 650, n.
Aistulfus rex Langobardorum, 688, 689. A Francis fugatus pacem obtinet, 690. Fidem fallit, iterum fugatur, 691. Pacem obtinet, 692. Obit, 692.
Ajecius. *Vide* Ætius.
Alamannia, 1146, 1147, 1148. Antea Suavia, 681. Cedit Carlomanno, 703. — Alamanni, 56, n., 61, 62, 94, 563, n., 674. Cum Wandalis dimicant, 712. A Chlodoveo victi ipsi subjiciuntur, 82, 560. Eorum rex interemptus, 560. Gallias vastant, 25, 26. Et Italiam, 707. In Italia stabiliti Francis subjiciuntur, 133, n. Transjuranos fugant, 617. Pippino et Carlomanno subjecti, 683. A Carlomanno puniti, 684. Dicuntur Suevi, 44, 45. — Alamannorum reges, 60. Chrocus, 25. Respendial, 61. Duces Leutharius, 658. Leudefridus, 598. Uncilenus, *ibid.* Chrodobertus, 642. Theudebaldus, 683, n. Godfridus, *ibid.*, seu Gotefredus, 1353. Leges, 1334. — Alamanni in Italia, 71. An Alani? et Gallia pro Italia, *ibid.*, n.
Alani, 62, 563, n. Sub Chroco rege, 711. Sub Trasemundo in Hispanias transeunt, 712. Vandalis auxiliantur, 61. A Gothis fugati, 56, n.
Alanorum rex Respendial, 61.
Alaricus rex Gotthorum, 56, 462, 465.
Alaricus rex Wisigotthorum, 556, 709, 710, 711, 825, 1242. Ejus et Chlodovei colloquium, 90. Sedes Pictavi, 92. Chlodovei adversus eum expeditio, 92. Vincitur et occiditur, 94, 562. Ob hæresim, 104. Ejus thesauros diripit Chlodoveus, 95. Ejus filius Amalaricus, 105. Uxor ejus, Arevagni, 1592.
Alaricus, 1235.
Alba Helviorum urbs, 516, n.
Alba paschalis, 1188, n.
Alba indutus archidiaconus, 165. Et diaconi, 1289.
Albæ vestes sacerdotum, 75, 909. Et Levitarum, 909, 943. Et recens baptizatorum, 212, 213, 560, 925, 975. In albis defunctus, 793. Miraculis claret, 938, 942. Tales sunt beati, 81.
Albigensis urbs, 50, 95, 535, 440. Fit metropolis, *ibid.*, n. Luc vexatur, 508. Childeberto redditur, 415. Ibidem martyr Amarandus, 787. — Albigenses episcopi Diogenianus, 67; Salvius, 258, 329, 395; Theofridus, 550, n., 595, n.; Desideratus, 595. — Albigense, 1096.
Albina martyr Lugduni, 779.
Albinganum urbs, 645.
Albini episc. Andecavensis miracula et monasterium, 977. Vita, *ibid.*, 1281. Basilica, 202.
Albinianus presbyter, 917, n.
Albinus episcopus Ucetiensis, 281.
Albinus rector Provinciæ, 185. Ejus in archidiaconum severitas, 185, 186.
Albiodurum vicus, 654.
Alboenus, 620, 621.
Albofledis Chlodovei soror baptizatur et obit, 84. Virginitatem vovit, 84, n., 1326.
Albonus rex Langobardorum, 145, 182, 1339, 1340. Chlodesindam uxorem ducit, 573. Italiam invadit, 219, 573.
Alcibiades martyr Lugduni, 779.
Alcima Apollinaris soror, 105, 106, n., 795. Amita Arcadii, 115.
Aldeberga Etheiberti regis uxor. 165, et n.
Aldetrudis Chlotarii II uxor, 629, n.
Alesaciones, 616.
Aletheus Patricius, 622. E regio Burgundionum genere, occiditur, 624.
Alexander martyr Lugduni, 779. Alter, *ibid.*, 780.
Alexander sancti Pauli æmulus, 1161.
Alexander Magnus, 640. Rex Macedonum, 705.
Alexandri religiosi sepultura, 934.
Alexandri Historia, 57. *Vide* Sulpicius.
Alexandria a Sarracenis capta, 652.
Aligarius, 1318.
Alingaviensis vicus, 740. Ejus ecclesia, 528.
Alithius episcopus Cadurcensis, 67.
Alleluiaticum, 1175.
Allomedis senator, 1060.
Almagarius dux, 619, n.
Almansor rex Sarracenorum, 702.
Alocium vicus, 192, n.
Alpes, 684, 946. Alpium juga, 774.
Alpheida Pippini uxor, 671.
Alpinianus presbyter, 917, n.
Alpinus comes Turonensis, 1023.
Alpius martyr Lugduni, 779.
Alsacii, 616 617.
Alsatia, 616, n., 624. Cedit Carlomanno, 703.
Alsidius testamento sancti Aredii subscribit, 1314.
Altaris cum reliquiis sanctorum dedicatio, 738, 739. Consecratum, 1192. Cum reliquiis, 414, n., 879. Ab episcopo consecratum, 1223. Sinul cum muneribus coopertorio tegitur, 1196. Altari impositæ reliquiæ, 675, 1082. Altari oblata pecora, 872. Altaris palla, 548, 502, 507. Fidejussor, 218. Altare in cœmeterio, 986.
Altarium, 538, 547, 858. Altarium ecclesiæ, quid? 68, 72. Ibi communicant laici, 491. Populus instruitur, 1329. Fiunt juramenta, 189.
Altiœus Bulgarus, 645.
Altinona civitas, 1350.
Altinum urbs, 1348.
Alumna martyr Lugduni, 779.

Amabilis presbyteri miracula, 921. Sepulcrum, *ibid.*, n.
Amalaberga regina Thoringorum, 107, 563. Uxor Hermenefridi, 1592.
Amalafrida soror Theodorici regis Italiæ, 170, n.
Amalaricus rex Gotthorum, 94. Sororem Franciæ regum uxorem ducit, 105. In eam sævit, 113. Occiditur, 114, 131, 563. Narbone, 113. Barcinone, 566.
Amalarius presbyter Proillii, 1518, 1519.
Amalasuntha Theodorici filia, 131, n. Ejus mors, etc., 132, n. Causa, 566, n.
Amalberga regina Thoringorum, 563.
Amalbertus, 663. Flaocati germanus, 629.
Amalgarius dux, 646, 649, 659, 660. Besuæ et Donatiaci fundator, 635, n.
Amalo dux, 450. Misere perit, 451.
Amandini ecclesia Arvernis, 74, n.
Amandus episcopus Sigibertum baptizat, 637, n.
Amandus episcopus Burdigalæ, 67. Locum cedit Severino, 951.
Amandus dux, 630, n.
Amantes duo Arverni, 33, 920.
Amantii episcopus Rutenensis translatio, 1160. Basilica, 1160. Monasterium, *ibid.*, n.
Amanugus comes Pictavensis, 697.
Amarandus martyr Albigensis, 787, 788. Ejus passionis historia, 787.
Amaseorum civitas, 1262.
Amatissa fluvius, 91, n.
Amatores baculi infantum, 967.
Amatus patricius, 183, 575.
Amazones, 705.
Ambaciensis vicus, 91. Ibi pons ex navibus, 1048. Ecclesia, 528. Sacra sancto Dionysio, 1518.
Ambiacensis vicus, 1157.
Ambiacinum monasterium, 1307.
Ambianensis episcopus Bertefridus, 145, n. Beatus, Honoratus, 252, n. 1394, n.
Ambiani celebre sancti Martini miraculum, 1019. Ibi et cœnobium, 1019.
Ambitio episcopatus detestanda, 176.
Amblava, 673.
Ambrosius Mediolani episcopus morti sancti Martini interest, 1006. Ei revelantur sancti Gervasius et Protasius, 776.
Ambrosius misere perit, 289, 290, 534.
Amelius episcopus, 597. Bigorritanus, 398, n. 425.
Ametegis vallis, 625.
Aminadab filius Aram, 15.
Amiramomeni rex Sarracenorum, 702.
Ammonius agens basilicæ sancti Martini, 1020.
Amnarus Hunnorum rex, 1271.
Amnarus junior sancti Martini patruus, 1271, 1272, 1273, 1277. Episcopus Hunnorum, 1277.
Amo Langobardorum dux, 186. Fugit, 187.
Amon rex Juda, 16, 17.
Amor rex Sarracenorum occiditur 679.
Amormuni rex Sarracenorum, 701, 702.
Amos episcopus Jerosolymitanus, 599, n., 600, n.
Amphibalum album paschale, 1188, n.
Amphibolum, 94..
Amphytrion, 715.
Ampsuarii seu Ampsivarii populi, 60.
Ampulla sanguinis sancti Stephani, 759, n. Oleo sancti Martini plena, 588, etc. Oleo miraculose repleta ad sancti Martini sepulcrum, 1059. Servata ad ægrorum medelam, 1060.
Ampulla Rhemensis, 83, n.
Anafledis Theodorici Magni uxor, 131, n.
Anagildus a sancto Juliano sanatus, 858.
Analogium in ecclesia sancti Cypriani, 826.
Ananiæ punitio, 472.
Anargyri martyres, 831, n.
Anastasius papa Chlodoveo Christiano gratulatur, 1322.
Anastasius imperator Chlodoveum consulem creat, 95.
Anastasius episcopus Antiochiæ, 599, n.
Anastasius abbas, 287. Sancti Victoris Massiliæ, 288, n.
Anastasius presbyter Arvernensis, 150.
Anathemata ad sanctorum sepulcra, 1190.
Anatolius reclusus Burdegalensis, 408.
Anaulfus Persarum imperator, 598. Fit Christianus, 599.
Anchises, 715.
Ancilla Dei, 125. Id est sanctimonialis, 126, n.
Andarchius, 188. Fallit Ursum, 189 Comburitur ab eo, 1, 190.
Anderavinus homo, 1022. Æger sanatur, 279.
Andecavis urbs, 252, 295, 494, 1093, 1330, 1332.
Andegavum, 70, 214, 239, 339, 413, 501, 554, 671, 1096. A Childerico obtinetur, 535. Andegavum territorium, 437, 1087, 1093, 1123. In eo pagus Carnonensis, 1069. Vicus Crovium, 1125, 1128. Vicus Cracatonnum, 1083. Regio, 1060. — Andegavense monast. A Licinio conditum, 535. — Andegavi, 190, 504, 578. In Britannos ducti, 257. Fame vexati, 518. — Andegavenses episcopi Maurilius, 1281; sanctus Albinus, 977, 1281; Audoveus, 501. — Andegavi dux Beppolenus, 412. Comes Theodulfus, 391. — Andegavus civis Licinius episcopus Turonensis, 533.
Andelaus, 598, 618. Colloquium, 440.
Anderitum urbs, 26, n., 518, n.
Andreas passus apud Patras, ejus basilica, et manna et oleum e sepulcro, 754, 1264. Sepulcrum miraculis illustre, 756. Reliquiæ in Burgundia, 754. Apud Turones, 754. Agathæ, 810. Monasterium Agathense, 810, n. Aliud Romæ a sancto Gregorio conditum, 479, n. Basilica Arvernis, 172. A Præmonstratensibus possidetur, 172, n. Apud Novum vicum Turonum, 755, n. Ejus passio apocrypha, 1261, n. Liber de ejus miraculis, *ibid.* Acta in Liturgia Gallicana, 1397.
Andreas legatus Constantinopolitanus, 1349, 1350.
Angelorum miracula, 893. Ii nesciunt diem judicii, 7.
Angeris fluvius, 1241, 1242.
Angeris monasterium, 1242.
Anglorum conversio, 165, n. Rex Ethelbertus, 165, n.
Anianus episcopus Aurelianensis, 53, 707, 708. Ejus basilica, 437, 632.
Anicium a Vellava urbe distinctum, 519.
Animæ immortalitas et natura, 7, vivit post mortem, 497.
Animodus vicarius, 489.
Animus tribunus, 1044.
Aninsula monasterium, 214
Anna Helcanæ uxor, 1165.
Annorum computationes, 10, 14, 15, 16, 19, 56, 538, 576, 675, 676.
Annulus in sponsalibus, 1252.
Annulus regis, 201.
Annus a quo mense incipit, 876. Apud Gregorium, 1233, n. A Martio, 871. Anni ecclesiastici initium olim in Gallia, 751, n.
Anonymi sancti apud Santonas, 912.
Ansegiselus Francus nobilis, pater Pippini, 353, 667.
Ansfledis uxor Waradonis, 669, 670.
Ansoaldus, 204. Chilperico regi fidelis, 575. Legatus in Hispaniam, 582. Erat genere Francus, 629.
Ansovaldus, 260, 325, 405. Ex regii prioribus, 336. Fugit, 383. Chilperici legatus, 293, 294.
Anstrutiones qui, 98, n.
Antenna crucis signum refert, 1011.
Antestius, 596, 413, 414, 454. Dux, 1290.
Anthemius imperator, 63, n.
Anthemius episcopus Senonensis, 404.
Antichristus, 519. Quid faciet, 7.
Antidius episcopus, 578. Aginnensis, 577, n.
Antiochia, 599. Ejus eversio, 516, 517. Ejus pagus, 916.
Antiochiæ episcopus Ignatius martyr, 21. Episcopus Babylas martyr, 22. Gregorius, 599, 600.
Antiochia Ægypti a Persis capta, 180.
Antiphanes Megarensis, 1263.
Antiphonæ, 1182. In matutinis, 1187.
Eas episcopus incipit, 405. Et cantat, 1165.
Antistes dicitur abbas, 1236.
Antolianus martyr, 25. Arvernus, 795. Ejus ecclesia, 796. Reliquiæ, 1396.
Antonia martyr Lugduni, 779.
Antoninus imperator, 21.
Antoninus defunctus ex ecclesia dejicitur, 821.
Antonius frater sancti Patrocli, 1197.
Antonius Magnus, monachus, 28.
Antonnacum, 620.
Apamea urbs Syriæ, 180.
Apollinaris martyr Rhemis, 785. Ejus basilica, 786.
Apollinaris Arvernus in pugna Vogladensi, 94. Sancti Sidonii filius, *ibid.*, n. Periculum evadit, 774. Episcopus Arvernensis, 105, 795, 1161. Obit, 106.
Apollonius martyr Lugduni, 779.
Apoplexia, sanguinis percussio, 297.
Apostata, qui e monasterio fugerat, 215.
Apostoli a Christo edocti, 723. Per duodecim lapides Jordanis signati, 1005. Totam repræsentant Ecclesiam, 1240. Sanctum Petrum episcopum ordinant, 750. Nihil habent proprium, 724. Dispersi per orbem, ad Mariæ obitum congregantur, 724. Eam sepeliunt, *ibid.* Eorum gesta ignota, 1201. Reliquiæ, 754, 816. Sepulcra Romæ, 279. Basilica Parisiis, 100. Lugduni, 1187, n. Eorum discipuli in Gallias missi, 777.
Apostolica sedes, 686, 694. Romana, 45, 765. Tum et aliæ, 166, et n. Id est episcopalis, 479.
Apostolica traditio, 497.
Apostolici, id est episcopi, 536, 1333. Potissimum Romani, 166, n.
Apostolici canones, 228, 227, n.
Appellatio ad papam, 252. Et ad Synodum, 1329.
Appellinus comes, 618, n.
Appennis formula, 1532, 1533.
Apta religiosa, 1058.
Apri (sancti) ecclesia, 631.
Aprunculus Arvernensis episcopus, 74, 1161. Ex Lingonensi, 76. Obit, 105.
Aprunculus episcopus Treverorum obit, 1171.
Aptacharius rex Langobardorum, 449, n. Ejus legatio ad Gundramnum,

487. Tum ad Childebertum, 488. Obit, 48.
Aqua abluitur sancti Martini sepulcrum ante Pascha, 1070, 1098. Inde aqua benedicta e sepulcro sancti Martini, 234.
Aqua benedicta, 747, 966, 1165. Ejus virtus, 1063.
Aqua calida fides recta approbatur, 813, 904.
Aquæ judicium, 799, 800.
Aquæ Tarbellicæ. Ejus episcopi Faustianus, 557, 577, 392; Nicetius, 392, 393, n., antea comes, 557.
Aquæ Sextiæ in Provincia, 228, 413, n. Ejus patronus Metrias, 951.
Aquenses, 186.
Aquenses episcopi Plentius, 288; Franco, 951.
Aquila rex. *Vide* Agila.
Aquileia, 57. Diruitur, 56.
Aquilinensis episcopus, id est Ecolismensis, 469.
Aquitania, 634, 682, 695, 699, 1284. An dicta Germania? 77, n., 1391. Ejus caput, 698. A Francis acquisita, 127, n., Pippino subjicitur, 699, 702. Ab eo vastata, 695. Inter ejus filios divisa, 703.
Aquitaniæ dux an jus regium habuit? 673, n. Duces Willicharius, 158, n.; Eudo, 672, etc.; Chunoaldus, 682. Princeps Waifarius, 693, etc., 702.
Arabicus sinus, 15.
Aram filius Esrom, 15.
Aram dux Theoderici regis Italici, 808.
Araris fluvius, 85, 242, 399, 800, 912, 992. Cognominatus Saoconna, 662.
